10 Vols

XXV

207

Ex [illegible]

Ex Libris Ill.mi Card.lis Pirutti

"Ces dix volumes sont toujours considérés comme un des plus importantes éditions de Cicéron. —

Un exemplaire d'une parfaite conservation est un livre fort rare, et toujours digne de toute l'attention des amateurs." Renouard.



M. TVLLIVS CICERO

MANNVCCIORVM COMMENTARIIS ILLVSTRATVS
antiquaeq. lectioni restitutus.

AD ILL.MVM ET EXC.MVM
VESPASIANVM GONZAGAM COLVMNAM DVCEM SABLONETAE ETC.

VENETIIS. CIↃ IↃ XXCII. APVD ALDVM

-1582-

A. C. P.

ILLVSTRISSIMO
ET. EXCELLENTISS.
VESPASIANO GONZAGAE COLVMNAE
SABLONETAE. CONDITORI
ET. DVCI. I
TRAIECTI. DVCI
HOSTIANI. MARCHIONI
FVNDORVM. ET. ROTINGI. COMITI
CARAMANICI. ET. THVRINI. BARONI
ANGLONAE. DOMINO
ET. C.

EN Tibi, ILLVSTRISS. VESPASIANE, cui iamdudum Commentarios meos in Libros Ciceronis de Officiis nuncupaui, nunc omnia, tum mea, tum Patris cum Scholia, tum Commentaria in omnia fere, quae Ciceronis exſtant, monumenta dico, do, dedicoque. Vt, ſi certa, ſanctaq. apud omnes gentes animi, ac mentis noſtrae interpres oratio fuit, eritq. ſemper; mei quoque ſenſus

de Tua ſingulari, ac prope diuina uirtute, deq. admirabili ſapientia, rerumq. omnium ſcientia, meae in Te mirifice propenſionis, quo nullum a me poſteritati grauius, atque illuſtrius relinqui teſtimonium poteſt, breuibus hiſce litterarum monumentis conſignetur. Deum etiam opt. max. precor, quamdiu uoluntas huiuſmodi in Te mea, quamdiu ſuauis, & iucunda Tuorum erga me officiorum recordatio meo animo inhaerebit, (quam ego cum ipſo fore immortalem non dubito) tamdiu mei in Te ſtudij magnitudo in optimi cuiuſque memoria uerſetur. Quid enim tam magnum eſt, quod a me Tibi non debeatur? Si enim aliquod umquam officij genus a ſummis uiris in me collatum ornamento non uulgari mihi eſſe duxi; certe, cum Tu unus, ILLVSTRISSIME VESPASIANE, Litteratorum hodie Maecenas, Litterarumq. ipſarum decus eximium, ſummis quibuſque belli, & pacis artibus ornatiſſimus, Italiae ſpes magna, atque maximum ornamentum, me quibuſcumque potueris officijs auxeris, ornaris, atque omni ſtudio complexus fueris; cuiuſnam fortunam umquam optabiliorem hac mea fuiſſe exiſtimem? Sed, quae ego pluribus alias de mea Tibi maxime deuincta uoluntate, ſummaq. in Te obſeruantia, praedicaui, libentiſſime hoc loco repeterem, ſi ſcirem Tuorum in me meritorum commemorationem tibi aeque, ac mihi, gratam, contingere. Verum aures Tuae propriarum, licet ueriſſimarum, laudum uoces non ferunt. Bene enim agere potius, quam bene acta audire, propoſitum Tibi ſemper fuit. etſi hoc alterum nulli bono debet eſſe inuiſum. Verum Tu id, prae eo, quod praecipuum eſt re uera, ſi non odiſti, certe parum curare, atque etiam negligere uideris. Praeclare. Sic enim exiſtimas, Bonum ipſum per ſe, non in alterius rei gratiam, expetendum. Quid ergo? Silentium mihi potius imperem: idq. eo magis, quod Tua prope diuina facta, dictaque, cum in illuſtriſſimo loco, atque in clara luce, uerſentur, ipſamet loquuntur; Scriptorumq. monumentis lucem potius afferre, quam ab ijs accipere poſſe ullam uidentur. Quod reliquum eſt igitur, humanitati, benignitati, & auctoritati Tuae, quae mihi una ſatis eſt pro omnibus, me primum ipſum, deinde meos hoſce labores, & ingenij mei monumenta, & priuato, & publico Litterarum nomine commendo. Quae ut ad poſteros tranſeant, uel ea maxime cauſſa ſummopere cupio, quod nomen in fronte praeſeferant Tuum, teſtem Obſeruantiae meae, & Tuorum in Rem Litterariam maximorum meritorum; quae Tu maiora quotidie efficis, dum, Publicae utilitati conſulens, excellentes uirtute uiros ad praeclara litterarum ſtudia, horum temporum iniuria paene deſides, quaſi e ſomno excitas; & ſingulari Tuo exemplo facis, ut priſca ſaecula non deſideremus. Vtinam multi Tui ſimiles eſſent, VESPASIANE.

Litterae

Litterae non iacerent: quae iamdiu (neſcio quo fato) iacere uidentur: & certe iacerent etiamnum, & in obſcuro laterent, niſi Tu in primis cum paucis eas in uitam reuocaſſes, & ijs manum dediſſes, ſuſtinens, fouens, alens, & prorſus eas in ſinu tenens. Multum igitur cum eae Tibi debeant; ſi minima nunc rependunt, non earum culpa id fieri iudices; ſed quod, cum ipſae mihi, ut Te earum nomine ſalutarem, iniunxerint, neque ego aliud haberem nunc prae manibus, quo huic officio ſatisfacere poſſem, noluerim ipſe uacuus ad Te accedere; ſed hoc, quidquid eſt, & qualecumque eſt, potius Tibi offerre: donec alij, ingenio forſan praeſtantiores, uoluntate numquam ſuperiores, maiora tamen praeſtent, & Amplitudini tuae debita praeconia reddant. Tu haec interim, laeta, atque hilari fronte ſuſcipere ne dedigneris. Deus opt. maximus Te Italiae, Te Muſis, Te militari Italicae gloriae, Te etiam nobis quam diutiſſime incolumem ſeruet. Vt renouata iam ſaecula plane poſſimus agnoſcere. Vale.

Venetiis. Kal. Ian. CIↃ IↃ X X C I I I

Ill.mae, atque Excell.mae D. T.

Deuinctiſſimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.

M·TVLLII·CICERONIS HISTORIA,

PER CONSVLES DESCRIPTA,

& in annos LXIV· diſtincta,

PER

FRANC·FABRICIVM·MARCODVRANVM

ILLVSTRI·ET·GENEROSO·COMITI D.HERMANNO.A.NOVA.AQVILA.ET.MOERS, DOMINO.IN.BETBVR, &c.

Domino ſuo Clementiſsimo.

Franciſcus Fabricius Marcoduranus S. D.

VETERI conſuetudine,inſtitutoq. maiorum fit, Comes Illuſtris, ut, qui ſcripta ſua in apertum referunt, ea magnis & illuſtribus uiris inſcripta,& dicata emittant. Sic Plinij de naturali hiſtoria libri in Titi, Plutarchi Apophthegmata in Traiani, Oppiani ἁλιευτικὰ in Antonini Imperatoris nomine iam olim apparuerunt. atque,ut haec doctorum uirorum monumenta Principum illorum ſplendore ornantur: ſic eorum nomen uiciſsim horum lumine illuſtratur. neque enim Muſae ingratae eſſe, aut beneficij immemores conſueuerunt: ſed patronis ſuis & bene meritis gratiam cumulate perſoluunt. Bene autem de illis merentur, non ſolum qui ipſi res memoria dignas ſcriptis mandant, uerum etiam qui alios ad promouenda bonarum artium ſtudia praemijs & honoribns excitant. Qua in re tua, Illuſtris Comes, fama ſic lucet, ut non qui eam celebret, aſſentator; ſed qui non celebret, maleuolus ſit exiſtimandus. Dedit hoc tibi natura, ut benigne facere omnibus uelis: fortuna, ut poſſis: doctrina, ut ad eos iuuandos & ornandos, qui ſe illis artibus, in quibus ipſe excellis, dedidere, ſtudium tuum libentiſſime conferas. Haec in ceteris laudibus, quae tibi cum ab alijs permultis, tum a litteratorum natione potiſſimum contribuuntur, familiam ducit. nec immerito.etenim, ſi recte a ueteribus uſurpatum eſt, homines ad deos nulla re propius accedere, quam bene merendo; certe, quo latius uirtus haec diffunditur, eo illuſtriorem, maioremq. illam & eſſe, & haberi, neceſſe eſt. Quis uero eſt, qui fructum eius liberalitatis, qua eruditi,& ſtudioſi litterarum ſubleuantur, non ad eos tantum, quibus benigne fit, pertinere, ſed & inde latius ſerpere, atque adeo ad uniuerſum genus hominum manare, non intelligat? Ego quidem, etſi libenter agnoſco,& fateor, ingenium in me admodum eſſe exiguum, natura tamen me, qua duce ad litterarum ſtudium acceſſi, incitor, & impellor, ut, ſi quid in me eſt facultatis, quotidianis ſtudijs,& vigilijs partum, id foras emanare, communiq. utilitati inſeruire uelim. cuius rei documenta cum ſuperioribus annis in Lyſia, Plutarcho, Oroſio, Terentio,& Cicerone dediſſem: hoc tempore me operam eloquentiae & linguae Latinae ſtudioſis non inutilem nauaturum putaui, ſi

Ciceronis hiſtoriam, quam aliquot annis collectam domi aſſeruabam, illuſtri tui nominis titulo cohoneſtatam emitterem. Etſi uero non eſt modeſtiae meae, de hoc labore glorioſius quidquam praedicare: hoc tamen dicere hic apud te, Comes Illuſtris, non dubitabo: me, cum uiderem ceterorum ſcripta, quae de Ciceronis uita ſunt in manibus, & abſque temporum diſtinctione leguntur, quaſi tabulas bene pictas lumine carere, hiſtoriam illius a die Natali exorſum ad ſupremum uſque uitae diem ita pertexuiſſe, ut Faſtos Conſulares ſecutus eam in annos LXIIII digeſſerim. qua ratione effectum eſt, ut non ſolum in Rhetoricis & Philoſophicis libris, uerum etiam in epiſtolis fere omnibus ſingula ad ea tempora, quibus a Cicerone ſcripta ſunt, reuocauerim. In Orationibus uero me operae pretium facturum, & lectoris gratiam initurum putaui, ſi non tantum annos, quibus habitae ſunt, indicarem, ſed & argumenta uerbis paucis, & tamen perſpicuis demonſtrarem. Quarum rerum lectionem cum tibi pro ſingulari amore, quo litteras litteratosq. omnes complecteris & foues, non ingratam fore ſperarem, facere non potui, quin hunc librum cum Illuſtri nominis tui inſcriptione diuulgarem. Quod ſi tu quoq. recte factum iudicaueris, tuaq. beneuolentia comprobaueris, facilior curſus in ijs deinceps erit, quae in optimis utriuſq. linguae ſcriptoribus partim inchoata, partim affecta habemus. Tuae certe benignitatis aura proſequente fiet, ut induſtria noſtra difficultates illas, quibus ſaepe retardari ſolet, facilè euadat. Vale. Duſſeldorpij Idibus Septem. Anno a Chriſto nato M.D.LXIX.

FRAN-

FRANCISCVS . FABRICIVS MARCODVRANVS LECTORI. S.

CVM uariae ſint uoluntates eorum, qui ſe ad ſcribendum applicant, omnes in eo laudandos puto, quod ſua industria & labore dum ſtudioſos diſcendi non modo uiui ac praeſentes, ſed & poſt mortem litterarum monumentis erudire uolunt, non paucis quibuſdam, ſed uniuerſo hominum generi, quantum in ipſis est, prodeſſe ſtudent. neque enim artes ullas, quibus exculti homines a feritate ad manſuetudinem transferuntur, haberemus, niſi ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio, & primis temporibus illis, quibus rerum bonarum quaſi lumina accenſa fuerunt, exſtitiſſent, qui eas utiliter ad hominum uitam inuentas litteris conſignarent; & patrum nostrorum memoria, cum bonae diſciplinae omnes craſſis occultatae, & circumfuſae tenebris latebant, fuiſſent, qui eas in lucem reuocarent, & non tam ab obliuione, quam ab interitu ſempiterno uindicarent; & hac denique aetate eſſent, qui olim inuentas, & poſt longam intermiſſionem reuocatas artes in ueterem dignitatem reſtituerent, atque ad ſummam elegantiam perpolirent. Quorum induſtriae curriculum quando in iiſdem rebus numquam elaboratur, ſed diuerſis studiis homines ſemper ducuntur, ut in ſenſibus alios dulcia, alios ſubamara delectare uidemus: eorum ego ſtudium optime poni, maximosq. fructus efferre cenſeo, qui in ueterum auctorum ſcriptis illuſtrandis omnem operam, curam & diligentiam conſumunt. Cum enim constet, in promptuq. ſit, studiorum nostrorum hunc finem eſſe, ut & pectus maximarum rerum uarietate, ſapientiſſimisq. praeceptis compleamus, & linguam lectiſſimorum uerborum copia ad ſenſa mentis recte ornateq. enuncianda inſtruamus: non puto quemquam tam uaecordem eſſe, qui haec aut in Phocidis Parnaſo, aut in Boeotiae Helicone a Muſis, quarum illic domicilia eſſe dicuntur, petenda exiſtimet. In ueterum Graecorum, & Latinorum ſcriptis ſunt fontes illi, unde non ſolum utriuſque linguae cognitio, ſed & omnium rerum bonarum ſcientia est haurienda. ex horum ubertate quidquid apud poſteros boni eſt, quod commendationem habeat, emanauit. hinc illa ceu riuulorum facta deductio eſt. Quapropter, qui fontes hos longe liquidiſſimos, unde non ſolum purius, & affluentius multo, quam e riuis, hauritur, uepribus & dumetis ſaeptos, atque intercluſos purgāt & aperiunt, nae illi de uniuerſa natione eorum, qui non modo litterati eſſe, ſed & uere ſapere uolunt, merentur optime. Sed, ut in agricultura labor, qui fertili agro impenditur, fructuoſior eſt eo, qui in minus bono, aut etiam ſterili ponitur: ſic, cum neque ſcriptorum eadem ſit bonitas, neque utilitatis, quae ex illis capitur, paria momenta inueniantur; certe, quo auctor excellentior, atque uberior eſt, eo ſtudij, quod in eum confertur, maior & praeſtantia, & utilitas erit. Etſiuero ſcriptoribus ſuam cuique laudem tribuere ſoleo, nec est meum, qui ingenio admodum exiguo, & iudicio pertenui ſum, temere de ueterum ſcriptis pronunciare: quia tamen uiris ſummo ingenio, iudicioq. acerrimo praeditis ita non ſolum hoc tempore, ſed iam olim perſuaſum eſſe uideo, M. Tullium Ciceronem in omni doctrinae genere, & eloquentiae laude tantum praeſtare, ut poſt homines natos eiuſmodi nemo, apud Latinos quidem certe, umquam fuerit, his etiam temporibus talis nullus inueniatur, nec in posterum tanta excellentia in quoquam ſperari poſſe uideatur: ab horum uirorum iudicio diſcrepare, mihi nefas eſſe arbitror. Quare, cum Ciceronis immortalis ingenij ſit beatiſſima ubertas, ut Quinctiliani uerbis utar, eiusque libri ſint non modo linguae Latinae, & eloquentiae, uerum etiam rerum innumerabilium theſauri copioſiſſimi, qui uel aureum illud flumen, cum inimicae uetuſtatis iniuria, tum imperitorum hominum incuria foedatum, & impeditum quaſi retandum ſuſcipiunt, uel abditos in eius libris theſauros commostrant, & patefaciunt, eorum laborem optime impendi, fructuoſiſſimumq.

*ſimumq. eſſe cum ſemper iudicaſſem,hoc tempore manifeſto comperio. Lumen uero hiſtoriae tam
neceſſarium ad huius rei partes ſuſtinendas animaduerti,ut,qui illo deſtituti ad Ciceronis expli-
cationem aggrediuntur,eos non tantum ſcripta illius nihil illuſtrare,ſed & locis non admodum ob-
ſcuris,tamquam in craſſiſſimis tenebris,foediſſime labi uideam. & iure quidem,etenim, cum hiſto
ria ſit,ut ueriſſime a Tullio ipſo dictum eſt,lux ueritatis,& nuncia uetuſtatis: fieri non poteſt,ut ſi-
ne eius cognitione ueritatem rerum uetuſtarum,& a noſtra memoria remotarum,(cuiuſmodi ſunt
ea omnia, quae interpretis operã in Ciceronis ſcriptis requirunt) quiſquã perſpiciat,nedum aliis pa-
tefacere,atque enodare poſſit. Contra qui a memoria temporũ,hominum rerumq. geſtarũ inſtructi
ad ſummi Oratoris interpretationẽ acceſſerunt,hi mirabiles utilitatis fructus ſtudioſis attulerunt.
Nec alia cauſſa eſt,cur exiguis fragmentis explicationũ Pediani in paucas orationes Ciceronis ma
gnã molem Cõmentariorũ praeponderari comperiamus,niſi quod in illis commemoratio antiquita-
tis eſt perpetua,in hac res ueteres nũquã fere attinguntur. Sed de interpretandi ratione ſententiã
noſtrã in praefatione Commentarij in Ligarianam ſuperiore anno expoſuimus: nunc de huius libri
inſtituto aliquid dicendum. De uita Ciceronis Tulliũ Tironẽ,& Cornelium Nepotem libros ſcri
pſiſſe,ac reliquiſse,teſtes locupletes ſunt Aſconius,& Gellius. Inuenitur praeterea,ut accepi,in uetu-
ſtis libris Auctoris de uiris illuſtribus uita Ciceronis breuiter comprehẽſa, quam Plutarchus copio-
ſius conſcriptam in Parallela ſua incluſit. Eã Leonardus Aretinus cum e Graeco in Latinum con
uertere coepiſſet,atque animaduerteret, Plutarchum multa,ut ipſe ait, praetermittere, quae ad
ſummi uiri ſplendorem, uel maxime pertinerent, Plutarcho,eiusque interpretatione amiſsa,quae
uel apud Latinos, uel apud Graecos de uita moribus,& rebus geſtis Ciceronis legerat,plenius,non
ut interpres, ſed arbitratu ſuo deſcripſit. Hic Aretini libellus quaſi e Plutarcho expreſſus in
manibus uſque eo fuit,donec Achilles Bocchius ex Graeco bono Latinum fecit non omnino bonũ.
qui,ſimulac, Graeca intelligere coepi,diſplicuit,feciq. aliquot annis uota, ut melior interpretatio,
quae Cicerone & Plutarcho digna eſſet, prodiret. Sed cum optando nihil me conſequi uiderem,
haud ſecus ac ſi uota nuncupaſſem,non feciſsem, ea pro tenui mea facultate & copia mihi per-
ſoluenda eſſe duxi. Itaque ex Plutarcho uitam Ciceronis ita ut ab eo ſcripta fuit, ſtatim conuer-
ti,& quidquid ab aliis utriuſque linguae ſcriptoribus,quod cum illis aut conueniret, aut diſcrepa-
ret,de Cicerone memoriae proditum notaueram,in Annotationes conieci: quibus illa etiam com-
prehendi,quae a Plutarcho in praeteritis relicta erant. Exiit tum Ciceronis uita ipſius libris potiſ
ſimum collecta,nec ineleganter conſcripta a Chriſtophoro Preys Pannonio. cumq. iam illud,quod
ego confecerã,typographo daturus eſſem,ecce tibi affertur Egnatius Sebaſtiani Corradi: cuius ac
curatam diligentiam ita probaui & amplexus ſum, ut meo labore ſtudioſis litterarum opus non eſ-
ſe aequiſſimo animo paterer. nec fore umquam putaui, ut eum quiſquam requireret, cũ praeſer-
tim non ita multo poſt Ciceronianus Petri Rami (cui me Lutetiae Pariſiorum operam dediſſe
non paenitet) ſubſecutus eſſet. Relicta igitur hiſtoria M. Ciceronis, uacuo a quotidianis praele-
ctionibus tempore,cuius per quã exigua facultas nobis datur,alias res agere coepi. Sed fecit tan-
dem non ſolum ardens deſiderium ſtudioſae iuuentutis,uerum etiam grauis auctoritas magnorum
uirorum,qui me hiſtoriam Ciceronis alia,& commodiore,ut ipſi iudicabant,ratione tractaſſe,quã
ceteros,cognouerant,ut uererer, ne, ſi diutius eam deberem,bonum nomen non exiſtimarer. Quid
praeſtiterim,confido eos,qui Ciceronis amore flagrant, ubi haec legerint,cognituros. Meam uero
interpretationẽ Plutarchi hic non appoſui,partim quia docta & accurata Xylandri noſtri,quẽ ho
noris & amicitiae cauſſa nomino,iam edita,mea opus eſſe uiſum non fuit; tum quia, ſi quidẽ Xy-
lander promiſſis ſteterit,& correctam a ſe interpretationem cum Annotationum cumulo huc ad
nos miſerit,Latina cum Graecis coniuncta,ut ab utriuſque linguae ſtudioſis conferri poſſint,breui
ſumus edituri. Interim haec,quo a me animo dantur, eo Lector accipe,& Quinctiliani illud me
mineris: Ille ſe profeciſse ſciat, cui Cicero ualde placebit. Vale.*

M · TVLLII · CICERONIS HISTORIA,

Per conſules deſcripta, & in annos LXIV. diſtincta,

PER

FRANC · FABRICIVM · MARCODVRANVM

M. TVLLIVS. M. F. M. N. COR. CICERO

HOC modo Orator noſter, cuius uitam deſcripturi ſumus, Romanorum more nominatur. atque haec ſingula primum explicabimus. M. ideſt Marcus, praenomen eius eſt, quod a patre maximus natu filius de more habuit. TVLLIVS, prorium, & gentile eiuſdem nomen eſt: fuit enim e Tullia gente antiquiſsima, lib. 2. de legib. Patrem Ciceronis ex regio Volſcorum genere fuiſſe, in Euſebij chronicis legimus. & Plutarchus ſcribit, nõnullos eius genus referre ad Tullum Attium, nobilem Volſcorum regem.

Hinc Silius Italicus libro octauo:

> Tullius aeratas raptabat in agmina turmas,
> Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto:
> Indolo pro quanta iuuenis, quantumq. daturus
> Auſoniae populis uentura in ſaecula ciuem.
> Ille ſuper Gangem, ſuper exauditus & Indos
> Imalebit terras uoce, & furialia bella
> Fulmine compeſcet linguae, nec deinde relinquet
> Par decus eloquij cuiquam ſperare nepotum,

M. F. Marci filius. habuit enim Cicero noſter patrem M. Tullium, qui cum eſſet infirma ualetudine, in Arpinati uilla fere aetatem egit in litteris. lib. 2. de legib. Eum fulloniam feciſſe, ac uites oleasq. ſemper coluiſſe, Q. Calenus in maledica oratione apud Dionem lib. 46. ait. Patrem hunc Cicero in petitione conſulatus, annos jam natus XLIII, amiſit, ut Aſconius ſcribit. uide epiſt. 5. lib. 1. Att.

M. N Marci nepos. nam & auus eius M. Tullius Cicero nominatus: eoq. uiuo ſe natum ait lib. 2. de legib. De eodem lib. 3. ita ſcribit, Et auus quidem noſter ſingulari uirtute in hoc municipio, quoad uixit, reſtitit M Gratidio, cuius in matrimonio ſororem, auiam noſtram, habebat ferenti legem tabellariam. Is quoque eſt, de quo Caeſar lib. 2. de Oratore, M. Cicero, inquit, ſenex, huius uiri optimi, noſtri familiaris pater, noſtros homines ſimiles eſſe Syrorum uenalium dicebat: ut quiſque optime Graece ſciret, ita eſſe nequiſsimum. COR. Cornelia nomen eſt tribus, ablatiui caſus, ut ſit, ex Cornelia. ex tribubus autem XXXV. aliquam neceſſe erat, cuiuſcumque ordinis eſſet, ciuis Romanus obtineret. atque a tribu, in qua cenſebantur, ciues etiam ſignificabantur, Aſconius in Verrinam ſecundam. Cicero autem cum reliquis Arpinatibus in tribu Cornelia cenſebatur, Liuius lib. 38.

CICERO. Cicerones a cicere appellatos fuiſſe, ſatis conſtat: itaq. dictum eſſe illum, qui primus hoc nomen

men inuenit, a naſi figura, auctor eſt Plutarchus. Apud Priſcianum quoque Grammaticum lib. 2. legitur, eum, qui primus hoc nomen habuit, ab habitu faciei nominatum eſſe. Plinius uero lib. 18. cap. 1. ait, Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum cognomina prima inde eſſe, ut quiſque aliquod optime genus ſereret.

Anno poſt Romam conditam DCXLVII, ante Chriſtum natum CIII, conſules fuerunt

Q. SERVILIVS. CAEPIO, C. ATILIVS. SERRANVS

HIs conſulibus ante diem III. Nonas Ianuarij M. Cicero natus eſt. Gellius libro 15. cap. 28. His quoque conſulibus, quibus L. Craſſus legem Seruiliam ſuaſerit, ſe natum eſſe, ipſe Cicero in Bruto ſcribit. Idem III. Non. Ian. natalem ſuum uocat epiſt. 5. lib. 7. & epiſt. 41. lib. 13. ad Att. Verba Plutarchi ſine cauſſa in dubium uocantur: qui de Ciceronis natali ita ſcribit. τεχθῆναι δὲ κικέρωνα λέγουσιν ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νεῶν καλανδῶν idest, Editum in lucem Ciceronem ferunt tertio die Kalendarum nouarum, ſiue poſt diem tertium Kalendarum Ianuarij. quo genere loquendi non quartus, ſed tertius dies Ianuarij ſignificatur, ut ſit tertio die poſt Kalendas connumeratis ipſis Kalendis. Sic Liuius lib. 30. ait, Hannibalem poſt ſextum decimum annum ex Italia deceſsiſſe: qui uenit in Italiam anno ab V. C. DXXXII. deceſsit anno DXLVII. Recte igitur Paulus Iuriſc. in L. Anniculus. D. de uerb. ſignific. Ante diem decimum Kalendarum, poſt diem decimum Kalendarum, neutro, inquit, ſermone undecim dies ſignificantur. Sic enim legendum ex Pandectis Florentinis, non Vtroque ſermone. ut perperã Alciatus, Budaeus, Valla, & Corradus legerunt. Apud Plutarchum omnem dubitationem tollit id, quod ſequitur: ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος. id eſt, quo die nunc magiſtratus pro principe faciunt, & uota nuncupant. de quo die Caius in L. Si caluitur, D. de uerb. ſignific. Poſt Kalendas Ianuarias die tertio pro ſalute principis uota ſuſcipiuntur. ubi tertium diem Ianuarij intelligendum eſſe haec uerba Capitolini in Pertinace oſtendunt, Denique ante tertium Nonarum diem, uotis ipſis, milites maternum Laſciuium ſenatorẽ nobilem ducere in caſtra uoluerunt. Votis ipſis, id eſt, ipſo uotorum die, quomodo ludis gladiatoribus, & ſimilia a Latinis dicuntur. De iiſdem uotis Spartianus in Hadriano, Ingraueſcente ualetudine per ſomnium periit ipſis Kalendis Ianuariis. Quare ab Hadriano uotorum cauſſa eſt lugeri uetitus. & Vopiſcus in Tacito, Diuorũ tẽplum fieri iuſsit, in quo eſſent ſtatuae principum bonorum, ita ut iiſdem natalibus ſuis, Parilibus, Kalendis Ianuariis, & uotis, libamina ponerentur. Mater Ciceronis, quae ipſum, ut Plutarchus ſcribit, ſine ullo dolore peperit, fuit Heluia, ut ab Euſebio, & Paullo Diacono in ſupplementis Eutropianis recte nominatur. nam apud Plutarch. ὀλβίαν mendoſe eſt pro ἑλβίαν, quod nomẽ in eiuſdem Quaeſtionibus Romanis emendate legitur. quo de in Annotationib. in Oroſij lib. 5. cap. 15 Habuit mater Ciceronis ſororem, quae C. Aculeoni equiti R. nupſit: quem L. Craſſus dilexit ex omnibus plurimum, ut eſt lib. 2. de Oratore. de eodem ipſe Craſſus lib. 1. Nonne, inquit, uidetis equitem R. hominem acutiſsimo omnium ingenio, ſed minime ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum uiuit, ſemperq; uixit ita tenere ius ciuile, uti, cum ab hoc diſceſſeris, nemo de iis, qui peritiſsimi ſunt, anteponatur? Huius igitur Aculeonis filij Ciceronis conſobrini fuerunt. quibus cum ſe in pueritia bonis diſciplinis operam dediſſe ipſe teſtatur initio lib. 2. de Orat. Ex his fuit C. Viſellius Varro, uir doctus in primis: qui iuris ciuilis a patre Aculeone traditam tenuit diſciplinam, in Bruto. De eodem in orat. de prouinciis coſ. Antequam ad ſequentem annum tranſeo, admonebo adoleſcentes ſtudioſos, his conſulib. natum eſſe Cn. Pompeiũ pridie Kal. Octobris. quod Velleius lib. 2. & Plinius lib. 37. c. 2. diſerte ſcribunt. cuius rei obſeruatione facillime diiudicari poteſt, quot annos natus Pompeius res ſingulas geſſerit, honores ue conſecutus ſit. id quod tã uarie ab auctoribus ſcriptum eſt, ut maior diſcrepantia uix inueniatur.

Anno urbis DCXLIIX, Ciceronis II conſules fuerunt

P. RVTILIVS. RVFVS, CN. MALLIVS

HIc eſt P. Rutilius Stoicus, homo doctiſsimus, & Panaetij auditor. de quo Cicero in Bruto, lib. 3. de Officiis, & nos inferius. Alterum conſulem Cn. Mallium uoco, quoniam ſic quoque appellatur in antiquo marmore Neapoli: unde Georgius Fabricius legem aedificantium deſcripſit. de quo Cicero pro Plancio, Populus R. Q. Catulo in ſumma familia nato, ſapientiſsimo, & ſanctiſsimo uiro praepoſuit Cn. Mallium non ſolum ignobilem, uerum ſine uirtute, ſine ingenio, uita etiam contempta. Idem ſcribit pro Murena. Sed apud hiſtoricos, qui hunc conſulem uictum a Cimbris ſcribunt, magna uarietas in nomine, & praenomine inuenitur. de qua Sigonius in Faſtis. Hoc anno Q. Seruilio Caepioni proconſuli imperium rogatione C. Norbani tribuni pl. abrogatum eſt. qua de cauſſa ſeditio in urbe excitata fuit. de qua Cicero lib. 2. de Orat. Sed Caepio damnatus eſt, eiusq; bona publicata ſunt. Liuius lib. 63. & Aſconius in Cornelianam.

Anno urbis DCXLIX, Ciceronis III. COSS. fuerunt

C. MARIVS. II, C. FLAVIVS. FIMBRIA

C. Marius iterum Conſul Kalendis Ianuarij de Iugurtha triumphauit, Plutarchus in Mario, Salluſtius in Iugurthino. C. Fimbriam Cicero pro Plancio inter eos numerat, qui, cum tribuni pl. eſſe nō potuiſſent, conſules facti ſunt. De eius eloquentia idem in Bruto. His conſulibus C. Caſsius L. F. Longinus tribunus pl. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus dānaſſet, cui ue imperium abrogaſſet, in ſenatu ne eſſet, Aſconius in Cornelianam.

Anno urbis DCL, Ciceronis IV. COSS. fuerunt

C. MARIVS. III, L. AVRELIVS. ORESTES

Marivs hunc conſulatū in apparatu belli Cimbrici, (quod Cicero de prouinciis Gallicū uocat, & Mario extra ordinem decretum fuiſſe ait,) conſumpſit, ut ſcribit Velleius lib. 2. ubi addit his COSS. Cn. Domitium tribunum pl. legem tuliſſe, ut ſacerdotes, quos antea collegae ſufficiebant, populus crearet. cuius meminit Suetonius in Nerone, & Cicero Agraria ſecunda his uerbis: De ſacerdotiis Cn. Domitius tribunus pl. uir clariſsimus tulit, quod populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi uocaretur: ab ea parte qui eſſet factus, is a collegio cooptaretur. Oreſtes in magiſtratu mortuus fuit. itaque Marius e Gallia Romam profectus comitia conſularia habuit, quibus ipſe conſul quartum creatus eſt, Plutarchus in Mario.

Anno urbis DCLI, Ciceronis V. COSS. fuerunt

C. MARIVS. IV, Q. LVTATIVS. CATVLVS

Hoc anno Marius Teutonos & Ambronas ad aquas Sextias prope Maſsiliam deleuit, Strabo li. 4. Oroſius lib. 5. c. 16. ut alios mittam, de quibus in Oroſium ſcripſi. Q. Catulus pater eſt, de cuius dicendi genere multa Cicero in Bruto. Interfectus eſt a Marianis anno DCLXVI. Eodem anno M. Antonius Orator, qui triennio poſt, ſuo nimirum anno, conſul fuit, praetor maritimos praedones in Ciliciam perſecutus fuit, ut eſt in epitoma Liuiana lib. 68. Atque hanc rem ipſe Antonius intelligens li. 1. de Oratore inquit, Cum proconſule in Ciliciam proficiſcens Athenas ueniſſem, complures tum ibi dies ſum propter nauigandi difficultatem commoratus. Corradus, non animaduertens, proconſulem dici ē, qui ante conſulatum, cum imperio conſulari in prouinciā mittitur, ſcripſit M. Antonium poſt conſulatum in Ciliciam profectum. Tu lege Commentarium noſtrum in Ligarianam. Atque hic eſt Antonius ille triumphalis uir, cuius filiam a praedonibus captam fuiſſe, Plutarchus in Pompeio tradit. unde Cicero pro lege Manilia: An ignoratis, ex Miſeno eius ipſius liberos, qui cū praedonibus antea ibi bellū geſſerat, a praedonibus eſſe ſublatos? in cuius loci interpretatione doctiſsimus Othomanus perperā hunc Antoniū cum eius filio, qui curator orae maritimae fuit, ut infra demonſtrabimus, confundit. His conſulibus Archiam poetā Romam ueniſſe, Cicero in oratione pro eo habita ſcribit: & addit, illū ſibi a prima pueritia principē, & ad ſuſcipiendā, & ad ingrediendam rationem ſuorum ſtudiorū exſtitiſſe. Vſus enim fuit Cicero puer Graecis doctoribus: quod ipſe in epiſtola ad M. Titinium, referente Suetonio de claris Rhetorib. ita ſcripſit: Equidē memoria teneo pueris nobis primum Latine docere coepiſſe L. Plotium quendā: ad quem cum fieret concurſus, quod ſtudioſiſsimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi non licere. Continebar autem doctiſsimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia poſſe.

Anno urbis DCLII, Ciceronis VI COSS. fuerunt

C. MARIVS. V, M'. AQVILLIVS

Marii in quincto conſulatu collega fuit Manius Aquillius. Hinc Antonius apud Ciceronē li. 2. de Or. ait, ſe in Aquillij cauſſa Marium crebro appellando collegam ei ſuum commendaſſe. Aquillium Marij in quincto conſulatu collegā aduerſus fugitiuos in Siciliā miſſum, bellumq. ſeruile, Athenione duce interfecto, confeciſſe, Diodorus Siculus lib. 36. ſcripſit. in cuius excerpta hiſtoria ab Henrico Stephano Latine edita hic conſul C. Acilius per mendum uocatur. Apud Ciceronem quoque Agraria. 2. male ſcriptum eſt, Siciliae ciuitatibus bello fugitiuorum M. Attilius etiam mutuum frumentum dedit. ubi M'. Aquillius ſcribendum. ut initio Verrinae ſeptimae, Nos poſt id bellum, quod M'. Aquillius confecit, ſic accepimus: nullum in Sicilia bellum fugitiuorum fuiſſe. Aquillius deinde cauſſam de pecuniis repetundis dixit: eumq. M. Antonius acri-

er defendit,ut Liuius lib.70. Cicero lib.2. de Orat.& Verrina 7. teſtantur. Idem pro Flacco: M'. Aquilium patres noſtri multis auaritiae criminibus, teſtimoniisq. coniunctum, quia cum fugitiuis fortiter bellũ geſſerat, iudicio liberauerunt. C. Marius COSS. V. & Q. Lutatius procos. Cimbros in Venetia ad Athesim Veronae fluuium uicerunt. de qua uictoria Orosius noſter lib. 5. cap. 16. Sic Marius influentes in Italiam Gallorum maximas copias repreſsit, ut ait Cicero de prouinciis COS. atque Italiam obſidione liberauit, Idem poſt redit. ad Quirites.

Anno urbis DCLIII, Ciceronis VII, COSS. fuerunt

C. MARIVS. VI, L. VALERIVS. FLACCVS

HOc anno L. Appuleius Saturninus ſeditionem mouit. qui cum anno ſuperiore tribunatus competitorem A. Nonium (de quo nomine uide Annotationes noſtras in cap. 17. lib. 5. Oroſij) adiuuante C. Mario occidiſſet, eaq. ratione tribunus pl. iterum factus legem Agrariam per uim tuliſſet, in quam a ſingulis ſenatoribus iurari uoluit, Q. Metello Numidico, qui unus in eam iurare noluit, diem dixit. Metellus autẽ, cui patriae ſalus dulcior, quam conſpectus erat, de ciuitate maluit, quam de ſententia dimoueri. & C. Mario ſextum conſuli, & eius inuictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum eſſe duxit, Cicero pro Balbo, pro Sextio, & in Piſonem. Sed cum iam idem Saturninus C. Memminm candidatum conſulatus interfeciſſet, operamq. daret, ut C. Seruilius Glaucia praetor conſul fieret. S.C. factũ eſt, ut COSS. uiderent, ne quid reſp. detrimẽti caperet. Itaque Saturninus, & Glaucia ſtatim ſunt interfecti, Cicero pro Rabirio, in Catilin. 1. Philipp. 8. & in Bruto Saturnini caput Rabirium quendam ſenatorem per conuiuia circumtuliſſe, Auctor de Viris illuſtrib. ſcribit. Quare poſtea Cicerone conſule C. Rabirius accuſatus fuit a T. Labieno, cuius patruus Q. Labienus cum Saturnino occiſus fuerat, Cicero pro Rabirio, Oroſius li. 5. c. 17.

Anno urbis DCLIV, Ciceronis IIX, COSS. fuerunt

M. ANTONIVS, A. POSTVMIVS. ALBINVS

DE his Cicero in orat. poſt reditum ad Quirites, Numquam de Q. Metello C. Marius, qui erat inimicus, ſed ne is quidem, qui ſecutus eſt, M. Antonius homo eloquentiſsimus cum A. Albino collega ſenatum, aut populum eſt cohortatus. Hoc tamen anno Metellus unius tribuni pl. rogatione ab exſulio reuocatus eſt, epiſt. 9. li. 1. famil tribunus fuit Calidius, auctore Valerio lib. 5. c. 2. Calidij lege Q. Metellum in ciuitatem reſtitutum fuiſſe, Cicero quoque pro Plancio ait. Eodem anno tribunus pl. fuit Sex. Titius, homo ſeditioſus & turbulentus: cui Antonius cõſul reſtitit, ut ipſe narrat li. 2. de Orat. ubi de teſtimonio ſuo in Titiũ reum agit. fuit enim hic Titius accuſatus & condemnatus, quod L. Saturninus imaginẽ domi ſuae habuiſſet, ut ſcribit Cicero pro C Rabirio, & Valerius li. 8. c. 1. qui ait eum lege agraria gratioſum fuiſſe. eſt ergo is, de quo Obſequens in Antonij, & Albini conſulatu haec ſcribit, Sex. Titius (Sextius in Obſequente mendoſe legitur) tribunus pl. de agris diuidendis populo, cum, repugnantibus collegis, pertinaciter legem ferret, corui duo numero in alto uolantes ita pugnauerunt ſupra concionem, ut roſtris unguibusq. lacerarentur. Haruſpices ſacra Apollinis litanda, & de lege, quae ferebatur, ſuperſedendũ pronunciarunt. Vnde emendandus eſt locus Ciceronis li. 2. de legib. corruptus adhuc in omnibus libris, etiã Mannuccianis poſtremis. ſic enim legitur: Quid religioſius, qſiam cũ populo, cũ plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid, leges non iure rogatas tollere, ut etiam decreto collegij, ut Liuias conſilio Philippi conſulis & auguris? in codice manuſcripto pro, ut etiam, legitur, utt etiam. tu, ut Titiam, repone. nam in eodem libro, Leuias, pro Liuias ſcriptum eſt.

Anno urbis DCLV, Ciceronis IX, COSS. fuerunt

Q. CAECILIVS. METELLVS. NEPOS, T. DIDIVS

AB his conſulibus lata eſt lex Caecilia Didia, ab utriuſque nomine dicta. cuius meminit Cicero pro domo, Philip. 5. epiſt. 9. lib. 2. Att. ubi uulgo Coeliam Didiam, ſicut pro Sextio, Aciliam Didiam mendoſe legitur. Huius legis duo capita fuerunt: Vnum, ne diuerſis de rebus lex ferretur: Alterum, ut leges trinundino promulgarentur, auctor Cicero locis iam citatis. Mannuccius in libro de legib. duas leges Caecilias Didias fuiſſe affirmat. quem lege. Hoc ex Aſconio addendum, Huius Metelli conſulis filium fuiſſe Metellũ Nepotem eum, qui cum Cicerone inimicitias geſsit: de quo infra.

Anno urbis DCLVI, Ciceronis X. COSS. fuerunt

CN. CORNELIVS. LENTVLVS, P. LICINIVS. CRASSVS

EODEM anno cenſores in Tabulis Capitolinis inueniuntur, L. Valerius Flaccus, & M. Antonius. Cicero initio lib.3. de Orat. ſcribit, Antonium cenſorem imperatoriis manubiis roſtra ornaiſſe.

Anno urbis DCLVII, Ciceronis XI. COSS. fuerunt

CN. DOMITIVS. AHENOBARBVS, C. CASSIVS. LONGINVS

DE hoc Domitio Cicero pro Domo, Cn. Domitium, inquit, nos pueri conſulem, cenſorem, pontificem max. uidimus. De eius tribunatu dixi ad annum DCL. Cenſor fuit anno DCLXI. poſt tribunatum pontifex maximus populi ſuffragio creatus fuit, ut eſt in epitoma Liuiana lib.67 His conſulibus Ptolemaeum regem Cyrenarum, cui cognomen Apioni fuit, mortuum teſtamento heredem populum R. reliquiſſe, Obſequens & Caſsiodorus ſcribunt. Cicero contra Rull.2. Adſcribit idem auctioni Corinthios agros opimos, & fertiles, & Cyrenenſes, qui Apionis fuerunt.

Anno urbis DCLIIX, Ciceronis XII. COSS. fuerunt

L. LICINIVS. CRASSVS, Q. MVCIVS. SCAEVOLA

DE his Cicero Verr.4 Halaeſini pro multis, & magnis ſuis, maiorumq. ſuorum in remp. noſtram meritis, atque beneficiis, ſuo iure nuper L. Licinio, Q. Mucio COSS. cum haberent inter ſe controuerſias de ſenatu cooptando, leges ab ſenatu noſtro petiuerunt. Idem lib. 3. de Officiis, Eſſe pro ciue qui non ſit ciuis, rectum eſt non licere, quam tulerunt legem ſapientiſsimi conſules Craſſus & Scaeuola. Hanc legem Liciniam, & Muciam uocat in Bruto. & pro Cornelio, legem Liciniam & Muciam de ciuibus regundis duo conſules omnium, quos uidimus ſapientiſsimi tulerunt. in quẽ locum Aſconius plura ſcribit. Craſſo Gallia prouincia obuenit, in eaq. rem geſsit, de qua Cicero lib.1. de Inuentione & in Piſonem. Q. Mucius in Aſia legatum habuit P. Rutilium Rufum, qui conſul fuerat anno DCXLIIX. &, quia publicanis nihil agere in Aſia permiſerat, eorum conſpiratione in iudicium uocatus, ab equitibus, qui tum iudicabant, damnatus eſt, ut ſcripſi in c.17. lib.5. Oroſij. Meminit eius Cicero paſsim, lib.1. de Oratore, in Bruto, pro Fonteto, in Piſonem, lib.3. de Natura deor. & alibi.

Anno urbis DCLIX, Ciceronis XIII. COSS. fuerunt

C. COELIVS. CALDVS, L. DOMITIVS. AHENOBARBVS

COELIVM hunc inter nouos homines numerat Cicero pro Murena. eundem non mediocribus inimicitiis, ac laboribus contendiſſe, ut ad ſummos honores perueniret, ait in Ver.7. De eodẽ Craſſus li 1. de Orat. Quis non uideat, C. Coelio aequali meo magno honori fuiſſe homini nouo illam ipſam, quamcumque habuit, in dicendo mediocritatem? Hac de cauſſa meminit eius in Bruto. Eundem clariſsimum, ac fortiſsimum adoleſcentem quaeſtorem non eſſe factum, ait pro Plancio. ubi male, Q. Coelius, legitur. L. Domitius praetor Siciliam obtinuerat, atque ſeueritatis exemplum in paſtorem, qui aprum uenabulo percuſſerat, ediderat. quod ex Ciceronis Verrina 7. Valerius in cap.3. lib.6. trenſtulit.

Anno urbis DCLX, Ciceronis XIV. COSS. fuerunt

C. VALERIVS. FLACCVS, M. HERENNIVS

M. HERENNIVS is eſt, qui in conſultatus petitione L. Philippum ſuperauit. de quo Cicero in Bruto, & pro Murena. Totum annum domi foriſq. tranquillum fuiſſe, Obſequens ſcribit.

Anno urbis DCLXI, *Ciceronis* XV COSS. *fuerunt*

C. CLAVDIVS. PVLCHER, M. PERPERNA.

HIC C. Claudius Ap. F. dicitur a Cicerone Verrina 4. Eundem magnificentiſsime aedilitate functum eſſe, ait lib. 2. de Officiis, & Verr. 6. Claudij collega in fragmentis Capitolinorum faſtorum M. Perperna uocatur. περπέρνας idem nominatur a Dione lib. 41. ubi de ipſius morte ſcribit. Hoc anno cenſor cum Cn. Domitio fuit L. Craſſus. cuius cenſurae Cicero in libris de Oratore aliquoties mentionem facit. Hoc tempore clariſsima illa M'. Curij, & M. Coponij cauſſa apud centumuiros a duobus conſularibus, atque aequalibus L. Craſſo, & Q. Scaeuola defenſa eſt, paullo ante quam Cicero in forum uenit, ut teſtatur ipſe pro Caecina. Meminit eiuſdem lib. 1. & 2. de Oratore, & in Bruto. unde cauſſam talem fuiſſe cognoſcimus. Coponius in teſtamento poſtumum heredem ſcripſerat: eique, ſi, ante quam in tutelam ſuam ueniret, mortuus eſſet, Manium Curium ſubſtituerat. cum poſtumus natus non eſſet, M. Coponius heres legitimus ad ſe hereditatem pertinere contendit, negauitq. Scaeuola Coponij patronus, niſi poſtumus & natus & antequam in ſuam tutelam ueniret, eſſet mortuus, heredem eum eſſe poſſe, qui poſtumo, & nato & mortuo eſſet ſubſtitutus. Craſſus, qui Curium defendebat, contendit, teſtatorem hac mente fuiſſe, ut, ſi filius non eſſet, qui in tutelam ueniret, Curius heres eſſet, idq. omnibus probauit.

Anno urbis DCLXII, *Ciceronis* XVI. COSS. *fuerunt*

L. MARCIVS. PHILIPPVS, SEX. IVLIVS. CAESAR

HIC annus decimus ſextus terminus eſt pueritiae Ciceronis, in qua, ut Plutarchus ſcribit, cum eas artes, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, diſceret, ingenium eius ita eluxit, tantumq. nominis, & gloriae inter pueros habuit, ut eorum parētes, uiſendi Ciceronis, cognoſcendaeq. celebratae celeritatis in diſcendo gratia, ad ludum uenirent. Pueri quoque honoris gratia Ciceronem medium deducebant. de quo honore Plutarchus in Praeceptis ciuilibus, & Ouidius lib. 5. Faſtorum:

Et medius iuuenum, non indignantibus ipſis,
Ibat: & interior, ſi comes unus erat.

Laudat etiam Plutarchus indolem Ciceronis, ac plane ipſum eiuſmodi natura fuiſſe ait, qualem Plato li. 5. de rep. in Philoſopho, & homine docili requirit. ubi Socrates ita concludit, ἐκοῦν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας φήσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι, ἐ τὸ μὲν, τὸ δ' ἐ. ἀλλὰ πάσης. ideſt, Igitur & philoſophum dicemus ſapientiae amatorem eſſe, non unius alicuius, ſed uniuerſae. Puer Cicero, cum poeſi in primis delectaretur, Pontium Glaucum tetrametris compoſuit, quem ſua etiam num aetate extitiſſe, Plutarchus ait. Aeſchylus ἐν τῷ ποντίῳ γλαύκῳ a Strabone, Athenaeo, & aliis citatur.

Hoc anno tribunus pl. M. Liuius Druſus, cum ſenatui priſcum reſtituere cuperet decus, & iudicia ab equitibus, qui tum lege Sempronia iudicabant, ad eum transferre ordinem, in iis ipſis, quae pro ſenatu moliebatur, ſenatum habuit aduerſarium, Velleius lib. 2. Cum igitur uehementius inueheretur in cauſſam principum conſul Philippus, Druſiq. tribunatus, pro ſenatus auctoritate ſuſceptus, infringi iam ac debilitari uideretur, ludorum Romanorum diebus, quos a pridie Non. uſque ad Idus Septēb. fuiſſe, ex ueteri Kalendario cognoſcitur, Craſſus ſe cum C. Cotta. & P. Sulpicio in Tuſculanum contulit. quo cum primum Q. Scaeuola & M. Antonius, deinde Q. Catulus & C. Iulius Caeſar ueniſſent, habita fuit diſputatio de Oratore, quā Cicero poſtea tribus libris complexus eſt, ſeq. tum adhuc puerum fuiſſe, ait lib. 13. ad Att. Idib. Septembris ſenatus frequens uocatu Druſi in curiā uenit: ibiq. permulta uehemētiſsima contentione animi, ingenij, uirium a L. Craſſo dicta ſunt: dicenti latus condoluit, ſudorq. multus conſecutus eſt: ex quo cum cohorruiſſet, cum febri domum rediit; dieq. ſeptimo eſt lateris dolore conſumptus. Cicero lib. 1. & 3. de Oratore. Druſus quoque, ſociis & Italicis populis ſpe ciuitatis Romanae ſolicitatis, cū e foro cinctus immenſa multitudine reuertiſſet, in atrio domus ſuae cultello percuſſus, qui affixus lateri eius relictus eſt, intra paucas horas deceſsit. Velleius, & Liuius lib. 70. Cicero quoque li. 3. de Natura ait, Druſum domi ſuae interfectū eſſe. & pro Milone, Tribunus pl. M. Druſus occiſus eſt: nihil de eius morte populus conſultus, nulla quaeſtio decreta a ſenatu eſt. Petiit eodē tempore tribunatū pl. C. Cotta, is, qui anno poſt R. cond. DCLXXIX. conſul cum L. Octauio fuit. ſed paucis diebus poſt mortē Craſsi depulſus per inuidiā tribunatu, non multis ab eo tēpore menſibus eiectus eſt e ciuitate, lib. 3. de Orat. Reus enim lege Varia factus uenit in iudiciū: cumq. res ſuas extuliſſet, & equites palā inſectatus eſſet, antequā ſententiae de ipſo ferrentur, urbe ceſsit, Appianus lib. 1. Craſſo mortuo, Cotta pulſo, Cicero in forū uenit, ut ipſe teſtatur in Bruto. Vnde cognoſcitur, M. Tulliū anno ſequente, cū iudicia bello Italico intermiſſa eſſent, ſumpta uirili toga, in forū ueniſſe. Deducebantur enim tū in forum adoleſcentes a patre, uel a propinquis, ut eſſent fori auditores, & ſectatores iudiciorum. qua de re Tacitus in dialogo de Oratorib. meminit Cicero pro Coelio. & epiſt. 10. lib. 13. famil. Filius etiā, qui togam uirilem ſumebat, a patre & propinquis in forū deducebatur, ut Plutarchus in Bruto de Caſsij filio ſcribit, ubi togam uirilem ἀνδρεῖον ἱμάτιον appellat. Dio lib. 45. eandem ἐσθῆτα ἀνδρικὴν uocat. Hanc togam Latini etiam puram, & Graeci ἀπόρφυρον nomināt. Dabant eam ſuis liberis Romani decimo ſexto fere anno. Sic enim Suetonius in Auguſto, Quadrimus patrem amiſit: duodecimū annū agens auiam Iuliam defunctā pro concione laudauit: quadriennio poſt, uirili

toga

toga ſumpta, militaribus donis triumpho Caeſaris Africano donatus eſt, quamquam expers belli propter aetatem Sic M. Tullius ſuo filio, quo auctus fuit Caeſare & Figulo C o s s. anno DCLXXXIX togam puram dedit Lentulo & Marcello C o s s. anno DCCIV. epiſt. 1. lib. 1. & ep. 20. lib. 9. ad Att. Adoleſcentes eo ipſo die, quo togam uirilem ſumebant, in Capitolium adſcendiſſe, argumento eſt, quod Valerius libri quincti cap. 4. de M. Cotta ſcribit, de quo Dio lib. 36. Hoc anno multis prodigijs bellum Italicum ſignificatum fuit: quae Siſenna initio belli Marſici expoſuit, auctore Cicerone lib. 1. de Diuinat. Eadem referuntur ab Obſequente, & Oroſio lib. 5. cap. 18,

Anno urbis DCLXIII. Ciceronis XVII. COSS: fuerunt

L. IVLIVS. CAESAR, P. RVTILIVS. LVPVS

HORVM conſulum Cicero lib. 1. de Diuinat. his uerbis meminit, Quinetiam memoria noſtra templũ Iunonis Soſpitae L. Iulius, qui cum P Rutilio conſul fuit, de ſenatus ſententia refecit ex Caeciliae Balearici filiae ſomnio & paullo poſt, Caeciliae Q filiae ſomnio modo, Marſico bello, templum eſt a ſenatu Iunoni Soſpitae reſtitutum. Nam his conſulibus, ut Paterculus ſcribit, ortum eſt bellum, quod, quia a Marſis primum commotum fuit, Marſicum eſt dictum, ut Strabo lib. 5. ſcribit. atq. ita uocatur a Cicerone orat. 2 contra Rullum. ubi idem, ſicut & Verrina quarta, pro Cluentio, pro Archia, & de haruſpicum reſp. Italicum nominatur. Idem a Cicerone pro Fonteio Sociale, a Diodoro, Plutarcho, & Appiano, Μαρσικὸς & συμμαχικὸς πόλεμος dicitur. Geſtum eſt hoc anno & proximo ſequente ab ipſis conſulibus. Hinc Cicero pro Fonteio, Recordamini quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit. Atque de his duobus annis intelligendum, quod Cicero in Bruto ſcribit, Erat Hortenſius in bello primo anno miles, altero tribunus militum. Hoc tempore, ut ibidem Cicero ait, iudicium exercebatur una lege Varia. Tulerat eam Q. Varius aduerſus interceſsionem collegarum annitentibus equitibus, ut quaereretur de ijs, quorũ opera conſilioue ſocij contra populum R. arma ſumpſiſſent, Aſconius in orat. pro Scauro, Valerius lib. 8. cap. 6. Appianus libr. 1. cuius libri mendoſe κοΐντον κ᾽αλέριον pro Q Vario edunt. Sed cum multi Varia lege inique damnarentur, crebraeq. defectiones Italicorum nunciarentur, nunc ob eius triſtitiae occaſionem ſenatus decreuit, ne iudicia, dum tumultus Italicus eſſet, exercerentur, inquit Aſconius pro Cornelio. Tum Cicero, ut ipſe in Bruto ait, quotidie & ſcribens & legens & commentans, oratorijs tamen exercitationibus contentus non erat Quare, cum Cicero, auctore Quinctiliano lib. 10. cap. 3. in diputationibus de Oratore iudicium ſuũ cum Craſsi auctoritate coniunxerit, non dubium eſt, quin ipſe Tullius ſuas exercitationes libro primo de Oratore ſub Craſsi perſona ita ſignificauerit: In quotidianis cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maxime, ut aut uerſibus propoſitis quammaxime grauibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, uerbis aliis quammaxime poſſem lectis pronunciare Poſtea mihi placuit, eoq. ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum Oratorum Graecas orationes explicarem: quibus lectis hoc aſſequebar, ut, cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non ſolum optimis uerbis uterer, & tamen uſitatis, ſed etiam exprimerem quaedam uerba imitando, quae noua noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea. Tum igitur Cicero admodum adoleſcentulus, ut eſt lib. 2. de Natura deorum, Arati carmina de caelo, ſtellisq. conuertit, quorum fragmenta exſtant. Marium quoque illis temporibus, cũ Scaeuola uiueret, qui de eo dixit, Caneſcet ſaeclis innumerabilibus, ſcripſit, cuius a ſe ſcripti meminit lib. j. de leg. lib. 1. de Diuinat. & lib. 12. ad Att.

Anno urbis DCLXIV. Ciceronis XIIX. COSS. fuerunt

CN. POMPEIVS. STRABO, L. PORCIVS. CATO

HOC anno primum ſenatores cum equitibus Rom. lege Plotia iudicauerunt, cuius Cicero pro Cornelio meminit, & Aſconius, eum locum interpretans, ſcribit, his conſulib. M. Plautium Siluanum eam legem tuliſſe. De eodem anno Cicero in Bruto, Iam conſequente anno Q. Varius ſua lege damnatus exceſſerat. ego autem iuris ciuilis ſtudio multum operae dabam Q Scaeuolae P. F. qui quamquam nemini ſe ad docendum dabat, tamen conſulentibus reſpondendo ſtudioſos audiendi docebat. Atq. hic eſt Q. Mucius augur, ad quem ſumpta uirili toga Cicero a patre ita erat deductus, ut quoad poſſet & liceret, a ſenis latere numquam diſcederet. quod ipſe in Laelio ſcribit. Sed cum Q Scaeuola augur, qui cum L. Metello conſul fuit anno urbis DCXXXVI in monumentis antiquis Q. F. dicatur, uidendum, an patris praenomen in Ciceronis libris ſit deprauatum. nam Scaeuolam pontificem, quem Corradus, & alii uiri docti ſignificari putant, intelligi non poſſe, inde conſtat, quod Cicero ſe ad pontificem non niſi augure mortuo contulit. Augur autem non ſolum hoc, uerumetiam ſequenti anno adhuc ſuperſtes fuit, ac tum Ciceroni ſermonem Laelii de amicitia expoſuit, ut e Laelio M. Tullii perſpicuum eſt. De eodem augure Cicero haec Philippica I I X. Ego Q. Scaeuolam augurem memoria teneo bello Marſico, cum eſſet ſumma ſenectute, & perdita valetudine, quotidie, ſimulatque luceret, facere omnibus conueniendi ſui poteſtatem. neque eum quiſquam illo bello uidit in lecto: ſenexq. & debilis primus ueniebat in curiam. Plutarchus ſcribit, Ciceronem bello Marſico aliquandiu ſub Sulla militaſſe. Apud Sullam legatum ſe fuiſſe, cum ille hoc anno ante opidum Nolam florentiſsima Samnitum

caſtra

caſtra cepit,ipſe Cicero lib. 1. de Diuinatione ſcribit,de hac ſua militia etiam Philipp. 12. haec memoriae prodidit,Cn,Pompeius Sex. F. conſul me praeſente, cum eſſem tiro in eius exercitu, cum P. Vettio Catone duce Marſorum inter bina caſtra collocutus eſt.Hoc anno Cenſores fuerunt,P.Licinius Craſſus,& L.Iulius Caeſar. quibus cenſoribus nullam populi partem eſſe cenſam, Cicero ait pro Archia.

Anno urbis DCLXV.Ciceronis XIX.COSS.fuerunt

L. CORNELIVS. SVLLA, Q. POMPEIVS. RVFVS

DE hoc anno Cicero in Bruto,Atque huic anno proximus Sulla conſule & Pompeio fuit.tum P.Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognouimus. Sulpicium ab optima cauſſa profectum,Caioq. Iulio conſulatum contra leges petenti reſiſtentem,longius quam uoluit,popularis aura prouexit,ait idem de reſp. haruſp. Diſsidebat enim capitali odio a Q. Pompeio conſule, quicum coniunctiſsime & amantiſsime uixerat,in Laelio: cumq. auctore Mario pernicioſas leges (quas per uim latas Sulla dicebat,ut eſt Philipp. 8.)promulgaret,ac Pompeij conſulis filium,Sullae generum occidiſſet,Sulla cum exercitu in urbem uenit,ex eaq. Sulpicij & Marii factionem expulit,Liuius lib. 77. & alii. Tum Sulla P. Sulpiciũ oppreſsit,eiq. ferro erepta uita eſt,Cicero in Catilin. 3, & lib. 3. de Oratore. Marius primo ſenile corpus paludibus demerſus occultauit;deinde ad infirmorum ac tenuiſsimorum homtnum Minturnis miſericordiam confugit;inde nauigio perparuo,cum omnes portus,terraſq. fugeret,in oras Africae deſertiſsimas peruenit,ait Cicero pro Sextio.hiſtoriam pleniorem apud Plutarchum, Appianum, Velleium,& in epitome Liuii inuenies. De eodem Cicero poſt reditum ad Quirites,C.Marium egomet dicere audiui,tum ſe fuiſſe miſerum,cum careret patria,quam obſidione liberauiſſet;cum ſua bona poſsideri ab inimicis ac diripi audiret:cum adoleſcentem filium uideret eiuſdem ſocium calamitatis:cum in paludibus demerſus concurſu ac miſericordia Minturnenſium corpus ac uitam ſuam conſeruaſſet; cum parua nauicula traiectus in Africam, quibus regna ipſe dederat,ad eos inops ſupplexq. ueniſſet.& in Piſonem,C.Marium Italia ſeruata ab illo demerſum in Minturnenſium paludibus,Africa deuicta ab eodem expulſum & naufragum uidit. Dum haec in Italia geruntur,interim Mithridates rex Ponti,Ariobarzane & Nicomede amicis populi R.exactis Cappadocia atque Bithynia,Aſiam intrauit,unaq. die tot in ciuitatibus,uno nuncio,atque una litterarum ſignificatione ciues Ro. necandos trucidandoſq. denotauit,inquit Cicero in Maniliana,ſcribit Liuius lib. 78 Valerius lib. 9. cap. 2. Plutarchus in Sulla, Appianus in Mithridatico. Atque haec eſt illa uniuerſorum ciuium Rom.per tot urbes uno puncto temporis miſera crudeliſq. caedes,quam Cicero pro Flacco nominat.Idem in Maniliana ait,Mithridatem tum legatum populi R.conſularem uinculis ac uerberibus,atque omni ſupplicio excruciatum necaſſe. Intelligit autem M'. Aquillium conſulem anni DCLII.de quo praeter Appianum Iuſtinus li. 38. & Athenaeus lib. 5. Dipnoſoph. Eodem tempore, cum princeps Academiae Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet,Romamq. ueniſſet,totum ei ſe Cicero tradidit, admirabili quodam ad philoſophiam ſtudio concitatus,ut ipſe in Bruto ait,hinc Plutarchus ſcribit,Ciceronem, cum e pueris exceſsiſſet, Philonem Academicum audiuiſſe;quem inter Clitomachi diſcipulos Romani inprimis & propter doctrinam admirabãtur,& propter morum manſuetudinem diligebant.Philonem igitur Cicero lib. 1. de Natura deor.inter eos philoſophos numerat,a quibus inſtitutus fuit,de eodem in Lucullo, Iam Clitomacho Philo noſter operam multos annos dedit. Philone autem uiuo patrocinium Academiae non defuit.Phaedrus quoque Ciceroni, cum puer eſſet,ante quam Philonem cognouiſſet,ualde,ut philoſophus,probatus fuit,epiſt. j. lib. 13. Famil. Merito igitur lib. 1. de Natura ſcripſit, non mediocrem ſe a primo tempore aetatis in philoſophiae ſtudio operam curamq. conſumpſiſſe.in quo hoc etiam commorabatur attentius,quod ſublata iam eſſe in perpetuum ratio iudiciorum uidebatur,ut ait in Bruto.Hoc etiam anno,ut iam retulimus, Q.Mucius augur Laelii de amicitia ſermonem, habitum ab illo paucis diebus poſt mortem Africani Aquillio & Tuditano conſulib. anno DCXXIV. Ciceroni expoſuit. Augure mortuo,Cicero ſe ad Q Scaeuolam pontificem contulit,cui reip. & ſenatus principi cũ operam daret, peritus iuris euaſit, ut Plutarchus ſcribit. Vnde Atticus lib. 1. de legib. Tullium his uerbis affatur. Nam a primo tempore aetatis iuri ſtudere te memini,cum ipſe etiam ad Scaeuolam uẽtitarem: neque umquam mihi uiſus es ita te ad dicendum dediſſe,ut ius ciuile contemneres.& Brutus de Claris Orat. Tu mihi uideris tantum iuris ciuilis ſcire uoluiſſe,quantum ſatis eſſet oratori.Q.Scaeuola pontifex,ſeu,ut Appianus eum nominat, Μούκιος σκαιόλας ὁ τὴν μεγίστην ῥωμαίοις ἱερωσύνην ἱερώμενος, is eſt, quem ſupra conſulem cum L. Craſſo fuiſſe anno ab V.C. DCLIIX. ſcripſimus.de cuius morte dicemus ad annum DCLXXI.

Anno urbis DCLXVI.Ciceronis XX.COSS.fuerunt

CN. OCTAVIVS, L. CORNELIVS. CINNA

HOc anno Cinna conſul,cum pernicioſas leges per uim ferret, urbe a Cn. Octauio collega pulſus eſt, Liuius lib. 79. unde Cicero in Catil. 3. Cn. Octauius conſul armis ex urbe collegam ſuum expulit. omnis hic locus aceruis corporum, & ciuium ſanguine redundauit. atque ita bellum Octauianum commotum eſt;de quo Cicero li. 2. de Natura deorũ;Tũ,inquit,ſtellis iis,quas Graeci cometas,noſtri crinitas uocant:quae nuper bello Octauiano magnarum fuerunt calamitatum praenunciae.uide Plinium lib. 2. cap. 25. Diſſenſionis

inter

inter Octauium & Cinam meminit Cicero etiam de haruſpicum reſpon. Tum Marius cum reliquis exſulibus ex Africa accerſitus, cum in urbem recepti eſſent, eam uelut captam caedibus & rapinis uaſtarunt. qua de re Oroſius lib. 5. cap. 19. & ego in eum locum. Hinc Cicero poſt red in ſenatu ait, C. Marium reditu ſuo ſenatum cunctum paene deleuiſſe. Tum Q. Catulus, M. Antonius, C. Iulius trium aetatum oratores tres ſunt crudeliſsime interfecti, Cicero in Bruto. Et Marius quidem Cimbricae uictoriae gloriam cum collega Catulo communicauit: poſtea uero ciuili bello uictor iratus, neceſſarijs Q. Catuli deprecantibus non ſemel reſpondit, moriatur. Idem Tuſcul. 5. & Cotta li. 3 de Natura deo Cur tot ciuitatis principes a Cinna interempti? cur omnium perfidioſiſsimus C. Marius Q. Catulum praeſtantiſsima dignitate uirum mori potuit iubere? M. Antonii in iniis ipſis roſtris, in quibus ille remp. conſtantiſsime conſul defenderat, quaeq. cenſor imperatoriis manubiis ornarat, poſitum caput illud fuit, a quo erant multorum ciuium capita conſeruata, lib. 3. de Oratore. & Tuſcul. 5. Cina collegae ſui conſulis Cn. Octauii praecidi caput iuſsit, P. Craſsi, L. Caeſaris nobiliſsimorum hominum, quorum uirtus fuerat domi militiaeq. cognita; M. Antonii, omnium eloquentiſsimi: quos audierim; C. Caeſaris, in quo mihi uidetur fuiſſe ſpecimen humanitatis, ſalis, ſuauitatis, leporis. de his omnibus uide prooemium lib. 3. de Oratore. de P. Craſſo Cicero pro Sextio, In qua ciuitate ipſe meminiſſem patrem huius M. Craſſi, fortiſsimum uirum, ne uideret uictorem uiuus inimicum, eadem ſibi manu uitam exhauſiſſe, qua mortem ſaepe hoſtibus obtuliſſet. de eodem pro Scauro, & ibi Aſconius. Hoc anno M. Tullius Moloni Rhodio Romae dedit operam, & actori ſummo cauſſarum, & magiſtro, ut ait in Bruto. de quo Molone Plutarchus in Cicerone & Caeſare, Strabo lib. 14. Quinctilianus lib. 3 cap. 1. & Suetonius in Iulio Caeſare. Molonem Rhetorem ſtudia M Ciceronis acuiſſe ait etiam Valerius Max. lib. 2. cap. 1. Circa hoc tempus Cicero adoleſcens commentarios Rhetoricos de inuentione inchoatos & rudes edidit. quod ipſe initio lib. 1. de Oratore, & Quinctilianus lib. 3. ſignificant.

Poſt hunc annum triennium fere urbem ſine armis fuiſſe, Cicero in Bruto ait. quo Sulla bellum Mithridaticum gerente, de quo Plutarchus & Appianus, Cinnanae Marianaeq. partes Italiam obſederunt, ut ſcribit Velleius.

Anno igitur ab V. C. DCLXVII. Ciceronis XXI. COSS. fuerunt,

C. MARIVS. VII, L. CORNELIVS. CINA.

MARIVS editus multis ſceleribus Idib. Ianuarii deceſsit, Liuius lib. 80. de eius morte ſic Cicero lib. 3. de Natura deor. Cur Marius tam feliciter ſeptimum conſul domi ſuae ſenex eſt mortuus? Mario ſuffectus eſt L. Valerius Flaccus, pater illius Flacci, pro quo Ciceronis oratio exſtat. Huic, cum a Cina miſſus, ut Sullae ad bellum Mithridaticum ſuccederet, in Aſiam traieciſſet, conſuli portas tota Aſia clauſit, Cicero pro Flacco. Anno ſequente idem a C. Fimbria legato ſuo conſularis interfectus eſt, Velleius lib. 2. Liuius 82. Strabo 13 Hoc anno cenſores in tabulis Capitolinis inueniuntur L. Marcius Philippus, M Perperna. quorum Verrina tertia in lege Verris mentio fit ita, Qui de L. Marcio, M. Perperna cenſoribus redemerit, eum ſocium ne ei admittito. de Marcio item Cicero pro domo ait, L. Philippus cenſor auunculum ſuum praeteriit in recitando ſenatu: nihil enim poterat dicere, quare rata non eſſent, quae erant acta in ea rep. in qua ſe illis ipſis temporibus cenſorem eſſe uoluiſſet.

Proximo biennio, quo comprehenditur annus urbis DCLXII. & DCXLXIX. Ciceronis XXXII. & XIII. Conſules a ſe creati remp. tenuerunt.

L. CORNELIVS. CINNA, CN. PAPIRIVS. CARBO

QVA ratione M. Tullius hoc triennium, quo urbs fere ſine armis fuit, traduxerit, ipſe in Bruto his uerbis exponit. Ego, inquit, hoc tempore omni noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione uerſabar: eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitauiſſet apud me, mecumq. uixiſſet, nuper eſt domi meae mortuus. a quo cum in aliis rebus, tum ſtudioſiſsime in Dialectica exercebar, quae quaſi contracta & adſtricta eloquẽtia putanda eſt: ſine qua etiam tu Brute iudicauiſti, te illam iuſtam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam eſſe putant, conſequi non poſſe. Hactenus Cicero, qui hunc Diodotum li. 1. de Natura deor. primo loco numerat inter eos philoſophos, a quibus inſtitutus fuit. de eodem in Lucullo, Diodoto quid faciam Stoico? quem a puero audiui, qui mecum uiuit tot annos, qui habitat apud me, quem & admiror, & diligo. & epi. 16. lib. 13. Fam. Domi meae cum Diodoto Stoico, homine, meo iudicio, eruditiſsimo, multum a puero fuit. eiuſdem meminit epiſt. 4. lib. 9. Famil. de quo loco etſi Hadriani Turnebi & Petri Rami praeceptorum meorum, quos ut ipſorum dignitas poſcit, honoris gratia nomino ſententiae aliquando nonnihil diſcreparunt: res tamen ipſa ex uera huius nominis ſcriptura, quam Victorius & Manutius uiri doctiſsimi e uetuſtis libris ediderunt, iam extra controuerſiam eſt. De eodem Cicero Tuſcul. 5. Diodotus Stoicus caecus multos annos noſtrae domi uixit. is uero, quod credibile uix eſſet, cum in philoſophia multo etiam magis aſsidue, quam antea uerſaretur; & cum fidibus Pythagoreorum more uteretur; cumq. ei libri noctes & dies legerentur (quibus in ſtudiis oculis nõ egebat) tum, quod ſine oculis fieri poſſe uix uidetur, Geometriae munus tuebatur, uerbis praecipiens diſcentibus,

tibus,unde,quo,quamq. lineam ducerent.Mortuus fuit Caeſare & Bibulo COSS. anno ab V. C. DCXCIV.
Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus ait,Ciceronem apud Philonem Academicum,apud Diodotum
Stoicum omnes philoſophiae partes penitus hauſiſſe. Addit Cicero in Bruto: Huic ego doctori,& eius artibus
uarijs atque multis ita eram tamen deditus,ut ab exercitationibus oratorijs nullus dies uacuus eſſet.commen-
tabar declamitans ſaepe cum M. Piſone,& cum Q Pompeio,aut cum aliquo quotidie: idq. faciebam multum
etiam Latine,ſed Graece ſaepius:uel quod Graeca oratio,plura ornamenta ſuppeditans,conſuetudinem ſimi-
liter Latine dicendi afferebat:uel quod a Graecis ſummis doctoribus,niſi Graece dicerem , neque corrigi poſ-
ſem,neque doceri.Ciceronem ad praeturam uſque Graece declamaſſe,auctor eſt Suetonius de claris Rheto-
rib. Circa hoc tempus Cicero , cum Aratum iam Romanum hexametris uerſibus edidiſſet , in Xenophontis
Oeconomico luſit, ut ſcribit Hieronymus in praefatione in Euſebij Chronica .Ipſe Cicero ſecundo libro ex-
tremo de officiis ad filium uiginti annos natum ita ſcribit,Has res commodiſsime Xenophon Socraticus per-
ſecutus eſt in eo libro,qui Oeconomicus inſcribitur:quem nos iſta fere aetate cum eſſemus,qua es tu nunc , e
Graeco in Latinum conuertimus Diuiſit autem Cicero unum Xenophontis librum in tres , ut Seruius in pri-
mum Georgicorum teſtatur.Quinetiam libros Platonis Cicero hoc genere tralatos edidit, inquit Fabius lib.
10.cap.5.Timaei pars cum maximo bono ſtudioſorum utriuſque linguae exſtat . Protagoram ab eo conuer-
ſum fuiſſe , Hieronymi , Priſciani,& Donati teſtimoniis tantummodo ſcimus . Carbonis in ſecundo conſulatu
quaeſtor fuit C. Verres, Cicero Verrina tertia.Tum Sulla, pace cum Mithridate facta , Aſiam in quadraginta
quattuor regiones diſtribuit , auctore Caſsiodoro . Cum autem Sulla omnes Aſiae ciuitates pro portione in
prouincias deſcripſiſſet,uectigal quoque iis,quod aequaliter penderent,deſcripſit,Cicero pro Flacco,& epiſt.
1.lib.1.ad Q fratrem.Sed Sullam in Italiam reuocauit reſp.ait pro lege Manilia,

Anno urbis DCLXX. Ciceronis XXIV. COSS. fuerunt

L. CORNELIVS , SCIPIO . ASIATICVS, C. NORBANVS . FLACCVS

HORVM conſulum meminit Cicero pro Quinctio . ubi etiam C. Valerium Flaccum imperatorem hoc
anno in Gallia ulteriore fuiſſe ait. cuius Flacci mentionem Caeſar lib. 1 . de bello Gallico facit . Scipionis
quaeſtorem M. Piſonem,de quo paullo ante,fuiſſe,ex Verrina tertia cognoſcitur. Hoc tempore tumultus ille
pro recuperanda rep.ortus eſt , de quo Cicero in Bruto . Nam Sulla compoſitis tranſmarinis rebus in Italiam
uenit,& C.Norbanum proelio uicit,de quo diximus in cap.20.lib.5.Oroſii.Tum Cn.Pompeius adoleſcentu-
lus priuatus exercitum difficili reip.tempore confecit,eiq. praefuit, & rem optime ductu ſuo geſsit , Cicero in
Maniliana.uide Plutarchum & alios Sulla uero cum Scipione inter Cales & Theanum , cum alter nobilitatis ,
alter belli ſocios adhibuiſſet,de auctoritate ſenatus,de ſuffragiis populi,& de iure ciuitatis,legis inter ſe condi-
ciones contulerunt,inquit Cicero Philippica 12. ſed cum res conuenire non poſſet , & Sulla Scipionis caſtra
oppugnaturus eſſet,uniuerſus exercitus conſulis ſigna ad Sullam tranſtulit . Scipio, cum interimi poſſet , di-
miſſus eſt.haec Liuius lib.85.Itaq. Scipio fluctibus reip. expulſus Maſsiliae poſtea in exſulio uixit,Cicero pro
Sextio, Hoc anno Capitolium incenſum fuit,cuius meminit Cicero in Catil. 3. Tu lege Plutarchum in Sulla,
& Auguſtinum cap.24.lib.2.de Ciuitate Dei.

Anno urbis DCLXXI. Ciceronis XXV. COSS. fuerunt

CN. PAPIRIVS . CARBO . III, C. MARIVS C. F.

HORVM conſulum mentio eſt apud Ciceronem contra Rullum Hoc anno,cum a Marianis urbs adhuc
teneretur,L. Damaſippus praetor ex uoluntate C.Marii conſulis,cum ſenatum contraxiſſet, omnem,
quae in urbe erat,nobilitatem trucidauit,Liuius lib.86 Tunc interfectus fuit C.Carbo conſulis frater,de quo
Cicero epiſt.21.lib.9.Famil.Periit tum quoque P.Antiſtius Cn.Pompeii ſocer,de quo Cicero in Bruto.& Q.
Scaeuola pontifex maximus,quem Liuius lib.86.ſcribit in ueſtibulo aedis Veſtae occiſum fuiſſe.Hinc Cicero
lib.3.de Natura deor.Temperantiae prudentiaeq. ſpecimen ante ſimulacrum Veſtae pontifex max.eſt Q Scae
uola trucidatus.meminit eiuſdem lib. de Orat. Tandem Sulla fuſo Carbonis exercitu in urbem uenit , tumq.
eius immanis crudelitas in ciues exſtitit,de qua Cicero lib 2.de Officiis,& Oroſius libr.5.capit.21.Tum Cn.
Pompeius in Siciliam cum imperio a ſenatu miſus Carbonem conſulem captum interfecit , Liuius lib.89.Plu
tarchus in Pompeio,& alii.de quo Cicero epiſt.21.lib.9.Famil.Hoc uero,qui Lilybaei a Pompeio noſtro inter-
fectus eſt, improbior nemo , meo iudicio fuit . atque ita Pompeius Siciliam multis undiq. cinctam periculis ,
non terrore belli , ſed celeritate conſilii explicauit,Cicero in Maniliana. Extremo hoc anno Sulla effecit,ab In-
terrege ut Dictator diceretur,ait Cicero epiſt.18.lib.9.ad Att quomodo id effecerit,copioſe Appianus & Plu
tarchus ſcribunt.Interrex fuit L.Valerius Flaccus.de quo Cicero orat.3.contra Rullum , Omnium legum ini-
quiſsimam,diſsimillimamq legis eſſe arbitror eam,quam L Flaccus Interrex de Sulla tulit,ut omnia,quaecum
que ille feciſſet,eſſent rata.de eadē lege li.1.de legib.Nihilo credo magis illa iuſta eſt,quam Interrex noſter tu

lit, ut

ſit, ut dictator quem uellet ciuium indicta cauſſa impune poſſet occidere. Itaque Sulla dictator omnes, quos oderat, morte multabat, Cicero pro Ligario. De proſcriptione Sullana Oroſius noſter cap. 21. lib. 5. Etſi autem Sulla dictator poſt C. Marium & Cn. Papirium fuit, ut ait Cicero orat. 3. contra Rullum: conſules tamen creari permiſit.

Anno urbis DCLXXII. Ciceronis XXVI. COSS. fuerunt

M. TVLLIVS. DECVLA, CN. CORNELIVS. DOLABELLA

DE his conſulibus Cicero orat. 2. contra Rullum, De quibus uendendis S. C. facta ſunt M. Tullio, Cn. Cornelio COSS. Sulla dictator hoc tempore rebus nouis reip. ſtatum confirmauit, ut eſt in epitoma Liuiana 89. Recuperata rep. & legibus atque iudiciis conſtitutis, Cicero ad cauſſas & priuatas & publicas adire coepit, in Bruto. Itaque his conſulibus, ut Gellius lib. 15. cap. 28. ſcribit, M. Cicero cauſſam priuatam pro Quinctio apud Aquillium Gallum iudicem dixit. Praeterea in Euſebii Chronico ita legitur, XXVI. anno aetatis Cicero Quinctium defendit. Idem cognoſcitur ex ipſa cauſſae expoſitione, quae talis eſt. Sex. Naeuius ante biennium Scipione & Norbano COSS. cum P. Quinctius pridie K. Februarii in Galliam profectus eſſet, a P. Burrieno praetore poſſeſsionem bonorum Quinctii, a quo ſibi pecuniam deberi, & uadimonium deſertũ dicebat, ex edicto poſtulauit. miſſus in poſſeſsionem Naeuius, cum bona abſentis Quinctii dies XXX. poſſediſſet, ea proſcribi iuſsit. Tum Sex. Alphenus procurator Quinctii auctionem impedire conatur, ſeq. paratum eſſe iudicio abſentem defendere profitetur. Naeuius poſtulat, ut Alphenus iudicatum ſolui ſatisdet. quod cum ille recuſaret, eoq. nomine tribunos appellaſſet, conuenit, ut Idibus Septem. Quinctium ſiſti Alphenus promitteret. Venit Romam Quinctius, & uadimonium ſiſtit. Naeuius annum & ſex menſes, hoc eſt ab idib. Septem. Scipione & Norbano COSS. uſque ad Idus Martias huius anni, nihil petit. Tum demum in ius uentum ad P. Dolabellam praetorem. ibi Naeuius petiit, ut Quinctius iudicatum ſolui ſatisdaret. quod cum is recuſaret, Dolabella decreuit, ut Quinctius aut ſatisdaret, aut ſponſionem faceret, Si bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſent. Sponſione facta, C. Aquillius iudex datus eſt. apud quem Cicero cõtendit, Quinctii bona ex edicto a Naeuio poſſeſſa non eſſe. Vides igitur aperte Quinctii cauſſam hoc anno a M. Tullio defenſam eſſe poſt idus Martias. nam quod Cicero ait, rem iacuiſſe in controuerſiis biennium, Oratorum more elate dictum eſt. & ſi quis uelit, calumniis Naeuii rem in biennium ductam fuiſſe, hoc quidem certe omnes fateri neceſſe eſt, poſt idus Sept. quae hoc anno, non quae Sulla & Metello COSS. anno inſequente fuerunt, (ut Corradus res neſcio quas agens ſcripſit) hanc cauſſam actam eſſe. Quod uero & Corradus opinatur, & non nemo affirmat, Quinctiũ defenſum poſt dictatorem Sullam, eo quod Cicero dicat, Emiſti bona Sex. Alpheni L. Sulla dictatore uendẽte; leue admodum eſt. cur enim in iudicio priuato hoc eloqui auſus non fuiſſet? aut quis praeſtabit, ab Oratoribus omnia dicta, uel eo modo acta fuiſſe, quo poſtea ſcripta ſunt & edita?

Sulla dictatore Cicero iterum ſe Moloni, qui legatus ad ſenatum de Rhodiorum praemiis uenerat, operam dediſſe ait in Bruto. Hoc quoq. tempore Cn. Pompeius, bello in Africa maximo confecto, uictorem exercitum deportauit, ut ait Cicero pro lege Manilia. intelligit autem bellum cum Domitio, & Hierta Numidiae rege. quo de Oroſius lib. 5. cap. 21. atque ex Africa Pompeius adhuc eques triumphauit. Miror autem Eutropium ſcribere Pompeium tunc quartum & uigeſimum annum egiſſe, cum M. Tullij aequalis fuerit, ut ex Ciceronis Bruto & Velleio notum eſt, & nos ſupra admonuimus.

Anno urbis DCLXXIII. Ciceronis XXVII. COSS. fuerunt

L. CORNELIVS, SVLLA, FELIX, Q. CAECILIVS. METELLVS PIVS

HORVM conſulum meminit Cicero Verrina tertia, & Gellius lib. 15. cap. 28. ubi ſcribit, Ciceronem his conſulibus Sex. Roſcium parricidii reum defendiſſe. & addit, Feneſtellae errorem notatum fuiſſe a Pediano, quod ſcripſiſſet Ciceronem ſexto & uigeſimo aetatis anno pro Sex. Roſcio dixiſſe. quem Feneſtellae errorem Corradum, aliosq. uiros doctos potius amplecti, quam Aſconii & Gellii auctoritatem ſequi, equidem miror: cum praeſertim Quinctilianus lib. 12. cap. 6. ſcribat, Ciceronem ſex & XX. annos natum pro Sex. Roſcio dixiſſe. eos uero ante III. nonas Ianuarii huius anni natus non fuit. Egit tamen, opinor, hanc cauſſam in principio anni. Nam, ut ex oratione ipſa intelligitur, in lege de proſcriptione erat, ut anno ſuperiore ad K. Iunias proſcriptiones uenditionesq. fierent: Roſcius autem pater aliquot poſt menſes Romae occiſus eſt: eaq. res quatriduo ad Chryſogonum in caſtra Sullae Volaterras (quod opidum obſeſſum Sulla in deditionẽ accepit Liuius lib. 89) delata eſt. Bona Roſcii tamquam proſcripti, ideoq. occiſi, ut Plutarchus tradit, Sulla haſtae ſubiecit, & Chryſogonus eius libertus duob. millibus nummũ emit, cum iã proſcriptionis mentio nulla fieret, & cum etiam qui antea metuerant redirent, ac iam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur. Sed cũ filius idemq. heres Roſcii bona patris ita uendita eſſe aegre ferret, eaq. ſexagies eſſe demonſtraret; Sulla coargui ſe grauiter tulit, & Roſcii filij nomen opera Chryſogoni de parricidio deferẽdum curauit. Cũ Roſcij patrociniũ ob Sullae

metum nemo ſuſciperet,adoleſcens ab omnibus deſertus ad Ciceronem confugit,quem amici quoque ad reũ defendendum cohortabantur,cum aliud ſplendidius aut praeclarius gloriae initium habere non poſſet. Cicero igitur adoleſcens contra L.Sullae dominantis opes Sex. Roſcium Amerinum defendit,li.2.de Officijs. Victor igitur in cauſſa,magna in admiratione fuit,ut Plutarchus ait:ipſe uero in Bruto ſic ſcribit, Itaque prima cauſſa publica pro Sex.Roſcio dicta tantum commendationis habuit,ut non ulla eſſet,quae non noſtro digna patrocinio uideretur.Roſcio contra Chryſogonum defenſo Ciceronem Athenas ſeceſsiſſe,atque inde poſt trienniũ Romam reuertiſſe,in Euſebij Chronico ſcriptum eſt.unde illud Caleni apud Dionem lib.46.manaſſe uidetur, καίπερ τρία ἐν ἀθήναις ἔτη κατατρίψας.quibus uerbis ſignificat,M.Tullium eloquentiae glatia triennium Athenis uixiſſe.& certe,ſi Roſcio defenſo ſtatim in Graeciam profectus eſſet,quod Plutarchus quoque putauit,triennium ibi uixiſſet.Iam,cum ſecus ipſe in Bruto ſcribat, nos etiam haec temporibus aliter diuidemus.

Mitylenas hoc tempore in Aſia expugnatas fuiſſe in Liuiana epitoma lib. 89. ſcriptum eſt. expugnauit eas M. Thermus:in qua expugnatione Iulius Caeſar,auctore Suetonio,corona ciuica donatus eſt. Atque ita urbs & natura,& ſitu,& deſcriptione aedificiorum & pulchritudine in primis nobilis, belli lege ac uictoriae iure populi Rom.facta eſt,Cicero orat.2.contra Rullum.

Anno urbis DCLXXIV. *Ciceronis* XXIIX. COS S. *fuerunt*

P. SERVILIVS. VATIA. ISAVRICVS, AP. CLAVDIVS PVLCHER

HOs conſules in hunc annum Sulla contra uoluntatem populi,qui ipſum creabat, renunciandos curauit, & dictatura ſe abdicauit,Appianus lib 1.Oroſius lib.5.ca.22.Ap.Claudius P.Clodii inimici Ciceronis pater fuit.unde in orat.de haruſp.reſp. P.Seruilius collega patris eius nominatur.Hoc tempore Cicero ante quam in Graeciam profectus fuit, Arretinae mulieris libertatem contra Cottam hominem diſertiſsimum defendit, Sulla adhuc uiuo, ut ait pro Caecina. Erat eo tempore in Cicerone ſumma gracilitas & infirmitas corporis,procerum & tenue collum:qui habitus,& quae figura non procul abeſſe putatur a uitae periculo, ſi accedit labor,& laterum magna contentio.eoq. magis,ut ipſe in Bruto ſcribit,hoc eos,quibus erat carus,commouebat,quod omnia ſine remiſsione,ſine uarietate,ui ſumma uocis,& totius corporis contentione dicebat. itaque,cum eum amici & medici hortarentur,ut cauſſas agere deſiſteret,ipſe autem quoduis periculum adire, quam a ſperata dicendi gloria diſcedere,mallet:cenſeret tamen remiſsione & moderatione uocis, & commutato genere dicendi ſe & periculum uitare poſſe,& temperatius dicere;ut conſuetudinem dicendi mutaret,eam ſibi cauſſam in Graeciam proficiſcendi fuiſſe ait in Bruto.itaque cum eſſet biennium uerſatus in cauſsis,Roma eſt profectus huius anni aeſtate,ut ex ſequentibus cognoſcetur. Cum ueniſſet Athenas, ſex menſes cum Antiocho ueteris Academiae nobiliſsimo & prudẽtiſsimo philoſopho fuit;ſtudiumq. philoſophiae numquam intermiſſum,a primaq. adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſus ſummo auctore & doctore renouauit,ut ipſe in Bruto teſtatur. ideoq lib. 1. de natura deor.Antiochum inter eos philoſophos numerat, a quibus inſtitutus fuit.Plutarchus quoque in Cicerone a nobis conuerſo ita ſcribit,Cum Athenas ueniſſet,Antiocho Aſcalonitae operam dedit:eiusq. copia quidem & lepore dicendi delectabatur:ſed,quae ab ipſo in philoſophia nouabantur,ea minime probabat.iam enim Antiochus a noua Academia defecerat, & relicta Carneadis ſecta,commutatoq. inſtituto,uel euidentia & ſenſibus uictus,uel,ut nonnulli aiunt, ambitione & contentione cum Philonis & Clitomachi diſcipulis adductus,Stoicorum decreta fere defendebat.Antiochus igitur,ut Cicero in Lucullo teſtatur,appellabatur quidem Academicus,ſed erat,ſi perpauca mutauiſſet,germaniſsimus Stoicus.Didicerat apud Philonem tamdiu, ut conſtaret diutius didiciſſe neminem: & ſcripſerat de Academica ſecta acutiſsime,eamq.non acrius accuſauit in ſenectute,quam antea defenſitauerat.Plura uide in Lucullo Ciceronis, & Plutarchi.

Annus urbis DCLXXV. *Ciceronis* XXIX. COS S. *fuerunt*

M. AIMILIVS. LEPIDVS, Q. LVTATIVS. CATVLVS

HIs cõſulibus Sulla in agro Cumano mortuus,ac Romam perlatus cum magna pompa in campo Martio ſepultus eſt.quod praeter ceteros Appianus lib. 1.copioſe narrat.Primus autem e patriciis Corneliis Sulla igni uoluit cremari,lib.2.de legibus. Poſt Sullae mortem diſſenſio inter conſules orta eſt, cum Lepidus Sullae acta reſcindere tentaret,& Catulus ei reſiſteret.uide Oroſium noſtrum li.5.ca. 22. Hinc Cicero in Catil.3 Diſſenſit M Lepidus a clariſsimo & fortiſsimo uiro Q Catulo.attulit non tam ipſius interitus reip. luctum,quam ceterorum.Vbi uero M.Tullio de Sullae morte Athenas allatum eſt,ut Plutarchus ſcribit, cum iã corpus eius exercitationib. conformatũ meliore habitu eſſe coepiſſet,& uox ita conformata eſſet,ut cũ auditu ſuauis ac plena, tum ad corporis conſtitutionem moderate accommodata eſſet, motus & precibus litteriſq. amicorum,quae Roma frequentes ad ipſum afferebantur,& cohortatione Antiochi,ut rempub. capeſſeret;dicendi uim ceu inſtrumentum rurſus excoluit,ciuilemq. facultatem excitauit. Itaque primum, ut ipſe in Bruto ſcribit, Athenis apud Demetrium Syrum,ueterem & non ignobilem dicendi magiſtrum exercebatur. poſt

totam Aſiam peragrauit cum ſummis oratoribus, quibus cum exerceba tur ipſis lubētibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicenſis, quem Plutarchus Menippum Carem nominat, Cicero eum tota Aſia illis temporibus diſertiſsimum fuiſſe iudicat. unde Strabo lib. 14 κἀνταῦθα δ' ἀνὴρ ἀξιόλογος γεγένηται ῥήτωρ μένιππος κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν κατόκας ἐπικαλούμενος. ὃν μάλιστα ἐπαινεῖ τῶν κατὰ τὴν ἀσίαν ῥητόρων, ὧν ἠκροάσατο, κικέρων, ὥς φησιν ἔν τινι γραφῇ αὐτοῦ, συγκρίνων ξενοκλεῖ καὶ τοῖς κατ' ἐκεῖνο ἀκμάζουσι. id eſt, Fuit ibi patrum noſtrorum memoria nobilis magiſter dicendi Menippus cognomento Catocas; quem Cicero ex Aſiaticis oratoribus, quos audiuit, maxime laudat, ut eſt in quodam ipſius libro: ubi eum cum Xenocle, atque illius aetatis oratoribus comparat. De Xenocle Adramytteno, cui Cicero quoque operam dedit, idem Strabo lib. 13. Erat cum Cicerone tum etiam Aeſchylus Gnidius, aſsiduiſsime autem Dionyſius Magnes. quibus non contentus, Rhodum uenit, ſeq. ad eundem, quem Romae audiuerat, Molonem applicauit, cum actorem in ueris cauſsis, ſcriptoremq. praeſtātem, tum in notandis animaduertendisq. uitijs, & inſtituendo docendoq. prudentiſsimum. is dedit operam, ut nimis redundantem Oratorem noſtrum, & ſuperfluentem iuuenili quadam dicendi impunitate & licentia reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentem coerceret, auctor ipſe in Bruto. De Apollonio Molone, inquit Plutarchus, traditum eſt memoriae, eum Latinae linguae rudem rogaſſe Ciceronem, ut Graece declamaret. in quo cum ideo illi obtemperaſſet, quod putaret, ſe ita melius corrigi poſſe, ceteri omnes admiratione obſtupefacti certatim de Cicerone, aliusq. alio glorioſius praedicabat: Apollonius neque orante Cicerone laetitiam prae ſe tulit, &, cum peroraſſet, defixus in cogitatione diu ſedit. quod ubi Ciceronem aegre ferre ſenſit, haec eius uox erupit: Te equidem M. Tulli collaudo & admiror: ſed me Graecorum fortunae miſeret, cum uideam doctrinae &, eloquentiae laudem, quae ſola nobis reliqua erat, per te ad Romanos tranſlatam eſſe. Rhodi Cicero Poſidonium philoſophum etiam audiuit, ut Plutarchus ſcribit. Poſidonius enim cum eſſet Apamienſis e Syria, Rhodi uixit, teſte Strabone lib. 14. Hunc familiarem ſuum uocat Cicero lib. 1. de Finib. Eundem lib. 1. de natura inter eos numerat, a quibus in philoſophia inſtitutus fuit. Praeterea in libro de Fato ita ſcribit, Quaedam etiam Poſidonius (pace magiſtri dixerim) comminiſci uidetur.

Anno urbis DCLXXVI. Ciceronis XXX. COSS. fuerunt

D. IVNIVS. BRVTVS, MAM. AIMILIVS. LEPIDVS. LIVIANVS

HOs conſules ex interregno inijſſe, argumento eſt oratio Philippi apud Salluſtium. de quibus Cicero in Bruto, Iiſdem fere temporibus D. Brutus is qui cōſul cum Mamerco fuit, homo & Graecis doctus litteris & Latinis. Mamerci Aemilij Lepidi meminit Valerius lib. 7. cap. 7 Hoc anno, cum duo conſules clariſſimi fortiſsimiq. eſſent, Pompeius adhuc eques contra Sertorium ad bellum maximum formidoloſiſsimumq. ſuaſu L. Philippi proconſul. miſſus eſt. quo quidem tempore, cum eſſet non nemo in ſenatu, qui diceret, non oportere mitti hominem priuatum pro conſule; Philippus dixiſſe dicitur, Non ſe illum ſua ſententia pro conſule, ſed pro conſulibus mittere, ait Cicero in Maniliana. Idem Philip. 11. Pompeio Sertorianum bellum a ſenatu priuato datum eſt: cum L. Philippus pro conſulibus ſe eum mittere dixit, non pro conſule. Scribit idem Plutarchus in Pompeio. Comparato exercitu, hoſtes in ceruicibus iam Italiae agentes ab Alpibus in Hiſpaniam ſubmouit, Galliamq. recepit, ut ipſe apud Salluſtium ad ſenatum ſcribit. Vnde Cicero in Maniliana ait, Pompeium per Galliam legionibus Romanis in Hiſpaniam iter Gallorum internecione pateſeciſſe.

Hoc quoque anno M. Tullius ſe recepit e Graecia, biennio poſt quam eo profectus erat, non modo exercitatior, ſed prope mutatus. nam & contentio nimia uocis reciderat, & quaſi deferbuerat oratio, lateribusq. uires, & corporis mediocris habitus acceſſerat, ut ipſe in Bruto teſtatur. Cum autem Cicero, auctore Plutarcho, magna ſpe erectus ad remp. ſummo ſtudio raperetur, ardor eius oraculo quodam repreſſus eſt. Nam, cum Delphos profectus Apollinem conſuluiſſet, quanam uia ad ſummam gloriam peruenire poſſet; oraculum editum eſt, Suam naturam, non multitudinis opinionem ducem uitae ſequeretur. Quapropter Romam reuerſus primo timide uixit, & dubitanter ad honores acceſsit, nec ullo in numero habitus, ſed Graeculus atque otioſus appellatus fuit: quae nomina infimis & ſordidis hominibus in promptu eſſe atque in ore conſueuerunt. Vt uero & innata honorum cupiditate ductus, & patris atque amicorum tohortatione incitatus, ſe totum patrociniis tradidit, non iam pedetentim principem locum petiit, ſed ſtatim eluxit, ceterisq oratoribus longe praeſtitit. Hactenus Plutarchus, ut a me ante annos octo conuerſus fuit. ubi quod Graeculum atque otioſum dixi, qui Plutarcho eſt γραικὸς καὶ σχολαστικὸς, ſecutus ſum auctoritatem noſtri Oratoris, qui pro Sextio inquit, Graeculū ſe atque otioſum putari uoluit: ſtudio litterarum ſe ſubito dedidit.

Anno urbis DCLXXVII. Ciceronis XXXI. COSS. fuerunt

CN. OCTAVIVS, C. SCRIBONIVS. CVRIO

DE his Cicero in Bruto, Cn. Sicinius, cum tribunus pl. Curionem & Octauium conſules produxiſſet, Curioq. multa dixiſſet ſedēte Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat faſciis, & multis medicamētis propter dolorem artuū delibutus: numquam, inquit, Octaui, collegae tuo gratiā referes; qui niſi ſe ſuo more iacta-

giſſet, hodie te iſtic muſcae comediſſent. Videntur autem conſules a Sicinio producti fuiſſe, cum id egit, ut tribunicia poteſtas populo redderetur, Aſconius in Diuinat. in Verrem. His conſulibus Cicero, ut ipſe in eodem Bruto oſtendit, cum unum annum reuerſus ex Aſia cauſſas nobiles egiſſet, quaeſturam petiit, cum C. Cotta, qui anno inſequenti conſul fuit, conſulatum, Hortenſius aedilitatem peteret. Quaeſtoriis comitijs, quae tributa fuiſſe, ep. 31. lib. 7. Famil. cognoſcitur, Cicero quaeſtor in primis cunctis ſuffragiis eſt factus in orat. in Piſonem. Idem Verrina ſeptima ait, ſe ita quaeſtorem factum fuiſſe, ut ſibi honorem illum tum non ſolum datum, ſed etiam creditum, ac commiſſum putaret. In cauſsis iis, quas Cicero ex Aſia reuerſus ante Quaeſturam egit, numero orationem pro Q. Roſcio Comoedo. id quod propoſita conſtitutione cauſſae planum faciam. Res igitur, ut ex orationis fragmento colligitur, ita ſe habet C. Fannius Chaerea ſeruum ſuum Panurgum communem cum Roſcio ea lege fecit, ut is a Roſcio arte hiſtrionica inſtitueretur, quaeſtusq. inter eos communis eſſet. Inſtitutum artificio comico Panurgum Q. Flauius Tarquinienſis quidam interfecit. In hanc rem Fannius cognitor a Roſcio datus fuit, qui Flauium iudicio DAMNI INIVRIA DATI Roſcii nomine perſequeretur, non ſecus atque ſi res ſua eſſet. Lite conteſtata, Roſcius ſine Fannio cum Flauio decidit HS centum millibus. Deinde C. Piſone teſte & arbitro Roſcius Fannio pro opera, pro labore, quod cognitor fuiſſet, quod uadimonia obiiſſet, certam pecuniam dedit hac condicione, ut, ſi quid Fannius pro ſua parte ſerui interempti a Flauio exegiſſet, partem eius dimidiam Roſcio diſſolueret. Poſt triennium Fannius, qui diceret ſe a Flauio nihil abſtuliſſe, Roſcium cum eo de tota re pro ſocietate decidiſſe, Roſcium in ius uocauit, & HS quinquaginta millia, dimidiam ſcilicet partem eius pecuniae, quam Roſcius a Flauio abſtulerat, petiit, & ſponſione Roſcium laceſsiuit. Ni ſibi ille HSIↃↃↃ deberet. Datus igitur iudex a praetore fuit C. Piſo cum hac formula, Si pateret Roſcium Fannio HSIↃↃↃ debere, quod Cicero enumeratione cauſſarum debitionis falſum eſſe docet: neque ſocietatis nomine quidquam a Roſcio peti poſſe probat. Corradus Ciceronem hanc cauſſam egiſſe Cn. Pompeio & M. Craſſo COSS. anno poſt hunc ſexto inde putat, quod tum C. Piſo praetor fuerit. ſed fallitur, qui ex iudice priuato praetorem facit. Hoc tempore Q. Roſcium fuiſſe defenſum ex oratione cognoſcitur. in qua Roſcium Sullano tempore cum Flauio decidiſſe, & quadriennio poſt cauſſam actam fuiſſe aperte ſignificatur. Hoc anno in Hiſpania aduerſus Sertorium acerrima illa proelia & maxima, Sucronenſe, & Durienſe, commiſſa ſunt. quorum meminit Cicero pro Balbo. tu uide Plutarchum in Pompeio.

Anno urbis DCLXXVIII. Ciceronis XXXIII. COSS. fuerunt

L. OCTAVIVS, C. AVRELIVS. COTTA.

De his Cicero in Verrem 3. Cum L. Octauius, C. Aurelius COSS. aedes ſacras locauiſſent, neque potuiſſent omnia ſarta tecta exigere, neque ii praetores, quibus erat negotium datũ, C. Sacerdos, M. Coelius: factum eſt S. C. quib. de ſartis tectis cognitum & iudicatum non eſſet, uti C. Verres, P. Coelius praetores cognoſcerent, & iudicarent ubi uides, C. Sacerdotem, cui Verres in praetura urbana & Sicilienſi ſuccesſit, hoc anno praetorem urbanum fuiſſe. qui cum ſequenti Siciliam obtinuerit, & Cicero ante eum quaeſtor in Sicilia fuerit, praetore Sex. Peducaeo, ſuſpicionem Corradi, qui Ciceronem hoc anno quaeſtorem urbanum, & inſequenti in Sicilia fuiſſe putauit, falſam eſſe omnes uident. Hic eſt igitur Sicilienſis annus, qui M. Tullium quaeſtorem excepit, ut ipſe in Bruto ſcribit. Cum autem bini quaeſtores in Sicilia ſingulis Praetoribus eſſent, Lilybaetanus & Syracuſanus; Cicero Lilybaetanus quaeſtor fuit, ut Aſconius ſcribit, & Cicero ipſe pro Plancio oſtendit. Idem Aſconius ſcribit Ciceronem quaeſtorem in Sicilia fuiſſe praetore Sex. Peducaeo, ipſe uero in orat. poſt reditum in ſenatu ait, ſe patri M. Curtii quaeſtorem fuiſſe. Accidebat autem ſaepe, ut unus quaeſtor duorum Praetorum eſſet, ut Gruchius lib. 3. de Comitiis docet. De quaeſtura Ciceronis Plutarchus ita ſcribit, Quaeſtor creatus & ſortitus prouinciam Siciliam, cum in difficultate annonae, atque inopia rei frumentariae magnus frumenti numerus Romam eſſet mittendus, Siculos initio offendit: poſt, ubi diligentiam, iuſtitiã & comitatem eius experti fuerunt, maiores illi honores, quam ulli umquam praetori, tribuerunt. De eadem ipſe in oratione pro Plancio, Non uereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quaeſturam aut gratiorem, aut clariorem fuiſſe, frumenti in ſumma caritate maximum numerum miſeram: negociatoribus comis, mercatoribus iuſtus, municipibus liberalis, ſociis abſtinens, omnibus eram uiſus in omni officio diligentiſsimus. excogitati quidam erant a Siculis honores inauditi. & in Verr. 7. Sic obtinui quaeſturam in prouincia Sicilia, ut omnium oculos in me unum coniectos arbitrarer: ut me, quaeſturamq. meam, quaſi in aliquo orbis terrae theatro, uerſari exiſtimarem: ut omnia ſemper, quae iucunda uidentur eſſe, non modo his extraordinariis cupiditatibus, ſed etiam ipſi naturae ac neceſsitati denegarem. Idem Verrina ſecunda ait, Siculos in quaeſtura ſuae innocentiae, abſtinentiaeq. periculum feciſſe. Eo tempore, ut Plutarchus ſcribit, multi Romani adoleſcentes, claris parentibus, atque honeſto loco nati, apud Siciliae praetorem accuſati ſunt intemperantiae, & neglectae diſciplinae militaris. quos Cicero magna commendatione defendit, & conſeruauit.

Anno urbis DCLXXIX, Ciceronis XXXIII. COSS. fuerunt

L. LICINIVS. LVCVLLVS, M. AVRELIVS. COTTA

HIS conſulibus Cicero annuo munere quaeſturae expleto e Sicilia prouincia deceſsit. Habuit tum orationem Lilybaei, in qua Siculis multa benigne promiſit, ut Aſconius ſcribit. Decedebat autem ea ſpe, ut ſibi populum R. ultro omnia delaturum putaret. at cum caſu diebus iis, itineri faciendi cauſſa, Puteolos forte ueniſſet, concidit paene, cum ex eo quidam quaeſiſſet, quo die Roma exiſſet, & numquid in ea eſſet noui. quod ipſe pro Plancio narrat, & Plutarchus in uita ſcribit. Cum e Sicilia ſe recepiſſet, iam uidebatur facultas illa dicendi eſſe perfecta, & habere maturitatem quandam ſuam, ut ait in Bruto. Fuit hoc anno tribunus pl. Quinctius, homo maxime popularis, & ad inflammandos animos multitudinis accommodatus; qui conciones quotidie ſeditioſas & turbulentas habebat, Cicero pro Cluentio. Hunc acta Sullae reſcindere, ac reip. ſtatum mouere & perturbare conantem Lucullus conſul ab incepto deduxit, auctore Plutarcho in Lucullo. Hinc Macer apud Salluſtium, Lucullus quantis animis ierit in L. Quinctium, uidiſtis. Idem Quinctius patronus fuit. Oppianici, qui hoc anno, Verre praetore urbano, condemnatus eſt, Cicero pro Cluentio, & Aſconius in Ver. ſecunda. Verrem his conſulibus praetorem urbanum fuiſſe, cognoſcitur etiam Verrina ſeptima: ubi Cicero inquit, Nemo tam ruſticanus homo L. Lucullo, & M. Cotta COSS. Romam ex ullo municipio uadimonij cauſſa uenit, quin ſciret, iura omnia populi R. nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculae gubernari.

Hoc etiam tempore M. Antonius gratia Cottae conſulis, & Cethegi factione in ſenatu, curationem nactus totius orae maritimae, Siciliam & prouincias omnes depopulatus eſt, & ad extremum inferens Cretenſibus bellum, re male geſta, morbo interiit, Aſconius in Verr. Liuius lib. 97. Florus lib. 3. cap. 7. Meminit Velleius, & Cicero Verr. 4. ubi M. Antonij infinitum imperium dicit. Hic Antonius pater fuit M. Antonij triumuiri, qui in Plutarchi Antonio κριτικός mendoſe pro κρητικός nominatur. Tum quoque Metellus & Pompeius in Hiſpania ab obſidione Calagurij opidi depulſi coacti fuerunt diuerſas regiones petere, Metellus ulteriorem Hiſpaniam, Pompeius Galliam, auctore Liuio lib. 93. Itaque tum Pompeius hiemauit in Gallia, cum M. Fonteius praetor eam prouinciam obtineret, ut Cicero pro Fonteio oſtendit.

Anno urbis DCXXC, Ciceronis XXXIV. COSS. fuerunt

M. TERENTIVS. VARRO. LVCVLLVS, CASSIVS. VARVS

DE his Cicero pro Cluentio, Sed quaero a uobis, num iſtam legem ex iſto S. C. L. Lucullus conſul, homo ſapientiſsimus, tulerit? num anno poſt M. Lucullus, & C. Caſsius? Eoſdem Verrina tertia, M. Terentium & C. Caſsium nominat, a quibus lex frumentaria Terentia & Caſsia lata fuit, de qua Cicero Verrina quincta, & ſeptima. fuit enim M. Lucullus frater L. Luculli in Terentiorum familiam adoptatus. Hoc anno bellum in Italia a gladiatoribus duce Spartaco excitatum eſt, quod Cicero in Manliana Seruile uocat; de quo ſcripſi in ult. caput lib. quincti Oroſij. Eodem tempore L. Lucullus, qui conſul anuo ſuperiore contra Mithridatem profectus erat, ad Cyzicum urbem exercitum eius fame ferroq. deleuit, auctore Liuio libro 95. Nam, cum totius impetus belli ad Cyzicenorum moenia conſtitiſſet, eamq. urbem ſibi Mithridates Aſiae ianuam fore putauiſſet, qua effracta & reuulſa, tota pateret prouincia; perfecta ab Lucullo haec ſunt omnia, ut urbs fideliſsimorum ſociorum defenderetur, ut omnes copiae regis diuturnitate obſidionis conſumerentur, ait Cicero pro Murena. eandem rem pro lege Manilia, & pro Archia commemorat.

Anno urbis DCXXCI, Ciceronis XXV. COSS. fuerunt

L. GELLIVS. POPLICOLA,
CN. CORNELIVS. LENTVLVS, CLODIANVS

DE his Cicero in Verr. 4. Itaque in ſenatu continuo Cn. Lentulus, & L. Gellius (Lucullus impreſsi libri Ciceronis mendoſe habent) conſules faciunt mentionem, placere ſtatui, ſi patribus conſcriptis uideretur, ne abſentes homines in prouinciis rei fierent rerum capitalium. In eadem oratione M. Lollium Palicanum tribunum pl. hoc anno fuiſſe cognoſcimus. quem laboraſſe, ut tribunicia poteſtas populo reſtitueretur, Aſconius in Verrinam primam ſcribit. Hoc anno Lucullus Mithridatem in Pontum perſecutus, eum legionibus Romanis patefacit, qui ante populo R. ex omni aditu clauſus fuerat, ut ait Cicero pro lege Manilia, & pro Archia.

Anno urbis DCXXCII, *Ciceronis* XXXVI. COSS. *fuerunt*

CN. AVFIDIVS. ORESTES, P. CORNELIVS. LENTVLVS. SVRA

ORESTES gentis Aureliae cognomen eſt: ſed hic Oreſtes a Cn. Aufidio adoptatus, ut Cicero pro do-
mo ait, Cn. Aufidius Oreſtes dictus fuit. Cn Oreſtem, cum tribunus pl. eſſe non potuiſſet, conſulē fa-
ctu, ait Cicero pro Plancio. Idem praetor urbanus fuit anno urbis DCLXXVI. ut ex Valerio lib. 7. c. 7. appa-
ret. P. Lentulus cū Catilina coniurauit, atque a Cicerone conſule in carcere ſtrangulatus fuit, ut inferius dice-
mus. Vnde Surae cognomen inuenerit, Plutarchus in Cicerone hoc modo exponit. Cum Sullanis tēporibus
quaeſtor magnam uim pecuniae publicae conſumpſiſſet, atque perdidiſſet, Sulla id aegre ferens rationem ab
eo in ſenatu exegit. tum ille, negligenter, & cū contemptu progreſſus, rationem ſe redditurum negauit, ſuram
autem praebiturum, ita ut pueri conſueſſent. cum in pilae luſione deliquiſſent. Hinc Sura cognominatus fuit.
ſura enim Romanis eſt ea, quae Graecis κνήμη dicitur. Hactenus Plutarchus. Bellum ſeruile iam tertium anū
cum Spartaco gerebatur, cum M. Craſſo praetori id mandatum & ſex menſibus confectum fuit, ut Appia-
nus libro primo extremo ſcribit. itaque Craſſo tum permiſſum Plutarchus ait, ut ouans urbem iniret. Hinc
Cicero in Piſonem; Craſſe pudet me tui. quid eſt, quod confecto formidoloſiſsimo bello coronam illā lau-
ream tibi tantopere decerni uolueris a ſenatu? Exercitum eodem tempore ex Hiſpania in Italiam Pompeius
reduxit, & quinque millia fugitiuorum, qui e praelio aufugerant, interfecit, atque ad ſenatum, auctore Plu-
tarcho, ſcripſit, Craſſum acie gladiatores fudiſſe, ſe bellum radicitus ſuſtuliſſe. Hinc Cicero in Maniliana: Te-
ſtis eſt iterum, & ſaepius Italia, quae cum ſeruili bello taetro pericuoſoq. premeretur, ab hoc auxilium abſente
expetiuit: quod bellum exſpectatione Pompeij attenuatum, atque imminutum eſt, aduentu ſublatum, ac ſe-
pultum. Vltimo huius anni die pridie, quam conſulatum iniret Pompeius adhuc eques Romanus ex Hiſpa-
nia procos. triumphauit, ut Velleius lib. 2. ſcribit. de quo triumpho Cicero pro lege Manilia, Quid tam incre-
dibile, quam ut iterum eques Romanus ex ſenatuſconſulto triumpharet?

Anno urbis DCXXCIII, *Ciceronis* XXXVII. COSS. *fuerunt*

M. LICINIVS. CRASSVS, CN. POMPEIVS. MAGNVS

POMPEIVM ex S. C. legibus ſolutum conſulē ante factum, quam ullū magiſtratum per leges capere licuiſ-
ſet, Cicero in Maniliana teſtatur. Numerus de aetate Pompeij apud Appianum mendo caret, contra
atque Sigonius putauit: reſpicit enim tempus anni ſuperioris, quo Pompeius ante natalem ſuum conſulatū pe
tiuit. M. Tullius iam poſt quaeſturam in plurimis cauſsis, & in principibus patronis quinquennium fere uerſa
tus erat, ut ipſe in Bruto ſcribit. fuitque in admiratione, quod ab ijs, quorū cauſſas agebat, nulla dona aut mune
ra, auctore Plutarcho, accipiebat In iis cauſsis fortaſſe fuerunt M Tullii, & L. Vareni; quas Ciceronem ſcri-
ptas edidiſſe teſtimonio Quinctiliani & Priſciani cognoſcitur. In primis autem, ut Plutarchus ait, Cicero eni-
tuit, cum C. Verrem hoc anno in iudicium uocauit tram in patrocinio Siciliensi maxime in certamen uenit de-
ſignatus aedilis cum deſignato conſule Hortenſio, quod ipſe in Bruto ſcribit. Tenuerat Verres ex praetura Si
ciliam prouinciam per triennium, atque in ea fuerat libidinoſe, auare, crudeliterq uerſatus. quare, cum tandem
hoc anno L. Metellus ei ſuccederet, repetundarum reus a Siculis poſtulatus eſt: qui omnes, praeter Syracuſa-
nos & Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defenſionibus amicorum, ad accuſandum deſcendere
compulerunt, iampridem illis neceſsitudine copulatum, quod quaeſtor in Sicilia fuiſſet, & decedēs multa iis
benigne promiſsiſſet, ut Aſconius ait Natus iam erat Cicero annos XXXVI. quod tempus legitimum erat
aedilitatis petendae. Certe P. Scipio Africanus minor, cum annos natus XXXVI. aedilitatem peteret, conſul
a populo dictus eſt, Liuius lib. 50. Velleius. 2. Aedilitatem igitur ſuo anno petens Cicero, prior deſignatus eſt
cunctis ſuffragiis populi, in orat in Piſonem. Suſcepto patrocinio Sicilienſi, exſtitit Q. Caecilius Niger, domo
Siculus, ut Aſconius ſcribit. Plutarchus ait hominem libertinum fuiſſe, & Iudaicae religioni obnoxium. unde
Cicero in eum dixit, Quid Iudaeo cum Verre? Romani autem porcum non caſtratum Verrem nominant. In
Plutarchi libris, in quibus legitur Βέῤῥην ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσι, negotio deeſt, & reſtitui debet,
τὸν μὴ ἐκτετμημένον. alioqui falſum eſſet, quod Plutarchus ſcribit. Caecilius igitur cōtendebat, ſe potius accuſa-
torem conſtitui oportere, has afferens cauſſas: unam, quod a Verre laeſus iure illi inimicus eſſet: alteram, quod,
cum quaeſtor eius fuiſſet, crimina ſciret: tertiam, quod Siculus pro Siculis ageret Hinc, quia in publicis quae-
ſtionibus, ut eſt lib. 1. ad Herennium, legibus cauetur, ut ante, ſi reo commodum ſit, iudicium de accuſato-
re fiat, utrum illi liceat accuſare, nec ne: diuinatio accuſatorum Ciceronis & Caecilii facta eſt. tum Cicero pri-
mam Verrinam de accuſatore conſtituendo dixit: in qua hac uſus eſt diuiſione. ſpectandum, a quo maxime
agi uelint ii, quorum de ultione quaeritur; a quo minime uelit is, qui accuſatur, auctor Quinctilia. lib. 7. cap. 5.
Victo Caecilio, & accuſatione ad ſe delata, Cicero, cum inquiſitionis tempus in Siciliam poſtulaſſet dies CX. &
cum L. Tullio fratre patruele totam prouinciam colligendis litteris in Verrem, & denunciandis teſtimoniis per
agraſſet diebus quinquaginta; Romam reuerſus, cum uideret id agi, ut M'. Glabrione praetore, & ab iis iudi-
cibus, qui tunc erant, ad alium annum, aliumq. praetorem res tota tranſiret, eripereturq. ſibi reus patrocinio
Hortenſii ac Metelli, qui tunc conſules futuri erant, hoc commentus eſt rationis, ut orationem longam prae-

termitteret,

termitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus abſumeret, ſed tantũmodo citaret teſtes ad unumquodq. crimen expoſitũ,& eos Hortenſio interrogandos daret, inquit Aſconius. Vnde Quinctilianus li.6.c.6. Cicero ſummo conſilio uidetur in Verrem uel contrahere tempora dicendi maluiſſe, quam in cũ annum,quo erat Q.Hortenſius conſul futurus,incidere. Conſiliũ ſuum ipſe Cicero Verrina ſecunda copioſe exponit. quae praeterea exhortationem continet iudicum ad uere iudicandum:minae quoque in aduerſarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum iudicium. qua oratione ipſe Verrina tertia hoc ſe aſſecutum fuiſſe ait, ut una hora, qua coepit dicere, reo ſpem iudicij corrumpendi praeciperet. primo autẽ die magno teſtium numero citato,alter dies amicis Verris & defenſoribus non modo ſpem uictoriae,ſed etiam uoluntatem defenſionis abſtulit. nam,ut Aſconius ſcribit,arte Ciceronis ita eſt fatigatus Hortenſius,ut nihil, contra quod diceret,inueniret. Itaque nobis,ait Cicero in Oratore, pro familiari reo ſummus orator non reſpondit Hortenſius dicendi enim facultatẽ Cicero Hortenſio nullam dedit,nihil ipſe dicendo,ait Aſconius.& Plutarchus, τῦτον εἶλεν οὐκ εἰπών,ἀλλ' ἐξ αὐτῦ πρόπον τινὰ τὸ μὴ εἰπεῖν. ubi aliquando ἐξ αὐτῦ corruptũ eſſe,atque pro eo ἐξαίφνης commodius legi poſſe putaui. ſed Hadrianus Turnebus (cuius nomen,ut magiſtri de me optime meriti,mihi numquam niſi honoris cauſſa uſurpandum eſt) anno ſuperiore litteris ſignificauit πρόπον τινὰ ἐξ αὐτῦ τὸ μὴ εἰπεῖν,eſſe quodã modo abdicata eloquentia.Haec prima actio, cuius quaſi prooemium tãtum litteris mandatum eſt;quae Verrina ſecunda numeratur,nouẽ diebus tranſacta eſt,Verrina tertia: eaq. Verres cõuictus ſua ſponte in exſulium diſceſſit,Aſconius. in quo exſulio illum cõſenuiſſe, donec a triumuiris poſt Ciceronis mortẽ proſcriptus periit,auctor eſt Lactantius li.2.c.4.& Seneca in Suaſoriis lib. 1. Proſcriptũ Verrem ab Antonio traditur,quod Corinthiis ſe ei ceſſurum negauiſſet,Plinius lib.34.c.2.Reliquas Verrinas quinque Cicero non dixit: ſed cum uellet omnẽ uim,& rationẽ accuſandi in uno reo oſtendere, quinque hos libros domi ſcriptos edidit: quos pro qualitate criminũ diuidens,anteactis unũ dedit,crimini repetũdarũ quattuor,unũ de iure dicendo,alterum de re frumentaria,tertium de ſignis,quartũ de ſuppliciis,Aſconius. Hi ſunt quinque contra Verrem ſecundae actionis libri,de quibus Fabius lib.2.& Tacitus in dialogo de Oratorib. Cicero ẽt in Oratore Verrinam ſextam,quartũ Accuſationis appellat. Itaque in primo accuſationis libro,quae eſt Verrina tertia, Cicero anteacta,id eſt ea crimina,quae Verres ante praeturã Siciliẽſem in quaeſtura, legatione, & praetura urbana commiſit exponit. In ſecundo accuſationis libro, quae eſt Verrina quarta, explicantur crimina in Sicilia in iure dicendo cõmiſſa. Tertius liber eſt de frumenti criminibus, eaq. oratio frumentaria a ueteribus Grãmaticis nominatur. Quartus liber,ſeu Verrina ſexta eſt de ſignis. Quinctus & ultimus de ſuppliciis. Verre damnato,ut Plutarchus tradit,cũ Cicero litem ei tricies HS.aeſtimaſſet,male audiuit,quaſi pecunia accepta de multa remiſiſſet. apud Plutarchũ ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδες,eſt tricies ſeſtertium: ſiquidem εἴκοσι πέντε μυριάδες eſt,decies HS,ut idem in Antonio teſtatur. Verum Budaeus in libris de Aſſe, & in Commentariis cenſet in Plutarchi libris uerbũ τριακοσίων, aut aliud deeſſe. Seſtertium quadringenties a Verre tantum repetitũ eſſe,Aſconius ſcribit. His conſulibus tribuniciam poteſtatem reſtitutam eſſe,Salluſtius in Catil.ſcribit. idem eſt in epitoma lib.97.apud Velleium lib.2.& Plutarchum in Pompeio. Hinc Q. Cicero lib.3.de legib. ait, Pompeium noſtrum ceteris rebus omnibus ſemper ampliſsimis ſummisq. effero laudibus; de tribunicia poteſtate taceo: nec enim reprehendere libet,nec laudare poſſum. Poſt iudicia a Sulla conſtituta,ſenatus iã ex lege Cornelia decem annos turpiter iudicauerat,ita ut iudiciorum leuitate ordo quoque alius ad res iudicandas poſtularetur. hoc igitur anno L. Aurelius Cotta praetor legem ad populum tulit,ut ſenatores cum equitibus & tribunis aerariis iudicarent,Cicero Verrina prima,& Aſconius in eandem. Liuius lib. 97. & Velleius 2. Eodem anno cenſores fuerunt L. Gellius Poplicola, & Cn. Cornelius Lentulus, de quibus Cicero pro Cluentio. Lentuli cenſoris meminit etiam Verrina ſeptima, pro Flacco,& pro domo.

Anno urbis DCXXCIV, Ciceronis XXXIIX. COSS. fuerunt

Q. HORTENSIVS, Q. CAECILIVS. METELLVS. CRETICVS

De his conſulibus Cicero pro Cluentio, Tum interim Hortenſio,Metello COS. ut hũc Oppianicũ aliud agentem,ac nihil eiuſmodi cogitantem ad hanc accuſationem detraheret, inuito deſpondit ei filiam ſuã. Hoc anno Cicero aedilis curulis fuit. aediles autẽ ἀφ' ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων, ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται. ideſt ab una parte ſui muneris quaſi curatores aediũ dicti ſunt, Dionyſius Halicarnaſſeus lib.6.ubi addit eos a Graecis ἀγορανόμους dici,quod magnã partẽ illis ſimiles ſint. de aedilitate ſua Cicero Verrina ſeptima ita ſcribit: Nunc ſum deſignatus aedilis: habeo rationẽ,quid a populo R.acceperim: mihi ludos ſanctiſsimos maxima cũ caerimonia Cereri,Libero,Liberaeq. faciendos: mihi Floram matrem populo,plebiq. R.ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſsimos,qui primi Romani ſunt nominati,maxima cum dignitate, ac religione Ioui,Iunoni,Mineruaeq. eſſe faciũdos: mihi ſacrarum aedium procurationẽ,mihi totam urbem tuẽdam eſſe commiſſam:ob earum rerum laborẽ & ſollicitudinem fructus illos datos,antiquiorem in ſenatu ſententiae dicendae locum,togam praetextam,ſellam curulem,ius imaginis ad memoriam poſteritateq. prodendã.hinc ẽt pro Murena,ſe aedilem trinos ludos feciſſe,ait. Idem lib.2.de Officiis pro amplitudine honorũ, quos cunctis ſuffragiis adeptus eſſet ſuo anno,exiguum ſumptum aedilitatis ſuae fuiſſe tradit. Aduexerunt tũm & attulerũt Siculi multa ex inſula ad Ciceronem aedilem:quorum ille nihil in ſuũ quaeſtum contulit:tantũ liberalitate hominum ad annonam leuãdam uſus eſt,auctore Plutarcho. Collega Ciceronis in aedilitate fuit M. Caeſonius,

ut ipſe

ut ipſe Verrina ſecunda, & Aſconius teſtantur. Scio Paullum Mannuccium in Aſconium ſcribere, hunc magiſtratum cum Tullio non Caeſonium, ſed C. Antonium geſsiſſe: uerum, unde id didicerit, equidē ignoro. Hoc anno Lucullus urbē ex Tigranis regno cepit, cuius meminit in Maniliana Cicero. Cum n. pridie Nonas Octobris magnum numerum hoſtiū exigua manu ad Tigranocertā uiciſſet, deinde urbem cepit, Plutarchus in Lucullo, Dio lib. 35. Eodem anno M. Pupius Piſo de Hiſpanis triumphauit, Cicero in Piſonem, & Aſconius. His quoque conſulibus templum Iouis in Capitolio, quod incendio conſumptum, ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum eſt, Caſsiodorus, & Liuius lib. 98. Tacitus li. 19. Plinius lib. 7. c. 43. Cicero etiam Verrina ſexta, Capitolium a Q. Catulo magnificentius eſſe reſtitutum, quam fuerit, ait. Circa idē tempus M. Tullius pro Fonteio dixiſſe uidetur. Tenuerat is prouinciam Galliam praetor per triennium, ut ſupra ad annum DCLXXIX annotaui. Reuerſus autē Romā repetundarum reus factus eſt a Gallis, quod Fonteio praetore oppreſſa aere alieno prouincia fuiſſet, quaeſtum ipſe ex uiarum munitione feciſſet, & portorium uini inſtituiſſet. Accuſauit eum M. Plaetorius, ſubſcriptore M. Fabio. defendit M. Cicero circa hoc tēpus, cum iā equites cum ſenatorib. ex lege Aurelia iudicarent. quod Orationis uerba oſtendunt. Sequitur oratio pro A. Caecina: cuius tēpus incertum. argumētum uero tale eſt. M Fulcinius Tarquinienſis Caeſenniae uxori moriens uſumfructum omniū bonorū ſuorum legauit, ut frueretur una cum filio herede inſtituto. Filio mortuo & auctione bonorū cōſtituta, Caeſennia fundum ex iis bonis emere de ſentētia amicorum conſtituit: idq. negotium Sex Aebutio dedit cui fundus, pecunia Caeſenniae emptus, fuit addictus. Caeſennia cum non multo poſt A Caecinae nupſiſſet, eumq. heredē feciſſet, deceſsit. Tū Aebutius fundum illum, quē mandato Caeſenniae emerat, ſuum eſſe dixit. Itaque conſtitutum fuit, quo die in rē praeſentē ueniretur, ut, cū Caecina de fundo eſſet deiectus, interdictū a praetore poſtularet. Verum Aebutius, fundo occupato, Caecinam in eum ingredi conantem coactis armatisq. hominibus per uim aditu ingreſſuq. probauit. Repulſos Caecina interdictū de armatis hominibus a Dobella praetore impetrauit, ut, unde deiectus eſſet, eo reſtitueretur. Aebutius reſtituiſſe ſe dixit: in eamq. rem ſponſio facta eſt. de qua recuperatores a praetore dati cognouerunt. Tota quaeſtio definitionis eſt, An interdicto de ui teneatur etiam is, qui non deiecit de fundo, ſed ab eius ingreſſu prohibuit? de qua re Cicero in Bruto, Tota mihi cauſſa pro Caecina de uerbis interdicti fuit: res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, uerba ambigua diſtinximus.

Anno urbis DCXXCV, Ciceronis XXXIX, COSS. fuerunt

L. CAECILIVS. METELLVS, Q. MARCIVS. REX

De his cōſulibus Cicero in Piſonem: Aude nunc o furia de tuo dicere. cuius fuit initium ludi Compitalicij, tum primum facti poſt L. Metellum & Q. Marcium COS. contra auctoritatem huius ordinis. Ita. n. recte Paullus Mannuccius nomina mendoſa reſtituit. Idem Mannuccius hoc anno epiſt. 4. lib. 1. ad Atticum ſcriptam putat: in qua de L. Ciceronis morte aigit. Hoc anno P. Clodius Luculli exercitum in Niſibis urbis obſidione ſolicitauit auctore Dione lib. 35. meminit Cicero de haruſpicum reſp.

Anno urbis DCXXCVI, Ciceronis XL. OSS. fuerunt

C. CALPVRNIVS. PISO, M'. ACILIVS. GLABRIO

Hi conſules nominantur a Cicerone lib. 12 ad Att. & Philippica ſecunda. quibus C. Triarius legatus Luculli a Mithridate uictus fuit, ut Dio, Plutarchus & Appianus ſcribunt. Ceciderunt tū centuriones CL, tribuni XXIV, teſte Appiano. Haec eſt illa calamitas, quā Cicero in Maniliana tantam fuiſſe ait, ut eā ad aures L. Luculli non ex proelio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret. hic in ipſo illo malo, grauiſsimaq belli offenſione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incōmodis mederi fortaſſe potuiſſet, ueſtro iuſſu coactus, quod imperij diuturnitati modum ſtatuendum ueteri exemplo putauiſtis, partem militum, qui iam ſtipendiis confectis erant, dimiſit, partē Glabrioni tradidit. hactenus Cicero. Confectis ſtipendiis erant milites Valeriani, ὀαλέριοι οἱ τῆς στρατείας ἀφεθέντες, ut Dio loquitur. qui addit, turbā etiam tum factam, cum milites Aciliū conſulem, qui ut Lucullo ſuccederet, miſſus erat, aduentare audiuerunt. atque Acilius Glabrio eſt, quem Cicero in Maniliana Lucullo ſuccurriſſe ait. Huc pertinent uerba illa Salluſtij, quae ex lib. 5. hiſtor. apud Priſcianum lib. 18. leguntur: Legiones Valerianae, comperto lege Gabinia Bithyniam & Pontum datam, ſe miſſos eſſe. Fuit enim hoc anno tribunus pl. A. Gabinius: qui, cum piratae non ſolum maria, uerum ēt oras maritimas ſuis latrociniis infeſtas redderent, ut praeter hiſtoricos Cicero in Maniliana ait, de uno imperatore cōtra praedones cōſtituendo legem initio ſui tribunatus promulgauit. unde idē poſt reditū de Gabinio inquit: Qui in magiſtratu niſi rogationem de piratico bello tuliſſet, profecto & egeſtate & improbitate coactus piraticam ipſe feciſſet. Tum Hortenſius in ſenatu contra Gabinium grauiter, ornateq dixit. Q. Catulus, cum ex populo R. quaereret, ſi in uno Pompeio omnia ponerent, ſi quid de eo factū eſſet, in quo ſpem eſſent habituri; cepit magnum ſuae uirtutis fructum ac dignitatis, cū oēs prope una uoce, in eo ipſo ſe ſpem habituros eſſe dixerūt. haec Cicero pro lege Manilia. ubi ait etiam, Pompeium hoc bellum piraticum, quod ipſe cum Salluſtio mariti-

mum

mum nominat,extrema hieme apparaſſe,ineunte uere ſuſcepiſſe, media aeſtate confeciſſe. Inter Gabinij collegas fuit L. Roſcius Otho, quem Cicero pro Murena ait reſtituiſſe equeſtri ordini non ſolum dignitatē, ſed etiam uoluptatem. Tulit enim hoc anno tribunus pl. legem,ut equitibus Rom. in theatro quattuordecim gradus proximi aſsignarentur,auctor Liuius lib.99. & Dio lib. 36. de eadē lege Aſconius in Cornelianam ita ſcribit: Roſcia eſt,qua L. Roſcius Otho biennio ante confirmauit, ut in theatro equitibus Romanis XIV. ordines ſpectandi gratia darentur. Meminit eiuſdem Tacitus lib. 15. Horatius in Epodo,& Epiſt. 1. lib. 1. & Iuuenalis Sat. 3. Tu uide Xylandrum in Annotationibus in Plutarchi Ciceronem. in quas ea tranſtulit. quae ante biennium ad ipſum pro noſtra amicitia miſeram. Eodem anno,cum magnus ambitus eſſet, C. Cornelius tribunus pl. is, qui biennio poſt maieſtatis reus a Cicerone defenſus eſt,legem de ambitu tulit,in qua grauiſsimis poenis crimen hoc ſanxit. quare ſenatus conſulibus mandauit,ut huic rei moderarentur. qui tunc legem tulerunt,auctore Dione,ut eorum,qui ambitus conuicti eſſent,nemini aut magiſtratum gerere, aut in ſenatu eſſe liceret,addita etiam multa pecuniaria. Haec eſt lex Calpurnia de ambitu,quam ſeueriſsime ſcriptam fuiſſe, Cicero pro Murena ait. Indicta erant tum comitia,ante quae, ut Dio ſcribit, nihil ſciſcere licebat: ſed cum interim candidati multa nefaria facerent, caedeſq. fierent, ſenatus decreuit, ut ante comitia lex illa de ambitu perferretur,& conſulibus praeſidium daretur. excitauit etiam turbas Cornelius,ut Dio & Aſconius ſcribunt. ob quas cum dilata comitia eſſent,Cicero ter praetor primus centuriis cunctis renunciatus eſt,ut ipſe in Maniliana teſtatur. Licebat autem ei praeturam petere hoc tempore,biēnio poſt aedilitatem. uide epiſt. 25. lib. 10. Famil. In praeturae petitione competitores illuſtres multos cum haberet, praetor primus deſignatus eſt, auctore Plutarcho. ipſe praeterea in Bruto,ſe & praetorem primum & incredibili populi uoluntate eſſe factum ait,idem in Piſonem confirmat. Cicero igitur praetor primus,id eſt primo loco factus fuit ex octo illis, qui tum fiebant. Praetores cum Cicerone deſignati ſeptem hi fuerunt, Q. Voconius Naſo,M. Plaetorius,C. Flaminius,C. Orchinius,C. Aquillius Gallus,P. Caſsius,& C. Antonius,Cicero pro Cluentio,& Aſconius. De comitiis praetoriis agit Cicero epiſt. 8. & 9. lib. 1. Att. quae hoc anno ſcriptae fuerunt. in nona, candidatos omnibus iniquitatibus exercitos fuiſſe teſtatur. Extremo huius anni menſe,a.d. IV. Id. Decemb. (quem diem tribunis pl. incūdo magiſtratui ſollemnem fuiſſe,ex Liuio & Dionyſio patet) C. Manilius,tribunatu inito,poſt pauculos dies ſubnixus libertinorum, & ſeruorum manu legem tulit, ut libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet,auctor Aſconius in Cornelianam,& Milonianam. atque hoc Dio lib 13. ita ſcribit, τῷ ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων ἔν τε τῇ ἐσχάτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ, καὶ πρὸς ἑσπέραν, παρασκευάσας τινὰς ἐκ τοῦ ὁμίλου ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν. quorum uerborum ſententia, a docto interprete non ſatis bene expreſſa, haec eſt, Manilius libertinis,extremo anni die ſub ueſperam compatatis nonnullis e multitudine,lege lata dedit,ut cum patronis ſuis ſuffragia ferrent.

Anno urbis DCXXCVII, *Ciceronis* XLI. COSS. *fuerunt*

M'. AEMILIVS LEPIDVS, L. VOLCATIVS. TVLLVS

HOS Conſules nominat Cicero in Catil. 1. & pro Sulla. His Conſulibus Cicero Kal. Ianuarij praeturam iniit, quam hoc anno geſsit. Indicat Aſconius in Cornelianam, Sequenti, inquiens,anno M'. Lepido, L. Volcatio COSS. quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominij lege Cornelia de maieſtate fecerunt. Indicat idem Cicero pro Coelio: Fuit aſsiduus mecum praetore me: non nouerat Catilinam: Africam tum praetor ille obtinebat. ſecutus eſt annus; cauſſam de pecuniis repetundis Catilina dixit. Quare ſi Catilina cauſſam de pecuniis repetundis anno ſequente Cotta & Torquato COS. dixit, ut ex Aſconio,& oratione pro Sulla cognoſcitur,hoc anno,quo ille Africam obtinuit,Cicero praetor Romae fuit. quod Dio,exponens res geſtas huius anni, diſerte ſcribit. Praetor Cicero quaeſtioni de pecuniis repetundis praefuit. ut ipſe pro Rabirio Poſtumo ita confitetur: Accuſaui de pecuniis repetūdis,iudex ſedi,praetor quaeſiui. & pro Cornelio: Poſtulatur apud me praetorem primum de pecuniis repetundis. idem oſtendit pro Cluentio: ubi quaeſtionem de pecuniis repetundis ſuam uocat. Iudicia Cicero, ut Plutarchus ſcribit, uiſus fuit caſte,integreq. exercere. De Licinio Macro idem memoriae proditum ait,eum, qui & ipſe multum in ciuitate poterat,& Craſſo patrono utebatur,cum de pecuniis repetundis apud Ciceronem praetorem accuſatus eſſet,& iudices adhuc ſententias ferrent,fretum ſua potentia & ſtudio amicorum domum abiiſſe,& caput ſtatim totondiſſe,ſumptaq. ueſte pura tamquam uictorem in forum reuertiſſe. ſed cum Craſſus in ueſtibulo occurrens,eum omnibus ſententiis damnatum eſſe,dixiſſet,reuerſum accubuiſſe,atque ita deceſsiſſe,aiunt. quae res Ciceroni,ut qui iudicia magna cum diligentia exerceret,gloriam peperit. hactenus Plutarchus. Valerius Max. lib. 9. cap. 12. rem paullo aliter narrat. Cicero autem epiſt. 3. lib. 1. Att. quam hoc anno praetor ſcripſit, Nos,inquit,hic incredibili,ac ſingulari populi uoluntate de C. Macro tranſegimus: cui cum aequi fuiſſemus, tamen multo maiorem fructum ex populi exiſtimatione illo damnato cepimus, quam ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratia cepiſſemus. Kal. Ianuarij huius anni C. Manilij lex de libertinis S. C. damnata fuit, auctore Dione. Tum Manilius,ut Pompeij gratiam colligeret, legem promulgauit, ut Pompeio, qui tum in Cilicia belli maritimi reliquias perſequebatur,Bithynia,Phrygia,Lycaonia,Galatia,Cappadocia,Cilicia,Colchis,Armenia minor cum omni apparatu belli piratici,& copiis omnibus,quae ſub Lucullo meruerant, bellumq. Mithridaticum,quod Lucullus iam annis ſeptem geſſerat,committeretur, Plutarchus in Pompeio, Appianus in Mithridatico,Dio lib. 36. Hanc legem promulgatam Q. Catulus & Hortenſius uiri conſulares de more diſſuaſerunt,

Cicero praetor ſuaſit oratione, quae pro lege Manilia exſtat. qua bellum Mithridaticum,& genere neceſſariũ, & magnitudine periculoſum, Cn. Pompeio,in quo ſumma eſſet ſcientia rei militaris,uirtus,auctoritas, & felicitas,traſmittendum eſſe perſuaſit. Eodem anno A. Cluentius Habitus, ueneficij a T. Atio accuſatus, a Cicerone praetore apud Q. Voconium defenſus fuit. Veneno ſuſtuliſſe,cum alios nonnullos,tum Oppianicum uitricum ſuum arguebatur. ſed Cicero,antequam ad hoc crimen ueniat Cluentium longa defenſione primum de falſa infamia purgat. Cum enim Oppianicus ante annos octo Lucullo & Cotta COS. ut ſupra demonſtrauimus,a Cluentio accuſatus & condemnatus eſſet, defenſor eius L. Quinctius rem in inuidiam adduxit, cum diceret,pecuniam in iudicio fuiſſe uerſatam: &,cum incertum eſſet,ex qua parte eſſet profecta,populus R. non credidit ab Oppianico datam,quia damnatus erat, & errore multorum in falſo crimine Cluentius fuit,ut ſcribit Aſconius in Verr.2 Hoc tempore Ciceronem etiam pro M. Fundanio, & Q. Gallio dixiſſe, Carolus Sigonius in Fragmentis Ciceronis annotauit: ſed de oratione pro Gallio diſſentio. M. Ciceronem etiam, cum praetura fungeretur ſcholam M. Antonij Gniphonis frequentaſſe, Tranquillus de illuſtrib. Grãmaticis auctor eſt. Cum P. Vatinius,patronus aſper,& magiſtratuum contemptor, ſtrumis oppletum collum haberet, ac coram a Cicerone praetore aliquid peteret,idq. ille non concederet,ſed diu deliberaret, dixit; ea de re ſe, ſi praetor eſſet,nihil dubitaturum. cui Cicero, At ego tantum collum nõ habeo. Extremo menſe huius anni, cũ Ciceroni adhuc biduum,aut triduũ praeturae ſupereſſet, Manilium quidam de pecuniis repetundis apud ipſum poſtulauit. Studebat Manilio populus,quod propter Pompeium,cui amicus erat, accuſari uideretur. cũ igitur Manilius unum diem petiiſſet, ac Cicero tantum inſequentem dediſſet,populus indigne tulit: quod mos eſſet,ut decem minimum dies praetores reis darent. quare productus in concionem a tribunis pl. ibiq. accuſatus, cũ rogaſſet,ut audirent,dixit, ſe, qui in reos ſemper,quantum leges permitterent,comis,& humanus fuiſſet,indignum iudicaſſe,non eundem ſe Manilio praeſtare.itaque ei diem,quem unum praetor in ſua poteſtate haberet,dedita opera praefiniuiſſe:cum non ſit eius,qui rei cauſſam adiuuare uelit,ad alium magiſtratũ iudiciũ reiicere. hac oratione animi populi ita commutati ſunt,ut Ciceronem laetis acclamationibus proſecuti rogarent, ut Manilij patrociniũ ſuſciperet. quod ille praeſertim ob Pompeium abſentem cupide recepit: magnaq. ui orationis in ſtudioſos potentiae paucorum & Pompeij inuidos inuectus eſt. Hactenus Plutarchus. Dio aũt de eadem re in hanc ſententiam ſcribit: Cum homines nobiles Manilio accuſationẽ comparaſſent,isq. in hoc incumberet,ut dies ſibi prorogaretur, Cicero praetor & quaeſtionis iudex praeter alia,quae contra Manilium fecit,uix in poſterum diem iudicium diſtulit, anni & praeturae exitum praetexens. quod cum multitudo indigne ferret, in concionem uenit, coactus a tribunis pl. ſenatumq. inſectatus Manilij cauſſam defenſurum ſe promiſit. Sed,quo minus hoc iudicium fieret, Dio tumultum in cauſſa fuiſſe ait. quem breui expediam. Comitia conſularia hoc anno habente L. Volcatio Tullo, conſules deſignati fuerunt P. Autronius Pætus & P. Cornelius Sulla. deſignatos iam L. Cotta & L. Torquatus lege Calpurnia de ambitu,de qua diximus, accuſarunt & damnarunt,atque ad ſe magiſtratum tranſtulerunt,ut Cicero in Orat. in toga, Aſconius, Salluſtius, & Dio teſtantur. Cicero quoque lib.2. de finib. ait, L. Torquatum adoleſcentulum eripuiſſe P. Sullae conſulatum,& ad patrem ſuum retuliſſe. Eodem tempore Catilina,cum de prouincia Africa deceſſiſſet petiturus conſulatum,pecuniarum repetundarum reus factus prohibitus fuit petere, auctore Salluſtio & Aſconio. Tum contra rẽp. coniurauerunt pauci: in quibus a Salluſtio P. Autronius, L. Catilina & Cn. Piſo numerantur. Dio & Suetonius illis addunt P. Sullam,nec diſſentit lib. 101. quo nomine Sulla poſt annos quattuor a L. Torquato accuſatus ab Hortenſio & Cicerone defenſus fuit. Hi circiter nonas Decemb. conſilio communicato, parabant in Capitolio Kal. Ian. Cottan & Torquatum COS. interficere. ea re cognita,in nonas Feb. conſilium caedis tranſtulerunt. ſed neque tum caedes facta eſt, quod Catilina ſignum coniuratis prius, quam parati eſſent, dederit, Salluſtius & Aſconius.

Anno urbis DCXXCIIX, Ciceronis XLII. COSS. fuerunt

L. AVRELIVS. COTTA, L. MANLIVS. TORQVATVS

HORVM conſulum meminit Cicero Agraria ſecunda, & in Catil. 3. his uerbis: Memoria tenetis,Cotta & Torquatos COS. complures in Capitolio turres de caelo eſſe percuſſas, cum & ſimulacra deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuae ueterum hominum deiectae,& legum aera liquefacta. tactus eſt etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus. &c. Eadem prodigia Cicero in ſecundo de conſulatu Vraniam Muſam narrantem fecit uerſibus elegantiſsimis,qui exſtant lib. 1. de Diuinat. de iiſdem Obſequens, & Dio lib. 37. M. Tullius ex praetura in prouinciam ire noluit,ut ipſe pro Murena teſtatur: ſed, cum anno ſequente conſulatũ petere cogitaret,hoc tẽpore prenſabat. qua de re agit in epiſt. 1. ad Att quam hoc anno ante comitia conſularia Attico ſcripſit. His conſulibus Cicero C. Cornelium de maieſtate apud Q. Gallium praetorem quatriduo defendit. quas actiones in duas orationes collatas edidit, auctore Aſconio, apud quẽ reliquiae orationum exſtant. Eodẽ anno,ut Dio li. 37. ſcribit, C. Papius tribunus pl. legẽ tulit,ne quis peregrinus in urbe eſſet. hinc Cicero lib. 3. de Officiis: Male ẽt qui peregrinos urbibus prohibent, eosq. exterminant, ut Pennus apud patres noſtros,Papius nuper. hanc legem Papiam nominat idem pro Archia. eandem intelligit in agraria prima, cum inquit: Simillime,atque in illa lege,qua peregrini Roma eiiciuntur, Glaucippus excipitur. Hoc quoque anno Catilina accuſatus eſt repetundarũ a P. Clodio adoleſcẽte, Cicero pro Coelio,& Aſconius. Reo de pecu-

niis repetundis Catilinae aduocatus fuit Torquatus conſul,pro Sulla. Clodius accuſator a Catilina pecuniã accepit,ut turpiſsime praeuaricaretur, de haruſp.reſp.

Anno urbis DCXXCIX. *Ciceronis* XLIII. COSS. *fuerunt*

L. IVLIVS, CAESAR. C. MARCIVS. FICVLVS

HOS conſules nominat Cicero pro Sulla, ijſdem ſe filiolo auctum ſcribit lib. 1. ad Att. Quia uero annus XLIII. legibus Romanis conſularis fuit, ut Cicero Philip. 5. oſtendit, ideo Cicero hoc anno conſulatum petiuit. de quo pro Coelio inquit: Deinceps fuit annus, quo ego conſulatum petiui. In conſulatus petitione ſex competitores Cicero habuit, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, C. Antonium, L. Caſsium Lõginum, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. de quibus Aſconius in orat. in toga cand. & Q. Cicero de petitione COSS. Cum autem in dies licentia ambitus augeretur propter praecipuam Catilinae & Antonij audaciam, cenſuerat ſenatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. cui rei cum Q. Mucius Oreſtinus tribunus pl. interceſsiſſet, grauiter ſenatu interceſsionem ferente, Cicero ſurrexit, atque in coitionem Catilinae & Antonii inuectus eſt, habita oratione in toga candida. Vtebatur enim hoc tempore magiſtratum petens cãdida toga, qua Polybius lib. 10. τήβενναν λαμπρὰν nominat. Catilina, iam conuocatis ijs, quibus maxima neceſsitudo, & plurimum audaciae inerat, conſilium ſuum expoſuerat. quod per Fuluiam in uulgus prolatum inprimis ſtudia hominum accendit ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni, ut Salluſtius ſcribit. Itaque, ait Aſconius, Cicero conſul omnium conſenſu factus eſt: Antonius pauculis centuriis Catilinam ſuperauit. & ipſe in Piſonem: Me cuncta Italia, me omnes ordines, me uniuerſa ciuitas non prius tabella, quam uoce priorem conſulem declarauit. item Agraria ſecunda: Eſt illud ampliſsimum, quod hoc honore ex nouis hominibus primum me multis poſthabitis affeciſtis, quod prima petitione, quod anno meo: ſed tamen magnificẽtius, atque ornatius eſſe illo nihil poteſt, quod meis comitiis non tabellam uindicem tacitae libertatis, ſed uocem uiuam prae uobis indicem ueſtrarum erga me uoluntatum ac ſtudiorum tuliſtis. itaque me non extrema tribus ſuffragiorum, ſed primi illi ueſtri concurſus, neque ſingulae uoces praeconum, ſed una uoce uniuerſus populus R. conſulem declarauit. Hoc anno Ciceronem Q. Gallium de ambitu defendiſſe ut putem, Aſconius facit: qui in orat. in toga candida ſcribit, poſtea defenſum eſſe Gallium. Praetor fuerat anno ſuperiore: hoc uero tempore de ambitu accuſatus fuit, quod, praeturae candidatus cum eſſet, gladiatorium dediſſet, auctor Aſconius. Eodem anno illud memoria dignum accidiſſe Dio ſcribit, quod is, qui Sullae iuſſu Lucretium occiderat, & alius, qui multos proſcriptos interfecerat, rei inter ſicarios facti, & condemnati ſunt auctore inprimis Iulio Caeſare. ubi L. Bellienum, & L. Luſcium ſignificari, ex Aſconio in orat. pro Ligario ſcripſi, ubi Cicero ait, Sullanam crudelitatem a C. Caeſare eſſe uindicatam. Caeſar enim hoc anno in exercenda de ſicariis quaeſtione eos quoque ſicariorum numero habuit, qui proſcriptione ob relata ciuium Romanorum capita pecunias ex aerario ceperant, auctore Suetonio. Neque ſolum hoc praeter opinionem multitudinis accidiſſe Dio ait, uerum etiã quod Catilina, qui permultos a Sulla proſcriptos occiderat, in iudicium adductus & abſolutus fuit. atque hoc eſt illud iudicium, in quo Catilinae Torquatum non adfuiſſe, cum adeſſent ceteri, Cicero pro Sulla dicit. Catilinam a L. Lucullo reum inter ſicarios factum poſt repulſam, Aſconius ſcribit. Extremo huius anni menſe P. Seruilius Rullus tribunus pl. inito magiſtratu legem agrariam promulgauit, ut decemuiri ſummo cum imperio crearentur, qui in ſua poteſtate Italiam totam, Syriam uniuerſam, eaq. omnia, quae uirtute Pompeii recẽs imperio Romano adiecta erant, haberent; uenderent quidquid publicum populi R. eſſet; iudicarent de omnibus, de quibus ipſi uellent; exſules eiicerent, colonias deducerent, pecuniam ex aerario caperent, milites, quot opus haberent, conſcriberent & alerent. Haec capita legis agrariae Plutarchus in Cicerone recenſet: ipſe in orationibus plura habet, ſed quae huc pertineant.

Anno urbis DCXC. *Ciceronis* XLIV. COSS. *fuerunt*

M. TVLLIVS. CICERO. C. ANTONIVS

KAL. Ianuarii Cicero ſe remp. accepiſſe plenam ſolicitudinis, plenam timoris, in qua nihil eſſet mali, nihil aduerſi, quod non boni metuerent, improbi exſpectarent, ait Agrar. 2. Nam tribuni pl. ut Dio ſcribit, nacti Antonium moribus ſibi ſimillimum, partim liberos eorum, qui a Sulla proſcripti honorum petitione priuati erant, ad magiſtratus adducebant, partim P. Paeto, & Cornelio Sullae, qui cum ipſo damnatus fuerat, ſenatoriam dignitatem reſtituebant, atque ut magiſtratus gerere poſſent permittebant: alii nouas tabulas proponebant, alii legem ferebant de agris diuidendis per Italiam, & ditiones, quae populi R. imperio parebãt. Hactenus Dio. Multa Antonius collega Ciceronis, in rep. moliebatur. fauebat legi agrariae, & Catilinae familiaris ab eius conſiliis non erat alienus. quod Cicero pro Sextio & in Piſonem, Salluſtius, Plutarchus, & Dio ſignificant. Hunc igitur Cicero patientia & obſequio ſuo primum mitigauit, atque ita de lege agraria coepit agere. Kalendis Ianuarii inito conſulatu ſenatum & bonos omnes legis agrariae, maximarumq. largitionum metu liberauit, ut ipſe in Piſonem ait. Tum primam orationem conſularem habuit in ſenatu, ep. 1. lib. 2. ad Att. atque haec eſt oratio prima contra Rullum, cuius pars exſtat, in qua diſputat cõtra uenditionem rerum publicarum,

emptionem agrorũ,& deductionem coloniarum. Hac oratione Plutarchus auctores legis ita perterritos fuiſſe ait,ut nihil contra dixerint. cum deinde iidem conſules in concionem uocarent,Cicero populo R.diſceptatore uti non dubitauit: ſed,cum ſenatum ſe ſequi iuſsiſſet,progreſſus. ſecũdam orationem cõſularem ad populum de lege agraria dixit. in qua legem Seruiliam antiquandam eſſe ſuadet, quod per eam Rullus ſimulatione largitionis tyrannidem conſtituat: cum & decemuiris creandis libertatem populo eripiat,& in agrorum uenditione atque emptione,coloniarumq. deductione tyrannicam poteſtatem ipſis permittat. Hac oratione Plutarchus ait Ciceronem non modo legem eieciſſe,uerumetiã tribunos in deſperationem reliquorum,quae moliebantur,conieciſſe. Huc acceſſerunt duae orationes breues, quaſi ἀποσπασμάτια legis agrariae, ut ſcribit ad Att.epiſt.1.lib.2.harum una,quae contra Rullum ad populum tertia legitur, breuiſsima exſtat. qua ſe defendit contra accuſationem tribunorum,qui Ciceronem,gratificantem Sullanarum aſsignationum poſſeſſoribus, agrariae legi obſiſtere criminati erant. Ita factum eſt,ut,Cicerone dicente,legem agrariam,hoc eſt alimẽta ſua abdicauerint tribus,ut Plin.lib.7. c.30. ait. Quanta uis dicendi & eloquẽtia in Cicerone fuerit, Plutarchus in eo quoque declaratum fuiſſe ait, quod in illius conſulatu circa ſpectacula euenit. L. Roſcius Otho legẽ theatralem Piſone & Glabrione COS. tulerat, ut ſupra demonſtrauimus. quam plebs ad ignominiam ſuam pertinere cenſuit: ideoq. Roſcium in theatro ſibilis conſectata eſt,cum equites contra illum plauſu exceperũt. ſublato deinde maiore hinc ſibilo,inde plauſu,conuicia,& tumultus tota cauea cõſecutus eſt. quo audito M. Tullius in theatrum uenit, & populum in aedem Bellonae euocatum reprehendendo, & admonendo caſtigauit. Hanc orationem conſularem tertiam de Othone appellat lib.2. ad Att.qua effectum eſt, ut Roſcio theatralis auctori legis plebs ignouerit, & notatam ſe diſcrimine ſedis aequo animo tulerit,ut Plinius lib.7.c.30. teſtatur: Plutarc.uero ſcribit,plebem ex aede Bellonae in theatrum reuerſam Othoni magnum plauſum dediſſe,& de ornando uiro equeſtri ordini nihil conceſsiſſe. Quarta oratio conſularis pro Rabirio exſtat,ſed imperfecta. Vnde orta haec cauſſa fuerit,diximus ſupra ad annum DCLIII, quo Saturninus occiſus fuit. hoc uero tẽpore C. Iulius Caeſar T. Labienum ſubornauit. qui C. Rabirio perduellionis diem diceret, ut Suetonius ſcribit,& Dio plurib.uerbis lib.37. Eſt autem perduellio ſummum imminutae maieſtatis crimen. de quo duumuiri a populo creati quaerere ſolebant. quod uetus lex apud Liuium lib.1.oſtendit. Itaque C. & L. Caeſares duumuiri in hac cauſſa creati,non a populo,ut moris erat; ſed a praetore,quod non licebat,Rabirium condemnarunt,ut Dio ſcribit. C.Caeſar,auctore Suetonio,ſorte iudex in reum ductus tam cupide cõdemnauit,ut ad populum prouocanti nihil aeque,ac iudicis acerbitas,profuerit. Populo appellato,comitia cẽturiata,quib. de perduellione iudicari ſolebat,in cãpo Martio habita ſunt:ubi cõſul Cicero C.Rabiriũ defendit,tũ quod ſenatus imperio paruiſſet,tũ quod fidẽ publicã nõ uiolaſſet,quã Marius ſine S.C.dare nõ potuiſſet. De hac cauſſa in Piſonẽ haec dixit: Ego in C.Rabirio perduellionis reo XL annis ante me conſulẽ interpoſitã ſenatus auctoritatẽ ſuſtinui contra inuidiã,atque defendi. Quincta oratio cõſularis fuit de proſcriptorum filiis. hi ſunt,quos Plut. in Cicerone ſcribit,lege Cornelia honoribus excluſos,cum neque infirmi,neque pauci eſſent,populum concitaſſe: ac iuſte quidem Sullae tyrannidem accuſaſſe, uerum alieno tempore remp. perturbaſſe. Dictator enim Sulla non ſolum inimicos ſuos proſcripſit, ſed eorum etiam filios petendorum honorum iure lege lata priuauit,auctores ſunt Plutarc.in Sulla, Paterculus lib.2.& Dionyſ.Halicarn.lib.8.qui addit,illis etiam aditum in ſenatum obſtructum fuiſſe. itaque petentibus illis,ut,lege Cornelia abrogata,capeſſendorum honorũ poteſtas ſibi fieret,Cicero conſul reſtitit. qua de re Quinctil.lib.11.c.1.& Cicero in Piſonem: Ego adoleſcẽtes bonos & fortes,ſed uſos ea condicione fortunae,ut,ſi eſſent magiſtratus adepti, reip. ſtatum conuulſuri uiderentur, meis inimicitiis, nulla ſenatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui. Hinc Plin. Ciceronem appellans, te orante,inquit,proſcriptorum liberos honores petere puduit. Sextam orationem conſularem M. Tullius ad Att.numerat,quam habuit,cum prouinciam in concione depoſuit. Prouincias ſenatus conſulibus lege Sempronia decreuerat Macedoniam,& Galliam ciſalpinam. Macedoniam,ut Dio ſcribit,Cicero,Galliã Antonius erat ſortitus. commutatis deinde prouinciis, Cicero pro illa hanc recepit, acceptamq in concione depoſuit. hinc in Piſonem, Ego,inquit,prouinciam Galliam ſenatus auctoritate,exercitu,& pecunia inſtructam,& ornatam,quam cum Antonio communicaui,(commutaui,fortaſſe rectius)quod ita exiſtimabam tempora reip.ferre,in concione depoſui, reclamante populo R. Interim L. Sergius Catilina arma per Italiam locis opportunis parabat; pecuniam ſua aut amicorum fide ſumptam mutuam Faeſulas ad C. Manlium centurionem portabat: denique plurimos cuiuſque generis homines adſciſcebat,& in proximum annum conſulatum petebat, ut Salluſtius. Cum omnia,ut conſul deſignaretur,Catilina moliretur,nihilq. intentatum relinqueret, M.Tullio referente,placuit ſenatui,ut ad poenam,quae ambitus crimini conſtituta erat,decem annorum exſulium adderetur. Haec Dio. Legem de ambitu ſe conſulem tuliſſe, Cicero quoque pro Murena aliquoties ſignificat. item in Vatinium: Atque illud etiam audire a te cupio,quare cum ego legem de ambitu ex S.C.tulerim,ſine ui tulerim,ſaluis auſpiciis tulerim,ſalua lege Aelia & Fuſia, tu eam eſſe legem nou putes? Cum Catilina, ut Dio tradit, hanc legem contra ſe ex S.C.latam putaret, manum quandam comparauit, & Ciceronem cũ aliis nonnullis principibus in campo comitiis interficere conatus eſt, ut ipſe confeſtim deſignaretur. Edicta comitia conſularia fuiſſe uidentur in ante diem XII Kal. Nouemb. qui nominatur in Catil. ſed, cum pridie eius diei Cicero Catilinae conſilia ad ſenatum detuliſſet, factum eſt S. C. ne poſtero die comitia haberentur, ut de iis rebus in ſenatu agi poſſet. Itaque poſtridie,inquit Cicero pro Murena, frequenti ſenatu Catilinam excitaui, atque eum de iis rebus iuſsi,ſi quid uellet,quae ad me allatae eſſent, dicere. atque ille, ut ſemper fuit apertiſsimus,non ſe purgauit,ſed indicauit, atque innuit. tum enim dixit, duo corpora eſſe reip. unum debile infirmo capite,alterum firmum ſine capite: huic,cum ita de ſe meritum eſſet,caput ſe uiuo non defuturũ. Hactenus

nus Cicero . idem eſt apud Plutarchum . Eo die,ideſt decimooctauo ante,quam primam Catilinariã Cicero dixit,ut Aſconius in orat.in Piſonem ſcribit,factum eſt S.C ut uiderent conſules, ne quid reſp.detrimenti caperet. de quo Salluſtius & Plutarchus . qui addit,hoc S.C.facto,Ciceronem res externas Q. Metello commiſiſſe,ipſi urbem curae fuiſſe . idem Cicero epiſt. 2. lib. 5.Fam.ſignificat . Comitiis, quod homines iam tũ coniuratos,ut pro Murena teſtatur,in campum deduci ſciebat,deſcendit in campum cũ firmiſsimo praeſidio fortiſsimorum uirorum,& cum lata inſigniq lorica,ut omnes boni animaduerterẽt,&,cum in metu, & periculo conſulem uiderent,id quod eſt factum,ad opem praeſidiumq. eius concurrerent . Tectus igitur praeſidio firmo amicorum,Catilinae tum,& Autronij copias,& conatum repreſsit,ut ait pro Sulla . Lorica,qua tectus Cicero in campum deſcendit,meminerunt Plutarc. & Dio . His comitiis Catilina repulſam iterum tulit : conſules declarati ſunt, D.Iunius Silanus , & L.Licinius Murena. Cum igitur nihil inquit Dio,Catilinae procederet, iuſsit coniuratos noctu in domum quandam conuenire . Fuit ea domus M.Porcij Laecae, in quã coniuratos nocte ea,quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Nouemb. Catilinae denunciatione conueniſſe,Cicero pro Sulla ait. tum Catilinae dies exeundi,tum ceteris manendi condicio,tum deſcriptio totam per urbẽ caedis atque incendiorum conſtituta eſt . quod a Cicerone orat. 1. & 2. in Catil. & a Salluſtio explicatur . Dixit ibi Catilina,paullulum ſibi etiam tum morae,quod Cicero uiueret . reperti ſunt duo equites R.qui ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucem Ciceronem in ſuo lectulos interfecturos pollicerentur,orat. 1. in Catil. Alter eorum C. Cornelius a Salluſtio & Cicerone pro Sulla nominatur . ei Salluſtius L.Vargunteium addit , qui ſenator , non eques fuit . Plutarchi libri Marcium & Cethegum habent . Dio neutrius nomen expreſsit . Cũ autem Cicero per Fuluiam de dolo,qui parabatur,uixdum etiam coetu illo dimiſſo,certior factus eſſet,domum ſuam maioribus praeſidiis muniuit,atque firmauit : excluſit eos, quos Catilina mane ad ipſum ſalutatum miſerat , Cicero in Catil 1. Salluſt.Plut.Appianus,& Dio . VI idus Nouemb. Cicero ſenatum in Iouis Statoris aedem , quae erat initio uiae Sacrae,qua ad palatiũ adſcenditur,conuocauit . uenit eodem Catilina, eoq. nullus ſenator aſsidere uoluit,ut Plutarchus ſcribit . & Cicero in Catil. 1. & 2. ait principes ordinis ſenatorij partem illam ſubſelliorum , ad quam ille acceſſerat,nudam,atque inanem reliquiſſe . Tum M. Tullius conſul,ſiue praeſentiam eius timens,ſiue ira commotus,orationem habuit luculentam , atque utilem reip. quam poſtea ſcriptam edidit,ait Salluſtius . Haec eſt prima oratio in Catilinam,& ſeptima conſularis, qua Catilinam emiſit, epiſt. 1. lib. 2. ad Atticum . Ego,inquit in Piſonem, L. Catilinam caedem ſenatus,interitum urbis non obſcure,ſed palam molientem egredi ex urbe iuſsi : ut a quo legibus non poteramus , moenibus tuti eſſe poſſemus . Plutarchus,Cicero eum urbe exire iuſsit : oportere enim inter ſe,qui uerbis, & illum, qui armis remp. gereret , murum intereſſe . Catilina igitur nocte intempeſta cum trecentis armatis,lictoribus & faſcibus imperij inſignibus adhibitis , ex urbe in Manliana caſtra profectus eſt . Poſtridie quam Catilina profugit , Cicero orationem ad populum habuit,quam octauam conſularem numerat epiſt. 1. lib. 2. ad Atticum . & eſt ſecunda Catilinaria , in qua orator gratulatur populo & reip. quod Catilina ex urbe ſit profectus,atque ad confirmandos animos bonorum ciuium,& infringendos coniuratos utriuſque partis copias inter ſe comparat . Poſtquam Romae compertum fuit,Catilinam in caſtra Manliana profectum eſſe , ſenatus Catilinam & Manlium hoſtes iudicauit . decreuit praeterea , uti conſules delectum haberent , Antonius cum exercitu Catilinam perſequi maturaret , Cicero urbi praeſidio eſſet,auctore Salluſtio . Catilina iam bellum gerente, cum eius ſocij in urbe relicti nondum eſſent deprehenſi,Cicero Mureaam conſulem deſignatum defendit , ut ex ipſa oratione, & pro Flacco apparet . Accuſarunt eum de ambitu Ser. Sulpicius,M. Porcius Cato,& Cn. Poſtumius . Sulpicius competitor eius fuerat,& repulſam tulerat . Catonem Plutarchus in eius uita ſcribit iuraſſe,accuſaturum ſe quemcumque pecuniam populo dare cognouiſſet : ideoq. Murenae nomen ab eo delatum eſſe,quod is pecunia effeciſſet,ut conſul cum Silano deſignaretur . Defenderunt Murenam Q Hortenſius, M.Craſſus, & M. Cicero . qui cum Hortenſium eloquentiae laude tum florentem ſuperare contenderet, nullam partem noctis conquieſcit,uſque eo,ut nimiis curis & uigilis afflictus inferior,quam ille, in actione uiſus fuerit . Haec Plutarchus in Cicerone,ut ego iampridẽ cõuerteram . ubi quod alij μὴ addunt,alij αὐτῇ pro αὐτῷ legunt,nullo modo probare poſſum . Interim P. Lentulus Sura legatos Allobrogum, qui Romam queſtum de auaritia magiſtratuum uenerant,ſollicitauit,eoſq. in Galliam ad ſuos ciues cum litteris miſit . Cicero omni re opera Q. Fabij Sangae patroni ciuitatis Allobrogum cognita,L.Valerio Flacco, & C.Pomptinio praetoribus impetrauit, ut in ponte Muluio per inſidias Allobrogum comitatus deprehenderent . Igitur IV nonas Decemb.cum aduespeRaſceret occulte eo profecti,tertia fere uigilia exacta, Allobroges cũ comitatu & litteris cõprehẽderũt, atq. ad Ciceronẽ cum iam diluceſceret deduxerunt . III nonas Cicero principes coniurationis ad ſe uenire iuſsit, & ſenatũ in aedẽ Concordiae uocauit . Ibi T. Vulturtij & Allobrogũ indiciis coniuratio omnis patefacta eſt. Intoductis in ſenatum indicibus,Cicero conſtituit C.Coſconium,M.Meſſallam, P Nigidium, Ap Claudium, qui omnia indicum dicta, interrogata,reſponſa perſcriberent . quod ipſe pro Sulla refert . Tum Lentulus, Cethegus,Statilius, Gabinius & Ceparius ex S.C. in cuſtodiam ſunt traditi . quae Cicero in Catil. 3 Salluſtius, Plutarchus, Appianus & Dio pluribus uerbis exponunt. Eo die ſenatus Ciceroni togato,non,ut multis, bene geſtae,ſed,ut nemini,conſeruatae reip.ſingulari genere ſupplicationis deorum immortalium templa patefecit, in orat.in Piſonem.eiuſdem ſupplicationis mentio eſt Catilin. 3. & 4. Philipp. 2. & 14. pro Sulla & epiſt.quarta lib. 15. Famil. Sub noctem progreſſus in concionem Cicero populo, qui frequens aderat,quidquid in ſenatu actum erat,expoſuit ea oratione,quae tertia in Catilinam exſtat,& nona conſularis numeratur epiſt. 1. lib. 2. ad Att. E concione Cicero,ut Plutarchus ſcribit,in domum uicini a populo deductus fuit,eo quod domi eius in operto ſacra Bonae deae a mulieribus & Veſtalibus fierẽt. ibi tum peracto ſacrificio,cum ignis in ara iã exſtinctus

ctus

ctus putaretur.magna flamma e cineribus in altum ſublata fuit, quo oſtento aliarũ mentes perculſae fuerunt, Veſtales Terentiam Ciceronis coniugem maritum adire,atque dicere iuſſerunt, Quae de patriae ſalute agere inſtituiſſet,ea exſequi ne dubitaret. Oſtenti huius mentio eſt quoque in Dionis hiſtoria lib. 37. Poſtero die, pridie nonas Decemb. indicibus praemia conſtituta fuerunt,ut Cicero in Catil.4. indicat. Nonis Decembr. cum Cicero conſul intelligeret paratos eſſe,qui Lentulum & Cethegum eriperent,diſpoſitis praeſidiis, & ſenatu conuocato,retulit quod de iis fieri placeret, qui in cuſtodiam traditi erant. Primus D. Iunius Silanus, quia conſul deſignatus erat,ſententiam rogatus, extremum ſupplicium in eos decreuit. Ei aſſenſi ſunt deinceps multi,donec ad Ti.Neronem ſententiae dictio peruenit. hunc cenſuiſſe Appianus ait,ut comprehenſi in uinculis haberentur,quoad Catilina bello profligatus eſſet. Caeſar deinde praetor deſignatus cenſuit, eos publicatis bonis in uinculis per municipia habendos. Huic ſententiae,ait Plutarchus, cum & aequitatis plena, & ab homine eloquentiſsimo dicta eſſet, momenti Cicero non parum addidit. ſurrexit enim, ac in utramque partem diſſeruit,partim illam Silani,partim hanc Caeſaris ſententiam defendens. Quibus uerbis ſummã quartae orationis in Catil. comprehendit. in qua Cicero de duabus ſententiis contrariis ita diſputat, ut non obſcure in ſeueriorem Silani inclinet, atque haec eſt decima oratio conſularis. quam in ſenatu nonis Decembr. habitam fuiſſe,ipſe epiſt.1.lib.2.ad Att.ſcribit. ut ſatis mirari nequeam,Siluium & Curionem affirmare illam orationem VII idus dictam fuiſſe. Caeſari deinceps omnes aſſenſos eſſe uſque ad Catonem, Appianus & Dio tradunt. Plutarchus ait,Q. Lutatium Catulum primum contradixiſſe. Inde M. Porcius Cato tribunus pl. deſignatus,adhuc admodum adoleſcens,paene inter ultimos rogatus ſententiam,tanta ui animi, atque ingenij inuectus eſt in coniurationem,ut ardore oris orationem omnium lenitatem ſuadentium ſocietate conſilij ſuſpectam fecerit. ſic impendentia ex ruinis, incendiisq. urbis,& commutatione ſtatus publici pericula expoſuit, ita conſulis uirtutem amplificauit,ut uniuerſus ſenatus in eius ſententiam tranſiret. Haec Velleius. Facto igitur S. C. in Catonis ſententiam,ſupplicium de Lentulo,Cethego, Statilio, Gabinio, Cepario in carcere ſumptum eſt. Atque ita M. Cicero ſuis conſiliis,ſuis laboribus,ſui capitis periculis,ſine tumultu, ſine delectu,ſine armis,ſine exercitu,quinque hominibus comprehenſis,atque confoſsis,incenſione urbem,internecione ciues, uaſtitate Italiam,interitu remp.liberauit,in orat.pro Sulla. Ad ueſperum cum Cicero,ut Plutarchus ſcribit,per forum ſe domum ſuam in palatium reciperet, non iam ſilentio ciues, neque ordine illum deducebant: ſed quocunque acceſſerat,omnes eum uocibus & plauſu excipiebant, & ſeruatorem,ac conditorem patriae appellabant. in foribus lampades,& faces accenſae uicos & angiportus clariſsima luce colluſtrabãt. pro tectis mulieres ſtabant,ut eum uirum honorarent & ſpectarent, qui clariſsimis uiris comitatus tanto ſplendore per forum aſcenderet. Atque haec facta ſunt nonis Decemb. quas Cicero ſemper in ore habebat, ut ſcribit Brutus ad Att. uide epiſt.9. lib.1. fam.epiſt.16.lib.1. & epiſt.1.lib.10. ad Att. In conſulatu M.Tullius legem de legationibus liberis tulit,ne,ſicut antea, infinitum, ſed annuum tempus earum eſſet,lib.3. de legibus. Tulit etiam legem,quae uetabat gladiatores biennio,quo quis peteret, aut periturus eſſet, dare, pro Sextio. Eodem anno Cicero conſul L. Luculli currum triumphalem paene in urbem introduxit,in Lucullo. Eodem conſule referente,primum decem dierum eſt ſupplicatio decreta Cn. Pompeio Mithridate interfecto, confectoq. Mithridatico bello,in orat. de prouinciis COSS. Hactenus conſulatum Ciceronis deſcripſimus. de quo M. Craſſus ita dixit,Se,quod eſſet ſenator,quod ciuis, quod liber, quod uiueret,Ciceroni acceptum referre. quoties coniugem,quoties domum,quoties patriam uideret,toties ſe beneficium eius uidere,epiſt.11. lib.1. ad Att. Maxime uero conſulatum hunc Cn. Pompeius probauit: qui ut Ciceronem primum decedens ex Syria uidit,complexus & gratulans,eius beneficio patriam ſe uiſurum eſſe dixit,Philip.2. Idẽ uir abundans bellicis laudibus Ciceroni multis audientibus hoc tribuit, ut diceret, fruſtra ſe tertium triumphum deportaturum fuiſſe,niſi eius in remp. beneficio, ubi triumpharet, eſſet habiturus, lib.1. de Officiis. Ciceronẽ praeterea Q.Catulus princeps ſenatus,& auctor publici conſilij frequentiſsimo ſenatu parentem patriae nominauit,in Piſonem. Neque ſolum Catulum,uerumetiam multi alij ſaepe in ſenatu Ciceronem patrem patriae nominarunt,ut ipſe teſtatur pro Sextio. in his Plutarchus numerat Catonem. de quo Appianus: Cum Cato Ciceronem patrem patriae appellaſſet,populus acclamauit: atque,ut quibuſdam placet, haec appellatio primum Ciceroni tributa, inde ad imperatores peruenit. Hinc Iuuenalis ſat.8. Roma parentem, Roma patrẽ patriae Ciceronem libera dixit. & Plin. lib. 7. cap. 30. M. Tullium ſic affatur: Salue primus omnium parens patriae appellate. De Cicerone L. Gellius uir clariſsimus in concione dixit,ſi ille conſul,cum fuit, non fuiſſet, remp. funditus interituram fuiſſe, poſt red.ad Quirites. Idem ciuicam coronam Ciceroni deberi a rep. dixit, in Piſonem. uide Gell. lib.5. cap. 6. Cum extremis diebus anni huius noui tribuni pl. (qui a.d. IV. id. Decembr. magiſtratum inibant,ut ſupra ad annum DCXXCVI demonſtrauimus) res eas, quas Cicero conſul geſſerat,uexare cuperent,ille P. Sextium Capua accerſiuit cum eo exercitu,quem tum ſecum habebat: cuius aduentu tribunorum conatus ſunt retardati,Cicero pro Sextio. Hos tribunos Plutarchus Metellum & Beſtiam nominat: ſed L. Calpurnius Beſtia tribunatu iam V id.abierat,quod Mannuccius, & Corradus ex Salluſtio monuerunt. Quinctus autem Metellus Nepos nouus tribunus pridie Kal.Ianuarij Ciceronem conſulem abeuntem magiſtratu concionis habendae poteſtate priuauit. cuius iniuria Ciceroni tamẽ honori ſummo fuit. nam, cum illi nihil ei,niſi ut iuraret, permitteret, magna uoce iurauit uériſsimum, pulcherrimumq. iuſiurandum: quod populus item magna uoce ipſum uere iuraſſe iurauit, epiſt.2. lib.5. Fam. Iurauit autem ſe patriã conſeruaſſe,ut Plutarchus,& Dio ſcribunt, & ipſe Cicero in Piſonem, Ego, inquit, cum in concione abiens magiſtratu dicere a tribuno pl. prohiberer,quae conſtitueram,cumq. is mihi tantummodo, ut iurarem,permitteret: ſine ulla dubitatione iuraui,Remp. atque hanc urbem mea unius opera eſſe ſaluam. mihi populus R.

uniuerſis

uniuerſus illa in concione non unius diei gratulationem,ſed aeternitatem,immortalitatemq. donauit, cũ meũ iuſiurandum tale,atque tantum iuratus ipſe una uoce,& conſenſu approbauit. quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus,ut nemo, niſi qui mecum eſſet,ciuium eſſe in numero uideretur. Huius frequentiae,qua abiens conſulatu domum fuit reductus,mentio eſt in epiſt.13. lib. 1. ad Att.

Anno urbis DCXXI, Ciceronis XLV. COSS. fuerunt

D. IVNIVS. SILANVS, L. LICINIVS. MVRENA

AB his conſulibus lata fuit lex Iunia Licinia. qua,ut leges trinundino die promulgarentur,poena adiecta cauebatur. Cicero Philip. 5. Vbi lex Caecilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi poenae recenti lege Iunia & Licinia? eiuſdem legis meminit in Vatinium,& ad Att.epiſt.9.lib.2.& epiſt.15.lib.4. Initio huius anni Catilina in agro Piſtorienſi a C Antonio proconſule cũ exercitu caeſus eſt,Salluſtius, Dio lib.37. Liuius lib. 103. Vicit eum proelio M. Petreius legatus Antonij. de quo Cicero pro Sextio. Victo Catilina Antonius laureatos faſces, ut Obſequens ſcribit, in Macedoniam prouinciam tulit. cui per biennium deinde praefuit. Quia uero Antonius in faſcibus inſignia laureae praeferebat, Imperator appellatus erat. qua de re ſcripſi in Ligarianam. Itaque Cicero epiſt.5. lib.5. famil. qua Antonio T Pomponium Atticum in Graeciam proficiſcentem hoc anno commendauit,Imperatori adſcribit. quod Paullus Mannuccius ſine cauſſa miratur. Metellus tribunus pl.a d. III. non.Ian.ut eſt epiſt.2.lib.5. famil.cum agere coepiſſet,non in ſenatu,ut uir doctus annotauit,ſed ad populum,ἐν τῷ ὁμίλῳ,ut Dio loquitur, (fuiſſe autem diem comitialẽ uetus Kal.oſtendit) tertio quoque uerbo orationis ſuae Ciceronem appellabat,cum clamaret,non licuiſſe ei,Lentulum,Cethegũ, & reliquos ciues indicta cauſſa necare. atque hoc crimen uerbo Ciceroni, re ſenatui intendebatur, auctore Dione. Cicero Metello forti animo reſtitit,& orationem Metellinam contra concionem Metelli ſcripſit,cum ille prior ſcripſiſſet,epiſt.10.lib.1. & epiſt.12. lib.3. ad Att. Meminit Quinctil.lib.9.c 3. Gell.lib.18.cap.17. Priſcianus lib.9.& 10. Tunc etiam Metellus Celer,qui Galliam prouinciam pro conſule obtinebat, ad Ciceronem miſit epiſt.1.lib.5. famil. querens Nepotem fratrem ſuum ab eo oppugnatum. cui Cicero epiſt.2..reſpondet. Hoc anno ex indicio L. Vettij equitis R. qui de Catilinae ſociis in urbe remanſerant partim praeſentes,partim cum citati non reſpondiſſent,damnati ſunt,ut Dio ſcribit. in his fuerunt P Autronius, Ser. Sulla, L.Vargunteius,M.Porcius Laeca,C.Cornelius. quos Cicero in orat. pro Sulla nominat. dãnati ſunt lege Lutatia de ui publica. quod indicant haec uerba Ciceronis pro Coelio: Quam legem Q Catulus armata diſſenſione ciuium, reip. extremis paene temporibus tulit: quaeq. lex ſedata illa flamma conſulatus mei, fumantes reliquias coniurationis exſtinxit. Tum L.Torquatus,qui P.Cornelio Sullae cõſulatum ante triennium eripuerat,eiuſdem nomen de duplici coniuratione detulit. de priore,quae L.Tullo,M'. Lepido COSS. inita fuit, Q.Hortenſius, de poſteriore Cicero, qui illam anno ſuperiore oppreſſerat, defendit oratione illa, quae pro P.Sulla exſtat. quam hoc tempore,condemnatis aliis coniuratis,habitam eſſe,illa uerba argumento ſunt: Seueritatem iudiciorum,quae per hos menſes in homines audaciſsimos facta eſt, lenitate, ac miſericordia mitigate. Huc accedit,quod homines docti tribunum illum,quem Cicero ad lugendos cõiuratos ex illis relictum uideri ait,Metellum Nepotem eſſe non ſine cauſſa putant. Eodem tempore,cum Sulla reus eſſet,domũ Cicero in palatio emit,ut Gell. ſcribit lib.12.c.12. Domus emptae a ſe meminit epiſt 10. lib.1. ad Att.quã ſcripſit menſe Ianuario anni ſequentis. quare non dubito,quin extremo huius anni menſe,cum Q.Fuſius Calenus tribunatum pl. iniuiſſet,Cicero ſcripſerit epiſt.6. lib.5. Famil. ad P. Sextium. qui cum anno ſuperiore C.Antonij conſulis quaeſtor fuiſſet, hoc anno proquaeſtor cum eodem in Macedonia erat. uide orat. pro Sextio. Cn. Pompeius confecto iam bello Mithridatico litteras publice miſerat. in quibus quod gratulationem de rebus a ſe in urbe geſtis praetermiſerat,Cicero cum eo expoſtulat epiſt.7. lib.5. Famil. P.Clodius Ap.F. adoleſcens,audax & inſolẽs Pompeiae uxoris C.Caeſaris amore captus,extremo hoc anno,cum Bonae deae in domo Caeſaris pro populo fieret, in opertum cũ ueſte muliebri uenit. ſperans ſe, quod imberbis eſſet, clam ingreſſum ad Pompeiam peruenturum. Sed,dum in amplis & laxis aedibus oberrat,ab Aureliae matris Caeſaris ancilla conſpicitur,nomenq. rogatus,cum ſe Auram pediſequam Pompeiae quaerere dixiſſet,ex uoce agnoſcitur,& a mulieribus in cubiculo ancillae,cum qua domum ingreſſus erat,deprehenditur,atque foras eiicitur,ut Plutarchus in Cicerone & Caeſare ſcribit. Cicero in orat. de haruſp. reſp. ait,illum ancillarum beneficio emiſſum eſſe. tu uide epiſt.10. lib.1. ad Att.

Anno urbis DCXCII, Ciceronis XLVI. COSS. fuerunt

M. PVPIVS. PISO, M. VALERIVS. MESSALLA

P. Clodij facinore patefacto,a uirginibus & pontificibus id nefas eſt decretum. Caeſar deinde uxori nuncium remiſit,& Clodium tribunus pl. accuſauit,auctore Plut.in Caeſare. Accuſatorem Clodij Cicero de haruſp reſp. Lentulũ nominat. Clodiũ inceſti crimine a trib. Lentulis accuſatũ fuiſſe,Valerius lib 4.c.2.tradit. De Clodij iudicio uide epiſt.13. lib.1. ad Att.in eo M. Tullius teſtis productus, cum Clodius crimen ita refelleret,ut diceret,ſe illa nocte non Romae,ſed longe ab urbe Interamnae apud Caſsiniũ Scholã fuiſſe, Cicero contra pro teſtimonio dixit,illum ad ſe domum ueniſſe,& de quibuſdam rebus egiſſe. id quod uerum erat, Plutarchus,Cicero pro domo,& Milone,ibidemq. Aſconius,Quinctilianus lib.4. cap.2. Valerius lib.8. cap.5.

Abſoluto Clodio Cicero cum eo idib. Maij in ſenatu contendit, epiſt.13.lib.1.ad Att. Hoc anno Q. Tullius Cicero M.frater praetor fuit: cũq. praetores prouincias ſortirentur, Q. Ciceroni Aſia obtigit, epiſt.12. lib.1. ad Att. Obtinuit eam prouinciam per triennium, cum L. Valerio Flacco ſucceſsiſſet, ut ex orat. pro Flacco intelligitur. Eodem anno cenſores creatos fuiſſe, & luſtrum condidiſſe, ex lib.1. ad Att. & Dionis lib. 37. ſatis notum eſt. Ante hos cenſores Ciceronem pro Archia dixiſſe, haec uerba orationis, quae ex tanto numero interpretum nemo adhuc expoſuit, arguũt: Eſt enim obſcurum, proximis cenſoribus hũc cum clariſsimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuiſſe, ſuperioribus cum eodem quaeſtore fuiſſe in Aſia, primis Iulio & Craſſo nullam populi partem eſſe cenſam. L. Iulium Caeſarem, & P Licinium Craſſum cenſores fuiſſe primos poſt datam ciuitatem Archiae, anno DCLXIV diximus. Tertio anno poſt L. Marcius Philippus, & M. Perpetna cenſores luſtrum LXVI fecerunt. quo tempore Archias in Aſia fuit cum Lucullo quaeſtore, qui per multos annos admirabili quadam laude prouinciae praefuit, Cicero in Lucullo. Cenſura deinde intermiſſa fuit uſque ad annum urbis DCXXCIII, quo L. Gellius, Cn. Lentulus luſtrum LXVII fecerunt, cum Lucullus in Aſia bellum contra Mithridatem adminiſtraret. atque hi cenſores proximi ante Ciceronis conſulatum cenſum egerunt. Nam, qui Cotta & Torquato COS. creati fuerunt, propter diſſenſionem abdicarunt: illi autem, qui anno inſequenti iis ſucceſſerunt, intercedentibus tribunis pl. nihil agere potuerunt, auctor Dio lib.37. Itaque M. Tullius poſt conſulatum ante cenſores, qui hoc anno creati fuerunt, A Licinium Archiam, cui Gracchus quidam ciuitatis controuerſiã mouerat, defendit illa oratione, quae exſtat. in qua primo eum ciuem eſſe probat: deinde reliqua oratione ornat, ut ciuitate Romana dignum eſſe demonſtret. Corradus ex epiſt 13. lib.1. ad Att. putat, Ciceronẽ pro Archia dixiſſe Metello & Afranio COS. ſed qui, quod inchoauit, nondum perfecit, nihil ſcripſiſſe uideri poteſt. Eodem anno C. Pomptinius, qui ſuperiore in Galliam ulteriorem ex praetura miſſus erat, Allobrogas domuit, ut copioſe Dio lib. 37. narrat. Meminit Cicero in orat. de prouinciis COSS. & Liuius lib. 103. Nonis Dec. Cicero ad Att. ſcripſit epiſt. 14. lib. 1.

Anno urbis DCXCIII, Ciceronis XLVII. COSS. fuerunt

Q. CAECILIVS. METELLVS. CELER, L. AFRANIVS

De his conſulibus Cicero lib.1. ad Att. Primis huius annis menſibus Tullius in urbe fuit, epiſt. 15. & 16. lib.1. ad Att. effecitq. ne Q. fratri in Aſia ſuccederetur, epiſt.1. lib. 1. ad fratrem. L Flauius tribunus ſpl. legem agrariam auctore Pompeio promulgauit de agris diuidendis militibus Pompeij, & plebi. de qua Cicero lib.1. ad Att. & Dio lib. 37. qui ſcribit Metellum conſulem tum a Flauio in carcerem ductum fuiſſe. unde Cicero epiſt.1. lib. 2. ad Att. nunc conſule in carcere incluſo. P. Clodius, ut idem Dio ſcribit, tribunatus cupidus primum tribunos quoſdam ſubmiſit, qui legem ferrent, ut patriciis quoque eius magiſtratus capiundi poteſtas eſſet. quod ubi non perſuaſit, patriciatum iurauit, atque in concionem progreſſus ad plebem tranſiit. In hanc ſententiam Dio: Cicero uero epiſt. 15. lib. 1. ad Att. ita ſcribit: C. Herennius tribunus pl. ad plebem P. Clodium traducit: idemq. fert, ut uniuerſus populus in campo Martio ſuffragium de re Clodij ferat. Addit Dio: Clodius tribunatum ſtatim petiit: ſed creatus non eſt, Metello ei reſiſtente: qui & propinquus Clodij erat, & ea, quae ille agebat, non probabat. praetendebat uero, adoptionem more maiorum nõ eſſe factam: quia plebeius, niſi lege curiata, fieri nemo poſſet. apud Dionem, ἐν τῇ εἰσφορᾷ τοῦ στρατιωτικοῦ νόμου, mendoſe eſt pro, τοῦ φρατριατικοῦ, quod ex lib. 39 cognoſcitur. ubi, τὴν ἐσφορὰν τοῦ φρατριατικοῦ νόμου, de Clodij adoptione agens dicit. Clodio igitur tum frater Metellus, & concors ſenatus principi Cn. Pompeio ſententiam dicenti acerrime una uoce, ac mente reſtitit, Cicero de haruſp. reſp. Metellus etiam conſul incipientem furere Clodium, atque conantem ſua ſe manu interfecturum, audiente ſenatu, dixit, pro Coelio. Idib. Martiis huius anni Cicero Commentarium conſulatus ſui Graece compoſitum ad Atticum miſit, epiſt.16. lib.1. Miſit eundem Rhodũ ad Poſidonium, ut ornatius de iiſdem rebus ſcriberet. ille uero reſcripſit, ſe illud ὑπόμνημα cum legeret, non modo non excitatum eſſe ad ſcribendum, ſed etiam plane perterritum, epiſt.1. lib.2. ad Att. Ciceronem ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας Plutarchus in Caeſare adducit. Scripſit etiam Cicero de conſulatu ſuo uerſibus tres libros. Tertium poema exſpectato, inquit epiſt.16. lib.1. ad Att. & epiſt. 3 lib. 2. Sed me κατάκρισις mea illa commouet, quae eſt in libro tertio. Libro etiam primo de Diuin. Q. frater plures uerſus ab Vrania Muſa in ſecundo de conſulatu pronunciatos commemorat. quorum tres ex libris conſulatus Ciceronis Lactantius adducit libro 3. cap.17. De Prognoſticis, quae Atticum propediem exſpectare iubet epiſt.1. lib.2. quid dicam non habeo. Certe quae lib. 1. de Diuinatione ex Ciceronis prognoſticis adducũtur, Aratea ſunt, atque in Διοσημείοις Graece exſtant. Priſcianus quoque lib.10. 16. & 18. Ciceronem in Prognoſticis citat. uerum, quos adducit uerſus, ex Arato expreſsi ſunt. Poſt Idus Martij huius anni Cicero aliquandiu ruri fuit. Romam autem e Pompeiano ſe recepit a.d. IV. Id. Maij, epiſt. ult. lib.1. ad Att. kal. Iunij Antium profectus fuit, epiſt.1. lib.2. ad Att. Hoc anno Q. Metellus nepos praetor portoria Italiae lege lata ſuſtulit, auctore Dione. de portoriis Italiae ſublatis Cicero epiſt. 16. lib. 2. ad Att. Sub idem tempus, ut Dio ſcribit, Fauſtus Sullae F. in honorem patris munus gladiatorium, & magnificum epulum populo dedit: balneas etiam cum oleo gratuito praebuit. Hoc munus Fauſtum teſtamento patris debuiſſe, Cicero pro Sulla ait. Hoc eſt Fauſti adoleſcentis nobiliſsimi epulum magnificentiſsimum, ex quo Vatinium famem ſuam expleſſe, Cicero in interrogatione ait.

Anno

Anno urbis DCXCIV. Ciceronis XLIIX. OSS. fuerunt

C. IVLIVS. CAESAR, M. CALPVRNIVS. BIBVLVS

CVm C Antonio C. Octauius in Macedonia anno ſuperiore ſucceſsiſſet, ut cognoſcitur ep. 1. lib. 2. ad Att. Antonius hoc anno lege Lutatia de ui accuſatus eſt a M. Coelio, ut eſt in orat. pro Coelio. Antoniū apud C. Lentulum Claudianum (ſic lego ex libris olim impreſsis) reum factum eſſe a Q. Fabio Maximo, Cicero in Vatinium demonſtrat. ſed an de eodem crimine Coelius & Maximus accuſarint, mihi non conſtat. Hoc Dio lib. 37. ſcribit, Antonium de Catilinae coniuratione in iudicium adductum, propter male adminiſtratam prouinciam condemnatum fuiſſe. Cicero uero pro Coelio ait, Antonio nocuiſſe opinionem maleficii cogitati. Antonius condemnatus in Cephallenia exſulauit, auctore Strabone lib. 10. nec a M. Antonio fratris filio cum aliis exſulibus reſtitutus fuit, Philip. 2. De ſua defenſione Cicero pro domo ita inquit: Hora fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in iudicio, cum C. Antonium collegam meū defenderem, quaedam de rep. quae mihi uiſa ſunt ad illius miſeri cauſſam pertinere. haec homines improbi ad quoſdam uiros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. hora nona, illo ipſo die, tu es adoptatus. Hinc Suetonius in Iulio: Cicerone in iudicio quodam deplorante temporum ſtatum, P. Clodium, inimicum eius, fruſtra iampridem a patribus ad plebem tranſire nitentem, eodem die, horaq. nona traduxit. Tranſijt Clodius ad plebem adoptione, quae arrogatio dicitur. adoptatus fuit a P. Fonteio. contra quam adoptionem Cicero pro domo ſua diſputat. de eadem Suetonius in Tiberio: P. Clodius ob expellendū urbe Ciceronem plebeio homini, atque etiā natu minori in adoptionē ſe dedit. In hac adoptione Caeſar legem Curiatam tulit, Pompeius in auſpicio fuit, epi. 7. & 12. lib. 2. ad Att. Tullius menſe Aprili & Maio extra urbem Antij, in Pompeiano, Formiano & Arpinati in litteris uixit, ibiq. epiſtolam quartā & ſequentes uſque ad 18. lib. 2. ad Atticum miſit. Attico deinde in Epirum profecto, Cicero ſe ſe Romam recepit, & ea, quae inſequentibus epiſtolis leguntur, ad Atticum ſcripſit. Conſiliis publicis nullis, ut eſt ep. 23. intererat, totumq. ſe ad forenſem operam laboremq. contulerat. Tum A. Thermus bis Cicerone defendente abſolutus eſt, pro Flacco. Tum quoque L. Valerius Flaccus, qui ex praetura, quam Cicerone conſule geſſerat, Aſiam prouinciam obtinuerat, a D. Laelio repetundarum accuſatus, a Q. Hortenſio & M. Cicerone defenſus eſt. Ciceronis oratio exſtat: de Hortenſij defenſione uide epiſt. ult. lib. 2. ad Att. Hoc anno P. Vatinius, qui in Dionis libris πλάτιος ἀτίνιος non ſine mendo nominatur, tribunus pl. Caeſari conſuli in omni re obſecutus eſt, eaq. geſsit, quae a Cicerone in interrogatione in Vatinium reprehenduntur. Lege Vattinia Caeſari data in quinquennium fuit Gallia citerior cum Illyrico & tribus legionibus. quibus ſenatus Galliam ulteriorem cum alia legione adiecit, Dio lib. 38. Plutarchus, Suetonius & Oroſius lib. 6. cap. 7. In hoc imperio Caeſar Ciceronem ſibi legatum eſſe uolebat, lib. 2. ad Att. epiſt. 19. & ep. 18. A Caeſare, inquit, ualde liberaliter inuitor in legationem illam, ſibi ut ſim legatus. & de prouincijs cos. Me, ut ſibi eſſem legatus, non ſolum ſuaſit, uerum etiam rogauit. conſul Caeſar legem quoque agrariam tulit, de qua Dio ab initio lib. 38. Tulit praeterea, ut ager Campanus ijs, qui ternos pluresue liberos haberent, diuideretur, Suetonius & Velleius. Curatores etiam, qui agros diuiderent, conſtituit Vigintiuiros & ijs, qui plurimos honores geſsiſſent. atque ad eam rem quā maxime idonei eſſent, auctore Dione initio li. 38. Suetonius quoque in Auguſto, XXuiros agrum Campanum plebi Iulia lege diuiſiſſe ait. In his fuit Coſconius. quo mortuo Cicero in eius locum inuitatus fuit, epiſt. 19. lib. 2. ad Att. Sed Cicero XXuiratum repudiauit. quod Quinctilianus lib. 12. ca. 1. ſcribit. & ipſe epiſt. 2. lib. 9. ad Att. de Caeſare inquit, Repudiari ſe totum, magis etiam quam olim in XXuiratu, putabit. ac ſolet, cum ſe purgat, in me cōferre omnem illorum temporum culpam: ita me ſibi fuiſſe inimicum, ut ne honorem quidem a ſe accipere uellem. Paterculus quoque in commemoratione exſulii Ciceronis addit. Hoc ſibi contraxiſſe uidebatur Cicero, quod inter XXuiros diuidendo agro Campano eſſe noluiſſet. Hic ſcrupulū inijcit oratio de prouinciis cos. in qua Cicero ait, ſe a Caeſare fuiſſe rogatum, ut quinqueuiratum acciperet, eumq. ſe obſtinatione quadam ſententiae repudiaſſe. praeterea quinqueuiri nominantur epiſt. 7. lib. 2. ad Att. Sunt uiri doctiſsimi, in rebus Romanis cognoſcendis, multumq. uerſati, qui ſcribunt Caeſarem ad aeſtimationem agri Campani XXuiros creaſſe. ac praeterea quinque, qui aeſtimatum diuiderent. Dant illi quidem teſtem in hanc rem Dionem: ſed uerba, quibus hoc demonſtretur, in Graeca eius hiſtoria inuenire equidem adhuc nulla potui. Comitiis tribuniciis P. Clodius Pulcher tribunus pl. factus fuit, opera Caeſaris, ut ſcribit Dio, & Plutarchus in Caeſare. Etſi autem Pompeius Clodium omni cautione, foedere, exſecratione deuinxerat, nihil in tribunatu contra Ciceronem eſſe facturum, ut eſt pro Sextio: ille tamen in fide non manſit: ſed tribunus pl. factus continuo ſe in Ciceronem cōuertit. qua de re dicemus, ſi prius illud admonuerimus, hunc tertium fuiſſe annū imperij Q. Ciceronis in Aſia. quo ad duos priores adiuncto, M. Cicero epiſtolam illam pulcherrimam, quae eſt prima lib. 1. ad fratrem, miſit. in qua omnia praecepta bene adminiſtrandae prouinciae ita perſequitur, ut amplius nihil requiri poſsit. Eiuſdem anni ultimis menſibus ſcripſit epiſtolam ſecundam ad fratrem, ut ex ipſa cognoſcitur.

Annus urbis DCXCV. Ciceronis XLIX. COSS. fuerunt

L. CALPVRNIVS. PISO. CAESONINVS, A. GABINIVS

HI ſunt duo funeſti, non conſules, ſed latrones, atque euerſores reip. quos ſuis coloribus Cicero multis locis depinxit: ut in orat. poſt reditum, pro domo, pro Sextio, de prouinciis cos. in Piſonem, & alibi.

E His

His conſulib. ſedentibus, inſpectantibus, atque adeo adiuuantibus M. Tullius conſeruator patriae a ſceleratiſſimo tribuno pl. in exſulium eiectus eſt. Clodius enim, ut Dio lib. 38. ſcribit, ſperās facile ſe Ciceronem oppreſſurum, ſi prius ſenatum, equites & plebem ſibi conciliaſſet, quattuor leges, populares illas quidem, ſed reip. perniciosas, initio huius anni, quo Cicero in Piſonem ſignificat, tulit: unam, ut frumētum populo gratis daretur: alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo ſeruaret: tertiam de collegijs reſtituendis, nouisq. inſtituendis: quartam, ne quem cenſores in ſenatu legendo praeterirent, neue qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, & utriuſque cenſoris ſententia damnatus eſſet. Haec Aſconius in Piſonianam, Dio li. 38. & Cicero paſsim. Alias deinde rogationes idem Clodius uno eodemq. tempore promulgauit, unā de prouincijs conſulum nominatim, alteram de Ciceronis pernicie, ut ait pro Sextio. Pactus enim cum conſulibus, Gabinio Syriam, Babylonem, Perſas; Piſoni Achaiam, Theſſaliam, Graeciam, Macedoniam, omnemq. Boeotiā dedit, Cicero de prouincijs, & in alijs orat. Ad Ciceronis perniciem lex illa pertinebat, qua tulit, Qui ciuem R. indemnatum interemiſſet, ei aqua & igni interdiceretur: cuius uerbis etſi non nominabatur Cicero, tamen ſolus petebatur, inquit Paterculus lib. 2. idemq. ſcribit Dio lib. 38. atque iccirco Tullius hoc priuilegiū appellat. uide orat. pro domo. Reus igitur Cicero, ut Plutarchus ſcribit, ueſtem mutauit, & ſordidatus populo ſupplicabat. Clodius illi omnibus uicis occurrebat ſtipatus hominibus contumelioſis & temerariis: qui petulanter mutationem ueſtis, & habitum Ciceronis exagitantes, multisq. locis luto & lapidibus in eum coniectis, ſupplicationes impediebant. Cum Cicerone tamen primum omnis fere ordo equeſter ueſtem mutauit: eumq. nobiliſsimi adoleſcentes numero ad XX. millia ſordidati, deprecatores eius ſalutis, comitabantur. Deinde cum ſenatus frequens conueniſſet, ut ueſtem tamquam in publico luctu mutandam cenſeret, idq. conſules uetarent, & Clodius cum armis ad curiam uerſaretur, ſenatores non pauci e ſenatu, ueſtibus diſciſsis & clamore ſublato, ſe proripuerunt. Hactenus Plutarchus. Dio lib. 38. tradit, equites in Capitolium tunc conueniſſe, atque ad conſules & ſenatum miſiſſe legatos non ſolum e ſuo ordine, uerum etiam ſenatores duos, Q. Hortenſium & C. Curionem, qui pro Cicerone deprecarentur. Vnde Cicero pro Sextio ait, Cum incredibilis in Capitoliū multitudo ex tota urbe, cunctaq. Italia conueniſſet, ueſtem mutandam omnes, meq. omni ratione defendendū putarunt. erat tum ſenatus in aede Concordiae, & Gabinium conſulem, Piſone abſente orabat. equites quoque R. & omnes boni ueſte mutata ſe pro Ciceronis capite ad pedes Gabinij proiecerunt. quorum precibus ab illo repudiatis, uir incredibili fide, magnitudine animi, cōſtantia, L. Mummius ad ſenatum de rep. retulit, ſenatusq. frequens ueſtem pro Ciceronis ſalute mutandam cenſuit, pro Sextio. Dio hunc Mummium uocat L. Ninniū Quadratum, & ſcribit, eum populo auctorem fuiſſe, ut tamquam in aliqua publica calamitate ueſtem pro ſalute Ciceronis mutaret. Pro me, inquit Cicero poſt reditum ad Quir. ſenatus, hominumq. praeterea uiginti millia ueſtem mutauerunt. Sed conſules edixerunt, ut ad ſuum ueſtitū ſenatores redirent. uide orationes poſt reditum, pro domo, pro Sextio, & in Piſonem. Tum Gabinius L. Aelium Lamiam equeſtris ordinis principem relegauit, quod Dio lib. 38. dicit. ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλασε. meminit Cicero poſt red. in ſenatu, pro Sextio, in Piſonem, & ep. 16. lib. 11. Famil. Itaque Cicero non ſolum a conſulibus, uerum etiam a Cn. Pompeio proditus & derelictus, maluit urbe cedere, quam bonorum uitam ſeruis armatis obiicere. quod ipſe in orationibus non ſemel teſtatur. Habebat domi ſuae Mineruae ſignum, idq. lōgo tempore religioſiſsime coluerat. Cum autem ex urbe diſceſſurus eſſet, hoc ſinum in Capitolium delatum ibi dedicauit, & ſubſcripſit, MINERVAE CVSTODI VRBIS, Plutarc. & Dio. Haec eſt illa Minerua cuſtos urbis, de qua Cicero ep. 25. lib. 12. Fam. & lib. 2. de legib. Dio lib. 45. ἀθηνᾶν φυλακίδα nominat. Diſcedentem M. Tullium omnes boni fluentes proſecuti ſunt, ut ipſe pro domo ait. Ceſsiſſe urbe Ciceronem puto menſe Martio extremo. nam, ut ex Plutarchi Caeſare, & primo Commentario de bello Gallico intelligitur, cum Heluetios a. d. V. Kal. Aprilis de finibus ſuis exire conſtituiſſe, Caeſar cognouiſſet, maturauit ab urbe proficiſci, atque octauo die ad Rhodanum peruenit, neque tamen prius Caeſar ad exercitum abiit, quam Ciceronem per Clodium Italia expuliſſet, auctore Plutarcho. Vbi compertum fuit Ciceronem diſceſsiſſe, Clodius de exſulio eius ad populum tulit, atque edictum propoſuit, ut illi aqua & ignis interdiceretur, & ne intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto reciperetur. Haec Plutarchus in Cicerone. quibus gemina ſcribit Dio lib. 38. in eo tamē diſſentit, quod Ciceroni lege Clodia irrogatum fuiſſe ait, ne intra ſtadium tria millia ſeptingenta quinquaginta, id eſt, millia paſſuum CCCLXIX. fere, ab urbe illi eſſe liceret. Cicero epiſt. 4. lib. 3. ad Att. in lege hoc correctum fuiſſe ait, ut ſibi ultra quadringenta millia liceret eſſe. Dio hoc quoque legi adiectum fuiſſe tradit, ut ſi Tullius intra ſpatium definitū uiſus fuiſſet, & ipſe, & qui eum recepiſſent impune interficerentur. hinc Cicero pro domo: Poena eſt, qui receperit: quam omnes neglexerunt. Poenam neglectam fuiſſe, omnibus reuerētibus M. Tullium, comiterq. excipientibus & proſequentibus, Plutarchus quoque ſcribit. Clodius praeterea uillas Ciceronis eiecti inflammauit, & domū in palatio incendit, atque in area templum Libertatis exſtruxit, Plutarchus, Dio, & Cicero pro domo. Bona diripiebantur, atque ad conſules deferebantur. columnae marmoreae ex aedibus ad ſocrum Piſonis portabantur: in fundum autem Gabinii uicini conſulis, non modo inſtrumentum aut ornamenta uillae Tuſculanae, ſed etiam arbores transferebantur. Haec Cicero pro domo, poſt red. in ſenatu, pro Sextio, & in Piſonem. Templum Libertatis νεὼν ἐλευθερίας, Cicero lib. 2. de legib. templum Licentiae uocat. Pulſum M. Tulliū pedibus iter per Lucaniā Siciliam uerſus feciſſe, Plutarchus ſcribit. Naryce Locridis fuit VI. idus Aprilis, ibiq. ſcripſit epiſtolam ſecundam lib. 3. ad Att. Inde Cicero Vibonem uenit, quod eſt opidum Lucaniae ad fretum, & a Locris conditum prius Hipponium appellatum fuit, Strabo lib. 6. Caeſar. 3. de bello Ciuili. ibi, ut Plutarchus ſcribit, Vibius homo Siculus, qui cum alia multa commoda ex Ciceronis amicitia perceperat, tum eo conſule praefectus fabrum fuerat, illum in aedes quidem non recepit, ſed fundum ſe ipſi aſsignaturum denunciauit. Sic

uit.Sic

uit. Sic illa Plutarchi uerba, χωρίον δὲ καταγράψειν ἐπηγγέλλετο, ego iampridem conuerteram: cum praeſertim alibi quoque uerbum καταγράφειν pro attribuere, & aſsignare uſurpatum notaſſem. ut περὶ φιλαδελφίας: ἕτεροι δὲ, πολλάκις καὶ πέρναις οἰκίας καὶ ἀγρὸς καταγράφοντες, ὑπὲρ οἰκοπέδυ καὶ γωνίας πρὸς ἀδελφὸς διαμονομαχῦσι. Merito igitur Xylander noſter a Bocchij, & Corradi falſis interpretationibus diſceſsit. Cicero ſe ad Vibonē in fundo Sicae fuiſſe, ad Atticum ſcribit epiſt. 2. & 4. lib. 3. Siciliam, quam Cicero petebat, eo tempore obtinebat C. Virgilius (γάϊος οὐεργίνιος eſt apud Plutarchum) praetor. is Ciceroni ſcripſit, ne in Siciliam ueniret. quare, conſilio repente mutato, iter a Vibone Brundiſium terra petere contendit, ut ipſe pro Plancio narrat. In eo itinere III idus April. Thurij ſcripſit epiſt. 5. lib. 3. ad Att. & XIV Kal. Maij Tarenti ſequentem. eodemq. die ſe Brundiſium ueniſſe epiſt. 7. eiuſdem libri ſcribit. urbem ipſam ingreſſus non eſt, ſed in hortos M. Lenij Flacci ſe contulit, pro Plancio. Meminit etiam in Sextiana. Apud M. Lenium dies XIII fuit, epiſt. 4. lib. 14. Famil. Pridie kal. Maij, cum Brundiſio proficiſcens, Dyrrhachiū uento ſecundo tranſmitteret, atque aduerſus ex alto reflaſſet, reiectus eſt: deinde iterum in altum prouectus Dyrrhachium peruenit. ubi cum e naui in terram egreſſurus eſſet, terrae motum, & maris conuulſionem exſtitiſſe ferunt. unde haruſpices cōiiciebant, illius exſulium nō fore diuturnū, quod haec mutationis ſigna eſſent. Haec Plutarchus. Dyrrhachio aliquorū dierum uiam in Macedoniam, ad Plāciumq. perrexit, & cum eo Theſſalonicam X Kal. Iunij uenit, pro Plancio, & ep. 8. li. 3. ad Att. Theſſalonicae Cn. Plancius ſua liberalitatē Ciceronē per menſes ſeptē retinuit. quo tēpore plures epiſtolas ad Atticum ſcripſit, quae lib. 3. ab octaua uſque ad XXII leguntur. Interim Q. Cicero, cum iam Aſiam per triennium obtinuiſſet, de prouincia ante Kal. Maij deceſsit, epiſt. 9. lib. 3. ad Att. Itaque M. Cicero idib. Iunij ad eum miſit epiſt. 3. lib. 1. & deinceps ſequentem. Tertio no. Octob. Theſſalonica ad Terentiam uxorem miſit epiſt. 2. lib. 14. Fam. Redeamus nunc ad acta urbana. Cicerone expulſo, Clodius legem promulgauit de Ptolemaeo rege Cypri, ut bona eius publicarentur. & regnum in prouinciae formam redigeretur: idq. negotium M. Catoni mandatum eſt. quo de Cicero ſaepe, Plutarchus in Catone, Appianus lib. 2. Dio lib. 38. Kal. Iunij, ut eſt in orat. pro Sextio, decreuit ſenatus frequens de Ciceronis reditu, diſſentiente nullo, referente L. Mummio tribuno pl. interceſsit Aelius Ligus. Pōpeius quoque illo tempore ſe accuſans, ut Plut. ſcribit, quod Ciceronem prodidiſſet, de illius reditu, amicorum opera adiutus, agere coepit. Reſiſtente Clodio, placuit ſenatui, nihil in rep. decernere, nulla de re agere, niſi Cicero ab exſulio reuocaretur. Hinc Cicero pro Sextio: Omnia ſenatus reiiciebat, niſi de me primum conſules retuliſſent. & in Piſonem: An tum eratis conſules, cum, quacumque de re uerbum facere coeperatis, aut referre ad ſenatum, cunctus ordo reclamabat; oſtēdebatque, nihil eſſet uos acturos, niſi prius de me retuliſſetis? de eadem re uide epiſt. 24. lib. 3. ad Att. Initur deinde conſilium de interitu Cn. Pompeij, ait Cicero pro Sextio. quam rem Aſconius in Milonianam ſic exponit: Cum III idus Sext. Pompeius in ſenatum ueniſſet, dicitur ſeruo P. Clodii ſicam excidiſſe, eaq. ad Gabinium conſulem delata, dictum eſt, ſeruo imperatum a P. Clodio, ut Pōpeius occideretur. Pompeius ſtatim domū rediit. ex eo domi tenus. & Cicero pro Milone: Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſeruus P. Clodij, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat, extorta eſt confitenti ſica de manibus. caruit foro Pompeius poſtea, caruit ſenatu, caruit publico. Huc pertinet illud paradoxo 4. Ante ſenatum tua ſica deprehenſa eſt. & in Piſonem: Deprehenſus cum ferro ad ſenatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuiſſe conſtabat. Meminit etiam pro domo. Quarto Kal. Nouembris octo tribuni pl. de Ciceronis reditu legem promulgarunt: iiſdemq. referentibus P. Lentulus cos. deſignatus praeſtantiſsimam de Cicerone ſententiam dixit, pro Sextio, pro red. in ſenatu, & epiſt. 23. lib. 3. ad Att. Theſſalonica Cicero ſe Dyrrhachiū recepit: ibiq. VI Kal. Decemb. ſcripſit ad Terentiam epiſt. 1. lib. 14. Famil. & partem epiſtolae 22. lib. 3. ad Att. pridie kal. Decemb. inde miſit ad Terentiam epiſt. 3. lib. 14. & ad Attic. epiſt. 23. lib. 3. & deinceps quattuor reliquas eiuſdem libri. Exierunt deinde paludati in prouincias conſules, Piſo in Macedoniam, Gabinius in Syriam, Cicero pro Sextio. IV idus Decemb. noui tribuni pl. T. Annius Milo, P. Sextius, C. Sextilius, M. Ciſpius, T. Fadius, M. Curtius, C. Meſsinius, Q. Fabricius, Sex. Atilius Serranus, & Numerius Quinctius, magiſtratum inierunt, pro Sextio, & poſt reditum in ſenatu.

Anno urbis DCXCVI, Ciceronis L. COSS. fuerunt

P. CORNELIVS. LENTVLVS. SPINTHER, Q. CAECILIVS. METELLVS. NEPOS

PRAETORES eodem anno fuerunt L. Caecilius, M. Calidius, M. Septimius, Q. Valerius, P. Craſſus, Sex. Quinctilius, C. Cornutus, & Ap. Claudius Pulcher, Cicero poſt reditum in ſenatu. Kal. Ian. P. Lentulus, ſimulac de ſollemni religione retulerat, nihil humanarum rerum ſibi prius, quam de Cicerone, agēdum iudicauit. cum princeps rogatus ſententiam L. Cotta dixit, nihil de Cicerone actum eſſe iure, nihil more maiorum, nihil legibus: proptereaq. lege illi opus non eſſe. uerum Pompeius cenſuit, ut ad ſenatus auctoritatem populi beneficium adiungeretur. atque eo die confecta res eſſet, niſi Sex. Atilius tribunus pl. non auſus intercedere, noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſet. Haec Cicero poſt redit. ad Quirites, pro domo, pro Sextio, & li. 3. de legib. Poſtea res acta eſt in ſenatu alia nulla: & cum uariis rationibus impediretur, uoluntate tamen perſpecta ſenatus, cauſſa ad populum IIX Kal. Febr. fuit delata. quo die Clodiani, caede in foro maxima facta, flumine ſanguinis reditum Ciceronis interclude̅dum putauerunt, poſt redit. ad Quirites, & pro Sextio. Clodius. n. ut Dio lib. 39. ſcribit, illo die, cum lex ad populum ferretur, acceptus a fratre Appio gladiatoribus, quos ille in funere Marci propinqui ſui daturus erat, impetu in multitudinem facto, multos uulnerauit, multoſq. occidit.

Tum in foro tribuni pl. uulnerati fuerunt, & Q.Cicero inter cadauera tamquam occiſus iacuit, Plutarchus, & Cicero pro Sextio. Crudeliſsimae caedis eo tempore in foro factae mentio eſt etiam in Miloniana. Clodium Milo tum de ui poſtulauit: ſed in iudicium non adduxiſſe Dio ſcribit, quod nondum creati eſſent quaeſtores, per quos iudicum ſortitionem fieri oporteret, Neposq. Praetori edixiſſet, ne quod iudicium, antequam iudices ſorte deligerentur, fieri pateretur. quaeſtores autem niſi habitis prius comitiis aediliciis, quibus hac de cauſſa mora potiſsimum afferebatur, creari non poterant. In hanc ſententiam Dio: Cicero uero in Sextiana ait, conſulem, praetorem, tribunum pl. noua noui generis edicta propoſuiſſe: ne reus adeſſet, ne citaretur, ne quaereretur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum, aut iudiciorum facere liceret. Quare, cum Milo uideret iudicia eſſe ſublara, ne Clodius omnia ui poſſet efficere, curauit, inquit idem poſt red. in ſenatu. Emit enim gladiatores, ut Dio ſcribit. de quibus Cicero lib. 2. de officijs: Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis reip. cauſſa, quae ſalute noſtra continebatur, omnes P. Clodij conatus furoresq. compreſsit. ſenatus autem multo ante, quam lex de Ciceronis reditu fuit lata, gratias agendas cenſuit ciuitatibus iis, quae M. Tullium ciuem optime de rep meritum recepiſſent, pro domo in Piſonem, Parad. 4. & Plutarchus. Idem decreuit, ut, qui prouincias cum imperio obtinerent, qui quaeſtores legatiq. eſſent, ſalutem & uitam Ciceronis cuſtodirent, pro Sextio. Idem ad M. Tullii ſalutem auxilium omnium ciuium cuncta ex Italia, qui remp. ſaluã eſſe uellent, implorauit, in Piſonem. Factum enim S.C. fuit, ut litteris conſularibus cuncta ex Italia omnes, qui remp. ſaluam uellent, conuocarentur, pro Sextio, poſt redit. in ſenatu, & pro domo. Cum igitur Ciceronis capitis ſeruandi cauſſa Romam uno tempore quaſi ſigno dato Italia tota conueniſſet, Lentulus conſul ſenatum frequentiſsimum in Capitolium cõuocauit, in Piſonem, & poſt redit. in ſenatu. Ibi tum in templo Iouis opt. max. Q. Metellus Nepos C O S. qui Ciceroni uel maxime ex magnis contentionibus reip. fuerat inimicus, permotus cum auctoritate ſenatus, tum P. Seruilii incredibili grauitate dicendi, abſens cum M Tullio rediit in gratiã, poſt red. in ſenatu, pro Sextio, & de prouinciis C O S. hic cum mitiſsimam orationem in ſenatu habuiſſet, Cicero ad eum miſit epiſt. 4. lib 5. Famil. in qua ſtudium & auxilium eius implorat. Illo uero die, cum C D X. ſenatores, magiſtratusq. omnes in Capitolio adeſſent, Cn. Pompeius de ſcripto ſententia dicta, uni Ciceroni patriae conſeruatae teſtimonium dedit: cuius ſententiam frequentiſsimus ſenatus, uno P. Clodio diſſentiente, ſecutus, M Tulliũ ab exſulio reuocauit, poſt redit. in ſenatu, & pro Sextio. de hoc S.C. in aede Iouis Mariana facto, Cicero lib. 1. de Diuinat. & Valerius lib. 1. cap. 7. Faciebat eodem die ludos in theatro conſul. quo cum ipſe & ſenatores ſpectatum e ſenatu ueniſſent, S.C illud de Ciceronis reditu factum frequentiſsimo theatro, incredibili clamore & plauſu comprobatum eſt, pro Sextio, & lib. 1. de Diuinat. Poſtridie de Ciceronis ſalute P. Lentuli conſulis, Cn. Pompeii, ceterorumq. principum, in his P. Seruilii & L. Gellii, celeberrimae & grauiſsimae conciones fuerunt, poſt redit. ad Quirites, & in ſenatu, pro Sextio, in Piſonem. Eodemq. die decretum in Curia fuit, populi ipſius R. & eorum, qui ex municipiis conuenerant, admonitu; ne quis de caelo ſeruaret; ne quis moram ullam afferret. ſi quis aliter feciſſet, eum plane euerſorem reip. fore, idq. ſenatum grauiſsime laturum; & ut ſtatim de ejus facto referretur. addidit etiam ſenatus illud, niſi diebus quinque, quibus agi de Cicerone potuiſſet, eſſet actum, rediret in patriam dignitate omni recuperata. decreuit eodem tempore ſenatus, ut iis, qui ex tota Italia ſalutis M. Tullii cauſſa conuenerant, agerentur gratiae, atque ut iidem ad res redeuntes, ut uenirent, rogarentur, pro Sextio poſt red. in ſenatu, & in Piſonem Legem deinde omnes magiſtratus, praeter Appium praetorem, duosq. tribunos pl. N. Quinctium & Sex Atilium, ex S.C. promulgarunt, in Piſonem. Cum ferendae legis dies, qui fuit pridie non. Sextil. ueniſſet, & Lentulus conſul, idemq. lator legis comitia centuriata in Campo Martio haberet, P. Clodius legem de more diſſuaſit. quod Dio lib. 39. plane ſcribit, & Cicero pro domo ita ſignificat: Illa fuit pulchritudo populi R. illa forma, quam in campo uidiſti tum, cum etiam tibi contra ſenatus, totiusq. Italiae auctoritatem & ſtudium dicendi poteſtas fuit. & in Sextiana: Cedo nunc eiuſdem illius inimici mei de me eodem ad uerum populum in campo Martio concionem. Verum, cum & alii, & Pompeius in primis legem ſuaderet, ut Dio ſcribit, ſummo conſenſu omnium centuriarum accepta fuit, cum nemini ciui ulla, quo minus adeſſet iuſta excuſatio eſſet uiſa; nullis comitiis umquam multitudo hominum tanta, neque ſplendidor fuiſſet, in Piſonem. Conſtat enim, ut idem pro domo ſua ait, nullis umquam comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto ſplendore omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruiſſe. Idem eſt in orat. poſt reditum. Pridie non. Sextil. ipſo illo die, quo lex eſt lata, Cicero Dyrrhachio profectus Brundiſium uenit non. Sextil. epiſt. 1. lib. 4 ad Att. Aduenienti Ciceroni tamquam totius Italiae atque ipſius patriae dexteram porrexerunt Brundiſini; cum ipſis nonis Sextil. idem dies aduentus M. Tullii fuiſſet, qui natalis idem Tulliae filiae, quae ibi patri fuit praeſto; idem etiam ipſius coloniae Brundiſinae; idem Salutis. quae res, animaduerſa a multitudine, ſumma Brundiſinorum gratulatione celebrata eſt, pro Sextio, & lib. 4. ad Att. ep. 1. Brundiſii cum eſſet in domo optimorum & doctiſſimorum uirorum Lenij Flacci, & patris, & fratris eius, ante diem VI. id. Sextil. cognouit litteris Quincti fratris, mirifico ſtudio omnium aetatum, atque ordinum, incredibili concurſu Italiae, legem comitijs centuriatis eſſe perlatam, ibidem. Inde a Brundiſinis honeſtiſsimis ornatus, iter uia Appia Romam uerſus fecit. In itinere XXIV. dies conſumpſiſſe uidetur, cum Sextilis tum XXIX. dierum eſſet. Brundiſio profectus Neapolim, inde Capuam, Sinueſſam, Minturnas, Formias, Terracinam, & demum Ariciam, pridie non. Septembr. Romam uenit, epiſt. 1. libr. 4. ad Att. Toto autem illo itinere a Brundiſio uſque Romam agmen perpetuum totius Italiae uidit. neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque praefectura, aut colonia, ex qua non publice ad Ciceronem uenerint gratulatum: magnae erant effuſiones hominum ex opidis, maximi concurſus ex agris patrumfamilias cum coniugibus ac liberis: cumq. uiae multitudine legatorum undique miſſorum celebrarentur, urbes Italiae feſtos dies agere aduentus eius uidebantur,

bantur, in Piſonem, & pro Sextio. Ad urbem ita uenit, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui ipſi obuiam non uenerit, epiſt 1. lib. 4. ad Att. itaque in Piſonem ait, unus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, quo in patriam redij: cum ſenatum egreſſum uidi, populumq. R. uniuerſum: cum mihi ipſa Roma prope conuulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſeruatorem ſuum procedere uiſa eſt. Cum ueniſſet ad portam Capenam, qua uia Appia ducit in urbem, gradus templorum (in quibus fuit Martis, & Camoenarum) ab infima plebe completi erant: a qua plauſu maximo cum eſſet Ciceroni gratulatio ſignificata, ſimilis & frequentia, & plauſus eum uſque ad Capitolium celebrauit. in foro & in ipſo Capitolio miranda multitudo fuit, ep. 1. lib. 4. ad Att. Itaque ille unus dies, ait pro domo, quo die me populus R. a porta in Capitoliũ, atque inde domum ſua celebritate, laetitiaq. comitatum honeſtauit, tantae mihi iucunditati fuit, ut tua mihi conſcelerata illa uis non modo nõ propulſanda, ſed etiam emenda fuiſſe uideatur. Plutarchus ſcribit, reuerten ti Ciceroni tanta laetitia ciuitates, tanto ſtudio homines obuiam ueniſſe, ut infra ueritatem ſit, quod poſtea dixit, ſe humeris Italiae Romã reportatũ fuiſſe. dixit autem hoc in extrema oratione poſt red. in ſenatu. Poſtridie in ſenatu, qui fuit dies non. Septemb. ſenatui gratias egit ea oratione, quae, poſt reditum in ſenatu inſcripta, exſtat. egit etiam populo R. gratias altera oratione, quae poſt reditũ ad Quirites inſcribitur. De utraque Dio ita ſcribit: κατῆλθέτε οὖν ὁ κικέρων, καὶ χάριν τῇ τε βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ, παραχόντων αὐτῷ τῶν ὑπάτων, καὶ κατὰ τὸ συνέδριον, καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἔγνω. ideſt, Rediit igitur Cicero, & gratias tum ſenatui, tum populo, concione a conſulibus data in ſenatu, & in concione egit. Eo biduo cũ eſſet annonae ſumma caritas, homines primo ad theatrum uenerunt: ubi L. Caecilio Rufo praetore ludos Apollinares faciente ita infima concitata multitudo annonae caritate tumultuata eſt, ut omnes, qui in theatro ſpectandi cauſſa conſederant, pellerentur: deinde iidem ad Capitolium, ubi tum ſenatus habebatur, concurrerunt, cumq. caedem & incenſionem Capitolij ſenatoribus minarentur, atque iccirco per eos dies, quibus ſenatus de annona habebatur, conſules pleriq. abeſſent, quod tuto ſe negarent poſſe ſententiam dicere, in Ciceronis ſententiam factum eſt S. C atque ex eo lex promulgata, ut Pompeio per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur, Cicero pro domo, & epiſt. 1. libri quarti ad Att. Aſconius in Milonianam, Plutarchus in Pompeio, & Dio libro trigeſimonono. Secuta eſt deinde magna contentio de domo Ciceronis, quam Clodius Libertati conſecrauerat. populus eam comitiis centuriatis eodem iure eſſe iuſſerat, quo fuiſſet. uerum ſenatus decreuerat, ut de eius religione ad pontificum collegium referretur, in orat. de haruſp. reſp. Apud pontifices pridie Kalend. Octobris Cicero pro domo dixit eam orationem, quae exſtat. in qua primum reſpondet Clodio, qui actionem eius de poteſtate rei frumentariae Pompeio danda reprehenderat. deinde ſuam domum propter Clodij conſecrationem ſacram non eſſe, ſed ab omni religione uacuam, atque puram docet. Nam, ut Dio libro trigeſimonono ſcribit, lationem legis Curiatae, quae e patriciis ad plebem Clodius tranſierat, criminans, quod ex inſtituto maiorum per trinundinum promulgata non fuiſſet, omnem eius tribunatum, in quo de domo Ciceronis etiam conſtituerat, euertit; affirmans, nihil ab eo tribuno pl. iure fieri potuiſſe, qui ipſe contra omne ius plebeius factus eſſet. atque ita pontificibus perſuaſit, ut ſibi aream, quae ab omni religione uacua, & pura eſſet, reſtitueret. Hactenus Dio. Itaque Cicero in Piſonem ait: Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, pontifices, conſules, praetores collocauerunt: mihique, quod ante me nemini, pecunia publica aedificandam domum cenſuerunt. in quem locum Aſconius legendus. Superficiem aedium conſules de conſilij ſententia aeſtimauerunt HS uicies, Tuſculanam uillam quingentis millibus, Formianum HS ducentis quinquaginta millibus, epiſt. 2. lib. 4. ad Att. Eodem anno Ptolemaeus rex Aegypti, cum, ingenti pecunia conſumpta, ut rex, atque ſocius populi R. appellaretur, eã ui ab Aegyptiis extorqueret, & cum hoc nomine, tum quod Cyprum a Romanis repetere, aut amicitiam eis renunciare nollet, apud ſuos offendiſſet, regno pulſus Romam uenit, P. Lentulo adhuc conſule, cui Cilicia obtigerat, petens ut in regnum reſtitueretur. Aegyptij quoque legatos, qui regis crimina purgarent, miſerunt. de quibus Dio, & Cicero de haruſp. Ante diẽ tertium non. Nouẽb. expulſi fuerunt fabri de area Ciceronis. Quincti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area Marci, deinde inflammata iuſſu Clodij, epiſt. 3. lib. 4. ad Att. Haec eſt uis illa nefaria, quae ſe cum fratre domo expulſum fuiſſe, ad Lentulum ſcribit. Cum autem Clodius ſaxis, & ignibus, & ferro uaſtitatem aedibus Ciceronis intuliſſet, decreuit ſenatus, eos, qui id feciſſent, lege de ui, quae eſt in eos, qui uniuerſam rẽp. oppugnaſſent, teneri, in orat. de haruſp. reſponſis. Quae deinde uſque ad IIX. Kal. Decẽb. acta ſunt, uide epiſt. 3 lib 4. d Att. IV. Idibus Decembris noui tribuni pl. magiſtratum inierunt. e quibus a Cicerone libro 1. Fam. lib. 2. ad Fratrem, & Dione lib. 39. hi nominantur, P. Rutilius Lupus, C. Porcius Cato, C. Caninius, L. Racilius, Cn. Plancius, A. Plautius, Sex. Antiſtius Vetus, & Caſsius. Cum tribuni magiſtratum iniiſſent, C. Cato turbulentus adoleſcens, nec imparatus ad dicendum, concionibus aſsiduis inuidiam & Ptolemaeo ſimul, qui iam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo conſuli paranti iam iter concitare, ſecundo quidem populi rumore, coepit. quod ex lib. XXII. Annal. Feneſtellae Nonius Marcellus refert. In quindecim legatis, quos Pompeius ſibi rei frumentariae cauſſa legauerat, fuit Q. Cicero. qui cum eſſet in Sardinia, M. Cicero ad eum ſcripſit, quae extremo huius anni menſe in ſenatu acta fuerunt, epiſt. 1. lib. 2. ad Fratr.

Anno urbis DCXCVII, Ciceronis LI. COSS. fuerunt

CN. CORNELIVS. LENTVLVS. MARCELINVS, L. MARCIVS. PHILIPPVS

INITIO huius anni M. Cicero omni ſtudio in id incubuit, ut P. Lentulo, qui Ciliciam proconſul obti-
nebat, Ptolemaei regis reductio decerneretur. Argumento ſunt epiſtolae, quae hoc tempore ad Lentulũ miſ
ſae lib. 1. Fam exſtant. Tũ quoque orationẽ de rege Ptolemaeo, cuius apud Aquilã, & Fortunatianũ mentio
eſt, habuiſſe uidetur, cũ regis Alexandrini reſtitutionẽ Lentulo ſua ſententia decerneret. XIV. Kal. Febr. Cice-
ro ſcripſit ad Q fratrem epiſt. 2. lib. 2. ubi ait, Comitia aedilicia, quibus Clodius aedilitatem petebat, edicta eſſe
ad XI. Kal. Febr. Clodius aedilis factus, Miloni diẽ dixit, & de ui ad populũ accuſauit, pro Sextio, in Vatinium,
& lib 2. ad Frat. qua de re Dio ita ſcribit: Clodius, ſimulatq. aedilitatẽ Marcellino, & Philippo cos iniit, Milo-
ni diẽ dixit, quod gladiatoribus rẽp. obſediſſet. quae enim ipſe cõmiſerat, quorumq nomine reus erat, ea illi cri
mini dabat. non quod Milonẽ cõdemnatũ iri ſperaret, qui patronos magnos, in iis Pompeium, & Ciceronem,
habebat: ſed ut per hanc cauſſam, & Milonẽ oppugnaret, & patronos eius uexaret. IV. non. Febr. Milo affuit:
ei Pompeius aduocatus uenit. producta dies eſt in IIX. idus. quo die Pompeius, cum pro Milone apud popu
lum diceret, clamore, conuicioq. iactatus eſt. Clodiusq. diem in Quirinalia, id eſt XII. Kal Mart. produxit. ep.
3. lib. 2. ad Frat. & ep. 5 lib 1. Famil. Cicero autem iam ante diem tertium Kal. Febr. ad Atticum ex Epiro in Ita
liam reuerſum miſerat epiſt. 4. lib. 4 ad IV. id. Februa. P Sextius a M. Tullio Albinouano lege Lutatia de ui-
poſtulatus fuit propter caedem, quam anno ſuperiore IIX. Kal Febr. cum de Ciceronis reditu ageretur, in
foro factã diximus. defenſus fuit, cũ ab aliis, tũ a Q. Hortẽſio, & M. Cicerone: cuius oratio pro Sextio exſtat.
Sextius abſolutus fuit a. d. II id. Mart. ep. 4. lib. 2. ad Frat. Oppugnauerat Sextium maxime P. Vatinius, qui
etiã teſtimoniũ in illum dixerat. itaque Cicero Vatinium teſtem perpetua interrogatione accuſauit. quae ora-
tio ſeparatim edita exſtat. de qua Fabius li. 5. c. 7. & Cicero ep. 9 li. 1. Fam. Tota uero interrogatio mea (oratio-
nem in Vatinium ſic appellat) nihil habuit aliud, niſi reprehenſionẽ illius tribunatus: in quo omnia dicta ſunt
libertate, animoq. maximo de ui, de auſpiciis, de donatione regnorum. III idus Febr. Cicero pro Beſtia de am
bitu, apud praetorem Cn. Comitium, in foro medio, maximo cõuentu pridie idus T. Pomponius Atticus Pi
liã uxore ducta nuptias celebrauit: in quibus Cicero cenauit, epiſt. 3. lib. 2. ad Frat. Pridie non. Aprilis Cicero
Tulliam filiam. cum ea primum maritum C. Piſonem, quem Cicerone exſulante deceſsiſſe ex orat. in Vatiniũ
cognoſcitur, eiux. ſſet Furio Craſsipe di deſpõdit. eiq. IIX. idus ſpõſalia praebuit, lib 2. ad Frat. ep. 5. ut Man-
nuccius nunc diſtinxit. Vnde ſcribit ad Att. li. 4 ep. 5. Viaticũ Craſsipes praeripit. de hac cõiunctione gratula-
tus quoque Lentulus Ciceroni fuit. cui Cicero reſpondet ep. 7. li. 1. Nonis April. factum fuit S. C. in Ciceronis
ſententiam, ut de agro Campano frequenti ſenatu idibus Maij referretur, epiſt. 9. lib. 1. Famil. Cum autem Mi
loni dies in nonas Maij prodita eſſet, Cicero Roma exiuit, uillasq. luſtrauit, ep. 5. & 6 lib. 2. ad Fratr. Prodigia
interim facta, ut Dio lib. 39. ſcribit. Nam & in Albano monte ſacellum Iunonis, quod in menſa dedicatũ orien
tem ſolem ſpectabat, ad ſeptemtriones conuerſum eſt, fax a meridie ad Aquilonem porrigi uiſa, lupus urbem
intrauit, terra mouit, ciues quidam fulmine icti ſunt, & in agro Latinienſi auditus fuit ſtrepitus ſub terra cum
fremitu. quae cum haruſpices expiari uellent, iratos deos eſſe, quod loca ſacra & religioſa profana haberentur,
reſponderunt. Hanc occaſionem arripiens Clodius aedilis habuit concionem de ſacris & religionibus, atque
Ciceronis domum inter ea loca eſſe dixit, quae conſecrata profana haberentur. itaque poſtridie Cicero ſe in ſe-
natu defendens orationem habuit de haruſpicum reſponſis, quae exſtat. in qua haruſpicum reſponſa contra
Clodium interpretatur. Tum quoque Cicero, ut Dio ſcribit, Milone & quibuſdã tribunis pl. adhibitis, in Ca-
pitolium uenit, & tabulas de exſulio ſuo a Clodio tribuno pl. fixas deiecit. ſed Clodius cũ fratre Caio, qui prae-
tor erat, interueniens eas tum eripuit: poſtea uero, obſeruata Clodii abſentia, rurſus in Capitoliũ adſcendit, &
tabulas inde ablatas domum ſuam aſportauit. quod factũ a Clodio reprehenſum cum Tullius in ſenatu, ut Plu
tarchus narrat, ſic defenderet, ut diceret Clodium contra leges e patricijs ad plebem tranſijſſe, ideo q. nihil eo-
rum, quae geſsiſſet, ratum habendum eſſe; Cato indignatus illi contradixit: non quod Clodiũ laudaret, cuius
acta oderat: ſed graue & uiolentum eſſe confirmabat, tot decreta, & res geſtas ſenatusconſulto tolli; in quibus
eſſent etiam ea, quae ipſe in Cypro & Byzantii geſsiſſet. de quibus rebus praeter hiſtoricos Cicero pro domo,
in Sextiana, & alibi. Hoc etiam tempore actum in ſenatu fuit de ſtipendio exercitus Caeſaris. idq. Cicero ſe nõ
ſolum decreuiſſe, ſed etiam, ut alii decernerent, laboraſſe, ait in orat. de prouinciis cos. ſtipendii decreti memi-
nit ep. 7. lib. 1. Famil. ubi & de decem legatis. de quib. ſic in oratione de prouinciis: Actum eſt de decem lega-
tis: quos alii omnino non dabant: alii exempla quaerebant: alii tempus differebant: alii ſine ullis uerborum or-
namentis dabant: in ea quoque re ſic ſum locutus, ut omnes intelligerẽt, me id, quod reip. cauſſa ſentirẽ, facere
uberius propter ipſius Caeſaris dignitatẽ. & pro Balbo: Idem in anguſtiis aerarii uictorẽ exercitum ſtipendio
affecit: imperatori decem legatos decreuit. Hos decem legatos a Dione intelligi puto, cũ de honoribus Caeſa-
ri habitis inquit, ὥστε καὶ ἐκ τῆς βουλῆς ἄνδρας, ὡς καὶ περὶ δεδουλωμένοις παντελῶς τοῖς γαλάταις, ἀποστεῖλαι. Nam, re be-
ne, geſta, diſpenſandae, cohoneſtandaeq. uictoriae, ut Manilius apud Liuiũ li 38. ait, imperatoribus decẽ legati
decernebantur. A. Gabinius, qui Syriã pro cos. tenebat, in Palaeſtina re bene geſta contra Ariſtobuli filiũ Ale
xandrum, ipſumq. Ariſtobulum, ut Ioſephus lib. 14. Antiquit. ſcribit, litteras Romã miſit, quibus & rẽ bene ge
ſtam in bello nunciauit, & ſupplicationem a ſenatu poſtulauit. Idibus Maij ſenatu frequens ſupplicationem

Gabinio

Gabinio denegauit, epiſtol. 7 .lib. 2. ad Fratrem, de prouinciis cos. & in Piſonem. Deinde cum prouin-
ciae conſulares futuris conſulibus lege Sempronia eſſent decernendae, ut in Argumento orat. de prouinciis
ſcripſi, & de quattuor prouinciis ſententiae dictae eſſent de Syria, Macedonia, & duabus Galliis, M. Tullius, ro
gatus ſententiam, orationem, quae de prouinciis conſularibus exſtat, in ſenatu habuit. in qua ſuadet, ut Syria
& Macedonia futuris conſulibus decernantur, & Galliae Caeſari non adimantur. Ante orationem de prouin
ciis in libris Ciceronis legitur Corneliana pro L. Cornelio Balbo. quam hoc anno a M. Tullio dictam eſſe ex
eo ſuſpicor, quod de ſupplicatione, ſtipendio, & decem legatis extrema fere oratione dicitur. ea enim hoc an-
no Caeſari decreta eſſe, non ſolum oratio de prouinciis docet, uerum etiam epiſt. 7. libri primi ad Lentulum.
quam tametſi docti quidam ad ſecundum conſulatum Pompeij, & Craſsi referant, tamen hoc anno ſcriptam
eſſe arguit, quod L. Racilius inter magiſtratus nominatur. quem Marcellino & Philippo cos. tribunum
pl. fuiſſe ſupra diximus. Igitur Balbus cum eſſet Gadibus in Hiſpania natus, ac bello Sertoriano imperato-
ribus Romanis probatus, bello confecto a Cn. Pompeio ciuitate Romana donatus, &, quia per L. Corne-
lium hoc beneficium conſecutus fuit, L. Cornelius Balbus uocatus eſt. Ei inimici Caeſaris, & Pompeij ac-
cuſatorem compararunt, qui Balbo hoc tempore ciuitatis controuerſiam mouit; negans eum iure & recte ci-
uitate donatum, cum ex foederato populo, quo in numero Gaditanus erat, nemo poſſet, niſi is populus factus
eſſet fundus, id eſt auctor obſtringendi ſe iure ciuium Romanorum, in ciuitatem uenire. Defenderunt Bal-
bum M. Craſſus, Cn. Pompeius, & M. Cicero. De Planciana, quae ſuo loco non legitur, dicemus infra.
Nunc de Coeliana dicendum. Hoc anno Ciceronem pro M. Coelio apud Cn. Domitium praetorem dixiſſe,
Corradus ſcribit. Mannuccius cum in commentario in epiſt. 5. lib. 2. ad Fratrem orationem pro Coelio ha-
bitam Marcellino, & Philippo COSS. ſcripſiſſet, exponens deinde epiſt. 12. eiuſdem libri, diem illi in bien-
nium prodit, atque L. Domitio, & Ap. Claudio cos. Coelium de ui accuſatum, & defenſum a M. Tullio fa-
cit. Res eſt non leuis, quae & tanti uiri animum in ſcribendo diſtraxerit, & aliis ancipitem curam cogitandi
afferre poſsit. quare, an certi quid eruere queamus, experiamur. Quaeſtionem illam Cn. Domitium exercuiſ-
ſe, ipſa oratio demonſtrat. Fuit autem Cn. Domitius praetor hoc anno, apud quem Ciceronem pro Beſtia di-
xiſſe indicauimus. de eodem pro Sextio & in Vatinium. Fuit quoque alius Domitius praetor biennio poſt,
apud quem Coelius cauſſam dicere debebat, epiſt. 12. lib. 2. ad Frat. Cur autem Coelium lege Lutatia de ui
reum factum apud Domitium, qui his cos. non eum, qui biennio poſt praeturam geſsit, putem, illa me cauſ-
ſa maxime mouet, quod M. Craſſus una cum Tullio Coelium defendit. (nam interpretum inſcitia, qui Craſ-
ſum Coelij accuſatorem faciunt, ridenda, ſeu miſeranda potius, quam refutanda) Craſſus uero cum anno in-
ſequenti conſul paludatus exierit, Appio & Domitio cos. ne Romae quidem fuit, nedum cauſſas ibi orare po
tuit. Huc accedit, quod Alexandrinae legationis princeps Dio Academicus, cuius interficiendi cauſſa Coe-
lium aurum a Clodia ſumpſiſſe aduerſarij arguebant, anno ſuperiore fuerit occiſus, auctore Dione lib. 39. &
Strabone in 17. nec ueriſimile ſit, accuſatores huius caedis crimen, & accuſationem in annos plures diſtuliſſe.
Si quis obiiciet, Cn. Domitium huius anni praetorem de ambitu quaeſiuiſſe: Coelium de ui accuſatum fuiſſe.
is ſi probauerit ſingulos praetores tantummodo uni quaeſtioni profuiſſe, magnum fecerit. Nec me mouet,
quod Coelius Appio & Domitio cos. reus inuenitur. quid enim obſtat, quaeſo, quo minus hoc tempore
abſolutus a gente Clodia in iudicium retrahi potuerit? Quod Latomus putat, hanc orationem Appio & Do-
mitio cos. ideo habitam, quod Cn. Domitius, qui poſt illos conſul fuit, in eorum conſulatu praeturam
geſsiſſe uideatur, tempori, quo iſta ſcripſit, attribuo. Hoc ergo maneat, Coelium lege Lutatia de ui propter
ſeditiones Neapolitanas, & alia crimina accuſatum, de ſeditionibus Neapolitanis, & Alexandrinorum pulſa-
tione Puteolana a M. Craſſo, de auro, quod a Clodia ſumpſiſſe, & ueneno, quod eiuſdem Clodiae necandae
cauſſa paraſſe dicebatur, a M. Cicerone hoc tempore eſſe defenſum. Q. Metellus Nepos ex conſulatu in Hi-
ſpaniam profectus, eam prouinciam hoc tempore proconſul obtinebat. unde τῆς ἰβηρίας ἀνθύπατος a Plutar-
cho in Caeſare nominatur. uideturq. ex Hiſpania ad Ciceronem miſiſſe epiſt. 3. lib. 5. Famil. in qua de contu-
melioſis concionibus Clodij aedilis conqueritur. Clodius frater Nepotis appellatur etiam in orat. poſt redit.
in ſenatu, & pro domo. non propter affinitatem, ut uulgo interpretes ſibi perſuaſerunt: uerum, quia ἐν γένει
αὐτῷ ἦν, ut Dio de Metello Celere ait, quem etiam Cicero de haruſpicum reſp. & pro Coelio Clodij fratrem
nominat. Fuerunt autem fratres patrueles, ſeu, ut iuriſconſulti uocant, amitini. Caecilia enim mater Clodij
Metellorum amita fuit. Metellum Nepotem hoc tempore in Hiſpania deceſsiſſe, eumq. a Cicerone intelligi
epiſt. 7. lib. 4. ad Att. uiri docti putant. quod ſi uerum eſſet, Dionem lib. 39. ubi res ab eo in prouincia geſtas
exponit, praetermiſſurum fuiſſe non arbitror. Immo, ſi iam in Hiſpania periit, eſt quod Pediano gratiam re-
ferat, qui illum mortuum in uitam reduxit, atque in choro nouem conſularium, qui biennio poſt Scaurum
reum laudauerunt, collocauit. Vt ut ſit, M. Tullius quinque epiſtolas libri quarti ad Attic. nempe quartam,
quinctam, ſextam, ſeptimam, & octauam his conſulibus ſcripſit. In ſexta meminit epiſtolae ad Lucceium miſ
ſae, quae eſt 12. lib. 5. Famil. qua ut res a ſe in conſulatu geſtas ſcribat, eum rogat. C. Iulius Caeſar, geſtis
hoc anno rebus illis, quas lib. 3. Commentariorum perſcripſit, exercituq. in Aulercis, Lexobiisq. reliquis item
ciuitatibus, quae proxime bellum fecerant, in hibernis collocato, diſcedens in Italiam Lucae hiemauit, auctore
Plutarcho in Pompeio, Caeſare, & Catone. eoq. Pompeium, & Craſſum extractos compuli, ut detrudendi
L. Domitij cauſſa, qui palam minabatur, conſulem ſe effecturum, quod praetor nequiſſet, ademptumq.
Caeſari exercitus, conſulatum alterum peterent, Suetonius in Iulio. Ita factum, ut Domitius, qui tot annos,
quot habebat, deſignatus conſul fuerat, conſul fieri non potuerit, epiſt. 8. lib. 4. ad Att. Cum autem Pompeius
& Craſſus intra legitimum tempus profeſsi non eſſent, effecerũt cum per alios, tum per C. Catonẽ tribunũ pl.

ne

ne eo anno comitia haberentur: ut,cum res ad interregnum rediiſſet, legitime cõſulatum & peterent, & capeſſerent, Dio lib.39.

Anno urbis DCXCIIX. Ciceronis LII.

CN. POMPEIVS. MAGNVS. II, M. LICINIVS. CRASSVS. II

CONSVLATVM ex interregno inierunt, Dio lib.39. reliquosq. magiſtratus ſuo arbitratu crearunt. quo tempore M.Cato in praeturae petitione repulſam tulit, & P.Vatinius in locum eius creatus eſt, Plutarchus & Dio Cicero menſe Aprili fuit ruri, ibiq. ſcripſit epiſt. 9. lib.4. ad Att. cum Puteolis magnus eſſet rumor, Ptolemaeum eſſe in regno. Eum A.Gabinio hoc anno iuſſu Pompeij in regnum reſtituit, Plutarchus in Pompeio, Dio lib.39. Strabo lib.12 & 17. Meminit Cicero in Piſonem, quam orationem his cõſulibus dixit, auctore Aſconio, cum Piſo reuocatus e Macedonia ſententia Ciceronis, quam anno ſuperiore de prouinciis conſularibus dixerat, de inſectatione eius in ſenatu conqueſtus, atque in eum inuectus eſſet. Piſoni Cicero reſpondit oratione illa, quae exſtat, & continet Piſonis uituperationem, quamuis in ſenatu ſit habita loco ſentẽtiae, ut teſtatur Quinctilianus lib. lib. 3. cap. 9. Dicta fuit oratio, auctore Aſconio, ante paucos dies, quam Cn. Pompeius ludos faceret, quibus theatrum a ſe factum dedicauit. Magnificentiſsima uero Pompeij munera ſecundo conſulatu fuerunt, ait Cicero lib. 2. de officiis, & demonſtrat epiſt. 1. libro 7. Fam. ad Marium. De theatro & ludis Pompeij Plutarchus in eius uita, Dio libro 39. Tacitus lib. 14. Plinius lib. 8. cap. 7. Hoc anno Cicero ad Quinctum fratrem ſcripſit epiſt. 9. & 10. lib. 2. & ad Atticum ep. 9. 10. 11. & 12. lib.4. In duodecima facit mentionem profectionis Craſsi in Syriam. antequam uero paludatus exiret, cenauit apud Ciceronem in hortis Craſsipedis generi, epiſt. 9. lib. 1. Famil. Proficiſcentem Ateius Captio tribunus pl. diris cum ominibus retinere conatus eſt. ille uero dirarum obnunciatione neglecta, in Syriam cõtendit, atque exercitu deleto trans Euphratem cum ignominia & dedecore periit, Cicero lib. 1. & 2. de diuinat. Plutarchus, Appianus, Dio, Velleius, & alij. Cicero etiam hoc tempore ſcripſit tres libros de Oratore. de quibus ſic ad Att. ep. 12. lib.4. De oratoriis factũ eſt a me diligenter. diu multumq. in manibus fuerunt. deſcribas licet. uide quoque prooemium lib.2. de Orat.

Anno urbis DCXCIX. Ciceronis LIII. COSS. fuerunt

L. DOMITIVS. AHENOBARBVS, AP. CLAVDIVS. PVLCHER

CVM Craſſus hoc tempore in Syriam iter haberet, Cicero eius abſentis cauſſam in ſenatu defendit, & cum conſulibus atque conſularibus magna contentione decertauit, ut ſcribit ipſe ad Lentulum epiſ.9. libro primo ad Craſſum epiſt. 8. lib. 5. Famil. Quae initio huius anni menſe Februario in ſenatu acta ſunt, Cicero ad fratrem ſcribit libro ſecundo, epiſt. 11. & 12 ut in libris Mannuccianis diſtinguuntur. Miſit deinde in Galliam ad Caeſarem procoſ. C. Trebatium Teſtam iuriſconſultum cum litteris, quibus eum ſtudioſiſſime commendat, epiſt. 5. lib. 7. Famil. Tum etiam Q. Tullius Cicero legatus Caeſari in Galliam profectus eſt. de quo Caeſar lib. 5. Comment. M. Cicero item Roma profectus ruri ſcripſit ad Atticum epiſt. 13. lib. 4. Fuit autem in Cumano & Pompeiano, atque in Cumano inſtituit ſcribere πολιτικὰ de optimo ſtatu ciuitatis, & de optimo ciue, epiſt. 13. lib. 2. & 5. lib. 3. ad Fratr. & epiſt. 13. lib. 4. ad Att. IV. no. Iunij Cicero Romam rediit, epiſt. 14. lib. 2. ad Fratr. IV. non. Quinctil. Suffenas & Cato abſoluti ſunt, epiſt. 14. lib. 4. ad Att. de C. Catone abſoluto Aſconius pro Scauro. His rebus actis Cicero a Reatinis in eorum agrum eductus, apud Ap. Claudium conſulem, & decem legatos Reatinorum cauſſam contra Interamnates egit, ep. 14. lib. 4. ad Att. Varro de re ruſt. lib. 3. cap. 2. VII. id. Romam rediit. eoq. tempore ſe a cauſsis & iudiciis diſtrictiſsimum fuiſſe, ait epiſt. 15. lib. 2. ad Fratr. defendit tum Meſsium, item Druſum, de quib. epiſt. 14. lib. 4. ad Att. ubi hoc quoque ſcribit, ſe ex Quincti fratris litteris ſuſpicari, iam eum eſſe in Britannia. Illo tempore ad Trebatium ſcripſit epiſt. 6. 7. 8. 9. & 10. lib. 7. Famil. Ex Britannia Quinctus ad Marcum litteras miſit: quibus ille menſe Sextili reſpondit eodem die, quo P. Vatinium defendit, epiſt. ult. lib. 2. ad Frat. de Vatinio in gratiam recepto & defenſo ſcribit epiſtola longa ad Lentulum. Pro Vatinio Ciceronem dixiſſe L. Domitio, Ap. Claudio cos. Aſconius teſtatur. Valerius quoque lib.4. c.2. ſcribit, P. Ciceronem, P. Vatinium dignitati ſuae ſemper infeſtum duobus publicis iudiciis tutatum eſſe. itaque ſe clientẽ Ciceronis appellat, ep. 9. lib. 5. Famil. M. Aemilius Scaurus a C. Triario repetundarum poſtulatus apud M. Catonẽ praetorẽ, a M. Tullio defenſus eſt ad IV. nonas Septem. uide Aſconium. Hanc orationem, una cũ Planciana menſe Septembri ſe abſoluiſſe ſcribit, epiſt. 1. lib. 3. ad Fratr. Plancium his cos. a M. Iuuentio Laterenſe accuſatum, & a Cicerone defenſum eſſe Latomus & Corradus putant. recte, meo quidẽ iudicio. Fuerat enim Plancius tribunus pl. biennio ante, ut diximus, atque in hunc annũ aedilitatẽ recte, petiit. Quod autem Siluius per conſulem, quẽ Cicero comitia aedilicia habuiſſe ait, M. Craſſum intelligit, nulla probabili ratione nititur. nec potuit Plancius in tribunatu aedilitatem petere. huc accedit, quod hunc fuiſſe legitimum annum aedilitatis Laterẽſis, ex praetura eius perſpicuum fit: quam triennio poſt Ser. Sulpicio, M. Marcello cos. geſsit, epiſt. 8. Famil. Illud autem, quod Corradus pro certiſsimo argumẽto affert, quod C. Alfius, qui praeturã hoc anno geſsit, quaeſitor

in cauſſa Planciana fuerit,nullum eſt.nam primũ ex peroratione cognoſcitur, non C. Alfium , ſed C. Flauium
quaeſitorem fuiſſe,quem eundem praeturam tum geſsiſſe,affirmare non auſim.arbitror enim tam quaeſitorẽ,
quam conſilium,editicium fuiſſe.editos autem fuiſſe ab accuſatore.quae poteſtas ſi rei fuiſſet,ait Cicero;eum
ſine dubitatione C.Alfium tribulem ſuum quaeſitorem,atque e Terentina, & Voltinia tribubus iudices fuiſſe
editurum. Pridie No.Septem.ludi Romani.qui per nouem continuos dies fiebant,commiſsi ſunt. Ludorum
diebus Cicero in Arpinati fuit,& XIII.Kal Octob.Romam uenit,epiſt.1.lib.3.ad Fratr.A.d VI.Kal.Octobris,
cum aequinoctium ſubeſſet Caeſar exercitum Britannia reportauit,Cicero epi. 15 lib.4.ad Att. & Caeſar lib.
5.Comment.cum Caeſar Britanniam peragraret,audiuit deceſsiſſe filiam, Seneca de conſolatione ad Marciã.
Hinc Caeſaris luctus ep.1.lib.3.ad Fratr.De morte Iuliae,quae Pompeio nupta erat, Dio lib. 39. Plutarchus
in Pompeio,& Caeſare.Cum M.Craſſus A.Gabinio in Syria ſucceſsiſſet,ille in Italiam reuerſus XII.Kal.Octo
br.ad urbem noctu intrauit,& de maieſtate accuſatus eſt,ep.1.lib.3.ad Fratr. In eo iudicio Ciceronem Gabi
nium grauiſsime accuſſaſſe Dio lib.39. auctor eſt. ſed Cicero ſe teſtimonium ſecundum fidem & religionem
grauiſsime in eum dixiſſe,teſtatur epiſt.4.lib. 3. ad Fratr. Gabinio abſoluto, M. Tullius IIX. Kal. Nouem. in
Tuſculanum profectus fuit. Ita extremis menſibus huius anni Cicero omnes epiſtolas lib. 3. ad Fratr. & po-
ſtremas lib.4.ad. Att & longam ad Lentulum ſcripſit. Gabinius de maieſtate abſolutus, de repetundis accuſa-
tus & condemnatus fuit,quamuis Tullius rogatu Pompeii eum defendiſſet, Dio lib.39. Valerius lib. 4. cap. 2.
Sed huiuſce generis humanitas etiam in M.Cicerone praecipua apparuit: A. namq. Gabinium repetundarum
reum ſummo ſtudio defendit,qui eum in conſulatu ſuo urbe expulerat. Cicero pro Rabirio Poſtumo ait,ſibi
cauſſam defendendi Gabinii fuiſſe reconciliationem gratiae.ibidem teſtatur, ſe Gabinium ex maximis inimici
tiis receptum in gratiam ſummo ſtudio defendiſſe. Meminit huius defenſionis D. Hieronymus in Apologia
aduerſus Rufinum.Gabinio condemnato,C. Memmius lege Iulia de repetundis accuſauit C. Rabirium Po-
ſtumum.qui cum poſt mortem patris ſui C.Curtii natus eſſet,a C.Rabirio auunculo adoptatus, C. Rabirius
Poſtumus dictus fuit.Defendit eum Cicero hiberno tempore,ut oratio indicat. Hoc ad extremum admone-
bo,quattuor praetores huius anni a Cicerone in epiſtolis nominari,M. Catonem, Domitium, Seruilium, &
C.Alfium.quibus Dio addit Ser.Sulpicium Galbam. Tribuni pl apud Ciceronem ſunt,Q. Mucius Scaeuola,
Terentius,& C.Memmius.his apud Valerium lib.8.cap.1.additur, Laelius.

Anno urbis DCC. Ciceronis LIV. COSS. fuerunt

CN. DOMITIVS. CALVINVS, M. VALERIVS. MESSALLA

HI conſules non ſtatim initio anni, ut moris erat, ſed ſeptimo tandem menſe magiſtratum inierunt, au
ctore Dione lib.40.Cum enim anno ſuperiore comitiorum conſularium ſinguli dies obnunciationi-
bus ſublati eſſent,ut ſcribit Cicero epiſt.3.lib.3.ad Fratr.& ob id menſe Ianuario nulli dum conſules eſſent, in-
terreges de more proditi fuerunt.qui remp.per ſex menſes adminiſtrarunt, cum quod propter auſpicia, quae
ſecunda interregibus non eueniebant,comitia haberi non poſſent,tum quod tribuni pl. qui remp. tractabant,
ne magiſtratus crearentur,impedirent, ut Dio ſcribit.Plura igitur hoc tempore interregna fuerunt,de quibus
Cicero epiſt. 11.lib.7.Famil.quam hoc tempore ſcriptam eſſe,res ipſa indicat,ſicut & ſequentes.quarum deci-
ma tertia data eſt III.nonas Mart.decima octaua VI.idus Apr.Sed cum tribuni pl.comitia omni ratione impe
dirent,ac primum ut tribuni milit.proconſulibus, deinde,ut Pompeius dictator crearetur,ad populum ferret;
M.Catonis cohortatione adductus Pompeius effecit, ut Cn. Domitius, & M. Meſſalla cos. tandem fuerint
creati,Plutarchus in Pompeio,& Dio lib.40.His cos. M. Craſſus interfecto P.filio,exercituq. deleto,trans Eu
phratem cum ignominia & dedecore periit,ait Cicero lib. 2.de Diuin. & ſcribit praeter alios Oroſius noſter li.
6.cap.13.Periiſſe Craſſum menſe Iunio Ouidius lib 6.Faſtorum indicat.In locum P. Craſsi M. F. Cicero au-
gur factus fuit,ut Plutarchus ſcribit.In auguratus petitione competitorem habuit C. Hirrum,de quo lib. 2. &
8.Famil.Sed M.Tullium augurem a toto collegio expetitum Cn.Pompeius,& Q Hortenſius nominauerunt,
Philip.2.Ab Hortenſio ſe cooptatum in collegium,& inauguratum,ait in Bruto.. Quo tempore Cicero augur
factus eſt,C.Scribonius Curio filius in Italia non fuit,ut ipſe ait Philip. 2. erat autem in Aſia, eoq. Cicero ad il-
lum miſit ſex primas epiſtolas lib. 2. Famil.

Anno urbis DCCI. Ciceronis LV. COSS. fuerunt

CN. POMPEIVS. MAGNVS. III, SINE. COLLEGA

PETEBANT in hunc annum conſulatum ſummis contentionibus T. Annius Milo, P. Plautius Hyp-
ſaeus, & Q Metellus Scipio. Petebat in eundem annum praeturam P. Clodius, cui ſummae inimicitiae
cum Milone intercedebant.itaque a.d.XIII.Kal.Febr.cum Milo Lanuuium proficiſceretur,& Clodius Aricia
rediens ei occurriſſet, rixa & pugna forte commiſſa, Clodius interfectus fuit. quod Aſconius in argumento
orat.pro Milone pluribus uerbis narrat.Pompeius deinde ab interrege Ser.Sulpicio V.kal.Martii conſul crea-
tus eſt,ſtatimq. conſulatum iniit & nouas leges tulit:duas ex S.C.alteram de ui,qua nominatim caedem in Ap
pia uia factum,& incendium curiae,& domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit: alteram de
ambitu,poena grauiore, & forma iudiciorum breuiore propoſita. utraque enim lex prius teſtes dari per tri-

duum,deinde uno die atque eodem & ab accuſatore, & ab reo perorari iubebat, ita ut duae horae accuſatori, tres reo darentur,auctore Aſconio.hinc Tacitus in dialogo de Oratorib. ait,Pompeium primum adſtrinxiſſe, & impoſuiſſe ueluti frenos eloquentiae. de hac lege Pompeij Cicero in Bruto,Maxime (inquit de ſe & Hortenſio agens) perſpecta eſt utriuſque noſtrum exercitatio paullo ante,cum lege Pompeia ternis horis ad dicēdum datis,ad cauſſas ſimillimas inter ſe, uel potius eaſdem noui ueniebamus quotidie.& initio lib. 4. de Finib. Ain tandem, cum ego te hac noua lege uideam,eodem die accuſatori reſpondere, & tribus horis perorare, in hac me cauſſa tempus dilaturum putas?Perlata lege Pompeij,& L.Domitio Ahenobarbo quaeſitore ſuffragio populi creato,Milo de ui,& de ambitu,& de ſodalicijs poſtulatus fuit.Accuſarũt de ui Milonem III.idus Apr. Appius maior,M.Antonius,& P.Valerius Nepos.reſpondit illis unus M.Cicero.qui cum inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum,ita ut non ea,qua ſolitus erat,conſtantia diceret ſed oratio illa quoque excepta fuit,ut Aſconius ſcribit.Meminit Quinctilianus lib.4.cap. 3. Eam uero, quam nos habemus, Cicero poſtea ſcripſit,cum Milo eſſet Maſsiliae, quo condemnatus in exſulium intra paucißimos dies profectus fuit, Aſconius,& Dio lib.40.Accuſatus deinde M.Saufeius,defendente Cicerone,& M Coelio,abſolutus fuit. Sex. autem Clodius magno conſenſu damnatus eſt, Aſconius. Pompeius in hoc conſulatu Corneliam Q. Metelli Scipionis filiam uxorem duxit,& ſocerum ſibi in quinque menſes extremos collegam ſubrogauit,Plutarchus in Pompeio,Dio lib 40.Appianus lib.2.Scipionem cenſoriam poteſtatem, quam Clodius imminuerat, lege reſtituiſſe,Dio ſcribit.Extremo huius anni menſe cum T.Munatius Plancus Burſa magiſtratu abijſſet,a Cicerone accuſatus,& Cn.Pompeio defenſus condemnatus fuit,Dio lib.40.& Cicero epiſt. 2. lib. 7. Famil. quam hoc tempore ſcripſit.Plancus omnibus ſententiis,maximo populi plauſu,condemnatus fuit,quod curiam incendiſſet,Philippica 6.& 13.

Anno urbis DCCII. Ciceronis LVI. COSS. fuerunt

SER. SVLPICIVS. RVFVS, M. CLAVDIVS. MARCELLVS

HOc tempore,certe poſt Clodii caedem,M.Tullius de legibus ſcripſit,ut ex lib 2.cognoſcitur.Cum autem plures libros de legibus ſcripſiſſet,ad nos tres tantum,iiq. mutilati peruenerunt.Cum autem anno ſuperiore Pompeius cos.confirmaſſet S.C. quod prius factum de prouinciis fuerat,ne ii qui magiſtratum geſſiſſent,niſi poſt annos quinque in prouincias irent,ut Dio lib.40.ſcribit:Ciceronis ſors etiam deiecta fuit,eiq. Clicia prouincia conſularis cum exercitu peditum XII.mil.equitum duum mil.DC.obuenit,auctore Plutarcho. Cicero ſe nomen tantum duarum legionum habuiſſe,ait ep.15.libr.5.ad Att.& ep.6.li.3.Famil. ait in tanta militum paucitate abfuiſſe tres cohortes.Succeſsit M.Tullius Ap.Claudio, quem de ſucceſsione certiorem facit ep.2 lib.3 Famil. cum epiſtolam primam prius ad ipſum in Ciliciam miſiſſet. Legatos habuit Cicero, Q. Tullium fratrem,C Pomptinium,L.Tullium,& M.Annium:quaeſtorem L.Meſsinium,cui C.Coelius poſtea ſucceſsit.Profectus Cicero ex urbe menſe Maio, nonis cum Attico in Tuſculano fuit. inde Arpino, Arcano, Aquino,Cumano,Pompeiano,& Trebulano peragratis,Beneuentum uenit V.id.Mai.Tarētum XV.Kal.Iun. & triduum cum Pompeio,& apud Pompeium fuit,epiſt.1.2.3.4.5.6.& 7.lib. 5.ad Att. Brundiſium uenit a.d. XI Kal Iun.ep.3.lib.3 Famil.ibi plures dies manſit.pridie Non.Iunii ſe adhuc Brundiſii fuiſſe ſcribit ad Appiũ ep.4.lib.3.Famil Interim M.Coelius ad eum miſit epiſt.1.libr.8.cui Athenis reſcripſit epi.8.lib.2.Famil.Brundiſio profectus Actium uenit XVII.Kal.Athenas VII.Kal.Quinctil.ep.9.& 10.lib.5. ad Att. Exſulabat tum Athenis C.Memmius de ambitu condemnatus,epiſt.2.lib.3.ad Fratr.& ep.19.lib.13. Famil. & Appianus lib. 2 is pridie,quam Cicero Athenas uenit, Mitylenas profectus erat, epiſt. 11.lib.5.ad Att. tum Cicero ad eum miſit epiſt.1 & ſeq.ut uidetur,lib.13.Famil.Cum Athenis decem ipſos dies fuiſſet, pridie No. Quinctil. inde profectus Epheſum uenit a.d.XI.Kal.Quinctil.epiſt.11.12.& 13.lib.5.ad Att & epiſt.8.lib. 2. Famil. Tralles uenit a.d VI.Kal Sextil.atque ad Appium miſit.epiſt.5.lib.3 Fam.Laodiceam in prouinciam uenit pridie Kal. Sextil.epiſt.15.20.& ult.lib.5.ad Att.ep.2.& 4.lib.15 Famil. M. Coelius interim ad Ciceronem plures epiſtolas ſcripſit,quae lib.8.Famil.exſtant.in quarta,Kal.Sextil.data, meminit C.Marcelli cos. deſignati. habita ergo comitia conſularia fuerunt ante Sextilem,quibus creati conſules ſunt L.Paullus,& C.Marcellus. qua re cognita,Cicero non ſolum ipſis,uerum etiam C.Marcello patri,& M.Marcello fratri patrueli C. Marcelli cos. des. gratulatus eſt,epiſt.7.8.9.& 12.lib.15.Famil.Triduum moratus Laodiceae,triduum Apameae, totidem dies Synnade,VII.Kal.Septembr.in Lycaoniam ad Iconium in caſtra uenit,epiſt.16.& ſequentib.lib.5.ad Att. & epi.4 lib.15.Fam C.Caſsius,qui quaeſtor M.Craſsi fuerat,atque ex clade,quae ad Carrhas accepta erat,cum parte exercitus ſe in Syriam receperat,eo tempore, quo Cicero in Ciliciam uenit, Antiochia tenebatur: Parthosq. cedentes ab opido inſecutus rem bene geſsit,Oſace duce occiſo,Cicero ep.10.lib.2. Fam. & epiſt.20. lib.5.ad Att.Dio lib 40.Iuſtinus 42.Vnde Cicero Philip.11.de Caſsio:Magnas ille res geſsit ante B buli ſummi uiri aduentum,cum Parthorum nobiliſsimos duces,maximasq. copias fudit,Syriamq. immani Parthorum impetu liberauit.In caſtra Ciceronis ad Iconium ante diem III.Kal.Septem. uenerunt legati miſſi ab Antiocho Commageno.iiq. nunciarunt Parthorum magnas copias Euphratum tranſire coepiſſe,ut ſcribit epiſt. 1. & 3.lib.15.Fam.Pridie Kal.Septem. Cicero caſtra ab Iconio mouit, iterq. per Cappadociam in Ciliciam faciens,in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud opidum Cybiſtra caſtra poſuit,epiſt.6.lib.3.& ep. 2. & 4.lib.15.Famil.& ep.18.lib.5.ad Att.ibi cum dies quinque eſſet commoratus;regem Ariobarzanem,cuius ſalutem a ſenatu commendatam habebat,praeſentibus inſidiis liberauit,ut ſcribit ad Catonem, & copioſe ex-

ponit

poniſ magiſtratibus ep.2.& 4.lib.15.Fam.inde confeſtim iter in Ciliciam fecit per Tauri pylas,& Tarſum uenit a.d III.no.Octobr.epiſt.20.lib.5.ad Att.nonis Octobr.in ſenatu recitatae ſunt Ciceronis litterae, quas publice de Parthico tumultu miſerat,epiſt.1.lib.15.Famil.& epiſt.ult.l.5.ad Att.eodẽq. die Cicero Tarſo Amanum uerſus profectus eſt,epiſt.8.lib.3. Famil. qui mons erat hoſtium plenus ſempiternorum . hic a. d. III. id. Octobr magnum numerum hoſtium cecidit:caſtella munitiſsima cepit,incendit , imperatorq. appellatus eſt. epiſt.20.lib.5.ad Att.ep.10 lib.2.& 4 lib.15.Famil.uide quoque commentarium noſtrum in Ligarianam. his rebus ita geſtis,caſtra in radicibus Amani habuit , ea ipſa,quae contra Darium habuerat apud Iſſum Alexander, ut eſt locis iam citatis . in Pindeniſſum opidum munitiſsimum Eleutherocilicum diu omnibus machinis oppugnatum ſeptimo quinquageſimo die cepit,Saturnalibus mane.ep.20.l.5.ad Att.& ep 4.l.15.Famil.Pindeniſſo capto exercitum in hiberna dimiſit,ijsq. Quinctum fratrem praepoſuit,ep.4 li.15.Extremo hoc anno Cicero ad Curionem miſit epiſt.7.l.2.Fam.in qua illi de tribunatu pl.gratulatur.quem IV.id.Decemb.inijt.

Annus urbis DCCIII. Ciceronis LVII. COSS. fuerunt

L. AIMILIVS. PAVLLVS, C. CLAVDIVS. MARCELLVS

AD hos conſules extant Ciceronis litterae:quibus petit,ut quam honorificentiſsimum S.C.de rebus a ſe geſtis faciendum curent,epiſt.10.& 13.lib.15.Famil.hac de re ſcripſit etiam ad Catonem epi.4.eiuſdẽ libri.tum Ciceroni pro re bene geſta ſupplicationes ſunt decretae,ep.11.l.8.Fam.& ep.1.l.7.ad Att.pro quib. Marcello cos gratias agit epiſt.11.l.15.Fam.nonis Ian.Cicero Tarſo profectus fuit in Aſiam,ut ibi ſuarũ dioecesium hominibus ius diceret,ep.ult.lib.5.ad Att.quam idib.Febr.ſe dediſſe ait. Quo tempore Cicero Ciliciã, & M.Bibulus Syriam obtinuerunt, eodem tempore Q Thermus propraetor in Aſia , & P. Silius in Bithynia , ut uidetur,fuerunt. indicat epiſt.1.lib.6.ad Att Itaq. e Cilicia Cicero ad Thermum,& Silium miſit epiſt.53.& alias,quae deinceps lib.13 Fam.leguntur.Laodiceae M.Tullius ex idib.Febr. ad Kal. Maij forum egit omnium dioeceſium Aſiaticarum,ep.1.& 2.lib.6.ad Att.Eo uenit M.Fabius commendatus ei a C.Caſsio. commendat eundem ipſe Coelio,Paeto,& Curtio,ep.14 l.2.ep.25 li.9. ep.59.lib.13.& ep.14.l.15.Famil.eodem tempore Cicero aliquot epiſtolas ad Coelium & Appium miſit,quae lib.2.& 3. leguntur . in quibus cum de aliis rebus,tum de Appij accuſatione,& Tulliae nuptiis agitur.Accuſauit Appium reuerſum e prouincia P. Cornelius Dolabella:eidẽq.Tullia M.Ciceronis filia hoc tempore nupſit. de affinitate hac gratulatur Ciceroni Coelius epiſt,13.lib.8.Ex Aſia Cicero in Ciliciam nonis Maij profectus eſt,ep.13.l.2.Famil.& ep.2.lib.6.ad Att. Tarſum uenit nonis Iun.ep.4.l.6.ad Att.Ciceroni interim quaeſtor C. Coelius obtigit : ad quem ſcribit epiſt. ult.lib.2.Fam eundemq. de prouincia decedens III.Kal.Sextil.prouinciae praefecit,ep.6.l.6. ad Att.epiſt.15. l.2.Fam.& epiſt.14.l.3 Epheſo proficiſcens Kal.Octobris,Athenas uenit pridie idus,ep.8.& 9.lib 6.ad Att.& ep.5.lib.14.Fam.Athenis Ciceronem libenter commoratum eſſe,πόθῳ τῶν παλαιδιατριβῶν, Plutarchus ſcribit . Athenis imperatorem ſe apud Ariſtonem diuerſatum eſſe Tuſcula.5. ait . Tironem libertum Cicero e Cilicia in Italiam reuertens Patris aegrum reliquit,epiſt.2.lib.7.ad Att.ad eumq.plures ex itinere epiſtolas miſit, quae lib.16.Famil.leguntur,& totius itineris rationem continent.Brundiſium uenit VII.Kal.Decem.eodemq. tempore uxor Terentia ad portam Brundiſinam acceſsit,quo Tullius in portum,ep.2.lib.7.ad Att.& ep.9.lib.16. Famil.Inde Romam uerſus proficiſcens,ex itinere ſcipſit ad Atticum epiſt.3.4.5.6.7.8.lib.7.

Anno urbis DCCIV. Ciceronis LIIX. COSS. fuerunt

C. CLAVDIVS. MARCELLVS, L. CORNELIVS. LENTVLVS. CRVS

HIS conſulibus M.Tullio pridie non.Ianua.ad urbem accedenti ſic eſt obuiam proditum,ut nihil fieri potuerit honoratius.ep.10.lib.16.Famil. ubi addit , ſe incidiſſe in ipſam flammam ciuilis diſcordiae , uel potius belli.quod etiam Plutarchus ſcribit . Nam Kal.Ian. cum in Q.Metelli Scipionis ſententiam S.C.fieret, uti ante certam diem Caeſar exercitum dimitteret:ſi non faceret,eum aduerſus remp. facturum uideri : eiq. S.C.M.Antonius & Q Caſsius intercеſsiſſent:ſenatus conſulibus,praetoribus,tribunis pl.& iis , qui pro conſulibus ad urbem erant,negotium dedit,ut curarent , ne quid reſp. detrimenti caperet. Tum Antonius & Caſsius tribuni pl.ad Caeſarem ex urbe cum Curione profugiunt,Caeſar lib.1.de bello ciuili. Cicero ep.10.lib.16.Fa. & Philip.2.Cicero ut uenit ad urbẽ,non deſtitit omnia & ſentire,& dicere,& facere, quae ad concordiam pertinerent,ep.11.lib.16.Famil.fuitq. ſemper auctor pacis,ut teſtatur in orationib. pro Marcello,Ligario & Deiotaro,item epiſt.6.lib.6.& epiſt.3.lib.7.Famil.eaq. de re,ut Plutarchus tradit, priuatim multa ad Caeſarem ſcripſit,& Pompeium coram precatus eſt,utrumque placans & deliniens. Sed mirus inuaſerat furor non ſolũ improbis,ſed etiam iis,qui boni habebantur,Cicerone clamante nihil eſſe bello ciuili miſerius,epiſt. 11.li.16. Fam itaque Italiae regiones deſcriptae fuerũt,quam quiſque partem tueretur:Cicero Capuam ſumpſit. quod pridie idus Ian.ad Tironẽ ſcripſit ep.10.li.16.Cum interim Caeſar traiecto Rubicone,Ariminũ,Piſaurũ,Anconã,Arretiũ occupaſſet,urbẽ cõſules,atque optimates omnes reliquerunt,Cicero ep.11.l.16 Fam.Dio li.41 & alii.M.Tullius tum quoque ab urbe diſceſsit , epiſt. 9. & ſeq.lib.7. ad Att. Diſceſsiſſe eum XIV. kal. Febr.

cognoſcitur ep.12.lib.9.ad Att.Fuit Cicero ἐπίσκοπος totius orae maritimae a Formijs,ep.11.l.16.Fam.& epi.10.lib.7.ad Att.IIX.Kal Februarij Cicero Minturnis fuit,ep.12.l.7.ad Att.Reliquerat uxorem Terentiam, & filiam Tulliam Romae,ep.11.libr.16.Fam.quarum curam ſaepius Attico mandat.ipſas quoque de hac re monet epiſt.14.& 18.lib 14.Fam VI.Kal.Febr Cicero Calibus Capuam proficiſcens ad Atticum miſit epiſt 13.lib.7.& poſtridie ſequentem.IV.Kal.Capua ad Tironem dedit ep. 11 lib.16 Famil. Capua profectus eſt Formias a.d.III.Kal eo quarto non.Feb.Tullia & Terentia uenerunt.M Tullius poſtridie cum fratre Capuam uerſus profectus eſt,ep.15.& 16.l.7.& ep.1.l.8.ad Att.Capuae cum triduum fuiſſet,VII.id.Febr.inde diſcedēs ſe Formias recepit,ep.19.lib.7.& 13 lib.8.ad Att.Formiis quotidie fere litteras ad Atticum dedit, quae extremo libro ſeptimo,& primo octauo leguntur.Reddita interim Ciceroni eſt a Pompeio epiſt.12.lib.8.ad Att.qua in Apuliam euocatur.eam ſe XV Kal.Mart.Formiis accepiſſe,Pompeio reſcribens ait, ep 13.l.8.ad Att.meminit epiſt.i.eiuſdem lib.Profectus deinde ad Pompeium cum Theanum Sidicinum ueniſſet,ex C.Meſsio, aliisq. compluribus cognouit,in iis locis eſſe Caeſarem,ut tuto ad Pompeium uenire non poſſet.itaque Cales progreſſus ibi conſtitit.& cum eſſet incertum iter Caeſaris,Leptam ad Pompeium miſit, & litteras; ipſe Formias reuertit,ep.3.& 15.li.8.ad Att.Ibi aliquandiu manens plures epiſtolas ad Atticum miſit,quae libr. 8.& 9. exſtant.IIX.Kal.Mart.Pompeius Canuſio Brundiſium profectus fuit,ep.1.lib 9.ad Att.eo Ciceronem uocauit miſſa epiſt.14.lib.8.ad Att.quam Cicero accepit. III. Kal. epiſt.ſeq. & manſit in Formiano a d.VII id. Mar.Caeſar Brundiſium cum legionibus ſex peruenit.atque ad murum caſtra poſuit, cum iam conſules Dyrrhachium profecti cum magna parte exercitus eſſent,& Pompeius Brundiſii cum cohortibus XX remaneret, epiſt.16.lib.9 ad Att.& lib.1. de bello ciuili.Cicero illo tempore etiam ad Tironem ſcripſit epiſt.13.14 & 15. libr 16 Famil.Pompeius XVI Kal.April Brundiſio cum omnibus copiis, quas habuerat,profectus eſt: Caeſar poſtero die opidum ingreſſus, & concionatus Romam contendit,epiſt.18.lib.9.Att.Eo itinere M Cicero illum conuenit,& quid egerit,Attico ſcribit epiſt.21 lib.9.Cicero deinde Arpinum profectus, ibi Tullio filio ſuo togam puram dedit,epiſt.21 & ult lib 9 ad Att.manſitq.in uillis menſe Aprili & Maio,atque ad Atticum miſit epiſtolas,quae lib.10. exſtant. VII. idus Iunii ad Pompeium in Graeciam proficiſcens nauim conſcendit,ep.7.lib.13.Fam.Suſcepto bello,Caeſar,geſto etiam ex magna parte, nulla ui coactus, iudicio meo,ac uoluntate ad ea arma profectus ſum,quae erant ſumpta contra te, ait ipſe pro Ligario, & nos in Cōmentario expoſuimus. Aduentus eius ut Plutarchus ſcribit,ceteris gratus fuit:Cato autem illum conſpicatus multis uerbis reprehendit,quod Pompeium ſecutus eſſet.Nam ſe non potuiſſe honeſte eam ſectam deſerere,quā ab initio in rep.delegiſſet. illum,qui magis prodeſſe patriae & amicis potuiſſet, ſi in Italia manſiſſet, & aequaliter ſe ad euentum comparaſſet,nulla ratione & abſque neceſsitate hostē Caeſari factū eſſe,atque in tanti periculi ſocietatem ueniſſe. Cum haec uerba Ciceronis animum flexerunt, tum quod nulla magna in re Pompeius illius opera utebatur. in cauſſa erat ipſe non negans,ſe facti ſui paenitere. Hactenus Plutarchus. ipſe quoque ep. 3. lib.7. Fam.ait: Cuius me mei facti paenituit, non tā propter periculū meū, quā propter uitia multa, quae ibi offendi,quo ueneram. Caeſar in Hiſpaniam profectus,ea potitus eſt,& dictator a M. Lepido praetore dictus comitia habuit,quibus ipſe cum P. Seruilio conſul creatus eſt,ut ſcribit de bello ciuili.

Anno urbis DCCV, Ciceronis LIX. COSS. fuerunt

C. IVLIVS. CAESAR. II. SERVILIVS. VATIA. ISAVRICVS

HIS conſulib. pridie nonas Ian.Caeſar Brundiſio in Epirum contra Pompeium traiecit,lib.3.de bello ciuili. Poſt nonas Febr. Cicero e Graecia ad Atticū dedit ep.2.lib.11.Obſeſſo a Caeſare & circumuallato Pompeio apud Dyrrhachiū,P.Dolabella ad Ciceronē miſit ep.9.li.9 Fam.nonis Iunij in caſtris fuit:e quibus ad Atticum dedit ep.3.lib.11. & ſequentem: in qua ſcribit ſe confici ſolicitudine,ex qua etiam ſumma infirmitas corporis conſecuta ſit. Itaque,cum Pompeius, tranſlato in Theſſaliam bello, apud Pharſaliam media aeſtate, ut Plutarchus in Bruto tradit,a Caeſare uictus eſt,Cicero in acie non fuit,ut ſcribit ad Paetum ep 18. lib.9.Fam. ſed remanſit in caſtris,ut Liuius lib.111.ſcripſit.unde Plutarchus in Ciceronę ait τῆς μάχης μετέσχε διʼ ἀῤῥωστίαν ideſt, proelio propter infirmitatem corporis non interfuit. Erant cum Cicerone M. Varro & M. Cato lib 1.de Diuin.Catonē apud Dyrhacchium,ut impedimentis praeſidio eſſet,cū XV. cohortibus a Pompeio relictum fuiſſe,Plutarchus in Pompeio & Catone auctor eſt. Victo Pompeio, Cato (inquit Plutrchus in Cicerone) qui copias magnas,claſſemq. magnā Dyrrhachij habebat,ad M.Tullium,qui & lege & dignitate cōſulari praeſtaret,imperium deferebat. quod cū ille recuſaret,militamq. ſubterfugeret, propius factum eſt nihil,quam ut occideretur,& cum & Pompeius filius & amici eū proditorē appellarent,gladiosq ſtringerēt, ſed Cato reſiſtens uix illū caedi eripuit,& ex caſtris remouit,atque ablegauit. Haec Plutarchus. Q Cicero li 1 de Diuin. refert Labienum ex Pharſalica fuga in caſtra ueniſſe, interitūq. exercitus nunciaſſe.atque ita ipſos ſubito perterritos metu naues conſcendiſſe.Victoriā igitur Caeſaris Cicero belli finem ſibi fecit: nec putauit,cum integri pares non fuiſſent, fractos ſuperiores fore,ep.3.lib.7.Famil.Venit in Italiam non accerſitus,ep.ſ.6.lib.11.ad Att.& Terentiae uxori, quae ipſi de aduentu gratulata erat, pridie non. Nouemb. Brundiſio reſcripſit, ep.12 lib.14 Fam Brundiſij Cicero diu moratus eſt Caeſarem exſpectans,dum is poſt proelium Pharſalicum in Aegyptum profectus bellum Alexandrinum geſsit,& Pharnacē in Ponto ſuperauit. Brundiſiū quoque M. Antonius poſt uictoriam,cum legionibus uenit, & Ciceroni pepercit. quod beneficium Cicero Philippica

ſecunda

ſecunda agnoſcit. Scripſit tum Caeſar ad Antonium, prohiberi omnes Italia, niſi quorum ipſe cauſſam cognouiſſet. quare, cum Antonius petiiſſet a Cicerone per litteras, ut ſibi ignoſceret: facere ſe non poſſe, quin Caeſaris litteris pareret: miſit Cicero ad eum L. Lamiam, qui demonſtraret, Caeſarem Dolabellae dixiſſe, ut ad Ciceronem ſcriberet, ut in Italiam quamprimum ueniret. itaque Antonius edixit ita, ut M. Tullium exciperet nominatim. hoc XIV Kal. Ian. Cicero ad Att. ſcripſit epiſt. 7. lib. 11. Affligebat Ciceronem eodem tempore Tulliae morbus: cuius meminit epiſt. 7 lib. 11. ad Att. de eodem ſcribit ad Terentiam epiſt. 19. lib. 14. Fam. ſcribit etiam per Leptam & Trebatium epiſt. 17. eiuſdem lib. uide epiſt. 8. lib. 11. ad Att.

Anno urbis DCCVI. Ciceronis LX

C. IVLIVS. CAESAR. II. DICTATOR fuit.

M. ANTONIVS. MAG. EQVIT.

HANC dictaturam Caeſar extra Italiam iniit, auctore Dione lib. 32. De Antonio magiſtro equitum Cicero Philipp. 2. Acceſsit, ut, Caeſare ignaro, cum eſſet ille Alexandriae, beneficio amicorum eius magiſter equitum conſtitueretur. III nonas Ian. die natali ſuo M. Tullius ad Att. dedit epiſt. 9. li. 11. & ſequentem XII Kal. Febr. IIX idus Martij ad eundem ſcripſit epiſt. 11. & 12. Romae illo tempore ſeditiones a P. Cornelio Dolabella tribuno pl. & Tulliae marito, legem ferente de nouis tabulis excitatae ſunt. de quibus Liuius lib. 113. Dio lib. 42. Hae ſunt generi actiones, de quibus Cicero epiſt. 12. 14. 15. & 23. lib. 11. ad Att. pridie idus Maij Cicero ad Att. dedit epiſt. 15. & III nonas Iunij ſequentem eiuſdem libri Pridie idus Iun. Tullia ad patrem Brundiſium uenit, epiſt. 11. & 15. lib. 14. Fam. & epiſt. 17. lib. 11. ad Att. Conſtituerat eo tempore M. Tullius Ciceronem filium cum Cn. Salluſtio obuiam Caeſari mittere: ſed, cum de eius aduentu nihil afferretur, conſilium mutauit, epiſt. 17. & 18. lib. 11. ad Att. & epiſt. 11. & 15. lib. 14. Fam. Pridie idus Sextil. Cicero accepit litteras Caeſaris, quas ille ex Aegypto ad eum miſerat, ut eſſet idem, qui fuiſſet. ep. ult. lib. 14. Fam. & pro Ligario. ubi C. Panſam nuncium de conceſsis faſcibus pertuliſſe ait. Dedit tum Cicero ad Attic. epiſtolas quae extremo libro undecimo exſtant. Cum Caeſar ad Kal. Septem. Athenis fore diceretur, Cicero propter moras Aſiaticas ſecus putabat, epiſt. 21. lib. 11 ad Att. Venit tamen in Italiam celerius omnium opinione, ut Hirtius auctor eſt. Vbi ad Ciceronem allatum eſt, eum Tarentũ nauibus appuliſſe, atque inde Brundiſium pedibus contendere, obuiam illi proceſsit, non equidem ualde diffidens, ſed tamen ueritus in tãta multitudine hoſtis & uictoris periculum facere. Verum non fuit opus quidquam dicere, aut facere praeter dignitatem. Caeſar enim, ut eum longe ante alios occurrere uidit, deſcendit, & ſalutauit, cumq. eo ſolo colloquens multa ſtadia proceſsit. Haec Plutarc. in Cicerone. Kal. Octob. Cicero ad Terentiam de Venuſino dedit ep. 20 lib. 14. Fam. mandans, ut in Tuſculano omnia eſſent parata ad hoſpites excipiendos. deinde in urbem uenit, & rediit cum libris in gratiam, epiſt. 1. lib. 9. Fam. Extremo anno Q. Fuſius Calenus, & P. Vatinius cos. fuerunt, Dio lib. 42.

Anno urbis DCCVII, Ciceronis LXI. COSS. fuerunt

C. IVLIVS. CAESAR. III, M. AEMILIVS. LEPIDVS

CAESAR, cum VI kal Ian. Lilybaei conſcendiſſet, ac poſt diem quartum in conſpectum Africae ueniſſet, hoc anno bellum Africum aduerſus P. Scipionem, & Iubam Mauritaniae regem adminiſtrauit. de quo Hirtius, & alij. Obtinebat eo tempore Siciliam Allienus praetor, ut Hirtius ſcribit. Miſit tum ad eum in prouinciam Cicero ep. paen. & ult. li. 13 Fam. Caeſar, cum ad bellum Africanum proficiſceretur, M. Brutũ Galliae ciſalpinae praefecit, auctor Appianus lib. 2. & Cicero epiſt. 6. lib. 6. Fam. eo tempore Cicero ad illũ ſcripſit quinque epiſtolas, quae lib. 13 Fam. leguntur. Graeciae idem Caeſar praefecit Ser. Sulpicium, ep. 4. lib. 4. itẽ 1 & 6 lib. 6. Fam. Ad eum quoque plures Ciceronis epiſtolae exſtãt lib. 13. Fam. Erat autem M. Tullius tempore belli Africani Romae, nec fere exibat, propter uarias hominum ſuſpiciones, quas Varroni exponit ep. 3 lib. 9. Fam. Fuit etiam ruri in uillis, ep. 1 lib. 12 ad Att. ubi Hirtij, & Balbi Caeſarianorum meminit, qui hoc bello Africano Romae fuerunt, ut permultae epiſtolae ad Familiares tum ſcriptae oſtendunt. in quibus ſunt ad Varronem & Paetum pleraeq. lib. 9. Fam. Conquieſcebat M. Tullius in ſtudiis, ep. 6. lib. 9. Famil. Scripſiſſe illum eo tempore Partitiones Oratorias Corradus putat. & de Bruto, qui eſt de claris Oratoribus, uere affirmat, eũ uiuo adhuc Catone ſcriptum eſſe, quamuis prooemium anno ſequenti editũ fuiſſe, oſtendat. Caeſar initio menſis Aprilis, ut Hirtius ſcribit, Iubam & Scipionem uicit. ac paucis diebus poſt M. Cato ſibi Vticae mortẽ cõſciuit. Cato autem ſic abiit e uita, ut cauſſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet, ait Cicero Tuſc. 1. Africano bello cõfecto, Caeſar idib. Iun. claſſem conſcendit, & poſt diem tertium in Sardiniam peruenit. inde a. d. III kal. Quinct. naues conſcendens duodetrigeſimo die ad urbem Romam uenit, Hirtius. Fuerat cum Caeſare in Africa P. Dolabella, ut docet Cicero Philipp. 2. qui cum Caeſarem ab Africano bello redeuntem antecederet, ep. 7. l. 9 Fam. Cicero ei Tironem obuiam miſit, ep. 5. lib. 12. ad Att. Caeſari ſenatus multos honores decreuit, in iis, ut praefectus moribus, τῶν τρόπων ἐπιστάτης, per trienniũ eſſet, Dio lib. 43. meminit Cicero ep. 15. lib. 9. Fam. Erat Cicero in urbe, atq. a Caeſare, ut Plut. ſcribit, honore afficiebatur, adeo ut laudi Catonis a Cicerone ſcriptae reſpõdẽs

orationem

orationem eius,& uitam ceu Periclis & Theramenis maxime geminã collaudaret. Atque Ciceronis liber Ca-
to, Caeſaris Anticato inſcribitur. Cicero anno ſequente ad Atticum, ut eſt epiſt 35. lib. 12 ita ſcripſit: Qualis
futura ſit Caeſaris uituperatio contra laudationem meam, perſpexi ex eo libro, quem Hirtius ad me miſit, in
quo colligit uaria uitia Catonis ſed cum maximis laudibus meis. Tribus ſtatibus uſum C. Caeſarem in uitu-
perando Catone, eſt apud Quinctil. lib. 3. cap. 9. Caeſarem in Anticatone citat Gellius lib. 4. c. 16. C. Caeſar in
Anticatone priore adducitur a Priſciano lib. 13. Iuuenalis Satyra 6. Duo Caeſaris Anticatones. Cicero ſub
finem lib. 13. ad Att. Caeſaris libros cõtra Catonem, nominat. Cremutius Cordus apud Taticum lib 4. M. Ci
ceronis libro, quo Catonem caelo aequauit, quid aliud dictator Caeſar, quam reſcripta oratione uelut apud iu
dices reſpondit? Gellius lib. 13. cap. 18. M. Cato Nepos pater fuit M. Catonis praetorij uiri, qui bello ciuili V-
ticae necem ſibi gladio manu ſua conſciuit: de cuius uita liber eſt M. Ciceronis, qui inſcribitur, Laus M. Cato-
nis. Caeſarem ladationem a Cicerone ſcriptam non aegre tuliſſe, ſed librum, ſiue βιβλίον τι, ſcripſiſſe, ὃ καὶ ἀντι-
κάτων ἐκάλεσεν, ait Dio lib. 43. Catone abſoluto Cicero ſtatim eſt aggreſſus Oratorem, ut ipſe in Oratore ad
M. Brutum, qui tum Galliae praeerat, ſcribit. de Oratore lege epiſt. 19 lib. 6. Fam. M. Claudius Marcellus, qui
ante annos quinque in cõſulatu Caeſarem palam oppugnauerat, bello ciuili partes Pompeij ſecutus, eo uicto
Caeſarem ueterem ſuum inimicum metuens Mitylenas conceſsit; ibiq. in ſtudio bonarum artium hoc tem-
pore beatiſsime, quantum modo natura hominis patitur, uiuebat, ut ex Bruto refert Seneca in conſolatione ad
Albinam. tum M. Tullius ad eum dedit epiſt. 7. & 8. lib. 4. Fam. hortãs illum ut Caeſari ſe ſummitteret. cum
autem in ſenatu a L. Piſone mentio eſſet facta de Marcello, & cum C. Marcellus ſe ad Caeſaris pedes abieciſſet,
cunctus ſenatus conſurrexit, & ad Caeſarem ſupplex acceſsit. tum Caeſar, accuſata acerbitate Marcelli, repen-
te praeter ſpem dixit, ſe ſenatui rogãti de Marcello ne hominis quidem cauſſa negaturum. itaque, cum omnes
ante M. Tullium rogati gratias Caeſari praeter L. Volcatium Tullum egiſſent, Cicero, qui ſtatuerat in perpe
tuum tacere, ſententiam rogatus, pluribus uerbis egit Caeſari gratias. quae oratio pro Marcello exſtat. uide e-
piſt. 4. lib. 4. Fam. Cicero quoque Marcello perſuaſit, ut Romam redire uellet. epiſt. 9. 10. & 11 eiuſdem libri.
Hoc anno, ut Dio teſtatur, Caeſar faſtos correxit; annumq ad curſum ſolis accommodauit, ut CCCLXV
dierum eſſet, & interkalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno interkalaretur. quo autem magis
in poſterum ex Kal. Ian. temporum ratio congrueret, inter Nouembrem, ac Decembrem menſem interiecit
duos alios: fuitq. hic annus XV menſium cum interkalario, qui ex conſuetudine in eum annũ inciderat. haec
Suetonius. lege praeterea Macrobium, Plinium, Dionem, & Plutarchum. Pridie Kal. interkalares priores Tul
lius rogatu fratrum Q. Ligarij, qui poſt uictos in Africa Pompeianos uita a Caeſare impetrata extra Italiam
in exſulio uiuebat. mane ad Caeſarem uenit: cumq. fratres & propinqui Ligarij iacerent ad pedes, Cicero ea
eſt locutus, quae cauſſa, quae tempus poſtulabat, epiſt. 15. lib. 6. Fam. Ligarius deinde a Q. Aelio Tuberone
reus factus eſt, eiuſq. patrocinium Cicero ſuſcepit. tum Caeſarem dixiſſe ferunt: Quid eſt cauſſae, cur Cice-
ronem orantem aliquandiu non audiamus? nam reum quidem hominem improbum & hoſtem eſſe, iampri-
dem certum eſt. Vbi uero Cicero ingreſſus dicere, mirificos motus concitauit, & oratio progreſſa cum affe-
ctibus uaria, tum uenuſtate admirabilis fuit, perſpicue cognitum aiunt, uarios colores Caeſaris uultum ſubire,
eiusq. animum omnibus modis commutari: ac tandem, cum Pharſalici proelij mentionem facere Orator coe
piſſet immodicis perturbationibus incitatum corpore cõtremuiſſe, & libellos quoſdam e manu eieciſſe. Vi-
ctus igitur Caeſar orationis ui, Ligarium crimine liberauit. Ita nos locum Plutarchi de hac cauſſa a nobis cõ-
uerſum in fine Commentarij Ligariani ad ornatiſs. uirum Gerhardum Iuliacenſem iamdudum edidimus.
Confecto bello Africano, T. Quinctius Scapula nouum in Hiſpania commouit: cuius meminit Cicero ep. 13.
lib. 9. Fam. Tu lege Dionem lib 43. ubi Cn. Pompeium Magni filium Hiſpaniae partes pleraſq in ſuam di-
tionem redegiſſe tradit. Caeſar igitur extremo hoc anno ad bellum Hiſpanienſe profectus, XXVII diebus
in Hiſpaniam peruenit, ut Appianus lib. 2. ſcribit. Hoc anno M. Tullius cum Terentia uxore diuortium fecit,
quae Vibio Rufo deinde nupta fuit, auctore Dione lib. 57. atque tertium & centeſimum expleuit annum, ut
ſcribit Valerius Max. lib. 8. cap. 13.

Anno urbis DCCIIX, Ciceronis LXII.

C. IVLIVS. CAESAR. III. DICTATOR fuit,
M. AEMILIVS. LEPIDVS. MAG. EQVIT.

Eodem Anno

C. IVLIVS. CAESAR. IV. COSS. ſine collega fuit.

HAEC ex Capitolinis lapidibus recte a uiris doctis probantur. uide Faſtos Sigonij & Onuphrij. Cicero,
Terentia dimiſſa, uirginem uxorem duxit; ut Terentia dictitabat, formae gratia: ut autẽ Tiro Ciceronis
libertus ſcripſit, diuitiis eius adductus, ut aes alienum diſſolueret. erat enim puella diues, & bona eius Cicero
fideicommiſſarius heres relictus cuſtodiebat. quare, cum permagnum aes alienum haberet, amicorum & fa-
miliarium impulſu puellam uxorẽ praeter aetatem duxit, ut illius facultatibus creditoribus ſatisfaceret. Haec
Plutarchus, ut quidem nos cõuertimus, aliis interpretibus nihil praeiudicantes. e quibus uerba illa Plutarchi,

καὶ

καὶ τὴν ἐσίαν αὐτῆς ὁ Κικέρων ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς διεφύλαττεν. quae nos uertimus, Et bona eius Cicero fideicommiſſarius heres relictus cuſtodiebat: Bocchius ſic expreſsit, Et eius ſubſtantias ſub tutoris fide ſeruabat: Xylander noſter, Eiuſq. bona fidei ſuae commiſſa Cicero heres ab ea ſcriptus ſeruabat: Corradus, Et eius facultates Cicero ſuae fidei commiſſas, ut heres relictus, ſeruabat. Non erat Cicero ut heres relictus, neque ſecundus heres, ut Corradus ſcribit: ſed Publilius, ſiue Popillius moriens Ciceronem heredem inſtituerat, & rogauerat, ut hereditatem redderet ſuae filiae. Huiuſmodi heredem fideicommiſſarium dici a Iuriſconſultis, etiam in Graecis Iuſtiniani Conſtitutionibus, notum eſt iis, qui libros illos non aſpernantur. Sic P. Sexrilius Rufus heres a Q. Fabio Gallo ſcriptus, rogatus fuit, ut omnis hereditas ad filiam perueniret, ut eſt lib. 2. de Finibus. Verum ad inſtitutum. Calenus apud Dionem lib. 46. ait M. Tullium exacta aetate uirginem duxiſſe, ἵνα ἐκ τῆς ἐσίας αὐτῆς τὰ δανείσματα ἀποτίσῃ. ut illius facultatibus ſe aere alieno liberaret: Quinctil. lib. 6. cap 4. Cicero obiurgantibus, quod ſexagenarius Popilliam uirginem duxiſſet, Cras mulier erit, inquit. li. 12. ad Att. epiſt. 27. Publilia nominatur. quam ſecundam Ciceronis uxorem fuiſſe homines docti affirmant. De his nuptiis cum Ciceroni Cn. Plancius gratulatus eſſet, Cicero ita reſpondit, epiſt. 14. lib. 4. Fam. Quod mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita uelle certo ſcio: ſed ego tam miſero tempore nihil noui conſilij cepiſſem, niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas, quam remp. offendiſſem. &c. Non ita multo poſt, quam Cicero Publiliam duxerat, Tullia filia apud Lentulum pariens deceſsit, ut Plutarchus ſcribit. Aſconius quoque in Piſonem, filiam Ciceronis apud P. Lentulum ex partu deceſsiſſe, ait. Propter Tulliae partum Cicero ſe Romae teneri initio belli Hiſpanienſis ſcribit ad Leptam epiſt. 19. lib. 6 Famil. Lentulus, apud quem Tullia deceſsit, eſt P. Cornelius Dolabella, qui cum Caeſare in Hiſpania erat, ut Cicero Philipp. 2. & epiſtolarum ad Att. lib. 3. oſtendit. Itaque deplorans Tulliae mortem ad illum ſcripſit epiſt. 11. lib. 9. Fam. Quanto dolore propter interitum filiae cariſsimae exarſerit, ipſe oſtendit in epiſtolis, quas tum ad Atticum miſit, & exſtant lib. 12. & 13. ad Att. Vndique tum philoſophos ad Ciceronem conſolandi gratia conueniſſe, Plutarchus auctor eſt. Miſit ad Tullium conſolatorias litteras M. Brutus, epiſt. 7. lib. 12. ad Att. in Bruto, & epiſt. 9. ad M. Brutum. Ser. Sulpicij conſolatio exſtat epiſt. 5. lib. 4. Fam. cui Cicero epiſt. ſequenti reſpondet. L. quoque Lucceius Ciceronem per litteras conſolatus fuit. eiq. reſpondet epiſt. 13. lib. 5. Famil. Praeterea Caeſar litteras conſolatorias pridie Kal. Maij Hiſpali dedit, epiſt. 19. lib. 13. ad Att. ſed cum omnem conſolationem uinceret dolor, ſe ipſe per litteras conſolatus eſt, ſcripſitq. librum, quem Conſolationem, uel de luctu minuẽdo inſcripſit, lib. 12. & 13 ad Att. Ex hoc libro Lactantius lib. 1. & 3. multa adducit. Conſolationis ſuae meminit etiam Cicero in Tuſculanis aliquoties. & in 2. de Diuinat. ſic: Nam quid ego de Conſolatione dicam? quae mihi quidem ipſi ſane aliquantum medetur, ceteris item multum profuturam puto. Plutarc. addit, Ciceronem Publiliae nuncium remiſiſſe, quod uiſa eſſet Tulliae morte laetari. Vnde negotium, quod cum Publilio habuit, de ſolutione dotis fuiſſe uidetur. lib. 13. & 16. ad Att. Poſt Tulliae mortem Cicero domo abfuit, & Aſturae, atque in ceteris uillis maximam partem anni in philoſophiae ſtudiis conſumpſit. Cum enim dominatu unius omnia tenerentur, ad philoſophiam, cui multum adoleſcens diſcendi cauſſa temporis tribuerat, ſe retulit, & ſapientiae ſtudium longo interuallo intermiſſum reuocauit, Tuſc. 1. & de Off. 2. Quare, cum, quae a Graecis ſummis auctoribus memoriae prodita erant, ea Latinis litteris illuſtrare uellet, Hortenſium ſcripſit. quo in libro philoſophiam, ab Hortenſio accuſatam, & uituperatam, ipſe defendit, & collaudauit, ut teſtatur primo de Finib. eiuſdem mentio eſt Tuſc. 3. & lib. 2. de Diuin. his uerbis: Cohortati ſumus, ut maxime potuimus, ad philoſophiae ſtudium in eo libro, qui eſt inſcriptus Hortenſius. Huius libri lectione D. Auguſtin. ſe ad uerae, hoc eſt Chriſtianae philoſophiae contemplationem incenſum fuiſſe aliquot locis fatetur. Deinde, ut eſt ſecundo de Diuin. quod genus philoſophandi minime arrogans, maximeq. & conſtans & elegãs arbitraretur, quattuor Academicis libris oſtendit. Scripſerat autem primum duos libros Academicos, & unum Catulum, alterum Lucullum appellauit. quorum poſterior adhuc exſtat: de quo Plut. in uita Luculli. deinde, quia πέρα τὸ πρέπον uidebatur, quod erat hominibus non ignota, nõ illa quidem ἀπαιδευσία, ſed in iis rebus ἀτριψία, eoſdem illos ſermones ad Catonem Brutũq. tranſtulit. ſed admonitus ab Att. totã illã Academicen σύνταξιν ab hominib. nobiliſsimis abſtulit, tranſtulitq. ad M. Varronẽ, & ex duob. libris contulit in quattuor, lib. 13. ad Att. epiſt. 12 13. & 15. atq. ex his quattuor libris primi tantũ particula exſtat. Scripſit tũ etiã, ut ex iiſdẽ epiſtolis cognoſcitur, de finib. cumq. fundamentum eſſet philoſophiae poſitũ in finib. bonorũ, & malorũ, perpurgatus eſt is locus quinque libris, ut quid a quoque, & quid contra quẽque philoſophũ diceretur, intelligi poſſet, lib. 2. de Diuin. Ita autẽ cõfecit quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M Piſoni daret, ep. 18. li. 13 ad Att. Scripſit eodẽ tẽpore Laudationem Porciae, ſororis M. Catonis, & uxoris L. Domitij Ahenobarbi, ep. 36. & 47. li. 13 ad Att. Iam a ſcriptis alio tranſeamus. Poſt Tulliae mortẽ Tullius M. F. Athenas cum L. Tullio Montano profectus eſt, in fi. lib. 12. ad Att. Ser. Sulpicius adhuc Achaiae praeerat, atque pridie Kal. Iun. Athenis ad Ciceronem dedit epiſt. 12. lib. 4. Fam. in qua eum certiorem facit de M. Marcello, qui a P. Magio Chilone occiſus erat, Liuius lib. 115. Cicero ep. 10. & 11. lib. 13. ad Att. A. Torquatus eo tempore Athenis exſulabat. ad quem ſunt Ciceronis epiſtolae lib. 6. Fam. In quarta ep. Seruius Athenis diſceſsiſſe dicitur. Caeſar interim liberos Pompeij in Hiſpania uicit: e quibus Sextus profugit, Cnaeus pridie id. Apr. interfectus eſt, auctore Hirtio. Dolabella inde in Italiam profectus, ad Ciceronem Maio menſe uenit, ep. 8. lib. 13. ad Att. Caeſar deinde in urbem mẽſe Octobri reuertit, ut Paterculus lib. 2. ſcribit. Initio eius menſis eum reuertiſſe, ex iis, quae ſequuntur, diſces. In triumphalibus fragmentis tabularum Capitolinarum ſcriptum eſt, Q. Fabium Maximũ cos. anno DCCIIX. ex Hiſpania III idus Octobr. triumphaſſe. Fabius autem conſul non fuit, niſi poſt Caeſaris reditum ex Hiſpania. Caeſar enim in urbem reuerſus conſulatu ſe abdicauit, & in reliquum anni Q. Fabium, & C. Trebonium

mum ſuffecit, auctore Dione lib. 43. atque hi ſunt conſules, quos Caeſarem in quarto conſulatũ ſibi in ternos nouiſsimos menſes ſuſtuliſſe, Suetonius ait. Iam Caeſarem ante Q. Fabium triumphaſſe, nõ modo ex Dionis hiſtoria cognoſcitur, ſed a Quinctiliano lib. 6. c. 4. diſerte ſcribitur. Quae cum ita ſint conſiderandũ, quomodo Caeſar ex Hiſpania reuertens a Cicerone tertiis Saturnalibus potuerit hoſpitio accipi, ut uidetur ſignificari ep. ult. lib. 13. ad Att. Poſt reditum Caeſaris ex Hiſpania Cicero apud eum dixit pro Deiotaro, quae oratio exſtat. Fuerat is tetrarcha Gallo Graeciae paene totius, & Armeniae minoris rex a ſenatu conſtitutus. Sed, quia bello ciuili Pompeij partes ſecucutus fuerat, Caeſar Pharnace deuicto cum parte tetrarchiae multauerat, Armeniamq. abſtulerat, Cicero Philip. 2. Hirtius de bello Alexandrino. Cum deinde Caeſar litteris Tarracone datis eum bene ſperare, & bono animo eſſe iuſsiſſet; hoc tempore Caſtor nepos Deiotari ex filia, Phidippum medicum, ſeruum regis, corruptum praemiis ad accuſandum dominum Deiotarum impulit. Crimini dedit, Regem domi ſuae Caeſarem interficere uoluiſſe. Accuſatum domi Caeſaris Cicero hoſpes eius defendit, cauſ ſamq. licet tenuem, & inopem, tamen ſcripſit, atque ad Dolabellam miſit, ep. 12 lib. 9. Fam. Extremo huius anni die, Q. Fabio Maximo conſule mortuo, C. Caninius Rebilus cõſul hora ſeptima renunciatus eſt, qui uſque ad Kal. Ian. eſſet, quae erãt futurae mane poſtridie. itaque Cicero dixit, eum mirifica uigilãtia fuiſſe, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non uiderit, ep. 30. lib. 7. Fam. Macrobius lib. 2. & 7. Pollio in libro de XXX. tyrannis. Plinius lib. 7. c. 53. Plutarchus in Caeſare, & Dio lib. 43.

Anno urbis DCCIX. *Ciceronis* LXIII, *COSS. fuerunt*

C. IVLIVS. CAESAR. V, M. ANTONIVS

EODEM anno, ut monumenta uetuſta oſtendunt, C. Iulius Caeſar dictator IV. fuit, & M. Aemilius Lepidus magiſter equitum. Cicero poſt libros quinque de Finib. totidem Tuſculanarum quaeſtionum edidit, iisq. res ad beate uiuendum maxime neceſſarias aperuit: primus enim eſt de contemnenda morte, ſecundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quinctus eum locum complexus eſt, qui totam philoſophiam maxime illuſtrat. docet enim ad beate uiuendũ uirtutem ſe ipſa contentam, lib. 2. de Diuinat. Vtrum uero hi libri ad hunc, an ſuperiorem annum referendi ſint, nondum decerno, nec multum refert. De reliquis philoſophicis libris deinceps dicemus, ſi prius acta urbana expoſuerimus. Initio huius anni M. Tullius Romae fuit. Kal. quidem Ianuarij affuit in ſenatu, cum Caeſar P. Cornelium Dolabellam ſubrogare, ſibi reſiſtente Antonio, uoluit, ut cognoſcitur Philipp. 2. uide Plutarchum in Antonio. Lupercalibus, id eſt, XV. Kal. Martij, cum Caeſar in Roſtris ſedens in ſella aurea, amictus toga purpurea, ſpectaret Lupercos, Antonius unus e Lupercis ad ſellam acceſsit, & capiti eius diadema impoſuit: quod Caeſar cum plauſu populi reiecit, Cicero Philip. 2. 3. & 13. Plutarchus, Appianus, Dio, & alij. Idibus Mart. Caeſar a coniuratis in Pompeij curia tribus & XX. plagis confoſſus eſt. Eius coniurationis, ut Plutarchus ſcribit, Cicero particeps non fuit, quamuis M. Bruto familiariſsime uteretur. Verum, quia, Caeſare interfecto, ſtatim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit atque ei recuperatam libertatem eſt gratulatus; Antonius, Ciceronis conſilio Caeſarem interfectum poſtea in ſenatu dixit, Philip. 2. Dio lib. 44. ait percuſſores Caeſaris, cum e curia in forum ſe conferrent, crebro Ciceronem exclamaſſe. Receperunt illi ſe e foro in Capitolium, eoq. Cicero etiam cum aliis permultis adſcendit, neque tamen adduci potuit, ut ad Antonium iret, atque ad defendendam remp. hortaretur: ſed cum ceteri conſulares irent, redirent, ipſe in ſententia manſit, neque Antoniũ illo die, neque poſtero uidit, ut ipſe in ſecunda Philipp. teſtatur. nec uerum eſt, quod Plutarchus, Appianus, Dio, & interpretes Philippicarum ſcribunt, poſtridie idus ſenatum in aede Telluris habitum fuiſſe. nam & in ſecunda Philip. ſe poſt diem tertium in aedem Telluris ueniſſe ait, & epiſt. 11. & 16. lib. 14. ad Atticum id Liberalibus factum fuiſſe oſtendit. id eſt, a. d. XVI. Kal. April. Eo die M. Tullius, quantum in ipſo fuit, iecit fundamenta pacis, Athenienſiumq. renouauit uetus exemplum: Graecum etiam uerbum uſurpauit, quo tum in ſedandis diſcordiis uſa erat ciuitas illa; atque omnem memoriam diſcordiarum obliuione ſempiterna delendam cenſuit, Philipp. 1. Plura ſcripſi in cap. 2. lib. 12. Oroſij. Habuit ibi Antonius quoque orationem de concordia, eiusq. paruus filius in Capitolium miſſus pacis obſes fuit, Philip. 1. & 2. itaque interfectores, ut Plutarchus in Bruto ſcribit, e Capitolio deſcenderunt, & Brutus apud Lepidum, Caſsius apud Antonium, ceteri apud alios cenarunt. poſtero die prouinciae iiſdem in ſenatu decretae fuerunt; Bruto Creta, Caſsio Africa, Trebonio Aſia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior. Sed cum Caeſar funere elatus, & a M. Antonio laudatus eſſet, plebs cum facibus ad domum Bruti, Caſsij, & aliorum tetendit, atque aegre ui manuq. repulſa fuit, quod hiſtorici prope omnes ſcribunt, & cum illis Cicero lib. 14. ad Att. & Philip. 2. Tum M. Brutus, & Caſsius urbem reliquerunt, & Antium, atque Lanuuium profecti diu ibi otioſi fuerunt, ut lib. 14. & 15. ad Atticum uidemus. Cicero quoque initio Aprilis ex urbe rus profectus uillas ſuas luſtrauit, ut indicant epiſtolae illae, quae initio lib. 15. ad Att. hoc tempore ſcriptae leguntur. nec quidquam eo tempore malebat, quam ruſticari, ep. 23. lib. 16. Fam. Haec autem ruſticatio nobis dedit tres libros de natura deorum, & duos de Diuinatione, & praeterea dialogum de Senectute, ut puto. quamuis enim ante libros de Diuinatione ſit ſcriptus, ut prooemium lib. 2. oſtendit: tamẽ hoc anno eum ad Atticum miſſum arbitror, cum is timidior πανικοῖς quibuſdam commoueretur, & Cicero ſenectutem contemneret, ep. 23. lib. 16. Fam. Ante idus Maij ſcriptum fuiſſe cognoſcitur extremo libro XIV

epiſt.

epiſt. ad Att. Eodem tempore cum omnes cogitationes ſuas in concordia ciuium defixas haberet, atque omnium, etiam Antonij, amicitiam retinere uellet, ep. 23. lib. 16. Famil. ſcripſit Laelium, ſiue de Amicitia. Romae interim a conſulibus M. Antonio, & P. Dolabella, qui Caeſaris locum ceperat, uncus impactus eſt fugitiuo illi, qui in C. Marij nomen inuaſerat, & in Liuiana epitoma lib. 116. Chamaces, ab Appiano lib. 3. ἀμάχιος ὁ ψευδομάριος, a Valerio Max. lib. 9. cap. 16. Herophilus equarius medicus dicitur. De huius ſupplicio Attici litteras Cicero accepit XVII. Kalend. Maij, epiſt. 8. lib. 14. ad Att. Menſe Aprili, & Maio Antonius Italiam percurſauit, Dolabella, abſente collega, buſtum in foro euertit, Philipp. 2. Plebs enim ſolidam columnam prope XX. pedum lapidis Numidici in foro in buſto Caeſaris ſtatuerat, & inſcripſerat, PARENTI. PATRIAE: atque apud eandem ſacrificabat, uota ſuſcipiebat, & controuerſias quaſdam interpoſito per Caeſarem iureiurando diſtrahebat, ut Suetonius ſcribit. Dio lib. 44. βωμὸν fuiſſe ait, ad quam Caeſari plebs ſacrificia fecerit. Ara nominatur quoque ep. 2. lib. 2. Famil. Cicero columnam uocat, quam Dolabella ſuſtulit, & homines ſeditioſos, qui illam euerſionem indigne ferebant, partim in crucem egit, alios de ſaxo deiecit. ep. 17. lib. 14. ad At. & Philip. 1. Meminit eiuſdem rei Lactantius lib. 1. cap. 15. ubi ait, Dolabellam Caeſaris columnam, ideſt titulum euertiſſe. de hoc facto gratulatur Cicero Dolabellae conſuli, epiſt. 14. lib. 9. Famil. C. Octauius, qui deinde imperium tenuit, & Auguſtus dictus eſt, cum Caeſar, eius auunculus magnus, Romae interficeretur, Apolloniae erat. Factus autem certior de Caeſaris caede in Italiam tranſiit & Neapolim uenit XIV Kal. Maij, ep. 10. lib. 14. ad Att. fuit etiã ruri cũ Cicerone perhonorifice & amice, ep. 12. eiuſdem lib. Romam cũ ueniſſet, ab Antonio cos. ſuperbe exceptus eſt. Adiit tum inuidioſam Caeſaris hereditatẽ, quãuis id, neque Attiae matri, neque L. Marcio Philippo uitrico placeret. quod cũ aliis hiſtoricis Velleius & Suetonius ſcribunt. Adita hereditate Caeſaris, nomen quoque eius tulit, cumq. prius C. Octauius nominaretur, deinceps C. Iulius Caeſar Octauianus de more dictus eſt, quamquam lex curiata de adoptione eius anno demum ſequente, cum iam conſul eſſet, perlata fuerit, auctore Dione li. 46. Itaque Cicero eum modo Octauianum, modo Octauium nominat. Deinde aperte (inqnit Velleius) Antonij, ac Dolabellae conſulum erupit furor. ſeſtertium ſepties millies depoſitum a C. Caeſare ad aedem Opis occupatum eſt ab Antonio. Hinc Cicero in Philip. 2. Vbi eſt millies ſeſtertium, quod in tabulis, quae ſunt ad Opis, patebat? Mentionẽ eiuſdem pecuniae facit Philip. 1. & 5. & ep. 15. lib. 14. ad Att. Rapinas, inquit, ſcribis ad Opis fieri. Quibus in uillis & locis M. Cicero menſem Aprilem, & Maiũ ruſticando poſuerit, epiſtolae lib. 14. ad Att. demonſtrant, quas illis menſibus ſcripſit. Hoc quoque ex iiſdem, & ex ep. 1. lib. 15. cognoſcitur, A. Hirtium cos. deſignatum menſe Maio cũ Cicerone in Puteolano fuiſſe. Ibi tum ſermonem de Fato habitum fuiſſe, ipſe initio libri de Fato teſtatur. De Timaeo Platonis, qui liber de Vniuerſitate inſcribitur, certo ſciri non poteſt, quo tempore ſcriptus fuerit. quare in Corradi coniecturam non inuitus deſcendo. Extremo menſe Maio Tullius Romam uerſus proficiſcẽs, ut Kal. Iunij in ſenatu, ſicut Antonius edixerat, adeſſet, ſcripſit epiſtolas, quae initio lib. 15. ad Att. leguntur. Kalendis, cum Antonius Romam ſe, peragratis ueteranorum coloniis, ſtipatum armis retuliſſet; ſenatores metu perterriti repente diffugerunt, Philip. 2. IV. nonas igitur Cicero ab urbe abfuit, ep. 8. lib. 15. ad Att. nec in urbem rediiſſe, niſi pridie Kal. Septemb. uidetur. Eo tempore de Officiis ſcribere aggreſſus eſt, epiſt. 13. lib. 15. ad Att. ſed poſt reditum e curſu Achaico abſoluit. hoc uero tempore, cum haberet ius legationis liberae, ea mente iter in Graeciam ingreſſus eſt, ut Romae adeſſet Kal. Ianuariis, quibus Hirtius, & Panſa cõſulatum erant inituri, Philip. 1. & in Cicerone Plutarchi. VI. non. Quinctil. ex Arpinati ſcribens Attico ep. 26. lib. 15. ait, ſe itinera ſic compoſuiſſe, ut nonis Puteolis eſſet, ſic fuit, epiſt. 1. lib. 16. ad Att. Cum autem Brundiſium, iterq. illud, quod tritum in Graeciam eſt, Cicero uitaret, ut ait Philip. 1. Veliae fuit XIII. Kalen. Sextil. ep. 20. lib. 7. Famil. eumq. diem ibi conſtitit, ep. 16. Att. Velia proficiſcens Topica ad Trebatium, cum ſecum libros non haberet, memoria repetita, in ipſa nauigatione conſcripſit, & Rhegio librum ad Trebatium miſit V. Kal. Sextil. ep. 19. lib. 7. Famil. & in prooemio Topicorum. Miſerat etiam paullo ante ad Atticum duos libros de Gloria, ep. 28. lib. 15. & 6. lib. 16. ad Att. Meminit horum librorum ipſe lib. 2. de Officiis, & Gellius lib. 15. cap. 6. Scribit in epiſtolis Franciſcus Petrarcha, ſe hos libros habuiſſe, qui iam nuſquam apparent. Cicero deinde in Siciliam tranſgreſſus Kal. Sextil. uenit Syracuſas. Cum autem poſtero die uenti ipſum ex Sicilia ad Leucopetram, quod eſt promontorium agri Rhegini, detuliſſent, ab eo loco conſcẽdit, ut tranſmitteret: & ſtadia circiter CCC. prouectus, reiectus auſtro uehementi eſt ad eandem Leucopetram cumq. intempeſta nox eſſet, manſiſſetq. in uilla Valerii comitis & familiaris ſui, poſtridieq. apud eundem uentum exſpectans maneret, Rhegini quidã illuſtres eo uenerũt Roma, qui ſummam ſpem nunciabant, fore, ut Antonius cederet, res conueniret, Caeſaris interfectores Romam redirent. Addebant etiam, Ciceronẽ deſiderari, & ſubaccuſari. quae cum audiſſet, ſine ulla dubitatione abiecit conſiliũ profectionis, itaque celeriter Veliam deuectus, conuenit Brutum, qui cedens Italia cum ſuis nauibus erat apud Haletem fluuium circa Veliam, Philippica prima, & epiſt. 7. lib. 16. ad At. Inde uentis remisq. in patriam omni feſtinatione properauit, ep. 25. lib. 12. Famil. Accedenti ad urbem tanta multitudo, ut Plutarchus ſcribit, obuiam proceſsit, ut, dum ad portas ingredientem excipiunt, aduentumq. gratulantur, dies fere conſumptus fuerit. Videtur autem ueriſimilius eum pridie Kal. Septemb. Romam reuertiſſe, quod Plutarchi narratio oſtendit, quam Kalendis, ut ipſe ſignificare uidetur epiſt. 25. lib. 12. Fam. Kalendis Septemb. Antonius ſenatum habuit de ſupplicationib. Caeſari decernendis, & Ciceronem in curiam uocauit. qui cum e uia langueret, & ſibimet diſpliceret, miſit pro amicitia qui hoc ei diceret, Philip. 1. & 5. Plutarchus ait, Ciceronem languoris cauſſam oppoſuiſſe, cum re inſidias metuere eo quadam ſuſpicione & indicio, quod inter uiam ei factum erat, uideretur. Antonius id aegre ferens, palam in ſenatu, niſi ueniret, fabros ſe miſſurum, & domum eius diſturbaturum dixit, Philip. 1. & 5.

Plutarchus ſcribit, Antonium milites miſiſſe, qnos Ciceronem adducere, uel domũ eius incẽdere iuſſerit. ſed, cum multi intrecederent, & deprecarentur, pignoribus captis quieuiſſe. Venit poſtridie in ſenatum Cicero, cũ Antonius non ueniſſet, locutumq. ſe de rep. minus quidem libere, quam ſua conſuetudo, liberius tamen, quã pericula minaeq. poſtulabant, ait Philip. 5. At. ep. 25 li. 12. Fam ſcribit, ſe poſtridie in ſumma reliquorũ ſeruitute liberũ unum fuiſſe. Habuit tũ in ſenatu primã orationẽ Philippicã. in qua primũ itionis, & reditionis ſuae cauſſam exponit: deinde de Antonij iniuria & Caeſaris actis diſputat. ad extremum Antonium & Dolabellam cos. ad remp. moderate regendã cohortatur. Tum Antonius ira incenſus, inimicitias Ciceroni denunciauit, atque adeſſe in ſenatu iuſsit XIII. Kal. Oct. ipſe interea ſeptemdecim dies de Cicerone in Tiburtino Scipionis declamitauit, & XIII. Kal. agmine quadrato in aedẽ Concordiae uenit, atque in Ciceronẽ bſentẽ orationẽ ex ore impuriſsimo euomit, omnibusq. uiſus fuit ſuo more uomere, non dicere. Ciceroni autẽ cupienti in ſenatũ uenire per amicos non licuit, eo quod Antonius a Cicerone caedis initium quaereret, facturusq. putarerur, Philip. 3. & 5. & ep. 2. lib. 12. Famil. Antonio M. Tullius reſpondit ſcripta nobili & diuina, ut Iuuenalis ait, Philippica ſecunda. in qua primum crimina ſibi obiecta refutat, & deinde totam Antonij uitam a pueritia exorſus reprehendit. Nec uerum eſt, quod Interpretes ad unum omnes putarunt, Ciceronem illam orationem in ſenatu praeſente Antonio habuiſſe, ſed ita Cicero eam ſcripſit, quaſi in praeſentem Antonium XIII. Kalend. Octobris habita eſſet. argumento ſunt uerba illa: Quaero deinceps, num hodiernus dies qui ſit, ignores. neſcis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? quartum diem ludorum Ro. in circo fuiſſe XIV. Kalend. Octobris, ex Kalendario uetere notum eſt. Antonius deinde obuiũ profectus eſt legionibus quattuor, quae in Macedoniam a Caeſare miſſae poſt eius caedem in Italiam reuerterant, ut eas pecunia ſibi conciliaret, & ad urbem, uel potius in urbem adduceret: Brundiſiumq. uenit XIV. id. Octob. epiſt. 23. lib. 12. Fam. & Philip. 5. Profecto Antonio, Octauianus primum a Catilina, mox a Caſilino ueteranos paternos exciuit: quorum exemplum ſecuti alii, breui in formam iuſti exercitus coiere, Velleius lib. 2. Cicero epiſt. 8. lib. 16. ad Att Cum autem Antonius Brundiſii militibus centenas drachmas promitteret, fortisſimae legiones eius promiſsis reclamarunt, & congiariũ hoc accipere noluerunt. itaque centuriones domũ ad ſe uenire iuſsit, eosq. ante pedes ſuos, uxorisq. ſuae iugulari coegit, Cicero Philip. 3. 5. & 13. & ep. 8. lib. 16. Att. Dio lib 45. Appianus 3. Cicero tũ ruſticabatur, atque libros de Officiis perficiebat, ut cognoſcitur ep. 8. & ſequentib. lib. 16. ad Att. Sunt etiam, qui eo tempore Paradoxa ſcripta fuiſſe exiſtiment, quod ſecundo paradoxo in Antoniũ inuehi uideatur: quãuis in prooemio de Catone quaſi uiuo loquatur. Antonius, cũ edixiſſet, ut adeſſet ſenatus frequens a.d. IIX Kal. Decemb. eumq. diem obire neglexiſſet, in ante diem quartũ Kal. diſtulit, adeſſe in Capitolio iuſsit. quo cũ de legione Martia & Quarta, quae relicto Antonio ad Caeſarẽ Octauianum tranſierant, nuncius eſſet allatus, mente concidit, & paludatus in Galliam citeriorem, quam a populo obtinuerat, cum ea D. Bruti prouincia eſſet, properauit, Dio Appianus, Velleius, Cicero ipſe Philippica tertia, & ſequentib. Sed Antoniũ Brutus prouincia excluſit, atque exercitu obſiſtens edictum propoſuit, quo promittebat, ſe prouinciam Galliam retenturum in ſenatus populiq. Ro. poteſtate, Philip. 3. Quare cũ Cicero V idus Decemb. Romam ueniſſet, ut ſcribit epiſt. 5. lib. 11. Famil. tribuni pl. edixerunt, ut ſenatus adeſſet a.d. XIII Kal. Ian. Statuerat Cicero ante kalendas Ianuar. in ſenatum non uenire: ſed, cum eo die ipſo edictum D. Bruti propoſitum eſſet, mane in ſenatum uenit. quod ubi eſt animaduerſum, frequentiſsimi ſenatores cõuenerunt, epiſt. 6. lib. 11. Fam. Retulerunt tribuni pl. ad ſenatum de praeſidio conſulum des. Panſae & Hirtij, ut ſenatus kalendis Ian. tuto haberi, ſententiaeq. de ſumma rep. libere dici poſſent. Tum M. Tullius rogatus ſententiam cenſuit, ut & praeſidium decerneretur, &, quae Octauianus Caeſar egiſſet, publica auctoritate confirmarentur, & milites, qui ab Antonio ad Caeſarem tranſiſſent, praemiis afficerẽtur; item ut D. Brutus, ceteriq. prouincias ſuas retinerent, neque cuiquam traderent, niſi qui ex S.C. ſucceſsiſſet. quam ſententiam Cicero Philippica tertia complexus eſt. factoq. S.C. in eius ſententiam, progreſſus in concionem, quid in ſenatu actum eſſet, populo expoſuit. quae eſt Philippica quarta. Huius S.C. meminit etiam Dio lib. 45.

Anno urbis DCCX. Ciceronis LXIV. COSS. fuerunt

C. VIBIVS. PANSA, A. HIRTIVS

KALENDIS Ianuarij conſules ſtatim poſt ſollemnem religionem ſenatum in Capitolio de Antonio, qui tum Mutinam circumſedebat, & D. Brutum oppugnabat, habuerũt, ut Appianus lib. 3. ſcribit Ibi L. Piſo, & alij nonnulli mitiorem ſententiam de Antonio dixerunt, legatosq. ad eum mittendos cenſuerunt. Cicero cũ ſuis id egit, ut hoſtis Antonius iudicaretur. Habuit tum Cicero in ſenatu quinctam Philippicã, in qua non modo legationẽ diſſuadet, uerum ẽt bello Antonium perſequendum eſſe cenſet: agit etiã de honoribus decernendis iis, qui remp. aduerſus Antonium defendant. Eo die nihil in ſenatu confectum eſt: ſed cõtrouerſia uſque ad noctem ducta ſenatum eſſe dimiſſum, Appianus ſcribit. Poſtridie Antonius hoſtis, ita ut Tullius cenſuetat, iudicatus fuiſſet, niſi Saluius tribunus pl. interceſsiſſet. decreuit tamẽ ſenatus, ut D. Brutus laudaretur, quod Galliam Antonio non conceſsiſſet: item, ut Caeſar cum Hirtio, & Panſa exercitu illo, quẽ haberet, bellum adminiſtraret, atque ſtatua illi poneretur: ut ſententiam loco conſulari diceret, cõſulatumq. decem annis prius, quam leges permitterent, illi petere liceret: quantamq. pecuniã militibus earum legionum, quae Antonium reliquiſſent, parta uictoria pollicitus eſſet, tanta publice daretur. Haec Appianus lib. 3. ubi addit, inſequenti

quenti die fuiſse decretos legatos ad Antonium cum mandatis, quae Ciceronē ſcribere ſenatus uoluerit. Dio lib. 45 & 46. eadem fere narrat, & ſenatum a Kalendis Ianua. per triduum habitum, ſententiasq. dictas & tandem legationem ad Antonium miſſam fuiſſe ait. Itaque pridie nonas Ianuar. factum ſenatusconſultum fuit, ut Ser. Sulpicius, L. Piſo, & L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiſcerentur. quam rem M. Tullius eodem die in concione expoſuit, habita oratione, quam ſexta Philippica comprehendit. de legatis uide ep. 8. lib. 11. & 24. lib. 12. Famil. Cum legati ad Antonium miſsi exſpectarentur, eiusq amici reſponſa illius cōfingerent, M. Tullius metuens, ne ſenatorum animi ad pacem inclinarent, habuit in ſenatu Philippicam ſeptimam. in qua pacem tribus de cauſsis diſſuadet: primum, quia ſit turpis; deinde, quia periculoſa; poſtremo, quia eſſe non poſsit. In legatione Ser. Sulpicius mortem obiit: Piſo & Philippus Romam reuerſi ab Antonio ad ſenatum intolerabilia poſtulata retulerunt, ep 4. li. 12. Famil. Dio lib. 46. Tumultus interim a ſenatu fuit decretus, cum belli nomen in ſententia poni quibuſdam non placeret. id quod Cicero Philippica octaua reprehendit. quam ante idus Martias in ſenatu dixit, grauiter inuehens in Q. Fuſium Calenum, qui Antonio ſtudebat. Deinde, cum de ornando Ser. Sulpicio in ſenatu ageretur, Cicero nonā Philippicam dixit, ſuadens, ut Sulpicio ſtatua pedeſtris aenea in roſtris poneretur. quā ſua aetate pro roſtris Aguſti exſtitiſſe, Pompeius die Origene iuris teſtatur. M. Brutus anno ſuperiore ex Italia in Graeciam profectus, cum Athenas ueniſſet, adoleſcentes nobiles Romanos, quorum magna multitudo illic bonarum artium cauſſa erat, ſibi adiunxit. in his fuit M. Ciceronis filius: quem Brutus, ut Plutarchus ſcribit, ſummis laudibus efferebat, inquiens, ſe illum, ſiue uigilaret, ſiue dormiret, admirari, quod animus in eo tam generoſus, tantumq. odium tyrannorū eſſet. Brutus inde in Macedoniam tranſgreſſus, Ciceronem filium ſecū duxit, eoq. legato uſus multa feliciter geſsit, ut Plutarchus in Bruto teſtatur. & Brutus in epiſtola ad Ciceronē patrem, quae nūc eſt quarta libri qui ad Brutum exſtat, ita ſcribit: Cicero filius tuus ſic mihi ſe probat induſtria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorſus numquam dimittere uideatur cohitationem, cuius ſit filius. Vt uel hinc eorū imperitia (ne quid grauius dicā) arguatur, qui uerum eſſe non putant, quod Cicero lib. 2. de Officiis ait, filiū bello ciuili a Pompeio alae alter. praefectū, magnā laudem & a ſummo uiro & ab exercitu cōſecutū fuiſſe equitando, iaculādo, omniaq. militari labore tolerādo. Sed ad propoſitū. Venit M. Brutus in Macedoniam, cū Q. Hortenſio decedenti C. Antonius Marci frater ſuccederet. Sed Hortenſius exercitū, quem delectu habito ſcripſerat, Bruto tradidit. Legio etiam, quam L. Piſo legatus Antonij ducebat, Ciceroni filio ſe tradidit. Equitatus, qui in Suriam ducebatur bipertito, alter enm quaeſtorem, a quo ducebatur, reliquit in Theſſalia, ſeſeq. ad Brutum contulit: alterum in Maedonia Cn. Domitius adoleſcens a legato Syriaco, qui a Plutarcho Cinna uocatur, abduxit. P. Vatinius, qui Dyrrhachium occupauerat, portas Bruto aperuit, & exercitum tradidit. C. Antonius ſe Apolloniam recepit, Cicero Philip. 10. Plutarchus in Bruto, & Dio lib. 47. His de rebus Brutus litteras publice miſit, quas C. Panſa conſul coacto ſenatu recitauit, & Brutum oratione ſua ornauit. Sed Q. Fuſius rogatus ſententiam, Brutū oppugnauit contra quem Cicero tum Philippicam decimam dixit. quā Brutus epiſt. 4. de litteris ſuis habitam eſſe contra Calenum ait. Erat Apolloniae adhuc C. Antonius cum ſeptē cohortibus Philip. 10. Inde Buthrotū contendēs in itinere primum tres cohortes amiſit, quas Brutus cōcidit: deinde proelio cum Cicerone filio ad Byllidem commiſſo uictus in Bruti poteſtatem uenit, ut Plutarchus in Bruto ſcribit. Antoniū Brutus ſecundiu honorifice habuit, uſque eo ut magiſtratus inſignia illi non adimeret. quam eius clementiam Cicero in epiſtolis ad eum ſcriptis ſaepe accuſat. Sed cum Antonius Apolloniam teneret, ante Kalen. Aprilis Romam allatum fuit de morte C. Trebonii, quem P. Dolabella Smyrnae, uerberibus ac tormentis quaeſtione publicae pecuniae per biduum habita, interfecit, Cicero Philip. 11. & Dio li 47. Itaque Dollabella a ſenatu hoſtis iudicatus fuit. Poſtridie, cum in ſenatu ageretur de imperatore deligendo, qui bello Dolabellam perſequeretur, L. Caeſar cenſuit, P. Seruilio hoc bellum extra ordinem mandandum eſſe: aliis nonnullis placuit, ut conſules Dolabellae perſequēdi cauſſa Aſiam & Syriam ſortirentur. Cicero ſententiā rogatus Philippicā undecimā dixit. in qua primū Trebonii caſum deplorans Dolabellae & Antonii crudelitatem accuſat: deinde duabus illis ſententiis refutatis cenſet, ut Dolabellam C. Caſsius bello perſequatur. quam ſententiā ſe repugnante & iraſcente Panſa dixiſſe, ad Brutum ſcribit ep. 5. ea ſententia dicta, quae facile ualuiſſet, niſi Panſa uehementer obſtitiſſet, productus fuit concionem a tribuno pl. M. Seruilio, eandemq. rem ad populum ſumma contentione egit, epiſt. 7. lib. 12. Fam. Extremo anno ſuperiote turbinis ui ſimulacrum, quod M. Cicero ante cellam Mineruae pridie, quam in exſulium iret, poſuerat, diſsipatum membris pronū iacuit, fractis humeris, brachijs, capite, mortē Ciceroni portendens, ut Obſequens, & Dio lib 45. ſcribunt. Quinquatribus, id eſt XIV. Kal. Aprilis ſenatus decreuit, ut haec Ciceronis Minerua, cuſtos urbis, reſtitueretur, ep. 25 lib. 12. Famil. Deinde illata pacis mētione ab Antonij amicis, ſenatus legatos ad eum decreuit M. Ciceronem, & P. Seruilium. Sed cum eam legationem fruſtra fore Cicero uideret, habuit in ſenatu Philippicam duodecimam. in qua legationē diſſuadet, ſeq ad eam obeundam idoneum non eſſe demonſtrat. Meminit huius legationis Dio quoque li 46. Panſa deinde initio menſis Aprilis, ut arbitror, ad bellum profecto M. Aemilius Lepidus (qui, auctore Paterculo, pontifex max. in C. Caeſaris locū furto creatus, decreta ſibi Hiſpania adhuc in Gallia morabatur) Romā ad ſenatum miſit, ad pacem cum Antonio faciendam cohortans. ea de re cum in ſenatu ageretur, multi pacem ſuaſerunt, quod incertus exitus belli eſſet, & quod Lepidus ad pacem hortaretur, qui exercitu cogere poſſet. tum M. Tullius rogatus ſententiam, Philippicam XIII. in ſenatu dixit. in qua aduerſariorum rationes confutans pacem cum Antonio & Antonianis eſſe non poſſe docet: & Antonii animum ex litteris ad Hirtium & Octauianum miſsis declarat. Cicero tum quoque ad Lepidum miſit. ep. 27. lib. 10. Famil. in qua illum, ne ſe in iſtam pacificationem interponat, hortatur. Poſt profectionem Panſae conſulis turbulentiſsimum tempus fuit,

cum D.Brutus Mutinae uix iam ſuſtineret.itaque cum triſtis a Mutina fama manaret,omnesq. aut foediſsimá mortem,aut miſerabilem fugam cogitarent,inflati laetitia atque inſolentia impij ciues famã diſsipauerunt, Ciceronem pridie Vinalia cum faſcibus deſcenſurum eſſe.Interim XVII. Kal. Maij, ut Galba ad Ciceronem ſcribit epi.30.lib.10.Fam.ſeu,ut Ouidius lib.4.Faſt.indicat,XIIX.Kal.Maij,Antonius proelio ad Matinam ſuperatus eſt.Habuit paucis diebus poſt concionem Romae P.Appuleius tribunus pl.in qua cũ liberare Ciceronẽ ſuſpicione faſcium uellet,una uoce cuncta concio declarauit,nihil eſſe a M.Tullio umquam de rep.niſi optime cogitatum Duabus tribus ue horis poſt optatiſsimi nuncii & litterae de uictoria Mutinenſi uenerunt.quo tẽporae tantae multitudinis,quantam urbs capiebat,ad Ciceronem concurſus eſt factus. a qua ille maximo clamore atque plauſu in Capitolium deductus,& in roſtris collocatus,domũ inde reductus eſt. Haec ſunt apud Ciceronem Philip.14.ep.2.6.& 7.ad Brut.& ep.30.lib.10.& 6.lib.12.Famil.Pridie Vinalia, ideſt X Kal. Maij, Cicero habuit Philippicam decimamquartam,in qua ſupplicationem dierum quinquaginta,trium imperatorum Panſae,Hirtii,& Caeſaris nomine ob Antonium hoſtem ſuperatum decernit: atque ad extremũ eos,qui in proelio ceciderant,laudat,eorumq proximos conſolatur.de ſupplicatione L.dierum uide Appianum lib.3. Cum Hirtius in proelio cecidiſſet,& Panſa ex uulneribus paucis diebus poſt Bononiae mortuus eſſet, rumor percrebuit,Ciceronem cos.factum eſſe,ep.8.ad Brut. Plutarchus & Appianus ſcribunt, M. Tullium ab Octauiano ad conſulatus petitionem inductum fuiſſe. V.Kal.Maii ſenatus habitus fuit de iis, qui hoſtes iudicati erant,bello perſequendis,ep.9.ad Brut.Dedit eo tempore Cicero plures litteras ad D.Brutum, & L. Plancum, ut fuſum Antonium perſequerentur.quae lib.10.& 11. Fam.exſtant.Interim Antonius fuga tranſgreſſus Alpes,primo ſpe colloquii repulſus a M.Lepido,mox ſaepius in conſpectum ueniens militum,per auerſa caſtrorum proruto uallo a militibus receptus eſt,Paterculus lib.2.Plutarchus in Antonio, Appianus lib. 3. Lepidus ſe cum Antonio coniunxit a.d.IV.Kal.Iun.ep.23.li. 10. Fam. Pridie Kal.Quinct.Lepidus ſententiis omnibus hoſtis a ſenatu iudicatus eſt,ceteriq. qui una cum illo a rep.defecerant.quibus tamen ad ſanitatem redeundi ante Kal.Septem.poteſtas facta fuit,epiſt.10.lib.12.Fam.ep.16.& 19.ad Brut.& Dio lib. 46. Octauianus Caeſar,ut cognouit Antonium a Lepido receptum,ceterosq. duces & exercitus conſentire pro partibus, cauſſam optimatium ſine cunctatione deſeruit,ad praetextum mutatae uolunratis dicta factaq.quorundam calumniatus,quaſi alii ſe puerum,alii ornandum tollendumq. iactaſſent,Suetonius in Auguſto,Paterculus lib.2.Brutus ep.20.lib.11.Famil.Tum inter eum & Antonium commercia epiſtolarum,& condicionum facta mentio, quod Paterculus ſcribit,cumq. effeciſſet,ut milites inter ſe iureiurando ſancirent, cum nullo exercitu, qui C. Caeſaris fuiſſet,bellum ſe geſturos;quadringentos milites Romam ad ſenatum miſit, qui conſulatum ſibi nomine exercitus depoſcerent,cum quidem cunctante ſenatu,Cornelius centurio princeps legationis, reiecto ſagulo oſtendens gladii capulam,non dubitaſſet in curia dicere:Hic faciet,ſi non feceritis uos,Suetonius,& Dio lib.46.ubi addit,Ciceronem ſubieciſſe,Si ita conſulatum petieritis,eum accipiet.Militibus re infecta ad Octauianum reuerſis, Antonium & Lepidum in Italiam accerſiuit,atque ipſe legiones ad urbem hoſtiliter admouit, Suetonius,Dio,& Appianus:qui ſcribit,Ciceronem tum ad Octauianum ueniſſe,ac paullo poſt lectica ex urbe fugiſſe.C.autem Caeſar Octauianus conſul cum Q.Pedio ſtatim factus eſt,ut omnes Annales teſtantur. In Liconſulatum Caeſarem iniiſſe pridie,qnam XX.annos impleret,X.Kal.Octobris,Paterculus auctor eſt. In Liuiana epitoma lib.119.legitur,Caeſarem conſulem creatum eſſe,cum annos XIX.haberet.Plutarchus in Bruto ex Octauiani commentariis refert,ipſum uigeſimum annum egiſſe,cum conſul primum eſt factus. Eutropius initio lib.7 ait,Caeſarem Romam cum exercitu profectum extorſiſſe, ut ſibi uigeſimo anno conſulatus daretur Suetonius in Auguſto ſcribit,eum in ordinatione anni Sextilem menſem e ſuo cognomine nuncupaſſe,quod eo ſibi & primus conſulatus,& inſignes uictoriae obtigiſſent.Similiter Dio lib.56.tradit, Octauianũ XIX.die Auguſti,eodem,quo primum conſulatum ceperat,deceſsiſſe.Caeſar Octauianus cos. legem tulit de quaeſtione habenda in eos,quorum opera pater occiſus eſſet,Liuius lib.120.Appianus lib.3.Dio lib.46 Auctor legis fuit Octauianus:tulit Q Pedius collega:unde lex Pedia nominatur:eaq. omnibus, qui Iulium Caeſarem interfecerant,aqua igniq. interdictum eſt,Velleius lib. 2. Suetonius in Nerone. conſul factus Octauianus Ciceronem, ut Plutarchus in eius uita ſcribit, ualere iuſsit, & pace cum Antonio Lepidoq. facta copias omnes in unum locum cõtraxerunt, ibiq. imperium Ro.quaſi poſſeſionem aliquam inter ſe diuiſerunt. Partiti ſunt autem prouincias inter ſe hoc modo,ut Caeſar utramq. Africam cum Sicilia,& Sardinia; Lepidus Hiſpanias & Galliam Narbonenſem;Antonius reliquas Gallias haberet,Appianus lib.4. Dio lib.46.Inter hos etiam conuenit,ut ipſi triumuiri reip. conſtituendae per quinquennium eſſent,& ut ſuos quiſque inimicos proſcriberet.in qua proſcriptione plurimi equites,CXXX ſenatorum nomina fuerunt, ut eſt in Liuiana epitoma lib. 120.Tu uide Oroſium noſtrum lib 6. cap. 18. Caeſarem reſtitiſſe aliquandiu collegis, ne qua fieret proſcriptio;ſed inceptam utroque acerbius exercuiſſe,Tranquillus ait.Maximam uero contentionem, inquit Plutarchus,Ciceronis proſcriptio praebuit,cum Antonius nullam condicionem acciperet,niſi primus ille interficeretur,Lepidus Antonio aſſentiretur,& Caeſar utrique repugnaret.Congreſſus horum trium occultus in triduũ fuit apud Bononiam in loco remoto a caſtris, & flumine circumfuſo, ut Plutarchus non ſolum in Cicerone, ſed & in Antonio tradit.Dio quoque lib.46.ſcribit,triumuiros conueniſſe in parua inſula fluminis,quod Bononiam praeterlabitur.Appianus initio lib. 4. ait eos congreſſos eſſe ad Mutinam in Lauinii fluuii inſula. Sed trium uirum copias ad Bononiam contractas fuiſſe,Suetonius etiam in Auguſto auctor eſt. & Florus cap. 5. lib.4.tradit.pacem inter tres duces factam apud confluentes inter Peruſiam & Bononiam.Ibi aiunt Caeſarem primis diebus,ut Plutarchus narrat,pro Ciceronis ſalute cum aliis concertaſſe,ac tertio die conceſsiſſe,eiuſq. uitam prodidiſſe.fuitq. permutatio ita facta:Ciceronem Caeſar,L.Paullum fratrem Lepidus,L.Caeſarẽ auunculum

culum Antonius proſcribi permiſit. Sed nihil, ait Paterculus, tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Caeſar aliquem proſcribere coactus eſt, aut ab illo Cicero proſcriptus eſt. Ceſſerat ille ſub aduentum III uirorum urbe, ut ex Liuio Seneca lib. 1. Suaſoriarum refert, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quam Caeſari Caſsium & Brutum poſſe. Primo in Tuſculanum fugerat: inde tranſuerſis itineribus in Formianum, ut ab Caieta nauim conſcenſurus, proficiſcitur. unde aliquoties in altum prouectum cum modo uenti aduerſi retuliſſent, modo ipſe iactationem nauis caeco uoluente fluctu pati non poſſet, taedium tandem eum & fugae & uitae coepit; regreſſusq. ad ſuperiorem uillam, quae paullo plus mille paſsibus a mari abeſt, Moriar, inquit, in patria ſaepe ſeruata. Hactenus Liuius: Plutarchus uero ita: Erat Cicero in Tuſculano cum Quincto fratre. Cognita uero proſcriptione, Aſturam in maritimum Ciceronis fundum proficiſci, atque inde in Macedoniam ad M Brutum, de cuius uictoria laeti rumores afferebantur, tranſire conſtituerunt. Ferebantur lecticis confecti maerore, atque in itinere ſubſiſtentes, iunctis lecticis inter ſe caſum ſuum deplorabãt. Quinctus uero magis angebatur animo, atque inopiae illi in mentem ueniebat: nihil enim ſecum ſe domo extuliſſe dicebat: Marco etiam perexiguum uiaticum erat. ſatius igitur eſſe affirmabat, Marcum fuga antecedere, ſe conuaſatum domum recurrere. Hoc conſilio probato, complexi inter ſe, multisq. lacrymis profuſis digreſsi ſunt. Quinctus non ita multis diebus poſt a ſeruis proditus inquiſitoribus una cum filio ſuo interfectus eſt. Ita quidem de Q Cicerone Plutarchus: Appianus in hanc ſententiam: Q. Cicero cum filio comprehenſus percuſſores orabat, ut ſe ante filium necarent. quod cum filius contra fieri obſecraret, illi ſe eorum controuerſiam compoſituros dixerunt. itaque alij hunc, alij illum arripientes eodem ſigno ambos ſimul occiderunt. Dio lib. 47. ita: Q. Ciceronem M fratrem filius de medio remouit, &, quantum in ipſo fuit, ſeruauit. nam & patrem occultauit, ut inueniri non poſſet, & ea de cauſſa tormentis omnibus excruciatus indicium nullũ fecit. ſed pater re intellecta cum admiratione filij, tum miſericordia adductus, ultro prodiit, ſeq ipſe percuſſoribus tradidit. Redeamus nunc ad Plutarchum. Cicero, inquit ille, Aſturam delatus, nauem, quam nactus fuit ſubito conſcendit, & oram legens Circaeum uſque uento peruenit. Inde ſoluere gubernatores cum pararent, uel maris metu permotus, uel Caeſaris fidem non plane deſperans, in terram egreſſus eſt: & millia paſſuũ XIII fere pedibus Romam uerſus progreſſus, animi pendere coepit, ſententiaq. mutata rurſus ad mare deſcendit; ibiq. noctem grauibus, & incertis cogitationibus traduxit: adeo, ut in animo haberet Caeſaris domum clam ingredi, ſibiq. ante lares eius manus inferre, atque ita furiales intemperias illi impingere. Sed ab ea ratione cruciatus metu depulſus, alia rurſus tumultuoſa conſilia in pectus inſtituit, & ſeruis ſe ad Caietam deportandum nauigio commiſit: ubi praedia habebat, & blãdum aeſtate Eteſiarum diebus perfugiũ. eſt ibidem ſupra mare ſacellum Apollinis: unde corui cum clangore ad Ciceronis nauẽ, quae ad litus appellebatur, confertim aduolarunt, atque ex utraque parte antennae inſidentes partim crocitarunt, partim rudentum capito roſtris tutuderunt: idq. ſignum omnibus infauſtum eſt uiſum. Cicero tamen egreſſus in uillam ſe recepit, & quieti dedit. ibi coruorum magna pars triſti uoce ad feneſtram aſſedit: unus in lectum deuolauit, & roſtro ueſtẽ qua Cicero tectus erat, paullatim ab ore ipſius remouit. De eadem re Valerius lib. 1. cap 4. M. Ciceroni mors imminens auſpicio praedicta eſt: cum enim in uilla Caietana eſſet, coruus in cõſpectu eius horologij ferrum loco motũ excuſsit, & protinus ad ipſum tetendit, ac laciniam togae eo uſque morſu tenuit, donec ſeruus, ad occidendum eum milites ueniſſe nunciaret Hactenus Valerius: ex quo perſpicue cognoſcitur, apud Plutarchum ἐς κάπ/τας mendoſe, non pro Capua, ſed Caieta legi quamuis Appianus Capuam nominet, ad quam fuerit haec Ciceronis uilla, in qua aduentantibus inquiſitoribus a coruis e ſomno excitatus fuerit. Sequitur in Plutarcho: Serui haec adſpicientes ſuam ipſi ignauiam damnarunt ſi herilis caedis ſpectatores eſſe ſuſtinerent. cumq. beſtias domino opem ferre, ac pro indigno eius caſu ſolicitas eſſe uiderent, ipſi eum non defenderent, partim precibus, partim ui impoſitum lecticae ad mare detulerunt. Interim percuſſores cum miniſtris ſuperueniunt, Herennius centurio, & Popillius tribunus militum, quem parricidij reum Cicero olim defenderat.

De Popillio hoc multa Seneca in Declamationib & Suaſorijs. de eodem Valerius lib. 5. cap. 3. M. Cicero C. Popillium Laenatem Picenae regionis, rogatu M Coelii, non minore cura, quam eloquentia, defendit: eumq. cauſſa admodum dubia fluctuantem, ſaluum ad penates ſuos remiſit. hic Popillius poſtea, nec re, nec uerbo a Cicerone laeſus, ultro M. Antonium rogauit, ut ad illum proſcriptum perſequendum & iugulandum mitteretur: impetratisq. deteſtabilis miniſterij partibus, gaudio exſultans Caietam cucurrit, & uirum, omitto quod ampliſsimae dignitatis, certe ſalubri ſtudio, (ita lego e manuſcriptis) praeſtantis officii priuatim ſibi uenerandum, iugulum praebere iuſsit: ac protinus caput Romanae eloquentiae, & pacis clariſsimam dexterã, per ſummum & ſecurum otium amputauit: eaq. ſarcina, tamquam opimis ſpoliis, alacer in urbem reuerſus eſt: neque ei ſceleſtum portanti onus ſuccurrit, illud ſe caput ferre, quod pro capite eius quondam perorauerat.

Sequitur apud Plutarchum: Percuſſores, cum fores clauſas inueniſſent, eas effregerunt: cumq Cicero non appareret, & ij, qui intus erant, ſcire ſe, ubi eſſet, negaſſent, aiunt adoleſcentem quendam, a Cicerone in bonis litteris & diſciplinis educatum, Quincti fratris libertum, Philologum nomine, tribuno dixiſſe, lecticam per ſilueſtres & opacas ambulationes ad mare deferri. Tribunus igitur cum paucis comitibus circum ambulationes ad exitum cucurrit: Herennius recta per eaſdem accurrit quod ubi Cicero animaduertit, ſeruos lecticam ibi deponere iuſsit. Satis, inquit Liuius, conſtat, ſeruos fortiter fideliterq. paratos fuiſſe ad dimicandum: ipſum, deponi lecticam, & quietos pati, quod ſors iniqua cogeret, iuſsiſſe. Appianus ſcribit, multos diſcurriſſe quaerentes, num alicubi Cicero uiſus eſſet: cumq. alii beneuolentia & miſericordia permoti, eum in alto eſſe dixiſſent, clientem Clodij acerrimi inimici Ciceronis Popillio Laenati tribuno militum indicaſſe uiam, qua lectica deportabatur. eo illum irrupiſſe. &, cum ſeruos longe plures, quam ipſe ſecum habebat, ad dimicandum paratos

uidiſſet,

uidiſſet,callide exclamaſſe, tribuni.qui in extremo agmine ſunt,ingrediantur.tum ſeruos maiorem multitudinem exſpectantes perterritos fuiſſe.Cicero,ait Aufidius Baſſus apud Senecam,paullum remoto uelo,poſtquā armatos uidit,Ego uero conſiſto,ait:accede ueterane,&,ſi hoc ſaltem potes recte facere,incide ceruicem. trementi deinde dubitantiq., quid ſi ad me,inquit,primum ueniſſetis?Brutidius Niger apud eundem:Elapſus interim altera parte uillae Cicero lectica per agros ferebatur.ſed ut uidit appropinquare notum ſibi militem Popilliū nomine, memor defenſum a ſe,laetiore uultu adſpexit.at ille,uictoribus idipſum imputaturus, occupat facinus,caputq. deciſum,nihil in ultimo fine uitae facientis, quod alterutram in partem poſſet notari, Antonio portat,oblitus ſe paullo ante defenſum ab illo.Prominenti,inquit Liuius,ex lectica,praebentiq.immotam ceruicem,caput praeciſum eſt. nec ſatis ſtolidae crudelitati militum fuit, manus quoque, ſcripſiſſe aliquid in Antonium exprobrantes praeciderunt.Plutarchus:Cicero mentum,ita ut conſueuerat, tangens in percuſſoribus oculos conſtanter fixit,ſqualoris plenus,& capillo demiſſo,macieq. ob ſolicitudines confectus, uſque eo ut plurimi Herennio eum iugulante capita obnuberent. Occiſus eſt praebens ceruicem extra lecticam cum annum iam LXIV.ageret.Praecidit illi iuſſu Antonij caput & manus,quibus Philippicas ſcripſerat.Vixit, ait Liuius,tres & LX.annos:ut,ſi uis abfuiſſet,ne immatura quidem mors uideri poſsit.Euſebius:Cicero in Formiano ſuo ab Herennio & Popillio occiditur LXIV.aetatis ſuae anno.Appianus:Occiſo Cicerone quidam equis alii nauigiis incitatis properabant Antonio hunc nuncium perferre,eiq. in foro ſedenti Laenas caput, & manum eminus oſtendit.quo ille maxime laetatus, tribunum militum corronauit, & HS decies centena millia ei pro maximo proemio dedit,quod ſummum & infenſiſsimum ſuum inimicum occidiſſet.Plutarchus:Cum mēbra Ciceronis Romam perlata eſſent,Antonius,qui tum forte comitia habebat, ijs uiſis exclamauit, Proſcriptionem iam peractam eſſe:caput autem & manus pro roſtris poni iuſsit,ſpectaculum horrendum Romanis, qui ſe non Ciceronis uultum,ſed imaginem animi Antonii uidere putabant.Dio lib.47. Vbi Ciceronis caput allatum fuit,Antonius,multis & grauibus probris illatis,illud pro roſtris loco prae alijs conſpicuo poni iuſsit, ut,unde in ipſum uerba faciens auditus fuerat,ibi caput eius cum manu dextra,quae ſimul praeciſa fuerat,conpiceretur.Fuluia uero caput,ante quam auferretur,in manus ſumpſit,atque atrocibus uerbis illudens & conpuens genibus ſuis impoſuit,& linguam ex ore extractam acubus,quibus ad capitis ornatum utebatur, compunxit,additis multis,ijsq. exſecrandis opprobrijs. Liuius:Ita relatum caput ad Antonium, iuſſuq. eius inter duas manus in roſtris poſitum,ubi ille conſul,ubi ſaepe conſularis,ubi eo ipſo anno aduerſus Antonium,quāta nulla umquam humana uox,cum admiratione eloquentiae auditus fuerat: uix attollentes lacrymis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant.Cremutius Cordus: Praęcipue tamen ſoluit pectora omniū in lacrymas gemitusq. uiſa ad caput eius deligata manus dextra,diuinae eloquētiae miniſtra, ceterorumq. caedes priuatos luctus excitauerunt,illa una communem.Mortem Ciceronis uerſibus elegantiſsimis deplorauit Cornelius Seuerus:in quibus ſunt qui ſequuntur:

Abſtulit una dies aeui decus,ictaq. luctu
Conticuit Latiae triſtis facundia linguae,
Vnica ſolicitis quondam tutela, ſalusq.,
Egregium ſemper patriae caput,ille ſenatus
Vindex,ille fori,legum,ritusq., togaeq..
Publica uox eius aeternum obmutauit armis.
Informes uultus,ſparſamq. cruore nefando
Caniciem, ſacrasq. manus, operumq. miniſtras
Tantorum pedibus ciuis proiecta ſuperbis
Proculcauit ouans,nec lubrica fata,deosq.
Reſpexit,nullo luet hoc Antonius aeuo.

Paterculus poſt narratam caedem M.Tullij,in haec uerba erumpit:Nihil tamen egiſti,M. Antoni, mercedem caeleſtiſsimi oris & clariſsimi capitis abſciſi numerando, auctoramentoq. funebri ad conſeruatoris quondam reip.tantiq. conſulis irritando necem.Rapuiſts tu M.Ciceroni lucem ſolicitam,& aetatem ſenilem,& uitam miſeriorem te principe,quam ſub te triumuiro mortem:famam uero gloriamq. factorum atque dictorum adeo non abſtuliſti,ut auxeris.Viuit,uiuetq. per omnem ſaeculorum memoriam:dumq. hoc uel forte, uel prouidētia, uel utcumq.conſtitutum rerum naturae corpus, quod ille paene ſolus Romanorum animo uidit,ingenio complexus eſt,eloquētia illuminauit,manebit incolume,comitem aeui ſui laudem Ciceronis trahet: omnisq. poſteritas illius in te ſcripta mirabitur,tuum in eum factum exſecrabitur: citiusq. in mundo genus hominum, quam huius nomen,cadet.Ciceronem hoc anno VII.idus occiſum eſſe,teſtimonio Tironis liberti ſcribit Tacitus in dialogo de Oratorib. intelligo autem idus Decembris,quoniam Triumuiri inierunt V.Kal.Decem. ut eſt in lapide Colotiano.Vixit igitur Cicero annos LXIII.menſes XI.dies V.ſiue annos LXIV.minus XXVI. diebus.

SEQVVNTVR

ELOGIA . M. TVLLII . CICERONIS

A . XII . SAPIENTIBVS,

ut aiunt,

VERSIBVS . CONSCRIPTA

BASILIVS

Hic iacet Arpinas, manibus tumulatus amici,
Qui fuit orator ſummus, & eximius.
Quem nece crudeli mactauit ciuis, & hoſtis:
Nil agis, Antoni, ſcripta diſerta manent.
Vulnere nempe tuo Ciceronem conficis: at te
Tullius aeternis uulneribus lacerat.

ASMENIVS

CORPVS *in hoc tumulto magni Ciceronis humatum*
Contegitur, claro qui fuit ingenio:
Quiq. malis grauis hoſtis erat, tutorq. bonorum:
Quo paene indigna conſule Roma fuit.
Sed uigili cura deiectis hoſtibus, urbem,
Supplicioq. datis, praeſtitit incolumem.

LYOMANNVS

VNICVS *orator, lumenq. decusq. ſenatus,*
Seruator patriae, conditor eloquij,
Cuius ab ingenio tandem illuſtrata perenni
Lumine praeclaro lingua Latina uiget.
Occidit indigne manibus laceratus iniquis
Tullius, ac tumulo ſubditus exiguo.

EVPHORBIVS

QVICVMQVE *in libris nomen Ciceronis adoras,*
Aſpice quo iaceat conditus ille loco.
Ille uel orator, uel ciuis maximus, idem
Clarus erat facie, clarior eloquio.
At, ne quid fortuna utro nocuiſſe putetur,
Viuit, & aeternnm docte per ora uolat.

IVLIANVS

MARCVS *eram Cicero, toto notiſſimus orbe,*
Cuius reliquias occulit urna breuis.
Dexteram e patriae nuper ciuilis ademit,
Eripui patriam qui prius exitio.
Si quis in hoc ſaxo Tulli legis aduena nomen,
Non dedigneris dicere, Marce uale.

HILASIVS

TVLLIVS *Arpinas, ex ordine natus equeſtri,*
Sed uirtute ſua conſul in urbe fuit.
Quem Catilina malus, coniuratiq. nocentes
Senſerunt uigilem ciuibus eſſe ſuis.
Hunc tamen, o pietas, tres occidere tyranni.
At Lamia ille pio ſuppoſuit tumulo.

PALLADIVS

QVI *tenet eloquij faſtigia ſumma Latini,*
Qui conſul pairiam caedibus eripuit,
Quiq. trium ſaeuo uitam dedit enſe uirorum
Tullius, eſt & in hac ipſe ſepultus humo.
Sed breuitas uitae penſatur laude perenni.
Quod mos eripuit, gloria reſtituit.

ASCLEPIAS

TVLLIVS *hic ſitus eſt, uenerabile nomen in aeuum,*
Clarus honore ſimul, clarus & ingenio.
Quem ſcelerate neci crudeliter arma dederunt,
Quod patriae uindex ille fidelis erat.
Sed nihil infanda profecit caede tyrannus,
Ingenium uiuit, corpus inane perit.

EVSTHENIVS

ROMANI *princeps populi, decus ordinis ampli,*
Maximus orator, ciuis & egregius,
Coniurationum uindex, hoſtisq. malorum,
Proſcriptus periit a tribus ille uiris.
Qui caeſus grauiter, qui detruncatus acerbe,
Hoc Lamiae debet, quod iacet in tumulo.

POMPEIANVS

DOCTRINAE *antiſtes, rerum mirabilis auctor*
Tullius, exſiſtens nobilis ex humili:
Cui dedit excellens ars oratoria nomen,
Virtute ingenij uenit in aſtra ſui.
Sed fortuna nocens miſerando funere raptum
Carpſit, & hoc uoluit membra iacere ſolo.

MAXIMINIVS

ELOQVIO *princeps, magnis memorabilis actis*
Tullius, indigna caede peremptus, obit.
Terras omnipotens impleuit nomine claro,
Ingenium caeſo corpore morte caret.
Viuit, & ingenti pollet cum laude per orbem;
Cuius in hoc tumulo membra ſepulta iacent.

VITALIS

INCLYTVS *hic Cicero Lamiae pietate ſepultus,*
Quem fortuna neci tradidit immeritae.
Maximus eloquio, ciuis bonus, urbis amator,
Perniciesq. malis, perfugiumq. bonis.
Qui ſexaginta completis ac tribus annis
Seruitio preſſam deſtituit patriam.

L. Aeli

L. Aelij Lamiae, a quo Cicero hic ſepultus dicitur, praeclara merita in eundem exſtiterunt temporibus Clodianis: ideoq. a Gabinio relegatum fuiſſe, diximus ad annum urbis DCXCV. uide orat. pro Sextio, & in Piſonem, epiſt. 16. & 17. lib. 11. & 29. lib. 12. Famil.

Iam illud addam, quod Deſiderius Lignamineus Patauinus ante annos ſedecim diuulgauit. Cum anno Chriſti M D X L I V. Kal. Decemb. Angelus Apulus Minorita Zacyntho inſula Venetorū, quae in mari Ionio Epiro adiacet, apud ſacellum D. Mariae Gratioſae, non longe a litore maris, coenobii fundamenta ageret, ſepulcrum antiquiſsimum reperit, cum hac inſcriptione: M. T V L L I . C I C E R O. H A V E. E T. T V. T E P T I A.. A N T Ω N I A. in eodem ſepulcro inuentae ſunt duae urnae uitreae, una maior cinerum, altera minor lacrymarum, ut uolunt. in maioris fundo erat uitro inſcriptum: H A V E M A R. T V L. Hoc monumentum ibi in ſacrario templi adſeruatur, & Ciceronis noſtri eſſe putatur. uerum in huiuſmodi rebus mihi Epicharmi cantienam illam, μέμνασο ἀπιϛεῖν, ad aurem in utramque inſuſurrari facile patior, cum praeſertim in Epitaphio, quod in libro manuſcripto elogiis XII ſapientium ἀδέσποτον ſubiicitur, Arpinatem Ciceronem lapide extra Caietam ſeruari, legam, quem Lignamineus a ſeruis crematum, & in Zacynthum delatum fuiſſe putat.

F I N I S

INDEX . PRIMVS
LOCORVM . CICERONIS
QVI . IN . HAC . HISTORIA
CITANTVR,
ET · ILLVSTRANTVR

IN . EPISTOLIS familiaribus libro primo 24.31.33. Secundo 34.35.36.37. Tertio 36. 37. Quarto 39.40 41 Quincto 23 24.25.30 33 34 41. Sexto 37.39.40 41. Septimo 14 34.35.36 37 38.42. 43. Octauo 34 35.36 37. Nono 9. 10.37.38.39.40.41.42 43. Decimo 19 45.46. Vndecimo 43.44 45.46. Duodecimo 43.44 45 46.50. Decimotertio 6.8.9.35.37.39. Decimoquarto 29.37 38.39. Decimoquincto, 23.36 37 Decimoſexto 37 38.42.

Ad Atticum libro primo. 1. 7.18. 19 20.21 24.25. 26. Secundo, 4.21.22.23.24.25.26.27. Tertio, 25.28.29. Quarto, 20.30. 31.32.33.34 35. Quincto, 36 37. Sexto, 37. Septimo, 2.37 38. Octauo, 38. Nono, 7.27.38. Decimo, 24.38. Vndecimo, 28.38.39. Duodecimo, 7.18.28.39.40. 41. Decimotertio, 2.6.40 41.42 Decimoquarto, 42.43. Decimoquincto, 42.43. Decimoſexto, 41 43.44.

Ad Q. Fratrem libro primo, 10 27. Secundo, 31.32 33.34. Tertio 34.35.36.

Ad M. Brutum, 41.45.46

De Inuentione, 5.

De Oratore, 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.34.

In Oratore, 17.

In Bruto, 2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16. 18.19.35.36.41.

In Lucullo, 8.9.12.24.26.

De Finibus, 13.20.36.41.

In Tuſculan 9 37 39.41.

De Natura Deor. 5 6 7 8.9.10.12.13 42.

De Diuinat. 7.20.30.34.35.38.41.42.

De Fato, 13.43.

De Legibus, 1.4 7.8.11.12.17.24.28.29.36.

De Officiis, 2.5.6.10.12.17.20.24.30.34.41.43.45

In Laelio, 7.8.

In Catone, 43.

In Paradoxis, 29.30.

Pro Quinctio, 10.11

Pro Sex. Roſcio, 11.

Pro Q. Roſcio, 14.

Verrina prima, 16.17. Secunda, 14.17. Tertia, 9.10. 11.14.15.17. Quarta, 5.6.7.15.17. Quincta, 15. 17 Sexta, 6.17 18. Septima, 4.5.14.15.17.

Pro Fonteio, 5 7 15.18.

Pro Caecina, 6.12.

Pro Cornelio, 5.7.19.20.

Pro lege Manilia, 3.8.10.11.13.15.16.18.20.

Pro Cluentio 7 15.17.19.20.

In Toga candida. 20 21.

In Agrariis contra Rullum, 2.3.5.7.10.11.12.20. 21.22.

Pro C. Rabirio, 4.22.

In Catilinam prima, 4.19 22 23. Secunda, 23. Tertia, 8.10.12.20.23. Quarta, 23.24.

Pro Murena, 2.5.15.17.19.20.22.23.

Pro P. Sulla, 19.20.21.23 24.25.26.

Pro Archia 3.7.8.15.20.27.

Pro Flacco, 4.8 9.10.17.23 26.

Poſt reditum ad Quirites, 4.8.24.27.28.29.30.31.

In Senatu, 9.14.18 27.28.29.30.31.33.

Pro Domo, 4.5.9.17.25.27 28 29.30.31.33.

pro Sextio, 4.8.9.10.13.21.24. 25.27. 28.29.30. 31.32.

In Vatinium, 22 25.26.32.

De Haruſpicum reſp. 7.8. 9.12.18. 21. 25.26.31. 32.33.

De prouinciis cos. 2.4.24.26.27.28.30 32.33.

Pro Balbo, 4.14.20.21.

Pro Coelio, 6.19.20.21.25.26.27.33.

In Piſonem, 4.5.8.14 16.18.19.21. 22.23.24.27. 28.29.30.31.33.34

Pro Plancio, 2.4.14.15.16.29.34.

Pro Rabirio Poſtumo, 19 40

Pro Milone, 6.25.29.30.

Pro Marcello, 37.40.

Pro Ligario, 11.21.37.38.39.40.

Pro Deiotaro, 37.42.

Philippica prima, 42.43. Secunda, 18.23.24.27.35. 37.39 42.43. Tertia, 42.44. Quarta, 44. Quincta, 4.21.25.43.44. Sexta, 36.45. Septima, 45. Octaua, 4.7.8.45. Nona, 45. Decima, 45. Vndecima, 13.23.36 45. Duodecima, 8.10.45 Decimatertia, 36.42.44.45. Decimaquarta, 46.

INDEX. SECVNDVS EORVM, QVAE AD M. TVLLIVM. CICERONEM PERTINENT

A

ABSTINENNTIA Ciceronis. 14
Academici libri Ciceronis. 41
Actio Ciceronis. 12
Adoleſcentes nobiles Cicero defendit. 14
Aedilis Curulis creatur. 16
Aedilitatem gerit. 17
Aeger in caſtris Pompeij eſt. 38
Aeſchylo Gnidio operam dat. 13
Agrariani legem Rulli oppugnat. 21
de Ambitu legem fert. 22
de Amicitia ſcribit. 43
Annonam leuat. 18
Antiocho Aſcalonitae operam dat. 12
C. Antonium defendit. 27
Apollinem Delphis conſulit. 13
Aqua, & igni arcetur. 28
Aratum conuertit. 7.10.26
pro Archia poeta dicit. 26
Arretinae mulieris libertatem defendit. 12
Arte Hortenſium fatigat. 17
Aſiam peragrat. 13
in Aſia procoſ. Dioeceſes habet. 37
Athenis uiuit. 12
Athenis commoratur. 37
Augur fit. 35
Auus Ciceronis. 1

B

pro BALBO dicit. 33
Bellum ciuile relinquit. 38
Bellum in Cilicia gerit. 25.26
pro Beſtia dicit. 32.33
Brundiſium exſul uenit. 29
eodem ab exſulio reuertitur. 30
Brundiſii uicto Pompeio diu commoratur Caeſarem expectans. 38
Brutum de claris orator. ſcribit. 39

C

pro CAECINA Cicero dicit. 18
Caedes Ciceronis. 47
Caeſari Cicero obuiam procedit. 39
Caeſaris exercitui ſtipendium decernit. 32
Caeſaris caedis ſocius non fuit. 42
Capuam ſumit. 37
Caput Ciceroni praeciditur. 48
Catilinae inſignijs petitus eum oppugnat. 22
Catilinarias orationes dicit. 23.24
Catonis laudationem ſcribit. 39.40
Catonem de ſenectute ſcribit. 42
Catulum ſcribit. 41
Cauſſas agere incipit. 11
Cicero unde dictus. 1
Ciliciam prouinciam ſortitur. 36
in Ciliciam uenit. 36 decedit. 37
pro Cluentio dicit. 20
pro Coelio dicit. 21
Comitas Ciceronis. 14
de Coniuratis ſupplicium ſumit. 24
Conſolationem ſcribit. 41
Conſulatum petit. 21 gerit. 21
& deinceps ad conſulatus petitionem ab Octauio inducitur. 46. de conſulatu ſuo uerſibus ſcribit. 20.26
conſulatus commentarium Graece ſcribit. 26
Conſulares orationes Ciceronis. 21.22
Cornelium maieſtatis reum defendit. 19.20
pro Cornelio Balbo dicit. 33
Corporis gracilitas, & infirmitas in Cicerone. 12
Craſſum Cicero defendit. 22

D

DECLAMITAT Cicero. 10.13
pro Deiotaro dicit. 42
Delphos ad Apollinem proficiſcitur. 13
Demetrio Syro operam dat. 12
Deploratur. 48
Dialecticam dicit. 9
Diodotum magiſtrum habet. 9
Dionyſio Magneſio operam dat. 13
de Diuinatione ſcribit. 42
Domus Ciceronis in palatio. 24
a Clodio incenditur. 28
publica pecunia aedificatur. 31
pro domo ſua oratio. 31
Druſum Cicero defendit. 34

ELO-

INDEX

E

ELOQVENTIAE uis in Cicerone. 22
Exercitationes Ciceronis. 7
in Exſilium Cicero eijcitur. 27.28
ab exſilio reſtituitur. 30

F

de FATO Cicero ſcribit. 43
Filius Ciceronis Tullius, Filia Tullia. vide Indicem ſequentem.
de Finibus ſcribit. 41
pro Flacco dicit. 9.27
pro Fonteio dicit. 18
Forum agit 37. in Forum uenit. 6
Fragmenta Ciceronis a Sigonio collecta. 20
Frater Ciceronis Q. Tullius. in indice ſequenti.
Fuga Ciceronis ex vrbe. 23.24
pro Fundanio dicit. 20

G

GABINIVM Cicero accuſat, & defendit. 35
Galliam prouinciam in concione deponit. 34
pro Gallio dicit. 20.21
Genus Ciceronis. 1
de Gloria libri. 43
Gracilitas corporis Ciceronis. 12
Graecas litteras Cicero puer diſcit. 3 Graecas orationes explicat. 4 Graece declamat. 10 13 Graeci Commentarium Conſulatus ſcribit. 26
Graecis doctrinam, & eloquentiam eripit. 13
in Graeciam proficiſcitur. 12.43
e Graecia redit. 13
Graeculus appellatur. 13
Gratuito multos defendit. 16

H

de HARVSPICVM reſponſis oratio. 32
Honorum cupidus Cicero. 13
Honos Ciceronis a Siculis habetur. 14
Hortenſium ſcribit. 41
Humanitas Ciceronis. 35

I

IMPERATOR Cicero appellatur. 37
Indoles Ciceronis. 6
Infirmitas corporis in Cicerone. 12.38
de Inuentione ſcribit. 9
Iudicia caſte exercet. 19
Iurat iuſiurandum pulcherrimum. 24
Iuri ciuili operam dat. 7 Iuris peritus eſt. 8
Ius dicit. 37
Iuſtus Cicero. 14

L

LAELIVM Cicero ſcribit. 42
Languet. 43
Laus Ciceronis. 13.24.46
de Legationibus liberis lex Ciceronis. 24
Legationis liberae ius habet. 43
Legatur a Caeſare. 27
Legatus ad Antonium decernitur. 45
Legati Ciceronis in Cilicia. 36
Leges conſul fert. 24
de Legibus ſcribit. 36
Lilybaei orationem habet. 15
Lorica tectus in campum uenit. 23
Luctus Ciceronis ex filiae morte. 41
Ludos Cicero aedilis facit. 17

M

MANILIANA oratio. 20
Manilium reum Cicero defendit. 43.44
Manus Ciceroni praeciduntur. 48
pro Marcello oratio. 40
Marius Ciceronis. 7
Mater Ciceronis Heluia. 2
Menippo Cicero operam dat. 13
Meſſium defendit. 34
Metellinam ſcribit. 25
Militat. 7.8
pro Miloni dicit. 32.36
Mineruae ſimulacrum in Capitolio ponit. 28.45
Molone operam dat. 9.11.13
Mors Ciceronis. 47.48
T. Munatium Plancum accuſat. 36
Murenam defendit. 23

N

NATALIS Ciceronis. 2
de Natura De. Cicero ſcribit. 42
Nomina Ciceronis. 1.2

O

OECONOMICVM Xenophontis Cicero cõuertit. 10
de Officijs ſcribit. 43.44
Orae maritimae ἐπίσκοπος eſt. 38
Oratorem ſcribit. 40
de Oratore diſputatio habetur. 6 a Cicerone ſcribitur. 34
Oratoribus aliis Cicero praeſtat. 13

P

PACIS auctor Cicero. 37 Pacis fundamenta iacit 42 Pacem cum Antonio diſſuadet. 45
Paradoxa ſcribit. 44
Partitiones oratorias ſcribit. 39
Pater Ciceronis moritur. 1
Pater patriae Cicero. 24
Patriae ſeruator Cicero. 24
Patrociniis ſeſe dat. 13
Pharſalico proelio Cicero non intereſt. 38
Philippicae orationes Ciceronis. 44
Philonem Cicero audit. 8.10
Philoſophiae magnam operam adoleſcens dat. 8.41

eius ſtudium renouat. 12. intermiſſum reuocat. 41
philoſophiae partes omnes tranſit. 10
in Piſonem oratio. 34
pro Plancio oratio. 34
T. Plancum accuſat. 36
Platonis libros tranſlatos edit. 10
Poeta Cicero. 6
Pompeij partes bello ciuili ſequitur. 38
Pontium Glaucum ſcribit. 6
Pupilliam, ſeu Publiliam uirginem uxorem ducit. 41
Porciae laudationem ſcribit. 41
Poſidonium audit. 13
Praetor primus creatur. 19
Praeturam gerit. 19
Prenſat. 20
Prognoſtica Ciceronis. 26
de Proſcriptorum liberis oratio. 22
Cicero proſcribitur. 46.47
Protagoram Platonis conuertit. 10
Prouinciam in concione deponit. 22
in Prouinciam ire non uult. 20
Prouinciam Ciliciam ſortitur. 36
in eam uenit. 36. decedit. 37
de Prouincijs cos. oratio. 33
pro Ptolemaeo rege oratio. 32
Puer Cicero in admiratione habetur. 6
Pueritiae ſtudia. 2.3.6

Q

QVAESTIONI de pecunijs repetundis Cicero praeeſt. 19
Quaeſtor creatur. 14
Quaeſtor Siciliam obtinet. 14
pro Quinctio oratio. 11

R

pro RABIRIO Poſtumo oratio. 35
C Rabirium perduellionis reum Cicero defendit. 22
Reatinorum cauſſam agit. 34
Redit ab exſulio. 30
Redundans Cicero. 13
Rem in Cilicia gerit. 36
de Repetundis accuſat, iudicat, & quaerit. 19
de Rep. ſcribit. 34
Reus ueſtem mutat. 28
Rhodum uenit. 13
pro Roſcio Amerino oratio. 11
pro Q. Roſcio Comoedo oratio. 14
pro Roſcio Othone oratio. 22
contra Rullum orationes. 21
Ruſticatur Cicero. 42.43.44

S

M. SAVFEIVM Cicero defendit. 36
pro Scauro dicit. 34
Scholam Gniphonis frequentat. 20
de Senectute ſcribit. 42
Sepelitur a Lamia. 49
pro Sextio dicit. 32
Siciliam quaeſtor obtinet. 14 e Sicilia decedit. 15
pro Sulla oratio. 25
Supplicatio Ciceroni decernitur. 23.26

T

cum TERENTIA uxore Cicero diuortium facit. 40
Teſtimonium in Clodium dicit. 25
A. Thermum defendit. 27
Timaeum Platonis conuertit. 10.43
Togam uirilem ſumit. 6
in Toga candida oratio. 21
Topica Cicero ſcribit. 43
Tribus Ciceronis. 1
pro Tullio oratio. 16
Tuſculanae quaeſtiones. 42

V

pro VARENO oratio. 16
in Vatinium oratio. 32
Vatinium Cicero defendit. 34
Verrem accuſat. 16
Verſibus de conſulatu ſuo ſcribit. 26
Villae Ciceronis a Clodio incenduntur. 28
Virginem uxorem Cicero ducit. 40
Vitae Ciceronis tempus. 49
Vox Ciceronis. 12.13

X

XENOCLI Adramyteno Cicero operam dat. 15
Xenophontis Oeconomicum uertit. 10

INDEX . TERTIVS COMMVNIS RERVM · OMNIVM: IN · CVIVS · DESCRIPTIONE praenominum ratio nulla eſt habita.

A

ACADEMIA nona. 12
Academiae patronus Philo. 8
Academici libri Ciceronis. 41
M'.Acilius Glabrio praetor.16. conſul.18.Lucullo ſuccurrit. 18
Actium. 36
C.Aculeo eques. 2.Aculeonis filij conſobrini Ciceronis. 161
Adrianus Turnebus. 9.&17
Sex.Aebutius. 18
Aediles unde dicti. 17
Aedilitatis petendae tempus legitimum. 16
L.Aelius Lamia relegatur.50.a Cicerone ad Antoniũ mittitur.39.Ciceronem ſepelit. 50
Aelius Ligus tribunus pl. 29
Q.Aelius Tubero Ligarium accuſat. 40
M.Aemilius Lepidus cos. 19.25
M.Aemilius Lepidus cos. 12. diſſentit a Catulo colega. ibid.
M.Aemilius Lepidus interrex. 35
M.Aemilius Lepidus praetor Caeſarem dictatorem rem dicit. 38. conſul.59. magiſter equitum. 40. 42 pontifex max.45.Antonium recipit.40. hoſtis a ſenatu iudicatur.ibid.cum Antonio, & Octauio contra remp.conſpirat. ibid.
Aemilius.uide Mamercus.
L.Aemilius Paullus cos.36.37.proſcribitur. 46
M.Aemilius Scaurus a Cicerone defenditur. 34
Aeſchylus Gnidius. 13
L.Afranius cos. 26
Africanus minor cos. 16
Africa a Mario deuicta 8.C. Caſsio decernitur. 42.
Africam Catilina praetor obtinet. 19
Africum bellum Caeſaris. 39
Agraria lex Flauia. 26. Iulia. 27. Seruilia Rulli. 21. Titia. 4
Albanus mons. 20
Alexandri Magni caſtra apud Iſſum. 37
C.Alfius.34.praetor. 46
Allobroges ſolicitantur a Catilina.23.domantur.26
Allienus praetor Siciliam obtinet. 39
Sex Alphenus. 11
Amanus mons. 37
Amatius. 43
Ambitus lex Calpurnia.19.20.Cornelia. 10. Pompeia.35.Tullia. 22
de Amicitia ſermo Ciceronis. 8. a Cicerone ſcribitur. 43
Ancona. 37
M.Annius Ciceronis legatus. 36
T.Annius Milo tribunus pl.29.Clodium de ui poſtulat.30.gladiatores emit. ibid. Miloni dies a Clodio dicitur. 32. conſulatum petit. 35. Clodium occidit 161. accuſatur, & defenditur. 36. damnatus exſulat. ibid.
Antii Cicero eſt. 27
Anticato Caeſaris. 39.40
Antiochiae Caſsius eſt. 36
Antiochus Aſcalonita. 12
Antiochus Commagenus. 35
P.Antiſtius. 10
Sex.Antiſtius uetus tribunus pl. 31
C.Antonius praetor 19. conſul cum Cicerone creatur.21.conſulatum gerit.ibid. Catilinam uincit,& imperator appellatur.25.in Macedoniam proficiſcitur.ibid.accuſatur, & damnatus exſulat. 27
C.Antonius M.frater,Hortenſio in Macedonia ſuccedit.45.a Cicerone filio uictus in M.Bruti poteſtatem uenit. 45
M.Antonius orator praetor piratas uincit. 3. Man. Aquillium defendit.4.conſul.ibid.cenſor.5.de Oratore diſputat.6.occiditur. 9
M.Antonius Creticus oratoris filius. 15
M. Antonius triumuir Milonem accuſat. 36. tribunus pl.ex urbe ad Caeſarem profugit.37.Ciceroni Brundiſii parcit. 38. magiſter equitum. 39. cos.42. Caeſari diadema imponit. orationem de concordia habet. Caeſarem oratione funebri laudat ibid. Octauium Caeſarem ſuperbe excipit. 43 Ciceroni inimicitias denunciat.44. Brundiſii milites trucidat.Mutinam obſidet. hoſtis iudicatur. ibid.ad Mutinam uincitur.46.a Lepido recipitur. cum Octauio, & Lepido contra remp. conſpirat. ibid.Ciceronis caput pro roſtris poni iubet. 48
M.Antonii Gniphonis ſchola. 20
Apamea. 36
Apio. 5
Apollinis ſacra. 4

Apollinares

Apollinares Ludi. 31
Appia uia. 30
Appius Claudius.
Appuleia lex agraria. 4
L. Appuleius Saturninus tribunus pl. ſeditionem mouet. 4. occiditur. ibid.
P. Appuleius tribunus pl. 46
C. Aquillius Gallus. ij. praetor. 19
M'. Aquillius cos. 3. repetundarum reus. 4. necatur. 8
Aquinum. 25
Arati carmina Cicero conuertit. 7. 10. 26
Arcanum. 36
Archias Romam uenit 3. a Cicerone defenditur. 26
Aricia. 30.35
Ariminum. 37
Ariobarzanes rex. 8.36
Ariſto, apud quem Cicero Athenis diuerſatus eſt. 37
Arpinate. 1. 27.35.43
Arpinates in tribu Cornelia. 1
Arpinum. 36
Arretinae mulieris libertatem Cicero defendit. 12
Arretium. 37
Aſia. 8. in regiones a Sulla diuiditur. 10. obtingit Q. Ciceroni. 26. obtinetur a L. Flacco. 27. a Q. Mucio. 5. a Q. Thermo. 37. decernitur Trebonio. 42. in Aſiam M. Cicero proficiſcitur. 37
Aſturae Cicero eſt. 41. habuit ibi maritimum fundum. 47
Ateius Capito tribunus pl. 34
Athenio dux fugitiuorum. 3
Atheſis fluuius. 4
Sex. Atilius Serranus tribunus pl. 29
Ciceronis reditum impedit. 29
C. Atilius Serranus cos. 2
T. Atius Cluentij accuſator. 20
Atticus. Pomponius.
Attia Augusti Caeſaris mater. 43
Attius Tullus. 1
Cn. Aufidius Oreſtes cos. 16
Auguſtus. Octauius.
Auguſtus menſis, qui prius Sextilis. 46
Aurelia mater Caeſaris. 25
Aurelia lex de iudicijs. 18
C. Aurelius Cotta tribunatus pl. deiectus in exſuliũ pellitur. 9. conſul. 14
L. Aurelius Cotta praetor. 17, cos. 20
M. Aurelius Cotta cos. 15
L. Aurelius Oreſtes cos. 2. moritur. ibid.
P. Autronius Paetus cos. deſig. 20. contra remp. coniurat. ibid. & 21. damnatur. 25

B

Balbus. l. Cornelius.
L. Bellienus. 21
Bellonae aedes. 22
Beneuentum. 36
Beſtia. Calpurnius.
M. Bibulus cos. 9. 26. Syriam obtinet. 37
Bithynia a P. Silio obtinetur. 37. Cimbro decernitur. 41
Bonae deae ſacra. 23.25
Bononia. 46
Britannia Caeſar exercitum reportat. 35
Brundiſium exſul Cicero proficiſcitur. 29. eodem redit. 30. Brundiſium Cicero e Cilicia uenit. 37. ibidem uicto Pompeio diu fuit. 38
Brundiſinae coloniae natalis. 30
Brutus. l. Iunius.
P. Burrienus praetor. 11
Buſtum in foro. 43
Buthrotum. 45
Byllis. 45

C

Caecilia Balearici filia. 7
Caecilia Didia lex. 4
L. Caecilius praetor. 29. ludos facit. 31
L. Caecilius Metellus cos. 18
Q. Caecilius Metellus Celer praetor. 23. Galliam procos. obtinet. 25. cos. 26. Clodio reſiſtit. ibid.
Q. Caecilius Metellus Creticus cos. 17
Q. Caecilius Metellus Nepos cos. 4
Q. Caecilius Metellus Nepos Ciceronis inimicus. 4. tribunus pl. Ciceronẽ uexat. 24. 25. praetor portoria Italiae tollit. 26. conſul. 29. cum Cicerone in gratiam redit 30. Hiſpaniam obtinet. 33
Q. Caecilius Metellus Numidicus in exſulium proficiſcitur. 4. ab exſulio reuocatur. ibid.
Q. Caecilius Metellus Pius cos. 11
Q. Caecilius Niger. 16
A. Caecinae cauſſa, & defenſio. 18
Caepio. l. Seruilius.
Caeſar. l. Iulius.
M. Caeſius praetor. 14
M. Caeſonius. 17.18
Caieta. 47
Caietae Cicero praedium habuit. 47
Caietana uilla Ciceronis. 47
Calagurium. 15
Calatia. 44
Calenus. l. Fufius.
Cales. 38
Calidia lex. 4
Q. Calidius tribunus pl. Metellum Numidicum ab exſulio reuocat. 40
M. Calidius praetor. 29
Calpurnia lex de ambitu. 20
L. Calpurnius Beſtia tribunus pl. 24
C. Calpurnius Piſo cos. 18
C. Calpurnius Piſo Ciceronis gener. 32
C. Calpurnius Piſo iudex in cauſſa Roſcij Comaedi. 14
Cn. Calpurnius Piſo contra remp. coniurat. 40
L. Calpurnius Piſo Caeſonius cos. 27. prouinciam a Clodio accipit. 28. in prouinciam proficiſcitur. 29. Ciceronis oratio in eum. 34. M. Marcelli mentionem in ſenatu facit. 40. de Antonio mitem ſententiam dicit. 44. legatus ad Antonium mittitur. 45
Camoenarum templum. 31

INDEX

Campanus ager diuiditur.27.de agro Campano Ciceronis ſententia. 32
C.Caninius tribunus pl. 31
C.Caninius Rebilus cos. 42
Capena porta. 31
Capitolium incenditur.10.a Catulo reficitur. 18
Capua.30.Capuam Cicero ſumit. 37
Carbo.l.Papirius.
Carneades. 12
Carolus Sigonius fragmenta Ciceronis collegit.20. eius faſti.2.40 ſententia de Appiani loco falſa. 16
Caſilinum. 44
Caſsiae leges. 2
Caſsia lex frumentaria. 15
Caſsinius Schola. 25
P.Caſsius praetor. 19
C.Caſsius Longinus tribunus pl.3.cos. 5
L.Caſsius Longinus conſulatum petit. 21
C.Caſsius Varus cos. 15
Q.Caſsius tribunus pl. 37
C.Caſsius quaeſtor.36. Ciceroni Fabium commendat.37. Caeſare occiſo, Africam prouinciam accipit 42.Dolabellam perſequi iubetur. 45
Caſtor nepos Deiotari. 42
Caſtoris templum. 29
Catilina.l.Sergius.
Cato.l.Porcius.
Cato Ciceronis. 39.40
Catulus.l.Lutatius.
Cenſoria poteſtas reſtituitur. 36
Centumuiri. 6
Centuriata comitia. 22.30
Cephallenia. 27
Ceſennia. 18
Cethegi factio. 15
Chelido meretricula. 15
Chryſogonus libertus Sullae. 11
Ciliciam M.Antonius procos. obtinet. 3
Cilicia p.Lentulo obtingit 31.32. obuenit M. Ciceroni. 36
Cimber.l.Tillius.
Cimbricum bellum. 2
Cimbrica uictoria. 9
Cinna.l.Cornelius.
Cinna legatus Syriacus. 45
Circaeum. 47
M.Ciſpius tribunus pl. 29
Ciuica corona. 12.24
Ciuile bellum Pompeij,& Caeſaris. 37
C.Claudius praetor. 32
Ap Claudius frater P.Clodij praetor.30.cos.34. a P. Dolabella accuſatur. 37
C.Claudius Pulcher cos. 6
C.Claudius Marcellus cos.36.37.pro fratre deprecatur. 40
M.Claudius Marcellus cos.36 Pompeij partes ſecutus exſulat.40. a Caeſare reſtituitur. ibid. occiditur. 41
Clitomachus. 8.12
Clodiae leges a P.Clodio latae. 28
Clodiani caedem in foro faciunt. 29
P.Clodius Pulcher Appii F.12.25.Luculli exercitum ſolicitat. 18. Catilinam repetundarum accuſans praeuaricatur.20.Bonae deae ſacra uiolat.25.accuſatur, & abſoluitur. ibid. ad plebem traducitur. 26.27.tribunus pl.fit.ibid.Ciceronem in exſulium eiicit.28.Pompeio inſidiatur.29 a Milone de ui poſtulatus.ibid.legem de reditu Ciceronis diſſuadet.30. aedilitatem petit.32.aedilis Miloni diem dicit.ibid. concionē contra Ciceronem habet.ibi. praeturam petens occiditur. 35
Sex.Clodius damnatur. 36
A. Cluentius accuſatur, & a Cicerone defenditur. 20
κνήμη, ſura. 16
C.Coelius Ciceronis quaeſtor. 36.37
Ciliciae a Cicer. praeficitur. 37
M.Coelius C.Antonium accuſat.27.accuſatur, & a Cicer.defenditur.33.ad eum Cicero ſcribit. 37
P.Coelius praetor. 14
C.Coelius Caldus cos. 5
Coelii Curionis error. 24
Cometae apparent. 8
Cominii accuſatores Cornelii. 19
Comitia centuriata.22.30.conſularia. 20.22.35
Comitialis dies. 25
Compitalicii ludi. 18
Concordiae templum. 23.28
Coniuratio Catilinaria prima.20.altera.22.coniuratio duplex. 25
Conſulatis annus. 21
M.Coponij,& M'.Curij cauſſa. 6
Corinthia uaſa. 17
Corinthij agri. 5
Cornelia lex de ambitu.19.de indiciis.17.de maieſtate.ibid.de Ciceronis reditu. 30
Cornelia tribus. 1
Cornelia Pompeij uxor. 36
Cornelius centurio. 46
C.Cornelius tribunus pl.19.de maieſtate accuſatur. ibid.a Cicerone defenditur. 20
Cornelius Balbus Caeſarianus. 39
L. Cornelius Balbus ciuitate donatur. 20. accuſatus defenditur a Cicerone. 21
L.Cornelius Cinna cos. 8. ciuitatis principes occidit.9.conſul iterum, conſul. tert. & quart. ibid.
Cn.Cor.Dolabella cos. 11
P.Corn.Dolabella Appium accuſat.37.Tulliam Ciceronis filiam uxorem ducit.37. ſeditiones in urbe excitat.39.cum Caeſare in Africa, & Hiſpania fuit.39.41.in Italiam reuertitur.41. Dolabellam Caeſar conſulem facere uult 42.conſul eſt.ibi.Trebonium Smyrnae occidit.45.hoſtis iudicatur.ibi.
Cn.Corn. Lentulus cos. 4
Cn.Corn.Lentul.Clodianus cos.100.cenſor.17.26
Cn.Corn.Lentul.Claudianus. 27
L.Corn.Lentul.Crus,cos. 37
Cn.Corn.Lentul.Marcellinus cos. 32
P.Corn.Lentul. Spinther Ciceroni ſtudet. 29. conſul.de Cicer.ad ſenatum refert. ibid. & 30. legem de Ciceronis reditu fert ibid.Ciliciam prouinciam obtinet. 31
P.Corn.Lentul.Sura cos.16. cum Catilina coniurat. 23.necatur. 24

L.Corn.Scipio cos.10.ab exercitu deſeritur,& exſulat. 10
L.Corn.Sulla legatus. 7. conſul. 8. Mithridaticum bellum gerit. 9. pace cum Mithridate facta Aſiam in regiones diſtribuit. 10. eius crudelitas in ciues. dictator dicitur.ibid. ciues proſcribit.11. proſcriptorum filios honorum petitione priuat.22. conſul iterum. 11. dictatura ſe abdicat. 12. moritur. ibid.
P.Corn Sulla cos.deſig contra remp.coniurat.20.accuſatur,& defenditur. ibid.& 25
Ser.Corn.Sulla damnatur. 25
Q.Cornificius conſulatum petit. 21
C.Cornutus praetor. 29
Corona ciuica.12.24.laurea. 16
Corradus.l.Sebaſtianus.
C.Coſconius praetor. 23
Coſconius moritur. 27
Coruorum prodigium.4 de Ciceronis morte. 47
Cotta.l.Aurelius.
Craſſus.l Licinius.
Craſsipedi Tullia Ciceronis deſponditur.32. Craſsipedis horti. 34
Creta M.Bruto decernitur. 42
Cretenſibus M.Antonius bellum infert. 15
Cumanus ager. 12
Cumanum. 22.25
Curiata lex. 26.27.31.43
M'.Curij,& Coponij cauſſa. 6
Curio l.Scribonius.
Curtij quaeſtor Cicero. 14
M'.Curtius tribunus pl. 29
C.Curtius Rabirij pater. 35
Curulis ſella. 17
Cybiſtra. 36
Cyrenenſes agri. 5
Cyzicus urbs. 15

D

L. Damaſippus praetor. 10
L. Decem legati. 32
Decemuiri ſummo cum imperio. 21
Deiotarus Gallograeciae rex apud Caeſarem accuſatus defenditur a Cicerone. 42
Delphos Cicero proficiſcitur. 13
Demetrius Syrus. 12
Diadema Caeſari Antonius imponit. 42
Dialectica eſt eloquentia contracta. 9
Dictatura Sullae.11.Caeſaris. 38.39.40.42
Didia lex. 4
T.Didius cos. 4
Dio Academicus. 243
Diodotus Stoicus,Ciceronis magiſter. 9
Dioeceſes Ciceronis in Aſia. 37
Dionyſius Magnes. 13
Diuinatio in Verrem. 16
Dolabella l Cornelius.
Cn. Domitius praetor. 31.33
Domitia lex de ſacerdotiis. 2
Cn.Domitius tribunus pl.2.cos.& cenſor. 5.6
L.Domitius Ahenobarbus cos. 5
L.Domitius Ahenobarbus conſulatu detruditus 33. conſul creatur. 24. quaeſitor. 36. Domitij uxor Porcia. 41
Cn.Domitius Caluinus cos. 35
Cn.Domitius adoleſcens. 45
Druſus.l.Liuius.
Durienſe proelium. 14
Duumuiri de perduellione quaerunt. 22
Dyrrhachium Cicero exſul uenit. 29.a Vatinio occupatur. 45

E

ELEVTHEROCILICES. 37
Epheſus. 36
Epulum Fauſti. 37
Equites iudicant. 5. cum Cicerone ueſtem mutant. 28.Gabinio pro Cicerone ſupplicant.ibid.Equitibus in theatro XIV.gradus aſsignantur. 9.16
Eteſiae. 46

F

FABIORVM cognomen. 1.2
M Fabius in Fonteium ſubſcribit. 18
M.Fabius ad Ciceronem in Aſiam uenit. 37
Q.Fabius Gallus. 41
Q Fabius Maximus C Antonium accuſat. 27
Q Fabius.Max.cos.triumphat.41. moritur. 42
Q.Fabius Sanga. 23
Q.Fabricius tribunus pl. 29
T.Fadius tribunus pl. 29
Faeſulae. 22
C.Fannius Chaerea. 14
Faſces. 46
Faſces Laureati. 25
Faſti a Caeſare corriguntur. 40
Fauſtus Sullae F.munus gladiatorium dat. 26
Fideicommiſſarius heres. 41
Fimbria.l.Flauius.
C.Fimbria Marianus. 9
De Finibus bonorum, & malorum Cicero ſcribit. 41
Flaccus.l.Valerius.
C.Flaminius praetor. 19
Flauia lex agraria. 26
Flora Dea. 17
P.Fonteius Clodium adoptat. 27
M.Fonteius praetor 15. accuſatur, & a Cicerone defenditur. 18
Formianum. 31.47
Formiae. 30.38
Franciſcus Fabricius in Ligarianam Ciceronis commentarium edidit.3.21.37.38.40. Oroſium emendauit, & annotationib. illuſtrauit. 2.3.4.5.8.15. 35.42.46. Lutetiae Hadriano Turnebo & Petro Ramo operam dedit. 9.17
Franc.Othomanni error. 3
Franc.Siluij error. 24.34

Q.Fuſius

Fuſius Calenus tribunus pl. 25. coſ. 39. M. Brutum oppugnat. 45. in eum Cicero inuehitur. 45. eius maledica oratio. 1
Fugitiuorum bellum in Sicilia. 3.4
M. Fulcinius 18
Fuluia coniurationem patefacit. 20.23
Fuluia Antonij uxor Ciceronis capiti illudit. 48
M. Fundanius a Cicerone defenditur. 20
Fundus populus. 33

G

Gabinia lex. 18
A. Gabinius tribunus pl. 18. conſul. 28. prouinciam a Clodio accipit. 28. in prouinciam exit. 29. rem bene gerit. 32. Ptolemaeum Alexandrinum reſtituit. 34. accuſatur. 35. condemnatur. ibid.
Gades. 33
Gallia citerior D. Bruto decernitur. 42
Galliae citerior M. Brutus praeeſt. 39
Galliae prouinciae Caeſari dantur. 27
Q. Gallius praetor. 20. a Cic. defenditur. 20.21
Gallograeciae tetrarchia. 44
L. Gellij concio de Cicerone. 39
L. Gellius Poplicola cos. 15. cenſor. 17.26
Georgius Fabricius. 1
Gerardus Inhacenſis. 3.8
Gladiatorum munus. 24.26
Gladiatores Clodij. 29. Milonis. 30
Glaucio l. Seruilius.
Graeculus Cicero appellatur. 13
M. Gratidius. 1
Guiliel. Xylander. 19.29.41

H

Halisini. 5
Hannibal quando in Italiam uenerit. 2
Haruſpices. 29.32
Haſta Sullae. 11
Heluia Ciceronis mater. 2
Henricus Stephanus. 3
Herennius centurio, Ciceronis percuſſor. 47
M Herennius cos. 5
C Herennius tribunus pl. 26
Hierta Numidiae Rex. 11
Hipponium. 28
C. Hirrus. 35
A. Hirtius Caeſarianus. 39. cos. 43. in proelio Mutinenſi cadit. 46
Hiſpania a Nepote procos. obtinetur. 33
Hiſpanienſe bellum Caeſaris contra Pompeij liberos. 40
Hiſpania Caeſar potitur. 38
Hiſtrionica ars. 14
Horae accuſandi duae, defendendi tres. 35
Hortenſius Ciceronis liber. 41
Q. Hortenſius Q. F. Macedoniam obtinuit. 45
Q. Hortenſius miles. 7. aedilis. 14. Verris patronus. 16. 17. conſul 17. contra Gabinium dicit. 29. legem Maniliā diſſuadet. 19. defendit Murenā. 23. P. Sullam. 25. Flaccum 27. P. Sextium. 32. pro Cicerone cos. deprecatur. 28. Ciceronem in augurum collegium adoptat. 35

I

Iconium. 36
Imaginis ius. 17
Imperatores patres patriae dicti. 24
Imperij inſignia. 23
Interamna. 25
Interamnates. 34
Interreges produntur. 35
Interregnum. 13.33. interregna plura. 35
Interrex. 10
Iouis Statoris aedes. 17
Italici belli prodigia. 7
Italici ſolicitantur. 6
Italicum bellum. 7
Iuba Mauritaniae rex. 39. a Caeſare uincitur. ibid.
Iudaica religio. 16
Iudicandi formula. 14
Iudicia bello Italico intermittuntur. 6.7
Iudicia penes equites. 5. penes ſenatores. 17. inter ſenatores, equites, & tribunos aerarios communicantur. 17
de Iugurtha Marius triumphat. 3
Iulia Caeſaris filia moritur. 35
Iulia lex de agris. 27. de repetundis. 23
C. Iulius Caeſar de oratore diſputat. 6
C. Iulius Caeſar quaeſtionem de ſicariis exercet. 21. de perduellione quaerit. 22. praetor des. de coniuratis ſententiam dicit. 24. Pompeiae uxori nunciū remittit. 25. cos primum. 26. Clodium ad plebem traducit. 27. lege Vatinia Gallias cum Myrico accipit. ibid. Caeſari legati, & ſtipendium decretum. 32. filiam Iuliam amittit. 35. bellum ciuile ſuſcipit. 37. Pompeium Brundiſij obſidet. 38. dictator dicitur. cos iterum. Pompeium uincit. ibi. bellum Alexandrinum gerit, & Pharnacem uincit. 39. dictator iterum. ex Aegypto litteras ad Ciceronem mittit. in Italiam uenit. Africum bellum gerit. cos tert. ibid. Anticatonem ſcripſit. 40. praefectus morum. 40. M. Marcello ignoſcit. 5 Faſtos corrigit. ad bellum Hiſpanienſe proficiſcitur. dictat. tert. cos. quartum. ibid. Ciceronem de filiae morte conſolatur. 41. Pompeij liberos in Hiſpania uincit. 41 ex Hiſpania triumphat. 42 Caeſaris triumphus Africanus. 7. cos. quinctū. 42. dictator quart. occiditur. ibi. Caeſari ſacrificatur. 43
L. Iulius Caeſar cos 7. cenſor. 8.26
L. Iulius Caeſar cos. 21. proſcribitur. 46. L. Caeſaris ſententia de Dolabella. 45
Sex. Iulius Caeſar cos. 6
Iunia Licinia lex. 25
D. Iunius Brutus cos. 13
D. Iunius Brutus Caeſaris percuſſor Galliam citeriorem S. C. accipit. 42 edictum proponit. 44. Mutinae ab Antonio obſidetur. 44. Mutinae uix ſuſtinet. 46. ad eum Cicero ſcribit. ibid.

M.Iunius Brutus Galliae ciſalpinae praeeſt. 40 & Cicero ſcribit ibidem. Ciceronem de filiae morte conſolatur. 41. Caeſarem interficit. 42. ei Creta prouincia decernitur. ibi. urbe relicta Antium proficiſcitur. ibid. in Graeciam, & Macedoniam tranſit. 6.45. eius res in Macedonia geſtae. 45
D.Iunius Silanus cos. 23.25. ſententiam de coniuratis dicit. 24
Iunonis Sacellum in Albano. 32
Iunonis Soſpitae templum. 7
Iuſiurandum Ciceronis. 34
M.Iuuentius Lateranenſis Plautium accuſat. 34

K

Kalendae nouae. 2
Kalendarium uetus Romanum. 6.25.44

L

Q. Labienus occiditur. 4
T.Labienus Rabirium accuſat. 4.22. ex acie Pharſalica fugit. 38
D.Laelius L.Flacci accuſat. 27
Lanuuium. 35
Laodicea. 36
Laodiceae Cic. forum agit. 37
Latinienſis ager. 32
Legationes liberae. 24.43
Legem ſuadendi, & diſſuadendi mos. 19.30
Leges Caſsiae. 3
Leges Clodiae. 27.28
Leges Liuiae. 4
Leges Pompeiae. 35.36
Lenij Flacci. 29.30
Lentulus accuſator Clodij. 25
Lentulorum cognomen. 2
Lentulus L Cornelius.
Lepidus L Aemilius.
Leptam Cicero ad Pompeium mittit. 26. ei ſcribit. 41
Leucopetra. 43
Lex Aelia Fuſia. 22
Lex Appuleia de agris. 4
Lex Aurelia de iudicijs. 17.18
Lex ex S C. promulgatur. 31
Lex Caecilia Didia. 4
Lex Calidia de Metelli reditu. 4
Lex Cornelia de ambitu. 19. de iudicijs. 17. de maieſtate 19. de Ciceronis reditu. 18
Lex Curiata. 26.27.31
Lex Didia. 4
Lex Flauia de agris. 26
Lex Gabinia. 18
Lex Iulia de agris. 27. repetundis. 35
Lex Iunia Licinia. 25
Lex Licinia. 5
Lex Lutatia de ui. 25.27.32.33
Lex Manilia. 19
Lex Mucia. 5
Lex Papia. 20.21
Lex Pedia. 46
Lex Penni. 20.4
Lex Plotia. 7
Lex Roſcia. 19.22
Lex Sempronia de iudicijs. 6. de prouincijs. 11.32
Lex Seruilia. 2
Lex tabellaria. 1
Lex Terentia, & Caſsia. 15
Lex Titia de agris. 4
Lex Varia. 6.7
Lex Vatinia. 27
Liberalia. 42
Libertatis templum. 28
Libertinis ius ſuffragij datur. 19
Licinia lex. 5
L.Licinius Craſſus orator legem Seruiliam ſuadet. 2. conſul. 5. in Gallia rem gerit. 5. cenſor 6. in Tuſculano de Oratore diſputat, & moritur. 6
M.Licinius Craſſus P.F. 9. praetor ſeruile bellum cōficit. 16. triumphat. cos. primum. ibid. cos. iterum. 34 defendit Murenam. 23 Balbium. 33. Coelium. 33. in Syriam proficiſcitur. 34. a Cicerone defenditur. 34. perit. 35
P.Licinius Craſſus cos 4. cenſor. 8. 26
P Licinius Craſſus M. pater occiditur. 6
P.Licinius M F perit. 35
P Licinius Craſſus praetor. 29
L.Licinius Lucullus quaeſtor. 26. cos. 15. Mithridaticum bellum gerit. 16. 18. ex Aſia reuocatur. 19. 20. Catilinam accuſat. 21. triumphat. 24
M Lucullus L frater cos. 9.15
C.Licinius Macer apud Ciceronem accuſatur. 19. cōdemnatur, & moritur. 19
L.Licinius Murena cos. 23.24.23. accuſatur, & a Ci. defenditur. 23
C Licinius Sacerdos praetor. 14. conſulatum petit 21
Q.Ligarius exſulat. 40. a Cicerone defenſus reſtituitur. 40
Lilybaetanus quaeſtor Cicero. 14
Liuiae leges. 14.4
M Liuius Druſus tribunus pl. 6. perit. 6
Liuium Druſum Cicero defendit. 34
M Lollius Palicanus. 15
Luca. 33
L.Lucceius Ciceronem de filiae morte cōſolatur, eiq. Cic reſcribit 41. Lucceium Cicero rogatur, ut res a ſe geſtas hiſtoricae mandet. 33
Lucretius Ofella occiditur. 21
Lucullus. l. Licinius.
Ludi Compitalitij 18. Romani. 6. 17.35.44
Lupercalia. 42
L Luſcius. 21
Luſtrum conditur. 24.26
Lutatia lex de ui. 22.27.32.33
Lycaonia. 36
Q. Lutatius Catulus pater cos. 3. procos. Cimbros uincit 4. occiditur. 9
Q Lutatius Catulus filius cos. 12. Capitolium reficit. 18. Gabiniae legi aduerſatur. 19. legem Maniliam diſſuadet. 20. de coniuratis ſententiam dicit. 24

Macedo-

I N D E X

M

MACEDONIAM prouinciam ſortitus Cicero Antonio concedit. 22 Antonio in Macedonia C. Octauius ſuccedit. 26.27
Macer.L.Licinius.
P. Magius Chilo M. Marcellum occidit. 41
C. Mallius cos. 23
Manilia lex. 19.20
C. Manilius tribunus pl. 19 Pompeio bellum Mithridaticum lege lata defert. 20 accuſatur. 20 a Cic. defenditur. 20
Mamercus Aemilius Lepidus cos. 13
C. Manlius Catilinarius. 22
A. Manlius Torquatus Athenis exſulat. 41
L. Manlius Torquatus cos. 20 Catilinae aduocatus fuit. 20.21
L. Manlius Torquatus P. Sullam accuſat. 25 de Finib. diſputat. 41
Marcellus. L. Claudius.
C. Marcius Figulus cos. 20.21
L. Marcius Philippus cos. 6 Druſo reſiſtit. 6 cenſor. 9.25 Pompeio ſuffragatur. 13
L. Marcius Philippus cos. 32 uitricus Octauij Caeſaris 43 legatus ad Antonium mittitur. 45
Q. Marcius Rex cos. 18
Marcus praenomen. 1
Mariana Iouis aedes. 30
Marius Ciceronis. 7
C. Marius cos. iter de Iugurtha triũphat. 3 cos. tert. 3 cos. quart. Teutonos, & Ambronas uincit. 4 cos. quinct. Cimbros uincit. 4 cos. ſext. 4 exſulat. 8 Romam reuerſus urbem caedibus implet. 9 cos. ſept. 9 moritur. 9
C. Marius filius cos. 10
Marſicum bellum. 6.7
Martis templum. 31
Maſsilia. 3
Maſsiliae Milo exſulat. 36
C. Memmius exſulat. 36
C. Memmius occiditur. 4
C. Memmius Rabirium Poſtumum accuſat. 35
Menippus Stratonicenſis. 12
Meſſalla. I. Valerius.
L. Meſsinius Ciceronis quaeſtor. 36
C. Meſsinius tribunus pl. 29
Meſsium Cicero defendit. 34
C. Meſsius. 38
Metellina oratio Ciceronis. 25
Metellus. I. Caecilius.
Q. Metellus Scipio. 35. cos. cum Pompeio genero. 36 ſententiam dicit, ut Caeſar exercitum dimitat. 37
Milo. I. Annius.
Minerua Ciceronis. 28 turbine deiecta reſtituitur. 45
Minturna. 7.30.38
Miſenum. 3
Mithridates bellum parat. 8 interficitur 24
Mithridaticum bellum. 8 a Sulla geritur. 9 a L. Lucullo geritur. 16 18. Pompeio lege Manilia defertur. 19.20 ab eodem conficitur. 24
Mitylenae expugnantur. 12
Mitylenis M. Marcellus exſulat. 40
Molo Rhodius. 9.11.13
Mucia lex. 5
Q. Mucius Oreſtinus tribunus pl. 31
Q. Mucius Scaeuola augur. 7.8
Q. Mucius Scaeuola pontifex. 7.8 cos. 5 Aſiam obtinet. 5 occiditur. 10
Q. Mucius Scaeuola tribunus pl. 35
Muluius pons. 23
L. Mummius tribunus pl. Ciceroni ſtudet. 28.29
T. Munatius Plancus accuſatur, & condemnatur. 36
L. Munatius Plancus, ad quem Cicero ſcribit lib. x. Famil. 46
Mutina. 6. ab Antonio obſidetur 44 46
Mutinenſe proelium. 46
Murena L. Licinius.

N

Sex. NAEVIVS, Quinctij aduerſarius. 11
Neapolis. 11
Neapolitana ſeditio. 33
Ti. Neronis ſententia de coniuratis. 24
Nicolaus Gruchius. 14
Nicomedes Bithyniae rex. 8
P. Nigidius. 23
L. Ninnius Quadratus. 28
Niſibis urbs. 18
Nobilitas omnis Ro. trucidata. 10
Nola opidum 7 8
A. Nonius occiditur. 4
C. Norbanus Flaccus cos. 10. a Sulla uincitur. 10
C. Norbanus tribunus pl. 2

O

OCTAVIANVM bellum. 9
Cn. Octauius cos. 8 bellum excitat. 9 occiditur. ibid.
Cn Octauius cos. 13
L. Octauius cos. 14
C. Octauius Auguſti Caeſaris pater C. Antonio in Macedonia ſuccedit. 26
C. Octauius Caeſar Auguſtus, Caeſare interfecto, Apollonia in Italiam uenit. 43
Caeſaris nomen fert. 43 exercitum cogit. 44
Caeſari honores e ſenatu decernuntur. 45
ſupplicatio ei decernitur ob uictum Antoniũ. 46
cum Antonio, & Lepido in gratiam redit. 46
pacem facit. 46
conſulatum per milites depoſcit. 46
cos. fit. 46
Onuphrij Panuinij faſti. 40
Opis aedes. 43
Oppianicus a Cluentio accuſatur, & condemnatur. pag. 15.17.20
C. Orchinius praetor. 19
Oreſtes cognomen. 15
Oreſtes. L. Aurelius.
Oſaces, Parthorum dux. 36
Ouatio. 6

P

PALATIVM 23.in Palatio fuit domus Ciceronis. 1.24
Panſa. l.Vibius.
Papia lex. 20.21
C.Papius tribunus pl. 20.21
Papirio pacto Cic. ſcribit. 39
C.Papirius Carbo occiditur. 50
Cn.Papirius Carbo cos.9.10.interficitur. 10
Parilia. 2
Parthi a Caſsio caeduntur. 36
Patrae,urbs. 37
Paullus Manutius. 8.9.18.25.
Paullus Aemilius.
Pedia lex. 46
Q.Pedius cos. 46
Sex.Peducaeus. 14
Pennilex. 20.21
Perduellio quid. 22
Periclis uita. 39
M.Perperna cos.6.cenſor. 8.26
Peruſia. 46
M.Petreius. 25
Petrus Ramus. 9
Petrus Victorius. 9
Phaedrus Philoſophus. 8
Pharnaces a Caeſare ſuperatur. 39
Pharſalica clades. 38
Philippus Deiotari medicus. 42
Philippicae Ciceronis. 44
Philippus.l.Marcius.
Philo Academic. 8.10.12
Philologus Q.Ciceronis libertus. 47
Pilia uxor Attici. 32
Pindeniſſum. 37
Piraticum bellum. 18.19
Piſaurum. 37
Piſo.l.Calpurnius.
Piſo.l.Pupius.
Piſtorienſis ager. 25
Cn.Plancius quaeſtor Ciceronem exſulem recipit, & tuetur.29.tribunus pl.31.a Cic.defenditur.34.Ciceroni de ſecundis nuptiis gratulatur. 41
Plancus.l.Munatius.
Platonis Timaeus,& Protagoras a Cic.conuerſi. 10
Platonis ſententia de Philoſophi natura. 6
P.Plautius Hypſaeus conſulatum petit. 35
M.Plautius Siluanus tribunus pl. 7
A.Plautius tribunus pl. 31
M Plaetorius Fonteij accuſator.18.praetor. 19
Plotia lex. 7
L.Plotius Rhetor. 3
Pompeia C Caeſaris uxor. 25
Pompeiae leges. 35.36
Pompeianum. 27.34.36
Cn.Pompeius Magnus naſcitur 2. adoleſcens exercitui praeeſt.10.Carbonem in Sicilia interficit.10. bello in Africa confecto triumphat.11.contra Sertorium mittitur.13. ſeruile bellum conficit.16. triumphat iterum 16.cos.eſt. 16.cos.iterum.34. ludos facit,& theatrũ dedicat. 34 Pompeij uxor Iulia moritur.34.Ciceronem augurem nominat 35.cos.ter.35.Corneliam uxorem ducit. 36
Cn.Pompeius bellum piraticum gerit. 18.ei bellum Mithridaticũ mãdatur.19.a Cicerone ornatur.20 & 24. Mithridaticum bellum conficit.25. Clodij adoptionem adiuuat.27. Ciceronem prodit.28 Pompeio Clodius inſidiatur.29. Pompeius de Ciceroni reditu agit.29.30. Pompeio rei frumentariae poteſtas per quinquennium mandatur. 31 Balbum defendit.33 Brundiſium uenit,ibiq.obſeſſus in Graeciã trãſit.37.a Caeſare uincitur. 38 Pompeij curia. 42
Cn.Pompeius filius Hiſpaniam in ſuam dicionem redigitur. 40 interficitur. 41
Sex.Pompeius Cn.a Caeſare uincitur. 41
Q.Pompeius. 19
Q.Pompeius Rufus cos. 8
Cn.Pompeius Strabo cos. 7.8
T.Pomponius Atticus,C. Antonio cõmendatur.25 Piliam uxorem ducit. 32
C. Pomponius praetor.23 Allobroges domat.26 legatus Ciceronis in Cilicia. 36
Pontificum collegium. 31
Pontius Glaucus. 6
Pontus legionibus R aperitur. 15
Popillia uirgo Ciceroni nubit.41 dimittitur.41
C. Popillius Laenas Ciceronem occidit. 47.48
L. Porcius Cato cos. 7
M. Porcius Laeca.23 damnatur. 25
M.Porcius Cato Murenam accuſat.23.de coniuratis ſententiam dicit.24.in Cyprum à Clodio amãdatur.29.Ciceroni iraſcitur,32.in praeturae petitione repulſam fert 34.praetor eſt.34 Bello ciuili cum Pompeio fuit.38.Ciceronem periculo liberat.38.Vticae mortem ſibi conſciſcit.39.40.de finib.bonor.& malor.diſputat. 41
Catonis laudem Cicero ſcripſit. 40
Porcia Catonis ſoror. 41
C. Porcius Cato tribunus pl. turbulentus. 31 accuſatus abſoluitur. 34
Portoria Italiae tolluntur. 26
Poſidonius philoſoph. 3.26
Cn.Poſtumius Murenam accuſat. 23
A. Poſtumius Albinus cos. 4
Praetores quo die magiſtratum inierint. 19
Praetor primus. 19
Priuilegium Clodius in Ciceronem fert. 28
Proconſul. 3.13
Prodigia. 4.7.32.33
Prognoſtica Ciceronis. 26
Proſcriptio ſullana.11.21.triumuirorum. 17.46
Proſcriptorum liberi honorum petitione a Sulla priuantur. 21. 22. de proſcriptorum filijs Ciceronis oratio. 22
Protagoras Platonis à Cic.conuerſus. 10
Prouinciae lege Sempronia decretae. 2. 33. de prouinciis ſenatuscon. 36
Ptolemaeus Cyrenarum rex. 5
Ptolemaeus res Aegypti regno pulſus Romam uenit.31.a Gabinio reſtituitur. 34
Ptolemaei Cyprij bona publicantur. 29
Publilia uirgo Ciceroni nubit.41.dimittitur. 41

M.Pu-

I N D E X

M.Pupius Piſo.10.quaeſtor.ibi.triũphat.181.cos.25.
M.Piſo de finibus bonorum, & malorũ diſputat. 41
Puteoli. 15.22.43
Pythagorei fidib.ſunt uſi. 9

Q

QVAESITOR ſuffragio populi creatur. 36
Quaeſtores in Sicilia duo erant. 14
Quaeſtores ſortiuntur iudices. 30
Quaeſtoria comitia tributa fuerunt. 14
P.Quinctij cauſſam apud Aquillium Cic.agit. 11
Sex.Quinctilius praetor. 29
L.Quinctius Scapula bellum in Hiſpania commouit. pag. 40
L.Quinctius tribunus pl. 15. Oppianici patronus. pag. 15.20
N.Quinctius tribunus pl.29.Cic.inimicus. 30
Quinquatrus. 45
Quirinalia. 32

R

RABIRIVS ſenator. 4
C.Rabirius perduellionis reus.4. 22.a Cic.defenditur. 22
C.Rabirius Poſtumus accuſator.& a Cic.defenditur. pag. 35
L.Racilius tribunus pl. 31.33
Reatinor.cauſſam Cic.agit. 34
Recuperatores. 18
Reorum decem dies legitimi. 20
Rhodum Cicero uenit. 13
Romulus conditor urbis. 20
Roſcia lex. 19 22
Q.Roſcij Comoedi cauſſa. 14
Sex. Roſcius Amerinus paricidij reus a Cic. defenditur. 11
L.Roſcius Otho tribunus pl. legem theatralem fert. 18.19. ſibilis populi excipitur.22.a Cic.oratione defenditur. 22
Roſtra. 5.9
Roſtra Auguſti. 45
Rubico Fluuius. 37
Rullus.I.Seruilius.
P.Rutilius Lupus cos. 7
P.Rutilius Lupus tribunus pl. 31
P.Rutilius Rufus.2. Stoicus.2.damnatus exſulat. 5

S

SACERDOS I.Licinius.
Sacerdotes a populo creati. 3
Sacra uia. 23
Cn.Salluſtius. 39
Saluius tribunus pl. 44
Samnitum caſtra capiuntur. 7
Saturnalia. 37
Saturninus.I.Appuleius.
M.Saufeius accuſatur,& abſoluitur. 36
Scaeuola.I.Mucius.
Scipio.I.Metellus
C.Scribonius Curio cos. 13
C.Scribonius Curio filius.35.tribunus pl.37.ad Caeſarem profugit. 37
Sebaſtiani Corradi opinio probatur.43.improbatur. 11.14.26. eiuſdem error. 2.3.7.11. 14.28.34. 35.41
Sella curulis. 17
Sempronia lex de iudiciis.6.de prouinciis. 22.33
Senatores cum equitibus iudicant. 7.17
Senatores ſoli iudicant. 21
Senatores CDX adſunt. 30
C.Septimius praetor. 29
L.Sergius Catilina praetor Africam obtinet.19.repetundarum reus eſt.19.20.eius prima cõiuratio.20 repetundar.accuſatus abſoluitur.20.cum Cic.conſulatum petit. 21. inter ſicarios reus fit.21. iterum conſulatum petit.22. Ciceroni inſidiatur.22.coniurat 23.ex urbe proficiſcitur.23. a C.Antonio in proelio occiditur.25.Catilinae ſocij dãnantur. 25
Sertorianum bellum. 13
Seruilia lex. 2
Seruilius Caepio cos.2. imperio abrogato damnatur. 2.3
C.Seruilius Glaucia praetor occiditur. 4
P.Seruilius Iſauricus cos. 12. eius oratio, & concio de Cic. 30
P.Seruilius Iſauricus cos.38. de eo ſententia L.Caeſaris 45.legatus ad Antonium decernitur. 45
P.Seruilius Rullus tribunus pl. legem agrariam promulgat.21.a C.oppugnatur. 21.22
M Seruilius tribunus pl. 45
C.Seſtilius tribunus pl, 29
Seueritatis templum. 5
Sextiae aquae. 3
Sextilis menſis Auguſtus nominatur. 46
P.Sextilius Rufus. 4
P.Sextius quaeſtor.25. tribunus pl.29. accuſatur,& a Cic.defenditur. 32
Sica Ciceronis familiaris. 29
Siciliae quaeſtores duo. 14
Siciliam obtinet C. Virgilius. 29. Sicilia ab Allieno praetore obtinetur.39.a L.Domitio praetore 27. Siciliae praetores, Verres, Sacerdos, Peducaeus.14
Cn.Sicinius tribunus pl. 13
Silanus.I.Iunius.
P.Silius in Bithynia eſt.37.ad eum Cic.ſcribit. ibid.
Sinueſſa. 30
Smyrna. 45
Sociale bellum. 11.14.18
Spartaci bellum. 15.16
Sponſio. 11.14.18
Stator Iuppiter. 159
Stipendium Caeſaris exercitui decernitur. 32
Strumae Vatinij. 20
Sucronenſe proelium. 14
Sulla.I.Cornelius
Sullana proſcriptio. 11
P.Sulpicius Galba, Ciceronis competitor. 21
Ser.Sulpicius Galba praetor. 35

Ser. Sulpicius Rufus repulſa accepta Murenam accuſat. 35 interrex. 35 cos. 36 Graeciae praeeſt, eiq. ſcribit Cic. 39 Ciceronem de filiae morte conſolatur. 41 ad Cic. ſcribit. 41
legatus ad Antonium mittitur. 45
ſtatua ornatur. 45
P. Sulpicius tribunus pl. 8
ſeditionem mouet, & occiditur. 8
Supplicatio Ciceroni decernitur. 37
Supplicatio x. dierum 24. dierum quinquaginta. 46
Supplicationes Caeſari decretae. 37
Supplicatio Gabinio denegatur. 32.33
Sura cognomen P. Lentuli. 16
Syria a Bibulo obtinetur. 37
in Syriam Craſſus proficiſcitur. 34
Syriacus legatus. 34
Syri uenales. 1

T

TABELLARIA lex. 1
Tabella, uindex tacitae libertatis. 33
Tabulae nouae. 21.39
Tarentum. 29.36
Tarſus. 37
Taurus mons. 36
Telluris aedes. 42
Terentia, Ciceronis uxor. 24 Brundiſium ad Cic. uenit. 37 Romae eſt in bello ciuili. 38 diuortio facto a Cic. nubit Vibio Rufo. 40
Terentia, & Caſsia lex. 15
Terentia tribus. 35
M. Terentio Varroni Cic. ſcribit. 39
ad eum Academicos libros ſcribit. 41
Terracina. 30
Teutoni a Mario uicti. 3
Theanum. 10.38
Theatralis lex Roſcij Othonis. 19
Theatrum dedicatur. 34
Theramenis uita. 40
A. Thermus a Cic. defenditur. 27
M. Thermus Mitylenas expugnat. 12
Q. Thermus propraetor in Aſia eſt. 37
ad eum Cic. ſcribit. ibid.
Theſſalonicam Cic. exſul uenit. 29. inde diſcedit. 29
Thurium. 29
Tiburtinum Scipionis 44
Tigranocerta capta a L Lucullo. 18
Tillius Cimber Caeſaris percuſſor prouinciam accipit. 42
Timaeus Platonis a Cic. conuerſus. 10
Tiro libertus Ciceronis. 40
Patris aeger relinquitur. 37
Titia lex de agris. 4
M. Titinius. 3
Sex Titius tribunus pl. turbulentus. 4
Toga candida. 21
Toga praetexta. 17
Toga uirilis. 6
Topica Ciceronis. 43
Torquatus. l. Manlius.
Tralles. 36
C. Trebatius Caeſari a Cic. commendatus in Galliā proficiſcitur. 34. ad eum Cic. ſcribit. 34
ſcribit Topica. 43
C. Trebonius cos. 41
a Dolabella Smyrnae occiditur. 45
Trebulanum. 36
C. Triarius legatus Luculli uincitur. 18
C. Triarius Scaurum accuſat. 34
Tribunicia poteſtas reſtituitur. 17
Tribuni aerarij iudicant. 17
Tribuni pl. quo die magiſtratum inierunt. 9.24.31
Tribuni pl. appellantur. 11
Tribus Romanae. 41
Tribus Cornelia. 1
Tribus Tarentina. 35
Tribus Voltinia. 35
Trinundinum. 35
Triumuiri, Octauius, Antonius, & Lepidus. 46
Triumuiri ineunt. 49
Tubero. l. Aelius.
Tullia gens. 1
Tullia filia Cic. naſcitur. 30. nubit C. Piſoni, & deſpondetur Craſsipedi. 32. nubit P. Cor. Dolabellae. 37. Romae eſt. 38. aegrotat. 39. ad patrem uenit. 39. apud Dolobellam pariens moritur. 41
M. Tullius Albinouanus, P. Sextij accuſator. 32
M. Tullius Cicero filius naſcitur. 7 togam uirilem ſumit. 6. 17. bello ciuili alae a Pompeio praefectus fuit. 45 Athenas proficiſcitur. 41. cum M. Bruto in Macedoniam praefectus rem feliciter gerit. 45
a Bruto laudatur. 45
C. Antonium proelio uincit. 45
L. Tullius Ciceronis frater patruelis. 16. moritur. 18
M. Tullius Decula cos. 11
L. Tullius legatus Cic. 36
L. Tullius Montanus. 41
Q. Tullius Ciceto praetor Aſiam ſortitur. 26. de prouincia decedit. 29 in foro tamquā occiſus iacuit. 30 legatus Pompeij. 31. legatus Caeſaris in Gallia. 34 legatus Ciceronis in Cilicia. 36. cū fratre Capuae eſt. 36. cum fratre proſcriptus fugit. 47
una cum filio occiditur. 47
Tullus Atticus. 1
Tuſculanae quaeſtiones Cic. 42
Tuſculanum. 6.28.31.35.36.47
Tumultus decernitur. 45

V

VALERIANI milites. 18
Q. Valerius praetor. 29
C. Valerius Flaccus cos. 5
C Valerius Flaccus imperator. 10
L. Valerius Flaccus cos. 4 cenſor. 5
L. Valerius Flaccus interrex. 10
L. Valerius Flaccus pater cos. 9 occiditur. ibid.
L. Valerius Flaccus filius praetor. 23. Aſiā obtinet. 26
accuſatur, & a Cic. defenditur. 27
M. Valerius Meſſalla cos. 25.35
P. Valerius Nepos Milonem accuſat. 36
P. Valerius, comes Cic. 43

I N D E X

Vargunteius.23.damnatur. 25
Varia lex. 6.7
Q.Varius tribunus pl.7.damnatur. 7
Varro.l.Viſellius.
Vatinia lex. 27
P.Vatinij ſtrumae.20.Vatinius tribunus p.27.P.Sextium oppugnat,& a Cic.accuſatur.32.praetor.34 a Cic.defenditur.34.cos.39.Dyrrhachium occupauit. 45
Velia. 43
Venire in rem praeſentem. 18
Verres quid Romanis. 16
C.Verres quaeſtor.10.praetor urbanus.14.15.a Ci. accuſatur.16.in exſulium abit,& proſcribitur. 17
Veſtales uirgines. 23.24
Veſtae templum. 10
Veſtis mutatio pro Cic. 28
P.Vettius Cato. 7
L.Vettius Iudex. 25
C.Vibius Panſa Ciceroni a Caeſare nuncium perfert. 39.cos.6.44.M.Brutum ornat.45.Ciceroni iraſcitur.45.ad bellum contra Antonium proficiſcitur.45.Antonium uincit.46.moritur. 46
Vibius Rufus Terentiam uxorem ducit. 40
Vibius homo Siculus. 28
Vibo opidum. 28
Vinalia. 46
C.Virgilius. 29
C.Viſellius Varro Ciceronis conſobrinus. 2
Q.Voconius Naſo praetor. 19.20
Volaterrae. 11
L.Volcatius Tullus cos.19.comitia conſularia habet. 20.40
Votorum dies. 2
Vticae Cato ſibi mortem conſciſcit. 39
T.Vulturtius. 23

X

XENOCLES Adramyttenus. 13
Xenophontis Oeconomicus Latinus factus a Cicerone. 10

F I N I S.

M·TVLLII
CICERONIS
OPERVM
TOMVS · PRIMVS

Continens
De Rhetorica Volumen Primum,
&
In ipſum Aldi Mannuccij Commentarium.

AD.SER.[MVM]
CAROLVM · EMMANVELEM
DVCEM . SABAVDIAE . ET . C.



CVM. PRIVILEGIIS
VENETIIS. CIↃ IↃ XXCIII
Apud Aldum.

SER.^MO
CAROLO · EMMANVELI
DVCI . SABAVDIAE
ET · C ·

CVM duo potiſſimum homini a Deo tributa fuerint, SER.^ME CAROLE . EMMANVEL, ad uitam degendam maxime neceſſaria, Rerum actio, atque Oratio: ſatis inter omnes conſtat, illam nobis etiam cum belluis aliqua ex parte eſſe communem, hanc uero diuinum numen ſoli hominum naturae propriam, atque peculiarem. Cum enim ſolus homo Ratione utatur, iure factum eſt, ut praeſtantiſſimae huic mentis noſtrae operationi, Ratiocinationi inquam, cum ceteris communicandae, aptum aliquod, atque idoneum inſtrumentum Natura ipſa nobis elaboraret. Quid uero lingua, ac ſermone aptius fingi potuit ad cogitationes animi aperiendas, atque ex mentis noſtrae penu depromendas? Vt ſcite admodum Graeci, ſicuti cetera, rationi, & orationi eandem indiderint appellationem, utramque λόγον nominantes. nihil enim aliud ſermones ipſi hominum, quam cuiuſque animi ſenſum, referunt. Nihil igitur magis homini proprium Oratione. cetera, quae quidem corporis, ac fortunae bona dicuntur, non omni aetate, non omni loco firma manent. ſaepe ingentia praedia, magnae diuitiae, ſumma imperia temporis momento dilabuntur: robur etiam, & alia corporis ornamenta, aetate ingraueſcente paullatim hebetiora fiunt. Sola oratio, dum huius lucis uſura fruimur, in nobis permanet. ut fere prius extremum ſpiritum effundamus, quam fari deſinamus. equidem Neſtor ille Homericus, decrepitus ſenex, nulla re magis illa aeta-

te praeſtabat, ut Homerus ipſe non ſemel cecinit, quam conſilio, & oratione. Quod ſi ipſum bene dicere, quod paucorum ſemper fuit, optabile unicuique per ſe eſt, Principi homini quanto magis expetendum? Cuius quidem eximiae facultatis praecepta ſi ab ullo umquam petenda nobis ſint, ab uno Cicerone petenda ſunt. qui cum ex omnibus omnium aetatum hominibus primas in dicendo ferat, multo, mea ſententia, melius, uel Quinctiliano, uel Hermogene ipſo, quid magis, quid minus ad bene dicendum conferat, uidere, atque obſeruare potuit. Non committam igitur, SER.ME CAROLE EMMANVEL, ut Tibi haec de dicendi ratione praecepta pluribus commendem: cum iam ſatis commendata eſſe intelligam. Quamuis enim ſaepe accidere ſolet, ut maiora appareant, quae audiuntur, quam quae uidentur, ſecus tamen fit, cum aliquis de Tuis diuinis animi dotibus refert. nemo enim eſt, uel diſertiſſimus orator, atque apud maximos Principes uerſatus, qui ſatis, ipſomet iudice, explicare poſſit mirabilem illam, quam Tu adſpectu Tuo refers, maximi Principis dignitatem, illamq. nobilitatis ſpeciem, quam in ſermone, ac moribus ita exprimis; ut iam, adoleſcens cum ſis, quantum in optima natura optima uoluntas poſſit, oſtendas; adeo, ut omnes Te ad immortalitatis laudem natum praedicent. Deinde, quod Principum auctoritatem maxime ornat, Tu, litterarum ſtudio mirum in modum incenſus, doctos homines ita benigne, & amanter excipis, ut Tibi illorum frequentia nihil eſſe carius, nihil iucundius uideatur. His profecto, atque multis aliis rebus auditis, omnibus Regionibus Tuo Imperio ſubditis, uniuerſaeq. Italiae gratulor, ac Deo opt. max. immenſas gratias ago; qui noſtris temporibus talem, tantumq. Principem dederit, in quo, adhuc adoleſcente, magna omnium admiratione, elucent non ſolum EMMANVELIS PHILIBERTI, Patris, perpetua memoria digni, Religio, Iuſtitia, Bonitas, Prudentia, Liberalitas, omnes denique perfecti Principis uirtutes; ſed illae etiam omnes, quas ornaſſe hiſtoriae recenſent omnes antiquiſſimae Familiae Tuae Principes; qui illuſtriſſimi Heroes, ſummiq. Duces, ſinguli pro meritis perfectam hiſtoriam exigerent. Ceterum, poſt omnes, mihi, de Te, Patreq. Tuo, tantummodo cogitanti, in mentem uenit Philippus ille Macedonum Rex, cui non tantum gloriae fuerunt res a ſe praeclare geſtae, quantum quod Alexandrum genuiſſet, qui uirtute Patrem ſuperauit, ſingulariq. ingenio, animi fortitudine, rei militaris ſumma experientia Imperij a Patre ſibi relicti terminos ualde protulit. De Te uero iam in caelis laetatur Pater Tuus; qui ex illa aeterna beatorum ſede, Te in terris tamquam nouum orientem Solem clariſſimum ſuarum uirtutum lumen augere intuetur. Ego autem, Tuis, tantiq. Patris maximis uirtutibus iamdiu deditiſsimus, uolui ſub clariſsimo Tuae gloriae lumine quoſdam hucuſque obſcu-

ros

ros fere, & deliteſcentes labores in Primum Ciceronis operum Tomum ſtudioſorum hominum oculis conſpici. Quos ut ſingulari Tua benignitate accipias, & litterarum patrocinium ſuſcipias, humiliter obſecro: ne uni tantum populorum Tuorum ſaluti, & incolumitati, ſed bonorum omnium dignitati, & gloriae, natus uideare. Maiora profecto quotidie, quantum ingenij mei tenuitas ualebit, meae erga Te eximiae obſeruantiae teſtimonia addam. Interea, quae animi mei partes latent, diuino Tuo iudicio intuearis, illisq. Tuo nutu faueas, precor. Vt mihi liceat, tanti Principis gratia, & humanitate, etiam atque etiam gloriari. Vale. atque, ut diutiſsime feliciſsimus ualeas, Deum opt. max. oro, obſecroque.

Venetijs. Kal. Maij. CIↃ IↃ X X C I I I

Ser.ti T.

addictiſsimus,

Aldus Mannuccius, P. F. A. N.

INDEX. LIBRORVM,
qui hoc volumine continentur.

Rhetoricorum ad C. Herennium, Incerti Auctoris	*Lib. I.*	15
	Lib. II.	41
	Lib. III.	113
	Lib. IV.	145
Ciceronis de Inuentione	*Lib. I.*	3
	Lib. II.	81

Cum Commentario M. Fabij Victorini.

Topica, ad C. Trebatium. 133

Cum Commentario Anicij Manilij Seuerini Boetij, & Petri Velleij Gueuarae.

Partit. Orator. 243

Cum Commentario M. Antonij Maioragij.

DE LIBRIS RHETORICORVM AD C. HERENNIVM

RHETORICORVM libros ad C. Herennium, qui à quibuſdam Ciceronis eſſe creduntur, (nam id mihi nemo umquam perſuadebit, licet doctiſſimi, eleganitiſſimiq. ſint) interpretaturus, multa libenter ex ſententia mea dicerem, quae ad tollendam omnem ſuſpicionem ſatis ſufficerent; ac uerum, germanumq. pulcherrimi huius operis ſcriptorem ſignificarent. multa adderem etiam de eloquentiae diuinis laudibus, ut ſtudioſorum animos ad Rhetoricae praecepta ualde excitarem. Sed, quoniam diuerſis in locis, prout occaſio feret, in hoc opere interpretando, honor, utilitas, excellentia, dignitas eloquentiae ex iis, quae mihi erunt dicenda, ſatis apparebit, omittam libenter, quae repetita uideri poſſint, & pro huius noſtri laboris initio, omiſſis multis multorum quaeſtionibus, adſcribam tantum ea, quae Aldus, auus meus, quem honoris cauſſa merito nomino, deinde Sinibaldus Antoninus, doctiſſimus uir, litteris mandarunt. Satis id eſſe ratus ad curioſorum animos explendos.

A ALDI

ALDI . PII . MANNVCCII AD . ANDREAM . NAVGERIVM PATRICIVM . VENETVM COMPATREM

In Libros de arte Rhetorica Praefatio.

OMNES, Andrea Naugeri, qui ſe vel componendis nouis operibus, vel inſtaurandis, corrigendiſue antiquis tradunt, vt non ſolum ſibi, ſed & alijs proſint, quoniam, vt praeclare ſcriptum eſt a Platone, non nobis ſolum nati ſumus, ſed ortus, noſtri partem patria, partem parentes vindicant, partem amici, otium ſibi ſumant, & quietem, ac a coetu hominum, frequentiaq. in ſolitudinem, tamquam in portum, ſe recipiant. Sacra enim ſtudia litterarum, & muſae ipſae, ſemper quidem otium amant, & ſolitudinem, ſed tunc praecipue, cum, quae ſcripturus es, uictura cupias,

Atque linenda cedro, & laeui ſeruanda cupreſſo.

Quam quidem rem tu, mi Naugeri, perſaepe, & feliciter facis. relicta enim vrbe, & frequentia hominum, rus te confers, & in loca quietis, & tranquillitatis pleniſsima, vt ſuperioribus annis, in laureta, & oliueta Benaci, cum dirae ferro, & compagibus arctis clauſae eſſent belli portae, vbi & tu vacuus curis, & moleſtijs ijs, quaecumque impediunt praeclara ſtudia litterarum,

Tale facis carmen docta teſtudine, quale
Cynthius impoſitis temperat articulis.

At mihi duo ſunt, praeter ſexcenta alia, quibus ſtudia noſtra aſsidua interpellatione impediuntur: crebrae ſcilicet litterae virorum doctorum, quae vndique ad me mittuntur: quibus ſi reſpondendum ſit, dies totos, ac noctes conſumam ſcribendis epiſtolis: & ij, qui ad nos veniunt partim ſalutandi gratia; partim perſcrutaturi, ſiquid noui agatur; partim, quae longe maior eſt turba, negotij inopia: tunc enim, Eamus, aiunt, ad Aldum, veniunt igitur frequentes, & ſedent oſcitabundi:

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris Irudo.

Mitto, qui veniunt recitaturi alij carmen, alij proſa oratione aliquid, quod etiam excuſum typis noſtris publicari cupiant, idq. rude, & incaſtigatum plerumque; quod & eos offendat limae labor, & mora, nec aduertunt, reprehendendum eſſe carmen, quod non

Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem,

A quibus me coepi tandem permoleſtis interpellatoribus vindicare. nam ijs, qui ad me ſcribunt, vel nihil reſpondeo, cum, quod ſcribitur, non magni interſit, vel, ſi interſit, laconice. Quam quidem rem, quoniam nulla id a me fit ſuperbia, nullo contemptu, ſed, vt, quidquid eſt otij, conſumam edendis bonis libris, rogo, ne quis grauius ferat, ne ue aliorſum, atque ego facio, accipiat. Eos autem, qui vel ſalutandi, vel quacumque alia cauſſa ad nos veniunt, ne poſthac moleſti eſſe pergant, ne ue importuni interpellent labores, & lucubrationes noſtras, curauimus admonendos epigrammate, quod quaſi aliquod edictum videre licet ſupra ianuam cubiculi noſtri, his verbis:

QVIS-

QVISQVIS . ES
ROGAT . TE . ALDVS
ETIAM . ATQVE . ETIAM
VT
SI . QVID . EST . QVOD . A . SE . VELIS
PERPAVCIS . AGAS
DEINDE . ACTVTVM . ABEAS
NISI
TAMQVAM . HERCVLES
DEFESSO . ATLANTE
VENERIS . SVPPOSITVRVS . HVMEROS
SEMPER . ENIM . ERIT
QVOD . ET . TV . AGAS
ET . QVOTQVOT . HVC . ATTVLERINT . PEDES

Id ipſum & hic propterea inſeruimus, ut magis, magiſq. innoteſcat.

Sunt tamen multi,& Graece, & Latine docti, qui,frequentando aedes noſtras, Herculem, mihi ſuppetias veniendo, ſedulo agunt. ex quibus tu,Naugeri excellentiſsime, hiſce Marci T. de praeceptis oratorijs, deq. dicendi copia, & ſtudio eloquentiae libris, accuratiſsime cum antiquis exemplaribus conferendo recognoſcendis, vel Atlas,requieſcente me, factus es. Idemq. nunc in illius orationibus, & in diuinis de philoſophia libris aſsidue, atque adeo feliciter facis,vt breui & correctiſsimi, ab ijsque, qui paſsim habentur, longe alij exire poſsint in manus ſtudioſorum. Taceo, quam diligenter, quam ingenioſe, quam docte cum alios proſa oratione ex bonis codicibus indefeſſus emendaueris libros, & penes te habeas, tum praecipue optimos quosque poetarum, quos mihi, quae tua eſt humanitas, qui tuus amor erga bonas litteras, daturum te, cum publicare eos excuſos typis noſtris voluero, benigniſsime polliceris; immo ſaepe etiam inſtas, ſic inquiens, Alde, quid facis? cur non petis a me Virgilium, Horatium, Tibullum, Ouidium, alios quoſdam? vix credas, quam ſint penes me emendati ex antiquis codicibus. Quamobrem ſic me tibi deuinxiſti, ut te non ſecus amem, quam me ipſum, tibiq. aeque, ac mihi, longiſsimam vitam exoptem. nam, cum adeo iuuenis, tantus & proſa, & carmine euaſeris, vt te vel antiquis, qui vtroque in genere ſumma cum laude elaborarunt, fere aequaueris, non dubito, quin futurus ſis maximum decus, & gloria noſtrorum temporum, & vna cum Bembo noſtro,magnae ſpes altera Romae. Etſi non me fugit, haec te, qui tuus eſt pudor, non libenter audire, tamen, quia ſcio vera dicere, & te abs te cognoſci quamoptime, atque illud γνῶθι σεαυτόν, non ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum, verum etiam, vt bona noſtra norimus, ſic tibi de te loqui uolui multorum exemplo, & doctorum virorum. &, ut taceam ceteros & Graecos, & Latinos, qui hoc ipſum factitarunt, Plinius Iunior in Panegyrico illo ingenioſiſsimo, ac diuino, quem initurus conſulatum Traiano imperatori dixit frequenti ſenatu, ſummas illius laudes coram ipſo dicere, digniſsimum, accommodatiſsimumq. eſſe exiſtimauit, quod & veriſsimas eſſe illas certo ſciret, & principem ſuarum virtutum maxime conſcium. Fuit enim Traianus non ſolum imperator, ſed & homo omnium optimus. vnde & nunc inter creandum Imperatorem,hoc illi primum imprecantur, Sis felicior Auguſto, & melior Traiano. Adde, quod id eſt huiuſmodi noſtrarum vel epiſtolarum, vel praefationum genus, vt ſic licere nobis vel ea ratione videatur, quod, etſi vni priuatim videmur ſcribere, publice tamen, ijsq. omnibus ſcribimus, qui noſtra haec amice legerint. Ob eam quoque cauſſam licere nobis arbitramur, vt ei, ad quem ſcribimus, non nihil quaſi argumentum dicamus de ijs libris, in quibus huiuſmodi vel epiſtolas, vel praefationes praeponimus, non ut ipſum doceamus, (arrogantis eſſet id quidem) ſed vt & tueatur noſtra, & ſit eorundem iudex; &, qui neſciunt (ſemper enim prodeſſe volumus) id diſcant e nobis. Quamobrem idem & hic faciendum cenſuimus, & te, Naugeri doctiſsime, iudicem elegimus,cum propter alia, tum etiam, quod omnia, quae his libris de ratione dicendi tractantur, ſic teneas, vt digitos, vngueſq. tuos. Debemus enim, quae publicanda elucubramus, ijs recitare, vel ſcribere, qui poſsint, ſi bona ſunt, laudare; ſin mala, reprehendere; vt olim Quinctilio poemata recitabantur, qui, cum aliquid non probaret, Corrige ſodes hoc, aiebat, & hoc.

Laudandus igitur Peripateticus ille Phormio, prudenterq. feciſſe exiſtimandus eſt, quod coram Hannibale de officio imperatoris & de omni re militari diſputauerit,non vt illum doceret, (numquam enim tantum inſaniſſet Phormio,) ſed vt Poenus vel delectaretur ea audiens,quorum eſſet peritiſsimus, praeſertim, ſi copioſe, ornate, docte a philoſopho dicerentur, vel vt iudicaret potius, an perite ea de re diſputatum eſſet. Ruſtice contra,& inhumaniter feciſſe Hannibal, (ſemper enim fuiſſe dicitur inſuauis, & difficilis) qui, cum Phormionem audiſſet, & ceteri, qui interfuerant, vehementer delectati, quaeſiuiſſent, quidnam ipſe de illo philoſopho iudicaret, reſponderit, multos ſe deliros ſenes ſaepe uidiſſe,ſed qui magis, quam Phormio, deliraret, uidiſſe neminem. Quod contumelioſum reſponſum tantopere probari a M. Tullio miror, atque eo magis,quod non propterea delirare Phormionem viſum eſſe ait, quia inepte, aut indocte de re militari praecepta narrauerit, ſed tantum, quia Hannibali, cuius nomen erat magna apud omnes gloria, quiq. tot annos de imperio cum populo R. omnium gentium uictore certauerat. Cum potius delirus uere fuiſſet Phormio, ſi apud ruſticos, & id genus alios, qui non intelligerent, de re militari diſputauiſſet, quemadmodum ſi ſur-

dis quiſpiam ſuauiter canat, aut narret fabulam, vel ſi coram caecis in numerum quis quamoptime ludat, aut manuum celeritate praeſtigiatoriam agat.

Tu autem, mi Naugeri, haec tibi dici a nobis facile patieris, quod ſimul & doctiſsimus ſis, & humaniſsimus, tum etiam quia, cum tibi ſic dicuntur, omnibus dicuntur, in quorum manus haec noſtra peruenerint. Quãobrem leges tu quidem, quae breuiter de his libris quaſi argumenta ſcribuntur, & leges non, vt Phormionẽ Hannibal, contumelioſe, (barbarum id quidem) ſed benigne, vt ſoles, me, cum ea legeris, dimiſſurus. Ea vero ſunt haec.

In primo, & ſecundo libro Rhetoriicorum ad C. Herennium, & non nihil in tertio, de inuentione, prima, ac maxima parte rhetorices, tractatur. Primus, exordium, narrationem, diuiſionem, & pauca quaedam de confirmatione, & confutatione continet.

Secundus reliquas inuentionis partes, &, quemadmodum ad omnem iudicialem cauſſam inuentionem rerum accommodari oporteret, oſtendit.

Tertius inueniendarum rerum, quae pertinent ad cauſſas deliberatiuas, & demonſtratiuas, rationem abſoluit. hinc, quo modo, quae inuenimus, diſponamus, atque in ordinem redigamus, & quibus rebus ad dicendum pronunciatio, quibus item inuentorum theſaurus, atque omnium partium rhetorices cuſtos memoria comparanda ſit, docet.

Quartus, reddita ratione, quare, praeter Graecorum conſuetudinem, ſuis auctor utatur exemplis, praecepta elocutionis, quae eſt vltima pars ex ijs quinque, quas in oratore eſſe oportet, non indiligenter tradit.

Primus autem liber inchoati tantum operis, expoſito genere artis rhetoricae, & officio, & fine, & materia, & partibus, continet genera controuerſiarum, & inuentiones, & conſtitutiones, deinde partes orationis, & in eas omnes omnia praecepta. Et, quoniam in eo ceteris de rebus diſtinctius dictum eſt, diſperſe autem de confirmatione, & reprehenſione, certi in ſecundo libro confirmandi, & reprehendendi in ſingula cauſſarum genera loci traduntur. Et, quia, quo pacto tractari conueniret argumentationes, in primo libro accurate expoſitum eſt, in ſecundo tantum inuenta unamquamque in rem exponuntur ſimpliciter ſine ulla exornatione, vt ex ſecundo inuenta ipſa, ex primo expolitio inuentorum petatur. Poſtremo, quoniam omne in cauſſae genus argumentandi ratio tradita eſt, deq. inuentione ſatis dictum videtur, reliquas partes orationis, quae oratori neceſſariae ſunt, ſe deinceps dicturum Cicero pollicetur; ſed poſtea, mutato conſilio, ſic inchoatum opus reliquit, puto, quia rude videbatur, ſibiq. puero, aut adoleſcentulo, vt ipſe in primo libro de Oratore teſtatur, exciderit. atque ob eam cauſſam rogatus a fratre, tres libros de omni ratione dicendi adeo doctos, ingenioſos, elegantes, copioſos compoſuit, vt, qui in alijs libris ſemper omnes, in his ſe ipſum Cicero ſuperauerit. ipſe etiam illos tanti faciebat, vt in epiſtola quadam ad Leptam haec ſcripſerit: Oratorem meum tantopere abs te probari, vehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo, me, quidquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contuliſſe. qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoque aliquid ſum; ſin autem aliud, non recuſo, quin, quantum de illo libro, tantundem de iudicij mei fama detrahatur. Hi igitur tres libri de Oratore, ea, quae tribus diebus viri omnium eloquentiſsimi, clariſsimiq. de omni ratione dicendi vel diſſeruerant, vel docuerant, complectuntur. quorum librorum argumenta, tum aliorum, qui hoc ipſo volumine continentur, breuiter narranda hoc ordine viſa ſunt.

In primo libro, Ludorum Romanorum diebus, cum L. Craſſus, colligendi ſui cauſſa, ſe in Tuſculanum ſuum cum adoleſcentibus C. Cotta, & P. Sulpicio contuliſſet, veniſſetq. eodem Q. Mucius Scaeuola augur, Craſsi ſocer, & M. Antonius, homo & conſiliorum in rep. ſocius, & ſumma cum Craſſo familiaritate coniunctus, primo die de temporibus illis, deq. vniuerſa rep. quam ob cauſſam venerant, multum inter ſe vſque ad extremum tempus diei collocuti dicuntur. ſed ea alibi ſunt a M. Tullio mandata litteris.

Poſtero autem die, cum illi maiores natu ſatis quieuiſſent, atque in ambulationem uentum eſſet, & Scaeuola, duobus ſpatijs, tribusue factis, quod infirmis eſſet pedibus, dixiſſet, vt imitantes Socratem illum, qui eſt in Phaedro Platonis, ſub Platano & ipſi quieſcerent, allatis puluinis, omnes in ijs ſedibus, quae erant ſub Platano, dicuntur conſediſſe. Ibi, vt ex priſtino ſermone relaxarentur animi omnium, cum Craſſus ſermonem quendam de ſtudio dicendi intuliſſet, & quaedam ab Scaeuola contra ea, quae dixerat Craſſus, comiter dicta fuiſſent, ab Antonio, & Craſſo de rhetorices materia, & de ijs, quae oratori neceſſaria ſunt, in toto primo libro ornate, copioſeq. diſſeritur. cui ſatis longae diſputationi adfuit quidem ſenex Scaeuola; ſed, quoniam in Tuſculanum ſuum ire conſtituerat, ſermoni, qui de arte dicendi inſtituebatur, non interfuit. cur autem illius perſona ab reliquis libris dimota ſit, docet ipſe Cicero in quarto libro Epiſtolarum ad Atticum, his verbis: Quod in his oratorijs libris, quos laudas, perſonam deſideras Scaeuolae, non eam temere dimoui, ſed feci idem, quod in πολιτείᾳ Deus ille noſter Plato. Cum in Piraeeum Socrates veniſſet ad Cephalum, locupletem, & feſtiuum ſenem, quoad primus ſermo ille haberetur, adeſt in diſputando ſenex; deinde, cum ipſe quoque commodiſsime locutus eſſet, ad rem diuinam dicit ſe velle diſcedere, neque poſtea reuertitur. Credo Platonem vix putaſſe ſatis conſonum fore, ſi hominem id aetatis in tam longo ſermone diutius detinuiſſet. Multo ego ſatius hoc mihi cauendum putaui in Scaeuola, qui & aetate, & valetudine ea, qua eſſe meminiſti, & ijs honoribus, vt vix ſatis decorum uideretur, eum plures dies eſſe in Craſsi Tuſculano. & erat primi libri ſermo non alienus ab Scaeuolae ſtudijs. reliqui libri τεχνολογίαν habent, vt ſcis. huic iocu latoriae diſputationi ſenem illum, vt noras, intereſſe ſane nolui. Die tertio, cum iam in Tuſculanum Laelij ſoceri ſui abijſſet Scaeuola, & Q. Catulus ſenex, & C. Iulius Caeſar fratres e Tuſculanis ſuis in Craſsi Tuſculanum ad audiendum Antonium veniſſent, cuius eſſe partes, vt eo die de arte dicendi loqueretur, ab Scaeuola

Iulius,

Iulius, cum ad fratrem veniret, audiuerat, in ſecundo quidem libro ante meridiem ab Antonio de inuentione, diſpoſitione, memoria, tribus de quinque quaſi membris eloquentiae, interpellantibus interdum alijs vel interrogando, vel approbando, vel etiam addendo, vel utcumque aliter uideretur, doctiſsime agitur. Et, quoniam ſuauis eſt, & vehementer ſaepe vtilis iocus, & facetiae, haec Iulio pars, quod in eo genere alijs excelleret, conſenſu omnium datur. quamobrem ille coram conſummatiſsimis, ac diuinis oratoribus Antonio, & Craſſo tamquam in ſcena geſtum ſpectante Roſcio acturus, verecunde quidem, ſed cum iam defeſſus eſſet diſputando Antonius, cum perpauca adhuc reſtarent, peropportune ſe interpoſuit, munuſque ſuum diligenter, iucundeq. peragit.

In tertio autem, inclinato iam in pomeridianum tempus die, Craſſus de elocutione, & actione, reliquis rhetoricae partibus, quae ei ab Antonio ex conſtituto relictae fuerant, diſertiſsime, & copioſiſsime loquitur. In his libris non ieiunas rhetorum artes, ſed locupletiſsimos Ariſtotelis libros ſecutus uidetur Cicero, idq. in Craſsi maxime ſermone. vt hinc quoque perſpici poſsit, hoc ab eo uere in Oratore dictum eſſe, ſe Oratorem, ſi modo ſit, vel quicumque ſit, non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatijs exſtitiſſe.

In libro de claris oratoribus, qui Brutus dicitur, deplorata ſummo cum dolore morte Hortenſij, quicum Cicero ſemper coniunctiſsime, & amantiſsime vixerat, ſociuſque, & conſors glorioſi laboris fuerat, enumerat, quicumque uſque ad ſua tempora Latini oratores clari exſtiterant, ante tamen Graecis, qui excelluerant, quaſi in tranſcurſu, breuiter enumeratis.

In libro, qui Orator appellatur, cum a Cicerone M. Brutus per litteras petiuiſſet, ut, quod optimum eſſet genus dicendi, ſibi oſtenderet, id ille diligentiſsime, & copioſiſsime fecit. Et, quamuis de elocutione tantum a Bruto requiſitus videretur, non nulla tamen de inuentione, diſpoſitione, actione, vt plenius foret opus, adiecit.

In Topicis de communibus locis, vnde argumenta ducuntur, breuiter quidem inter nauigandum, cum etiam libros Cicero non haberet, ſed docte, & dilucide agitur. Exempla tamen, quod ad Trebatium iuriſconſultum ſcribatur, ex iure ſumuntur.

In Partitionibus in omne cauſſarum genus praecepta colliguntur.

In libro, qui de optimo oratorum genere inſcribitur, cum falſam Cicero eorum vellet opinionem oſtendere, qui eos ſolos Attice dicere contendebant, qui tenui quodam, & ſicco ſcribendi genere vterentur, Aeſchinis, & Demoſthenis inter ſe contrarias orationes conuertit, vt, cum hi Attici omnium conſenſu haberentur, neque tenui ſolum genere, ſed ampliſsimo etiam, ac mediocri nonnumquam vterentur, manifeſtus illorum error deprehenderetur. Sed ipſae orationes ad nos non peruenerunt. id, quod habetur, praefatio eſt quaedam.

Sed, quoniam ſunt, qui libros de arte rhetorica ad Herennium Ciceronis eſſe contendant, non ab re facere mihi videor, ſi, quod ipſe ea de re ſentiam, hoc loco breuiter diſputauero.

Qui librorum ad Herennium, auctorem eſſe Ciceronem volunt, duorum alterum fateantur neceſſe eſt, vt aut ante, quam quae inchoata, atque rudia puero, aut adoleſcentulo ſibi excidiſſe ait, aut poſt Cicero illos compoſuerit. ante, puto dicturos; quia, ſi puer, aut adoleſcentulus illa imperfecta, hoc eſt duos illos libros de inuentione compoſuit, quando hos ad Herennium componere potuit? num puerulus? quis hoc credat? At a viro etiam maturae aetatis, ac patrefamilias, & philoſopho compoſiti illi videntur, id quod ex ipſo auctore facile eſt cognoſcere, cum & haec dicit, Etſi, negotijs familiaribus impediti, vix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poſſumus, & id ipſum, quod datur otij, libentius in philoſophia conſumere conſueuimus: & haec, quae habentur in fine quarti libri: Nam & ſimul libenter exercemur propter amicitiam, cuius initium cognatio fecit: cetera philoſophiae ratio confirmauit, & nobis non diffidimus, propterea quod & aliquantulum proceſsimus, & alia meliora ſunt, quae multo intenſius petimus in vita, & etiam, ſi non peruenimus in dicendo, quo volumus, parua pars vitae perfectiſsimae deſideretur. Impediri negotijs familiaribus, & uix propterea eſſe otium ad ſtudendum, & ſiquid ſupereſſet otij, in philoſophia conſumere conſueuiſſe, tum paruam vitae perfectiſsimae partem deſiderari, non puero, ſed viro conueniunt, & patrifamilias. Adde, quod, cum conſueuiſſe dicit, quod daretur otij, in philoſophia conſumere, praetermiſſo ſtudio eloquentiae, diu uidetur philoſophiae dediſſe operam. Praeterea in ijs ipſis libris de inuentione, feciſſet aliquam eorum, qui ſunt ad Herennium, mentionem, cur, ſcilicet, de arte Rhetorica iterum ſcriberet, quemadmodum in libris oratorijs eorum meminit, quae inchoata, atque rudia ſibi puero, aut adoleſcentulo excidiſſe refert. non ante igitur hos ad Herennium, quam illos de inuentione, libros compoſuit. Poſt autem, ſi dixerint, parum diligenter videantur eam rem conſideraſſe. quia, ſi ita ſit, ſequeretur, politiores, & magis cultos eſſe hos ad Herennium, quam illos ipſos, quos de inuētione compoſuit: quod & doctior, & plures natus annos eos elucubraſſet. Sed longe eſt ſecus. Rudes quodammodo hi videbuntur, ſi ijs, quos de inuentione compoſuit, comparentur. Et, quanquam ſunt docti, tamen longiſsimo diſtant interuallo a diuina illa M. Tullij eloquentia. immo, ſiquis accuratius conſiderauerit, plurima in his ad Herennium libris dure, & ieiune dicta deprehendet. Adde, quod in libris de Oratore, vbi inchoatorum a ſe rhetoricorum meminit, & horum ad Herennium meminiſſet, atque eo magis, quod perfecta, & abſoluta ſunt, omniaq. artis rhetoricae praecepta contineant: ut ipſe auctor oſtendit his verbis: Et uiam, quam ſequamur, habemus. propterea quod in his libris nihil praeteritum eſt rhetoricae praeceptionis. Ergo ad Herennium libri ſi nec ante, nec poſt, quam illi de inuentione, a Cicerone compoſiti ſunt: non ſunt Ciceronis. nam, poſt diuinos illos oratorios ad Herennium libros compoſitos dicere, amentia eſt. Illud praeterea non

praete-

praeterierim, exiſtimandum eſſe, Hieronymum, & Priſcianum, & alios, qui aut illa aetate, aut poſt exſtiterunt, huius rei inueſtigandae minimum fategiſſe: ſed alterum alterius indiligenter, ut ſolet accidere, errorem ſecutos. Quis autem illorum auctor fuerit,

Grammatici certant; & adhuc ſub iudice lis eſt.

Sunt tamen, qui auctorem fuiſſe dicant M. Gallionem: propterea quod in libro quodam rhetoricorum ad Herennium antiquiſsimo, qui dicitur eſſe Romae in bibliotheca Palatina, ſic eſt titulus: M. Gallionis Rhetoricorum ad C. Herennium liber primus, vbi Gallionis deletum eſſe aiunt: ita tamen, ut legi poſsit: & ſupra Gallionis ſcriptum. T. cum binis utrimque punctis: inde Ciceronis. quod ſi ita eſt: puto eum, qui deleuit, quod exiſtimarit perperam ſcriptum Gallionis, deceptum cum praenomine M. S. quod idem in utroque eſt titulo: tum ſimilitudine quadam Gallionis, & Ciceronis, appoſuiſſe pro Gallionis, T. Ciceronis. Quam quidem rem cum aut ipſe uidero, aut ab alio audiuero, cui fidem habeam, tunc credam: curaboq. Gallioni librum ſuum, quo tot ſaecula uel iniuria temporum, uel ignorantia ſcriptorum priuatus eſt, reſtituendum. cuiuſcumque tamen fuerit liber, ei fatendum eſt, multum Ciceronis hos, quos diximus, de inuentione libros, ad ea, quae ſcripſerit, praecepta contuliſſe. Gallionem autem hunc cum crediderim, ad quem Ouidius in quarto libro de Ponto conſolatoriam ſcripſit epiſtolam ob mortem uxoris. cuius epiſtolae hoc eſt initium:

Gallio, crimen erit uix excuſabile nobis,
Carmine te nomen non habuiſſe meo.

Doctum etiam illum fuiſſe, his eiuſdem epiſtolae oſtenditur carminibus:

Sed neque ſolari prudentem ſtultior auſim:
Verbaq. doctorum nota referre tibi.

HAEC habui, mi Naugeri, quae ſuper his dicerem pro tempore. Habeo enim aſsidue plus negotij, quam fortaſſe alius quiſquam, uel occupatiſsimus. Adſit Deus: qui me & his malis, & grauiſsimis, quibus premor, moleſtiis eripiat: ac uelit, vt, dum, amiſsis agris, & ipſe haec queror,

En quo diſcordia ciues
Perduxit miſeros: en queis conſeuimus agros. aut haec:
Viui peruenimus, aduena noſtri,
Quod numquam ueriti ſumus: ut poſſeſsor agelli,
Diceret, haec mea ſunt: ueteres migrate coloni:

Tu quoque diuinus poeta, (es enim alter ab illo) conſolans compatrem tuum, mihi aut haec canas:

Fortunate ſenex, etiam tua rura manebunt:
Et longo quoque ſeruitio te exire licebit,
Et cito praeſentes alibi cognoſcere diuos.

aut tale aliquid. Quod cum fuero adeptus, ſaxo, quod tot annos indefeſſus uoluo, in montis apicem tandem perducto, & collocato, recubans ſub tegmine fagi, & ipſe queam dicere:

Deus nobis haec otia fecit.

Vale, ingens decus muſarum.

SINIBALDI · ANTONINI
DE · RHETORICIS · AD · HERENNIVM
Dialogus
Ad Franciſcum Conſtantinum ſuum.

CVM de plurimis (mi Franciſce) rebus uariae ſunt, ac diſcrepantes politiorem humaninitatem profitentium opiniones, tum magna in primis, minimeq. (ut ego arbitror) contemnenda eſt de auctore ad Herennium inter eos diſſenſio. De qua, ut mihi ſaepenumero in mentem uenerit, certi aliquid conſtituere; numquam tamen putaui quidquam prius litteris mandandum, quam te ita uelle intellexi: qui, ut es ueri indagandi ſtudioſiſsimus, cum a me petijſſes, ut eum ſermonem, quem mihi nuper ea de re cum Cauto Fratre habitum, ad te perlatum ſignificabas, totidem, quoad fieri poſſet, uerbis conſcriberem: quamquam ea, quae ex tempore inuitum ille me coegerat proferre, ceteris nota eſſe, non admodum expedire iudicabam: licet enim apud fratrem etiam peccare, apud alios, ne recte quidem ſentientibus obtrectationis aculeos fas eſt uitare. tantum tamen apud me pondus tua uoluntas habuit, quem ego propter multas ingenij ſuauitates a teneris, ut ſcis, unguiculis in germani fratris dilexi loco, ut nihil minus committendum decreuerim, quam ut aliquid a Sinibaldo Franciſcus fruſtra exſpectauiſſe diceretur. Itaque malui prudentiam, & eruditionem in me ab alijs, quam beneuolentiam a te requiri. Sed, quoniam amor erga te meus nullo uerborum eget teſtimonio, eſtq. noſtra neceſsitudo ita omnibus perſpecta, ut nemo alterutrum amet, qui non utrumque cariſsimum habeat, his omiſsis, quod nobis huius ſermonis fuerit initium, breuiter cognoſce.

Nam, cum Communantiae nuper ab Antonio Blanchino Patricio Aſculano de rebus ſerijs litteras exſpectantes, biduo commorati, ad Rapiciolenſe pratum, (noſti locum crebris, atque editiſsimis populis inſignem) diſcipulis quibuſdam, qui me hinc proficiſcentem proſecuti fuerant, ſectantibus, ambulandi gratia ueniſſemus, Ecquis ueſtrum, inquam, adoleſcentuli, librum aliquem ſecum attulit, cuius lectione paucas horas, quae adhuc ieiunis ſunt obdurandae, facilius tranſigamus? Tum Cautus, ceteris ſe diu mutuo aſpicientibus, Nae ego, mi frater, inquit, miror te ſine libro. numquam enim domo pedem efferre ſoles, quin aliquem prius, uel oratorem, uel poetam, ut ipſe ſumas, aut ab alijs, ſi qui tibi praeſto ſunt, afferri iubeas. Sed te diuturna, ut opinor, patris ualetudo, ceteraeque, quibus utinam ſimus aliquando uacui, moleſtiae ita excruciant, ut non modo tuae conſuetudinis, ſed tui prope ipſius immemorem efficiant. Quae ego dum cogito, primum uix ſine lacrymis tuos oculos intueor, quem tot angi curis, tot quotidie affligi rebus aduerſis adſpicio, ut equum Seianum, aurumq. Tholoſanum, aut ſi quid dici poteſt infelicius, habere domi uidearis; deinde (liceat uerum tua pace dicere) maiorem in te conſtantiam, atque haud ſcio, an etiā prudentiam, deſidero. Quid enim aut leuius, quam, quae alijs praecipias, ipſum negligere; aut ſtultius, quam ea, quae uitari non poſſunt, aliter accipere, quam uiri ſapientes accipienda duxerunt? At facis ipſe, uere ut dicam, utrumque. nam, & cum alios tam bene moneas, quaecumque ipſis contra uoluntatem accidunt, forti ut animo, magnoq. patiantur, tantum ipſe moleſtiae ex leuiſsimis etiam caſibus trahis, & quem ego toties ex Plutarchi ſententia differentem audiui, intolerabilis eſſe dementiae, quae uitari nequeant, immoderate ferre, idem aſsidue torqueris, inq. perpetuo iaces luctu, atque ſqualore. Atque haec omnia ut ſemper facias, nihil tamen agis. Quare te non hortor quidem, alioqui ſus Pallada, ſed rogo, aut etiam, ſi ita pateris, oro, ut, uicta fortunae acerbitate, tuum animum iſti tandem carnificinae (ſic enim aegritudinem in Tuſculanis quaeſtionibus appellatam uideo) eripias, atque uultum aliquando tuis hilarem praebeas. Quae cum ille dixiſſet, Nae tu, inquam, homo es hominum, ut ineptiſsimus, ita plane importuniſsimus, qui uel ea, quae tu ſcis, quaeq. ex me didiciſti, ignota mihi eſſe putes, uel, cum ego librum quaererem, cuius lectio paucarum horarum decurſum quodammodo faciliorem efficeret, illico philoſophari coeperis, nempe ut me non tam curis conſolando leuares, quam importuna iſta tua loquacitate obtunderes. Quin potius librum, ſi quem hic habes, oſtendis, & negligentiam noſtram tua ipſe diligentia corrigis? Habeo, inquit, hercle, & quem tu fortaſſe unum omnibus anteponas. Scio enim, quantum Ciceroni tribuas, de quo notum illud Quinctiliani elogium frequentiſsime apud auditores tuos commendare ſoles; Illum multum profeciſſe, cui Cicero placuerit: itaque eius uel umbram aſſequi glorioſum tibi una cum eruditiſsimo Po-

litiano

litiano ducis . Immo, uel ſequi, inquam. nec enim tantum mihi arrogo, ut, de huius auctoris imitatione loquens, aſſequendi uerbo audeam uti . Verumtamen, quin iſtud tandem profers, quidquid eſt Tulliani operis? At ille, Proferam, inquit, mi frater, ſed ea condicione, ſi liceat paullo, quam conſueui, liberius meā apud te profiteri ſententiam . Nam, quamuis ex te ſaepenumero audiuerim, hos libros (oſtendit autem Rhetoricas ad C. Herennium inſtitutiones) ad neminem minus, quam ad Ciceronem, pertinere, praeſertim cum magna ſuperioribus annis hac ipſa de re tibi orta eſt cum Amandulenſium puerorum inſtitutore altercatio, tamen, quoniam, quae te rationes impulerint, ut contra ueterem inſcriptionem, uel potius contra ipſam uetuſtatem ſentires, nondum intelligo: malo equidem praeceptiones illas Ciceroni, quod in me eſt, uindicare, quam alij cuiuis arroganter attribuere . Nec uero iniuriam tibi a me fieri puto, cum eadem de re tecum non idem ſentio. animaduerti enim, te ipſo docente, id magnos etiam uiros facere conſueuiſſe. itaque nec Q. Cicero a Marco ueritus eſt de diuinatione diſſentire, nec Marcus contra fratrem acutiſsime diſputare . Ad haec memini, cum puer olim tibi operam darem, quam crebro ſoleres contra eruditiſsimos etiam uiros, quae ſentires, audacter exponere. memini, quid de Pallade Appiade Hubertino, Coelio Rhodigino, atque ipſi Corrado, cuius olim interpretationem exoſculari te aiebas, obieceris; quid a Mureto, noſtrae aetatis facile principe: qui mihi in tuo plane ore habitare uidetur, Petro Victorio de theriaca obiectum, dixeris; nec ſum oblitus, quoties Seruij hic diligentiam deſideraueris, illic opinionem confutaris . Vnde relinquitur, ut aut meum factum cogaris probare, aut tuum ſimul reprehendere . Quorum utrum te minus deceat, neminem hic adeſſe puto, qui non apertiſsime uideat . Quid enim mihi ſuccenſeas, uerenti, ne temere, uel falſae rei, uel non ſatis cognitae aſſentiar? cum & ſapientes hoc uiri maxime fugiendum praeceperint, & immortalibus a te ſemper laudibus Academicos ornari uiderim, a rebus incertis aſſenſionem penitus cohibentes . Itaque, ſi in eadem es, quam ſemper hucuſque tutatus es, de horum librorum auctore opinione, faciendum uidetur, ut ſedulo argumenta, ſi lubet, cum argumentis comparemus. ſic enim fiet, ut, ſi quando tuae mihi rationes placere coeperint, a meis non inuitus diſcedam . Optime, inquam, licet parum opportune. quare permitto tibi, reſpondere mihi ne uelis: an me interrogare . Ego uero, inquit Cautus, utrum uoles, faciam . Sed tamen libentius ex te modo audiuerim, quo animo alteri tribuendum cenſeas, quod ſacroſanctae uetuſtatis teſtimonio, cuius auctoritas inuiolata nobis eſſe debet, Ciceroni ſuademur aſcribere . Nam mihi quidem, quacumque de re agitur, cui iuniorum neminem licuerit intereſſe, ſatis eſſe ſolet, ita maiores noſtros tradidiſſe . At antiquitas non alteri id operis deberi monet, quam ei, cuius adhuc nomine uidetur inſcriptum . Nec tam magno temporum interuallo quiſquam eſt ante Raphaelem, ut audio, quendam inuentus, qui uel hunc, quem adhuc ſeruat, titulum deleuerit, uel ea de re ſe quidquam ſuſpicari ſcriptum reliquerit . Quapropter efficitur, ut aut ueteres omnes alucinatos fuiſſe dicamus, qua quidem quae maior poteſt eſſe temeritas? aut Ciceronis opus eſſe, ſine dubio ſit concedendum. Sed, ut nullam habeamus antiquitatis rationem, ut Hieronymi, Priſciani, Becichemi, Georgij Placentini, Bucinenſis, Trapezuntij, & Leonardi Arretini auctoritatem contemnamus, quibus cauſsis adductus horum quis auctorem librorum ſua laude fraudare uoluit? uerum, ut uoluerit, quonam ingenio, uel aſtu in tot uoluminum, quae per orbem terrarum leguntur, millibus efficere id potuit? Ad haec, an non ex ipſis ſtatim auctoris uerbis, quae huius operis limen ingredientibus ſe offerunt, ſatis conſtat, nimis indocilem, tardumque eſſe, qui praeter ceteros, quos ego ſequor, de re tam perſpicua exiſtimet? Etſi negotijs, inquit, familiaribus impediti, uix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poſſumus, atque id ipſum, quod datur otij, libentius in philoſophia conſumere conſueuimus, & quae ſequuntur. An dubitari poteſt eundem hic ſuarum magnitudinem occuparionum queri, qui in praefat. Tuſc. lib. 1. de nat. Deorum, itemque in Academicis quaeſtionibus, & alibi ſaepe nimium otium poene deplorat? Quantum autem Ciceronis fuerit philoſophiae ſtudium, quoniam nuſquam non eius ſcripta, quae ad rectam uiuendi rationem pertinent, teſtantur, nihil eſt, cur uerboſius oſtendam . Sequamur modo, ſi uis, quae in his ad Herennium libris exſtant, ex quibus intelligi liquido queat, iuris quidquam praeter unum Ciceronem hic eſſe nemini . Verba ſunt ipſius, lib. 1. poſt tradita narrandi praecepta: Adhuc quae ſcripta ſunt, arbitror mihi conſtare cum ceteris artis ſcriptoribus, niſi quia de inſinuatione noua quaedam excogitauimus, quod eam ſoli, praeter ceteros, in tria tempora diuiſimus. Eadem fere lib. 1. de inuentione ſcripta reperies, ubi cum in tria item tempora inſinuatio diuidatur, ſe autem ſolum praeter ceteros inſinuationem diuiſiſſe dicat, qui ad Herennium ſcripſit, utriuſque operis eundem agnoſcamus auctorem oportet . Quid? quod lib. iij. de rep. ſe, deq. re militari pollicetur ſcripturum? num non utrumque Cicero praeſtitit? Quid? quod, Herennio rogante, de dicendi ratione ſunt libri praeſcripti? cuius cum familia magnam Ciceroni neceſsitudinem interceſsiſſe, ex ipſius oratione pro Coelio colligitur, ubi C. Herennium ſuum familiarem appellat . An tam euidens, & omni luce clarius argumentum pro nihilo putandum? Sed, quoniam eo uſque progreſſa eſt noſtrae aetatis, neſcio pertinaciamne, an inſaniam appellem, ut etiam ſoli tenebras conetur offundere, & quae cuiuſque mentem oppleuit ſemel opinio, eam malit falſo tueri, quam remittere; age ea tandem depromamus in medium, quibus expoſitis, nihil relinquatur, quam ob rem ueritatem ipſam diutius, mi frater, ueſtro freti ingenio, audeatis oppugnare . Scio enim, te non tam, quia contra haec, quae dicta a me ſunt, ſentias, opus illud Ciceroni ſubtrahere, quam, ne quid uulgare ſapere uidearis, a ceteris diſſentire . Nam, ut quiſque excellentiſsimo eſt ingenio, ita ea maxime ſolet defendere, de quibus longe aliter plerique opinentur, quemadmodum de Anaxagora proditum eſt, qui, cum eximia foret ingenij gloria, nigram eſſe niuem, auſus eſt non modo dicere, ſed rationibus etiam confirmare . Verum, ut cetera negetis omnia, quae ſunt hucuſque pro Cicerone dicta,

numquid

numquid & illud negabitis, operis huius, quo de agitur, ſcriptorem, quicumque fuerit, neceſſe eſſe, aut ante Ciceronem, aut eodem, quo Cicero, tempore, aut denique Cicerone iampridem exſtincto, floruiſſe? Ante Ciceronis quidem tempora non exſtitiſſe, concedendum eſt, quando non modo Caepionis, & Caſſij, quos cum Cicerone vixiſſe conſtat, ſed ipſius etiam Terentiae nomen ſecus exiſtimare prohibet, quam Ciceroni nuptam fuiſſe, vel lippis notum eſt, & tonſoribus. Cicerone iam corporis uinculis exſoluto, ſcripſiſſe, negat non modo dicendi figura, ſed multorum etiam nomina, quorum nemo Ciceronis aetatem eſt ſubſecutus. Efficitur ergo, vt cum Cicerone eius operis auctorem floruiſſe fatendum ſit, ita tamen, ut Ciceronem illuſtrem, & ſummum eloquentiae nomen adeptum nouerit, vtpote qui Terentiae, & ſuſcepti ex ea Tullij mentionem fecerit. Quod ſi ita ſe habet; ſi Ciceronis nomine per omnium ora uolitante, editos ad Herennium libros, fateri ratio cogit; cur. lib. IV. rerum Graecarum nomina, quae remota à conſuetudine erant, ſe conuertiſſe, ait: cum eadem in oratore ad Q. Fratrem Latij iure fuiſſe a Cicerone donata, ſit luce clarius? Cur ibidem, ubi exempla a Catone, a Craſſo, ab Antonio, aliiſq. compluribus ſumi oſtendit, non Ciceronem, & Virgilium, vt ſileam reliquos eminentiſſimos Romanae linguae coryphaeos, aliis omnibus vel praefert, uel ſaltem ſocios adiungit? nempe quia de ſe modeſtiſſimus uir conſulto tacuit, ubi clariſſimos in arte dicendi nominat uiros, ne quam legentibus arrogantiae ſuſpicionem afferret. Virgilij autem eruditio non dum tanti erat, quanti fieri a nobis hac tempeſtate ſolet. Sed quid opus eſt tanta argumentorum hinc, atque inde petitorum congerie, cum ipſe Cicero, quaſi diuinaret, hanc aliquando inter eruditos controuerſiam fore, ne cuius improbitate ſuarum laudem amitteret vigiliarum, verba haec lib. I ſcripta reliquerit? Tullius heres meus Terentiae vxori meae triginta pondo uaſorum argenteorum dato, quae uolet. An non uel hic unus locus ſatis eſſet ad probandum, nemini libros iſtos cõuenire, niſi Tullij parenti, & Terentiae viro? quem ſi Ciceronem fuiſſe, qui Plutarchum attigerit, qui familiares Epiſtolas tantum viderit, nemo eſt, qui neſciat; quid eſt, cur inanibus quibuſdam coniecturis, & futilitatis plenis inniti malimus, quam uel antiquitatis, cuius etiam in fabulis fidem ſequimur, auctoritatem tueri, uel, ſi rationis momenta quaerenda ſunt, firmiſſimis, & nulla ſophiſmatum ui labefactandis argumentis credere? Sed, quoniam noſtras rationes ſatis mihi uideor confirmaſſe, par eſt, leues aliter iudicantium opiniones paucis redarguere. Quod ego quidem eo faciam breuius, quod nec firmi quidquam contra ueritatem reſponderi poſſe perſuaſum habeo, & diſcipulos tuos (oſtendit autem Laurentium, Aemidium fratrem, Matthaeum Herculanum, & Rugerium Maſſenſem, adoleſcentes cum ingenio, tum etiam moribus praeſtantiſſimos, nec non Dominicum Portulenſem iuuenem omnium mihi cariſſimum) iampridem, quid ad haec reſpondeas, cupidiſſime exſpectare uideo.

Aiunt igitur, Fabium, cum omnes Ciceronis ad dicendi artem pertinentes libros ſaepiſſime nominet, de Rhetoricis ad Herennium numquam verbum feciſſe; quae, inquiunt, tacita non praeterijſſet, niſi cum iis nihil eſſe Ciceroni liquido cognouiſſet. Quibus ego primum reſpondeo, nugatorium eſſe dicere, quae à Quinctiliano non laudantur, Ciceronis non eſſe; deinde horum librorum uerbis, & ſententiis inſtitutiones ſuas creberrime Quinctilianum confirmaſſe, doceo. Nam & lib. IX. c. 3. multa ex his libris ſumpta leguntur, & lib. I. c. 5. uerba haec ſcripta reperiuntur: Vſitatis uerbis tutius utimur, noua non ſine periculo fingimus: audendum tamen: namque, ut Cicero ait, etiam, quae primo, dura uiſa ſunt, uſu molliuntur. Quorum uerborum ſenſus eſt ex Rhetoricis ad Herennium expreſſus, ſic enim Cicero lib. IV. Quae res, inquit, apud noſtros non erant, earum rerum nomina non poterant eſſe uſitata. ergo haec primo aſperiora uideantur, neceſſe eſt. Ad haec ne librorum quidem de inuentione Auctorem ſuo nomine Quinctilianus appellat; quos tamen Ciceronis eſſe quis negat? Atque haec eſt, quam in prima acie tamquam firmiſſimam collocant rationem; qua quid mehercle ineptius, uel ad ueritatem opprimendam minus accomodatum excogitare poterant? Clamant ſecundo loco multa in his libris reperiri, ab iis, quae tradita ſunt in Oratore, maxime diſcrepantia; atque ex hoc ſequi uolunt, ut tantopere inter ſe diſſentientium idem auctor eſſe non poſſit. quaſi uero non alium ſcriptorem alibi ſequi Cicero potuerit, aut non etiam iis, qui adhuc exſtant de inuentione libris permulta inſint, Tulliano oratori contraria. An quia in officiis res urbanae bellicis praeferuntur, pro Murena uero his illae poſthabentur, non ab uno utrumque ſcriptum dicemus? Futilis eſt igitur ratio, ideo Rhetoricos ad Herennium libros Ciceronis non eſſe contendentium, quia nonnulla ibi praecipiantur, quae in Oratore damnentur.

Sed dicendi, inquies, figura Tullianam phraſim, & ubertatem non attingit. Quis negat? aut quis eſt, cui hoc mirabile uideatur; cum hos commentarios adoleſcentulo ſibi excidiſſe Cicero fateatur. qua aetate non dum ad perfectam huius artis gloriam peruenerat? Nec uero hic mihi perſuaſeris, quod nonnulli effutiunt, uerba illa, quibus in Oratore teſtatum Cicero reliquit, inchoata quaedam, & rudia adoleſcenti ſibi excidiſſe, de libris tantum de inuentione, non etiam Rhetoricis ad Herennium eſſe intelligenda. His enim ſatis ab eruditiſſimo Becichemo reſponſum arbitror, ubi per inchoata libros de inuentione, per imperfecta Rhetoricas ad Herennium praeceptiones a Cicerone deſignari probat. quam quidem ſententiam ex his Quinctiliani uerbis tuetur, quae lib I I. c. 14. niſi me fallit memoria, inuenies. Denique, inquit, cum M. Tullius, & ipſis librorum, quos de hac re primum ſcripſerat, titulis Graeco nomine utatur; ubi cum non titulo dixerit, ſed titulis, aperte oſtenſum uoluit, non minus has, quam illas inſtitutiones a Cicerone fuiſſe perſcriptas. Itaque ridere interdum ſoleo, cum ad illud, tamquam ad aliquod propugnaculum confugere nonnullos uideo, nec hos ad Herennium libros inter Ciceronis uolumina, nec Hermetem inter eiuſdem praeceptores a Plutarcho commemorari. Sed quid? ſi utrumque Plutarchi memoriam fugit? quid?

ſi ea uerba librariorum incuria deſiderantur? quid? ſi rudia haec, & imperfecta indigna eſſe cenſuit, quae inter Ciceronis opera recenſerentur? nam de Hermete, quis dubitet, Ciceronem adhuc puerum eo praeceptore uſum, ac ideo a Plutarcho, cum praeſtantiores enumeraret, huius nomen dedita opera fuiſſe praeteritum? Vides, mj frater, ut ipſa per ſe eluceat ueritas? quam ut oppugnari aliquandiu poſſe concedamus, expugnari tamen ex ijs eſſe cenſemus, quae fieri neutiquam poſſunt.

Haec cum Cautus dixiſſet, ſatisq. ambulatum uideretur, ad eius, quae omnium ſublimisſima erat, populi radices aſſedimus. Atque ego, Cupide tu quidem, inquam, frater, potius, quam accurate, & diſerte magis, quam uere Ciceronem non tam ornare hac laude, quam onerare uoluiſti. Reſpondendum eſt igitur mihi ad ea, quae ſunt a te dicta. Quamquam autem pudet de hac re plura dicere, quae conſpicua eſt ita, ut doctus, quemadmodum Corradus ait, iam amplius dubitet nemo, tamen, ut uoluntati ueſtrae morem geram, quid ipſe ſentiam, breuiter explicabo. Quod ut facilius aſſequar, quae oratorie nimis, ne dicam aſtute, & arroganter, mihi obiecisti, ea tacita praeteribo, unumq. illud mihi erit curae, ut rationes tuas nullo niti fundamento probem. Vide autem, quam tecum agam ſimpliciter: nec enim quorundam in diſſerendo conſuetudinem imitabor, qui, cum aduerſariorum argumenta conantur refellere, ad ea primum reſpondent, quae maxime uidentur infirma. ita enim quod cupiunt, ſe nullo labore adepturos confidunt. Ego uero, ut firmisſimum quidque tibi uiſus es cōtra praeſtantisſimorum hominum afferre ſententiam, id primum exiſtimabo. Reliqua uero ita proſequar, ut ad artificioſum illum ordinem, quo tu paullo ante iampridem inſtructam tuorum aciem argumentorum collocaſti, me non adſtringam, ſed ſimplici, minimeq. fucato orationis genere, quale & ueritati tribuit Euripides, & ex tempore dicenti conuenit, quae a re non aliena uidebuntur, paucis exponam. Ex eo igitur loco, ubi de Tullio, & Terentia uerba fiunt, te facile ſuaſurum putaſti, Rhetoricos ad Herennium libros non alteri, quam Tullij parenti, & Terentiae uiro adſcribendos. At ego ex his ipſis uerbis rationes tuas omnes ita reijciam, ut nihil ueſtra futilius opinione, nihil noſtro uerius iudicio fateare. Nam, ut concedam, fuiſſe has inſtitutiones a Terentiae uiro, Tullij parente, conſcriptas, (quod tamen falſisſimum eſſe conſtat, non enim uerba ex ſcribentis, ſed ex patris familias perſona prolata exiſtimari debent, quē auctor uaſa argentea legantem inducit) uerum ut concedam Ciceronis, illud quidquid eſt uerborum, eſſe, an non animaduertitis, ea uos dicere, quae conuenire inter ſe nullo pacto queant? Si enim haec ſunt, quae adoleſcenti, & propemodum puero excidiſſe uultis, (quod tamen de libris duntaxat de inuentione dictum ille uoluit) uerumtamen ſi haec adoleſcens admodum ille conſcripſit, ſic enim huius operis errata omnia, & humiliorem dicendi figuram defenditis, qui fieri poteſt, ut filij mentionem facere potuerit, quem non niſi XLII. aetatis anno Iulio Caeſare, & C. Figulo cos fuiſſe a Cicerone ſuſceptum, ipſius ad Atticum prima teſtatur Epiſtola? petebat enim tunc Cicero conſulatum, quem nemini ante illud tempus. niſi lege ſoluto, fas erat obtinere, quemadmodum eruditisſimus Nicolaus Grucchius in libris de Romanorum comitijs diligenter obſeruauit. Sin autem ingraueſcente iam aetate edidit hos libros Cicero, iam tum de Oratore ſcribebat, iam illius ob os ora Graij obuertebant ſua. Quomodo igitur eodem tempore tam impolite ſcribentem, tam diuerſa tradentem, & a ſeipſo tantopere diſcrepantem, excuſabimus? Vides, ut fatendum ſit, quae nec puer uel adoleſcens, nec iam natu grandior, & ſummum eloquentiae nomen adeptus ſcribere Cicero potuerit, ea cuiuis potius, quam Ciceroni, conuenire? Ipſa uero praefationis uerba, quibus eius operis auctor ſe & ſumme occupatum, & Philoſophiae ſtudioſisſimum indicat; quid agunt aliud, niſi ut doceant, ad Ciceronem, praeſertim adoleſcentem, libros illos nullo modo poſſe referri? nam, quicumque opus conſcripſit, uir fuit natu grandior, non adoleſcens, qui ſe & familiaribus negotijs impeditum, & philoſophiae deditum dicat. Ad haec aut numquam queſtus eſt Cicero, familiaribus negotijs ſua ſtudia impediri; aut, ſi quando id egit, ut ſcriptor loquitur, non ut diſcipulus. nam & in I. de nat. Deorum ſcribit, ſero ſe litteris ſtudia philoſophiae mandare coepiſſe. Itaque adoleſcentulo Ciceroni haec uerba minime congruunt, &, ſi congruere concedam, tamen non ideo ſequitur, ut Cicero libros ediderit, quaſi alius nemo fuerit occupatus, nemo philoſophiae ſtudioſus; quod tamen paullo poſt oſtendam eſſe falſisſimum. Quod uero ex ijs, quae de inſinuatione eadem fere in lib. de inuentione ſcripta ſunt, effici uis, ut ab uno, & eodem fuerit opus conſcriptum, obtuſo admodum te iudicio uirum eſſe oſtendis, qui non animaduertas, uel ab eodem fuiſſe utrumque ſcriptorem inſtitutum, uel alterum ad alterius exemplar ſcribentem facile ſimilia tradidiſſe; uel ſibi denique arroganter (quod uitium late patet) hunc ſumpſiſſe, quae Cicero primus excogitauerat. Atque iſtuc ipſum reſponderi etiam ad illud poteſt, quod alibi quaerebas, cur rerum Graecarum nomina, quae remota a conſuetudine erant, ſe conuertiſſe diceret. Sed quid? inquis, quod lib. III. de rep. ſe, deq. re militari pollicetur ſcripturum? num nō utrumque Cicero praeſtitit? Minime uero. nec enim locus ille, quo niteris, confirmat, haec eius operis auctorem fuiſſe pollicitum. ait enim: Et ceteras res, de quibus magis idoneo tempore loquemur, ſi quando de re militari, aut de adminiſtratione reip. ſcribere uelimus, nec, ſi confirmandi uim habeat, propterea uiceris, promiſſum praeſtitiſſe. At ſcribitur ad C. Herennium opus, cuius cum familia magna intercedebat Ciceroni neceſsitudo; nam L. Herennium alibi ſuum appellat Cicero familiarem. Vide, quam incongrua dicatis, qui ſic argumentari didiceritis. Scribitur ad C. Herennium hoc opus, ergo eſt Cic. Quis umquam dialecticorum eſt ita locutus? Non uides, fruſtra te hoc dicere, niſi prius perſuaſeris, quidquid ad C. Herennium ſcribitur, Ciceronis eſſe? Illud uero, quam ridiculum? L. Herennium familiarem ſuum appellat Cicero, ergo cum Herenniorū familia magna fuit Ciceroni neceſſitudo? Quid non etiā illud mox concedimus? Amauit Achilles Troilū Priami filium. Ergo Achilles Priami familiae fuit amicus. Has ne te, frater, ratiocinationes tanti putare? Hiſ-

ne

ne rem tam aperte falſam ſuadere conari? Quae tamen non pluris faciendae, quam ea, qua uis, quoniam nec ante, nec poſt Ciceronem auctorem illum floruiſſe probas, Ciceronem ipſum fuiſſe, tamquam Cicerone uiuente, ac ſcribente, alius nemo uixerit, nemo quidquam litteris mandarit. Sed cur, inquis, lib. IV. ubi exempla a Catone, a Craſſo, ab Antonio, & alijs compluribus ſumi probat, Ciceronem, & Virgilium praetermittit, uiros ceteris omnibus merito praeferendos? Quia, ipſis adhuc uiuentibus, licet magni exiſtimarentur, eorum tamen auctoritati non tantum tribuebatur, quantum alij poſt aliquot annos tribuendum putarunt. Quae res efficit, ut in ſua arte ſemper Graecos Horatius praetulerit, licet Virgilium noſſet, eoq. familiarius uteretur. In Epiſtola uero ad Auguſtum non ne Romanos reprehendit, ut nouitatis contemptores, antiquitatis autem miratores, his uerſibus?

Sed tuus hic populus ſapiens, & iuſtus, in uno
Te noſtris ducibus, te Graijs anteferendo,
Cetera nequaquam ſimili ratione, modoq.
Aeſtimat, & niſi quae terris ſemota, ſuiſq.
Temporibus defuncta uidet, faſtidit, & odit,
Sic fautor ueterum, ut tabulas peccare uetantes,
Quas his quinque uiri ſanxerunt, foedera regum
Vel Gabijs, uel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annoſa uolumina uatum,
Dictitet Albano Muſas in monte locutas.

Vbi plane ait, nihil fuiſſe adeo Romanis contemptui, ut nouitatem. Horatium ipſum, nemo eſt apud nos, qui non, ut eximium laudet: ſe tamen a quibuſdam ueluti nimis acrem, ab alijs tamquam leuem, & ſine neruis in ſcribendo accuſatum teſtatur lib. II. ſerm. ſat. I. Marcum Varronem uirum undequaque doctiſſimum porcum appellauit Rhemnius Palaemon. Notauit Aſinius Pollio in Liuio Patauinitatem, in Caeſaris commentarijs infidelitatem, uerba obſoleta in Salluſtio, in Cicerone poſtremo, quem eloquentiae patrem merito appellamus, ſtylum, ut ipſe aiebat, nimis exſanguem. Sed num Virgilius obtrectatoribus caruit? cui nec Paro, nec Carbilius, ut taceam alios complures a Seruio commemoratos, pepercerunt, & Fauſtinus quidam acerbiſsime detraxit. quae omnia eo ſunt a me dicta, ut intelligatis, non eſſe mirandum, quod auctor ad Herennium Ciceronis nomine ſuos libros inſignire noluerit, cum nulla eſſet recentiorum auctoritas. Ad haec noluit ille quidquam a Cicerone ſumere uideri qui ſe fortaſſe Ciceroni non imparem exiſtimabat. Reſtat igitur, ut illud diluam, quod tu initio poſuiſti, cum ab antiquitate omni inſcriptos Ciceronis nomine libros alterius non eſſe putandos ſuaderes. Nam, quod Hieronymum, Priſcianum, Becichemum, Georgium Placentinum, Bucinenſem, Trapezuntium, & Arretinum mihi obijcis, quorum alter alterius ſecuti ſunt errorem, poſſem totidem, aut etiam longe plures contra ſtatuere, ſi auctoribus mecum pugnares, non rationibus. nec enim Aldum, Pinum, Moſellanum, Corradum, Regium, Aſcenſium, Gripholum, &, quem ego unum pro centum millibus putare ſoleo, M. Antonium Muretum, uiros eos exiſtimo, quos tu facile contemnere debeas. Sed, quoniam rationis momenta perpendimus, non auctores numeramus, age uideamus, an ſacroſancta, ut ipſe appellas, antiquitas Ciceroni opus adſcribat. Atque hic in primis ſcire peruelim, quid tu antiquitatis nomine intelligas. Nam ego quidem eos maxime antiquos dixerim, qui uel cum ipſo auctore uixerunt, uel poſt obitum eius quam proxime floruerunt. Quod cum ita ſit, (nec enim eſſe aliter poteſt) uideamus ab utro noſtrum ſtet antiquitas. Affers tu quidem Priſciani, & Hieronymi; ego Plutarchi, Quinctiliani, atque ipſius Ciceronis teſtimonium. & Plutarchus ſane inter Ciceronis opera hoc nuſquam enumerat. Inanis uero illa defenſio, Plutarchum uel non meminiſſe, uirum utique in ſcribendo diligentiſsimum, uel conſulto tacuiſſe, quod indignum tanto auctore uideretur opus. illuc enim eſt redeundum, ut dicas, adoleſcentulo Ciceroni hos commentarios excidiſſe, quod a uero quantopere abhorreat, paulo ante pluribus expoſui, cum Ciceronem filio auctum non niſi poſt XL. annum fuiſſe docui. Sed, num Ciceroni dabimus, quod ne ipſe quidem ſuum agnoſcit lib. II. de diuinat. ubi, quotquot in eam diem ediderat, libros recenſet, praeter eos, quos damnauerat de inuentione? Verum inquies. Sed hos etiam ad Herennium damnauerat. atque ita per inchoata libros de inuentione, per rudia hos ad Herennium uis una cum tuo Becichemo Ciceronem lib. I. de orat. intellexiſſe, abſurde quidem, ne dicam temere. Cur enim inchoata tum abieciſſet, cum de eadem adhuc arte ſcribere in animo haberet? cur rudia ordiri, quam inchoata perficere maluit? Cur de integro laborem hunc ſuſcepit, ſi ſuſceptus non erat contemnendus? Nam, quod de titulis Quinctiliani teſtimonium affers, nihil eſt, cur uos inde erigatis. cum enim duo ſint de inuentione libri, recte & libros, & titulos multitudinis numero dixit. Sed, quoniam uni Quintiliano magis in hac re credendum, quam ceteris omnibus, quod & libros ad dicendi artem pertinentes nemo unquam diligentius euoluit, & ueram eius operis inſcriptionem uidere potuit, quod ſit ipſius de horum auctore librorum iudicium, paucis expediamus. Ac tu quidem nugatorium putas, quod nuſquam hos libros Ciceroni Quinctilianum tribuiſſe dicimus. Itaque primum negas Ciceroni ſubtrahenda, quae a Quinctiliano non citentur; tum crebris horum librorum ſententijs inſtitutiones ſuas illum confirmaſſe aſſeris. Ego uero fateor, fuiſſe libros illos pluribus in locis a Fabio citatos. Sed primum fuiſſe Ciceronis nomine citatos ita nego, ut, quae tu de nouis uerbis uſu molliendis ex IV. ad Herennium uis accepta, ego lib. I. de nat. Deorum legi, oſtendere ſim ſemper paratus. tum quaero, ſi huius auctorem operis Ciceronem Fabius agnouit, cur nuſquam eius nomine hanc artem citauit? quod in libris quidem de inuentione ſeruauit, quamquam tu falſo negas. Sunt

enim uerba Quinctiliani de negotiali conſtitutione lib. I I I. c. 6. Nec me fallit, in I. Ciceronis Rhetorico-
rum aliam eſſe loci negotialis interpretationem. & quae ſequuntur. quae quidem in I. de inuentione re-
peries. Vnde conſtat, & libros de inuentione, quod negas, Ciceroni Fabium attribuere, & idem, quod ipſe
uis, de libris ad Herennium oſtendi non poſſe. Sed uos ſane fallit, quod libris de inuent. hos ad Heren-
nium ſubſtituiſſe Ciceronem creditis. quoniam enim in II. de inuent. reliqua deinceps Rhetorices praecepta
ſe pollicetur ſcripturum, neq. ijs tamen libris quidquam poſtea addidit; in libris ad Herennium, quae ibi pol
licitus fuerat, Ciceronem praeſtitiſſe arbitramini. quod tamen eſt apertiſſime falſum. Cum enim libros de
inuentione adoleſcens admodum Cicero abſoluiſſet, ſenſit multa ibi eſſe reprehenſu digna: itaque ne c quid
quam adiecit, & quae ſcripſerat, ut rudia, & imperfecta damnauit. Cum autem alius quidam, &, ut ego
opinor, Cornificius, poſt aliquot annos de arte dicendi ad Herennium conſcripſiſſet, uideri potuerunt ex
eadem officina prodijſſe. Cumq. temporis interuallo fieri potuerit, ut ſine auctoris nomine opus circum-
ferretur, & ſimilitudo doctrinae, & uerba, quae de Tulllio, & Terentia leguntur lib. I. efficere, ut imperi-
tiores Ciceronis eſſe exiſtimarent. Sine cauſſa igitur hic praeſtitiſſe, quod in libris de inuentione fuerat pol-
licitus, Ciceronem putatis. aut enim reliquas partes, ut pollicetur, eſſet perſecutus, aut, cur eadem de re ſcri-
bere inciperet, ſtatim expoſuiſſet, ſicut in lib. de Orat. fecit, ubi eorum meminit, quae adoleſcenti ſibi ex-
cidiſſe refert. Falſum eſt igitur, quod dicitis, libris de inuentione hos ad Herennium Ciceronem adieciſſe.
conſtat enim poſt illos de inuentione, tres de Orat. libros fuiſſe perſcriptos. Quod Quinctilianus lib. I I I. his
uerbis teſtatur cap. 6. Sed, quod ipſius fuerit de his libris iudicium (loquitur autem de libris tantum de inuen-
tione, quod erudite Moſellanus exponit) ſupra dixi. Et paullo poſt: Sed Cicero quidem his pulcherrimos il-
los de Orat. ſubſtituit. Vides non temere Hermetem Ciceronis magiſtrorum numero eximi? animaduertis,
non fruſtra Tullianam in his libris phraſim, & opulentiam deſiderari? intelligis, cum multa ad Herennium
ſcribantur, ab Oratore ad Q. Fratrem diſcrepantia, non ſine cauſſa negari, eundem exſtitiſſe utriuſque ope-
ris auctorem? Nam, quod multa ſunt etiam in libris de inuentione Oratori minus conſentientia, nihil me mo-
uet. ſunt enim illi quidem a Cicerone ſcripti, non tamen Ciceronis dicendi: quos ipſe poſtea improbauit.
Sed hic orationem mihi pro Murena obiicis, nec animaduertis, ut Oratorem illic Ciceronem loqui, cuius par
tes ſunt, quaecumque poteſt, ad eius, quam tuetur, cauſſae utilitatem trahere. Iam ne, mi frater, intelligis,
non me illud eniti, ut ſoli tenebras offundam, nigra ue uobis pro candidis oſtendam; ſed ut ueritatis, qua
nihil umquam mihi fuit antiquius, tuear partes; te uero non tam pro Cicerone, & pro antiquitatis, ut aiebas,
maieſtate, quam aduerſus utrumque inutiliter, & callide magis, quam fortiter pugnare?

Quae cum ego dixiſſem, eſſemq. paullo adhuc etiam plura dicturus, Iam ne, inquit, ſubridens Cautus,
intelligis, mi Sinibalde, me, ſiue callide id egerim, ſiue fortiter, illud certe fuiſſe aſſecutum, ut, quae to-
ties antea rogatus efferre numquam uoluiſti, hoc tempore prope ultro nobis explicaueris? Sed, quoniam ad
Ciceronem opus illud pertinere nullus mihi relictus eſt a te dubitandi locus, quin nobis, niſi Rugerio forte,
aut aliorum cuipiam moleſtum eſt, certius aliquid de Cornificio iſto tuo explicas? Nam ego (licet enim iam
uerum dicere) non tam umquam dubitaui, libros ad Herennium ad Ciceronis familiam fruſtra referri, quam
quaeſiui ſemper, cui potiſſimum iure optimo illos tribueremus. Mihi uero, inquit Rugerius, ita non erit
moleſtum, ut nihil poſſit eſſe iucundius. Quod cum ceteri quoque de ſe quiſque uno ore affirmaſſent: tum
ego: Cornificij quidem opus illud eſſe iampridem credidi. ut tamen Ciceronis eſſe prorſus negaui ſemper,
ita de auctoris nomine nihil certi ſum palam profiteri auſus, priuſquam Mureti, quem ego uirum, ut uete-
rum cuiuis conferre audeo, ita iunioribus omnibus praeferre non dubito, commentarium legi, quem ille
in Catullum edidit, ubi de Lada loquens ſic ait: Nominat eum & Cornifitius lib. IV. ad Herennium. Nempe
in praefatione his uerbis: Quando Ladas, aut Boius cum Sicyonijs curſitarinr. Vt primum igitur idem Mu-
retum ſentire conſtitutum habui, Quinctilianum ſectatus, qui uel errorem honeſtum eſſe magnos uiros ſe-
quentibus decernit, non putaui diutius, quod iampridem recte fueram opinatus, diſſimulandum. Vt au-
tem ita opinarer, non pauca me impulerunt. Primum ſcripſiſſe hunc Cornificium de arte dicendi non pauca,
teſtatur lib. I I I. c. I. Quinctilianus. Tum uixiſſe hunc cum Cicerone, atque eo iam natu grandi, & florentiſ-
ſimo, Cicero ipſe indicat familiarium epiſt. lib. 12. Quod uero ſe familiaribus negotijs impeditum, & phi-
loſophiae deditum fatetur auctor ad Herrennium, nihil obſtat, quo minus opus Cornificii eſſe dicatur, quem
occupatiſſimum fuiſſe, ipſe Cicero fatetur epiſtola 18. eiuſdem libri: Etſi, inquit, periniquo patiebar ani-
mo, te a me digredi, tamen eo tempore me conſolabar, quod & in ſummum otium te ire arbitrabar, &
ab impendentibus magnis negotiis diſcedere. Philoſophiae autem praecipuam operam dediſſe, ex epiſt. 23.
colligitur. Equidem & haec, ait, & omnia, quae homini accidere poſſunt, ſic fero, ut magnam habeam
philoſophiae gratiam, &c. Et paullo poſt: Sed haec tu melius. At cur melius? ſiquidem quia ex ijſdem phi-
loſophiae fontibus haec otioſius haurire poterat. Ad haec, quod multa in Rhetoricis ad Herem. a Cicero-
nis praeceptionibus diſcrepant, coniecturam noſtram non mediocriter adiuuat. diſſidebat enim in di-
cendi ratione a Cicerone Cornificius: idque 17. eiuſdem libri epiſt. apertiſſime his verbis demonſtrat:
Proximè ſcripſi de optimo genere dicendi, in quo ſaepe ſuſpiſcatus ſum te a iudicio noſtro, ſic ſcilicet,
ut doctum hominem a non indocto, paullum diſſidere. Poſtremo ne aliter quidem Quinctilianum
ſentire uideo lib. V. c. 10. Enthymema, inquit, Cornificius contrarium appellat. At ubi hoc
in Cornificio reperies? equidem lib. IIII. ad Herennium. Et longe clarius lib. IX. de uerborum colori-
bus: ubi cum exemplum illud poſuiſſet, Qui ſunt, qui foedera ruperunt? Carthaginienſes: itemq. a-
liud: Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari; quorum utrumque in eodem ad Heren. lib. legi-
tur;

gitur; ſubiunxit: Cornificius hanc traductionem appellat. Nec uero hic mihi ſuadebit quiſquam, quod Angelius neſcio quis aſſeruit, quae iocandi cauſſa in ore uulgi ferebantur, obuia fuiſſe exemplis pluribus ſcriptoribus. Nam, ut id permittamus, cur non Ciceronem cum contrarij, tum etiam traductionis auctorem nominare Fabius maluiſſet, quam Cornificium, ſi Cicero quoque utriuſque mentionem feciſſet? Quae dum eſſent dicta, iamq. Anacletum, & Virgilium fratres adeſſe, Herculanus me monuiſſet, qui matris uerbis & nos ad prandendum uocarent, & litteras ab Antonio Blanchino, atque eodem paene tempore a Cynthio Gentiluccio meo mihi ueniſſe dicerent, ad haec & Michaelem noſtrum domi iampridem nobis praeſtolari nunciarent, ſtatim omnes ſurreximus.

F I N I S.

RHETORICORVM
AD · C · HERENNIVM
LIBER · I

AVCTOR

*E*TSI, NEGOTIIS *familiaribus impediti, uix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poſſumus, & id ipſum, quod datur, otij libentius in philoſophia conſumere conſueuimus: tamen tua nos, C. Herenni, uoluntas commouit, ut de ratione dicendi conſcriberemus: ne aut tua cauſſa noluiſſe nos, aut fugiſſe laborem putares. & eo ſtudioſius hoc negotium ſuſcepimus, quod te non ſine cauſſa uelle cognoſcere rhethoricam intelligebamus. non enim parum habet in ſe fructus cepta dicendi, & commoditas orationis, ſi recta intelligentia, & definita animi moderatione gubernetur. quas ob res illa, quae Graeci ſcriptores inanis arrogantiae cauſſa ſibi aſſumpſerunt, relinquimus. nam illi, ne parum multa ſciſſe uiderentur, ea conquiſiuerunt, quae nihil attinebant; ut ars difficilior cognitu putaretur: nos autem ea, quae uidebantur ad rationem dicendi pertinere, ſumpſimus. non enim ſpe quaeſtus, aut gloria commoti uenimus ad ſcribendum, quemadmodum ceteri; ſed ut induſtria noſtra tuae morem geramus uoluntati. nunc, ne nimium longa ſumatur oratio, de re dicere incipiemus, ſed ſi te unum illud monuerimus, artem ſine aſſiduitate dicendi non multum iuuare; ut intelligas hanc rationem praeceptionis accommodari ad exercitationem oportere.*

AMICIS ſatisfaciendum eſſe monet Auctor hoc exordio, quiſquis is ſit, cuius hi ſunt Rhetoricorum libri ad C. Herennium. nam, etſi familiaribus negotijs diſtineretur, ut minimum temporis ſtudio ſupereſſet, quodq. temporis ſibi ab ijs uacuum relinquebatur, ſtudio Philoſophiae tradere conſueſſet, fecit tamen, ut C. Herennij uoluntati morem gereret, qui rogarat, ut de Ratione dicendi, quae Rhetorice eſt, aliquid ſcriberet. Voluit autem amico ſatisfacere, ut ueri amici officio fungeretur, & ne eum laborem uitaſſe homines crederent. Digreditur poſtmodum in laudes C. Herennij: aitq. eo libentis hunc lab rem ſuſcep ſſe quod cauſſam haberet Herennius, cur huc maxime optaret. qui enim recta intelligentia, & animi moderatione definita, quarum duarum rerum altera in cognoſcendo, altera in utendo uerſatur, plurimum pollebat, par erat, eum animi ſui ſenſa etoquenter, & ornate exprimere poſſe. in hoc autem non Graecos eſt imitatus, qui ſuperflua undique conquiſiuerunt, ut multa ſe ſciuiſſe profiterentur, qui mos erat Graecorum, ſed ea tantum, quae ad rem neceſſaria eſſent, tractauit. Quod fecit non quaeſtu commotus, non inani gloria adductus, ſed ut amico, cui petenti negare non poterat, cuiuſq. exemplo nihil negandum eſſe amicis proponit, ſatisfaceret. aitq. praecipuam eſſe debere exercitationem in hoc netio ad orationem facultatem aſſequendam, quae Rhetorices a Graecis dicitur, a Graeco uerbo ῥέω, quod fluo ſignificat; quaſi fluxus quidam orationis deſignetur.

DOCENDAE Rhetoricae triplex uia eſt. nam uel tantum neceſſaria traduntur, ut Cicero fecit in Partitionibus; uel copioſiſsime docentur, cum multorum opiniones in medium adductae diſcutiuntur, ut fecit Quinctilianus; uel neceſſaria praecipiuntur, & ea, quae ex neceſſarijs conſequuntur, quod praeſtitit Auctor in hoc libro.

VIX *ſatis*] uix abunde, ſufficienter, commode. & ideo accuſatiuum ſequitur. nam, etſi aliquando poſſet ſtudio uacare, non id tamen ſemper poterat, propter familiaria negotia, quae maximam partem temporis ſibi uindicabant. Hunc locum Lambinus, ſuo more, contra ueteres omnes libros, aliter legendum putat. deletq. uocem, Otium. OTII] abeſt haec uox a multis uet. lib. & abeſſe poteſt, nullo ſentus detrimento. DE *ratione dicendi*] de Rhetorica. CONSCRIBEREMVS:] perfecte, & abſolute ſcriberemus, integram artis doctrinam ſcribendo colligeremus. TVA *cauſſa noluiſſe nos,*] nam in amicitia idem uelle,

& idem

&idem nolle. Hoc *negotium*] laborioſum enim, Rhetoricam tradere. Copia *dicendi*] copioſa eloquentia. Commoditas *orationis*,] facultas orationis. Recta *intelligentia*,] in cognoſcendo: ſapientia. Definita *moderatione animi*] uirtute. Ne *parum multa*] ne modica: ut ualde multa. Conqvisivervnt,] ad doctrinam ſuam congregauerunt. Qvae *nihil attinebant*;] ſuperflua. Vt *ars difficilior cognitu putaretur*:] ut ars alios lateret, propter eam, quam oſtendunt ineſſe, difficultatem: & ipſi magiſtri, & ſapientes ſoli uideantur, qui eam ſcirent, & in ea ceteris praeſtarent. Svmpsimvs.] non aſſumpſimus, ut Graeci. Indvstria *noſtra*] ſcientia labore acquiſita. Vnvm *illud*] quod eſt maxime neceſſarium. Sine *aſſiduitate*] ſine diligenti,& aſsidua exercitatione dicendi. nam uſus artium pater. Non *multum iuuare*;] parum prodeſſe. nam ſunt praecepta nuda, quae uiam tantum oſtendunt. Hanc *rationem praeceptionis*] hanc rationem, quae eſt praeceptio. nam conſiſtit in praeceptis, quibus aliquid facilius fit.

DE · ORATORIS · OFFICIO · I

Oratoris *officium eſt de ijs rebus poſſe dicere, quae res ad uſum ciuilem moribus, ac legibus conſtitutae ſunt, cum aſſenſione auditorum, quoad eius fieri poterit.*

DE · GENERIBVS · CAVSSARVM · II

Tria *ſunt genera cauſsarum, quae recipere debet orator; demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale. Demonſtratiuum eſt, quod tribuitur in alicuius certae perſonae laudem, uel uituperationem. Deliberatiuum eſt, quod, in conſultatione poſitum, habet in ſe ſuaſionem,& diſſuaſionem. Iudiciale eſt, quod, poſitum in controuerſia, habet accuſationem, aut petitionem cum defenſione.*

EXPLANATIO

Officivm Oratoris eſt, dicere de ijs rebus, quae pertinent ad ciuilem uitae uſum; ethicum, qui ſpectat ad mores; ſiue politicum, qui legibus eſt firmandus.

Orator tribus generibus cauſſarum utitur, demonſtratiuo, deliberatiuo, & iudiciali.

Demonſtratiuum ortum habet ex parte animae rationabili, cum rationibus probamus, quidquid dicimus, & uelut demonſtramus, & ob oculos ponimus.

Deliberatiuum oritur ex appetibili parte animae, cum, deliberare uolentes, in id incurrimus, quod mouerit appetitus, perſuaſus a ratione.

Iudiciale oritur ex iraſcibili, cum uel accuſatur, uel excuſatur.

Dicitvr Demonſtratiuum, quia uirtutes illo, uitiaq. demonſtrantur; & quod plurimum habeat oſtentationis. Sunt, qui Sophiſticum appellant, quoniam ut plurimum illo Sophiſtae uſurpant. Quidam appellant Laudatiuum, a parte meliori. eſt enim honeſtius, laudare, quam reprehendere. & certe hoc genus in laudibus plurimum habet operae. Multi huic generi exornationem tribuunt, tum quia perſona laudando ſolet exornari, tum quia genera omnia exornationem admittunt.

Deliberatiuum genus dicitur a Deliberando: dicitur & Suaſorium, a Suadendo.

Iudiciale dicitur a Iudicijs, in quibus exercetur. Et accuſationem in ſe, aut petitionem cum defenſione habet.

In omnibvs autem cauſsis tria maxime Orator conſiderare debet, finem cauſſae proprium officium, & motum, ſiue delectationem.

Finis cauſſae, in demonſtratiuo, eſt, honeſtum, uel inhoneſtum;

In deliberatiuo, utile, uel inutile;

In iudiciali, iuſtum, uel iniuſtum.

Proprium officium, in demonſtratiuo, eſt laudare, uel uituperare;

In deliberatiuo, ſuadere res utiles, & diſſuadere inutiles;

In iudiciali, defendere, uel accuſare.

Motus, ſiue delectatio, in demonſtratiuo, eſt, delectare, & iudicem in ſuam opinionem perducere. unde exornationem continet.

In deliberatiuo, ſpes, & reformidatio. & hoc genus habet conſultationem.

In iudiciali, clementiam, uel ſaeuitiam introducere. & hoc controuerſiam in ſe habet.

Tria cauſſarum genera Cicero facit: in his enim frequentius Oratores uerſantur. ſunt tamen & alia. nam querimur, conſolamur, mitigamus, concitamus, exhortamur, terremus, confirmamus, & aliae. de quibus uide Quinctil. lib. III. cap. 4. Constitvtae] a populo, atque magiſtratu. Qvoad *eius fieri poterit*.] nam, ut finis medici, ſanare, non ſanitas, quae in Dei poteſtate eſt: ita etiam finis Oratoris, perſuadere dictione, tametſi aliquando non perſuadeat. Cavssarvm,] ciuilium, τῶν πραγμάτων. Qvas *res*] quam uim. Has *cauſſas*] haec tria cauſſarum genera.

DE. REBVS. QVAS. OPORTET. ESSE. IN. ORATORE. III

NVNC, quas res oratorem habere oporteat, docebimus: deinde, quomodo has cauſſas tractari conueniat, oſtendemus. oportet igitur in oratore eſſe inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem. Inuentio eſt excogitatio rerum uerarum, aut ueriſimilium, quae cauſſam probabilem reddant. Diſpoſitio eſt ordo, & diſtributio rerum; quae demonſtrat, quid quibus in locis ſit collocandum. Elocutio eſt idoneorum uerborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. Memoria eſt firma animi rerum, & uerborum diſpoſitionis perceptio. Pronunciatio eſt uocis, uultus, geſtus moderatio cum uenuſtate.

EXPLANATIO

RHETORICA] quinque partes habet, Inuentionem, Diſpoſitionem, Elocutionem, Memoriam, & Pronunciationem. Sunt, qui ad has quinque Rhetoricae partes, quas Cicero enumerat, addant Iudicium, poſt Inuentionem. quod primum ſit, inuenire; poſtea, iudicare. quod non neceſſe eſt: nam in omnibus partibus niſi iudicium inſit, effrenitas, & immoderatio quaedam accidit, teſte Fabio. Quae oportet eſſe in Oratore, ſunt Res, & Verba.

Inuentio, εὕρεσις, ab εὑρίσκω, omnium difficillima: nam, ut ait Auſonius, Dimidium habet operis, qui coepit. eius finis eſt, cauſſam probabilem reddere, ideſt fidem auditori, & aſſentationem facere perſuadendo. RERVM *uerarum*,] earum, quibus contra dicitur. VERISIMILIVM,] quae natura dubia ſunt, in quibus eſt uериſimilibus opus.

Diſpoſitio, ſiue collocatio, τάξις. Quinctilianus lib. III. cap. 6. ait, Diſpoſitionem eſſe rerum ordine quamoptimo collocationem. Haec continuationem habet, uel uarietatem. In continuatione, ordo eſt; in uarietate, diſtributio. nam ordinem miſceri, ac res ipſas, quia uariae ſunt, ac diuerſae, quadam ratione tranſponere neceſſe eſt. Dicit igitur Ordinem, propter continuationem, ſiue rerum, ſiue qualitatis; Diſtributionem, propter uarietatem, atque tranſpoſitionem.

Elocutio, Ariſtoteli, & Hermogeni λέξις, Quinctiliano φράσις. Habet uerba per excellentiam quandam. nam, tametſi & res, & uerba inuenienda ſint, atque collocanda: tamen, proprie, in rebus, Inuenire; in uerbis, Eloqui, dicitur. ut in Partitionibus ait Cicero. ideo neque in Inuentione, neque in Diſpoſitione uerba poſuit, quae ut rerum notae ſunt, ita ad elocutionem proprie pertinent. Sunt autem bipartita, ſimplicia, & coniuncta. Propter ſimplicia dicit, Idoneorum uerborum. coniuncta Sententias uocat, ideſt ſententiarum figuras, & ipſa argumenta, quae ſunt ſententiae, quarum tractatio etiam elocutionis eſt. Hanc omnium difficillimam uoluit eſſe Antonius in Oratore, & in qua nullus poteſt fieri finis. VERBORVM;] ut ſint uerba pura, & ſelecta. SENTENTIARVM] ut ſententiae ex dignitate ueniant, & pondus habeant.

Memoria, μνήμη. Comprehendit res, & uerba. In Partitionibus Cicero poſtremum locum tribuit Memoriae, ac ceterorum omnium cuſtodem appellat. DISPOSITIONIS] nam facile memoramur, ſi ordinate diſpoſita, quo loco quidque ſit dicendum, ingenio fuerimus complexi. Cicero lib. I. de Oratore iubet exercendam memoriam, ediſcendis ad uerbum quamplurimis ſcriptis & ſuis, & alienis. Nonnulli negauerunt, Memoriam partem eſſe Rhetorices, (teſte Fabio lib. III.) arbitrati, naturae munus eſſe. at, artis eſſe, cognoſcitur lib. IV.

Pronunciatio ſiue actio, ut alij, (uide Fabium) ὑπόκρισις. Huic tria tribuit; unum, quod auditur; duo, quae uidentur. Pronunciamus ore, geſtu, uultu, actu quodam uiuam orationem fingentes, quae ſine pronunciatione mortua eſt, & iacet. Demoſthenes, interrogatus, quid eſſet optimum in oratione, ter repetijt, Pronunciationem. Orator igitur non debet in modum torpentis iacere, nec attolli, ſtrepere, geſticulari, ut faciunt furioſi hiſtriones.

HAEC de ui, ſiue facultate oratoris. Sequitur, quibus rebus comparanda ſit. Non tantum igitur refert, quid, quo loco, ſed etiam quo modo. quae fieri nequeunt, non adiuuante memoria. Et nulla ſunt, ſi non ſit pronunciatio, uel uoce, uel geſtu.

QVOT. MODIS. POTERIMVS. ASSEQVI PRAEDICTA. OMNIA. IV

HAEC omnia tribus aſſequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione. Ars eſt praeceptio, quae dat certam uiam, rationemq. dicendi. Imitatio eſt, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum ſimiles in dicendo uelimus eſſe. Exercitatio eſt aſſiduus uſus, conſuetudoq. dicendi.

EXPLANATIO

ARS, μέθοδος, καὶ ὁδός, καὶ ὁδοποιία, a Libris diſcitur. &, Fabio teſte, ex praeceptionibus conſentientibus conſtituitur. Additumq. eſt, *Rationemq. dicendi*,] quia aliae etiam artes ſunt quaedam praeceptiones, certam uiam, & rationem, ſed non rationem dicendi praeſcribentes. & in arte Rhetorica extremum

eſt, Dicere. nam Loquimur ſubito. & hoc proprium eſt omnium. Differimus, in ſermonibus, accuratius aliquanto. Dicimus, cum, diligentia quadam adhibita, & ornate ſenſa noſtra pronunciamus.

Imitatio, Plinio ξῆλον, alijs μίμησις, ab hominibus prouenit: cum nos, qui natura non poſſumus ſimiles eſſe bonis, ad alicuius exemplum, qui plurimum in dicendo ualeat, accommodamus, & effingimus. (Quinctil. lib. x. cap. 2.) ita multi olim deducebantur ad praeſtantes in dicendo uiros: hodieq. uiget hic mos. nam, qui imitari pergit, optimos ſibi ad exemplum proponere debet: quos ſi uel non aſſecutus fuerit, ſequitur tamen propius. Imitatio autem eſt rerum praeclararum. duoq. praecipua in ſe habet; Diligentiam, atque Rationem. nam, hiſce duobus nixi, imitari, & conſequi poſſumus omnia. Imitatio non ſufficit ſola, ut ait Quinctilianus, niſi & ipſi nos manum addamus. nam pigri ingenij eſſet, his, quae inuenta ſunt, eſſe contentum. Labeo iuriſconſultus, teſte Agellio, cum optimos imitaretur, tamen per ſe ipſe multa nouauit, fretus ingenij fiducia. Capito uero a magiſtris ſuis non facile diſcedebat. ALIQVORVM *ſimiles*] nam omnes imitari non debemus. omnes enim perfecti non ſunt. & alius alia re praeſtat. ideoq. ab uno unum ſumendum eſt, ab alio aliud. Similis, genitiuo iunctum, refertur ad mores; datiuo, ad ſimilitudinẽ.

Exercitatio, ἄσκησις, μελέτη, quam alibi Diligentiam uocat, primo de Oratore, eſt uſus aſſeduus, conſuetudoq. dicendi, & agendi ea, quae ad dicendum pertinent. Conſiſtit autem in quatuor rebus, in ſcribendo, commẽtando, declamando, dicendo. Et, quia magis orator perficitur, dicendo, quam alijs tribus, ideo tertium eſt Exercitatio. nam prius ſcribimus, poſtea commentamur, tum declamamus, demum dicimus, quod praecipuum oratoris officium eſt: & ad quod omnes cogitationes intenduntur: in quodq. conuerſae ſunt omnium mentes, qui perſuadere aliquid cupiunt. Vegetius lib. II. ait, Omnes artes quotidiano, & iugi exercitio proficere. Craſſus apud Ciceronem lib. II. de Oratore, futurum oratorem domeſtica exercitatione armat, ut ſcribat aſsidue, dicatque. nam crebra ſcribendi facilitas dicentem adiuuat.

HAEC *omnia*] quinque. ARS] Rhetorica ſcilicet. DILIGENTI *ratione*,] diligentia ſumma, & obſeruata arte. VSVS,] in agendis cauſsis. CONSVETVDOQ.] quae fit ſcribendo, commentando, declamando, dicendo.

DE . PARTIBVS . INVENTIONIS . V

QVONIAM igitur demonſtratum eſt, quas cauſſas oratorem recipere, quaſq. res habere conueniret; nunc, quemadmodum ad orationem poſsint oratoris officia accommoderi, dicendum uidetur. Inuentio in ſex partes orationis conſumitur, exordium, narrationem, diuiſionem, confirmationem, confutationem, concluſionem. Exordium eſt principium orationis, per quod animus auditoris, aut iudicis conſtituitur, uel apparatur ad audiendum. Narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum expoſitio. Diuiſio eſt, per quam aperimus quid conueniat, & quid in controuerſia ſit, & per quam exponimus quibus de rebus ſimus dicturi. Confirmatio eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeueratione. Confutatio eſt contrariorum locorum diſſolutio. Concluſio eſt artificioſus terminus orationis. Nunc, quoniam una cum oratoris officijs, quo res cognitu eßet facilior, producti ſumus, ut de orationis partibus loqueremur, & eas ad inuentionis rationem accommodaremus, de exordio primum dicendum uidetur.

EXPLANATIO

INVENTIONIS ſex partes hic dicuntur. in Partititionibus quattuor facit Cicero, Ariſtotelem ſecutus. in libris de Oratore quinque: quo modo & Fabius: qui Diuiſionem, ſeu Partitionem nõ ponit, frigidis ſane rationibus motus. Ego Diuiſionem puto merito dici partem: nam in pleraque omni quaeſtione Orator diuidit, & prope in tribus Rhetoricae partibus. Differt autem Diuiſio a Diſpoſitione, quia Orator diſponit circa omnes partes Rhetoricae, nunc ordinem hunc, nunc alium faciendo, prout natura cauſſae exigit. Diſpoſitio ergo ordinat corpus, corporis membra diſtinguit Diuiſio. Ceterum, quae diſpoſita ſunt, diuiſione aliqua partimur, ſicut neceſsitas, & natura cauſſae feret. Ariſtoteles in Rhetorica poſt prooemium, Propoſitionem Narrationi praepoſuit: non quod Propoſitio ſit generalior, qui Narratio: ſed quia propoſitionis non eſt certa pars. Quidam his partibus addiderunt Exceſſum, Egreſsionem, Parerga, quod Orator in cãpo Rhetorico exſpatiari per plura ſoleat, ut moueat auditorem. Sed Quinctilianus id loco praedicto improbat. illi enim excurſus aut ſunt extra cauſſam, & non ſunt partes cauſſae; aut in cauſſa, & tunc adiutorio, & ornamento ſunt. non enim, quidquid in cauſſa eſt, cauſſae pars eſt. ſic enim affectus, exempla, ſimilitudines, partes uocarentur.

Inuentio, prima in officio oratoris, eſt excogitatio rerum uerarum, aut ueriſimilium ſententiarum, quae in ſingulis orationis partibus collocari debent, ut oratio probabilis fiat.

Exordium. quod & Prooemium, in iudiciali genere magis uſurpatur. Qui id audit, uel animi cauſſa audit; uel diſceptator futurarum rerum, & is ſenator; uel diſceptator praeteritarum, & is iudex. Conſtituitur autem animus auditoris, uel apparatur. nam conſtituimus rem uniuerſalem, apparamus partem rei.

Narratio διήγησις ϗ ἔκθεσις, eſt expoſitio rerum geſtarum, ideſt quae negari non poſſunt, uel conſtant; uel perinde ut geſtarum, qualia apud Homerum multa. Quamuis enim Orator uera narrare tantum debeat, tamẽ

ſaepe

ſaepe fit, ut fabuloſa exempla miſceat, uel delectationis, uel confirmationis gratia.

Diuiſio, διαίρεσις, in oratore praecipua.

Confirmatio, Ariſtoteli πίστις, alijs κατασκευή: expoſitio argumentorum noſtrorum, cum uehementi alicuius rei comprobatione.

Confutatio, ἀνασκευή, diſſolutio locorum contrariorum. Locum autem uoco argumentum aduerſarij. idq. duabus de cauſsis: primum enim, ex locis argumenta ſumuntur: deinde, aduerſarij argumenta certis notamus locis.

Concluſio, artificioſus terminus orationis, ſecundum praecepta mouendorum animorum, & renouandae memoriae gratia factus. Potiſsima autem pars eſt in Peroratione. ut epilogus ardire, & affectione, & breuitate non careat. Conſiſtit autem Concluſio in Repetitione dictionum, & Permotione animi: quae fit amplificando maxime. QVAS *cauſſas*] quae materia eius eſſe debeat. QVASQ. *res*] quod eius officium. POSSINT *accommodari*] nam, ut ait Cicero in Partitionibus, oratio eſt pars Rhetoricae altera, ad quam officium oratoris adhibetur. CONSVMITVR,] adhibetur. QVID *in controuerſia ſit,*] quis ſtatus orationis. QVIBVS *de rebus*] quae uocantur κεφάλαια. VNA *cum oratorijs officijs*] oratoris officia exponendo. QVO *res cognatu facilior eſſet,*] nam ſemper faciliora primum proponenda. PRODVCTI] prolixe ducti. DE *orationis partibus*] de orationis opere. EAS] partes orationis. AD *inuentionis rationem.*] ad inuentionis doctrinam. oſtendendo, quo modo inuentio accommodetur ad ſingulas orationis partes.

DE . GENERIBVS . CAVSSARVM . VI

CAVSSA poſita, quo commodius exordiri poſſimus, genus cauſſae cōſiderandum eſt. Genera cauſſarum ſunt quatuor, honeſtum, turpe, dubium, humile. Honeſtum cauſſae genus putatur, cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum uidetur, aut id oppugnamus, quod ab omnibus uidetur oppugnari debere; ut pro uiro forti contra parricidam. Turpe genus cauſſae intelligitur, cum aut honeſta res oppugnatur, aut defenditur turpis. Dubium genus eſt, cum habet in ſe cauſa & honeſtatis & turpitudinis partem. Humile genus eſt, cum contempta res affertur. Cum haec ita ſint, conueniet exordiorum rationem ad omne genus cauſſae accommodari.

EXPLANATIO

CAVSSA *poſita*] controuerſia conſtituta, & hypothemate, quod fit litem inchoando. GENVS *cauſſae*] qualitas cauſſae generalis, quae perpenditur ex materia rei, de qua agitur. GENERA *cauſſarum ſunt quattuor,*] quinque facit Cicero de Inuentione, Honeſtum, Admirabile, Humile, Anteps, Obſcuram. ſed Obſcurum comprehenditur ſub dubio. Quinque item genera ponit Quinctilianus lib. IV. cap. I.

Honeſtum, καλὸν, ἔνδοξον, & ἄδοξον: vt, cum uirum bonum defendimus, uel cum malum accuſamus: id facientes reip. cauſſa. Honeſtum definit Cicero Acad. quaeſt. lib. I. bonum ſola uirtute inſtructum, ideſt munitum. Et lib. II. de Fin. Honeſtum eſt, quod, detracta omni utilitate, per ſeipſum iure laudari poſsit. nam boni uiri perquam multa faciunt, quia recta ſunt, etiam ſi nullum conſequatur emolumentum. AB *omnibus*] nedum ab auditoribus: quod omibus ſuſcipiendum eſſe putatur.

Turpe, αἰσχρὸν, παράδοξον: cum impium, nefarium, atque ſceleratum defendimus; uel bonum uirum accuſamus. AVT, *aut*] diiunctiuae duae copulae uim habent: cum alterum ſine altero ſtare non poſsit. nec enim honeſta res oppugnari poteſt, niſi defendatur turpis: & e diuerſo.

Dubium, ἀμφίδοξον, quod aliquid in ſe & honeſtatis, & turpitudinis habet. Hoc genus Anceps dicitur a Quinctiliano; Obſcurum, in libro de Inuentione. cum filius patrem accuſat proditionis: nam honeſta cauſſa, quia pro patria; turpis, quia filij contra patrem. Et ſimilia.

Humile, ἄδοξον, καὶ ταπεινὸν, in quo res leues, & contemptae tractantur. ut Luciani Muſca: cum contempta res antefertur, ideſt extollitur. CONTEMPTA *res*] quae paruipendatur. CVM *haec ita ſint,*] cum haec ſint genera cauſſarum, in quibus exordiendum eſt. CONVENIET] oportebit, aequum erit. EXORDIORVM *rationem*] doctrinam. AD *omne genus cauſsae accommodari.*] quo modo exordiendum ſit in unaquaque cauſſa, ſecundum memorata genera, & cauſſarum qualitatem, quae conſiderandae ſunt maxime cum nos auditoribus, & auditores nobis conciliare uelimus; & iuxta illas exordiri, ne offendamus auditores.

DE . EXORDIO . VII

EXORDIORVM duo ſunt genera, principium, quod Graece προοίμιον appellatur; & inſinuatio, quae ἔφοδος nominatur. Principium eſt, cum ſtatim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. id ita ſumitur, ut attentos, ut dociles, ut beneuolos auditores habere poſſimus. Si genus cauſſae dubium habebimus, a beneuolentia principium conſtituemus, ne quid illa turpitudinis pars nobis obeſſe poſſit. Sin humile erit genus cauſſae, faciemus attentos. Sin turpe cauſſae genus erit, inſinuatione utemur, de qua poſterius dicemus, niſi quid nacti fuerimus, quare, aduerſarios criminando, beneuolentiam captare

ptare poſſimus. Sin honeſtum cauſſae genus erit, licebit recte uel uti, uel nō uti principio. Si uti uolemus, aut id oportebit oſtendere, quare cauſſa ſit honeſta, aut breuiter, quibus de rebus ſimus dicturi, exponere. Sin principio uti nolemus, a lege, a ſcriptura, aut ab aliquo firmiſſimo noſtrae cauſſae adiumento principium capere oportebit.

EXPLANATIO

INSINVATIO,] ſiue Obliquatio, & in ſinu poſitio quaſi impetus. nam exordium occultum. poſtea rem, de qua tractandū eſt, ſubito aperit, quodam impetu, & improuiſo. Inde Horatij Epodon, quod diſsimulando accedit ad reprehendendum. PRINCIPIVM] idem tradit Quinctilianus lib. IV. cap. I. dicens, nullam aliam eſſe Principij cauſſam, quam ut auditorem, quo in ceteris partibus ſit nobis accommodatior, praeparemus. STATIM] cito. quod non facit Inſinuatio. ID *ita ſumitur*,] Cicero in Partitionibus ait, trium rerum gratia ſumi principia, ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur. SI *genus cauſſae dubium*] tunc enim orator animum auditoris, ſeu iudicis amicum facere debet, attollereq. eam partē, quae honeſta eſt; diſsimulata, uel oppreſſa, quoad eius fieri poteſt, parte, quae turpitudinem habeat. Dubium autem, non ſolum ex miſtura honeſti, & turpis; ſed etiam ex ipſa cauſſa naturae ambigua. Differtq. ab Obſcuro. nam Dubium dicitur, cuius utraque pars uidetur probabilis; Obſcurum, cuius neutra pars recte propter implicationem percipitur. SIN *humile*] quod fecit Vergilius in IV.

In tenui labor, at tenuis non gloria, ſi quem
Numina laeua ſinunt, auditq. uocatus Apollo.

Quamquam, qui poteſt tenuis eſſe res illa, cuius in omni uita, & ubique terrarum ſumma eſt utilitas? NISI *quid nacti fuerimus*,] nam optimum genus euadēdae rei, aduerſariū uel pari, uel maiori crimine obuoluere. SIN *honeſtum*] nam in re honeſta proemiū omittere poſſumus: quod auditoris animus, niſi improbus ſit, honeſtati ultro ſuccumbit; & in animum boni uiri, uel ſi nuda ſit, honeſtas illabitur. Et, quemadmodum uino uendibili hedera ſuſpenſa opus non eſt; ita ueritas, quo eſt ſimplicior, hoc eius oratio eſt efficacior. CAVSSA *honeſta*] captata ſcilicet beneuolentia. QVIBVS *de rebus*] cauſſa conſtituta. DICTVRI,] diuiſione. A LEGE,] propria cauſſae. A SCRIPTVRA,] de qua controuerſia eſt. Scripturam autem intellige quamcumque ſcripturam, ſiue ex auctoribus allegetur, ſiue ex alia recepta ſententia. non ſcriptu ras obligatorias. quod plerique interpretes uolunt. AVT *aliquo firmiſſimo noſtrae cauſſae adiumento*] nam quid pulchrius in controuerſijs, quam rationes, quae firmiores ſunt, ab initio praeponere? Firmiſsimo adiumento: ad caput aliquod, indicatis etiam reliquis cauſſae noſtrae capitibus. PRINCIPIVM *capere*] nam, ubi ſola docilitas eſt, ibi non eſt uere principium, ſed ubi beneuolentia eſt.

QVO. MODO. CONFICI. POSSIT ut docilem, attentum, beneuolum habeamus auditorem. IIX

QVONIAM igitur docilem, beneuolum, attentum habere auditorem uolumus, quo modo quidque confici poſſit, aperiemus. Dociles auditores habere poterimus, ſi ſummam cauſſae breuiter exponemus, et ſi attentos eos faciemus. nam docilis eſt is, qui attente uult audire. Attentos habebimus, ſi pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inuſitatis uerba facturos, aut de ijs rebus, quae ad remp. pertinent, aut ad eos ipſos, qui audient, aut ad deorum immortalium religionem; & ſi rogabimus, ut attente audiant; & ſi numero exponemus res, quibus de rebus dicturi ſumus. Beneuolos auditores facere quattuor modis poſſumus, a noſtra, ab aduerſariorum, ab auditorum perſona, & a rebus ipſis. A noſtra perſona beneuolentiam cō trahemus, ſi noſtrum officium ſine arrogantia laudabimus, aut in remp. quales fuerimus, aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipſos, qui audiunt, aliquid referemus, dummodo haec omnia ad eam ipſam rem, qua de agitur, ſint accommodata. Item ſi noſtra incommoda proferemus, inopiam, ſolitudinem, calamitatem; & ſi orabimus, ut nobis ſunt auxilio; & ſimul oſtendemus, nos in alijs ſpem noluiſſe habere. Ab aduerſariorum perſona beneuolentia captabitur, ſi eos in odium, in inuidiam, in contemptionem adducemus. In odium rapiemus, ſi quid eorum ſpurce, ſuperbe, perfidioſe, crudeliter, confidenter, malitioſe, flagitioſe factum proferemus. In inuidiam trahemus, ſi uim, ſi potentiam, factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hoſpitium, ſodalitatem, affinitates aduerſariorum proferemus, & his adiumentis magis, quam ueritati eos confidere aperiemus. In contemptionem adducemus, ſi inertiam, ignauiam, deſidiam, luxuriam aduerſariorum proferemus. Ab auditorum perſona beneuolētia colligetur, ſi res eorum fortiter, ſapienter, manſuete, magnifice iudicatas proferemus: & ſi, quae de ijs exiſtimatio, quae iudicij exſpectatio ſit, aperiemus. A rebus ipſis beneuolum auditorē efficiemus, ſi noſtrā cauſſā laudando extollemus, aduerſariorum per cōtemptionē deprimemus.

EXPLANATIO

QVONIAM *igitur docilem*,] in honeſto genere beneuoli, in humili attenti, in obſcuro dociles ſunt faciendi. Quinctilianus lib. IV. cap. I. haec tria in principiis eſſe potiſsimum teſtatur: nec ſolum in principiis, ſed etiam per totam actionem controuerſiam eſſe cuſtodiendam. nam illis animum iudicis aperimus, ut intromittamur; hic ſuſtinemus, ne negligamur. SI *pollicebimur nos de rebus magnis*,] Virgilius IX.

Vos,

Vos, o Calliope, precor, adſpirate canenti,
Et mecum ingentes oras euoluite belli.

Et Georg. III.

Tu quoque, magna Palles, &c.

Et alibi:

Maius opus moueo.

Cicero pro Sex. Roſcio: His de rebus tantis, tamq. atrocibus non ſatis commode dicere poſſumus. Et pro Sentio: Non aggredior ad illa maxima, & ampliſsima, prius quam docuero &c. Herodianus, cum commendaret ſuam hiſtoriam de ueritate rerum, ſperat non iniucundam ipſarum cognitionem, quae magnae ſint, & ſcitu dignae. Sic Lucretius lib. III.

Omnia nos itidem depaſcimur antea dicta.

NOVIS,] Terentius prologo Phormionis:

- nunc quid uelim, animum attendite. apporto nouam
Epidi cazomenon quam uocant comoediam Graeci, Latini Phormionem nominant.

Sic Lucretius lib. IV.

Atque haurire iuuat, nouosq. decerpere flores.

INVSITATIS] nam inuſitata facile miramur. hinc Lucretius lib. IV.

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo: iuuat integros accedere fontes.

Nouis igitur, & inuſitatis non facile utẽdum, niſi ſint euidenti commendatione digna: nam omnia noua ſunt cum periculo, & inuſitata deteſtamur. AVT *de ijs rebus, quae ad remp. pertinent,*] Cicero pro Flacco: Non eſtis de Lydorum, & Phrygum, qui huc compulſi uenerunt, ſed de ueſtra rep. iudicaturi, de ciuitatis ſtatu, de communi ſalute, & de ſpe bonorum omnium. AVT *ad eos ipſos, qui audient,*] Cicero pro Murena precatur, ut beneficium ſuum cum iudicum, & omnium ciuium ſalute tueri poſsit. Pro Rabirio: Sic exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibus uobis prouidendam, ad populum R. eſſe delatam. AVT *ad deorum immortalium religionem;*] Cicero pro domo ſua, inter alia, hortatur, ut curet, ne deorum religione perditi magiſtratus ſeſe arment: alias futurum, ut aliae caerimoniae, alij antiſtites, alij religionis interpretes ſint requirendi. Rufus Feſtus:

Imus in aſtra Iouis: monitus Iouis omine caelum,
Er Iouis imperio mortalibus aethera pando.

VT *attente audiant;*] quod comici faciunt: Adeſte, precor, aequo animo: fauete linguis. ET *ſi numero exponemus*] quod poetae faciunt. ut Virg.

Arma, uirumq. cano. Et Statius:
Fraternas acies, cognataq. proelia pando. Et Lucanus:
Bella per Aemathios pluſquam ciuilia campos,
Iuſq. datum ſceleri canimus.

A NOSTRA *perſona*] intelligit non ſolum perſonam litigantis, ſed etiam patroni. AD *eam ipſam rem,*] Cicero pro Flacco praefatur, ſeſe maximis Vrbis periculis, grauiſsimo reip. ſtatu, caedem a ciuibus, a liberis, uaſtitatem a templis, ab Vrbe, adiutore Flacco, depuliſſe: ut ſic ſperaret, ſe potius Flacco in honore adiutorem, quam in miſerijs deprecatorem futurum. INOPIAM,] facultatum. Cicero, cum pro Quinctio precaretur, tenues eius opes, nullas facultates, exiguas amicorum copias exhibuit. SOLITVDINEM,] amicorum deſtitutionem. CALAMITATEM;] ſpoliationem bonorum. AB *aduerſariorum perſona*] Quinctilianus lib. IV. ait, non modicnm habere momenti, ſi patronus de ſe praefatus fuerit, dum tamen pauciora iactitet & parcius. ſic enim uir bonus credetur, & praeſumetur pro cauſſa iuſtitia. IN *odium rapiemus,*] ſi uitia aduerſariorum oſtendemus, & eorum ſcelera detegemus. Graecis μῖσος. SPVRCE,] ſpurcities in ſermone cum pudore pugnat. SVPERBE,] ſuperbia in ipſa re, hoc eſt in facto: & aduerſatur uerecundiae. PERFIDIOSE,] perfidia in uiolatione fidei. CRVDELITER,] crudelitas, animi atrocitas, quam Cicero in Officijs hominum naturae maxime inimicam dicit. CONFIDENTER,] confidentia in impudentia, & audacia. MALITIOSE,] malitia a Cicerone de nat. De. uerſuta, & fallax nocendi ratio uocatur. Graecis κακία. FLAGITIOSE] flagitium cum turpitudine, & dedecore coniunctum. Moderate tamen id, & cum ratione fieri debet: ne ex inuidia potius, & malitia, quam amore ueritatis, tale aliquid uideamur protuliſſe. ſunt enim multi, qui accuratiorem uitiorum expoſitionem ferre nequcunt. Id & Quinctilianus monet, lib. IV. cap. j. ubi dicit: uitandum eſſe, ne contumelioſi, maligni, ſuperbi, maledici in quemquã hominem, ordinem ue uideamur: nam etiam Satyricis uix conceditur. Recte olim Iſocrates dicebat, mentis imaginem eſſe orationem. Et Iuriſconſ. ex ſermone hominum mores cognoſci uel turpes, uel honeſtos. Caeſar apud Lucanum lib. I. in odium trahit populum Romanum, ab crudelitate, & ingratitudine, quod contra eum, qui tamen Galliam ſubegerit, urbs tumultuetur: ac ſi Poenus tranſſcenderet alpes Hannibal, implerentur ualido tirone cohortes.

In claſſem, inquit, cadit omne nemus. terra, mariq.
Iuſſus Caeſar agi.

IN *inuidiam,*] propter diuitias. Graecis, φθόνος. Ea primum in indicatione rerum fortuitarum conſiſtit; tum in comparatione, quod non ueritate, ſed fortunae adiumenris aduerſarij confidant. Eſt autem fortuna

uel

uel hereditaria, uel noua. Vocantur igitur in inuidiam, uel ij, qui maioribus ſuis non reſpondent moribus, ac uirtute; ſed ſolis imaginibus, diuitijs, ac potentia ſuperbiunt: ut Antonius, Clodius, Catilina, qui maioribus ſuis dedecori erant, tales Satyrici etiam inſectantur. Vel uocantur in inuidiam, qui nuper ditati, & ad honores euecti ſunt: quoniam plerumque ſunt ſuperbi, & nocere multis ſolent. Eos Latini homines nouos appellant, Graeci νεοπλύτυς, & νεοτίμυς: qualis Cicero noſter, & Chryſogonus, Sullae libertus, homo potens, & locupletiſsimus, ſed ſceleratus de quo in Roſciana. Ariſtoteles Rhet. lib. II. paullo aliter tractat. ait enim, ijs inuidere homines, qui nobis tempore, loco, aetate, exiſtimatione, ac dignitate ſunt proximi. orto inde prouerbio, Semper inter pares eſſe inuidiam. Item ijs, quibus cum de dignitate, & honore contenditur. SI *uim*,] quod Cicero pro Milone in principio formidabat, licet in ſuum uſum poſtea conuerteret. POTENTIAM,] quod pulchre attigit Cicero pro Quinctio, duo timens, gratiam Sex. Naeuij, eloquentiam Q. Hortenſij. FACTIONEM,] conſpirationem. INCONTINENTIAM,] tam corpore, quam animo. NOBILITATEM,] quae ualet ad excitandam inuidiam. CLIENTELAS,] quarum maxima exiſtimatio, ob beneficia. HOSPITIVM,] quod plurimum poteſt. SODALITATEM,] in ſymbolis. AFFINITATES] ab uxoribus. IN *contemptionem*.] Graecis ὀλιγωρία. nam Labor ad Virtutis aedes cuſtos. Contra ignauos, ac deſides tertia eſt Perſij ſatyra, plena ſanctitatis, atque eruditionis. INERTIAM,] corporis. IGNAVIAM,] animi. DESIDIAM,] minime natura idoneus Deſes dicitur. LVXVRIAM,] tum in gula, tum in turpi uſu corporis. SI *res eorum*] Quinctilianus lib. IV. cap. I. monet, laudandum eſſe iudicem cum modeſtia. hoc eſt, ſine aſſentationis ſuſpicione. FORTITER,] quoad fortitudinem. SAPIENTER,] quoad prudentiam. MANSVETE,] quoad temperantiam. MAGNIFICE] quoad iuſtitiam. QVAE *exiſtimatio*,] nam omnes de eis recte opinãtur, & exiſtimant. QVAE *iudicij exſpectatio*] nam iuſtiſsime omnes exſpectant eos iudicaturos. PER *contemptionem*] oſtendendo eorum cauſſam contemptibilem. Alias, Comparationem: comparando ſcilicet noſtram cauſſam aduerſariorum cauſſae.

DE. INSINVATIONE. IX

DEINCEPS de inſinuatione aperiẽdum eſt. Tria ſunt tempora, quibus principio uti non poſſumus: quae diligenter ſunt conſideranda: aut cum turpem cauſſam habemus, hoc eſt, cum ipſa res animum auditoris a nobis alienat: aut cum animus auditoris perſuaſus uidetur eſſe ab ijs, qui ante contra dixerunt: aut cum defeſſus eſt eos audiendo, qui ante dixerunt. Si cauſſa turpitudinem habebit; exordiri poterimus his rationibus: rem non hominem, aut hominem non rem ſpectari oportere: non placere nobis ipſis quae facta dicantur ab aduerſarijs, & eſſe indigna, aut nefaria. Deinde, cum rem diu auxerimus, nihil ſimile a nobis factum oſtendemus, aut aliquorum iudicium de ſimili cauſſa, aut de eadem, aut de minore, aut de maiore proferemus. Deinde ad noſtram cauſſam pedetentim accedemus, & ſimilitudinem conferemus. Item ſi negabimus nos de aduerſarijs, aut de aliqua re eorum dicturos, & tamen occulte dicemus interiectione uerborum. Si perſuaſus auditor fuerit, ideſt, ſi oratio aduerſariorum auditoribus fidem fecerit: (neque enim non facile ſcire poterimus; quoniam non ſumus neſcij, quibus rebus fides fieri ſoleat) ergo ſi fidem factam putabimus, his nos rebus inſinuabimus ad cauſſam, ſi de eo, quod aduerſarij firmiſſimum ſibi adiumentum putauerint, primum nos dicturos pollicebimur: aut ab aduerſarij dicto exordiemur, & ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit: aut dubitatione utemur, quid potiſsimum dicamus, aut cui loco primum reſpondeamus cum admiratione. Si defeſſi erunt audiendo, ab aliqua re, quae riſum mouere poſſit, exordiemur, ab apologo, a fabula ueriſimili, imitatione, deprauatione, inuerſione, abiectione, ambiguo, ſuſpicione, irriſione, ſtultitia, exſuperatione, collocatione, litterarum mutatione: praeterea exſpectatione, ſimilitudine, nouitate, hiſtoria, uerſu: aut ab alicuius interpellatione, aut arriſione: & ſi promiſerimus, aliter, ac parati fuerimus, nos eſſe dicturos, nos non eodem modo, ut ceteri ſoleant, uerba facturos: quid alij ſoleant, quid nos facturi ſumus, breuiter exponemus.

EXPLANATIO

DE. INSINVATIONE] Inſinuatio eſt clamcularia, obliqua, flexaque, ac latens quedam circuitio, ad capiendum iudicis animum, qui aperta fronte, rectaq. uia non conciliaretur. unde occulte in animum ſurrepunt homines locutuleij, & ab incauto, ac improuido animum uenantur uinctum. PRINCIPIO] aperto ad cauſſam aditu. ALIENAT:] propter ſuſpicionem turpitudinis. AVT *cum animus auditoris perſuaſus*] hoc eſt, quod quidam reus clamauit: Et debeo, iudices, pro damnato haberi, quod orator bene dixerit. *Perſuaſus*: cum turpitudo illa eſt opinionis, quae in iudicio concipitur, auditore ab aduerſario perſuaſo. AVT *cum defeſſus*] quod multitudine uerborum aduerſarij cognoſcetur, uel auerſis geſtibus iudicum intelligitur. AVT *cum*: cauſſa prima, cum res eſt turpis, uel re uera, uel opinione. AVT *cum*: Cauſſa ſecunda, perſuaſio auditoris. AVT *cum*: Cauſſa tertia, defatigatio auditoris. TVRPITVDINEM *habebit*,] opinione auditoris. Quinctil. lib. IV. Si cauſſa laborat, perſona ſubueniat; &, ſi perſona, cauſſa. Et Cicero de Inu. lib. I. docet, quattuor rationibus exordiendum eſſe, ita hos genere, ut homo pro homine, res pro re, res pro homine, homo pro re interponatur: ideſt, is homo, in quo offenditur auditor, alium interponat hominem, qui diligitur. & ita de alijs. NON *placere nobis*,] cum ſcilicet res negari non poteſt. ET *eſſe indigna*,] ſi ſint falſa. AVXERIMVS,] demonſtrata indignitate, & magnitudine ſceleris. OSTENDEMVS,] ſtatu coniecturali.

AVT *aliquorum*] κρίσις contra praeiudicium facti. DE *ſimili cauſſa*,] in qua ſcilicet creditum non ſit propter leues ſuſpiciones. ITEM *ſi*] in cauſſa ſcilicet ingrata, non turpi, in qua προπαραλύψει utemur, quoniam auditor non audet offendere aduerſarium. ERGO *ſi fidem factam putabimus*,] Repetitio elegans, eius, quod ſupra dixerat: quia interiecit longam parentheſim. fit autem docilitatis, ac perſpicuitatis gratia, cum παρένθεσις obſcuritatem attulit. APOLOGO,] Apologus eſt, ſermo compoſitus, ad morum inſtitutionem; ſiue rei incredibilis, nec in natura poſitae commemoratio, qua faſtidium tollitur. ut enim gratum eſt, noua, & inuiſitata audire: ſic etiam iucundũ eſt, rem incredibilem, nec in natura exſiſtentem percipere: quales ſunt Aeſopi, atque aliorum apologi. FABVLA *uerisſimili*,] Fabula uerisſimilis, eſt expoſitio rei non geſtae, quae tamen geri potuit. Dicitur enim fabula, quia facta nõ eſt; uerisſimilis autem, quia fieri poteſt. quales ſunt comoediae, tragoediae, ceteraeq. poetarum fabulae multae. Hiſtoria eſt, rei geſtae expoſitio. haec etiam aliquando ab oratore commemoratur, & ad cauſſam praeſentem accommodatur. IMITATIONE,] Imitatio, μίμησις, nihil eſt aliud, quam orationis, uocis, atque oris alterius repraeſentatio uerecunda, atque uenuſta; non hiſtrionica, ideſt impudens, & nimia. Antonius praecipit, ea furtim eſſe utendum: quamobrem in uerbo, ſiue uoce, uitandum eſt, quidquid eſt ſcurrile: in imitatione oris, quidquid eſt hiſtorianicum. DEPRAVATIONE,] Deprauatio eſt, uocis, uultuſq. deformatio. hanc etiam Antonius ab oratore non tractandam eſſe putat. Inteligitur ergo his deprauatio moderata, atque uerecunda. Multa ſunt in his praeceptis, quae uſum apud nos nullum habent amplius. omnis enim nos decet modeſtia, atque ueritas. Alij uolunt per Deprauationem intelligi uocabuli corruptionem, ut Praetorem, Praedonem; Tiberium, Biberium; Optimus, Opimus; Diſciplina, Diſplicina; Doctor iuris, Coctor; Decus, Dedecus; Paſtor, Vaſtator; Iuriſperitus, Perditus; Diſputare, Diſpotare. INVERSIONE,] Iuuerſio eſt, ſententiae in contrariam partem indicatio: quae non fit in uerbo, ſed in ipſa re. Huius exemplum eſt in II. de Oratore, de L. Heluio Lamia deformi, cuius orationem auditurus Culleo, Audiamus, inquit, pulchellum. reſpondit Heluius: Natura mihi non formam, ſed ingenium dedit. Audiamus igitur hominem deſertum, inquit. erat autem infacundus, & balbus. Vel, cum ea, quae ſunt quodam ordine, uel uſu, uel natura deſtinata, inuertuntur, diſſoluuntur, & deordinantur. Vt: Abſcindam tibi oculos, pedes eruam. ABIECTIONE,] non cum ſyllaba, aut littera abijcitur: ſed cum conteſtor, abiectis omnibus, quae aduerſarius dixit, uni rationi nos reſponſuros. AMBIGVO,] Ambiguum eſt, cum neſcitur, in quam partem accipi debeat. Vt cuidam adulatori, Africano coronam ſaepe imponenti, cum eam ſubinde hic reijceret, Noli, inquit Craſſus: caput etenim magnum eſt. Referri enim magnitudo non ſolum ad capitis craſsitiem poteſt, ſed etiam ad ſapientiam, quae uolebat regnum occupare. Sit fuit iocus Catulli in libertum furem, qui, nummulario aes furatus, calceis infarſerat: Vae (inquit Catullus) tibi, ſi te nummularius excalceauerit. Ambiguum, an intelligatur, ſi calceos exſuat, an χαλκὸν, ideſt aes ablatũ recipiat. utrumque enim Excalciare dicitur. niſi quod alterum ſcribitur per adſpirationem. Item: Gallus es, & nihil aliud, quam Gallus. Ambiguum, an uox abſona notetur; an perfidia, quae dicitur eſſe apud Gallos; an impotentia, quia ſacerdotes Matris deum ſunt caſtrati, qui dicuntur Galli. Quinctilianus lib. VII. SVSPICIONE,] Suſpicio eſt, rei malae, aut infamis obſcura ſignificatio. ut quidam dixerat alij, Quando te liberabis ex triclinio? reſpondit ille, Quando tu te ex lecto alieno. Eſt igitur ſuſpicio, latens quaedam amaritudo, qua ridetur aduerſarius non aperte, ſed relinquitur ſuſpicio ridendi. qui eſt locus pulcherrimus. ut ſi dicas, uereri te aduerſarij eloquentium, hominis, ſi dijs placet, diſerti. Sic D. Hieronymus ad Pammachium: Diſertiſsimos tractatus tuos uel nolentibus ingeris. Diuinam ironiam nominat Quinctilianus in IV. in Ciceronis principio orationis pro Ligatio. IRRISIONE,] Irriſio, eſt rei ridiculae uituperatio. ut Virgilij illud IV. Aen. contra Venerem:

Egregiam uero laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque, puerq. tuus, magnum & memorabile nomen. &c.

Quidam, cum in teſtem uocaretur, qui ſe iuriſconſultum iactitabat, & interrogatur reſponderat, ſe neſcire: Cicero, irridendo, dixit Caue: putas forſan te de iure interrogari? Et: Viciſſe ſe exſultat: quod non infitior: ſi errare eſt uincere. D. Hier. ad Luciferum

Differt a Suſpicione; quod illa, patentior, & aperta; haec, occulta. STVLTITIA,] Sultitia eſt, rei alicuius ſtultae, aut perſonae repraeſentatio. Quale illud Perſij, ſat. prima:

Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis: doctas poſuiſſe figuras Laudatur. &c.

Vel eſt uitium, conſilio aduerſum, quod Improuidentiam dicere poſſumus, teſte Quinctiliano. quo nomine ſtultus dici poteſt, etiam ſi perite loquatur, & luculenter, dummodo ea loquatur, quae ei noceant. EXSVPERATIONE,] Exſuperatio eſt, alicuius rei paruae ridicula amplificatio. αὔξησις, ὑπερβολική. Vt: Miles in litigio uno ictu mille peremit. Tales multae apud poetas. COLLOCATIONE,] Alij legunt, Collatione: quae parum diſtat a Similitudine, quae ſequitur: cum, quae ſimilia putamus, inuicem conferimus. unde ſimilitudo ponit, collatio poſita confert. Sunt & qui legant, Contractione. LITTERARVM *mutatione*:] Hermogeni, παρήχησις, alijs, παράγραμμα, ſiue παρονομασία. EXSPECTATIONE,] cum, aduerſario deſinente loqui, ſubſiſtimus: ſilemus, &, ut Neſtor, oculis in terram fixis, uelut meditamur. tunc enim iudices exſpectant. & poſſumus ordiri: Exſpectatis, iudices, quando tandem reſpondeam? ego uero, quid dicam, neſcio; an rationibus contra nitar, an nagas iſtas rideam? Et, cum tacemus, ſimulantes nos aliquid magnum dicturos: ut auditoris animus colligatur. SIMILITVDINE,] Similitudo eſt, rerum inter ſe qualitate differentium comparatio. Vt Virg. Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat. NOVITATE,] quae non eget exemplo, iam uero reſtat. Nouitas, eſt res nouat. HISTORIA,] cum hiſtoriae recenſentur. Hiſtoria eſt, res geſta, ab aetatis noſtrae

ſtrae memoria remota. VERSV:] cum uerſum aliquem allegamus, rei accommodum. Vt de gibboſo: Tempeſtas aderit, cum ceſsit ab aequore delphin. INTERPELLATIONE,] Interpellatio eſt, interruptio perpetuae orationis aduerſarij, uel perſonae alienae appellatio. Et conficitur modicis uerbis. ut ita aduerſarius excandeſcat, & ordinis obliuiſcatur. Apud Terentium: Siccine interpellas? ARRISIONE:] Arriſio eſt perſonae: ut Irriſio, rei. Vt, cum Cicero ſentiret iudices defatigatos, & in iudicium uenire uideret Piſonem perpuſillum, conuerſus ad iudices, dixit: Quis allegauit generum meum gladio? Eſt doloſus quidam, & fallax applauſus, qui geſtu potius, quam uerbis, conficitur, cum uultus in riſum fallacem, & amarum componitur.

In his omnibus ſeruandus eſt modus: &, quidquid eſt ſcurrile, hiſtrionicum, atque mimicum, ut Antonius in oratore monet, uitandum eſt. Niſi enim ars adhibeatur, ridiculorum tractatio periculoſa eſt: quoniam circa res turpes, ac deformes uerſatur. ALITER, *ac parati fuerimus,*] propter aduerſarij indicationem.

INTER . INSINVATIONEM . ET . PRINCIPIVM QVID . INTERSIT . X

INTER inſinuationem & principium hoc intereſt, quod principium huiuſmodi debet eſſe, ut ſtatim apertis rationibus, quas praeſcripſimus, aut beneuolum, aut attentum, aut docilem faciamus auditorem: at inſinuatio eiuſmodi debet eſſe, ut occulte per diſſimulationem eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendo peruenire poſsimus. Verum hae tres utilitates tametſi in tota oratione ſunt comparandae, hoc eſt, ut auditores ſeſe perpetuo nobis attentos, dociles, beneuolos praebeant: tamen id per exordium cauſſae maxime comparandum eſt. Nunc, ne quando uitioſo exordio utamur, quae uitia uitanda ſunt, docebo.

EXPLANATIO

APERTIS *rationibus*] attentionis, docilitatis, atque beneualentiae comparandae. VT *occulte*] quia uel cauſſa turpitudinem habet, uel auditor perſuaſus eſt ante, uel defeſſus audiendo. AD *eadem commoditatem*] ut attentum, docilem, ac beneuolum auditorem reddamus. IN *dicendi opere*] in ipſa oratione. MAXIME *comparandum eſt,*] nam in principio opus eſt maxime auditorem praeparare ad cauſſam intelligenter, attente, ac beneuole audiendam.

DE . VITIOSO . EXORDIO . XI

IN exordienda cauſſa ſeruandum eſt, ut lenis ſit ſermo, & uſitata uerborum conſuetudo, ut non apparata oratio eſſe uideatur. Vitioſum exordium eſt, quod in plures cauſſas poteſt accommodari, quod uulgare dicitur. Item uitioſum eſt, quo nihilo minus aduerſarius poteſt uti, quod commune appellatur. Item illud, quo aduerſarius poteſt uti ex contrario. Item uitioſum eſt, quod nimium apparatis uerbis compoſitum eſt, aut nimis longum eſt, & quod non ex ipſa cauſſa natum uidetur, & proprie cohaereat cum narratione; & quod neque beneuolum, neque docilem, neque attentum facit auditorem. De exordio ſatis dictum eſt: deinceps ad narrationem tranſeamus.

EXPLANATIO

LENIS *ſit ſermo,*] Quinctilianus lib. IV. iubet lenem eſſe, qui exorditur: caueriq. debere, ne nimis exſultet patronus, & quaſi indubitabili fiducia teneatur, & confidentius efferatur. iudicem enim, ut qui reuerentiam poſtulet, nimiam litigantis odiſſe ſeueritatem. VSITATA *uerborum conſuetudo,*] ſic prohibet Quinctilianus, ne quod inſolens uerbum, ne ue audacius translatum, aut obſoleta uetuſtate, aut poetica licentia ſumptum, in exordijs deprehendatur. VT *non apparata oratio eſſe uideatur.*] Quinctilianus ait, exordia partis aduerſae materia trahi: ne compoſita domi ſuae, ſed e re nata eſſe iudex credat. nam fidem parere, quod ex proprio ſermone ſumptum uidetur. In huiuſmodi tribus locis uult Quinctilianus iudicis mentem accendi. QVOD *uulgare dicitur.*] κοινόν, quod ſententias habet communes, uel omnium cauſſarum, uel plerarumque. ut quae ex officio iudicum ſumuntur. Quinctilianus ait eſſe minus fauorabile quod a multis ſaepe repetatur, aliquando tamen non inutiliter aſſumi, & magnis ſaepe oratoribus non euitatum. Enecat autem ſaepe recocta crambe. Quidam hoc exordium Generale nominant. Quinctilianus ait, Meſſallam uno exordij genere frequenter uſum. QVOD *commune appellatur.*] ἀμφοτέρισον, quod etſi eſt preſentis cauſſae, tamen etiam aduerſarius eo uti poteſt. Differunt haec duo numero ſolum. quod uulgare tantum eſt unius, commune uero utriuſque. QVO *aduerſarius poteſt uti ex contrario.*] βίαιον, Hermogeni; Commutabile, Quinctiliano; quod ſententias habet uiolentas: quoniam in aduerſarium retrudi poteſt διαβολή. Sophiſtarum proprium. Graece, Antiſtrophe. Nos, Retorſio. Eius generis fuit concertatio Euathli cũ Hermagora, apud Agellium lib. v. cap. II. QVOD *nimium apparatis uerbis compoſitum eſt,*] is ſplendor in iudiciali genere numquã adhiberi debet, niſi cauſſae magnitudo flagitet; aut iudices contemni ſe credant, oratione ſimplici, & nuda. in genere autem delibera-

tiuo

tiuo apparatum uerborum ſemper adhiberi conſultum eſt. praemeditatũ enim eſſe, tam prodeſt conſulenti; quam in iudicio dicenti nocet. NIMIS *longum eſt,*] quid enim non parit longa prolixitas? Vel Longum, non abſolute, ſed pro orationis magnitudine, uel paruitate. QVOD *non ex ipſa cauſſa*] quaſi centones conficiendo. aedificijs enim partes ſuae conueniunt. hinc Horatius:

Humano capiti ceruicem pictor equinam. &c.

DE. NARRATIONE. XII

NARRATIONVM *genera tria ſunt. Vnum, quo exponimus rem geſtam, & unumquodque trabimus ad utilitatem noſtram uincendi cauſſa: quod pertinet ad eas cauſſas, de quibus iudicium futurum eſt. Alterum genus narrationis ſt, quod intercurrit nonnumquam, aut fidei, aut criminationis, aut tranſitionis, aut alicuius apparationis, uel laudationis cauſſa. Tertium genus eſt id, quod a cauſſa ciuili remotum eſt: in quo tamen exerceri conuenit, quo commodius illas ſuperiores narrationes in cauſſis tractare poſſimus. Eius narrationis duo ſunt genera, unum quod in negotijs, alterum quod in perſonis poſitum eſt. Id, quod in negotiorum expoſitione poſuum eſt, tres babet partes, fabulam, hiſtoriam, argumentum. Fabula eſt, quae neque ueras, neque ueriſimiles continet res, ut eae, quae tragoedijs traditae ſunt. Hiſtoria, eſt res geſta, ſed ab aetatis noſtrae memoria remota. Argumentum, eſt ficta res, quae tamen fieri potuit, uelut argumenta comoediarum. Illud genus narrationis, quod in perſonis poſitum eſt, debet habere ſermonis feſtiuitatem, animorum diſſimilitudinem, grauitatem, lenitatem, ſpem, metum, ſuſpicionem, deſiderium, diſſimulationem, miſericordiam, rerum uarietates, fortunae commutationem, inſperatum incommodum ſubitam laetitiam, iucundum exitum rerum. uerum hoc in exercendo tranſigitur.*

EXPLANAIO

NARRATIONVM] Quinctilianus lib. IV. cap. 2. maxime naturale eſſe ait, & fieri frequentiſsime debere, ut praeparato in exordio iudice, res, de qua pronunciaturus eſt, indicetur. ea eſt narratio, quam a Graecis in multas ſubiectam eſſe diuiſiunculas ſcribit, prout narrationis natura ex condicione uariabit. ut nunc perſona, nunc locus, nunc tempus, nunc cauſſa, nunc euentus, qui contingit narranti, inter narrationis ſpecies deſcriberentur: quae tamen obſeruationes non tam diuidunt, quam dilacerant narrationis corpus. ut, merito huiuſmodi deflexibus miſsis, ad ea, quae obtinent, tranſeamus. Praemittendae tamen ſunt quaedam notatiunculae, quas ignorare non conueniet. Primo, an ſemper narrandum ſit, Fabius putat non ſemper expedire. primo, ſi breues ſint cauſſae: tunc enim iudex longo ſermone fatigaretur, & ſufficit eo loci propoſitio ſimplex. tum, ſi natura cauſſa nihil aliud, quam ſimplicis facti deductionem, exigat. nam & in hac ſpecie propoſitio ſufficit. tertio, ſi de re conſtat, ſed iure quaeritur. tunc enim propoſuiſſe ſufficit. Vel ſi alioqui iudici tota res facta ſit cognita. quod tamen ſine delectu recipias. ſi quidem iudici res ſit cognita eo fine, ut ex facti ueritate iam ea opinetur, quae nobis expediant: tunc non eſt opus narratione. ſin uero ſciat quidem factum, ſed de eo non opinetur, quod tibi faueat: iam narrandum tunc magis eſt, quo artius animus iudicis ad noſtrum fauorem eſt trahendus. neque enim, ut eleganter Quinctilianus ait, in hoc reperta narratio eſt, ut iudex cognoſcat, ſed ut aliquantum nobis conſentiat. Narratio, ait Cicero in Partitionibus, eſt rerum geſtarum, uel ut geſtarum expoſitio. *Et unumquodque trahimus*] Narratio generalis cauſſae, γενικὴ. quoniam ad praecipuam quaeſtionem dirigitur: quamobrem in eo obſeruandum eſt, quidquid eſt neceſſarium. ſic Sinon apud Virg. de Palamede, qui ad utilitatẽ ſuam trahit, quidquid putat eſſe plauſibile. tametſi enim uoluntas eius, atque ſcopus laudandus non eſt, propter crimen productionis: tamen ipſa ars in poeta probanda, atque obſeruanda eſt:

Quem falſa ſub proditione Pelaſgi
Inſontem, infando iudicio, quia bella uetabat,
Demiſere neci.

QVOD *pertinet*] ex cauſſae uiſceribus ſumptũ eſt. ALTERVM *genus.*] Narratis ſpecialis, εἰδικὴ, rerum, ut ait Quinctilianus, ad cauſſam pertinentium expoſitio, ſed tamen non propria cauſſae. Digreſſorium a Quinctiliano dicitur. quod ea digreſsione illuſtratur, & ornatur oratio: dummodo cohaereat & non ſit impertinens. unde caueri praecipit, ne ui quadam has egreſsiones urgeamus, ne forte, quae natura ſunt coniuncta, diſtrahi contingat. putat porro, his egreſsionibus parari fidem, in ſceleribus maxime atrocibus, cum grauiſsimis ſceleribus difficillima ſit fides. TERTIVM *genus*] Narratio ficta, προγυμναστικὴ. & quanquam non eſt oratoria, ſed a ciuili cauſſa remota, & ab aliis tradita ſcriptoribus, tamen in ea exerceri conuenit. Ad hoc genus referri poſſunt Declarationes, i. ficta themata. eoq. iuuenibus paratur copia ſermonis, diuitiisq. inſtruuntur, ut apti ad forum prodire poſsint. ergo totum eſt ſcholaſticum. FABVLA] μύθος, rerum falſarũ, & ueriſimilitudine caret. ideoq. ab hominũ ſenſu abhorret. Huiuſmodi ſunt fabulae Tragicorũ, Aeſopi, & aliorũ: item pars magna poetarũ, & in primis tota Ouidij Metamorphoſis. Et quamquam falſa contineat, debet tamẽ ea ueriſimili modo narrare. non poſſet enim Io fingi in bouẽ, nec Daphne in laurũ mutata, ſi nulla fuiſſet in ea regione uel bos, uel laurus. quod ſolus Agellius aduertiſſe uidetur, ubi Virgilium reprehendit. QVAE *tragoedijs*] ſunt tamen multa apud Tragicos ueriſimilia. HISTORIA] rerum praeteri-

tarum, quae tametſi non mentiri, ſed uera eſſe debet, tamen etiam ficta dicitur, uel quia non eſt huius loci, uel quia multa recipit ficta ad ueritatis explicationem, & ornatum, atque etiam ad utilitatem, & inſtructionem auditorum compoſita. Sunt etiam pleraque in hiſtorijs & conſilia, & occaſiones. Quamquam autem noſtri etiam temporis hiſtoria eſſe poteſt: tamẽ, quia propter diuturnitatem temporis inſtituitur, & poſteris magis quam praeſentibus ſcribitur, ideo hic finem reſpiciens, ait eam ab aetatis noſtrae memoria remotam. Debet autem in uſum noſtrum uerti. Et eſt ſane lepidiſsimum, in omni narratione interſerere hiſtorias, maxime in locis digreſſorijs. quod feliciſsime fecit in omnibus Verrinis Cicero. ARGVMENTVM] δρᾶμα ſiue ὑπόθεσις. eſtq. rerum uerisimilium, ut ſunt comoediae poetarum, quae a communi rerum natura, & quotidiano uſu uitae non recedunt. Dicitur ideo Argumentum, quod non prorſus non ſit uerisimile, ſed per naturam poſsibile, & dat argumentum, & ſignum ad actus poſitiuos. Horum trium nulla dat praecepta. quoniã a poetis, & hiſtoricis ſunt tractata, unde petentur. QVAE *tamen fieri*] ideſt res habet uerisimiles. QVOD *in perſonis*] nam ſimul cum rebus ipſis perſonarum ſermones, & animi perſpici poſſunt. ἐπιδεικτόν, ἢ πλαστικὸν περὶ τῶν προσώπων, quod perſonarum fictionem habet. quod tametſi ad genus demonſtratiuum pertinet, tamen, quia fictae ſunt perſonae, ideo ſeparatim hoc in loco de illis praecepta tradit. Sub hoc genere comprehenditur, quidquid eſt apud poetas de perſonis: quae uel uerae ſunt, & notae, uel fictae. Verae ſunt, quae aliquando fuerunt; quibus cum oratio ficta attibuitur, ἠθοποιία dicitur, ut cum Cicero loquens de rep. introducitur. cum uero quaſi ab inferis excitatur perſona nota, ac cum oratione producitur, uocatur εἰδολοποιία. Perſonae fictae ſunt uel rerum inanimatarum, aut irrationabilium, quibus ſenſus tribuitur: quae προσωποποιία appellatur, in qua magnam eloquentiae uim deſiderari, Quinctilianus annotauit. Exempla ſunt apud Ciceronem, in Verrinis, Siciliae loquentis; pro Plancio, reip. Plura ſunt apud poetas: ut Famae Inuidiae, &c. Cum igitur oratoris ſit, non ſolum docere auditorem, atque permouere, uerum etiam delectare, hoc etiam narrationis genus in delectando ab oratoribus ſaepe adhibetur, in quo ſermo dignitatem habere debet: hoc eſt, ut ſit accommodatus perſonae, naturae, ingenio, moribus, & habitui cum quadam ueritate. quod cum a poetis omnibus, tum maxime a comicis, atque tragicis diligentiſsme obſeruatur. Perſonas nouas licet introducere eo, quo uolumus, modo, iis uero, quae aliquando fuerunt, ea attribuemus, quae illis ſunt ante ab alijs attributa. id quod etiam Horatius praecipit.

Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge, Scriptor. honoratum ſiforte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq. flebilis Ino, Perfidus Ixion, Io uaga, triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenae committis, & audes. Perſonam formare nouam, ſeruetur ad imum
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.

SERMONIS *feſtiuitatem,*] quod ſeruis tribuitur, & meretricibus, in comoedijs. Feſtiuum, ſiue Facetum eſt, quod oculis tam arridet in forma, quam auribus in toto ſermone. fit per ornatus uerborum, & ſententiarum, ut conuenientia ſit ſermonis. nam, ſicut animi hominum ſunt diuerſi in moribus, ita & uerba narrantis debent eſſe diuerſa. nam, ſi omnes mores ijſdem uerbis ageremus, nulla foret in agendo delectatio. ut, ſi omnes colores eſſent unius formae minus delectarent, quam uarij. ut eſt apud Ter. de Pamphilo: O lepidũ patrem, ut poſſedi, nunc mutat de uxore. Et Aeſchinus apud eundẽ: Dij me, pater, oderunt, ni magis te, quã oculos nunc amo meos. ANIMORVM *diſſimilitudinem,*] propterea Gnatho dicebat apud Terentium: Dij boni, homo homini quid praeſtat? Sic Virg. X I. pulcherrime deſcribit iuuenis, & ſenis diuerſos animos: & ſunt uerba Latini ad Turnum:

O praeſtans animi iuuenis, quantum ipſe feroci
Virtute exſuperas, tanto me impenſius aequum eſt
Conſulere, & omnes metuentem expendere caſus.

Eſt etiam exemplũ in Adelphis, de Demea duro, & aſpero; & Micione leni, & miti. Animorum diſsimilitudo, in comparatione perſonarum, ſi ſint plures, ut oratio ſit ἠθικὴ. Pulchre hoc exprimit Virg. in Buc. Eclo. prima, ubi Tityrum facit otioſum, & cantilenis uacantẽ, Meliboeum uero ſolicitum, & patriae fines fugientẽ. Et in ſecunda Ecl. ubi inducit amantem Corydonem, Alexim uero ab amore alienum, & abhorrentẽ. GRAVITATEM,] ſicut ſenes ſunt, Simon, & Chremes. Grauitas, quae in ſe dignum ueneratione quidquam habet. Ideo requiritur, quia dignitas eſt quaedam, & inſigne uirtutis, qua nihil eſt amabilius: quoniam animus illa informatur, atque ornatur, ut uitiis deformatur. Poſita eſt in prudẽtia, conſtantia, & iuſtitia. Cum igitur homini mortuo orationem tribuemus, praecipuas eius uirtutes cõmemorabimus. LENITATEM.] ut Micionis. in Adelphis, & Chremetis in Eunucho. Eſt uirtutis remiſsio, atque moderatio, propter perſonã. ut igitur uirtus in conſiliis dandis ita lenitas in impetranda uenia nos delectat. SPEM,] ſicut Charini in Andria. Ita Virg. in XI. Et ſpe iã praecipit hoſtem. Et apud Perſiũ, Spem macram mittit in agros Licini. Deſcribit autẽ ſex affectus, qui dicuntur τὰ πάθη, qui iudicẽ afficiunt, atque incitant, ut ignoſcat libentius. Spes, bonorum futurorũ, ſiue re uera, ſiue opinione bona. METVM,] ſicut Thraſonis, & Chremetis ruſtici in Eunucho. Metus, malorũ futurorum, ſiue re uera, ſiue opinione mala. SVSPICIONEM,] quia ſenes ſuſpicioſi. Suſpicio, malorũ praeſentiũ: ut Cliuiae, de Antiphila ſua in Heauton. & Hegionis in Adelph. act. 4. ſc. 3. DESIDERIVM,] appetitio eſt rerum abſentium: ut Phaedriae in Eunucho, qui ferre abſentiam Thaidis per biduum ruri minime poterat. DISSIMVLATIONEM.] occultario quadam eſt eius, quod eſt: quemadmodum ſimulatio, eius, quod non eſt, fictio. ut de Aenea Virg.

Spera uultu ſimulat: premit altum corde dolorem.

In

In Heaut. callide amorem ſuum diſsimulat Clitipho; & in Andria nuptias filij Simon, apud Soſiam libertum. In quibuſdam libris additur, ERROREM,] Quod ſi retinemus, explana, peccatum ab opinione falſa profectum: qui ſuauis eſt, cum non eſt miſerabilis, aut cum habet περιπέτειαν: ut Daui, qui Pamphilum inuitum conieciſſet in nuptias, niſi caſus illum liberaſſet. Errores tamen poetarum ſuam etiam ſuauitatem habent, propter miſericordiam; ut Cephali, & Procridis; item Oedipi, qui cum matre concubuit inſcius; & Arcados, qui matrem pro uoto occidit. MISERICORDIAM,] quae eſt in mulieribus, clementia quaedam, & aegritudo, ex alterius rebus aduerſis. Digni autem ſunt miſericordia calamitoſi, nec omnino boni, nec prorſus mali, ſed medij. Exempla plura paſsim apud poetas. quale illud Ilionei ad Didonem, cum tempeſtate iactatus fuiſſet in Africam ad litus Carthaginienſe, cum Africani uellent naues ſuas incendere,

Troes te, miſeri, uentis maria omnia uecti,
Oramus, prohibe infandos a nauibus ignes.
Parce pio generi: & propius res adſpice noſtras.
Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas a litore uertere praedas.
Non ea uis animo: nec tanta ſuperbia uictis.

RERVM *uarietates,*] uarij negotium euentus, uel caſus: ſicut Arioni contigit, qui enatauit ſuper delphino. ut cum Troiani introducerent equum ligneum, nam omnes, ſumma affecti laetitia, quaſi rem diuinam peragere uellent, ſtatim ingenti dolore cõfecti, cum uiderent, armatos milites exiſſe, qui urbem incenderent. Mirifice delectare ſolent. in his περιπέτειαν ineſſe decet. ideſt, commutationem rerum inſperatarum, uel a bonis in mala, uel a malis in bona: ut fit in poetarum fabulis. FORTVNAE *commutationem,*] περιπέτεια, ſubita rerum inſperatarum commutatio. qualia ſequuntur. Sic Tindarus in lapicidinis iuſſu patris deductus. INSPERATVM *commodum,*] ut Pamphili, inuentis praeter ſpem Glycerij parentibus. ut Daui, cui contigit, ut quadrupes conſtringeretur. SVBITAM *laetitiam,*] ut Daui: Dij boni, boni quid porto? &c. ut cum Crito ueniſſet Athenas, & nunciaſſet Pamphilo, Glycerium eſſe ciuem Atticam. IVCVNDVM *exitum rerum.*] qualis eſſe in comoediis ſolet, poſt multas tum uoluptates, tum moleſtias. In hoc Narrationis genere ſex illa diligenter obſeruanda. In homine enim Sermo eſt, & Animus, & Virtus, & Affectus. Sermonem feſtiuum, ac lepidum eſſe oportet, Animum liberalem: Virtus grauitatem habere debet, cum lenitate quadam temperatam, ne ſeuera nimis eſſe uideatur: affectus inter ſe miſcendi ſunt, & ita tractandi, ut non ſimulati uideantur eſſe. Hominem deinde circumſtant rerum uarietates. Exempla praecipue apud poetas. IN *exercendo*] uel legendo poetas, uel hiſtoricos, uel per ſe fingendo iſtos mores.

DE. PRIMO. NARRATIONIS Genere. XIII

ILLVD, *quod ad ueritatem pertinet, quo modo tractari conueniat, aperiemus. Tres conuenit res habere narrationem, ut breuis, ut dilucida, ut uerisimilis ſit: quae quoniam fieri oportere ſcimus, quemadmodum faciamus, cognoſcendum eſt. Rem breuiter narrare poterimus, ſi inde incipiemus narrare, unde neceſſe erit; & ſi non ab ultimo initio repetere uolemus; & ſi ſummatim, non particulatim, narrabimus; & ſi non ad extremum; ſed uſque eo, quo opus erit, proſequemur; & ſi tranſitionibus nullis utemur; & ſi non deerabimus ab eo, quod coeperimus exponere; & exitus rerum ita exponemus, ut, ante quoque quae facta ſunt, ſciri poſſint, tametſi nos reticuerimus. quod genus, ſi dicam me ex prouincia rediſſe, profectum quoque in prouincia intelligatur. Et omnino non modo id, quod obeſt, ſed etiam id, quod neque obeſt, neque adiuuat, ſatius eſt praeterire. Et ne bis aut ſaepius idem dicamus, cauendum eſt, etiam ne id, quod ſemel ſupra diximus, deinceps dicamus, hoc modo: Athenis Megaram ueſperi aduenit Simo: ubi aduenit Megaram, inſidias fecit uirgini: inſidias poſtquam fecit, uim in loco attulit. Rem dilucide narrabimus, ſi, ut quidque primum geſtum erit, ita primum exponamus, & rerum, ac temporum ordinem conſeruabimus, ut geſtae res erunt, aut ut potuiſſe geri uidebuntur. Hic erit conſiderandum, ne quid perturbate, ne quid contorte, ne quid ambigue, ne quid noue dicamus; ne quam in aliam rem tranſeamus; ne ab ultimo repetamus, ne lõge perſequamur; ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus; & ſi perſequemur ea, quae de breuitate praecepta ſunt. nam, quo breuior, eo dilucidior, & cognitu facilior narratio fiet: Veriſimilis narratio erit, ſi, ut mos, ut opinio, ut natura poſtulat, dicemus: ſi ſpatia temporum, perſonarum dignitates, conſiliorum rationes, locorum opportunitates conſtabunt: ne refelli poſſit, aut temporis parum uiſſe, aut cauſſam nullam, aut locum idoneũ non fuiſſe, aut homines ipſos facere, aut pati non potuiſſe. Si uera res erit, nihilo minus haec omnia narrando conſeruanda ſunt. nam ſaepe ueritas, niſi haec ſeruata ſint, fidem facere non poteſt. Sin erit ficta, eo magis conſeruanda erunt. De ijs rebus caute confligendum eſt, quibus in rebus tabulae, aut alicuius firma auctoritas uidebitur interfuiſſe. Adhuc quae dicta ſunt, arbitror mihi conſtare cum ceteris artis ſcriptoribus, niſi quia de inſinuatione noua excogitauimus, quod eam ſoli praeter ceteros in tria tempora diuiſimus, ut plane certam uiam, & perſpicuam rationem exordiorum haberemus. Nunc, quod reliquum eſt, quoniam de rerum inuentione diſputandum eſt, in qua ſingulare conſumitur oratoris officium, dabimus operam, ut nihilo minus induſtriae, quam rei utilitas poſtulabit, quaeſiuiſſe uideamur, ſi prius pauca de cauſſarum diuiſione dixerimus.*

EXPLANATIO

TRES *res*] totidem in Partitionibus facit Cicero,ſed diuerſas: ut narratio ſit dilucida, ueriſimilis,atque ſuauis.Breuitatem omittit,ſuauitatem ponit.nam auditor facilius uoluptate ad fidem ducitur.In Narratione ſaepe deſcribitur perſona,propter negotium,ut Catilina,in Salluſtio;ſaepe geſta narrantur,ut demonſtretur perſona,ut crudelitas Dolabellae,in Philippicis Ciceronis. BREVIS,] neceſſarijs uerbis facta,ut nihil tamen deſit,propter breuitatem. DILVCIDA,] intelligibilis,quae nihil habeat obſcuritatis. nam, dum breuis eſſe laboro,obſcurus fio.VERISIMILIS] probabilis,etſi non uera.QVAE] quas res.ut breuis,dilucida,uerisimilis.REM *breuiter*] Breuitas,Hermogeni βραχύτης.eſtq.in toto,ut in ipſa narratione.βραχυλογία uero,in parte,& ſententia aliqua.Narratio breuis ἁπλῆ dicitur, ideſt ſimplex.in qua obſeruanda ſunt quattuor,principiū,finis, medium, & rerum qualitas. Principium non debet eſſe nimis longe petitum,ſed ab eo eſt ſumendum, quod ad iudicium praeſens pertinet: hoc eſt, ab ipſa rei geſtione, uel ab iis, quae proxime anteceſſerunt. ut in Miloniana Cicero a profectione, quae ad cauſſam maxime pertinebat, quoniam in illa Miloni inſidias a Clodio factas eſſe probat. Inde Horatius:

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

Nam,ſi quis,bellum Troianū ſcripturus,dicat,Laedā,Tindari regis uxorē, duo oua peperiſſe,e quibus Caſtorem,& Pollucem,deinde Helenam natam.quam nuptam Menelao, cum eſſet pulcherrima, Paridi a Venere promiſſam; & interſerat Paridis iudicium,quod tamen omitti poterat; deinde deſcendat ad raptum Helenae,a qua parte debebat incipere; uitioſe narrationem incipiet.

In fine conſiderandum eſt,ne narrationem ad extremum,ſed uſque eo,quo opus erit, proſequamur; & in eo conſiſtamus,quod ad iudicium pertinet.

In medio quattuor obſeruanda. Primum,generatim rem eſſe narrandam,non particulatim; neque ſpecierum diſtributione utendum.Alterum,ne faciamus declinationem, ſed in re propoſita maneamus. Tertium,nō eſſe deerrandum ab eo,quod coeperimus exponere. eſt enim deerratio inconueniens, & non idonea digreſſio.Quartum, non conglobanda antecedentia, ſed conſequentia tantum ponenda, ex quibus colligi illa facile poſſunt.ſunt autem conſequentia,uel tempore: ut, ſi dicam, me ex prouincia rediiſſe, profectum quoque in prouinciam intelligatur.uel relatione: ut cum dico, Gnathonem Thraſonis eſſe ſeruum, facile hunc illius eſſe dominum intelligitur.

In qualitate tria genera conſideranda, utilia, aduerſa, praua. ad quae ſententiae omnes referendae. Vt autem tria rerum genera,ita triplex ordinis praeceptio.nam,quod eſt utile,ponetur; quod aduerſum,uitabitur; quod prauum,reiicietur.ſub hoc comprehendi poteſt & leue,& dubium; quae ſunt praetereunda. Eſt autem utile in hoc loco,quod uel neceſſarium eſt,ut exponatur; uel tantam habet utilitatem, ut abſque uituperatione oratoris omitti non poſſit.ET *ſi ſummatim,nō particulatim*] ſine rerum diſtributione.Sic apud Virg. Aen. I. Venus ad Aeneam:

-- longa eſt iniuria, longae

Ambages: ſed ſumma ſequar faſtigia rerum. Per ſummam igitur narrandum, & non anguli conquirendi. TRANSITIONIBVS] digreſſionibus ſuperfluis. ET, *ſi non deerabimus*] quod ſenum eſt. hi enim, cum narrare coeperunt,obliti eorum,quae dixerant,ad alia labuntur. EXITVS *rerum*] negotiorum, uel dictorum, uel factorum.NE *bis,aut ſaepius*] ἐπαναλήψεις uitandas eſſe docet.quarum duo genera. unum, rerum, uerborum alterum.Rerum,cum res eadem uerbis diuerſis repetitur: eaq.eſt oratoria.cuius multa apud Ciceronem exempla.Verborum,cum unum uerbum poſitum poſt interiectam ἐπεμβολήν, ad extremum idem repetitur,perſpicuitatis gratia.Vtraque rurſus duplex.uel enim obſcuritatem affert, uel perſpicuitatem: illa uitanda, hac uti licebit, cum propter memoriae renouationem, tum propter attentionem auditoris. Sunt igitur omnino octo condiciones. Primo, ne ab alto repetas: ſecundo, ut ſumma rei narretur: item, ceſſetur ex commodo: uitetur tranſitio: praetereantur,quae inſunt: a propoſito non deflectatur: nocua,& extranea ſileant: neque iteremus narrata.REM *dilucide*] Narratio dilucida, Graecis ἐνδιάσκευος. orationem illuſtrem habere debet, qua res quaſi ob oculos ponitur,ita,ut geri uideatur.In ea tria conſideranda.Primum, ordo rerum: deinde,uerborū, & orationis collocatio: tertio,praecepta breuitatis.

Ordinem rerum hiſtoricum eſſe oportet.in quo rerum, & temporum obſeruandi gradus: ita, ut unumquodque primum exponatur,uti primum geſtum eſt; idq. in utroque narrationis genere, tum in uero, tum etiam in ficto.

In collocatione,quattuor uitanda,Barbariſmus,Hyperbaton,Ambiguitas,Nouitas. Barbariſmus, partim in orthographia,atque proſodia conſiſtit,partim in etymologia,ſi accidentia orationis partium perturbantur, & in grammaticorum peccatur regulas,nec Latina ſeruatur conſtructio.nam omnis perturbatio obſcuritatem parit,quae perſpicuitati eſt contraria: quoniam orationem reddit impuram.

Hyperbaton,cum quid contorte,atque implicate dicitur. quod ſit, uerborum, quae coniungi debuiſſent, tranſpoſitione,& non neceſſariorum interpoſitione.

Ambiguitas,uel cum uerba multiplicem ſignificandi poteſtatem habent,uel in cōſecutione:ut, Aio te Aeacido Romanos uincere poſſe. Verba etiam noua in narratione uitanda: quoniam intelligentiam, & attentionem impediunt: quod eſt contra narrationis finem, ut auditor doceatur.

Praecepta breuitatis repetenda ſunt, ut narratio fiat perſpicua. quidquid enim prolixum,obſcuritatem parit.ideoq.in Partitionibus Cicero ſub perſpicuitate breuitatem comprehendit. Tria igitur ponit, Digreſſiones, & tranſitus fugiendos; Ne rem ab ultimo repetamur; Ne ad extremum perſequamur.Quibus addit,Ne quid,

quod ad rem pertineat,praetereamus : ſed quantum opus eſt,quantumq. ſat eſt,ut Quinctilianus inquit, narremus. qui Salluſtianā breuitatem in narratione uitandam docet,quoniam ſatius eſſe putat,aliquid narrationi ſupereſſe,quam deeſſe. in eo enim eſt breuitas,non ut minus, ſed ne plus dicatur,quam oporteat. In fine concludit,praecepta breuitatis eſſe repetenda. Concluſioni addit rationem : quoniam breuitas & dilucidam reddit narrationem,& cognitu facilem. SI *ut quidque*] ſi ordinem rerum obſeruabimus. Ordo tunc optime ſeruabitur,teſte Quinctiliano cum narratio erit diſtincta rebus,perſonis, temporibus,locis,cauſsis : ut alterū firmetur ab altero,non confundatur. dicit enim eleganter Quinctilianus aliqua naturaliter ſequi,ac cohaerere : ut,ſi bene priora narraueris,iudex ipſe,quod poſtea ſis narraturus, diuinet, & exſpectet. Sic Simon Terentianus uitam Pamphili narrauerat Soſiae ſeruo,eo ordine,ea cohaerentia,ut ſeruus ipſe timuerit ante finitam narrationem,ne Andria quiddam mali afferret. Sic in ſecundo Aen. cum non ab alto repeteret,dilucide narrauit : Poſtquam bello fracti eſſent Graeci, equum fabricaſſe, & armato milite cōpletum in litore uelut Palladi uotum reliquiſſe,ſtimulaſſeq. receſſum ad Tenedos inſulam & pulchre,& ſignificanter narrat,quo modo turba ſeſe effuderit extra ciuitatem. Et quae ſequuntur. VT *geſtae res erunt*,] in narrationibus ueris. AVT *ut potuiſſe geri*] in narratione ficta,& conſiliis hominum. Ad quam rem maxime facit perſpicuitas. unde Quinctilianus eam uocat orationem dilucidam,quae expoſita ſit uerbis propriis,& ſignificantibus,& non ſordidis; nec tamē exquiſitis,uel ab uſu remotis : ut res non tā narrari,quam geri uideatur. aitq. pronunciationem in hoc accommodari,ut iudex,quae dicuntur,quam facillime accipiat,non eſſe clamandum; non uociferatione,tumultu,famam circumſtantium quaerendā; nec laſciuire inſolenti geſtu; ne,ſicut actio placet,ita cauſſa non intelligatur. HIC *erit conſiderandum*] in collocatione uerborum. VERISIMILIS] Credibilis, Quinctiliano; Probabilis, Ciceroni de Inu. πιθανὸς, Graecis, καὶ ἀληθὴς, καὶ ἐγκατάσκευος. Eſt autem, cum in ea uidentur ineſſe, quae ſolent apparere in ueritate. Vnicum igitur praeceptum habet,ut rationes habeat annexas,quae cum ex aliis rebus,tum ex rerum attributis maxime ſumuntur: perſona,re,cauſſa,loco,tempore,modo,facultatibus. Addit,morem,opinionem,naturam : item conſiliorum rationes. MOS,] regionis,ideſt uniuerſorum : qui eſt obſeruandus. OPINIO,] omnium,uel maioris partis,uel melioris. NATVRA] eorum, qui agunt, ad quam res accommodata eſſe debet,ut probabilis uideatur. Quinctilianus item iubet caueri,ne quid narremus naturae aduerſum.

Qui haec non obſeruat,is narrationem reddet paradoxam : ſunt enim eiuſmodi, ut cōtra illa minime liceat dicere. Eadem fere,& eodem prope modo libro I. de Inu. Cicero praecipit, quae cum his conferantur. In Partitionibus adiungit teſtimonia,quae ſunt aut ſingulorum,aut omnium,aut maioris partis,ant melioris,aut legū,aut religionis. itē τὸ ἦθος,quod maxime reddit narrationē probabilē: ut,cū probitas,antiquitas,memoria, fides narrātis ſignificatur. Permagni autem refert,bonus ne ſit,& multarum rerum uſum habeat, & memoriā, is,qui aliquam cauſſam ſuſcipit,orator. SI *ſpatia temporū*,] ideſt, ſi rerum attributa orator obſeruabit. facile enim praeſumitur contra iuuenem,qui,noctu ingreſſus in domum puellae,craſtino matutino exierit. PERSONARVM *dignitates*,] cum a dignitate accuſatoris premitur reus, uel a dignitate rei repellitur accuſator. Perſona eſt auctor rei. Refertur ad, Quis. CONSILIORVM *rationes*,] λογισμούς. difficile autem eſt, eas ex arte, ex induſtria colligere: Refertur ad, Cur. LOCORVM *opportunitates*] ſic Vlyſſes creditus interfeciſſe Aiacem: nempe ſolitarium,in loco deſerto,in ſilua ubi nemo uel timori impedimento,uel eſſe poterat. Refertur ad, Vbi. CONSTABVNT :] conuenient. quod ſi erit,ueriſimilem faciet narrationem. AVT *temporis parum fuiſſe*,] ut,ſi dicas, primo te ingreſſum,uix ſumpto poculo abijſſe. AVT *cauſsam nullam*,] quae res Milonem defenderat, quod nulla ei cauſſa erat,cur inſidias ſtrueret. AVT *locum idoneum*] cum quis accuſatur metum inieciſſe alicui in ciuitate Principis,in manifeſta luce,in medio populo,ubi adeſt magiſtratus,copia iudicis. AVT *homines ipſos facere*,] ut, ſi cauſſetur diues,ſe a paupere oppreſſum,potēs ab inope,uel impotente,ſenex a iuuene. uel cōtra. & ita de ſimilib. *Facere*: quod illis facultas nulla fuerit. AVT *non pati potuiſſe*.] ꝑꝑ eorū probitatē. nā praeſumitur,eū nō paſſurū cōmitti iniuriā cuiquā,qui ipſe rectus ſit, dexter,& integer. Sic Cato Vticenſis non praeſumebatur paſſurus urbē Romā ſeruire ſub Caeſare. quod cognoſcitur ex luculentiſsima oratione Bruti,& Catonis,apud Lucianū.

Vbi haec oſtendi non poſſunt,non erit narratio ueriſimilis. SI *uera res*] ſupra enim diuiſit,in uerum,atque fictum. EO *magis*] quoniam ueritate deſtituitur. DE *ijs rebus*] hoc addit propter ficta, in quibus adhibenda cautio. TABVLAE,] ſcripta in libris maiorum: uel,teſtamentariae,ſiue publicae: ut illae,quas Athenis Romam aduexerunt,leges publicas continentes,quibus maxima eſt habita reuerentia,neque refelli poteranr. ALICVIVS *firma auctoritas*] ut Cicero de Archia, ciue Heraclienſi, addit teſtimonium, & auctoritatem legatorum Heraclienſium,& M. Luculli. *Firma* : quae non poſsit confutari. *Auctoritas*: quae eſt ſententia imitatione digna. CONFLIGENDVM] frigendum. NOVA *excogitauimus*,] mirabilis Emphaſis, Noua, Soli, Praeter ceteros. CERTAM *uiam*,] μέθοδον. PERSPICVAM *rationem*] non obſcuram, qualem habuere Graeci, ut ante dixit. DE *rerum inuentione*] nondum abſoluta. ſecundo enim, & tertio demum libro eam perficit. de inuentione argumentorum,quod pertinet ad confirmationem,& ad confutationem. SINGVLARE] excellens. CONSVMITVR] perficitur. nam eximium eſt in oratore,inuenire argumenta, quibus partem ſuperet aduerſam. OFFICIVM,] debitum,& munus. QVAM *rei relictas poſtulabit*,] quam conueniat.

DE . DIVISIONE . XIV

CAVSSARVM *diuiſio in duas partes diſtributa eſt. Primum,perorata narratione,debemus aperire quid nobis conueniat cum aduerſarijs : ſi ea, quae nobis utilia erunt,conuenient,quid in controuerſia relinquatur,*

hoc

hoc modo: Interfectam eſſe matrem ab Oreſte conuenit mihi cum aduerſarijs: iure fecerit, & licuerit ne facere, id eſt in controuerſia. Item e contrario, Agamemnonem eſſe a Clytemneſtra occiſum confitentur: cum id ita ſit, me ulciſci parentem negant oportuiße. Deinde, cum hoc fecerimus, diſtributione uti debemus. Ea diuiditur in duas partes, enumerationem, & expoſitionem. Enumeratione utemur, cum dicemus numero, quot de rebus dicturi ſumus. Eam plus, quam trium partium numero eſſe non oportet. nam & periculoſum eſt, ne quando plus, minus ue dicamus, & ſuſpicionem afferet auditori meditationis, & artificij, quae res fidem abrogat oratori. Expoſitio eſt, cum res, quibus de rebus dicturi ſumus, exponimus breuiter, & abſolute. Nunc ad confirmationem tranſeamus.

EXPLANATIO

CAVSSARVM *diuiſio*] ϖροκατασκευὴ, quae non ſolum cauſſam diuidit, ſed etiam conſtituit. Habet autem ab una tantum parte officij, hoc eſt a partiendo, nomen ſuum apud Latinos. PERORATA] finita. Sane de una ſpecie diuiſionis incipit agere, quia utitur orator, cum diuidit id, quod eſt in controuerſia, ſecũdum accuſationem, & defenſionem. APERIRE] ſeiunctione διαςολῆ. QVID *nobis conueniat*] in quo ſit ſtatus cauſſae. QVAE *utilia*] quia non debemus ea dicere, quae cauſſae noſtrae conducant. CONVENIENT,] cum aduerſarijs. nam interdum quidquam eiuſmodi accidere poteſt, quod dicere inutile eſt. ut, ſi defenſor Oreſtis dicit, Conuenit mihi cum aduerſario, eſſe ab Oreſte occiſam matrem. cum id omnino debeat tacere. IN *cõtrouerſia*] de quo ſit agendum. INTERFECTAM *eſſe matrem*] hoc eſt uale accuſatori. nam reddit eum auditoribus infeſtum, inclinando partitionem ad cõmodum ſuae cauſſae. AGAMEMNONEM] hoc uerbum magis reddit Clytemneſtram iudicibus inuiſam, quam ſi diceret, maritum. nam nomen eſt regis in ore omnium. quare, quid conueniat, & quid non, hoc modo docet. CVM *id ita ſit,*] nam taetrum fuiſſet, & auditu horrendum, dicere, negant me interficere matrem. CVM *hoc fecerimus,*] cum oſtenderimus, quid nobis conueniat cum aduerſarijs, & quid in controuerſia ſit. DISTRIBVTIONE *debemus uti.*] non enim ſatis eſt oratori, ſcire uti una, niſi ſciat uti altera. Diſtributio eſt partitio eorum, quae dicturi ſumus, ut ordine dicantur. EA *diuiditur in duas partes,*] debebat praemitti Expoſitio. hoc enim rerum ordo exigit: & ita praemittunt ceteri. Quinctilianus lib. IV. cap. 5. non probat hanc doctrinam, qua alligatur partitio ad tria membra. dicit enim, eam rem non eſſe alligandam lege, cum cauſſa aliquando poſsit complura membra deſiderare: fatetur tamen ad hoc potiſsimum contendi, ut extra numerum ternarium partitio non effluat: quod & ea res turbet intentionem, obtorqueat memoriam iudicis, & faciat facile excidi aliqua ex partitis. NVMERO,] indicato. PERICVLOSVM *eſt,*] propter memoriam in multitudine, & facilitatem refutandi in paucitate. PLVS,] quam tria. MINVS *ue*] ſi pauciora membra ſint tribus, propter refutationis facilitatem. SVSPICIONEM *afferet*] ſi numeroſior ſit partitio. MEDITATIONIS, & *artificij,*] ne uideatur factum artificioſe, & cogitatione. eſt enim oratoris, autem celare, ne credatur cauſſae ſuae falſitatem celare. FIDEM] credulitatem. ABROGAT detrahit. EXPOSITIO] alteram ſpeciem diuiſionis exſequitur, &, quo modo fieri debeat, docet. CVM res,] ſcilicet multas. ABSOLVTE.] non indicato. perfecte. ut intelligatur nihil excludi, quod neceſſarium ſit propter breuitatem, quae plerumque ſolet obſcuritatem parere.

DE . CONFIRMATIONE . ET . CONFVTATIONE coniuncte . XV

TOTA ſpes uincendi, ratioq. perſuadendi poſita eſt in confirmatione, & confutatione. nam, cum adiumenta noſtra expoſuerimus, contrariaq. diſſoluerimus, abſolute nimirum munus oratorium confecerimus. utrumque igitur facere poterimus, ſi conſtitutionem cauſſae cognouerimus.

EXPLANATIO

TOTA] maxime perfecta, uel *Tota*, quod in nulla aliarum partium ſpes eſt uincendi. nam exordium reddit beneuolum, narratio exponit negotium, partitio diuidit cauſſam; ſed confirmatio continet argumenta, quibus ſuperatur aduerſarius. RATIOQ. *perſuadendi*] ideſt, doctrina. CONFVTATIONE.] Reprehenſionem uocat Cicero in Partitionibus. ARGVMENTA *noſtra expoſuerimus, contrariaq. diſſoluerimus,*] quod pertinet ad cõfirmationem, & confutationem. ABSOLVTE] perfecte, MVNVS] officium. CONFECERIMVS.] fecuti ſumus. Conſequens pro antecedente nam ex officio ſequitur munus. CAVSSAE] controuerſiae. Alium ordinem ſeruat Cicero de Inu. ubi omnium argumentationum locos (quod etiam Quinctilianus facit) cum a perſonis, tum a negotijs ſumptos enumerat: quos hic noſter lib. II. in Conſtitutionibus tractat.

DE . CAVSSARVM . CONSTITVTIONIBVS . XVI

CAVSSARVM conſtitutiones alij quattuor fecerunt, noſter doctor Hermetes tres putauit eſſe, nõ ut de illorũ quidquam detraheret inuentione, ſed ut oſtenderet, id quod oportuiſſet ſimpliciter, et ſingulari modo docere, illos diſtribuiße dupliciter, & bipertito. Cõſtitutio eſt prima deprecatio defenſoris cũ accuſatoris inſimulatione cõiuncta.

EXPLANATIO

QVATTVOR] coniecturae, finitionis, generis, id eſt qualitatis actionis, nam, cum contingit de rebus dubitare, primo quaeritur, An ſit; poſtea, quid ſit, tum, Quale ſit: quod cum ſcierimus, ſublata eſt omnis dubitatio: niſi nodus incidat, qua actione petatur. Vel, coniecturalem, legitimam, definitiuam, iuridicialem. TRES] coniecturalem, legitimam, iuridicialem. Status (ut omittat multa, quae ſunt apud Quinctilianum lib. III.) eſt, in quo maxime cauſſa conquieſcit, & id, quod eſt in cauſſa potentiſsimum, & in quo cardo negotij uertitur. unde, licet aliqua controuerſia habeat plures ſtatus, id eſt, iudicationes continentia: tamen a nullo cenſebitur controuerſia, niſi a potentiori. Antequam ad Status procedamus, neceſſario uidendum eſt, quae ſint genera Aſyſtatorum, ideſt, quae ſint ſine ſtatu. neque enim dubium eſt, complures eſſe controuerſias, quae conſiſtere non poſſunt, id eſt, ubi aduerſario non patet campus pugnandi, deficientibus armis, uel propter cauſſae obſcuritatem. Duodecim igitur genera ſunt Aſyſtatorum, Vnicum, Sine circumſtantia, Sine colore, Aequale, Conuertibile, Inexplicabile, Non ueriſimile, Impoſsibile, Turpe, Impenſum, Erraticum, Praeiudicatum.

Vnicum, eſt, quando ab altera parte cauſſae tantum conſiſtit, nec ab altera quidquam idonei inuenitur.

Sine circumſtantia, ſine periſtaſi. & haec ideo dicitur non conſiſtens controuerſia, quia actor caret comprehenſione id eſt coniecturis, quibus actionem ſuam tueatur.

Sine colore, ἄχρωμον. concernit reum accuſatum, qui nullo ſe colore poteſt contegere.

Aequale, cum ex utraque parte paribus locis nituntur accuſator, & reus.

Conuertibile, cum actio tota conuertitur: ut accuſator rei defenſione, reus actoris propoſitione utatur.

Inexplicabile, quando id, quod proponuntur, nec reſolutionem habet, nec iudicij finem.

Non ueriſimile, quando aliquid contra opinionem hominum accuſatur.

Impoſsibile, quod tentatur contra fidem naturae rerum.

Turpe, quod prima fronte reiicitur, tamquam ſpurcum, uel ipſo quoque iudicis officio, uel parte tacente.

Impenſum, cum ex altera parte tanta agendi ſilua effunditur, ut alteri parti non ſit tanta defenſio. & dicitur Impenſum, quia impenſe, & uehementer premit aduerſarium.

Erraticum, cum res, modus, tempus, locus, aliter narrantur, quam ueritas hiſtoriae, uel rei geſtae ſe habeat: quod nos dicimus Cauſſa cadere, ſi delinquitur deducendo.

Praeiudicatum, quod parum ab Impēſo differt. nam, cum communi opinione hominum circumſtantium reus pro damnato habetur, is premitur praeiudicato. quia ante contra eum iudicat opinione, & fama hominum.

Haec duodecim genera a D. Auguſtino rediguntur in quattuor.

Tunc igitur Status dicetur conſiſtere, & per locos probari, ubi perſona certa eſt, & res ex utraque parte certa: & nihil eorum occurrit, quae in Aſyſtatis diximus.

DE *inuentione*,] de conſtitutionibus inuentionis. DVPLICITER, *& bipertito*.] quia de una, id eſt legitima conſtitutione duas fecerunt. DEPRECATIO.] depulſio. Catullus ad Fundum, non deprecabatur grauedinem, & tuſsim ſuperſcriptis nefarijs. Ceterum, quod conſtitutionem dicit eſſe primam deprecationem, uidetur Quinctiliano nonnihil inepte locutus, lib. III. cap. 7. Quia non deprecatio, id eſt recuſatio facit ſtatum, ſed id, quod ex recuſatione naſcitur, ſcilicet controuerſia. Sicut uitioſe dicas, ſonum eſſe duorum corporum colliſionem. fragor enim, qui ex colliſione fit, ſonum reddit, ideſt mutat auditum. DEFENSIONIS.] contra dicentis. INSIMVLATIONE.] accuſatione. nam, ubi nulla fuerit contradictio, ibi nulla erit conſtitutio. ergo bene dixit, Coniuncta.

DE . CONIECTVRALI . CONSTITVTIONE . XVII.

CONSTITVTIONES itaque, ut diximus, tres ſunt, coniecturalis, legitima, iuridicialis. Coniecturalis eſt, cum de facto controuerſia eſt, hoc modo: Aiax in ſilua, poſtquam reſciuit quae feciſſet per inſaniam, gladio incubuit. Vlyſſes interuenit, occiſum conſpicatur, e corpore telum cruentum educit. Teucer interuenit: cum fratrem occiſum, & inimicum fratris cum gladio cruentum uidet, capitis arceſſit. Hic, quoniam coniectura uerum quaeritur, de facto erit controuerſia, & ex eo conſtitutio cauſſae coniecturalis nominatur.

EXPLANATIO

DE *facto*] ut cum factum ſtatim negatur. nam in facto ſubſtantia continetur. Et dicitur coniecturalis, ut eleganter Quinctilianus tradit lib. III. c. 7. a coniectu, ideſt quadam directione: ſcilicet, cum rationis diſcurſu conicimus ad ueritatem inueſtigandam. unde dicit idem, Coniectores dici, ſomniorum atque hominum interpretes: quia, cum factū accuſamus, quod reus negat, iam factum eſt incertum. quia omnis res negando fit incerta. Hic neceſſe eſt uti coniecturis, ſignis, argumentis, tabulis, quaeſtionibus, teſtibus, praeiudiciis, &c. ut per eas coniecturas factum probetur. Coniectura autem fit ſex modis, ut Fortunatianus docet.

docet. I. cum de facto conſtat, & non de perſona. II. cum de perſona conſtat, non de facto. III. cum de utroque non conſtat. IV. cum de ſola uoluntate fit quaeſtio. V. cum de re ipſa quaeritur. VI. cum aliqui ſe inuicé accuſant. AIAX] de Aiace Sophocles integrá comoediam ſcripſit cui titulus eſt, Αιας μαςιγοφόρος, ex qua hoc exemplum eſt deſumptú. Poſtquam Paris interfecerat Achillem ictu ſagittae, orta eſt inter proceres Graecos contentio ſuper armis Achillis. Agamemnon decreuit, ijs, qui eſſent proximi, uel iuncti ſanguine, & fortes uiri, deberi. Conflictabantur ſimul Vlyſſes, & Aiax Telamonius. Vlyſſes, tamquam uir facundus, dicendo haec arma euicit. quo nomine Aiax in inſaniam uerſus, in caſtra Vlyſsis irrupit, interficiens armentum. credebat enim Vlyſſem ſe interfeciſſe cum ſuis militibus. poſtea reuerſus ad ſanitatem, cum errorem comperiſſet, in ſiluam ſecedens ſeſe interfecit. Vlyſſes forte fortuna comperto facinore, gladium ex corpore Aiacis extraxit, & cadauer ſepelijt. porro & Teucer, frater Aiacis, cum eum in ſilua quaeſiſſet, inuenit Aiacis cadauer cum Vlyſſe. quare Teucer Vlyſſem accuſauit homicidij.

DE . LEGITIMA . CONSTITVTIONE . XIIX

LEGITIMA *conſtitutio eſt, cum in ſcripto, aut ex ſcriptis aliquid controuerſiae naſcitur. Et diuiditur in partes ſex, ſcriptum & ſententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, tranſlationem, ratiocinationem. Ex ſcripto & ſententia naſcitur controuerſia, cum uidetur ſcriptoris uoluntas cum ſcripto ipſo diſſentire, hoc modo: Si lex ſit, quae iubeat eos, qui propter tempeſtatem nauim reliquerint, omnia perdere; eorum nauim, ceteraq. eſſe, ſi nauis conſeruata ſit, qui remanſerunt in naui. magnitudine tempeſtatis omnes perterriti, nauim reliquerunt, & in ſcapham conſcenderunt, praeter unum aegrotum. is propter morbum exire, & fugere non potuit. caſu, & fortuna nauis in portum incolumis delata eſt. illam aegrotus poſſidet. nauim petit ille, cuius fuerat. Haec conſtitutio legitima eſt ex ſcripto & ſententia. Ex contrarijs legibus controuerſia conſtat, cum alia lex iubet, aut permittit, alia uetat quippiam fieri, hoc modo: Lex uetat eum, qui de pecunijs repetundis damnatus ſit, in concione orationem habere. Altera lex iubet augurem, in demortui locum qui petat, in concione nominare. Augur quidam damnatus de pecunijs repetundis, in demortui locum qui petat, nominauit: petitur ab eo multa. Conſtitutio haec eſt legitima ex contrarijs legibus. Ex ambiguo controuerſia naſcitur, cum ſcriptum duas aut plures res ſignificat, hoc modo: Paterfamilias cum filium heredem faceret, teſtamento uaſa argentea uxori legauit. Tullius heres meus Terentiae uxori meae XXX. pondo uaſorum argenteorum dato, quae uolet. Poſt mortem eius, uaſa pretioſa, & caelata magnifice, illa petit. Tullius ſe, quae uelit ipſe, XXX. pondo ei debere dicit. Conſtitutio eſt legitima ex ambiguo. Ex definitione conſtat cauſſa, cum in controuerſia eſt, quo nomine factum appelletur. ea eſt huiuſmodi: Cum L. Saturninus legem frumentariam de ſemiſſibus, & trientibus laturus eſſet, Q. Caepio, qui per id temporis quaeſtor urbanus erat, docuit ſenatum, aerarium pati non poſſe largitionem tantam. ſenatus decreuit, ſi eam legem ad populum ferat, aduerſus remp. uideri eum facere. Saturninus ferre coepit. collegae intercedere. ille nihilominus ciſtellam detulit. Caepio, ut illum contra S.C. intercedentibus collegis, aduerſus remp. uidit ferre, cum uiris bonis impetum facit, pontes diſturbat, ciſtas deijcit, impedimento eſt, quo ſecius feratur lex: accerſitur Caepio maieſtatis. Conſtitutio eſt legitima ex definitione. Vocabulum enim definitur ipſum, cum quaeritur quid ſit minuere maieſtatem. Ex tranſlatione controuerſia naſcitur, cum aut tempus differendum, aut accuſatorem mutandum, aut iudices commutandos reus dicit. Hac parte conſtitutionis Graeci in iudicijs, nos in iure ciuili plerumque utimur. In hac parte nos iuris ciuilis ſcientia iuuabit. In iudicijs tamen non nihil ea utimur, ut hoc modo: Si quis peculatus accuſatur, quod uaſa argentea publica de loco priuato dicatur ſuſtuliſſe; poſſit dicere, cum definitioue ſit uſus, quid ſit furtum, quid peculatus; ſecum furti agi, non peculatus oportere. Haec partitio legitimae conſtitutionis his de cauſſis raro uenit in iudicium, quod in priuata actione praetoriae exceptiones fiunt: & cauſſa cadit is, qui non quemadmodum oportet egerit; & in publicis quaeſtionibus cauetur legibus, ut ante, ſi reo commodum ſit, iudicium de accuſatore fiat, utrum illi liceat accuſare, nec ne. Ex ratiocinatione controuerſia conſtat, cum res ſine propria lege uenit in iudicium, quae tamen ab alijs legibus ſimilitudinem quandam aucupatur. Ea eſt huiuſmodi: Lex eſt, Si furioſus exiget, agnatorum gentiliumq. in eo, pecuniaq. eius poteſtas eſto. Et lex: Qui parentē necaſſe iudicatus erit, is obuolutus, & obligatus culeo deijciatur in profluentem. Et Lex: paterfamilias uti ſuper familia, pecunia ue ſua legauerit, ita ius eſto. Et Lex: ſi paterfamilias inteſtato moritur, familia pecuniaq. eius agnatorum gentiliumq. eſto. Malleolus iudicatus eſt matrem necaſſe, ei damnato ſtatim folliculo lupino os obuolutum eſt, & ſolae lignae pedibus inductae ſunt, & in carcerem ductus eſt. Qui defendebant eum, tabulas in carcerem afferunt, teſtamentum ipſo praeſente conſcribunt, teſtes rite affuerunt. de illo ſupplicium paullo poſt ſumitur. Ii, qui heredes erant, teſtamento hereditatem adeunt. Frater minor Malleoli, qui eum oppugnauerat in eius periculo, ſuam uocat hereditatem lege agnationis. Hic certa lex in rem nulla affertur, & tamen multae afferuntur, e quibus ratiocinatio naſcitur, quare potuerit, aut non potuerit iure teſtamentnm facere. Conſtitutio legitima eſt ex ratiocinatione. Cuiuſmodi partes eſſent legitimae Conſtitutionis, oſtendimus: nunc de iuridiciali conſtitutione dicamus.*

EXPLANATIO

LEGITIMA *conſtitutio*] hanc Hermogenes νομικὴν dicit, quod habeat σκέψιν τῶν νόμων, hoc eſt conſiderationem legum In Topicis Noui ſtatus appellantur, & legitimae diſceptationes. IN *ſcripto*,] in uerbis

ſcriptis

ſcriptis. Ex *ſcriptis*] ex mente legis, & ſententia ſcripti. Ex *ſcripto,& ſententia*] τοῦ ῥητοῦ, καὶ διανοίας, cum uerba ſcriptoris ſunt aperta, & perſpicua, ſed uoluntas eſt obſcura, propter circumſtantiam, & rationem inueſtigamus. Caſum uocant iuriſconſulti, cum unus adhaeret ſcripto, alter uoluntati ſcriptoris: cum alter ipſis uerbis, quae ſcripta ſunt, utitur; alter ad id, quod ſcriptorem ſenſiſſe dicet, animum inducit.

A ſcripto dicturi, ſecundum narrationem argumenta ſumemus

A ſcriptoris collaudatione.

A ſcripti recitatione.

A percunctatione: ſcirent ne aduerſarij id ſcriptum fuiſſe in lege, aut in teſtamento, aut in ſtipulatione, aut in quolibet ſcripto, quod ad eam rem pertineat?

A collatione, quid ſcriptum ſit, quid aduerſarij ſe feciſſe dicant, quid iudicem ſequi conueniat, utrum id quod diligenter perſcriptum ſit, an id quod acute ſit excogitatum?

A contemptione: Si ea ſententia, quae ab aduerſariis ſit excogitata, & ſcripto attributa, contemnetur, & infirmabitur.

A quaeſtione, ſi quaeretur, quid ei obfuerit, ſi id uoluiſſet ſcribere, ut non potuerit perſcribere.

A ſententia, & cauſſa: quare id ſcriptor ſenſerit, quod perſcripſerit. & demonſtrabitur ſcriptum eſſe illud breuiter, & abſolute.

Ab exemplis earum rerum, quae, cum ab aduerſariis ſententia redderetur, & uoluntas afferretur, a ſcripto potius iudicatae ſint.

A periculo: ſi oſtendetur, quam periculoſum ſit, a ſcripto recedere.

A loco communi, contra eum, qui, cum fateatur, ſe contra id, quod legibus ſancitum, aut teſtamento perſcriptum ſit, feciſſe, tamen facti quaerat defenſionem.

In defenſione ſententiae locis utemur:

A ſcriptoris commoditate, atque breuitate: quod tantum ſcripſerit, quod neceſſe fuerit: illud, quod ſine ſcripto intelligi potuerit, non neceſſario ſcribendum putarit.

A fraudulenta interpretatione: ſi dicemus, non uiri boni, ſed calumniatoris eſſe officium, uerba, & litteras ſequi, negligere ſententiam.

Contra ſcriptum: eum id oſtendemus aut non poſſe fieri, aut non lege, non more, non natura, non bono, & aequo poſſe fieri, quae omnia uoluiſſe ſcriptorem quam rectiſsime fieri nemo dubitet: at ea, quae a nobis facta ſunt, iuſtiſsime facta.

A contraria ſententia: ſi aut nullam eſſe proferemus, aut ſtultam, aut iniuſtam, aut non poſſe fieri, aut non conſtare cum ſuperioribus, & inferioribus ſententiis, aut cum iure communi, aut cum aliis legibus communibus, aut cum rebus iudicatis diſſentire.

Ab enumeratione exemplorum, a uoluntate, & contra ſcriptum iudicatorum.

Ab enumeratione legum, & ſtipulationum breuiter exemptarum, in quibus intelligatur ſcriptorum uoluntas, & expoſitio.

A loco communi, contra eum, qui ſcriptum retinet, & uoluntatem ſcriptoris non interpretetur: ut pro Caecina Cicero, cum ſententiam contra ſcriptum defendit.

Ex *contrariis legibus*] Graecis, ἀντινομία. Strictior autem eſt ea, quae iubet, quam ea, quae permittit. & lex permittens cedit iubenti.

Leges contrarias abſoluemus, ſi

Videbimus, num quae abrogatio, aut derogatio ſit: utra lex ad maiores, hoc eſt ad utiliores, ad honeſtiores, ac magis neceſſarias res pertineat. Hinc quattuor regulas ſcriptores praecipiunt. Lex inferior cedit ſuperiori. Lex ſpecialis derogat generali. Lex humana cedit diuinae. Leges ueteres corriguntur, aut abrogantur nouis.

Conſiderabimus, num leges ita diſſentiant, ut altera iubeat, altera uetet: an ita, ut altera cogat, altera permittat.

Vtemur noſtrae legis expoſitione, recitatione, collaudatione.

Exponemus contrariae legis uoluntatem, & eam trahemus ad noſtrae cauſſae commodum.

Sumemus de iuridiciali abſoluta rationem iuris, & quaeremus partem iuris, utrum cum ea faciat.

Ex *ambiguo*] ἀμφιβολία. poteſt eſſe & in accentu, Graecis, & in uerbis, Latinis. Teſtator legauit Titio Taurum. Titius uult Taurum ſeruum. heres uult bouem dare. Quintilianus lib. VII. ait: Teſtator legauit municipio ſtatuam auream haſtam tenentem. ambiguum, an ſtatua ſit aurea, an haſta.

In ambigui tractatione quaerendum, & oſtendeudum,

Sit ne ambiguum. Qua in quaeſtione, ſi fieri poterit, utraque pars oſtendet, non eſſe ambigue ſcriptum, propterea quod omnes in conſuetudine ſermonis, ſicuti ſoleant eo uerbo uno, pluribus ue in ea ſententia, in qua is, qui dicet accipiendum eſſe, demonſtrabit.

Quando ſcriptum eſſet, ſi id, quod aduerſarij interpretantur, ſcriptor fieri uoluiſſet: quoniam conſiderato tempore omnis ambiguitas facile remouetur.

Id, quod nos interpretemur, & fieri poſſe, & honeſte, recte, lege, more, natura, bono, & aequo fieri poſſe, quod aduerſarij interpretentur e contrario.

Non eſſe ambigue ſcriptum, cum intelligatur, uera ſententia uera ſit: illud ambiguum uideri debere, cuius ſententia an uera ſit, dubitetur.

Ex *definitione*] ὅρος. cum in controuerſia eſt, quo nomine factum appelletur: uel, cum aut de uocabuli interpretatione oſtenditur: aut, quid ſit res, quae in diſceptationem uenit, quaeritur.

Definitione uſuri,

Aſſeremus uocabuli breuem definitionem, & ad utilitatem cauſſae accommodatam deſcribemus.

Coniungemus factum noſtrum cum uerbi interpretatione.

Refellemus contrariae interpretationis rationem, ſi aut falſa erit, aut inutilis, aut turpis, aut iniurioſa.

Aerarium *non poſſe pati largitionem tantam*.] nam id aerario admodum ſumptuoſum erat, ut ait Plutarchus. Ex *tranſlatione*] μετάστασις, & μετάληψις. Iuriſconſulti, Exceptionem nominant,

In tranſlatione erit quaerendum,

Num aliquis eius rei actionem, petitionem, poſſeſsionem, aut exſecutionem habeat, quem non oporteat.

Num alio modo, tempore, loco.

Num alia lege.

Num alio quaerente, aut agente. Haec autem fere omnia legibus, & moribus, aequo, & bono reperiētur.

Avt *tempus differendum, aut accuſatorem mutandum, aut iudices mutandos*] praeter haec tria, in libris de Inuentione Cicero ponit legem, crimen, poenam, & locum. Revs] accuſatus, ſiue ſit in culpa, ſiue non. Hac *parte*] hac ſpecie, In *iudiciis,*] ante iudices. In *iure ciuili*] in iure praetorio. Poteſt & illud, Ciuili, gloſſema eſſe. nam lib. I. de Oratore, Qui, inquit, tantummodo in iure, aut in iudiciis poſsit, &c. Et ibidem, aliquanto poſt: Nam uolitare in foro, haerere in iure, &c. Plervmqve] frequentius. Non nihil] aliquando, ſiue aliquantum. Pecvlatvs] eſt furtum rei ſacrae: uel furtum publicum: dictum a Pecore, cum antiqui nil, praeter pecora, habebant. l. I. cum ſeq. & l. ſi quis perforauerit, ff. ad l. Iuliam peculatus. Inde Peculati & Depeculati, qui peculatus rei ſunt. De *loco priuato*] tunc temporis hoc erat dubium: nnnc conſtat, Peculatum eſſe, quocumque ex loco pecunia publica tollatur. Fvrtvm,] quod eſt ſurreptio rei alienae ab inuito domino. In *priuata actione*] in priuatis quaeſtionibus. Praetoriae *exceptiones*] nam praetor, expoſita cauſſa, actionis formulam praeſcribebat. Qvemadmodvm *oportet,*] ut ſtatutum eſt. In *publicis quaeſtionibus*] maioribus: homicidio, furto, adulterio. Cavetvr *legibus,*] cautio fit per leges. Ex *ratiocinatione*] συλλογισμός. cum id, quod ſcriptum non eſt, cum eo, quod eſt ſcriptum, componitur.

In Ratiocinatione quaeretur, & demonſtrabitur,

Ecquid in rebus maioribus, aut minoribus, aut ſimilibus, ſimiliter ſcriptum, aut iudicatum ſit.

Vtrum ea res ſimilis ſit ei rei, de qua agitur, an diſsimilis.

Vtrum conſulto de ea reſcriptum non ſit, quod uoluerit cauere, an quod ſatis cautum putarit propter ceterorum ſcriptorum ſimilitudinem.

Iccirco de hac re nihil eſſe ſcriptum, quod cum de illa re eſſet ſcriptum, de hac re is qui ſcribebat, dubitaturum neminem arbitratus ſit.

Neminem poſſe omnes res per ſcripturam amplecti: ſed eum commodiſsime ſcribere, qui curet, ut quaedam ex quibuſdam intelligantur.

Aequitas rei, ut in iuridiciali abſoluta.

Agnatorvm, *gentiliumq.*] Agnati, ex parte patris: & dicuntur uſque ad ſeptimum gradum: Gentiles uero, qui ultra illum gradum. Cvlleo,] cum gallo, uipera, & ſimia. ex lege Pompeiana. Culleus autem eſt ſaccus coreaceus, lupinus, non bouis, non equi: ut ex hoc ſeueritas legis appareat: quae lupi corio, beſtiarum omnium rapaciſsimi, ad hoc uteretur. Cicero in oratione pro Roſcio Amerino: Cũ maiores noſtri intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod nõ uiolaret aliquando audacia, ſupplicium in parricidas excogitauerunt: ut, quos natura retinere in officio non potuiſſet, magnitudine poenae a maleficio ſummo arcerētur. inſui uoluerunt in culleum uiuos, atque ita in flumen deiici. Follicvlo] ſacco. Os *obuolutum*] facies circumdata. Soleae *ligneae*] nos dicimus, *Ceppi*. Rite] ſeruato ritu. Adevnt.] petunt. Frater] differt a Germano. nam Frater, iiſdem parentibus ortus; Germanus, ex eadem genitrice, diuerſo patre. Vocat] *dicit*. Certa *lex in rem nulla*] propria. quia neque accuſatori, neque reo leges illae profuerunt, niſi ratiocinatione facta a ſimili. Sic Cicero de Inu. lib. II. Hic certa lex, quae teſtamenti faciendi iis, qui iu eo loco ſint, adimat poteſtatem, nulla profertur.

DE. IVRIDICIALI. CONSTITVTIONE. XIX

Ivridicialis *conſtitutio eſt, cum factum conuenit, ſed, iure an iniuria factum ſit, quaeritur. Eius conſtitutionis partes ſunt duae, quarum una abſoluta, altera aſſumptiua nominatur. Abſoluta eſt, cum id ipſum, quod factum eſt, ut aliud nihil foris aſſumatur, recte factum eſſe dicemus. Ea eſt hniuſmodi: Mimus quidam nominatim Attium poetam compellauit iu ſcena: cum eo Attius iniuriarum agit. hic nihil aliud dcendit, niſi iicere nominari eum, cuius nomine ſcripta dentur agenda. Aſſumptiua pars eſt, cum per ſe defenſio infirma eſt, ſed, aſſumpta extranea re, comprobatur. Aſſumptiuae partes ſunt quattuor, conceſſio, remotio criminis, translatio criminis, comparatio. Conceſſio eſt, cum reus poſtulat ſibi ignoſci. Ea diuiditur in purgationem, & deprecationem. Purgatio eſt, cum conſulto ſe negat reus feciſſe. Ea diuiditur in fortunam, imprudentiam, neceſſitatem: Fortunam, ut Caepio ad tribunos pl. de amiſſione exercitus. Imprudentiam, ut ille, qui de*

eo ſeruo, qui dominum occiderat, ſupplicium ſumpſit, cui frater eſſet, ante quam tabulas teſtamenti aperuerit, cumis ſeruus manumiſſus teſtamento eſſet: Neceſſitudinem, ut ille, qui ad diem commeatus non uenit, quod eum āquae intercluſiſſent. Deprecatio eſt, cum & peccaſſe, & conſulto feciſſe confitetur, & tamen poſtulat, ut ſui miſereantur. Hoc, in iudicio non fere poteſt uſu uenire, niſi quando pro eo dicimus, cuius multa recte facta conſtant. hoc modo in loco communi per amplificationem iniiciemus: Quod ſi hoc feciſſet, tamen ei pro priſtinis beneficiis ignoſci conueniret: uerum nihil poſtulat ignoſci. Ergo in iudicium non uenit: at in ſenatum, aut ante imperatorem, & in conſilium talis cauſſa poteſt uenire. Ex translatione criminis cauſſa conſtat, cum feciſſe nos non negamus, ſed aliorum peccatis coactos feciſſe dicimus: ut Oreſtes, cum ſe defendit, in matrem confert crimen. Ex remotione criminis cauſſa conſtat, cum a nobis non crimen, ſed culpam ipſam amouemus, & uel in hominem transferimus, uel in rem quampiam conferimus. In hominem transfertur, ut ſi accuſetur is, qui P. Sulpicium ſe fateatur occidiſſe, & id iuſſu conſulum defendat, & eos dicat non modo impetraſſe, ſed rationem quoque oſtendiſſe, quare id facere liceret. In rem confertur, ut, ſi quis, ex teſtamento quod facere iuſſus ſit, ex plebiſcito uetetur. Ex comparatione criminis cauſſa conſtat, cum dicimus neceſſe fuiſſe alterutrum facere, & id, quod fecerimus, ſatius fuiſſe facere. Ea cauſſa huiuſmodi eſt: C. Pompilius, cum a Gallis obſideretur, neque effugere ullo modo poſſet, uenit cum hoſtium ducibus in collocutionem: ita diſceſſit, ut impedimenta relinqueret, exercitum deduceret: ſatius eſſe duxit amittere impedimenta, quam exercitum: exercitum eduxit, impedimenta reliquit: accerſitur maieſtatis. Quae conſtitutiones, & quae conſtitutionum partes ſint, ſatis uideor oſtendiſſe. nunc, quo modo eas, & qua uia tractari conueniat, demonſtrandum eſt, ſi prius aperuerimus, quid oporteat ab ambobus in cauſſa deſtinari, quo ratio omnis totius orationis conferatur.

EXPLANATIO

IVRIDICIALIS *conſtitutio*] δικαιολογική. Quinctilianns Qualitatis ſtatum uocat. quia totus ſermo conſtitutionis eſt de iure, de aequo, de bono: non, an facta ſit res aliqua, nō quid ſit factum; (nam de facto conſtat) ſed, an factum bonum ſit, an aequum, an contra; an iure, an iniuria. & in qua aequi, & iniqui natura, & praemij, aut poenae ratio quaeritur. QVAERITVR.] eſt in quaeſtione. ABSOLVTA,] ἀντιληπτική. per ſe. ἀντίληψις, ſimplex facti defenſio, recte, aut iure factum eſſe: quae aduerſarij criminationi opponitur.

Abſolutae partes ſunt:

Naturae ius, quod cognationis, aut pietatis cauſſa obſeruatur, quo iure parentes a liberis, & a parentibus liberi coluntur. Sed naturae quidem iura minus ipſa quaeruntur ad hanc controuerſiam: quod neque in hoc ciuili iure uerſantur, & a uulgari intelligentia remotiora ſunt. ad ſimilitudinem uero aliquam, aut ad rem amplificandam ſaepe ſunt haec inferenda.

Legis ius, quod populi iuſſu ſancitum eſt. ut, in ius cum uoceris, pareas magiſtratui.

Conſuetudinis ius, quod ſine lege, aeque ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt: ut, Id, quod argentario obtuleris expenſum, a ſocio eius recte repetas.

Iudicatum, de quo aut ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum. ea ſaepe diuerſa ſunt, ut aliud alij iudici, aut praetori, aut conſuli, aut tribuno pl. placitum ſit: & fit, ut de eadem re ſaepe alius aliud decreuerit, aut iudicauerit.

Ex aequo, & bono ius conſtat, quod ad ueritatem, & utilitatem communem uidetur pertinere: ut, maior ſexaginta annis, & cui morbus cauſſa eſt, cognitorem det.

Ex pacto ius, ſi quid inter duos, uel plures conuenit: quod iam ita iuſtum putatur, ut iuri praeſtare dicatur.

ASSVMPTIVA] ἀντιθετική, ἢ προσληπτική. extrinſecus. cum per ſe defenſio eſt infirma.

In hac Cicero uerſatur, cum, Clodium ex uſu totius reip. & interfectoris gloria oppreſſum, multis argumentis probat.

AGENDA] pronuncianda. CONCESSIO] ὁμολογία, & συγγνώμη, uenialis. cum nobis ignoſci poſtulamus: uel, cum non factum ipſum improbatur ab reo, ſed, ut ignoſcatur, petit. IGNOSCI.] ut Cicero ad Caeſarem, pro Ligario: Errauit: temere fecit: paenitet: ad clementiam confugio. delicti ueniam peto. PVRGATIO] cum non factum, ſed uoluntas defenditur. Graecis, μετάστασις, remotio. CONSVLTO] cum deliberatione. FORTVNAM,] caſum, ut ait Cicero de Inuentione. cum dicimus, aliquam fortunae uim uoluntati obſtitiſſe.

Locis his utemur, cum cauſſa facti in fortunam conferetur.

Num per culpam in fortunam reus inciderit: num culpam fortuna praeceſſerit.

Vtrum is, qui in fortunam cauſſam conferet, expertus autem fuerit, ne in caſum concideret.

Quae ſuſpiciones ex coniecturali cauſſa trahi poſſunt, quae declarent id, quod per fortunam accidiſſe reus dicet, conſulto factum eſſe.

CAEPIO] qui Martem dicebat communem, & Fortunam accuſabat, quod ſubito aquis exercitum ſuum cluſiſſet. DE *amiſſione exercitus*.] bello Cimbrico, irruentibus Cimbris. Eutropius. IMPRVDENTIAM,] cum is, qui arguitur, negatur aliquid ſciſſe.

In imprudentia quaeremus,

Vtrum potuerit ſcire, an non potuerit, id quod per ignorantiam ſe feciſſe confitebitur.

Num data ſit opera, ut ſciretur, an non.

Vtrum caſu neſcierit, an culpa. nam, qui ſe propter uinum, aut amorem, aut iracundiam fugiſſe ratio-

nem dicet, is animi uitio uidebitur neſciſſe, non ignorantia.

Per conſtitutionem coniecturalem: utrum ſcierit, aut ignorauerit; ſatls ne imprudentia praeſidij debeat eſſe, cum factum eſſe conſtet.

NECESSITVDINEM,] uim, ſiue uelimus, ſiue nolimus, nos cogentem: cum reus defenditur feciſſe id, quod fecerit, ui quadam. Habent magnam uim Fortuna, & Neceſsitas. inde Prouerbium: Βιαιόν τι ἡ τύχη, καὶ ἀνάγκη. Differt autem Fortuna a Neceſsitate. quod Fortuna eſt impedimento, ne fiat, quod fieri oportuit; Neceſsitas autem cogit.

In Neceſsitate conſiderandum erit,

Vtrum per culpam uentum ſit in neceſsitudinem.

Num culpam ueniendi neceſsitudo fecerit.

Quo modo uis illa uitari potuerit, aut leuari.

An is, qui in neceſsitudinem cauſſam confert, expertus ſit, quid contra facere, aut excogitare poſſet.

Num quae ſuſpiciones ex coniecturali conſtitutione trahi poſsint, quae ſignificent id, quod neceſſario accidiſſe dicitur, factum conſulto eſſe.

Si maxime neceſsitudo quaepiam fuerit, conueniat ne eam ſatis idoneam cauſſam putari, quae id facere compulerit.

Loci autem communes in his tribus Conceſsionis partibus ſunt,

Accuſatoris, cum dicet contra eum, qui, cum ſe peccaſſe confiteatur, & tamen diutius oratione iudices demoretur, quo minus iudicij ſententiam ferant.

Defenſoris, cum dicet, humanitatem, miſericordiam, uoluntatem in omnibus rebus ſpectari conuenit; &, quae conſulto facta non ſint, ea fraudi eſſe non oportere.

DEPRECATIO] συγγνώμη, cum non defenſionem facti dicimus, ſed ueniam petimus. Subſidium hoc eſt fragile, & miſerum. Neque meretur dici Status, uel pars alicuius conſtitutionis: nam deſinit controuerſia.

In Deprecatione ignoſcendi ratio quaeritur ex his locis.

A comparatione: ſi plura, aut maiora officia, quam maleficia, uidebuntur conſtare. hoc modo: Vir fortis, & animoſus eſt, qui pro populi R. honore ex auctoritate ſenatus grauiſsima bella geſsit.

Ab attributis perſonae: ſi qua uirtus, aut nobilitas erit in eo, qui ſupplicabit.

A cauſſa rationatiua: ſi qua ſpes erit, uſui futurum, ſi ſine ſupplicio liſceſſerit: Si nihil ab eo periculi nobis futurum uidebitur, ubi eum miſſum fecerimus.

Ab honeſto; ſi ipſe ille ſupplex, manſuetus, & miſericors in poteſtatibus oſtendetur fuiſſe.

Ab excuſatione; ſi ea, quae peccauit, non odio, non crudelitate, ſed officio, & recti ſtudio cōmotus fecit.

A ſimili: ſi tali de cauſſa aliis quoque ignotum eſſe dicemus, ut M. Marcello, & aliis.

A laudabili: ſi nulla, aut noſtris ciuibus, aut ab aliqua ciuitate, uituperatio ex ea reſuſcipietur: ut Cicero pro Ligario facit; oſtendens, Caeſari laudi futurum, ſi eum ſine ſupplicio cum bona gratia dimittat.

Loci communes huius cauſſae.

Defenſoris, de humanitate, fortuna, miſericordia, rerum commutatione: in quibus uerſatur Cicero, cum pro Ligario, & Deiotaro dicir.

Accuſatoris, cum his locis omnibus, cum propriis, tum communibus ex contrario, cum amplificatione, & enumeratione peccatorum utetur.

VSV VENIRE,] frequenter uenire. nam iudices, iurati, & adſtricti religione, gratiam delicti facere non poſſunt. CVIVS *multa recte facta*] ut pro Milone. IN *loco communi*] in ſententia generali. PER *amplificationem*] amplificando recte facta. Vel, *Per amplificationem*, per conqueſtionem: cum commouemus auditores ad miſericordiam. EX *translatione criminis*] Hermogenes, ἀντέγκλημα, accuſatio aduerſarij: alij, relatio criminis; ideſt, retorſio. cum reus, id, quod arguitur confeſſus, alterius ſe inductum peccato, iure feciſſe demonſtrat. Sic Caeſar apud Lucanum:

Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hoſtem.

Tranſlationem uocat, quoniam cauſſa facti in perſonam aliam transfertur. Eſt autem uel extra qualitatem, ut in coniectura: ut in Apologia Socratis apud Platonem, cum accuſatus eſſet, quod iuuentutem corrupiſſet; defenditur Socrates, quod non corruperit, ſed potius iis praecepta ethica, quibus uita inſtituitur, tradiderit. deinde retorquetur crimen in ſophiſtas, quod illi iuuentutem corruperint; quoniam ἀκολασίαν tradiderint illis, & tyrannidem occupare docuerint. Vel eſt in qualitate, cum in aduerſarium cauſſam transferimus. idq. uel in perſonam uiuam, ut in oratione pro Quinctio, & Milone; uel in mortuam, ut Oreſtes caedem matris in ipſam transfert. Differt Tranſlatio a Remotione. quod in Tranſlatione in alium culpam conferimus, in Remotione a nobis culpam remouemus, nec alium criminari conamur.

In Tranſlatione tam ab actore, quam a reo diligenter quaerendum eſt:

Iure ne in alium crimen transferatur: ut in cauſſa Oreſtis, primum quaerendum eſt, an Clytemneſtra Agamemnonem per inſidias occiderit. niſi enim factum eſſe conſtet, nihil Oreſti tranſlatio criminis proderit.

An aeque magnum ſit illud peccatū, quod in alium transferatur, atque illud, quod reus ſuſcepiſſe fateatur: ut, num aequale crimen ſit Clytemneſtrae, quod ei patrem necauerit, Oreſtis crimini, qui eam occidit.

Oportuerit ne in ea re peccare, in qua alius ante peccarit. Turpe autem, & indignum putant magni rhetores,

res,eos conſectari imitando,quos apud iudices improbamus. Si nulla ualebat apud te excuſatio unius peccati Clytemneſtrae,cur ipſe ſimile committebas?

Oportuerit ne iudicium ante fieri,priuſquam patris ulciſcendi cauſſa ſupplicium de matre ſumpſiſſet.

Cum factum iudicium non ſit de illo crimine, quod in alium transferatur, oporteat ne de ea re iudicium fieri,quae res in iudicium non uenerit.

Loci communes in Tranſlatione.

Accuſatoris, cum dicet contra eum, qui plus cenſeat uim, (quam Clytemneſtrae Oreſtes intulit) quam iudicia ualere oportere; & ab aduerſariis percunctabitur, quid ſit futurum, ſi ceteri quoque de indemnatis ſupplicia ſumant,quod eos idem feciſſe dicat,quos accuſat,& dicet: Quid, ſi accuſator idem facere uoluiſſet? Quid,ſi eadem ratione Menelaus Oreſtem indemnatum necaſſet?

Defenſoris, ſi proferet eorum peccati atrocitatem, (ut Oreſtes Clytemneſtrae) in quos crimen transfertur, rem,locum,tempus ante oculos ponet,ut ij,qui audient,exiſtiment aut non potuiſſe, aut non fuiſſe utile rem in iudicium uenire.

Constat,] fit. Ex *remotione criminis*] μετάθεσις. cum eius intentio facti,quod ab aduerſario infertur, in alium,aut in aliud dimouetur. Id fit bipartitito. nam uel in hominem, uel in rem, ob cauſſam facti, ſiue culpam remouemus.

Si cauſſa conferetur in hominem,quaeretur,

Potuerit ne tantum,quantum reus demonſtrabit, is,in quem cauſſa confertur.

Quonam modo aut honeſte, aut ſine periculo potuerit obſiſtere.

Si maxime ita ſit,num ea re concedi reo conueniat,quod alieno inductu fecerit.

Ex coniecturali controuerſia,num conſulto factum ſit,nec ne.

Si confertur in rem,& haec eadem fere,& omnia,quae de Neceſsitudine dicta ſunt, erunt conſideranda.

Non *crimen,*] facinus. quoniam fatemur nos feciſſe. Sed *culpam ipſam*] facinoris cauſſam: rationem, quare fecimus. P. Svlpicivm] remp. occupare uolentem. Ex *plebiſcito*] decreto plebis, quod uetat publicum bonum fieri priuatum: quare non eſſe templum a priuato homine in foro, quod publicum eſt, conſtitui. Ex *comparatione criminis*] ἀντίστασις. rei cum re alia quaſi compenſatio. cum aliquod factum, quod per ſe ipſum non ſit probandum,ex eo,cuius id cauſſa factum eſt,defenditur. cum dicimus neceſſe fuiſſe alterutrum facere,& id,quod fecerimus,ſatius fuiſſe facere. Sic Epaminōdas Thebanus, cum magiſtratum imperatorium ſibi contra leges prorogaſſet,interea temporis uicit hoſtes,& parauit Thebanis regnum. Inuentus tamen fuit oſor, qui eum accuſaret,quaſi contra leges magiſtratum tenuiſſet. Hic ſe defendit comparatione: nempe melius fuiſſe, agere contra leges,& parare uictoriam,quam oboediendo legi ſeruire. Sic Scipio Naſica ſeſe defendit, cum contra leges Gracchum interfecerat. Additur autem Comparatio in Conceſsione; quoniam ipſa per ſe infirma eſt,ideoq. adiuuanda comparatione,quae neceſsitatem oſtendit.

Si ex comparatione cauſſa conſtat,quaeri conuenit,

Vtrum fuerit utilius ex contentione, hoc eſt, utrum facilius, uenuſtius, conducibilius. Potuiſſet dicere Pompeius: Quaero a uobis, iudices, utrum ſatius fuerit, arma dumtaxat, an magna cum clade exercitum amiſiſſe.

Ipſum ne oportuerit iniuſſu Senatus,populiq. R. iudicare,utrum fuerit utilius,an aliorum fuerit utilius ſtatuendi poteſtas.

Ex conſtitutione coniecturali,cum,ſuſpicione interpoſita,quare putari debeat non ea ratione factum eſſe,quo melius deteriori auteponeretur: ſed dolo malo negotium geſtum.

Potuerit ne uitari,ne in eum locum ueniretur,ne ab hoſtibus exercitus obſideretur.

Hic autem a defenſore ex contrario refelletur argumentatio coniecturalis aliqua probabili cauſſa, quod temere de illo ſuſpicentur homines.

Loci communes in Comparatione,

Accuſatoris,in eum,qui inutile utili praepoſuerit,cum nec ſtatuendi, nec paciſcendi cum hoſtibus habuerit poteſtatem.

Defenſoris,per conqueſtionem, contra eos, qui aequum cenſeant, rem pernicioſam utili praeponi: & ſimul quaeret ab accuſatoribus,& ab iudicibus ipſis,quid facturi eſſent,ſi in eo loco fuiſſent,& tempus,locum, rem,deliberationem ſuam ponet ante oculos.

Necesse *fuiſſe*] nos coactos fuiſſe. Ita *diſceſſit,*] e condicione,& pacto. Impedimenta] ſarcinas, & reliqua huiuſmodi. Qvae *conſtitutiones,*] Nullam fecit mentionem de controuerſia, quae eſt de ratione praemij, aut poenae. Cicero tamen de Inuentione poſuit eam ſub iudiciali, uel diuiſit. Iudicialis alia eſt de natura aequi,& iniqui; alia,praemij, & poenae. Iudicialis aequi, & iniqui diſtributa eſt in ſpecies ſuas. quare merito ſit quaeſtio, ſub qua earum ſpecierum comprehendi debeat. Controuerſia de ratione praemij eſt, in qua quaeritur,cui praemium facti detur. Controuerſia de ratione poenae eſt,in qua quaeritur,cui facto,quae ue poena debeatur. Conſiderans igitur, quod relatio poenae nihil aliud eſt, quam relatio criminis,ideſt redditio poenae, intendit hic eam ponere ſub relatione, quae ſpecies eſt aſſumptiuae. Sicut autem eſt redditio criminis,ideſt pro crimine poenae addito, ita eſt relatio praemij,ideſt redditio praemij pro facto aliquo honeſto ſub relatione. Qvae *conſtitutionum partes*] quo modo hae conſtitutiones diuiduntur

duntur in partes. QVA *uia*] quibus praeceptis. SI] poſtquam. APERVERIMVS,] docebimus. AB *ambobus*] ab intendente, & repellente: ab oratore accuſatoris, & rei, ac ab ipſo iudice. IN *cauſſa*] in controuerſia. DESTINARI,] apud animum proponi. QVO] ad quem finem. OMNIS *ratio*] omnia argumenta. TOTIVS *orationis*] quae ſunt per totam orationem, tam intendentis, quam depellentis. CONFERATVR.] adducantur.

QVID. OPORTEAT. IN. CAVSSA. DESTINARI. ET. DE. RATIONE. XX

CONSTITVTIONE igitur reperta, ſtatim quaerenda eſt ratio. Ratio eſt igitur, quae cauſſam facit, & continet defenſionem, hoc modo: (ut docendi cauſſa in hac potiſſimum cauſſa conſiſtamus) Oreſtes cum fatetur ſe occidiſſe matrem, niſi attulerit facti rationem, peruertit defenſionem: ergo affert eam, quae niſi intercederet, ne cauſſa quidem eſſet. Illa enim, inquit, patrem meum occiderat. Ergo, ut oſtendi, ratio ea eſt, quae continet defenſionem, ſine qua ne parua quidem dubitatio poteſt remorari damnationem.

EXPLANATIO

CONSTITVTIONE *reperta*,] tria neceſſaria dicit ad iudicationem inueniendam, Statum, Rationem, atque Firmamentum. Conferendus hic locus cum loco libri I. de Inuentione, ubi plura ſunt, & aliter tractata. Status, ex intentione accuſatoris, ac depulſione rei naſcitur. *Reperta*: cognita, ſcilicet dictione, & contradictione. nam, niſi noſtra confirmauerimus ratione, indicatio non poteſt in pluribus caſibus inueniri. RATIO] facti defenſio: αἴτιον; ſi uidelicet de facto conſtet; nec tamen ulla facti afferatur ratio. CAVSSAM] controuerſiam, quaeſtionem. CONTINET *defenſionem*,] depellendi criminis cauſſa. FACTI *rationem*,] defenſionem. PERVERTIT] deſtruit.

DE. FIRMAMENTO. XXI

INVENTA ratione, firmamentum quaerendum eſt, id eſt quod continet accuſationem, quod affertur contra rationem defenſionis, de qua ante dictum eſt. Id conſtituetur hoc modo: Cum uſus fuerit Oreſtes ratione hoc pacto, Iure occidi, illa enim patrem meum occiderat: utetur accuſator firmamento, hoc modo, Sed non abs te tamen occidi, neque indemnatam poenas pendere oportuit.

EXPLANATIO

INVENTA *ratione*,] facti defenſione. Docet, quid faciendum ſit ab accuſatore: & ſtatuit de accuſatione, & de eius firmamento. FIRMAMENTVM] συνέχον, καὶ αἰτία. alij, Continens. quo ratio labefactatur. Confirmatio rationis ex parte accuſatoris. QVOD *accuſationem continet*,] firmat, corroborat. CONTRA *rationem*] id eſt, defenſionem rei. nam accuſator utitur eo firmamento ad infirmandam defenſoris rationem. ID *conſtituetur*] id firmamentum ordinabitur. RATIONE] defenſione. POENAS *pendere*] abs te, ſed a iudicibus ad ſupplicium damnari.

DE. IVDICATIONE. XXII

EX ratione defenſionis, & ex firmamento accuſationis iudicij quaeſtio naſcatur oportet, quam nos iudicationem, Graeci κρινόμενον appellant. Ea conſtituitur ex coniunctione firmamenti, & rationis defenſione, hoc modo, Cum dicat Oreſtes, ſe patris ulciſcendi cauſſa matrem occidiſſe, rectum ne fuerit, a filio ſine iudicio Clytemneſtram occìdi. Ergo hac ratione indicationem inueniri conuenit. Inuenta iudicatione, omnem rationem totius orationis eo conferri oportebit. In omnibus conſtitutionibus, & partibus conſtitutionum hac uia iudicationes reperientur, praeterquam in coniecturali conſtitutione. in ea enim nec ratio quaeritur, quare fecerit; feciſſe enim negatur: nec firmamentum exquiritur, quoniam non ſubeſt ratio. quare ex intentione, & infitiatione iudicatio conſtituitur, hoc modo. Intentio, Occidiſti Aiacem. Infitiatio, Non occidi. Iudicatio, Occiderit ne. Ratio omnis utriuſque orationis, ut ante dictum eſt, ad hanc iudicationem conferenda eſt. Si plures erunt conſtitutiones, aut partes conſtitutionum, iudicationes quoque plures erunt in una cauſſa, ſed omnes ſimili ratione reperientur.

EXPLANATIO

IN *omnibus conſtitutionibus*,] Concluſio, omnium conſtitutionum iudicationem eadem inueniri poſſe ratione, praeterquam in coniectura. quoniam enim in ea factum negatur, ideo nec ratio, quare fecerit; nec firmamentum, quia nulla ſubeſt ratio, exquiritur. INTENTIONE,] Graeci, κατάφασιν. ubi factum, quod in iudicium uenit, obiicitur. INFITIATIONE] Graeci, ἀπόφασιν. ubi factum negatur, &, qua quid intenditur,

ditur,negando impugnatur. RATIO *omnis*] omnia argumenta. ORATIONIS] defenſionis. SI *plures erunt &c.*] omnis cauſſa uel habet unum tantum ſtatum, ut in Roſciana, an Sex. Roſcius patrem occiderit; uel plures,ut in Miloniana. nam primum quaeſtio eſt,an Clodius iure ſit occiſus: qui qualitatis,& praecipuus illius cauſſae ſtatus eſt. deinde ſtatus coniecturalis ad qualitatem probandam aſſumitur: quia ſcilicet inſidiator fuerit.

CONCLVSIO. XXIII

SEDVLO dedimus operam, ut breuiter, & dilucide, quibus de rebus adhuc dicendum fuit, diceremus. nunc, quoniam ſatis huius uoluminis magnitudo creuit, commodius eſt in altero libro de ceteris rebus deinceps exponere; ne qua propter multitudinem litterarum poſſit animum tuum defatigatio retardare. ſed, ſi quidem haec tardius, quam ſtudes, abſoluentur, cum rerum magnitudini, tum noſtris quoque occupationibus aſſignare debebis. uerumtamen maturabimus, &, quod negotio deminutum fuerit, exaequabimus induſtria; ut pro tuo in nos officio, & noſtro in te ſtudio munus hoc accumulatiſſime tuae largiamur uoluntati.

EXPLANATIO

BREVITER,] ea dicendo ſolum,quae neceſſaria erant. DILVCIDE,] aperte. nam ex breuitate interdum naſcitur obſcuritas. *Breuiter, & dilucide*: quae duae uirtutes in tradendis artibus cum laudabiles,tum neceſſariae ſunt. quoniam & intelligentiam, & memoriam adiuuant, & obſcuritatem tollunt. inde Horatius:

Quidquid praecipies, eſto breuis: ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq. fideles.

LITTERARVM] ſcripturae. DEFATIGATIO *retardare*.] tranſlatum a peregrinantibus. quibus iter minus moleſtum uidetur,ſi,confecto aliquo itineris ſpatio,inuenerint terminos. Sic hoc opus diuiſit. ne ſcripta moleſta uiderentur. QVAM *ſtudes*,] quam cupis. RERVM *magnitudini*,] difficile enim,& arduum eſt, de ratione dicendi huiuſmodi res excogitare. OCCVPATIONIBVS] negotiis,quibus impediti ſumus. ASSIGNARE] adſcribere. MATVRABIMVS,] feſtinabimus,cum diligentia; ut nihil, quod ad rem pertineat, praetermittamus. Virgilius: Maturate fugam. QVOD *negotio deminutum fuerit,exaequabimus induſtria*,] quo magis remorabimur,& plus temporis conſumpſerimus,opus magis abſolutum faciemus, & perfectius. PRO *tuo in nos officio*,] pro tuis in me meritis. NOSTRO *in te ſtudio*] amore optimo. MVNVS *hoc*] opus,quod in tuo nomine conſcripſimus. ACCVMVLATISSIME] nihil imperfectum relinquendo.

STATVS quattuor,ſunt,qui faciant. Ego tres puto,
Coniecturalem, ſit, nec ne;
Legitimum, ſiue definitiuum; quid ſit;
Iuridicialem,qui a Quinctiliano Status Qualitatis dicitur; quale ſit.
Horum partes quae ſint,& quo modo eas tractari conueniat,docet libro II.

RHETORICORVM AD · C · HERENNIVM LIBER · II

AVCTOR

IN PRIMO *libro, Herenni, breuiter expoſuimus, quas cauſſas recipere oratorem oporteret, & in quibus officiis artis elaborare conueniret, & ea officia qua ratione facillime conſequi poſſet. uerum, quod neque de omnibus rebus ſimul dici poterat, & de maximis primum ſcribendum fuit, quo cetera tibi faciliora cognitu uiderentur; ita nobis placitum eſt, ut ea, quae difficillima eßent, potiſſimum ſcriberemus. Cauſſarum tria genera ſunt, demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale. multo difficillimum eſt iudiciale: ergo id primum abſoluemus. hoc & priore libro egimus, cum de oratoris officiis tractabamus, quorum inuentio & prima, & difficillima eſt. ea quoque nobis erit hoc in libro propemodum abſoluta: & paruam partem eius in tertium uolumen transferemus. De ſex partibus orationis primum ſcribere incepimus. In primo libro locuti ſumus de exordio, narratione, diuiſione, nec pluribus uerbis, quam neceſſe fuit, nec minus dilucide, quam te uelle exiſtimabamus. Deinde coniuncte de confirmatione, & confutatione dicendum fuit. quare genera conſtitutionum, & eorum partes aperuimus: ex quo ſimul oſtendebatur, quo modo conſtitutionem, & partes conſtitutionis, cauſſa poſita, reperiri oporteret. Deinde docuimus iudicationem quemadmodum quaeri conueniret: qua inuenta, curandum, ut omnis ratio totius orationis ad eam conferatur. Poſtea admonuimus eſſe cauſſas complures, in quibus plures conſtitutiones, aut partes conſtitutionum accommodarentur. Reliquum uidebatur eſſe, ut oſtenderemus, quae ratio poſſet inuentiones ad unamquamque conſtitutionem, aut partem conſtitutionis accommodare; & item quales argumentationes, quas Graeci ἐπιχειρήματα appellant, ſequi, & quales uitari oporteret: quorum utrumque pertinet ad confirmationem & confutationem. Deinde ad extremum docebimus, cuiuſmodi concluſionibus orationum uti oporteat. qui locus erat extremus de ſex partibus orationis. Primum ergo quaeremus, quemadmodum quamque caußam tractari conueniat: & nimirum coniecturalem, quae prima, & difficillima eſt, potiſſimum conſideremus.*

EXPLANATIO

QVAS *cauſſas*] ciuiles. quae genera cauſſarum. QVIBVS *officiis*] quibus partibus officij: inuentione, diſpoſitione, elocutione, pronunciatione, & memoria. QVA *ratione*] quibus praeceptis: arte, imitatione, exercitatione. DIFFICILLIMA *eßent*,] nam difficile eſt negare, quod factum uidetur. ABSOLVTA,] perfecta. CONIVNCTE] continue. APERVIMVS:] per definitionem, & per diuiſionem. POSTEA *admonuimus*] in fine libri primi, his uerbis: Si plures erunt conſtitutiones, aut conſtitutionum partes, iudicationes quoque plures erunt, &c. RATIO] praeceptio. INVENTIONES] argumenta. ARGVMENTATIONES] argumentorum formas.

DE . LOCIS . STATVS . CONIECTVRALIS . I

IN *cauſſa coniecturali, narratio accuſatoris ſuſpiciones interiectas, & diſperſas habere debet, ut nihil actum, nihil dictum, nuſquam uentum, aut abitum, nihil denique factum ſine cauſſa putetur. Defenſoris narratio ſimplicem & dilucidam expoſitionem debet habere cum attenuatione ſuſpicionis. Huius conſtitutionis ratio in ſex partes eſt diſtributa, probabile, collationem, ſignum, argumentum, conſecutionem, approbationem. Horum unumquodque quid ualeat, aperiemus.*

EXPLANATIO

IN *cauſſa coniecturali, &c.*] Hactenus docuit, cognoſcere conſtitutiones per definitionem, diuiſionem, &
exempla. Nunc oſtendit arguere in quauis conſtitutione ſine forma; & mox cum forma; poſtremo ui-
tare uitia argumentationis conſtitutionũ. & primo in coniecturali conſtitutione. quippe in qua laborioſum
eſt probare. nam in ea negatur factum. quare, quemadmodum, agens de cauſſarum generibus praemittit iu-
diciale, quaſi difficilius; item, de partibus officij cum tractat, prius agit de inuentione, quae ceteris difficilior
eſt cognitu. ita nunc, tractaturus de conſtitutionibus, coniecturalem nimirum proponit. illa enim plurimum
iuuat. Locos autem, qui ei conueniant, enumerat. Et Locus eſt, ſedes uel propoſitionis uel argumẽti. quo
uerbo per metaphoram utimur. ut ait Cicero in Topicis. nam, ſicut res abdita, oſtenſo loco, inuenitur: ita,
quae propoſitiones, rhetoricaq. argumenta in propoſitionibus latent, per locos cognoſcuntur. Trahuntur
loci ab attributis rebus, negotiis, perſonis: & ſic qualitas, habitudo, uis, condicio, quae in rebus, perſonis, nego-
tiis ineſt, per locos eruitur. Suntq. duplices, Communes, & Proprij.

Communes trifariam diuiduntur.

Aliqui ſunt principales, uel κεφαλικοὶ. nam κεφάλαια apud Graecos Capitalia dicuntur. & hi ſunt propoſi-
tionum ſedes, quia ex illis locis conueniens ad cauſſam propoſitam trahitur propoſitio. & in his, tamquam ni
ſedibus, quieſcunt propoſitiones controuerſae. dicunturq. Communes, quod conueniant & accuſatori, & de-
fenſori, cuiuſque perſonae ratione habita.

Alij ſunt loci Secundarij, quos alij Approbatiuos dicunt: & illi dicuntur argumentorum ſedes, quos nomi
nat Topicos: quia ex illis propoſitionibus, quas in controuerſia inuenimus, trahuntur argumenta. quos locos
tractant Dialectici. & illi etiam dicuntur Communes, quod nemo ignorat: quia ſunt thetici, ideſt generales,
ad nullum negotium adſtricti.

Tertio dicimus locos Communes, uſurpatione quadam, ut cum per communia amplificamus. Accuſa-
tor crimina attollit, accendit animum iudicis: defenſor crimen attenuat, mouet affectus, miſerationem. & hos
locos communes habet genus demonſtratiuum.

Alij ſunt loci proprij, qui ex ipſis in indiuiduo negotiis eruuntur. quo nomine accuſator ſuos proprios lo-
cos habet, non conuenientes defenſori: & ita defenſor proprios.

Hermogenes omnem cõiecturam in ſimplicem, & coniunctam diuidit. & utramque rurſus in perfectam,
atque imperfectam.

Perfecta eſt, & duplex, cum perſona, & res argumenta ſuppeditant, ut in cauſſa Sex. Roſcij, quae ἀντικατη-
γορίαν habet. & huius coniecturae Hermogenes decem locos enumerat.

Imperfecta eſt cum uel a perſona argumenta te deficiunt. ut, cum ignotus in ſolitudine occiſum ſepeliiſſe
deprehenditur. huiuſmodi tamen perſonis rhetores exercendi cauſſa in ſuis declamationibus utuntur. Her-
mogenes dicit coniecturam ſimplicem, ſcilicet imperfectam, ex ſolis perſonis non conſtare. Vel eſt imper-
fecta, cum res ipſae deſunt, & a ſolis perſonis coniectura ſumitur. ut, Vir fortis moritur, non ſine ueneni ſi-
gnis. domi habet nouercam, & captiuam pellicem, quae ſe mutuo accuſant. Hic a uoluntate, atque facultates
ſola argumenta ſumuntur: cetera ἰσάζοντα.

Addit Hermogenes coniecturarum coniunctarum ſubdiuiſionem: quod omnis coniectura coniuncta ςο-
χασμὸς διπλός, uel eſt ἐμπίπτων intercurrens, cum in media cauſſa oritur noua quaeſtio, quam per locos omnes
perfecte tractari neceſſe eſt. uel eſt προκατασκευαζόμενος, anticipata, ideſt, ante expedienda, quam ad τὸ κρινό-
μενον, & ipſius cauſſae abſolutionem ueniamus. eiuſmodi ſunt dialecticorum προσυλλογισμοὶ, quibus τοὺς συλ-
λογισμοὺς confirmare ſolent. In hac quaerendum eſt, ςοχαςικῶς ὡς ὄν, ἢ οὐκ ὄν. Vel eſt συγκατασκευαζόμενος,
comprobata, cum indicia rei ſeſe inuicem mutuo confirmant. Superiora duo quaeſtiones quidem habuere
coniunctas; ſed hoc tertium probationes etiam coniunctas habet. Haec tria genera Hermogenes uocat ςο-
χασμοὺς συνεζευγμένους, quoniam quaeſtiones habent coniunctas. Exempla omnium ſunt apud Hermogenem.

NARRATIO *accuſatoris,*] Narrationum genera tria facit Hermogenes. Vnum, ἁπλοῦν, ſimplex, cum
res omiſsis ſuſpicionibus, atque circumſtantiis narratur. Alterum, ἐγκατάσκευον, cum propriis rerum notis,
hoc eſt circumſtantiis, rationibus, conſiliis, ſignis, ſuſpicionibus, cogitationibus perſonarum, res exponitur,
ideoq. λογικὸν appellatur. Tertium ἐκφανὲς uocatur, ideſt narratio illuſtris & aperta. horum altero accuſator,
primo defenſor utitur, poſtremum ad narrationis qualitatem pertinet. SVSPICIONES *interiectas,*] ideſt,
originem ſuſpicionum. ita narrare oportet, ut ab ipſa narratione uideantur oriri ſuſpiciones, ideſt coniectura-
lia argumenta. *Interiectas*: interpoſitas. Hermogenes dicit σύλληψιν [?] ἀπ᾽ ἀρχῆς ἄχρι τέλους. ideſt, eorum o-
mnium, quae rem probabilem faciunt, uno in loco condenſationem, atque comprehenſionem. DISPERSAS]
non continue poſitas. Diſperſio, cum narramus ſingula, ſed locis diuerſis. Differunt haec duo, loco tantũ.
nam interiectio uno in loco circumſtantias omnes condenſat: diſperſio ſingula ponit ſine connexione, κατὰ
χωρισμὸν, ideoq. non in uno loco. SIMPLICEM,] ſine ſubiectione cauſſae. non enim oportet defenſorẽ
cauſſam ſubiicere. in narratione, cur non fecerit, quod ab accuſatore feciſſe dicitur: ſed omnia debet, ſimpli-
citer ſine adiunctione cauſſae negare. in hac enim nullis opus eſt ſignis, quoniam factum negatur. DI-
LVCIDAM] probabilem. partim docilitatis retinendae, partim offenſionis uitandae gratia, quae ſaepe ex obſcu
ritate naſcitur. nam, quidquid eſt obſcurum, id offendit auditorem, quoniam intelligentiae officit, ideoq. etiã
attentionem auertit. CVM *attenuatione ſuſpicionis.*] ſuſpicionem attenuando: quod fit & penitus negan
do, uel contrarium ponendo. ἀφαίρεσιν [?], quae fit tribus modis, ἀρνήσει, μεταθέσει, πιθανολογίᾳ. Ἄρνησις, nega-

tio

tio cauſſae. ut,cum accuſator dicit,te aliquid feciſſe odio,aut inuidia: tu,non inuidia,ſed imprudentia, feciſſe dices. Μετάθεσις, cauſſarum tranſpoſitio: ut, Veniſti in eum locum,ut occideret. Non ideo ueni, ſed ut amicum conuenirem. Πιθανολογία, defenſio uiolenta. ut,Occidiſti fratrem meum,quia ſepeliuiſti: Non ſepeliui, quia occiderim: ſi enim occidiſſem, tam diu ibi permanere non fuiſſem auſus. Μετάθεσις igitur huic probationi ſaepe ſubuenit. Huc etiam ἀναστροφὴ, conuerſio referenda eſt: Omnes, qui aliquem occiderunt, aut irati,aut inimici fuerunt: non autem omnis iratus,aut inimicus occidit. RATIO] doctrina. IN *ſex partes*] κεφάλαια, capita,locos,qui ad confirmationem adhibentur eius,quod eſt in controuerſia. De Inuentione Cicero tres tantum ponit, in quibus has ſex ſine ordine incluſit, quae hic cum ordine explicantur.

DE. PROBABILI. II

PROBABILE eſt, per quod probatur expediſſe reo peccare, & a ſimili turpitudine hominem numquam abfuiſſe. Id diuiditur in cauſſam, & in uitam. Cauſſa eſt ea, quae induxit ad beneficium commodorum ſpe, aut incommodorum euitatione: ut cum quaeritur, num quod commodum maleficio acquiſierit,num honorem, num pecuniam, num dominationem, num aliquam cupiditatem amoris, aut huiuſmodi libidinis uoluerit explere: aut numquod incommodum uitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, ſupplicium. Hic accuſator in ſpe commodi,cupiditatem oſtendet aduerſarij: in uitatione incommodi, formidinem augebit. Defenſor autem negabit fuiſſe cauſſam, ſi poterit; aut eam uehementer extenuabit. Deinde iniquum eſſe dicet, omnes, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re peruenerit, in ſuſpicionem maleficij deuocari. Deinde uita hominis ex ante factis ſpectabitur. In quo primum conſiderabit accuſator, num quando ſimile quid fecerit. Si id non reperiet,quaeret num quando uenerit in ſimilem ſuſpicionem: & in eo debebit eſſe occupatus, ut ad eam cauſſam peccati, quam paullo ante expoſuerunt, uita hominis poſſit accommodari, hoc modo: Si dicet pecuniae cauſſa feciſſe, oſtendet eum ſemper auarum fuiſſe: ſi honoris, ambitioſum. ita poterit animi uitium cum cauſſa peccati conglutinare. Si non poterit par uitium cum cauſſa reperire, reperiat diſpar. Si non poterit auarum demonſtrare, demonſtret corruptorem, uel perfidioſum, ſi quo modo poterit. Denique aliquo, aut quamplurimis uitiis contaminabit perſonam: deinde qui illud fecerit tam nequiter,eundem hunc tam perperam feciſſe non eſſe mirandum. Si uehementer caſtus, & integer exiſtimabitur, aduerſarius dicet, facta non famam ſpectari oportere: illum ante occultaſſe ſua flagitia, ſe planum facturum ab eo maleficium non abeſſe. Defenſor primum demonſtrabit uitam integram, ſi poterit: id ſi non poterit, confugiet ad imprudentiam, ſtultitiam, adoleſcentiam, uim, perſuaſionem, quibus de rebus uituperatio eorum,quae extra id crimen erunt,non debeat aſpernari. Sin uehementer hominis turpitudine impedietur, & infamia, prius dabit operam, ut falſos rumores diſſipatos eſſe dicat de innocente, & utetur loco communi: Rumoribus credi non oportere. Sin nihil horum fieri poterit, utatur extrema defenſione,& dicat,non ſe de moribus eius apud cenſores, ſed de criminibus aduerſariorem apud iudices dicere.

EXPLANATIO

PROBABILE] Probabile diuiditur in

Cauſſam,quae induxit ad maleficium, commodorum ſpe, aut incommodorum euitatione.

Perſonam, a quibus coniectura capietur, ſi res,quae perſonis attributae ſunt,diligenter conſiderabuntur: ut ſunt genus,natio,patria,ſexus,aetas,educatio,diſciplina,habitus,fortuna,natura, condicio, ſtudium, facta, dicta,conſilium,nomen,&c.

Coniecturae a cauſis ſumuntur, duae:

Impulſio, quae ſiue cogitatione per quandam affectionem animi, facere aliquid hortatur: ut amor, iracundia, aegritudo, uinolentia, & omnino omnia,in quibus animus ita uidetur affectus fuiſſe,ut rem perſpicere cum conſilio & cura non potuerit; & id,quod fecit,impetu quodam animi potius,quam cogitatione,fecerit. ut,Clodius oderat Milonem: cupiebat igitur,eum exſtinctum eſſe.

Ratiocinatio,eſt diligens,& conſiderata faciendi aliquid,aut non faciendi excogitatio. ea dicitur interfuiſſe tum,cum aliquid faciendi,aut non faciendi certa de cauſſa uitaſſe,aut ſecutus eſſe animos uidetur: ut,ſi amicitiae cauſſa quid factum dicetur,inimici ulciſcendi,gloriae,pecuniae,aut alicuius retinendi,augendi, & horum ſimilium cauſſa.

In cauſis autem quaeritur,num quod commodum maleficio reus acquiſierit,num honorem,num pecuniam, num dominationem, num aliquam cupiditatem aut amoris,aut huiuſmodi libidinis uoluerit explere. Aut num quod incommodum uitarit,inimicitias,infamiam,dolorem,ſupplicium.

Probabile, Graecis πιθανότης, per quod probatur,reo expedire peccare. Diuidit in Cauſſam, & Vitam. Cauſſa eſt, τὸ τοῦ πράγματος αἴτιον, qua quis ad facinus excitatur. Et inter cauſſas praeſtantiſsimae ſunt Finalis, & Efficiens. Finalis, uel in bonis rebus, λῆψις τῶν ἀγαθῶν, comparatio bonorum: quam hic ſpem commodorum appellat. uel in malis, ut ἀποβολὴ τῶν κακῶν euitatio malorum. de quibus Ariſtoteles Rhetoricorum lib. II. Efficiens etiam duplex eſt: bona, ut ſpes, & cupiditas conſequendi: mala, ut metus aliquid euitandi. hic cum illa ſemper eſt coniunctus. Vita, βίος προσώπου. nam, ſicut naturalium rerum experientia facultates docet,ſic & hominis actiones,qualis ſit eius uita,& animus, oſtendunt. PROBATVR] ab accuſatore. EXPEDISSE *reo*] utile fuiſſe accuſato. TVRPITVDINE] uitio. HOMINEM] reum. NVM *honorem*,] ut,cum duo ſint collegae, in dignitate, ſi forte alter occidatur,ſuſpicio maxima eſt,id a collega factum

eſſe, ut ſolus totum conſequatur honorem. Nvm *pecuniam,*] ut de Pygmalione, qui Sichaeum occidit, auri captus amore. Nvm *dominationem,*] ut Romulus, qui Remum fratrem occidit, ut ſolus imperaret. Nvm *aliquam cupiditatem amoris,*] ut Aegiſthus, qui Agamemnonem occidit, ut Clytemneſtra ſuo ingenio potiretur. Libidinis] malae uoluntatis, quae inimica eſt rationi. Nvm qvod *incommodum*] modus arguendi, a ſpe euitationis incommodorum. Inimicitias,] exponit incommoda per partes, ut Milo, qui occidit Clodium. Infamiam,] ut is, qui occidit uxorem, quam reperit cum adultero. Dolorem,] ut is, qui occidit eum, cui bona ſua fuerant donata, cum non poſſet perpeti eius conſpectum. Svpplicivm.] ut de eo, qui conſcium facinoris ſui occidit; metuens, ne ſe criminaretur, quo facto, ſupplicium pateretur. Sane duplex eſt cauſſa: una rationalis, cum Oreſtes interfecit Clytemneſtram, quod patrem ſuum occiderat: altera incluſiua, quae includit iram, dolorem, quae ſaepe cogitat homines maleficia patrare. de prima hic ſermo. Et Commodum poſuit pro genere; Honorem, Pecuniam, Dominationem, ſpecies eſſe uoluit. Eam *uehementer extenuabit.*] ualde tenuem faciet. ut Teucer accuſat Vlixem, inueniſſe cum gladio cruento in ſilua, ubi mortuus erat frater. in qua re negabit factum Vlixes, ſi poterit; ſin minus, dicet, oportuiſſe eũ habere arma tranſeuntem per loca periculoſa. & ſi dixerit Teucer, At eras Aiaci inimicus gladiotarius. reſpondebit Vlixes, Non magnam admodum inter eos fuiſſe inimicitiam. Vt *ad eam cauſſam peccati,*] eſſet enim inutile, & ridiculum, & noceret accuſatori, ſi, cum arguit reum homicidam, pro argumento aſſumeret mollitiem ſuam: uel, ſi accuſaretur adulterij, opponeretur ei bellicoſitas. Pecvniae *cauſſa feciſſe,*] ut Pygmalion, auri captus amore. Avarvm *fuiſſe:*] Auarus, in malam partem ſemper accipitur; Auidus in utramque. Ambitiosvm:] honoris cupidum. Reperiat *diſpar;*] per comparationem tamen. ſi anteacta uita fuit turpis in omni uictu, in omni conſuetudine: quanto fortius & in hoc facinore deprehenditur reus? Perperam] uitioſe. Integer] uita, fama, moribus. Planvm *facturum*] declamaturum. Vitam *integram,*] nullo uitio contaminatam. Vitvperatio *eorum,*] factorum, & maleficiorum. Impedietvr,] a defenſione. Rvmores] nam Rumor eſt rei prius ignotae fama. Vtatvr *extrema defenſione,*] quae eſt translatio tranſpoſitionis.

DE. COLLATIONE. III

Collatio eſt, cum accuſator id, quod aduerſarium feciſſe criminatur, alij nemini, niſi reo, bono fuiſſe demõſtrat, aut alium neminem potuiſſe perficere niſi aduerſarium, aut eum ipſum aliis rationibus aut non potuiſſe, aut non aeque commode potuiſſe, aut eum effugiſſe alias rationes commodiores propter cupiditatẽ. Hoc loco defenſor ut demõſtret oportet, aut aliis quoq; bono fuiſſe, aut alios quoq. id, quo de ipſe inſimuletur, facere potuiſſe.

EXPLANATIO

Collatio, Graecis ἀντίθεσις, ἢ ἀντεξέτασις, quae eſt comparatio, & perſonarum inter ſe quaſi quaedam examinatio. inquirit enim, ad quam perſonam factum proprie pertineat. duaſq. habet partes: ἐξέτασιν, accuſatoris; & ἀντεξέτασιν, defenſoris. Poſuit Collationem ante ſignum: nam in hac ſignum comprehenditur. Aliis *rationibus*] uiis, mediis facultatibus, ſub quibus conſilia, inſtrumenta, moduſq. omnis comprehenditur. Effvgisse.] non exſpectaſſe. Propter *cupiditatem.*] patrandi maleficij.

DE. SIGNO. IV

Signvm eſt, per quod oſtenditur idonea perficiendi facultas eſſe quaeſita. id diuiditur in partes ſex, locum, tempus, ſpatium, occaſionem, ſpem perficiendi, ſpem celandi. Locus quaeritur, celebris an deſertus: ſemper, an tum cum id factum ſit, fuerit in eo loco ſolitudo: ſacer an profanus: publicus an priuatus fuerit: cuiuſmodi loci attingant: nam, qui eſt paſſus, perſpectus, aut exauditus eſſe poſſit. Horum quid reo, quid accuſatori conueniat, perſcribere non grauaremur, niſi facile quiuis, cauſſa poſita, poſſet iudicare. initia enim inuentionis ab arte debent proficiſci: cetera facile comparabit exercitatio. Tempus ita quaeritur, qua parte anni, noctu an interdiu, & qua die, & qua noctis hora factum eſſe dicatur, & cuiuſmodi temporibus. Spatium ita conſideratur, ſatis ne longũ fuerit ad eam rem tranſigendam; & potuerit ne ſcire, ſatis ad id perficiendum ſpatij futurum. nam parui refert, ſatis ſpatij fuiſſe ad id perficiendum, ſi id ante ſciri, & ratione prouideri non potuerit. Occaſio quaeritur, idonea ne ſatis fuerit ad rem adoriendam, an alia melior, quae aut praeterita ſit, aut non exſpectata. Spes perficiendi quae fuerit, ſpectabitur hoc modo: Si quae ſupra dicta ſunt ſigna, concurrent: ſi praeterea ex altera parte uires, pecunia, conſilium, ſcientia, apparatio, ex altera parte imbecillitas, inopia, ſtultitia, imprudentia, in apparatio demonſtrabitur fuiſſe: per quas res ſcire poterimus, utrum diffidendum, ac confidendum fuerit. Spes celandi quae fuerit, quaeritur ex conſciis, arbitris, adiutoribus, liberis, aut ſeruis, aut utriſque.

EXPLANATIO

Signvm, non τὸ σημεῖον, ſed περίστασις, ideſt ea, quae cum negotio coniuncta ſunt. Signum autem eſt duplex, uerum, & ueriſimile. Verum, ſi mulier ſit praegnans, uerum eſt, eam cum uiro concubuiſſe. Veriſimile, ut de Aiace, quem occidiſſe accuſatus Vlixes, ex ſignis iam dictis. Idonea] conueniens, commoda.

moda. PERFICIENDI] maleficij. FACVLTAS] occaſio, poteſtas. IN *partes ſex,*] quarum una deficiente, non bene probatur. CAVSSA *poſita,*] lite conteſtata. QVA *die,*] pro, Diei. Sic Ouidius Metam. VI. Fide dignus. Vide Scholia mea in Salluſtium. VIRES,] referuntur ad naturam corporis. PECVNIA,] ad fortunam. CONSILIVM,] quod conſulte fecit, quod ſpectat ad attributa. SCIENTIA,] ad habitum. nam ſciebat tempus, modum, & ea omnia, quae ad rem perficiendam ſpectabant. APPARATIO:] ad negotiorum adminiſtrationem.

DE. ARGVMENTO. V

ARGVMENTVM *eſt, per quod res coarguitur certioribus argumentis, & magis firma ſuſpicione. id diuiditur in tempora tria, praeteritum, inſtans, conſequens. In praeterito tempore oportet conſiderare ubi fuerit, ubi uiſus ſit, qui cum uiſus ſit, numquid appararit, num quem conuenerit, num quid dixerit, num quem habuerit de conſciis, de adiutoribus, de adiumentis, num quo in loco praeter conſuetudinem fuerit, aut alieno tempore. In inſtanti tempore quaeritur, num uiſus ſit cum faciebat, num qui ſtrepitus, clamor, crepitus exauditus ſit, aut denique num quid aliquo ſenſu perceptum ſit, adſpectu, auditu, tactu, odoratu, guſtatu. nam quiuis horum poteſt conſtare ſuſpicionem. In conſequenti tempore ſpectabitur, num quid re tranſacta relictum ſit, quod indicet aut factum eſſe maleficium, aut a quo ſit factum. Factum eſſe. hoc modo. Si tumore, aut liuore decoloratum eſt corpus mortui, ſignificat eum ueneno necatum, A quo factum ſit, hoc modo: ſi telum, ſi ueſtimentum, ſi quid eiuſmodi relictum ſit, aut ſi ueſtigium rei fuerit, aut ſi cruor in ueſtimentis, aut ſi in eo loco comprehenſus, aut uiſus ſit tranſacto negotio. quo in loco res geſta dicatur.*

EXPLANATIO

ARGVMENTVM, *σημεῖον*, firmius, & uehementius, quam Signum. & eſt probatio ſignis plena. ſi propria, & neceſſaria, *τεκμήριον*: ſi quaſi propria, *εἰκὸς* dicitur. RES] ſeries, & ordo negotij. COARGVITVR] ſimul probatur. CERTIORIBVS] firmioribus: quia primae figurae argumenta certiora ſunt, quam ſecundae: & uniuerſale certius eſt particulari, aut eo, quod multas habet exceptiones. ARGVMENTIS,] rationibus. PRAETERITVM,] alibi, Ante rem. INSTANS,] In re. CONSEQVENS.] Poſt rem. VBI *fuerit, ubi uiſus ſit,*] quibus rebus probatur factum. nam Vlixes uiſus in ſilua, in qua inuentus mortuus Aiax. QVI CVM *uiſus ſit,*] cum uiris bonis, an cum ſceleratis. hoc autem eſt firmiſsimum trium. nam prius, Vbi fuerit, infirmum; alterum, Vbi uiſus ſit, firmius. NVM *quid appararit,*] arma, ſocios, equos. NVM *quem conuenerit,*] allocutus ſit. NVM *quid dixerit,*] ut, Mori me malim, quam hoc inultum relinquere. CONSCIIS,] qui ſcirent illum uelle facinus perſequi. ADIVTORIBVS,] in patrando maleficio. ADIVMENTIS,] ut arma, equum. PRAETER *conſuetudinem*] ubi non ſit ſolitus uerſari. ALIENO *tempore.*] noctu egrediendo domo. STREPITVS,] pedum. CLAMOR,] uocis. CREPITVS] cum aliqua res colliſa ſonat: uel, ſonus hominum confuſus.

DE. CONSECVTIONE. VI

CONSECVTIO *eſt, cum quaeritur, quae ſigna nocentis, & innocentis conſequi ſoleant. Accuſator dicet, ſi poterit, aduerſarium, cum ad eum uentum ſit, erubuiſſe, expalluiſſe, titubaſſe, inconſtanter locutum eſſe, concidiſſe, pollicitum eſſe aliquid: quae ſigna conſcientiae ſunt. Si reus horum nihil fecerit, accuſator dicet, eum uſque adeo praemeditatum fuiſſe quid ſibi eſſet uſu uenturum, ut confidentiſſime reſiſtens reſponderet: quae ſigna confidentiae, non innocentiae ſint. Defenſor, ſi pertimuerit, magnitudine periculi, non conſcientia peccati commotum eſſe dicet. Si non pertimuerit, fretum innocentia negabit eſſe commotum.*

EXPLANATIO

CONSECVTIO, *τῶν ἑπομένων*. SIGNA] nam ſigna ſuſpicionem, & coniecturam efficiunt, atque ſunt in iis ipſis cauſsis quaſi tacita criminum teſtimonia, & grauiores confirmationes. CONFIDENTISSIME] audaciſsime. CONFIDENTIAE,] auſus temerarij. MAGNITVDINE *periculi,*] nam magnum eſt periculum, uenire in ſuſpicionem maleficij. FRETVM] confiſum. nemo enim innocens falſo crimine commouetur.

DE. APPROBATIONE. VII

APPROBATIO *eſt, qua utimur ad extremum confirmata ſuſpicione. Et habet locos proprios, atque communes. Proprij ſunt ij, quibus, niſi accuſator, nemo poteſt uti; & ij, quibus niſi defenſor. Communes ſunt, qui alia in cauſſa ab reo, alia ab accuſatore tractantur. In cauſſa coniecturali proprius locus accuſatoris eſt, cum dicit malorum miſereri non oportere, & cũ auget peccati atrocitatem. Defenſoris proprius locus eſt, cum miſericordiam captat, & cum accuſatorem calumniari criminatur. Communes loci ſunt, cum accuſatoris, tũ defenſoris, a teſtibus, contra teſtes; a quaeſtionibus, contra quaeſtiones; ab argumentis, contra argumenta; a rumoribus, contra rumores.*

EX-

EXPLANATIO

APROBATIO, συγκατάθεσις, θέσις, ἢ ἔλεγχος, uehemens confirmatio, qua utimur,ſuſpicione confirmata ſignis,argumentis,conſecutione. De Inuentione: Approbatum eſt,per quam id, quod breuiter quaeſitum eſt,rationibus affirmatum probabilius,& apertius ſit. AD *extremum*] hoc enim cuilibet partium praedictarum non contingit. Vel,quia duplex eſt approbatio,uel augendo,uel probando delicto: numquam uero poteſt augeri,niſi prius ſit probatum. Vel,quia,poſtquam eſt probata propriis argumentis, tunc tendem ſumendi ſunt loci communes. CONFIRMATA] per argumenta accuſatoris. *Confirmata ſuſpicione*: poſtquam coniecturalis quaeſtio comprobata eſt per propria argumenta. nam,ſicut quaeſtio coniecturalis uocatur,quae coniecturis probatur; ſic,quae ſuſpicionibus,Suſpicionalis diceretur.

LOCOS *proprios,atque communes,*] uide Quinctilianum lib. v. *Locos*: argumenta. ALIA *in cauſſa ab reo, alia ab accuſatore*] nam accuſator dicet, ſuſpicionibus credi oportet, defenſor contra. ACCVSATORIS,] Graeci, πίστεις ἀτέχνους, locos inartificiales, qui fidei faciendae facultatem praebent, & extra cauſſam ſumuntur. DEFENSORIS] nam accuſator ſaeuitiam habet propoſitam, defenſor miſericordiam iudicis. Igitur accuſator primum communi utetur loco θέσει, malorum miſereri non oportere: deinde αὐξήσει,amplificatione,quae ſaeuitiae cauſſa eſt efficiens. Defenſor autem primum miſericordiam captabit,indicatione rerum miſerandarum: deinde utetur διαβολῇ, criminatione aduerſarij: accuſatorem calumniis agere, non ueritate cauſſae niti. non enim ſemper miſericordiam mouent res miſerabiles,niſi innocentia appareat rei,quae ex falſa accuſatoris relatione demonſtratur.

TESTES. IIX

A TESTIBVS *dicemus ſecundum auctoritatem, & uitam teſtium,& conſtantiã teſtimoniorum. Contra teſtes,uitae turpitudinẽ,teſtimoniorũ incõſtantiã; ſi aut nõ fieri potuiſſe dicemus,aut non factum eſſe quod dicant,aut ſcire illos non potuiſſe,aut cupide dicere, & argumentari. haec & ad improbationẽ,& approbationẽ teſtiũ ꝑtinebũt.*

EXPLANATIO

TESTES, Graecis μάρτυρες, qui & ab accuſatore,& a reo dari poſſunt: & ille quidem pro teſtibus dicet, a quo producuntur: contra teſtes uero is,contra quem producuntur. Duo autem in teſtibus ſpectanda,Perſona,& Oratio. In perſona auctoritas eſt, & uita. auctoritas bona hominis exiſtimatio eſt, ab aliqua profecta uirtute: quae uel aperta eſt,ut ciuilis,atque militaris; uel occulta,ut intellectus,artes,ſcientiae. Vita uel turpis & infamis eſt; uel honeſta,& ſine crimine tranſacta. In oratione teſtium eſt conſtantia,uel contra. A TESTIBVS] ut Cicero pro Archia: Ipſe adeſt uir ſumma auctoritate & religione,ac fide M. Lucullus, qui ſe non opinari,ſed ſcire;non audiuiſſe,ſed uidiſſe; nõ interfuiſſe,ſed praefuiſſe dicit. CONTRA *teſtes,*] ut pro Valerio Flacco,teſtiũ Graecorum confirmationẽ impedit, eleuat,& refutat: nullam denique teſtimoniis fidẽ tribuit,nullam defenſioni auctoritatem. VITAE *turpitudinem,*] quae opponitur Auctoritati,& Vitae probatae. nam in turpi uita neque auctoritas,neque poteſtas poteſt eſſe. CVPIDE *dicere,*] quod fit uel odio, uel amore,uel pretio,aut timore. ARGVMENTARI.] teſtari,ad aliquid probandum teſtimonio, uelut argumento. Vel, *Argumentari*,ideſt argumenta,& coniecturas afferre,quod ad teſtem non attinet.

QVAESTIONES. IX

A QVAESTIONIBVS *dicemus, cum demonſtrabimus, maiores, ueri inueniendi cauſſa, tormentis & cruciatibus uoluiſſe quaeri,& ſummo dolore homines cogi,ut,quidquid ſciant, dicant. Et praeterea confirmatior haec erit diſputatio, ſi, quae dictae erunt argumentando, iiſdem uiis,quibus omnis coniectura tractatur, trahemus ad ueriſimilem ſuſpicionem: idemq. hoc in teſtimoniis facere oportebit. Contra quaeſtiones hoc modo dicemus: Primum, maiores uoluiſſe certis in rebus interponi quaeſtiones, ut, quae uerae dicerentur,ſeruari; quae falſo in quaeſtione pronunciarentur,refelli poſſent: hoc modo: Quo in loco quid poſitum, & ſi quid eſſet ſimile, quod uideri, aut aliquo ſimili ſigno percipi poſſet: deinde, dolori credi non oportere, quod alius alio recentior ſit in dolore, quod ingenioſior ad comminiſcendum,quod denique ſaepe ſcire aut ſuſpicari poſſit,quid quaeſitor uelit audire: quod cum dixerit,intelligat ſibi finem doloris futurum. Haec diſputatio comprobabitur, ſi refellemus quae in quaeſtionibus erunt dicta probabili argumentatione: idq. partibus coniecturae,quas ante expoſuimus, facere oportebit.*

EXPLANATIO

QVAESTIO, Graecis ὑπὸ ξέλευσις, βάσανος, καὶ ἐφαίρεσις. eſt enim inquiſitio ſceleris, quae fit explorando per cruciatum,ac torturam: ideoq. λόγος ἐςὶ ἀκούσιος, oratio extorta,& inuita. DICEMVS,] argumentabimur. qui locus eſt accuſatoris. CRVCIATIBVS] qui maiores ſunt tormentis. qualis eſt oculorum conſtrictio. QVAERI,] praecipue ſeruos,uernas,calones,ignobile uulgus,& ſi qui ſunt alij, in quibus nec conſilium,nec conſtantia, nec ratio cernitur. HOC *modo dicemus.*] in defendendo. CERTIS *in rebus*] non in omnibus, ut in iis, quae aliquid habent certitudinis. INTERPONI] adhiberi. SERVARI;] *defendi.*

fendi. In *quaeſtione*] in tormento. Refelli] confutari. Recentior] firmior. Retentior, alias, non diſplicet. Comminiſcendvm,] fingendum, mentiendum. Qvaesitor] quaeſtionum praefectus. Comprobabitvr,] rationes uerisimiles habebit. Probabili *argumentatione*:] ſumptis mediis ex locis ſuperioribus. *Probabili argumentatione*: continente uerisimiles argumentationes. Vel, uerisimili argumento: nam argumentum eſt, per quod fidem facimus rei dubiae.

ARGVMENTA. X

*A*B argvmentis, *& ſignis, & ceteris locis, quibus augetur ſuſpicio, dicere hoc modo cõuenit: Cum multa concurrant argumenta & ſigna, quae inter ſe conſentiant, rem perſpicuam non ſuſpicioſam uideri oportere. Item plus oportere ſignis & argumentis credi, quam teſtibus: haec.n.eo modo exponi, quo modo re uera ſunt geſta; teſtes corrumpi poſſe uel pretio, uel gratia, uel metu, uel ſimultate. Contra argumenta, & ſigna, & ceteros ſuſpiciones dicemus hoc modo, ſi demonſtrabimus nullam rem eſſe, quam non ſuſpicionibus quiuis poſſit criminari: deinde unamquamque ſuſpicionem extenuabimus, & dabimus operam, ut oſtendamus, nihilo magis in nos eam, quam in aliũ quempiam conuenire: indignum facinus eſſe, ſine teſtibus coniecturam, & ſuſpicionem firmamenti ſatis habere.*

EXPLANATIO

ARgvmenta, & Signa duplicia ſunt. nam uel ſunt ἀναγκαῖα, neceſſaria, quae in coniectura dicuntur τεκμήρια, ideſt propriae rei notae, quibus aduerſarius reſiſtere non poteſt. Vel ſunt ἔνδοξα, καὶ σημεῖα, probabilia, de quibus haeſitari poteſt, quae ſingula, & ſeorſim poſita, firma non ſunt, ſed coniuncta in concludendo ualent. Horum etiam diuerſa eſt tractatio. nam ab argumentis accuſator dicet, qui ſua unum in locum cõdenſabit. contra argumenta defenſor, qui ab accuſatore coniuncta, atque condenſata diſtrahet, ut reprehendere ſingula melius poſsit. Tractatio prior habet primo αὔξησιν: minus enim magna, & probabilis res, ita explicanda eſt, ac ſi maxima, atque neceſſaria eſſet. Deinde σύγκρισιν, plus ſignis, & argumentis credi oportere, quã teſtibus. id enim, quod uerum eſt, ut ſunt argumenta, atque ſigna, ſemper eſt uniuſmodi; teſtes autem corrumpi poſſe, uel pretio, uel gratia, uel metu, uel ſimultate. Pecunia facile auarus corrumpi poteſt, propter cupiditatem, qua a natura flagrat; pauper uero, propter egeſtatem: eſt enim Auri ſacra fames. Gratia eſt, beneuolentia erga eum, qui plus poteſt, quam nos. Metus eſt, erga eos, qui ſunt ſuperiores, ut diuites, nobiles, & qui ſunt in magiſtratu; a quibus uel bonum, uel malum inferioribus poteſt contingere. Ita Metus potentiam reſpicit, ut beneuolentiam Gratia. Simultas eſt, priuatum odium, & inuidia, indignatio, & offenſio priuata. Horum in orationibus Ciceronis paſsim ſunt exempla. Tractatio defenſoris τριμερής, tripartita eſt. Primum enim θέσει διαβεβλητικῇ utetur, loco communi ſumpto a cauſſa finali, uel effectu generali. in cauſsis enim coniecturalibus argumenta uera pariunt γνῶσιν cognitionem, falſa uero ὑποψίαν, ſuſpicionem. Dicet igitur defenſor, argumenta magis eſſe ſuſpicionis, & falſitatis, quam ueritatis indicia: quia nihil non poſsit ſuſpicionibus criminari. Deinde utetur ὑποθέσει ὡρισμένῃ, καὶ ἀνασκευαστικῇ. omnia enim argumenta uel refutari poſſunt, uel non poſſunt refutari, ſed infirmari. Si igitur ſuſpicio aliqua argumentis, quae infirmari poſſunt, facta ſit, argumenta ſeparabit, ac ſingula ſeorſim reprehendet, ut extenuet ſuſpicionem, & eam in quemuis cõuenire alium poſſe dicat. Tertio loco utetur ἀπαιτήσει τῶν ἐλέγχων κατὰ σύγκρισιν, ἢ ἀντεξέτασιν, contra aduerſarij comparationem; teſtibus potius, quam argumentis, credi oportere: &, ſi teſtibus credendum nõ ſit, minus argumentis eſſe credendum. Corrvmpi] uitiari. Vnamqvamqve *ſuſpicionem extenuabimus*,] ut, ſi dicatur, hominem a me interfectum fuiſſe, quod ad me illius bonorum pars aliqua poſt mortem perueniret: ego dicam, hoc idem poſſe dici de fratribus eius, ad quos hereditas illius uenit.

RVMORES. XI

A Rvmoribvs *dicemus, ſi negabimus temere famem naſci ſolere, quin ſubſit aliquid; & dicemus cauſſam non fuiſſe, quare quiſpiam confingeret, & comminiſceretur. Et praeterea, ſi ceteri falſi ſoleant eſſe, argumentabimur hunc eſſe uerum. Contra rumores dicemus primum, ſi docebimus multos eſſe falſos rumores, & exemplis utemur, de quibus falſa fama fuerit, & aut inimicos noſtros, aut homines natura maleuolos, & maledicos confinxiſſe, dicemus: & aliquam aut fictam fabulam in aduerſarios afferemus, quam dicamus omnibus in ore eſſe; aut uerum rumorem proferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat: neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus, ideo quod quiuis homo poſſit quamuis turpem de quolibet rumorem proferre, & confictam fabulam diſſipare. Verumtamen, ſi rumor uehementer probabilis eſſe uidebitur, argumentando famae fidẽ poterimus abrogare.*

EXPLANATIO

RVmor, & Fama a Graecis φήμη dicitur, differunt autem ſecundum maius, atque minus: quia fama inter multos eſt, rumor uero inter paucos. Qui a rumoribus dicet, tripartitam habebit methodũ, quae circa cauſſas uerſabitur efficientes. Primum igitur utetur ſententia γενικῇ, ἢ θετικῇ generali, quae cauſſae quidem uerae affirmationem habet, ſed ἀνωνυμῆς: rumores non oriri temere, ſed conſenſum ciuitatis, & uelut publicum teſtimonium eſſe. Deinde ὑποθετικῇ, quae propria huius loci eſt: in quo cauſſa efficiens eſt neganda,

da, Nullam fuiſſe cauſſam, quare quiſpiam confingeret. Tertio ὁμολογιλῇ, quae συλλογισμῷ confirmanda erit.
ut, Verum quidem eſſe, falſos aliquando eſſe rumores, ſed in noſtra tamen cauſſa[illegible] non eſſe. Qui con-
tra rumores dicet, tractationem habebit copioſiorem, quae plus ingenij, atque exercitationis requirit. primum
enim utetur παραδείγμασι exemplis, quibus oſtendet, rumores plerumque eſſe falſos: praeſertim cum ſine
auctore ſunt, qui a Cicerone ἀδέσποτοι appellantur: quando ignoratur, a quo nati, aut diſsipati ſint. Haec tra-
ctatio θετικὴ generalis eſt, quae ad ὑποθεσῖν uſque deſcendet. Omnia autem exempla uel ſunt uetera, uel ho-
rum temporum: eaq. uel noſtrae reip. uel aliarum gentium: quibus omnibus contra rumores uti licebit.
Deinde διαβολῇ, quae cauſſae inueſtigationem habebit: rumores falſos diſperſos eſſe ſine ullo certo auctore,
cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas, quod nulli non etiam innocentiſsimo poſſet accide-
re, fraude inimicorum falſa uulgantium. Tertio, τῷ ἤθει, quod εὐτραπελίαν habet, ideſt riſum, & urbanitatē,
quae uel in ueris, uel in rebus fictis erit. Vtriſque uti licet: ſed in ueris obſeruandum eſt, ut ἦθος noſtrum appa
reat: cum dicemus, rumori illi nos non credere, ut etiam rumori de nobis non credatur. Poſtremo utetur τῷ
συλλογισμῷ, qui ex ſupradictis locis ſumetur: ut famae fidem poterimus abrogare, ſi rumor uehementer pro-
babilis eſſe uideatur. COMMINISCERETVR.] mentiretur. EXEMPLIS *utemur*,] ut de Palamede, qui
accuſatus eſt, uoluiſſe Graecorum exercitum prodere. quare ab Agamemnone iuſſus eſt occidi. quod poſtea
inuentum eſt falſum. FICTAM *fabulam*] falſum ſermonem. ut de Vlixe: qui dictus eſt Aiacem occidiſ-
ſe. quae fabula cum eſſet in ore omnium, tamen non erat uera. ut, ſi figuramus eſſe in ore omnium, aduerſa-
rium noſtrum omnia ſua bona dediſſe Thaidi. ALIQVID *turpitudinis*] infamiae. ut, ſi dicamus aduerſa-
rium libros luſiſſe, & ita eſſe famam. FIDEM *habere*] non credere. quod ualet ad derogandam fidem ei ru-
mori, qui ſit de nobis. CONFICTAM *fabulam diſſipare.*] falſam fabulam diuulgare. Notandum, auctorita-
tem rumorum ad perſonae teſtimonium ſpectare. VERVMTAMEN,] alius modus arguendi probabilis ue-
riſimilis. ARGVMENTANDO] per partes coniecturae. non eſſe credendum rumori. nam ad eam rem per-
ficiendam non habuit locum neque tempus, neque ſpatium. FAMAE *fidem abrogare.*] rumori credulitatem
auferre, minuere.

EPILOGVS. DE. EXERCITATIONE. XII

QVOD & difficillima tractatu eſt conſtitutio coniectu-ralis, & in ueris cauſſis ſaepiſſime tractanda eſt, eo diligētius oēs eius partes perſcrutati ſumus, ut ne paruula quidē titubatione, aut offenſione impediremur, ſi ad hanc rationē praeceptionis, aſſiduitatē exercitationis accōmodaremus. Nūc ad legitimae cōſtitutionis partes trāſeamus.

EXPLANATIO

TRIA facit in hoc Epilogo. Primum cauſſas oſtendit, cur diligentius de coniectura praeceperit: deinde
ad exercitationem hortatur, ſine qua nihil proficimus: tertio ad legitimae conſtitutionis partes tranſi-
tione accedit. Cauſſas ſuae diligentiae duas oſtendit. Prior eſt difficultas, quia difficile eſt, rem ſignis, atque
argumentis comprobare, aut comprobatam negare. Altera eſt rerum qualitas, quoniam cōiectura in cauſsis
ueris ſaepiſsime eſt tractanda. Quia autem hic de exercitatione mentionem facit, pauca de ea dicamus.
Graeci dicunt μελέτη πάντα δυνάτας: nihil enim recte abſque exercitatione perficitur. ſunt enim praecepta nu
da, quae non perficiunt artes, ſed ad eaſdem uiam tantum aperiunt. Praeceptis igitur cognitis, mox exercita-
tio, atque uſus accedere debent. quae differunt inter ſe, quod hic eſt in rebus ueris, atque ſeriis, cum iam in fo
ro uerſamur; illa uero in rebus fictis, ſed tamen quaſi ueris, ac ſeriis, quae ſcholis conuenit. eſt enim exerci-
tatio rei non ſeriae, tamquam ſeriae diligens, & diuturna tractatio. Conſtat haec definitio ex materia, cauſſa
efficiente, & qualitate. Materia eſt, res non ſeria, tamquam ſeria: cauſſa efficiens eſt, tractatio: qualitas, quae
differentiam oſtendit, eſt diligens, & diuturna. haec hoc in loco uocatur exercitationis aſsiduitas. ἄσκησιν, ſo-
phiſtae; qui in ſcholis ſe exercebant, μελέτην appellant: quae a meditatione incipit, & in actione conſiſtit.
Sunt autem partes eius tres: meditatio, ſtylus, declamatio. A meditatione, ut dixi, incipiendum eſt, quae fit
cogitatione, ideoq. deliberandi tempus habet. Hanc ſtylus ſequi debet, qui eſt artificioſa rei tractatio, quae in
ſcriptione eſt poſita. In hoc & aſsiduitas, & conſtantia requiruntur, donec habitus confirmetur. Vbi iam ſatis
ſcribendo nos exercuimus, ad declamandum accedemus. Eſt autem Declamatio, oratio ſubita. Qui hunc
ordinem non obſeruat, nihil unquam laude dignum efficiet. Sed eſt triplex exercitationis materia, Dialectica,
Phyſica, Ethica. Dialectica eſt, cum de genere, proprio, definitione, accidente eſt quaeſtio. Haec oratori non
multum afferre adiumenti poteſt. Phyſica eſt, cum de principiis, ac natura rerum diſputatur: haec etiam pa-
rum oratori prodeſt. Ethica eſt, cum de iis aſſeritur, quae in uita, moribuſq. hominum uerſantur: ut hone-
ſtum, turpe; utile, inutile; iuſtum, iniuſtum, &c. Haec oratori maxime eſt cōueniens atque utilis; quoniam
argumenta in utramque illi partem ſuppeditant: praeſertim cum ſunt ὑποθετικὰ, ideſt, circumſtantiarum cō-
plexum habent. ideoq. in illis orator ſeſe propter copiam praecipue exercebit. In orationibus igitur conſcri-
bendis primum de quaeſtione, ſtatuq. cauſſae cogitabimus: deinde ad capita, quibus probanda quaeſtio eſt,
progrediemur: poſtremo locos generales inueſtigabimus. Atque haec ad inuentionem pertinent, quae cum
diligenter meditati ſumus, de collocatione cogitandum eſt, quo unumquodque loco dicere, atque collocare
uelimus. Cum enim haec pars ex cauſſae uiſceribus ducatur, uidendum eſt, quibus in omnibus orationis par
tibus uti ſententiis conueniat. Poſtrema cura elocutionis eſt, ut conſideremus, quibus uerbis, quibus ue ſen-
tentiis,

tentiis ea quae inuenimus, eloquamur. in qua non minori cura, atque diligentia opus eſt, quam in prioribus partibus. Neque enim eadem oratio rebus omnibus omnibus conuenit. Meditationem ſtylus ſequitur, in quo maior adhibenda diligentia erit, quoniam in eo emendationi locus eſt. In ſcriptione ſex praecipue obſeruanda ſunt praecepta, ſi aliquid laude dignum uelimus conſcribere. Primum eſt, ut Latina ſint, quae ſcribimus, non barbara. Vt enim prima, ita fere praecipua orationis uirtus eſt puritas: quam noſtri Latinitatem, Ariſtoteles Ἑλληνισμὸν appellat. Alterum eſt, ne quid deſit, quod non modo in toto coroore, uerum etiam in ſingulis membris, atque partibus uitioſum eſt. Deſunt uel res ipſae, uel uerba, quae rerum notae ſunt: emendatur hoc uitium uirtute contraria, προσθέσει. Tertium eſt, quod ἀφαιρέσει corrigitur. Quartum eſt, ne quid deterius ponatur: cui uitio Ὑπαλλαγὴ ſuccurrit, ſub qua priores duae uirtutes, τῆ κατὰ πρόθεσις, καὶ τῆ κατὰ ἀφαίρεσις comprehenduntur. Quinctum eſt, an omnia ſuo collocata loco ſint: quod & collocationi, & elocutioni eſt commune. Si quid igitur uitioſe collocatum erit, (id quod uel in inciſis, uel membris, uel periodis uidebitur) id aut προσθέσει, aut ἐνθέσει, aut μεταθέσει emendabitur. Sextum eſt, ut ornatus ſit rebus ſuis conueniens. de qua re copioſe Rhetores in Elocutione praecipiunt. Haec nos breuiter de Exercitatione dixiſſe uoluimus. Omnia enim melius ex Demoſthenis, atque Ciceronis orationibus cognoſcentur. omniũ enim ſtatuum, atque generum apud utrumque exempla ſunt. Conferatur igitur cum hoc coniecturae ſtatu oratio pro Sex. Roſcio: in qua ſtatus eſt, & quaeſtio: An Sex. Roſcius filius patrem occiderit. Quae cum ſit plane ἠθική, ideo diligentiſsime eſt ab ipſo Cicerone tractata; primum locis propriis, deinde etiam cõmunibus.

Et *in ueris cauſſis*] non tantum in falſis: nam cauſſa alia uera, nec apparens; alia non uera, ſed apparens; alia nec uera, nec apparens. Omnes *eius partes*] Probabile, Collationem, Signum, Argumentum, Conſecutionem, Approbationem. Titvbatione,] dubitatione, quoad partem. ut, cum homo partim rem aliquam tenet, partim ignorat. Offensione] quoad totum. Ideſt, ne qua ſit dubitatio, in parte, uel in toto. Ad *hanc rationem praeceptionis,*] ad hanc doctrinam praeceptorum. Assidvitatem *exercitationis*] aſsiduam exercitationem. Ad *legitimae conſtitutionis*] de qua innuit ſe primum tractaturum.

CONSTITVTIONIS. LEGITIMAE. PARTES A. SCRIPTO. XIII

Cvm uoluntas ſcriptoris cum ſcripto diſſidere uidebitur, ſi a ſcripto dicemus, his locis utemur ſecundum narrationem: Primum ſcriptoris collaudatione: Deinde ſcripti recitatione: Deinde percunctatione, ſcirent ne aduerſarij id ſcriptum fuiſſe in lege, aut in teſtamento, aut in ſtipulatione, aut in quolibet ſcripto, quod ad eandem rem pertineat: Deinde collatione quid ſcriptum ſit, qui aduerſarij ſe feciſse dicant, quid iudicem ſequi conueniat, utrum id, quod diligenter perſcriptum ſit, an id, quod acute ſit excogitatum. Deinde ea ſententia, quae ab aduerſariis ſit excogitata, & ſcripto attributa, contemnetur, & infirmabitur. Deinde quaeretur, quid ei obfuerit, ſi id uoluiſſet ſcribere, ut non potuerit perſcribere. Deinde a nobis ſententia reperietur, & cauſſa proferetur, quare id ſcriptor ſenſerit, quod perſcripſit: & demonſtrabitur, ſcriptum illud eſſe dilucide, breuiter, commode, perfecte, certa cum ratione. Deinde exempla proferuntur, quae res, cum ab aduerſariis ſententia, & uoluntas afferretur, a ſcripto potius iudicatae ſint. Deinde oſtendetur, quam periculoſum ſit a ſcripto recedere. Locus communis eſt contra eum, qui cum fateatur ſe contra id, quod legibus ſancitum eſt, aut teſtamento perſcriptum ſit, feciſſe: tamen facti quaerat defenſionem.

EXPLANATIO

Constitvtio legitima eſt, cum in ſcripto, aut ex ſcriptis aliquid controuerſiae naſcitur: quorum in altero uerba, in altero non uerba tantum, ſed & rationem inueſtigamus.

In ea partes ſex tractantur, Scriptum, & ſententia, Leges contrariae, Ambiguum, Definitio, Tranſlatio, Ratiocinatio.

In Topicis appellantur Status noui, & Diſceptationes legitimae; his uerbis: Sed, quoniam lege firmius in controuerſiis diſceptãdis eſſe nihil debet, danda eſt opera, ut legem adiutricem, & teſtem adhibeamus, in qua re alij quaſi ſtatus exſiſtunt noui, qui appellantur legitimae diſceptationes.

Controuerſia naſcitur ex ſcripto, & ſententia, cum uidetur ſcriptoris uoluntas cum ſcripto ipſo diſſentire: uel, cum alter uerbis ipſis, quae ſcripta ſunt, utitur; alter ad id, quod ſcriptorem ſenſiſſe dicet, omnem adiungit dictionem. hoc modo: Lex eſt, quae iubet eos, qui propter tempeſtatem nauim reliquerint, omnia perdere: eorum nauim, ceteraq. eſſe, ſi nauis conſeruata ſit, qui remanſerint in naui. magnitudine tempeſtatis omnes perterriti, nauim relinquerunt, & in ſcapham conſcenderunt, praeter unum aegrotum: is, propter morbum, exire, & fugere non potuit: caſu, & fortuitu nauis in portum incolumnis delata eſt: illam aegrotus poſsidet: nauim petit ille, cuius fuerat. Hinc controuerſia naſcitur ex ſcripto, & ſententia & ex eo conſtitutio legitima nominatur: quorum in primo aegrotus uerbis ipſis, quae ſcripta ſunt, utitur; in altero aeuerſarius id, quod ſcriptorem ſenſiſſe dicet, omnem adiungit orationem.

In defenſione ſcripti, locis utetur:

I. A ſcriptoris collaudatione:

II. A ſcripti recitatione.

III. A percunctatione: Scirent ne aduerſarij, id ſcriptum fuiſſe in lege, aut in teſtamento, aut in ſtipulatione, aut qnolibet ſcripto, quod ad eam rem pertineat?

IV. A collatione: Quid ſcriptum ſit, quid aduerſarij ſe feciſſe dicant, quid iudicem ſequi conueniat, utrum id, quod diligenter perſcriptum ſit, an id, quod acute ſit excogitatum?

V. A contemptione: Si ea ſententia, quae ab aduerſariis ſit excogitata, & ſcripto attributa, contemnetur, & infirmabitur,

VI. A quaeſtione: Si quaeretur, quid ei obfuerit, ſi id uoluiſſet ſcribere, ut non potuerit perſcribere.

VII. A ſententia & cauſſa: Quare id ſcriptor ſenſerit, quod perſcripſerit. & demonſtrabitur, ſcriptum eſſe illud breuiter, & abſolute.

IIX. Ab exemplis earum rerum, quae, cum ab aduerſariis ſententia redderetur, & uoluntas afferretur, a ſcripto potius iudicatae ſunt.

IX. A periculo: Si oſtendetur, quam periculoſum ſit, a ſcripto recedere.

X. A loco communi, contra eum, qui, cum fateatur, contra id, quod legibus ſancitum, aut teſtamento perſcriptum ſit, feciſſe, tamen facti quaerat defenſionem.

Incipiunt hoc loco τὰ τῆς νομικῆς ϛάσεως κεφαλαια, ideſt, legitimi ſtatus, capita, ſiue loci, qui ex ſcripto naſcitur. Quorum primus eſt τῦ ῥητῦ, καὶ διανοίας, ſcripti, & ſententiae, cum ſcriptoris uoluntas cum ſcripto diſsidere uidetur. Eſt igitur duplex. uel enim uoluntas defenditur contra ſcriptum, uel ſcriptum contra uoluntatem. Cum a ſcripto dicemus, contra uoluntatem, ſecundum narrationem, hoc eſt, narratione abſoluta, decem utemur locis ſupradictis. quos repetemus.

I. Primum ſcriptoris, quae a Graecis dicitur Πρόκρισις, ab ordine, quoniam fit a principio. eſt enim κρίσις oratoria triplex. Πρόκρισις, Praeiudicatio, iudicium, & aeſtimatio oratoris, quae fit ante rei expoſitionem, quae hoc in loco laudē habet ſcriptoris: propterea a Latinis Collaudatio dicitur, a parte meliore. poteſt enim iudicium oratoris eſſe bonum, aut malum. Deinde Επίκρισις, quae fit per expoſitionem rei. Vtriuſque innumera ſunt apud oratores exempla. Tertio eſt Επέγκρισις, cum orator iudicium ſuum in media interponit. Haec admodum rara eſt, ſed exemplum eius eſt in Verrinis, de ablata Sapphus ſtatua, his uerbis: M. Silanionis opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, quiſquam non modo priuatus, ſed populus potius haberet, quam homo elegantiſsimus, atque eruditiſsimus Verres? &c. Primum enim propoſitionem poſuit: Non Sappho, &c. Deinde poſt ἐπέγκρισιν, ad Sapphus ablationem redit, his uerbis: Atque haec Sappho ſublata. &c. Tria autem Πρόκρισις illa habere debet: perſonam, rem praeſentem, & olim inuentam, aut geſtā laudabiliter. ut, ſi quis Solonem, Lycurgum, Romulum, ſiue Numam laudaret, quod cum alia multa, tum etiam hoc ſalutare reip. tradidiſſent. &c.

II. Deinde utetur ſcripti recitatione, ἀναγνώσει, quae uel continuata eſt, uel interpuncta. Continuata eſt, quando ſcriptum recitatur abſque oratoris interpellatione, ab ipſo ſcriba. Vnde illud apud Demoſthenem, Ανάγνωθι τὸν νόμον: & apud Ciceronem, Recita legem. Interpuncta eſt, cum orator ſuam interponit ὑποβολὴν, interpretationem: ut in Quinctiana, & aliis fecit Cicero.

III. Tertio, Interrogatione, ſiue Percunctatione, πύσματι, qua nobis auctoritatem, aduerſario uero contemptum conciliamus, dum eius ignauiam, atque arrogantiam oſtendimus. Hanc ob rem Cicero illa ſaepe quotieſcunque poteſt utitur, ad aduerſarium contemnendum, atque perſtringendum: ut in Roſciana Erutium, in Diuinatione Caecilium interrogat. Scriptum hic intelligitur, non ſolum uerba ſcripta, ſed etiā pronunctiata: ut ſententias, atque dicta poetarum, philoſophorum, & omnium magnorum, ac prudentum uirorum. Interrogabitur igitur, num hoc ſcriptum in lege aliqua, teſtamento, ſtipulatione, uel quolibet ſcripto fuerit, uel ad eam rem pertineat? Lex, generale eſt, & publicum; teſtamentum, ſpeciale, & priuatum. & utrūque ſcripto continetur. Stipulatio uero extra ſcriptum eſſe poteſt, quia uerbis ſolum pronunciatis continetur. Haec ſi aduerſarius ignorauerit, ſua illi ignorantia oſtendenda eſt.

IV. Quarto, utemur ἀντεξετάσει, comparatione; Ariſtoteles Σύγκρισιν, quia duarum rerum comparatio eſt: Hermogenes Αντεξετάσιν, quia eſt diuerſae ſententiae excuſsio. Noſtram enim cum ſententia aduerſarij comparabimus, ac, quae ſit melior, excutiemus. Primum igitur hoc in loco inſtituemus ἔπαινον, commendationem noſtrae ſententiae; deinde διαβολὴν, ſententiae aduerſarij uituperationem: tertio ἀξίωσιν, commonitionem iudicis, quid eum ſequi deceat.

V. Quinto, Contemptione, καταφρονήσει, cum aduerſarij ſententiam tamquam inutilem reiicimus, & infirmam, ac leuem eſſe oſtendimus.

VI. Sexto, τὸ αἴτιον τῦ μὴ γινομένῳ, cauſſam rei non factae quaeremus. Saepe enim legiſlatoris uoluntas abſconditur, uel quia foeda res eſt, uel quia periculoſa, uel ut ingenium oſtentet. Nos igitur aut nihil cauſſae fuiſſe dicemus, cur uoluntatem ſuam abſconderet: aut, ſi qua ſit, quae illa ſit, ab aduerſario quaeremus.

VII. Septimo, τὸ αἴτιον τῦ πραχθέντος, cauſſam rei factae ponemus; quae ex ſuperiore deducitur. Si enim nullam cauſſam habuit, cum uoluntatem ſuam ſcriptor abſconderet, noſtra ſententia clara erit. Primum igitur hic ſententia noſtra propoſita, cauſſam exponemus, quare legiſlator ita ſenſerit, deinde ſcriptum illud collaudabimus.

IIX. Octauo, utetur ἐλέγχῳ παραδειγματικῷ, probatione, quae fit exemplis ſimilium rerum, praeiudiciorū, legum, &c. alias quoque a ſcripto ſic fuiſſe iudicatum.

IX. Nono, τὰ ἐκβάντα, pericula euentura oſtendentur, ex aduerſarij ſententia. Itaque ſcripto inhaerēdum, uerba autem negligenda eſſe dicemus.

X. Decimo,

x. Decimo, κοινῷ τόπῳ, loco communi, qui διαβολὴν habeat, contra eum, qui a uerbis legiſlatoris diſcedit, & ſua opinione illa exponit.

Legem autem ſcriptam maximam uim habere debere, ait Cicero pro Murena: Maiores, inquit, noluerunt, ut ex ſuo quiſque ſenſu aequitatem metiretur, ſed ad leges confugeretur: legiſlatorem hoc deſtinare, ut in publicum proſit, non habita ratione, & aliquo incommodo priuati praemerentur. quod eleganter dixit Caſsius apud Cornelium Tacitum, his uerbis: Satius eſſe ſeruare leges, quae conſtitutae ſunt, etiam ſi grauent, quam ab eis diſcedere, ut nihil ſit in rep. certi. reſp. creſcere, & augeri, in quibus ſtetur; decreſcere, ſi a ſcripto pro cuiuſ ſuis captu recedatur.

CVM *uoluntas ſcriptoris cum ſcripto diſſidere uidebitur,*] cum ſcriptor legis uidebitur aliud uoluiſſe, & ſcriptum aliud uideatur iubere. HIS *locis*] argumentis. SECVNDVM *narrationem,*] aut, poſt narrationem: eſt enim primum narrandum, ſecundum naturalem ordinem, deinde uero confirmandum; etſi id ſemper fieri non poſsit in coniecturali conſtitutione, in qua plerunque narratio, & confirmatio commiſcentur. aut, iuxta id, quod narramus. quoniam debemus ſic argumentis confirmationis uti, ut ipſa argumenta conueniant noſtrae narrationi. COLLAVDATIONE.] ſimul laudatione. nam ſcriptorem legis oportet a pluribus uirtutibus laudare: ut a prudentia, temperantia, fortitudine, iuſtitia. Triplex eſt laus, animi, corporis, fortunae. hoc loco animi laudem complectitur. RECITATIONE.] pronunciatione. patentius coram iudice aduerſarij crimen oſtendendo, ut auditoris animus abalienetur. PERCVNCTATIONE,] diligenti interrogatione. SCIRENT *ne*] nam, ſi dixerint aduerſarij, neſciuiſſe eam fuiſſe legem, id eis prodeſſe non debebit, quoniam nemini licet ius ſuum ignorare; ſin fateantur ſciuiſſe legem, grauiori poena puniendi, quod contra legem ſcienter fecerint. IN *lege,*] quae a toto populo promulgatur, interrogante & populo. AVT *in teſtamento,*] in quo conſtituitur heres. STIPVLATIONE,] Stipulatio eſt proprie, ubi reſponſio continetur cum interrogatione praecedente. QVOD *ad eandem rem pertineat.*] de cuius uerbis, & ſententia controuerſia naſcitur. COLLATIONE,] comparatione. QVID *ſcriptum ſit,*] ut, ne quis tempore belli portas aperiat. QVID *aduerſarij ſe feciſſe dicant,*] ut, aperuiſſe portas belli tempore. QVID *iudicem ſequi conueniat,*] ut ſupplicium de reo ſumatur, & quod ſcriptum ſit exſequatur, non quod ab aduerſariis factum eſſe dicant. PERSCRIPTVM *ſit,*] ab eo, qui legem ſcripſit. ACVTE] cum ſagacitate; addendo, uel minuendo. EXCOGITATVM.] ab aduerſariis. Excogitare, eſt, cogitando aliquid inuenire. ATTRIBVTA,] data. ab aduerſario. cum dicat, Lex ſic iubet. CONTEMNETVR, *& infirmabitur.*] contemptibilis oſtendetur, & infirma. ut, ſi dicatur, ſequi oportere ſcriptum, non ſententiam. quod ſi ſententiam ſequerētur iudices, tot eſſent, quot humani intellectus. & ita nihil ualerent leges, neque umquam ad iudicationem perueniretur. QVID *ei obfuerit,*] legislatori. SI *id uoluiſſet ſcribere,*] adſcribere legi, quod dicunt aduerſarij. VT *non potuerit perſcribere.*] ſcriptor legis, quod aduerſarij ſentiunt. DILVCIDE,] aperte. BREVITER,] rebus tantum neceſſariis. COMMODE,] inutiliter. PERFECTE,] ut nihil deſit. CERTA *cum ratione.*] doctrina. EXEMPLA] a ſimili. PROFERENTVR,] dicentur, demonſtrabuntur. in ſimili cauſſa. *Exempla proferentur, quae res:* ſubaudi, Earum rerum. SENTENTIA, *& uoluntas*] ſcriptoris. A *ſcripto*] ſecundum uerba ſcripta, potius, quam a ſententia, & uoluntate, quae in hac cauſſa uos quoque facere aequum. A *ſcripto recedere.*] ſcripta negligere, quibus & publice, & priuate gubernantur, & uiuendi uia ciuibus paratur. Et eſt locus ab euentu. LOCVS *communis*] ut, Quicumque fecerit contra legem, uel ſcriptum aliquod, poena afficiatur. aduerſarius meus contra legem, uel ſcriptum molitus eſt: igitur puniendus eſt.

A. SENTENTIA] XIV

A Sententia ſic dicemus: Primum laudabimus ſcriptoris commoditatem atque breuitatem, quod tantum ſcripſerit, quod neceſſe fuerit; illud, quod ſine ſcripto intelligi potuerit, non neceſſario ſcribendum putarit. Deinde dicemus calumniatorius eſſe officium, uerba, & litteras ſequi, negligere uoluntatem. Deinde id, quod ſcriptum ſit, aut non poſſe fieri, aut non lege, non more, non natura, non aequo & bono poſſe fieri: quare omnia ſcriptorem uoluiſſe quam rectiſſime fieri, non dubitet: at ea, quae a nobis facta ſint, iuſtiſſime facta. Deinde contrariam ſententiam, aut nullam eſſe, aut ſtultam, aut iniuſtam, aut non poſse fieri, aut non conſtare cum ſuperioribus & inferioribus ſententiis, aut cum iure communi, aut cum aliis legibus communibus, aut cum rebus iudicatis diſſentire. Deinde exemplorum a uoluntate, & contra ſcriptum iudicatorum enumeratione utemur. Deinde legum & ſtipulationum breuiter exſcriptarum, in quibus intelligatur ſcriptorum uoluntas. Locus communis contra eum, qui ſcriptum recitet, & ſcriptoris uoluntatem non interpretetur.

EXPLANATIO

IN defenſione ſententiae locis utemur:

A ſcriptoris commoditate, atque breuitate, quod tantum ſcripſerit, quod neceſſe fuerit: illud, quod ſine ſcripto intelligi potuerit, non neceſſario ſcribendum putarit.

A fraudulenta interpretatione, ſi dicemus, non uiri boni, ſed calumniatoris eſſe officium, uerba, & litteras ſequi, negligere ſententiam.

Contra ſcriptum, cum id oſtendemus, aut non poſſe fieri, aut non lege, non more, non natura, non bono & aequo poſſe fieri, quae omnia uoluiſſe ſcriptorem quam rectiſsime fieri nemo dubitet. at ea, quae a nobis facta ſint, iuſtiſsime facta.

A contraria ſententia, ſi aut nullam eſſe proferemus, aut ſtultam, aut iniuſtam, aut non poſſe fieri, aut non conſtare cum ſuperioribus, & inferioribus ſententiis, aut cum iure communi, aut cum aliis legibus communibus, aut cum rebus iudicatis diſſentire.

Ab enumeratione exemplorum, a uoluntate, & contra ſcriptum iudicatorum.

Ab enumeratione legum, & ſtipulationum breuiter exemptarum, in quibus intelligatur ſcriptorum uoluntas, & expoſitio.

A loco communi, contra eum, qui ſcriptum retinet, & uoluntatem ſcriptoris non interpretetur: ut pro Caecina Cicero, cum ſententiam contra ſcriptum defendit.

PARS igitur altera huius loci eſt, cum a ſententia, quam Graeci διάνοιαν uocant, ideſt. a ſcriptoris uoluntate, dicimus. nam prima pars pro ipſa re, hoc eſt, pro ſcripto fuit. Haec pars ſeptem habet capita, ut dixi, πρόκρισιν, διαβολὴν, τὸ δίκαιον, καὶ τὸ δυνατὸν, ἀντεξέτασιν, ἐλέγχους, θέσιν. PRIMVM] Πρόκρισις ſcriptoris habet laudem ἐγκώμιον, quod aperta illius ſit ſententia, ut explicatione non egeat: quia neceſſaria ſcripſerit, & quae ſine ſcripto intelligi poſsint, omiſerit. Διαβολὴ ſequitur πρόκρισιν, quae eſt, cum aduerſarium reprehendimus, qui neglecta ſententia, litteras ſolum ſequitur. Eſt enim calumniator, iniquus uerborum interpres. τὸ δίκαιον, καὶ τὸ δυνατὸν, ex locis cauſſarum efficientium ſumuntur, atque effectorum: quae ab aduerſario neglecta eſſe oſtendendum eſt; non potuiſſe fieri id, quod ſcriptum ſit, aut non lege, non more, non natura, non bono, & aequo poſſe fieri. Hi enim honeſtatis loci ſunt. Tractabitur autem etiam hic locus κατὰ σύγκρισιν, cum facta noſtra cum ſcripto conferemus, id intelligit his uerbis: At ea, quae a nobis facta ſunt, iuſtiſsime facta. Perficitur autem haec comparatio in loco quarto, ideo ea, quae hic dicuntur, recte cum illo coniunguntur. DEINDE *contrariam*] Hic comparatio inchoata perficitur. Eſt autem ἀντεξέτασις, utriuſque interpretationis collatio, quae duplex eſt: ſimplex, cum duo inter ſe ſimpliciter conferuntur: compoſita, quae habet ἐπιμονὴν, καὶ ἐπεξεργασίαν, uel in parte; ut illud Virgilij,

Tytire, tu patulae recubans ſub tegmine fagi,
Silueſtrem tenui meditaris arundine muſam:
Nos patriae fines, & dulcia linquimus arua:
Nos patriam fugimus, tu, Tytire, lentus in umbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſilua.

Vel eſt in integro: ut in Diuinatione Ciceronis: Ac uide, quantum interfuturum ſit inter meam, atque tuã accuſationem, &c. in media oratione. Vtemur igitur hoc in loco comparatione plena, & oſtendemus, ſententiam contrariam aut nullam eſſe, aut ſtultam, aut iniuſtam, aut non poſſe fieri, &c. Sententia nulla eſt, quae non eſt in uſu, uel quia res non eſt, uel quia nihil ſignificat. Stulta eſt, quae non eſt rei praeſentis; ſtultũ enim eſt, optari, quod conſequi non poteſt: idq. uel in magnis uel in paruis rebus. Iniuſta eſt, quae cum honeſto pugnat. Quae fieri non poteſt, ea contra naturam eſt. Quae cum ſuperioribus, atque inferioribus ſententiis, in iure communi, cum aliis legibus communibus, cum rebus iudicatis diſſentiunt, illa recipienda non ſunt. Sententias ſuperiores, & inferiores intelligit eiuſdem ſcripti. DEINDE *exemplorum*] Caput quinctũ eſt, ἔλεγχος παραδειγματικός: cum enumeratione exemplorum contra ſcriptum iudicatum eſſe oſtendemus. Horum inuentio ἄτεχνος eſt, ἐργασία uero τεχνική: quoniam non ab oratore inueniuntur, ſed ab aliis ſumpta arte illius tractantur. DEINDE *legum*] Caput ſextum. LOCVS *communis*] Septimum caput eſt, θέσις, ἢ κοινὸς τόπος: locus communis contra eum, qui, neglecta ſcriptoris uoluntate, ſcripto nitatur. Sententiam reſpiciendam eſſe, non uerba: quae rerum ſimulacra eſſe debent.

COMMODITATEM, *atque breuitatem*,] commodam breuitatem. NECESSE] ad intelligentiam. INTELLIGI *potuerit*,] ex eo, quod ſcriptum ſit. CALVMNIATORIS] Calumniator eſt, qui falſo quempiam accuſat. VERBA, *& litteras*] Et, pro Ideſt. VOLVNTATEM.] ſententiam ſcriptoris. AVT *non poſſe fieri*,] Duplex eſt impotentia, uniuerſalis, quando nullo modo quid poteſt fieri; particularis, quando per unum, & non per aliud, quidquam poteſt fieri. AVT *non lege*,] Lex, in ſcripto. NON *more*,] Mos, eſt conſuetudo extra ſcriptum. NON *natura*,] naturali iure. ut, colere parentes. NON *bono*, *& aequo*] ideſt, honeſto, & utili. nam aequiuocum appellat honeſtum, bonum utile, & aequum appellat ius ciuile. A. NOBIS] a ſcriptore legis. nam patronus, & defenſor de eo, quem defendit, in perſona ſua loquitur. IVSTISSIME *facta*.] lege, more, natura, bono, & aeqno. CONTRARIAM *ſententiam*,] quae contra effertur ab aduerſario ſententiae ſcriptoris. AVT *nullam*] aut friuolam, aut nulli niſam intellectui. AVT *ſtultam*,] quae ſtulte aliquid fieri dicit. AVT *iniuſtam*,] quae diſſona eſt a iuſto. AVT *non poſſe fieri*,] rite, & licenter. AVT non conſtare] non conuenire. CVM *ſuperioribus, & inferioribus ſententiis*,] cum ſententiis, quae latae fuerint aut in maioribus, aut in minoribus cauſsis. AVT *cum iure communi*,] naturali. ut: Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris. AVT *cum aliis legibus communibus*,] quas appellat iura ciuilia. AVT *cum rebus iudicatis*] a ſimili. A. VOLVNTATE,] ab eo, qui ſcit uoluntatem ſcriptoris, & ſententiam attendit. CONTRA *ſcriptum*,] contra illos, qui ſcripto nituntur, & ſciunt illud. BREVITER *exſcriptarum*,] Placet, Exceptarum. nam Exceptores dicuntur ſcribae, qui expedite notant. l. ſed artes, §. finali, ff. locati. INTELLIGATVR] manifeſtum ſit, tenendam eſſe ſententiam, non ſcripta. EXPOSITIO.] declaratio. VOLVNTATEM *ſcriptoris non interpretetur*.] expoſitionem uoluntatis negligat.

LEGES. CONTRARIAE. XV

CVM duae leges inter ſe diſcrepant, uidendum eſt primum, num quae abrogatio, aut derogatio ſit. Deinde utrum leges ita diſſentiant, ut altera iubeat, altera uetet; an ita, ut altera cogat, altera permittat. Infirma enim erit eius defenſio, qui negabit ſe feciſſe quod cogeretur, cum altera lex permitteret. plus enim ualet ſanctio permiſſione. Item illa defenſio tenuis eſt, cum oſtenditur id factum eſſe, quod ea lex ſanciat, cui legi abrogatum, uel derogatum ſit; id, quod poſteriori lege ſancitum ſit, eſſe neglectum. Cum haec erunt conſiderata, ſtatim noſtrae legis expoſitione recitatione, collaudatione utemur. Deinde contrariae legis enodabimus uoluntatem, & eam trademus ad noſtrae cauſſae commodum. Deinde de iuridiciali abſoluta ſumemus rationem iuris, & quaeremus partem iuris, utrum cum ea faciat: de qua parte poſterius differemus.

EXPLANATIO

CONTROVERSIA conſtat ex contrariis legibus, cum alia lex iubet, aut permittit, alia uetat quippiam fieri: uel, cum inter ſe duae uidentur leges, aut plures diſcrepare. hoc modo. Lex eſt, Qui tyrannum occiderit, olympiarum praemium capito, & quam uolet ſibi rem a magiſtratu depoſcito, & magiſtratus ei concedito. Et altera lex, Tyranno occiſo, quinque eius proximos cognatione magiſtratus necato. Alexandrum, qui apud Pheraeos in Theſſalia tyrannidem occuparat, uxor ſua, cui Thebe nomen fuit, noctu cum ſimul cubaret, occidit. haec filium ſuum, quem ex tyranno habebat, ſibi praemij loco depoſcit. Sunt, qui ex lege puerum occidi dicant. Res in iudicio eſt: conſtitutio legitima ex contrariis legibus conſtat.

Legum controuerſias diſſoluemus, ſi

Videbimus, num quae abrogatio, aut derogatio ſit: utra lex ad maiores, hoc eſt ad utiliores, ad honeſtiores, ac magis neceſſarias res pertineat. Hinc quattuor regulas ſcriptores praecipiunt. Lex inferior cedit ſuperiori. Lex ſpecialis derogat generali. Lex humana cedit diuinae. Leges ueteres corriguntur, aut abrogantur nouis.

Conſiderabimus, num leges ita diſſentiant, ut altera iubeat, altera uetet: an ita, ut altera cogat, altera permittat.

Vtemur noſtrae legis expoſitione, recitatione, collaudatione.

Exponemus contrariae legis uoluntatem, & eam trahemus ad noſtrae cauſſae commodum.

Sumemus de iuridiciali abſoluta rationem iuris, & quaeremus partem iuris, utrum cum ea faciat: de qua parte poſterius dicetur.

LOCVS ſecundus conſtitutionis legitimae eſt ipſa ἀντινομία, ſtatus contrariarum legum, in cuius inuentione ſeptem ſunt ſpectanda capita. Primum, τὸ ἀξίωμα τοῦ ῥητοῦ, auctoritas legum, quae in abrogatione, aut derogatione conſideratur. haec in parte, illa in tota lege fieri ſolet. Cum igitur lex aliqua abrogatur, & alia fertur, plus haec, quam illa, habebit auctoritatis. Deinde etiam illa plus ualet, in qua facta derogatio eſt, quam quae eſt omnino abrogata. ABROGATIO,] ideſt, num ex toto deſtructa ſit illa lex, & deleta. Abrogare, enim penitus deſtruere. DEROGATIO] ideſt, utrum aliqua in parte deſtructa. itaque uidendum eſt, cum controuerſia. ſit ex contrariis legibus, utrum lex nobis contraria ſit abrogata, uel derogata. Si uel abrogata fuerit, uel derogata, nullam habet uim contra eam, cni nulla in parte derogatum ſit, uel abrogatum. item, ſi altera ſit derogata, & altera abrogata, maiorem uim habet, cui derogatum ſit, quam cui abrogatum. DEINDE, *utrum*] Alterum eſt, διαφορὰ τοῦ ῥητοῦ, diſcrimen legum inter ſe, quod duplex eſt: uel enim iubet altera, & altera uetat: quae ſunt ἀποφατικαὶ contradictoriae. uel altera iubet aliquid, & altera permittit: quarum ſententiae ſunt inter ſe differentes quidem, ſed non pugnant. Iubemus autem licita, atque neceſſaria, permittimus non neceſſaria, & nonnumquam etiam legibus prohibita. ITA *diſſentiant, ut altera iubeat, altera uetet:*] ut ea lex, quae uetat, eum, qui de pecuniis repetundis damnatus ſit, in cōcione orationem habere; altera lex iubet, augurem, in demortui locum qui petat, in concione nominare. Augur quidam, damnatus de pecuniis repetundis, in demortui locum qui petat, in concione nominauit. PERMITTAT.] ut faciam, ſi uelim; uel non faciam ſi nolim. INFIRMA] reddit cauſſam, ut praedictae leges conſiderandae ſunt; ſiue huius praeceptionis, quare legum differentia obſeruanda ſit. nam ſi quis defendat ſe per legem permittentem, cum ſpreuerit, quod praecipit lex cogens, infirma erit eius defenſio. plus enim ualet ſanctio permiſsione: & firmius eſt id, quod eſt poſteriore lege ſancitum, quam ea lex, cui eſt uel abrogatum, uel derogatum. SANCTIO] lex cogens. PERMISSIONE.] lege permittente. ITEM *illa defenſio tenuis eſt,*] quaſi dicat: Si quis defendit per legem abrogatam, contra legem non abrogatam, tenuis eſt defenſio, & infirma. SANCIAT,] firmet, ſtatuat. ABROGATVM,] in totum. DEROGATVM] in partem. POSTERIORI *lege*] lata poſt abrogatam, uel derogatam. Legibus enim abrogatis, uel derogatis, inſtituebatur leges, quae firmiores eſſent. Et eſt locus ab auctoritate ſcripti. SANCITVM] firmatum. CVM haec erunt conſiderata,] Caput tertium eſt ἔκθεσις, καὶ ἑρμήνεια, expoſitio, atque interpretatio ſcripti: quartum, ἀνάγνωσις, ſcripti recitatio: quinctum, πρόκρισις, oratoris de lege iudicium, atque collaudatio. Haec tria coniungit, quia prius explicata. Expoſitio, eſt legis, & ſcripti explicatio. cui recte ſubiungit Recitationem. omnis enim ſcripti expoſitio uel eſt ſeparata a ſcripto, uel cum ſcripto coniuncta. ſeparata uel praeponitur, uel poſtponitur. ſi uero coniuncta eſt, ſingula cum ipſo ſcripto exponenda ſunt. Collaudatio fit in qualitate perſonae, rei praeſentis, & olim inuentae. NOSTRAE *legis expoſitione,*] cui haeremus, quoad ſententiam. RECITATIONE,] quoad uerba. COLLAVDATIONE]

quoad ſcriptorem, uel legem,, qui locus multiplex ſecundum laudationis genus.]Deinde *contrariae legis*]
Sextum eſt, ἔκθεσις τοῦ ἐναντίου νόμου, contrariae legis expoſitio: quae primum habebit ἔκθεσιν, deinde ἀνάγνωσιν,
tertio παράκρισιν διαβλητικὴν, legis contrariae expoſitionem, recitationem, uituperationem. Contrariae
legis:] quae affertur ab aduerſariis. Enodabimvs *uoluntatem*,] exponemus ſententiam. Et *eam*] Cauſ-
ſam finalem huius praecepti oſtendit. *Et eam*: legem, uel uoluntatem. Trahemvs *ad noſtrae cauſſae*
commodum.] noſtrae partis, ut uideatur cum noſtra lege conuenire. Deinde *de iuridiciali*] Caput po-
ſtremum eſt ἀντίληψις, abſoluta ſententiae, atque cauſſae noſtrae defenſio: quae ex ipſo iure, ac honeſtate ſu-
mitur, de quibus in ſtatu iuridiciali dicendum erit. Svmemvs *rationem iuris*,] adducendo rationem, id ip-
ſum, quod factum eſt, iure factum eſſe, ut aliud nihil foris aſſumatur. de qua iuridiciali abſoluta dictum eſt ſu
pra. Qvaeremvs *partem iuris*,] nã conſtat ius ex his partibus, natura, lege, conſuetudine, iudicato, aequo
& bono, pacto. Vtrvm *cum ea faciat*:] ideſt, utrum conueniant partes iuris ei legi, cui nititur. nam illa
lex tenenda, cum qua partes iuris conſentiunt.

AMBIGVVM. XVI

SI ambiguum eſſe ſcriptum putabitur, quod in duas aut plures ſententias trahi poſſit, hoc modo tractandum eſt. Primum, ſit ne ambiguum, quaerendum eſt. Deinde, quo modo ſcriptum eſſet, ſi id, quod aduerſarij interpretantur, ſcriptor fieri uoluiſset, oſtendendum eſt. Deinde id, quod non interpretemur, & fieri poſſe, & honeſte, recte, lege, more, natura, aequo & bono fieri poſſe; quod aduerſarij interpretantur, a contrario: nec eſſe ambigue ſcriptum, cum intelligatur utra ſententia uera ſit. Sunt, qui arbitrentur ad hanc cauſsam tractandam uehementer pertinere cognitionem amphibologiarum eam, quae a dialecticis profertur. nos uero arbitramur, non modo nullo adiumento eſſe, ſed potius maximo impedimento. omnes enim illi amphibologias aucupantur, eas etiam, quae ex altera parte ſententiam nullam poſſunt interpretari. itaque & alieni ſermonis moleſti interpellatores, & ſcripti tum odioſi, tum obſcuri interpretes ſunt: & dum caute, & expedite loqui uolunt, infantiſſimi reperiuntur. ita dum metuunt, in dicendo ne quid ambiguum dicant, nomen ſuum pronunciare non poſſunt. uerum horum pueriles opiniones rectiſſimis rationibus, cum uoles, refellemus. in praeſentia haec interſerere non alienum fuit, ut huius infantiae garrulam diſciplinam contemneremus.

EXPLANATIO

Controversia naſcitur ex ambiguo, cum ſcriptum duas, aut plures res ſignificat. hoc modo: Paterfamilias, cum filium heredem faceret, teſtamento uaſa argentea uxori legauit. Tullius heres meus Terentiae uxori meae triginta pondo uaſorum argenteorum dato, quae uolet. poſt mortem eius uaſa pretioſa, & caelata magnifice, illa petit. Tullius ſe, quae uelit ipſe, triginta pondo ei debere dicit. Conſtitutio eſt legitima ex ambiguo.

Controuerſia naſcitur ex ambiguo, cum aut ſtructus legis ſcriptae uariat, aut diuiſio orationis coniunctae obſcurat, aut uaria uerborum poteſtas incidit: ut interim alias ſpecies tranſeamus, quae ſunt innumerabiles, teſte Quinctiliano lib. VII. cap. 10. qui ait, fuiſſe philoſophos, quibus nullum eſſe uerbum uidebatur, quod nõ plura ſignificare poſſet. ex qua opinione logici ſophiſtae in ſophiſmatis, & fallaciis omne uerbum torquent, aut ita ſeparant, ac ſimplicia implicant. Structus orationis ambigit, ſi accuſandi caſus concurrant: ut, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Ambiguum oraculum, an ne Romanos Pyrrhus, an hi illum uincerent. Diuiſio orationis iunctae, cum dubitatur, quae dictio quo referri debeat: ut, Teſtamento iuſsit poni ſtatuam auream haſtam tenentem. An ſtatua ſit aurea, an haſta, ambiguum eſt. quae res flexu uocis diſcernitur, teſte Quinctiliano, ut poni iuſsit ſtatuam auream (hic uox deflectitur) haſtam tenentem. qui flexus uocis non recipitur facile, ſed potius alio modo. ut, Iuſsit poni ſtatuam, auream haſtam tenentem. Varia uerborum poteſtas eſt in aequiuocis, ut in curſu fluminis, ac pedum, in cane, gallo, tauro, aquila. Eſt & ambiguum in reciprocatione pronominis Suus, ſibi, &c. ſi ea pronomina tertias perſonas ſequantur. ut Publius Caium rogat cauere, curet, ne quid ſibi accidat. Ambiguum, an ſibi Publio, an ſibi Caio. Soluuntur autem orationes dubiae, ut praeferas illud, quod eſt aequius, quod eſt naturae, condicioni, tempori, perſonae magis congruens: quod hic dicitur; l. cum teſtamento, ff. de rebus dubiis. Item praefertur, quod tutius eſt; l. in ambiguis, ff. de reg. iur. Item, quod minus habet captionis, ideſt decipulae fraudis; l. quoties iidem, eodem ſit. Itẽ, quod uitio caret; l. quamuis ſecum, ff. de rebus dubiis. Item in contractibus ambiguis contra ſtipulatorem ſit interpretatio, qui potuit legem apertius ſcribere; l. ueteribus, ff. de pactis; l. cum quaeritur, ff. de reb. dub. Ceterum, ſi nihil illorum praeferri poſsit, utpote quod diſpoſitio tota ſit ambigua, tunc res uitiat, neutri ſtabitur, reiicietur totum, & incidet in aſyſtaton ambigui. & ita intelligendi loci, in l. duo ſunt Titij, ff. de teſt. tut. & in l. in ambiguo, ff. de reb. dub.

Ambiguum, Graecis ἀμφιβολία dicitur. ea eſt, cum τὸ ῥητὸν eſt πολύσημον, quando ſcriptum in duas, aut plures ſententias trahi poteſt. πᾶν δὲ τὸ ῥητὸν ἐστὶ ἢ γεγραμμένον, ἢ ἄγραφον. quare per ſcriptum intelligenda ſunt & deorum oracula, & prudentum reſponſa, ac pronunciata. Huius ſtatus tria facit capita: An ſit ambiguum, explicationem ambigui, & qualitatem infinitam. Demum addit reprehenſionem eorum, qui nimium curioſe de locis dialecticis hoc in loco praecipiunt.

Primvm, *ſit ne ambiguum*,] Primum caput eſt, ἢ ἐστὶ ἀμφίβολον, an ſit ambiguum: de quo diligentiſsime prae-
cepit

cepit Ariſtoteles in Topicis, περὶ τῶν ποσαχῶς λεγομένων. *Sit ne ambiguum*: qua in quaeſtione, ſi fieri poterit, utraque pars oſtendet non eſſe ambigue ſcriptum, propterea quod omnes in conſuetudine ſermonis, ſicuti ſoleant ex uerbo uno, pluribus ue in ea ſententia, in qua is, qui dicet accipiendum eſſe, demonſtrabit. QVAERENDVM *eſt*.] nam aliud ſaepe uidetur, quod re ipſa non eſt ambiguum. ſtante enim ambiguo, ſtat quaeſtio; &, amoto ambiguo, amouetur quaeſtio. DEINDE, *quo modo ſcriptum eſſet*,] Alterum eſt, ἢ τοῦ ἑτέρου νόμου ἔκφασις, expoſitio alterius legis, qua oſtenditur, nullam eſſe ambiguitatem: alioqui ſic ſcripturum fuiſſe legiſlatorem, ſi ita, ut aduerſarij interpretantur, uoluiſſet fieri. Fit autem haec explicatio mutatione uel uerborum; ut, Mea bona do Cunctaleonti; uel collocationis, ut, Mea bona cuncta do Leonti. *Deinde, quo modo*: nam, conſiderato modo, ambiguitas facile remouetur. DEINDE, *id quod nos interpretemur*,] Tertium eſt ποιότης θετική, qualitas infinita, quae duplex eſt: πραγματική, negotialis, poſſe fieri: & ἀντιληπτική, abſoluta, honeſte, & recte fieri poſſe. Lex, mos, natura, bonum, aequum, ſub honeſtate comprehenduntur. Tractanda eſt haec qualitas συγκρίσει, qua manifeſtum fit, nullam eſſe ambiguitatem: dum oſtenditur, aduerſarij interpretationem nec poſſe, nec honeſte poſſe fieri. quod his uerbis dicit: Quod aduerſarij interpretantur e contrario: nec eſſe ambigue ſcriptum, cum intelligatur, utra ſententia uera ſit. habet enim qualitas iſta primum τὸ δίκαιον: quae enim conceſſa non ſunt, illa fieri minime debent. HONESTE,] quoad uirtutem. RECTE,] quoad aequũ. LEGE,] quod ei rei lex non aduerſetur, nec id fieri uetat. MORE,] iure conſuetudinis. nam Mos eſt lex non ſcripta. NATVRA,] iure naturali. ut Pater. quod praeter omnia diligat filium. BONO,] utili, uel ueritate. AEQVO] iuſto, & communi utilitate. A. CONTRARIO.] ſcilicet, oſtendendum. NEC *eſſe ambigue ſcriptum*,] illud ambiguum uideri debere, cuius ſententia, an uera ſit, dubitetur. SVNT, *qui arbitrantur*] Reprehendit nunc, quaſi occupatione quadam, eorum errorem, qui oratorem dialecticis etiam praeceptis adſtringere uolunt, a quibus oratorem auocat. eſt enim magnum inter oratoris, atque dialectici diſcrepationem diſcrimen. hic enim certis eſt adſtrictus legibus, quae nimis ſunt anguſtae: ille uero liberior eſt, nec ſe uinculis dialecticorum conſtringi patitur, quia uulgo loquitur. Ideoq. Cicero, in Partitionibus, cum locos ueros expoſuiſſet, etiam non ueros, ſed tamen ſimiles ſubiungit: cum dicit: Vt genus, & ſpecies, &c. *Sunt, qui*: ὑποφορά, ſiu e propoſitio eorum, qui locos dialecticos ambiguitatis omnes oratori neceſſarios eſſe iudicant. *Sunt, qui*: Exponit hic quandam Graecorum de ambiguo ſententiam, & eam confutat, utpote minus neceſſariam. nam arbitrati ſunt nonnulli, huiuſmodi quaeſtionem non poſſe ſine cognitione amphibologiarũ tractari: quoniam ambiguum uerſatur in amphibologicis, aequiuocatione uocabulorum, quae traduntur a dialecticis. AD *hanc cauſſam*] ambigui. AMPHIBOLOGIARVM] dictionum ambiguarum. EAM,] cognitionem amphibologiarum, quae aut unam aliquam partem aequiuocam habent, ut, Canis mouetur; aut tota ambigua, ut, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. A *dialecticis*] Dialectica eſt diſciplina, ad diſcernendum rerum cauſſas intellectum mentis acuens, ueraq. a falſis diſtinguens. PROFERTVR.] ſophiſticis enim locutionibus utuntur dialectici, argutis, captioſis, & callidis. in qua re uituperat eos, qui putant Amphibologias ad oratores pertinere; quibus licet, late, dicendo, uagari. OMNES *enim illi*] Ratio ab inutili. Forte autem ea ſignificat, quae ab Ariſtotele 1. Elenchorum, cap. 3 tractantur, ubi tres modos amphibologiae inuenias. Primus, cum dictio, uel oratio principaliter plura ſignificat: qui modus eſt iuriſconſultorum. nam uerba aequiuoca, ut Quinctilianus teſtatur, in teſtamentis ſaepe occurrunt. ut, Legauit taurum. ambigunm, ſeruum ne, an iumentum uelit. Alius eſt modus, ſi uera ſignificatio tranſſumatur: ut, Litus arare. ex eo enim in iure ciuili nihil ambigui inferetur, ut ſolent Logici facere. quia ex tranſlaticiis uſurpationibus quidquam ad ueritatem inferre nefas eſt, argumento l. illicitas, §. j. ff. de off. praeſ. Et huc modum hic remouet, quia poſt uerum ſignificatum, tranſſumpta ſententia non recipitur. Tertius eſt modus, ubi diuiduntur coniuncta: & e diuerſo: uel ubi dictio ſimplex certa eſt, coniuncta dubium facit. Nos hunc modum ita recipimus, ſi poſsit flexu uocis diſcerni. Exemplum eſt in l. Pupillus, in tertio reſponſo ff. de auct. tutorum. ubi dicitur, Pupillum tutori non obligari in quantum locupletior. Verbum enim, Naturaliter, ſeparari, uel coniungi cum ſuperioribus, uel ſequentibus poteſt, quod flexu uocis diſcernimus. Et coniungi debet aptius cum ſequentibus: contra quam alij putarunt. Ceterum, ſi ex utroque diuiſim, uel coniunctim intellecto, ſententia in genere iudiciali cogere non poſsit id amphibolon reſpuentes, logicis relinquimus. Poteſt autem hoc fieri dupliciter. Aut, cũ una dictio diuiditur, ut, Cor uinum, Vi demus, In genua. quas Quinctilianus dicit eſſe ineptas cauillationes, ex quibus tamen Graeci (ideſt, ſophiſtae) controuerſias ſtruxerunt. Aut, cum dictio diuiſa ſimpliciter ueritati nititur, coniuncta ambiguum facit: ut, Scire litteras. dubium, an litterae ſciant, an alius litteras ſciat, ut Ariſtoteles eodem loco tractat. Item aliud. Putas quod quis uidet is uidet. amphibolon eſt, in uerbo Id uidet, quod ſub accuſatiuo, uel nominatiuo, coniunctim, uel ſeparatim intelligitur. quo genere eſt poſsibile, ſedentem ambulare. Huiuſmodi ineptias, tamquam in nihilo utiles, negat hic eſſe recipiendas. AVCVPANTVR,] doloſe capiunt. SENTENTIAM *nullam*] Vt, Video hominem panem comedere. impoſſibile enim eſt, ut panis comedat hominem. ITAQVE *& alieni ſermonis*] illi enim ita omnia reddidere obſcura, ut etiam dialecticae cognitione careant. Non igitur dialecticos, nec eorum praecepta reprehendit, ſed eos, qui oratorem etiam ſpinoſiora illa tractare uolunt: cuius oratio, tamquam ampliſsimus amnis, ſcopulos illos nihil moratur. INTERPELLATORES,] media oratione. INTERPRETES] qui putent, amphibologias pertinere ad oratores. ET *dum*] oſtendit effecta, quae ex nimia illa curioſitate eueniunt. CAVTE, *& expedite*] Logici enim obſcuritatem in docendo ut plurimum ſequuntur, rerum lumen tenebris obruentes. ideoq. fuere, qui ſint opinati, miſeram, & cauilloſam iſtam loquendi ſollicitudinem non modo reliquis artibus diſcendis non prodeſſe, ſed inſuper obeſſe plurimum. quod liberum ueſtigium non liceat libere ponere: ac

ſi pes

ſi pes ſpinis confixus impediretur. INFANTISSIMI] balbutientes, uidentur enim ignorare, quid dicant, & nullum ſeruant ordinem fandi. NOMEN *ſuum pronunciare non poſſunt.*] non audent proferre. nam, ſi, roges, quo nomine uocetur eorum aliquis, ſtatim timens in amphibologiam incidet. VERVM *horum pueriles opiniones*] Concluſio huius uituperationis, quae primum habet ἀπο δίωξιν, reprehenſionis longioris reiectionem; deinde αἰτιολογίαν, cur hanc uituperationem inſeruerit. *Horum*: ſic interpretantium de alienis ſcriptis, & amphibologiis. *Pueriles*: inanes. RECTISSIMIS] iuſtiſsimis. REFELLEMVS.] confutabimus. HVIVS *infantiae*] paullo enim ſupra dixit, Infantiſsimi. GARRVLAM *diſciplinam*] nam garriunt, ut aues.

DEFINITIO. XVII

CVM definitione utemur, primum afferemus breuem uocabuli definitionem, hoc modo: Maieſtatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus ciuitatis amplitudo conſtat: quae ſunt ea, quae capiunt ſuffragia populi, & magiſtratus conſilia. nempe igitur tu & populum ſuffragio, & magiſtratum conſilio priuaſti, cum pontes diſturbaſti. Item ex contrario: Maieſtatem is minuit, qui amplitudinem ciuitatis detrimento afficit. ego non affeci, ſed prohibui detrimento. aerarium enim conſeruaui, libidini malorum reſtiti, maieſtatem omnem interire non paſſus ſum. Primum igitur uocabuli ſententia breuiter, & ad utilitatem accommodatam cauſſae deſcribetur. Deinde factum noſtrum cum uerbi deſcriptione coniungetur. Deinde contrariae deſcriptionis ratio refelletur, ſi aut falſa erit, aut inutilis, aut turpis, aut iniurioſa. Id quoque ex iuris partibus ſumetur de iuridiciali abſoluta: de qua iam loquemur.

EXPLANATIO

CAVSSA conſtat ex definitione, cum in controuerſia eſt, quo nomine factum appelletur: uel, cum aut de uocabuli interpretatione contenditur; aut quid ſit res, qui in diſceptationem uenit, quaeritur: hoc modo: Cum L. Saturninus legem frumentariam de ſemiſsibus, & trientibus laturus eſſet, Q. Caepio, qui per id tempus quaeſtor urbanus erat, docuit ſenatum, aerarium non pati poſſe largitionem tantam. Senatus decreuit, ſi eam legem ad populum ferat, aduerſus remp. uideri eum facere. Saturninus ferre coepit: collegae eius intercedere: ille nihilo minus ciſtellam, in qua leges ſeruabantur, detulit. Caepio, ut illum contra ſenatus conſultum intercedentibus collegis aduerſus remp. uidit ferre, cum uiris bonis impetum facit, pontes diſturbat, ciſtas deiicit, impedimento eſt, quo minus feratur lex. arceſsitur Caepio maieſtatis laeſae. Conſtitutio eſt legitima ex definitione. uocabulum enim definitur ipſum, cum quaeritur, quid ſit minuere maieſtatem.

Quattuor ſunt praecipua capita ſtatus definitionis, ὁριστικῆς στάσεως: uidelicet, ὅρος, πρόσληψις, ἀνθορισμὸς, ἀνασκευή. Primum enim noſtram definitionem ponimus. Deinde adiungimus factum, & ad definitionem noſtram accommodamus. definitio maiorem, πρόσληψις minorem continet. Tertio loco ἀνθορισμὸς, definitio contraria aduerſarij ponitur: huius loco aliquando συλλογισμῷ ratiocinatione utuntur oratores. ut, Ciuis Rom. petit ſtatuam quia patriam tyranno liberauerit. Perſuaſi enim, inquit, ut tyrannidem deponeret. Aduerſarius contra: Non eſſe erigendam illi ſtatuam, qui tyrannum non occiderit. Inde argumentatio naſcitur: Si lex iubet ſtatuam erigendam eſſe illi, qui patriam a tyranno liberat quanto magis illi, qui ex tyranno facit ciuem bonum, reiq. publicae ſtudioſum. Poſtremo ἀνασκευὴ, definitionis aduerſarij refutatio ſequitur, quae ἀντίληψιν habebit. nam oſtendemus, definitionem eius eſſe contra leges, ius, & aequum: ideoq. illam aduerſari reip.

Placet hoc loco duo inueſtigare. Primum, quod definitionis genus hic tractetur. Deinde, an definitionis ſtatus ſit legitimus. Super priore illo, eſt ſciendum, duo eſſe definitionum genera. unum ex genere, & differentiis conſtat, quod dialectici tractant. in quo tamen nomine differentiae non putes ueras rerum differentias te aſſequi, quae a nobis cognoſci non poſſunt, niſi forte in homine. ceterum uſurpatae ſunt, ac uſu receptae. nempe, quod uerborum ambitu, & circuitu ueras differentias circum loquimur, ut gannire in uulpe, hinnire in equo, & ita de aliis. In eo definitionis genere praeceptum certum traditur, ita definitionem committi cum definito, ut definito conueniat: & uiciſsim definiti uis ſe ultra definitionem non effundat. Aliud eſt genus euagatius, in quo qui definit, ſeſe ad praecepta dialectica adeo non adſtringit, ut, ſiue deſcribat, ſiue definiat, aliis ue uerbis rem dilucidet, dum uis rei, uel nominis, uel iudici, uel auditori cognita fiat, definiſſe dicetur: ut teſtatur Quinctilianus lib. VII. cap. 4 qui dicit, finitionem rei propoſitae propriam, dilucidam, & breuiter comprehenſam enunciationem. Prius illud genus Dialecticorum in Iure ciuili, & in Rhetoricis raro tractatur. ad eas enim anguſtias, ad ea ſaepta, quibus ſe Dialectici concludunt, quam Quinctilianus Seruitutem nominat, in cauſsis uel dicendis, uel decidendis non adſtringimur. quando neceſſe eſt, circumferre oculos, & quaſi omnes rerum angulos perquirere, ne definitum a definitione, uel haec ab illo excedat. quod diſputaturis, quam cauſſas acturis, eſt commodius. ſi quidem hi adnituntur, qualiter iudicem perſuadeant; illi, quo modo & uincant, & uinciant. Hoc ſentiens Vlpianus iuriſconſultus dicit, omnem definitionem in iure ciuili eſſe periculoſam, & ex modico ſubuerti poſſe. Quod Accurſius cum non intellexiſſet, multa extra propoſitum miſcet. Sed & Quinctilianus lib. III. cap. 5. putat, nihil in uniuerſum finitione comprehendi poſſe. Iuris perito igitur, & Oratori ſuffecerit, ſi rem ex poſteriore definitionis genere finiat, ſecurus, quibus uerbis, dum commode, & proprie, ut iudici res controuerſa innoteſcat. qnod aliquando ex cauſsis definimus: ut,

cum dicimus, panem eſſe, qui ex farina, & aqua in fornace coquatur: item, libertinos eſſe, qui ex iuſta ſeruitute manumiſsi ſunt: ſic peculium eſſe, quod dominus ſeruo dat negotiandi cauſſa. Item a partiaria collectione: ſic Imperator definit ius ſcriptum eſſe, legem, plebiſcitum, ſenatuſconſultum, conſtitutionem principis, reſponſa prudentum. inſt. de iuſt. & iure, §. ſcriptum. Item ab aliis quibuſcumque accidentibus definimus: ut ciuitas eſt multitudo collecta ad ciuilem conuentum, legibus, & moribus coniuncta. Sic Dolum malum definit Iuriſconſultus eſſe calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum fallendum, & decipiēdum proditam. l. 1. ff. de dolo malo. Et, ut quidam addas licentius; definitiones in controuerſiis ſaepenumero a factis, & a relictis ſumuntur. nam accuſator definiet rem ab iis, quae reus fecit, e regione defenſor ab iis, quae reus reliquit. ut accuſatus ſacrilegij, quod uas argenteum ex templo ſuſtulerit. furtum quidem cōmiſiſſe fatetur, ſacrilegium negat. hic a factis definiet accuſator, ſacrilegium eſſe, de ſacro etiam uaſa priuata fraudulenter ſurripere. reus cum negaſſet, ſe quidquam ſacrum attigiſſe, ſed ea omnia, quae ſacra erant, intacta reliquiſſe: iam a relictis definiet, ſacrilegium eſſe, rem ſacram a ſacro ſurripere. ſi quidem, quia rem ſacram reliquit intactam, a relictis definiuit. Sic in ſumma totam uim, & poteſtatem uocabuli ad noſtrae cauſſae commodum comprehendit. Quod adeo uerum eſt, ut aliquando impertinenter a litigatoribus definiatur, quam nominant uiolentam definitionem. ut, ſi aeger ille, qui in naui deſerta permanſit, ſic definiat, permanere in naui, quam ceteri deſerunt, nil aliud eſt, quam conſeruare nauem. quae uiolenta eſt definitio. Quamuis ergo Rhetoricis, & Iuriſconſultis latiſsimus ſit definiendi campus, hoc tamen perpetuum eſt definitioni, quibuſcūque uerbis enuncietur, ut uerba faciant rem definitam differre ab aliis. alias fruſtra definiremus. ſicut Plato, qui dicebat, hominem eſſe bipedem, ſine pennis. In cuius auditorium Diogenes immiſit gallum deplumatum, dicens hunc eſſe hominem Platonis. Hoc eſt, quod Quinctilianus dicto loco dicit, impugnari definitiones tamquam imperfectas, ſi rei natura non ex iuſto explicetur. Quo nomine reprobatur definitio Seruij iuriſconſulti ſuper dolo malo, ut d. l. 1. §. 1. ff. de dolo malo. Sed nunc ad aliud, quod promiſimus, reuertamur. Status definitiuus an ſit legitimus, an ſtatus proprius, & principalis. hic inter legitimos ponitur. Cicero tamen in Rhetoricis, cum quattuor deduceret ſtatus; an ſit, ideſt coniecturam; quid ſit, ideſt definitionem; quale ſit, ideſt, quo genere, hoc eſt iuridicialem; & quo modo petatur, ideſt actionem; poſtea negauit legalem eſſe ullum ſtatum. Quinctilianus tamen lib. 111. cap. 8. duos ſtatus poſuit, legalem & rationalem. ſub rationali comprehendit quattuor conſtitutiones uulgatas. Et ita neuter definitionem ſub legitimum ſtatum complectitur. Et certe, ſi uerum admittimus, definitiua conſtitutio inter legitimas adſcribi iuſte non poteſt. definitiuus enim ſtatus quid res ſit, quid nomen rei, tractat. Legitimus ſtatus, tantummodo ei nititur, quod lege ſcriptum eſt. Quod ſi ulla in legitimis ſtatibus definitio incurrat, tamen principalis controuerſia uerſatur ſuper ſcripto: & quae definitio incidit in uerbis legis, fortaſſe tamquam locus incidit, non tamquam principalis ſtatus: utpote quod ea definitio nomen dubium aperiat, non legem explicet. Quinimmo in omni ſtatu, qui controuertitur, incidere definitio uerbi poteſt: & ſaepe in ſequentibus audietis. At propterea definitionum eiuſmodi ſtatus partem dicere abſurdum eſt. Denique definitio cum deſcripto legis numquam quaerat, quo modo erit ſtatus legitimus: cuius omnis uis eſt, diſceptare ſuper ſcripto? Accedat nouiſsime, quod definitio non a lege trahitur, ſed a re, a nomine. at, ſtatum legitimum a lege trahi, non eſt ignotum. Et haec eſt ueritas, quae & Quinctiliano placuit, & Ciceroni in libris de Inuentione. Sed, quando inter legitimos ſtatus ponitur hoc loco, quamuis parum pertinenter, ſequamur hunc ordinem. His itaque praemiſsis, iam ad ſtatum Definitiuum accedamus. In hoc ſtatu principaliter de rei definitione quaeritur. qui tunc oritur, cum poſt accuſationem reus, licet factum confiteatur, nomen tamen facti negat. iam enim quaeſtio, & iudicatio eſt, quid ſit id, quod factum eſſe concedimus, quo ue nomine cenſeatur. ut ſacrilegij accuſatus, quod uaſa argentea ex templo ſuſtulerit, fatetur ſe ſuſtuliſſe, ſed ſacrilegium eſſe negat. Quo in ſtatu praecipua controuerſia eſt utriuſque litigantis, definire nomen, ut ad ſuum uterque commodum, accuſator a factis, reus a relictis definiat. deinde per locum a ratiocinatione alter alterius definitionem impugnabit: qui locus commodiſsime ex iis, quae antecedunt, quae ue conſequuntur, & item per alia ad rem pertinentia argumenta colligitur. Accuſator enim in noſtro themate colliget, nihil inter ſe differre, ſiue ſacrum, ſiue priuatum auferatur, dum locus ſacer ſit: cum utrobique animus locum ſacrum contaminare uolentis acceſſerit, deorum contemptus intercurrerit, loci religio profanata ſit, quem uenerari, non uiolari, oportuerit. nam Religionem a Relinquendo dici, teſtatur Agellius. Iam & ſi priuata etiam ex loco ſacro auferre ſine ſacrilegij crimine liceret, conſequens eſſe, ut nemo ſecurus rem ſuam templis auſit committere. Et, quam aedis ſacrae ueneratio huc uſque tutelam praebuerit, in rapinam, in praedam conuerti, &c. Reus uiciſsim crimine ſacrilegij teneri dicet eum, qui ſacra legat, ideſt furetur: ſeſe nihil ſacri, ſed rem priuatam ſurripuiſſe: uerbis ſtare oportere. negare ſe uel Deos contempſiſſe, uel loci religionem uiolaſſe, qui nihil ſacrum attigerit: graue id futurum, ſi alienis, & impertinentibus criminibus quiſque ex ſtomacho reum peragat. unde furti appellatione ſacrilegium commiſci calumnia ſit. non eſſe ferendas huiuſmodi accuſationes. iam enim miſceri crimina, miſceri poenas, nihil ordinatum relinqui, ſi ea licentia accuſatoribus permittatur. Ius ciuile hoc caſu reo ſubſcribit. nam Imperatores Seuerus & Antoninus Caſsio reſcripſerunt, eū, qui rem priuatam ex ſacro abſtulerit, furti teneri, non ſacrilegij. l. Diui, ff. ad l. Iul. peculatus. Verum ius Canonicum aliter decidit 17. q. 4. cap. Quiſquis. Poſſent alia adduci exempla. Lex eſt: Tyrannicida praemium quod uolet optato. Inſanus tyrannum per inſaniam occidit. praemium petit ſanus factus, contra dicitur. iam tyrannicida definiendus eſt, quem cōtradictor a relictis definiet eum eſſe, qui tyrannum ex propoſito patriam liberandi occiderit: quod nec fecerit, nec facere inſanus potuerit. Petitor a factis definiet. eſſe ſiquidem tyrannicidam, qui, tyranno interfecto, patriam li-

berauerit: id quod ipſe fecerit. ratiocinabitur nihil referre, ex propoſito, an ex caſu caeſus ſit tyrannus, dum ita patriae ſit conſultum. ſi quidem omnia conſequi ex ſua etiam inſani hominis caede, quae ex ſani eſſent conſecuta. E diuerſo contra dictor praemia dicet non obtineri caſu, ſed induſtria, propoſito, ſollertia. nam, niſi hoc eſſet, fruſtra praemium ob fortia facta decerni. poſſe ſiquidem inſano extra ordinem conſuli: praemium autem ex lege ei non deberi, qui nihil ex lege fecerit. Et eſt ſane in praeſenti conſtitutione hoc perpetuum, ut ambae partes praecipue nitantur, quo alterius definitio ab altero deſtruatur: & tãquam aliena a negotio, uiolenter extorta, impertinens, inutilis impugnetur. Qua in re non erit inutile, ſi natura cauſſae patiatur, ad hoc contendere, ut ex genere, & differentiis definiat litigator, & e regione aduerſarij definitionem ut imperfectam, ut non conuenientem cum definito attenuet, ideſt impugnet. quod Quinctilianus lib. VII. cap. 4. ſignificaſſe uidetur. Vt accuſator, cum Titium accuſaſſet doli, quod ueſtimentum mutaſſet. dolum definiens machinationem eſſe, qua aliud agitur, aliud ſimulatur. quae eſt Seruij iuriſconſulti definitio. hic reus fatendo, neget tamen dolo feciſſe, ſed ut tutior proficiſceretur. Deinde definitionem doli improbet, quod multa praeter dolum aliter agantur, aliter ſimulentur. ut de Thetide, quae Achillem inter puellas ueſte muliebri indutum abſconderat, praeter dolum, in aula Lycomedis. Sic, ſi accuſatur quiſpiam furti, quod ob neceſsitatem famis panem ſuſtulerit; & definiatur, furtum eſſe, cum inuito domino res auferatur: iam tolletur haec definitio, improbabitur ut imperfecta, cum non ſufficiat inuito domino auferri, ſi non fraudulenter lucrandi animo fecerit. l. I. ff. de furtis. Saepe enim fieri, ut inuito domino res recipiantur, quas quiſpiam ſibi debitas putat. & ita de ſimilibus in hac conſtitutione. De qualitate, & intenſione locis communibus hoc loco plura non dicemus. cum ſcilicet accuſator crimen attollit, & magnificat, intentionem rei grauiſsimam fuiſſe ui orationis demonſtrat. contra reus non adeo impiam fuiſſe ſuam intentionem, crimina non ita atrociter exaggeranda, & commiſerationem mouebit, de qua in Peroratione. Ex his locis colligi poteſt, conſtitutionem definitiuam duplicibus locis aliquando tractari, cum litigantes per ſe quiſque definiat: quo genere eſt accuſatio ſacrilegij, contra eum, qui ſe furem confitetur. quae conſtitutionis definitiuae ſpecies a quibuſdam Pronominans uocatur. pronominans enim uterque, accuſator, & reus, cum alio, atque alio nomine crimen definiunt. Eius generis eſt exemplum de Caepione, qui, cum diſturbaſſet ciſtulas, & deieciſſet pontem, accuſatus maieſtatis, quod tribunum, ſacroſanctam poteſtatem, uiolarit, pronominat non minuiſſe, ſed auxiſſe maieſtatem. quin e regione Saturninum maieſtatem laeſiſſe, & definiet, quid ſit Maieſtatem minuere; ſcilicet contra ſenatuſconſulta in damnum reip. leges ferre. E diuerſo Saturninus pronominat, Maieſtatem minuere, eſſe, uiolare ſacroſanctam poteſtatem tribuniciam, & impedire ſuffragia populi. Quo loco quilibet pro ſuo commodo definiet a factis, & a relictis. Et quae definitio a factis eſt accuſatori, erit ei a derelictis, cum ſe tuetur. Ideo etiam inueniri ſtatum definitiuum miſtum, cum ex perſona extrinſecus interueniente, aſſumptiuae conſtitutionis partes miſcentur. quod fit, cum perſona interueniens trahit locum a relatione criminis. ut, ſi eunuchum cum uxore inuentum qui occiderit, accuſaretur homicidij. dicit hic, ſe coactum crimine eunuchi: hoc caſu, definiendo crimen adulterij, ordo conuertitur, & commutatur. nam accuſator reum accuſando perſonam incidentem defendit, & reus ſe defendendo eandem perſonam accuſat. negat enim accuſator eunuchum eſſe adulterum: definiendo adulterum eum eſſe, qui uxorem alterius conſtuprauit: quod eunuchus nec fecerit, nec facere potuerit. & ſic contra ordinem in hoc ſtatu receptum accuſator a derelictis definiet: ideſt, ab his, quae non fecit eunuchus. Reus uiciſsim definiet, adulterum eſſe, qui nudus cum uxore inueniatur, propoſito eam ſtuprãdi, etiam ſi non ſtuprauit. & ſic a factis, ideſt ab eo, quod fecit eunuchus, definiet: & erit fortaſſe potior ea definitio, ſi Apollonij philoſophi auctoritati credimus. Is enim apud regem Perſarum eunuchũ poſſe eſſe adulterum comprobauit, etiam ſi ſit impotens: quod concupiſcentia certe in eo adulteretur. Hunc ſtatum ſi Obuerſum, uel Obtortum dixeris, forte non errabis. quod propter perſonam incidantem ordo definiendi in litigantibus obuertitur. In hoc genus ancipitij, ideſt, duplicitatis, etiam perſonarum duplicatio incidit. Vt lex eſt, Primogenitus regnum habeto. primogeniti filius cum ſecundo genito diſceptat. Hic uterque definiuit primogenitum, & utentur locis ultro & citro duplicibus. Plura dici poſſent de hoc ſtatu. Sed haec ſufficiant.

MAIESTATEM *is minuit,*] Haec definitio ideo eſt uitioſa, & non ſuffragatur Saturnino, quia eſt generalis; & poteſt iiſdem uerbis, & a reo uſurpari. quapropter hic per illationes haec definitionem differre facit, alias eſſet fragilis. QVI *ea tollit,*] aufert. QVAE *capiunt ſuffragia populi, & magiſtratus conſilia.*] Haec definitio ideo eſt inutilis, & non ſuffragatur Saturnino, quia impedire ſuffragia populi, morari conſilium magiſtratus factioſi, eſt res utiliſsima: quia populus procellis comparatur, & fluctibus. MALORVM] ciuium, qui maiorem largitionem facere conabantur, quam pati poſſet aerarium. INTERIRE] dicitur etiam de inanimatis. ut Occidi. Plautus: Haec res occiſa eſt. FACTVM *noſtrum*] negotium, de quo agimus. CONTRARIAE deſcriptionis] quae ab aduerſario affertur. FALSA,] quod conueniat definitioni. INVTILIS,] unde nulla ſequatur utilitas. TVRPIS,] contra honeſtum. INIVRIOSA.] afferendo detrimentum.

TRANSLATIO. XIIX

QVAERITVR *in tranſlationibus primum, num aliquis eius rei actionem, petitionem, aut exſecutionem habeat, quem non oporteat: num alio modo, tempore, loco: num alia lege, num alio quaerente, aut agente. Haec legibus, & moribus, aequo & bono reperientur; de quibus dicetur in iuridiciali abſoluta.*

EXPLANATIO

CONTROVERSIA ex tranſlatione quam Iuriſconſulti Exceptionem uocant, naſcitur, cum aut tempus differendum, aut accuſatorem mutandum, aut iudices mutandos reos dicit: ut, ſi quis peculatus, hoc eſt pecuniae publicae furti accuſetur, quod uaſa argentea publica de loco priuato ſuſtulerit, poteſt, cum definitione prius ſit uſus, quid ſit Furtum, quid Peculatus, dicere: ſecum furti agendum, non peculatus.

Tranſlatio, παραγραφὴ, uerſatur circa actionem, petitionem, exſecutionem, modum, tempus, locum, legem, accuſatorem, iudicem. &c. Vel enim is agit, petit, aut exſequitur aliquid, quem non oportet. uel alio modo, hoc eſt, dicendi ordine: ut pro Quinctio Cicero cõſequitur. uel alio tempore, uel alio loco, uel alia lege: quorum paſsim apud oratores nota ſunt exempla: uel alio quaerente, hoc eſt iudice: uel alio agente, hoc eſt accuſatore. Quae omnia legibus, & moribus, aequo, & bono reperientur: quae ſunt ſtatus qualitatis.

Fuere nonnulli, qui negarent Tranſlationem ſtatum eſſe, quod numquam eo in genere ſuper cauſſa principali diſceptetur, ſed uelut in cauſsis incidenter ueniat. nam ad cauſſae iudicationem quid attinet controuerti, an apud conſulem, an apud praetorem agi conueniat? & ita de ſimilibus. E diuerſo alij ſtatum eſſe principalem defendunt, putantq. magna eos obuolui ignorantia, (Quinctilianum intelligentes) qui inter conſtitutiones non ponant, quod propriis Tranſlatio locis explicetur, & propria iudicatione terminetur. Nos huiuſmodi opiniones conciliari poſſe putamus, ſi genus conſtitutionis attenderimus. Si enim conſtitutio ad ipſius cauſſae controuerſiam referatur, quae ex primo conflictu intenſionis, & depulſionis conſtat, tunc uere Quinctilianus docuit, tranſlationem non eſſe ſtatum: quia nõ per modum principalis actionis, ſed per malum exceptionis in controuerſiam incidit. Ceterum, ſi ſtatum ex iudicij, & litis controuerſia, quae propter exceptionem incidit, dimetiaris, iam alia ratio procedit. tranſlatio enim, etiam ſi per exceptionem in iudiciis ueniat, eatenus tamen ſtatus eſt, quatenus propriis locis explicatur, & cum incidit ſuſpenſa cauſſae principalis controuerſia, quaeſtionem, & iudicationem ad ſe trahit. Quibus conſequens eſt, tranſlationem non magis eſſe ſub ſtatu legitimo, quam ſub coniecturali, uel alio ſtatu. quãdo exceptio tranſlatoria in omni ſtatu incidit. ut defendi nullo iure hic poſsit, qui inter legitimos connumerarit. Eſt autem tranſlatio, ad cauſſam principaliter intentã oppoſita reiectio. qua definitione apparet, recuſationem, de qua ſupra, a tranſlatione prope in nihilo differre. eſt autem duplex tranſlatio, perfecta, & imperfecta. ſed non uidetur haec ab illa differre: niſi quod huius loci ſumuntur a circumſtantia, illius a circumſtantia non oriuntur. ſi quidem utraque tranſlatio parem habet effectum. utraque enim perimit, utraque differt. Differt autem iudicium, quae dicitur exceptio dilatoria: perimit uel iudicium, uel inſtantiam, quae dicitur exceptio peremptoria. Itaque, ſi qua eſt differentia inter utramque, ea eſt, quam diximus: quod loci illic abſolute, hic ex periſtaſi fluunt. Igitur perfectae tranſlationis loci a lege ſumuntur, a moribus, ideſt conſuetudine, a pactis, a rebus iudicatis.

A lege. Finge minorem lege prohiberi, ne ſine curatore ſtet iudicio. Agit ad fundum minor. Iam reus tranſlatione perfecta ſe tuetur, quia ex lege ſcripta minorem repellit ab agendo. Ipſa tranſlatio differt, non perimit iudicium. Et, ut alio exemplo res pateat lex eſt, inſtantiam, niſi intra tres annos finiatur, exſtingui. petij a te fundum, & tres annos litigauimus: iam perfecta tranſlatione te tueris, inſtantiam cecidiſſe. Haec tranſlatio perimit inſtantiam, non iudicium. Item lex eſt: Quod cauſſa iniuriarum anno finiatur. ego poſt annum experior iniuriarum. Tu perfecta tranſlatione te tueris, quod cauſſa exſtincta ſit. & haec tranſlatio perimit iudicium.

A moribus, omnino paribus exemplis niti poſſumus: quando conſuetudo eſt lex non ſcripta.

A pactis, ideſt a conuentione. Finge creditorem mecum feciſſe pactum, ne umquam debitum petat. is poſtea petit. iam ex pacto ab actione repellitur: quae trãſlatio perimit cauſſam ui exceptionis, obligationen non perimit. quae tamen ſunt ſubtilia, & iure ciuili fuſius tractantur.

A rebus iudicatis quoque fluit tranſlatio. Finge te ſuccubuiſſe per ſententiam, cum nauem a me peteras. tu iam tabulas nauis petis: iam repelleris tranſlatione perfecta, per locum a re iudicata. non poteſt agere ad tabulas, ad partem, qui in toto ſuccubuit, per ſententiam. l. ſi ex toto, ff. de exceptionibus rei iudicatae. haec tranſlatio etiam perimit, & enecat iudicium.

Imperfectae tranſlationis loci a circumſtantiis ſumuntur abſolute non conſiſtunt. puta, a loco, cauſſa, qualitate, tempore, & perſona. & dicitur ideo imperfecta, quia niſi extra ſumeret adiumenta a circunſtantiis, in ſeſe fragilis eſſet.

A loco. ut ſi citatus ad locum peſtiferum, negat ſe comparere propter peſtem poſſe, uel propter pericula. Haec tranſlatio nihil efficeret, ſi loci periculo non adiuuaretur. Sic ſi iudex priuato loco ſententiam ferre pergat, negas alibi, quam in tribunali, ſententiam te ſuſcepturum. Hac tranſlatione uſus fuiſſe uidetur Cicero pro rege Deiotaro: ubi conqueritur, non decere coram Caeſare cauſſam dicere, ſed in baſilica, in foro.

A cauſſa ſumitur locus, ut ſi cauſſae natura ſit eiuſmodi, quae non debeat tractari coram minore iudice, ſed coram maiore. Quinctilianus dat exemplum de fideicommiſſo, ſi hoc petatur coram praetore. nam a conſule, uel coram conſule peti debet. quod tunc fortaſſe poterat uerum eſſe, ſed iure ciuili cauetur, fideicommiſſa coram praetore peti. Et in hunc locum puto includi exceptionem fori. cum quis forum declinat.

A qualitate. hic locus fuſius, & late patet. nam omnis ineptitudo libelli in hunc locum uenit. item & ordinis peruerſio, deformitas proceſſuum. ut, ſi petas decem cauſſa mutui, & tamen erat depoſitum. Si contra plures cõiunctim agas, quos ſeparare debueras. qui eſt etiam locus recuſationis. Item, ſi libertus patronum, diſcipulus praeceptorem, ſubditus dominum, filius patrem, ſine uenia in iudicium uocauerit, uel famoſum iu-

dicium contra eum inſtituerit: tunc ab agendo repellitur, quod modo, & qualitate incompetenti egerit. In quem locum multa includi poſſunt. Haec tranſlatio perimit inſtantiam, non iudicium, uel cauſſam.

A perſona locus translaticius ſumitur, cum perſona litigans impugnatur, tamquam non apta. Vt, qui alterius nomine experitur, cum nec tutor, nec curator, nec procurator ſit. hac translatione uſus eſt Hannibal, cum quidam bellicarum rerum expers apud Antiochum de bello diſceptaret. nam eum reiecit Hannibal, tamquam non aptum. Sic Turnus apud Virg. in x. Drancem reiecit, cui frigida bello Dextera.

A tempore. ut, cum arguitur aliquis, illicito tempore rem patraſſe. Sic, qui adulterum occiderat ex interuallo, in foro forte, uel in templo: accuſatus homicidij, ſi ſe defendat ex ſtatu aſſumptiuo, ex relatione criminis, quod adulterum occiderit; iam translatione imperfecta urgetur, quod nō licito loco eum interfecerit, nec licito tempore. poterat enim domi ſuae, & in flagranti crimine, non ex interuallo, uel in foro, aut templo occidiſſe. item, qui contradicit ſtatutis noſtris, poſtquam erecta ſunt, repelletur, quod alio tempore debebat, antequam erigerentur. Sic olim trinundino, hoc eſt tribus nundinis promulgatae ſunt leges, quo tempore licebat contradicere. quae didicimus ex Varrone, Halicarnaſſeo, & ex prima Philippica Ciceronis.

Quae de tempore diximus, etiam de loco exaudite. nam poſſunt argumenta ſumi a tempore ad locum, ut dicit Iuriſconſ. in l. uinum, ff. ſi certum pet. Aduertendum eſt in his, quod ſtatus translaticius per locum a tempore, & a loco dupliciter intelligitur. aut, cum occaſione temporis, & loci ex lege nitimur, tunc dicetur perfecta translatio. aut, cum utemur tempore, & loco. tamquam circumſtantia extra ſumpta pro adiumento, tunc dicetur imperfecta translatio. Tempus, & locus, ex quibus lex fundatur, nullam facti nec implicat, nec praeſtat conuerſionem. ut lex eſt, Poſſeſſor pacificus decem annorum dominus eſto. Finge: actor fundum petit, per me decem annos poſſeſſum; ego eum repello lege, quia ex lege iam factus ſum dominus. hic non confiteor, te alias eſſe dominum, ſi non decem annis poſſediſſem: non ſumetur argumentum a contrario ſenſu, ſed ſimpliciter legi nititur, in quam fundamur, & non in tempus. Aliud exemplum. Lex eſt: Iniuriarum cauſſa intra annum non tentata, exſtincta eſto. impetor a te iniuriarum, poſt annum, iam repelleris translatione perfecta, ex lege, quod cauſſa iniuriarum tempore ſit exſtincta. Per hoc non intelligor confiteri iniurias, etiam ſi annus non eſſet finitus. Ceterum tempus, quod uenit ex circumſtantia, implicat confeſsionem facti, ſi ante tempus res fuiſſet facta. ut, poteras flagranti crimine interfeciſſe adulterum, ex interuallo non potes. Quandocumque igitur tempus, & locus ueniunt per circumſtantiam, quia faciunt illicitum, quod alioqui eſſet licitum, tunc eſt imperfecta translatio. ſed, quando tempus in lege incidit, & nihil, niſi legem reſpicit, tūc dicetur translatio perfecta. Et ſic in materia non differunt perfecta, & imperfecta: ſed ex forma. quia aliter in lege, aliter in circumſtantia. ex priore non ſumitur argumentum a contrario ſenſu, ex poſteriore ſumitur, ceteris paribus. Hi duo loci per circumſtantiam a tempore, & loco uehementes ſunt, & iugulum petunt aduerſario. Quapropter locus a ratiocinatione communis eſt accuſatori, & reo. & comitatur accuſatorem, ut uehementius urgeat reum, ut uim illorum locorum extenuet. dicet etenim: Quid maximopere attinet adulterum etiam in foro occidiſſe, qui nec terra, nec luce dignus eſt? nempe turbator pacis coniugalis, diſsipator diuinae domus & humanae. quid attinet in templo eum occidiſſe, ante ſacrum. nempe pulcherrimum ſpectaculum, eo in loco, in quo myſteria, & ſacramenta ſacrilegus ille uiolauit. Incidunt etiam alij loci in hoc ſtatu, uerum hi ſufficiant.

Eivs *reactionem*,] num liceat ei agere, & accuſare. Petitionem,] petendo aliquid a perſona. ut debitum, ut mutuatum, ut creditum. Exsecvtionem] an liceat exſequi, & finire cum eo, qui agit uel petit. Vel, *Exſecutionem* appellat reſponſionem contra actionem, uel petitionem, uel exſecutionem. ideſt, ſi cauſſa coepta ſit ante praetorem, an ibi debeat exſequi, ideſt ex toto tractari, an debeat ad iudices transferri. Qvem *non oporteat*] ſcilicet, habere. Alio *modo*,] alio crimine, uel alia poena. Vt, cum quis debeat agere de furto, agit de peculatu. Alio *tempore*,] ut, ſi quis petat debitum ante tempus. Alio *loco*:] ut, cū debeat agere coram praetore, agit coram iudicibus. Alia *lege*,] quam debeat. Alio *quaerente*,] quantum ad petitionem: ideſt, utrum liceat iſti petere, an illi. *Alio quaerente*: hoc eſt, inquirente. Et hoc in criminalibus, in quibus inquiritur, in quibus habentur quaeſtiones. Si forte non competens iudex inquireret, uel aliter exponeret, & ſubtilius, cum alio quaerente, ideſt, inquirente; & hoc in querella inofficioſi teſtamenti nominatur in l. equuleus, §. finali, ff. de inoff. teſtam. ubi alius querebatur de inofficioſo, quam is, qui debebat. Avt *agente*.] quantum ad actionem. ideſt, utrum liceat agere, an alij. Haec] utrum liceat, an non. Legibvs,] per leges ſcriptas. Moribvs,] per conſuetudines. Aeqvo, *& bono*] per ueritatem, & utilitatem.

RATIOCINATIO: XIX

IN cauſſa ratiocinali primum quaeretur, ecquid in rebus maioribus, aut minoribus, aut ſimilibus ſimiliter ſcriptum, aut iudicatum ſit: Deinde utrum ea res ſimilis ſit ei rei, de qua agitur, an diſſimilis. Deinde utrum conſulto de ea re ſcriptum non ſit, quod noluerit cauere, an quod ſatis cautum putarit, propter ceterorum ſcriptorum ſimilitudinem. De partibus legitimae conſtitutionis ſatis dictum eſt: nunc ad iuridicialem reuertamur.

EXPLANATIO

In cauſſa ratiocinali quaeretur, & demonſtrabitur,

Iccirco de hac re nihil eſſe ſcriptum, quod, cum de illa re eſſet ſcriptum, de hac re is, qui ſcribebat, dubitaturum neminem arbitratus ſit.

Neminem poſſe omnes res per ſcripturam amplecti: ſed eum commodiſsime ſcribere, qui curet, ut quaedam ex quibuſdam intelligantur.

Aequitas rei, ut in iuridiciali abſoluta.

RATIOCINATIO συλλογισμὸς a Graecis dicitur: hic eam uocat cauſſam rationalem, quae eſt rei non ſcriptae ex aliis ſcriptis contemplatio, ac conſideratio. eſt enim στάσις λογικὴ, quae eſt extra ſcriptum. Partes habet tres, σύγκρισιν, σύγκριτον, καὶ τὸ αἴτιον τοῦ μὴ γεγραμμένου. Σύγκρισις στοιχεῖα habet duo. unum eſt, Quod ualet in re maiori, aut pari, illud neque in minori, aut impari ualebit, Σύγκριτον triplex eſt. cum quaeritur, an comparari poſsit res ea, cum illa re, de qua agitur. deinde, an coniungantur, ut maius, atque minus: hoc eſt, an ſint ſimiles, atque pares, uel contra. tertio, quo modo ſit σύγκριτον. Τὸ αἴτιον τοῦ μὴ γεγραμμένου, ideſt, cauſſa rei non ſcriptae, oſtendenda eſt, quare de ea re non ſit ſcriptum: utrum conſulto, uel contra.

Eſt Ratiocinatio ultima legitimarum conſtitutionum, quam ſyllogiſmũ nominat Quinctilianus. & eſt uere conſtitutio legitima. hoc enim ſtatu id, quod lege ſcripta doceri non poteſt, argumentis a lege ſumptis firmatur, & a ſcripto, & uoluntate eo differt, quod illis ſcripta lex, & uoluntas controuerſiam faciunt: hic rationes, & argumenta ex ſcripta lege ſumpta. illic ſcripto, & uoluntati, uel nitimur, uel oppugnamus: hic per argumenta, & rationes, quae a ſcripto, & uoluntate trahuntur, controuerſiam tractamus. In ſumma, procedimus a ſimilibus ad ſimilia. Exemplum ex libro primo. Malleolus interfecit matrem, & antequam damnaretur teſtamentum fecit. Qui teſtamentum oppugnant, non habent legem, qua ſe fundent: ſed a ratione legis iuuantur, quae habet, furioſum teſtari non poſſe. at hic Malleolus, licet non fuerit furioſus, tamen ſimilis furioſo. ut merito ea lex contra eum pugnet. E diuerſo non fuiſſe furioſum Malleolum, licet rem furioſam fecerit; unde ius ei fuiſſe teſtandi, per aliam legem. Haec ratiocinatio, ut dicit Quinctilianus lib. VII. cap. 9. cognata, uel coniuncta ſaepenumero eſt conſtitutioni definitiuae: ut, cum definimus definitione infirma, nempe uiolenta, eam definitionem ſyllogiſmo, uel definitione fulcimus, ut ſic praeſens conſtitutio in definitiuam ſaepenumero delabatur.

Lex eſt, Venefica capite puniatur. uxor amatorium marito dedit, & diuertit. maritus, morae, & abſentiae uxoris impatiens, cum rogata redire nollet, ſeſe laqueo ſuſpendit. accuſatur uxor ueneficij, & definitur ueneficium amatorium, definitione infirma, & uiolenta: quod amatorium dare nihil ſit aliud, quam uenenum porrigere. hanc definitionem ratiocinatio iuuat ultro inermem. colligitur enim, in poena inferenda nihil intereſſe, hoc, uel illo poculo perierit maritus, qui mala potione periit. Ecce, quo modo ratiocinatio fundat ſtatũ definitiuum, de ſe fragilem. & certe iure noſtro huic accuſatori ſubſcribitur. licet enim amatorium non ſit proprie uenenum, tamen ſi uel hominis necandi cauſſa datur, uel occidit qui amatorium ſumpſit, poena ultimum ſupplicium eſt. ut dicunt Marcellus, & Paullus iuriſconſulti, in l. eius, §. adiectio, ff. ad legem Corneliam de ſicariis. & l. ſi quis alicui, §. qui abortionis, ff. de poenis. In hoc ſtatu accuſatus legis uiolatae, negabit accuſationem, quod nec ſcripto, nec uoluntati legis contra fecerit. Verum accuſator argumentis, & rationibus colligit, legem eſſe offenſam: haud dubie legiſlatorem etiam hũc caſum prouiſurum, ſi eius meminiſſet. quae rationis collectio in iure ciuili eſt uehemẽs & ualde neceſſaria, ſuper qua nititur Iuriſconſ. in l. mulier, §. grauidas, ff. ad S. C. Trebellianum. &, ubicumque haec ratio locum habet, tunc dantur utiles actiones ex lege: licet nec uerbo, nec mente Iuriſconſultus id uoluerit. In hoc ſtatu ratiocinationis rationes, & loci ſumuntur a ſimilibus, ut dixi: ab unitate ad pluralitatem.

Vt, lex eſt, Tyrannicida praemium quod uolet optato. duo interfecerunt tyrannum, an utrique debeatur praemium? Item a priori ad poſterius, a maiore ad minus, & e diuerſo: a toto ad partem, & e diuerſo: a genere ad ſpeciem, & omnino a locis Dialecticis argumenta ſumuntur.

Finge legem eſſe, quod inceſti damnata praecipitetur ſaxo. mulier praecipitio data uiua manet, an ad poenam repetatur ex lege?

Lex eſt, Fratrum diuiſio rata ſit. ſorores diuiſerunt. quid iuris?

Lex eſt, A meretricibus natus, ab honoribus arcetor. quidam ex proba muliere natus eſt, quae poſtea eſt facta meretrix.

Lex eſt, Senatoris filij habeant priuilegia. concepta eſt proles ſenatori, ſed nata poſtquam ſenator ordine motus eſt. Et infinita id genus. In his omnibus caſibus ratiocinabimur hac praeſenti conſtitutione.

RATIONALI] Ratiocinali, potius. cum ratiocinamur, ideſt coniectamus id, quod non eſt ſcriptum, ex eo, quod ſcriptum eſt. IN *rebus maioribus aut minoribus,*] an ſi dicat, debet adduci aliud maius, uel minus eo, de quo agimus. AVT *ſimilibus,*] ei rei, de qua agitur. SIMILITER] ut poſsit conuenire rei, de qua agitur. & poteſt ad unumquodque referri, uel ad diuerſa tantum. SIMILIS] uel genere, uel natura. CONSVLTO] deliberate. PROPTER *ceterorum ſcriptorum ſimilitudinem.*] quam debemus imitari in hac re, de qua agitur, iudicanda. REVERTAMVR.] quoniam in primo etiam libro de illa docuit.

LOCI. STATVS. IVRIDICIALIS IVRIDICIALIS. ABSOLVTA: XX

ABSOLVTA *iuridiciali conſtitutione utemur, cum ipſam rem, quam nos feciſſe confitemur, iure factã dicemus, ſine ulla aſſumptione extrariae defenſionis. In ea quaeri conuenit, iure ne factum ſit. De eo, cauſa*

poſita,

poſita dicere poterimus, ſi, ex quibus partibus ius conſtet, cognouerimus, Conſtat igitur ius ex his partib.us, natura, lege, conſuetudine, iudicato, aequo, & bono, pacto.

EXPLANATIO

CONSTITVTIO iuridicialis eſt, cum factum conuenit, ſed, iure, an iniuria factum ſit, quaeritur: uel, in quo aequi, & iniqui natura, & praemij, aut poenae ratio quaeritur. Sed hanc Cicero in Partitionibus, & Quinctilianus Qualitatis ſtatum, Graeci Δικαιολογικὸν uocant, quod diſputet de iure, de aequo, de bono: non id aut ſit, nec ne ſit, aut quid ſit, ſed quale ſit, an iuſtum, an aequum, an bonum, an contra. Eius duae ſunt partes, Abſoluta, & Aſſumptiua. Iuridicialis abſoluta, quam Hermagorei Ἀντίληψιν uocant, (nam alia ἀντίστασις dicitur) eſt, cum id ipſum, quod factum eſt, ut aliud nihil extrinſecus aſſumatur, iure, ac recte factum eſſe defendemus. ut Mimus quidam nominatim Attium poetam compellauit in ſcena: cum eo Attius iniuriarum agit. hic nihil aliud defendit, niſi licere nominare eum, cuius nomine ſcripta dentur agenda. Quaeritur igitur, iure ne factum ſit. quamobrem totam prope philoſophiae morum, politicae, atque iuriſprudentiae cognitionem requirit. Cauſſa igitur poſita, dicemus de iure, cum partes eius cognouerimus, quas Iuſtinianus tres eſſe dicit: Naturale, Gentium, &, quod ex utroque eſt compoſitum, Ciuile. Sed hic diuiſione magis ſpeciali utitur, & in partes ſex ius totum partitur. in Naturam, Legem, Conſuetudinem, Iudicatum, Aequum, & bonum, Pactum. Neque enim nude, ac ſimpliciter praecepta tradit, ut ſophiſtae olim: ſed, Ariſtotelem ſecutus, philoſophica etiam aſſumit. Eſt enim inuentio duplex, καταληπτικὴ καὶ ἐπιστημονικὴ. illa eſt, quae eſt propria artis: ut in Rhetorica, praecepta exordiorum, narrationis, diuiſionis, ſtatuum, confirmationis, perorationum, & ſimilia. haec uero eſt etiam aliarum artium, ac ſcientiarum, & a philoſophis ſumenda eſt: ideo ἐπιστημονικὴ dicitur. In genere enim demonſtratiuo, locos honeſtatis, ac turpitudinis; in deliberatiuo, utilitatis, atque adeo reip. uniuerſae ſtatum; in iudiciali, iuris, atque legum cognitionem tenere oportet.

Rationalis conſtitutio, ſiue Ratiocinalis, in duas partes diuiditur: eſt enim quaedam negotialis, alia iuridicialis, teſte Cicerone lib. II. de Inuentione. Negotialis ideo dicitur, quia negotia magna ex parte, quae futura ſunt, uerſat, cum deliberat, faciendum ne ſit aliquid, an non faciendum. Quapropter negotialis magis reſpicit genus deliberatiuum, iuridicialis plus ad iuridiciale accedit. Quinctilianus de ea non meminit. Duo ego puto eſſe genera negotialis conſtitutionis. Primum, dum ſuper honoribus, praemiis, communerationibus, ornamentis aliquorum, apud magiſtratus tractatur. ut, ſit ne dignus Caeſar, cui perpetua dictatura concedatur: An ne Octauianus meruerit dici pater patriae, debeatur ne uiro forti praemium, & ſi quae ſunt ſimilia. In qua re ſi contradictor accedat, iam uere eſt ſtatus negotialis. Secundo, puto, ſtatum negotialem colligi ex officio nobili magiſtratus, quandocumque magiſtratus acceditur ſine figura iudicij, ut cum alicui ex bono, & aequo ex ratione ſubuenitur, qui laeſus eſt: ut cum petitur aliquis reſtitui in iura priſtina. Ex hoc genere ſtatus negotialis emergunt edicta praetorum, quae ex edicto nobili publicata ſunt, ex naturali aequitate. Emergit & haec ſaluberrima clauſula praetoris: ſi qua mihi iuſta cauſſa rem, per quam maiores laeſi reſtituuntur. l. 1. ad finem, ff. ex quibus cauſis maiores. &c. Cicero in libris de Inuentione Negotialem ſtatum aliter tractat: & neſcio, an bene. ut merito ipſe in libris de Oratore ueterem Rhetoricam reuocarit, ut quae ſibi adoleſcenti exciderit. Quinctilianus lib. III. cap. 8. negotialem a iuridiciali eo diuidit, quod in illa aequum & bonum, appetendum & fugiendum, ſine perſonarum complexu quaeratur. ut, an diuitiae ſuperbiam pariant. At haec perſonas interſerit, an Craſſus ob diuitias ſit factus ſuperbus? Hic negotialem tacet, contentus ſola iuridiciali, ne inexplicabiles Graecorum Labyrinthos incidat. nam utraeque conſtitutiones iiſdem locis tractantur. Vnde ad Iuridicialem tranſit: quae ideo ita nominatur, quia partes iuris ita uerſat. nam in ea non quaeritur, an ſit factum, non quid ſit factum: ſed quale ſit factum. Et differt a ſtatu legitimo, qui ipſe ius traſtat, quia in eo ſtatu ſuper intellectu legis controuertitur. hic lex tamquam non controuerſa locum facit, non ſtatum. Eſt ergo Iuridicialis conſtitutio duplex, Abſoluta, & Aſſumptiua. in abſoluta rem per ſe defendimus, iuſte factam: uel accuſamus factam iniuſte. quae ideo Abſoluta dicitur, quia ex ſuis ipſa uiribus nititur, nihilo adiumenti extra ſumpto. Ea partibus iuris conſumitur. SINE *ulla aſſumptione*] ſine ulla adiectione. EXTRARIAE] extrinſecae. DE *eo*] facto. CAVSSA *poſita*] themate, & lite conteſtata. SI, *ex quibus partibus ius conſtet, cognouerimus.*] nam ius totum nihil aliud eſt, quam eſſentia partium. CONSTAT *igitur ius*] Ius, conſtitutio iuſti, honeſti, & utilis. *Conſtat: ſit.*

NATVRAE. IVS. XXI

NATVRA *ius eſt, quod cognationis, aut pietatis cauſſa obſeruatur: quo iure parentes a liberis, & a parentibus liberi coluntur.*

EXPLANATIO

NATVRAE iura minus ipſa quaeruntur ad hanc controuerſiam: quod neque in hoc ciuili iure uerſantur, & a uulgari intelligentia remotiora ſunt. ad ſimilitudinem uero aliquam, aut ad rem amplificandam ſaepe ſunt haec inferenda.

N[illegible]ale ius φυσικὸν eſt, ut inquit Iuſtinianus, quod natura omnia animantia docuit. Haec definitio generalis

ralis eſt. hic magis ſpeciali utitur; quae ad hominem ſolum pertinet, qui in rep. uerſatur. Poſitum eſt hoc, in ſe, aliiſq. tuendis: ſed omnis tuitio fit uel in defenſione cum aliorum, tum noſtri, inq. repellenda ui. unde illa apud Ciceronem in primo Officiorum, quod quiſque ſe, ſuoſq. tueri debeat. & pro Milone, uim ui licere pellere. uel fit tuitio in amplificatione facultatum, propter poſteros; unde illa in Catone maiore de ferendis arboribus, &c. Ponit hic duas tantum cauſſas, pietatem, ac cognationem: honeſtatis gratia, tertiam omiſit, ſui tuitionem, quoniam ſub cognatione comprehenditur. Si enim alios tueri licet, cur non etiam ſe licet defendere? In libro II. de Inuentione cauſſas efficientes huius iuris enumerat ſex: Religionem, Pietatem, Gratiam, Vindicationem, Obſeruantiam, Veritatem. Aitq. Naturam ius eſſe, quod non opinio, ſed quaedam nobis innata ius inſeruit. quod in ſex illas particulas ſubdiuidit.

Religio, uis eſt inſita, quae deorum ueneratione, & caerimoniis hominum ducat.

Pietas, eſt, quae erga patriam, aut parentes, aut alios ſanguine coniunctos officium ſeruare moneat. Vt exſul proſcribitur, iuramento adactus, ne umquam redeat. is in patriam rediit, ut eam hoſtilis incurſionis admoneret. Accuſatus periurij, iuſte ſe feciſſe contendet, per locum a pietate ſumptum: ut qui patriae opem qua poterat tulerit. Sic, cum Pomponius tribunus diem dixiſſet L. Manlio Torquato, ob certa crimina: Manlius filius tribunum gladio exſerto conterruit, ut patri diem relaxaret. Hiſtoria eſt apud Valerium lib. v. Finge, Manlium accuſari maieſtatis, quod uiolarit tribunum: nam iuſte ſe feciſſe dicit, nempe ob patris pietatem.

Gratia, eſt, quae in memoria, & remuneratione officiorum impenſorum conſiſtit, & per quam amicitiae conſeruantur. Hoc eſt, quod in iure ciuili dicitur, eum, qui officium, ideſt beneficium acceperit, naturali obligatione ad antidota, ideſt ad gratuitam uicem, quae hic gratia nominatur, teneri. Finge, libertum patrono pecuniam pro obſequiis per errorem praeſtitiſſe. libertus hanc pecuniam repetit, tamquam indebitam, ut qui patrono nihil promiſerit: patronus iuſte ſoluiſſe dicet, nempe in gratiam recepti beneficij libertatis. ut eſt in l. ſi non ſortem, §. libertus, ff. de condicione indebiti. Ea igitur gratuitae uicis reddendae obligatio tantum efficit, ut, cum a rep. legatus mittitur, cui (ut aſſolet) ſumptus dantur itineris: is, cum nihil in itinere expendiſſet, quod ubique amicorum hoſpitiis exhibitus eſt ſumptus, tamen imputabit reip. ac ſi expenderit. is ſi accuſetur peculatus, iuſte ſe feciſſe dicet, qui ſumptus imputarit. nam teneri eum ad paria hoſpitibus, uel forte paria feciſſe, dicet. Et excuſabitur obligatione gratuiti, per locum a gratia ſumptum. de quo eſt elegans argumentum in l. Idemque, in fine, ff. mandati. Vbi, licet creditor fideiuſſorem liberet gratuito, debitor tamen cogetur ſarcire fideiuſſori, ac ſi pro eo ſoluiſſet. Iſta mutua gratitudo nominatur Permutatio, in l. ſed & ſi, §. conſuluit, ff. de petitione hereditatis.

Vindicatio, per quam uim, & contumeliam defendendo, aut ulciſcendo, propulſamus a nobis, & a noſtris, qui nobis eſſe cari debent, & per quam peccata punimus. Per hunc locum defendet ſe Oreſtes, quod matrē interfecerit: nempe patrem uindicauit, & puniuit delictum. Sic miles Marianus, accuſatus homicidij, quod cognatum Marij conſulis interfecerat. nam, ſe iuſte feciſſe, ut qui propulerit a ſe ſtuprum illatū, & delinquentem punierit.

Obſeruantia, per quam aetate, aut ſapientia, aut honore, uel aliqua dignitate praeſtantes reueremur, & colimus. Sic excuſari poterant milites Mariani, quibus datum erat negotium, ut M. Antonium oratorem interficerent. nam dignitate hominis perterriti, retroceſſerunt, quamuis hircoſus centurio eum interfecerit.

Veritas, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmauerimus, fiat.

Hi ſex partiarij loci locum a Natura conficiunt, ut, ſiue religione, ſiue pietate, & ita de aliis, defendamur, iure naturae defendi dicamur.

COGNATIONIS,] ut, parentes, & cognatos diligere. PIETATIS] ut, Deum colere, & afflictorum miſereri.

L E X . X X I I

LEGE, *ius eſt id, quod populi iuſſu ſancitum eſt: quod genus, ut in ius eas cum uoceris.*

E X P L A N A T I O

LEX, νόμος a Graecis dicitur, quia id ius eſt, quod populi iuſſu ſancitur. Hoc ius ἔγγραφον ſcriptum eſt: cuius exemplum unum ponit, Vt in ius eas, cum uoceris. Differunt inter ſe Lex, & Natura, in iure; ut Ars, & Natura, in praeceptis. Ars naturam uel imitatur, uel emendat, ac perficit, uel utrumque facit. Sic etiam Lex naturam emendat, ac regit. Cum enim principium naturale eſt, quod bono, & aequo non repugnat, ueniam habet: ut in defenſione ſui, & ſuorum: in procreando, in amplificatione facultatum: & in his ſimilibus, in quibus natura duce utimur. Sed permittit aliquando natura malum, non ſolum ratione non praeditis, ut cum lupus, aut leo ouem deuorat; ſed etiam homini, cum is nimium in ſeſe uindicando ſaeuit, cum uagas libidines ſequitur, cum per fas, & nefas facultates ſuas amplificat, & aliorum utilitatibus obſtat. Vt haec in rebus publicis cauerentur, latae ſunt a populo leges, quae naturam emendant, ac coercent. Vnde illud, Ex malis moribus leges bonae naſcuntur. Comprehenduntur autem ſub lege, prudentum reſponſa, plebiſcita, principum placita, edicta praetorum, &c. Variis enim modis olim leges fieban: . &, quae populi iuſſu, ideſt uoluntate, ſancita erant, ea uiolari non decebat. ideo etiam leges ſanctae dictae ſunt.

CON-

CONSVETVDO . XXIII

CONSVETVDINE ius eſt id, quod ſine lege, aeque ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt: quod genus id, quod argentario obtuleris expenſum, a ſocio eius recte repetere poſſis.

EXPLANATIO

IVSTINIANVS lib. I. Inſtitutionum diuidit Ius omne in ſcriptum, & non ſcriptum. Scriptum uocat legem, plebiſcitum, ſenatuſconſultum, principum placita, magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum: Graeci ἔγγραφον appellant. Non ſcriptum, ab his ἄγραφον dicitur, & in duas diuiditur partes: in morem, cum auctor ignoratur; & in inſtitutum, quod eſt, cum de auctore conſtat. Vtrumque ſub conſuetudine comprehenditur, qua id ius eſt, quod ſine lege, aeque ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt: quoniam diuturni mores, conſenſu utentium approbati, legem imitantur. Ius ſcriptum ab Athenienſibus ortum habet, conſuetudo uero a Lacedaemoniis, qui ea, quae pro legibus obſeruabant, memoriae mandabant. Conſuetudinis duplicem eſſe rationem, ſcribit Cicero de Inuentione. quaedam ab omnibus eſt recepta gentibus: quo in genere ſunt iura gentium: alia ſunt, quae ideo ſunt certa, quia conſueta: ſicut ſunt quotidianae conſuetudines. SINE *lege,*] quia non ſcriptum. LEGITIMVM,] legitime ſcriptum. ARGENTARIO] Argentarius eſt, qui praeeſt pecuniae publicae, & acceptum, expenſumq ferre ſolet. In priuatis rebus Nummularius appellatur. & ab Argentario ſola dignitate differt. Hortenſius cum ſediſſet in foro apud argentarios, omnium, quorum inſcripſerant, nomina ordine recenſuit: tanta memoria ualuit. auctor Seneca lib. I. Declamationum.

IVDICATVM . XXIV

IVDICATVM eſt id, de quo ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum. Ea ſaepe diuerſa ſunt, ut aliud alij iudici, aut praetori, aut conſuli, aut tribuno pl. placitum ſit: & fit, ut de eadem re ſaepe alius aliud decreuerit, aut iudicauerit: quod Genus M. Druſus praetor urbanus, quo cum herede mandati ageretur, iudicium reddidit, Sex. Iulius non reddidit. Item C. Coelius iudex abſoluit iniuriarum eum, qui Lucilium poetam in ſcena nominatim laeſerat: P. Mutius eum, qui L. Attium poetam nominauerat, condemnauit. Ergo, quia poſſunt res ſimiles de cauſſa diſſimiliter iudicatae proferri, cum id uſu uenerit, iudicem cum iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iudiciorum conferemus.

EXPLANATIO

IVDICATVM recte ſequitur. ut enim lex, & conſuetudo naturae ſunt emendatrices, ſit iudicatum legem uel emendat, uel explicat, uel etiam lenit. Si enim lex obſcura eſt, nec probe intelligitur, ſublata iudicum ſententia ἀμφιβολία explicatur: ſi uero eſt iniqua, aut omnino dura, rigor eius τῷ ἐπιεικεῖ lenitur. Primum, hic definit iudicatum: deinde, illud ſaepe diuerſum eſſe oſtendit: poſtremo, quo modo illud ſit tractandum, indicat. Iudicatum eſt, de quo ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum. Id enim fit, cum ex lege, aut conſuetudine res intelligi non poteſt. Sunt autem iudicata ſaepe diuerſa, ideo quod aliud alij iudici, praetori, conſuli, aut tribuno pl. placitum ſit: ut de eadem re ſaepe alius aliud decreuerit, aut iudicauerit. Huius rei duo ponit exempla. unum, de actione mandati; alterum, de iis, qui alios in ſcena nominauerant. Sacroſanctum erat mandati officium: ideoq. is infamis erat, qui mandatum ſuſceptum non ſumma fide, atque diligentia perficiebat, atque conficiebat. Quamobrem mandati iudicium conſtitutum eſt, in quo dubium erat, ſi is, qui mandatum ſuſceptum non feciſſet, mortuus eſſet, poſſet ne cum herede mandati agi. Itaque M. Druſus iudicium reddidit, ideſt contra illum iudicauit; Sex. uero Iulius non reddidit. Alterum exemplum eſt iniuriarum. cum enim poetarum licentia in comoedia ueteri, in qua conuiciis quoſlibet proſcindebant, a potentibus tolerari amplius non poſſet, primum Alcibiadis opera lata lex eſt, ne quem liceret in ſcena nominatim laedere. Quidam laeſit Lucilium: C. Coelius eum abſoluit. alius laeſit Attium poetam: P. Mucius eum condemnauit. Cum igitur poſſunt res ſimili de cauſſa diſsimiliter iudicatae proferri, orator explicabit illas συγκρίσει, & iudicem cum iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iudiciorum proferet. plus enim auctoritatis habebit iudex grauis, uirtute, & ſapientia praeditus, quam corruptus, aut imprudens. In tempore etiam obſeruanda eſt neceſsitas, quae uel iubet, uel uetat aliquid fieri: res uero ſemel iudicata, minus ualebit, quam ea, quae eſt iudicata ſaepius. In his igitur diſcernendis, & oratorem, & iudicem peritum eſſe oportet. Eſt ergo Iudicatum, de quo uel ſententia lata, uel decretum interpoſitum eſt. Quod genus iudicati hic uariare dicit, quod uarij iudices diuerſas proferunt ſententias. Quapropter haec pars iuris infirma eſt, ſi rebus iudicatis pro exemplis utimur.

IVDICATVM] Iudicata uocantur a Legiſlatoribus Conſtitutiones. & continentur in Codice, qui dictus eſt quaſi Caudex, ideſt truncus: quod ex iudicatis, quae in eo ſunt, emanant, & procedunt leges, ſicut ex trunco rami. Iudicata uero priora ſunt legibus. nam conſtitutiones principum, & praefectorum ciuitatum Iudicata uocantur; ex quibus conſtructae, & ſancitae leges ſunt. Varianturq. ſecundum diuerſa tempora, & diuerſas perſonas. DE *quo ſententia lata*] de ea re, de qua ante dubitatum. AVT *decretum interpoſitum.*] Quod iudicatum eſt a iudice, uocatur Sententia; quod a cōſule, tribuno, dicitur Decretum. nam, cum Prafecti pro-

uinciarum

uinciarum de aliqua re dubitabant, nec eam per ſe terminare poterant, deferebant ad conſules. qui conſulebāt ea de re ſenatum, ut is certam ferret ſententiam. quae lata Senatuſconſultum dicebatur, & a conſulis nomine deſignabatur, qui conſuluerat ſenatum. Vt Senatuſconſultum Trebellianum, quia Trebellius conſul a ſenatu quaeſierat. Vt *al iud alij iudici,*] intellige, iudices datos per praetores, uel per alium ex ſuperioribus magiſtratibus. nam praetor, qui mediocribus cauſsis intereſſe non poterat, ex centumuiris unum eligebat, qui uulgares cauſſas audiret. nam centumuiri non niſi cauſſas maiores, ut hereditatum, tutelarum, cognationum, libertatum, & quae forent ſimiles, iudicabunt. teſtis eſt Cicero lib. I. de Oratore. In cauſsis criminalibus dabantur iudices per praetorem ſortito, ideſt per ſortem. Quae latius Aſconius proſequitur. Cvm *herede mandati*] Diu dubitatum, Si quis committeret depoſitum alicui, utrum eo mortuo deberet ab eius herede repetere. *Cum herede mandati*: cum eo, qui eſſet illius heres, cui commiſſum fuerat mādatum, ideſt depoſitum. nam Mandare, eſt fidei alicuius quidquam committere: Terentius in Andr. Bona noſtra haec tibi committo, & tuae mando fidei. Ivdicivm *reddidit,*] iudicauit, quod ageretur cum herede mandati, quod repeteretur ab herede depoſiti. Evm,] mimum. Dissimiliter] cum in eadem re unus abſoluat, alter condemnet. Ivdicem *cum iudice,*] uter ſit melior, & doctior. Tempvs *cum tempore,*] temporis enim neceſsitas cogit dari plerumque quaedam iudicata, quae tamen non ſemper ſunt ſeruanda. Nvmervm *cum numero iudiciorum*] maiori enim numero concedendum, cum plura iudicata ſunt contra unum.

AEQVVM. ET. BONVM. XXV

Ex aequo & bono ius conſtat, quod ad ueritatem, & utilitatem communem uidetur pertinere: quod genus, ut maior annis LX, *& cui morbus cauſsa eſt, cognitorem det. Ex eo nouum ius conſtitui conuenit ex tempore. & ex hominis dignitate.*

EXPLANATIO

Aeqvvm & bonum Latini dicunt, quod Graeci τὸ ἐπιεικὲς, ἢ ἐπιείκειαν, ideſt aequitatem. Priora omnia fuerunt praeteritarum rerum, Aequum autem & bonum futurarum eſt. cuius conſideratio plane λογικὴ eſt, ideſt mentis, atque rationis. Vbi enim neque lex eſt aliqua, neque iudicatum ullū fuit, ibi iudex aequitatem debet habere propoſitā. Quamquam etiam in legibus, conſuetudine, atque iudicato locum habet. In hac autem, ut ex definitione intelligitur, αἴτια τελικὴ, ideſt cauſſae finales duae ſunt ſpectandae, ueritas, & utilitas communis. Vt, Lex eſt: Qui caedem facit, capite puniatur. aliquis occidit aliquem, orator eum defendit, quod ira motus eum occiderit. idq. uerum eſſe poteſt. deinde addit, reum ſuum, qui occiderit alterum, utilem eſſe reipublicae, patriaeq. ſemper fuiſſe ſtudioſum. Eſt enim illorum habenda ratio, quorum praeclara in remp. exſtant merita. ut in Miloniana etiam Cicero tractat. Hac etiam ratione poeta Aeſchylus a fratre Aryſtea, ne a populo lapidibus obrueretur, liberatus fuit. Verum hoc etiam obſeruandum eſt, nihil de lege, iure naturae, conſuetudine, atque iudicato remittendum eſſe, niſi aequum bonumq. locum habere poſsit: ut & de ueritate, & de utilitate conſtet. Cognitorem uocat eum, qui cauſſam alicuius ſuſcipit, cognoſcit, & in foro, ac iudiciis tuetur. nunc Procuratorem, uocabulo nouo, nec bono appellant. Addit autem, nouū ius conſtitui oportere, propter differentiam legis, atque aequitatis. Lex enim & probati, & conceſsi iuris eſt, aequitas uero nec probato, nec praeiudicio aliquo confirmati. Item, Lex eſt rerum praeteritarum; Aequitas autem, futurarum. Ex tempore, & hominis dignitate conſtitui aequitatis ius oportere dicit: quoniam duo ſunt ἡγούμενα, in quibus finales aequitatis cauſſae ſpectantur: in homine ueritas, in tempore uero utilitas. Tanta autem eſt Aequi & boni ratio, ut Ius nihil aliud eſſe dicatur, quam ars aequi, & boni.

Maior *annis* LX.] Cognitores olim quiddam uicinum habuerunt cum procuratoribus, ut diximus. erat tamen defenſor magis familiaris, ut cui plus fidebatur, quam qui cognitor eſſet. quod diſcimus ex Cicerone Verrina I. paullo poſt principium; ubi dicit, Siculos ad eum tamquam ad tutorem confugiſſe, calamitatū ſuarum cauſſam ei commiſiſſe, feciſſe cognitorem, & actorem cauſſae. Vbi Aſconius inquit, Quiddam amicius in cognitore, quam in procuratore. Acron Grammaticus Cognitorem exponit, pro defenſore, in ſecundo Sermonum Horatij: Fit cognitor ipſe. unde erat receptum ex aequitate, maiores ſexaginta annis per cognitorem, non per ſe, in iudicio comparere. Et *cui morbus cauſſa*] Iure prouiſum eſt, eum, qui morbo ſontico impediatur, non licere in ius uocare ex ſua perſona: & ſententia, contra eum abſentem indefenſum lata, nulla eſt. l. quaeſitum, in fine, ff. de re iudicata. Eſt autem Morbus ſonticus, qui eſt impedimento cuique, in negotiis propriis agendis. ut ibidem habetur. Ex *eo*] aequo, & bono. Vt ſit ſenſus. Tanti habetur ratio boni, & aequi, ut ſaepe ex tempore uidelicet neceſsitatis, & ex hominis dignitate, intellige praerogata, ſi ſit praeceptae auctoritatis homo, nouum ius ab imperatore conſtituatur. quod habetur l. I. ff. de conſtitutione principis. Vbi princeps aliquando ſubuenit homini digno, ſine exemplo. quod dicitur Nouum ius perſonale, quia perſonam non egreditur. E diuerſo propter hominis dignitatem, & eminentiam receditur a ſtatutis, & legibus iam latis. l. cum quid, ff. ſi certum pet. l. ſed & reprobari, §. ualde diſciplinatos, ff. de excuſatione tutorum. Sic & poenae etiam enormes remittuntur, uel mitigantur, propter homines excellentis doctrinae, utilitatis, uel artificij. ut ſi ad beſtias quis eſſet damnatus. l. beſtias, in fi. ff. de poenis. Ex *tempore,*] ſecundum temporis qualitatem. Et *hominis dignitate.*] ſecundum perſonae dignitatem.

P A C T V M . X X V I

EX pacto ius eſt, ſi quid inter ſe pepigerunt, ſi quid inter quos conuenit. Pacta ſunt, quae legibus obſeruanda ſunt, hoc modo: Rem ubi pagunt, oratione pagunt. In comitio, aut in foro ante meridiem cauſſam coniicito. Sunt item pacta, quae ſine legibus obſeruantur ex conuentu, quae iuri praeſtare dicuntur. His igitur partibus iniuriam demonſtrari, ius confirmari conuenit, idq. in abſoluta iuridiciali faciendum uidetur.

E X P L A N A T I O

SVPERIORA fuere magiſtratus, pactum uero eſt priuatorum. eſt enim Pactum, quod priuatim inter duos conſtituitur: atque in compromiſsione, ac ſtipulatione eſt poſitum. Sed omne pactum uel eſt comprehenſum legibus, quod legibus eſt expoſitum, & notatum: ut nuptiarum, mandati, & ſimilium rerum. ut, Rem ubi pagunt, oratione pagunt; ideſt, cum de re aliqua inter ſe paciſcuntur, oratione id cõfirmant: ſic enim ego ſimpliciter intelligo. In comitio, aut in foro cauſſam coniicito, ideſt agito, aut cognoſcito. Sunt autem haec ex XII. tabularum legibus ſumpta. Vel Pactum eſt natura, quod ſine legibus ex conuentu obſeruatur. neque enim legibus omnia comprehendi poſſunt, propter perſonarum qualitates, rerumq. exitus. Haec iuri praeſtare dicit, quia quaſi naturae iuris ſunt. Nam pacta etiam ſcripta ſaepe continent calumnias: propterea, quae ſine legibus ex conuentu obſeruantur, legibus praeſtant propter interpretationem ambiguam.

SI QVID *inter ſe pepigerunt,*] quantum ad pactum legale. SI QVID *inter quos conuenit.*] quantum ad pactum non legale. QVAE *legibus obſeruanda ſunt.*] nam non obſeruarentur, niſi lex adiuuaret, uel interueniret. utpote, quod nudis uerbis, nuda oratione conuenta, fragilia ſunt ad actionem parandam. Et in hunc ſenſum intellige obſcuros, & obtortos uerſus legis XII. tabularum. Maioris momenti eſt Pactum inter partes, quam lex ſcripta. l. finali, C. de pact. dot. l. 1. §. ſi conuenit, ff. depoſit. ORATIONE *pagunt.*] Orationem, alias. hoc ſenſu: quando paciſcuntur praemium, paciſcuntur orationem; ſcilicet, quo pretio. ANTE *meridiem*] nam ante meridiem reip. negotiis amicorum, & familiaribus, cauſsis, & foro operam dabant: poſt uero meridiem uoluptatibus corporis uacabant. unde Nonariae meretrices, quod eius non licebat ante nonam horam in lucem proderem, ne haberes a rebus agendis auocarent. CAVSSAM *coniicito.*] offerto. EX *conuentu,*] ex conuenientia partium, & concordia. IVRI *praeſtare*] maiorem uim habere, quam ius. Iungitur hoc uerbum & accuſandi caſu. ut: Magnum praeſtabat Achillem. Cum dandi caſu, ut hic, Dij immortales, homini homo quid praeſtat? HIS *igitur*] Concluſio tractationis in iudiciali abſoluta, in qua iniuria demonſtratur accuſando, & ius cõfirmatur defendendo, ſex partibus: Natura, Lege, Conſuetudine, Iudicato, Aequo & bono, Pacto. DEMONSTRARI,] declarari.

PRAETER autem partes iuris, & alij loci in hac conſtitutione iuridiciali inueniuntur.

A perſonae condicione; ideſt, cum qualitas perſonae tractatur. Pictor enim, qui ſe defendit ab artificio, iam qualitatem, uel condicionem perſonae conſiderat.

Item a ratiocinatione, cum utraeque partes ratiocinando colligunt, quae pro ſe facere uidentur.

Deinde a comparatione, quando inter ſe conferuntur, quae ratiocinatione collecta ſunt. Et hi duo loci ſaepenumero ſeſe conſequuntur, & ſunt communes utriuſque partibus.

Item ab aſolutione locus, qui ſemper rei eſt, & a principio uenit.

Item a repulſione locus accuſatoris proprius, ut qui contradicat abſolutioni.

Incidit & locus a definirione, ſed non ſemper: cum utraque pars, uel altera per ſe definit.

Alij nominantur complures loci, tam non neceſſario, quam ſi in ceteris includantur.

Adde tamen locos communes qualitatis, & intenſionis, qui in peroratione, & epilogo ueniunt. Verum huiuſmodi locorum tractatio non eodem modo obſeruatur. nam partes iuris in hanc coſtitutionem ſemper ueniunt, & ita ueniunt, ut uel depulſionem rei ratione fulciant, uel accuſatoris intentioni uelut firmamẽto ſuccurrant. & erit uſus eorum uehemens, ſi, quidquid uel ex ipſa re, uel ſimili, aut maiore, minore ue, commodi naſci poteſt, ex iiſdem partibus is, qui utitur, eliciat. ut eleganter Cicero in II. de Inuentione docuit. Vt Oreſtes, cum a natura ſe defendit, tum fortius urgebit, ſi a minori colligat: fratrum iniurias ulciſci licere, quanto magis patris caedem. Sic & Mimus contra poetam Attium a ſimili euincet, rem illicitam non feciſſe. ſi enim eum uoce nominauerit, quem in ſcriptis nominare non deceat, peccare quidem potuit: quod nihil referat, ore, uel ſcripto profertur nomen. Ceterum alij loci nec in omnem cõtrouerſiam iuridicialem, nec omnes ueniunt. ſed nec eodem ordine obſeruantur, ut quae ad partium iuris tractationem reſpiciunt. quas partes bifariam tractari inuenio. aut enim Poſitione, aut Remotione.

Poſitione, ſi reus ideo ſe iuſte feciſſe dicat, quod natura, lege, conſuetudine ſe tueatur. &c.

Remotione, ſi factum ideo reus licitum defenderit, quod nulla nec natura, nec lege, nec cõſuetudine, alia ue parte iuris prohibeatur. ut, ſi contra eum agatur, qui rem conductam non cuſtodiuit diligentiſsime. is enim reus ad talem ſe cuſtodiam nec natura, nec lege, nec conſuetudine obligatum eſſe dicat. quae remotiua dicitur partium iuris tractatio.

In primo genere poſtquam reus depulſionis rationem a partibus iuris ſumpſit, dicens ſe iuſte feciſſe: quippe natura, lege &c. munitum. quae eſt abſolutio quaedam. accuſator rei defenſionem per locum a repulſione infirmabit. quae repulſio conficitur dupliciter: aut Infitiatione, aut Obſiſtentia.

Prius illud tunc relucet, cum accuſator negat reum ulla uel natura, uel lege adiuuari. Quo caſu ſaepenu-

mero incidere ſolent conſtitutiones legitimae,ſi ſuper ſcripto aliquo diſſentiretur, cum reus ex ſcripto nititur: accuſator ſententiam legis praefert,quae ab reo abhorreat: uel cum accuſator contrariam legem adducat, uel dicat legem a reo allegatam eſſe ambiguam: & ſic de ceteris partibus iuris. Ea in cõtrouerſia conſultiſsimum erit accuſatori,ſi nolit incipere in ſtatus legitimos,ut non infitietur naturam,legem,conſuetudinem,&c. quod impertinens infitiatio multum deformet,prematq. infitiantem.

Eſt ergo alia ſpecies repulſionis in accuſatore,ſcilicet ab Obſiſtentia. dicit enim. Sit ſane, quod factum rei a natura,lege,conſuetudine,aut pacto non abhorreat: eo tamen modo,quo res patrata eſt, eoq. tempore, loco,his mediis te hoc facere non decuerat. quod a loco ex comprehenſione colliget. Et eo fine Oreſtes premetur,qui,etſi natura quadam,& lege ad uindicandum patrem propelli potuerit,alio tamen,& meliori modo debuiſſet: dum innititur naturae, ne non innitendo naturae naturam offendat: & cum lege utetur, utendo in eam committeret. Vnde tutius fuiſſe,matri litem intendere, quam manu propria interficere. qui eſt locus ab Obſiſtentia,ualidus ſane,& firmus,ſi recte uſurpetur. Et,ut res alio exemplo declaretur: Moribus receptum fuit apud Graecos,ut,qui bello uiciſſent,temporaria ſtatuerent trophea. Thebani,Lacedaemones cum profligaſſent, aeneũ trophaeum ſtatuere. accuſati apud Amphyctiones,publicum Graeciae conſilium,quod aeneum ſtatuiſſent, iuſte feciſſe reſponderunt: nempe pro moribus ſe defendi. accuſatores negant ex more feciſſe,qui aeneum ſtatuerint,cum temporaria trophaea cõſuetudine ſint recepta: aeneo autem trophaeo perpetuae inter populos inimicitiae ſignum praeberi. E diuerſo,licuiſſe ex aequo,& bono monumẽta uictoriae poſteris relinquere: per haec enim ad praeclara facinora accendi poſteritatem. Hic locus a ratiocinatione incidit, cum partes pro ſeſe rationes colligunt: illic non licuiſſe aeneum, hic licuiſſe. Incidit etiam locus a comparatione; utpote,quod accuſatores contendent, maioris eſſe damni, perpetuae inimicitiae relinquere ueſtigia,quam proſit uictoriae,monumenta poſteris relinquere. poſſe praeclara geſta in annales inſcribi, non ita conſpectui ad aemulationem ſubiicere. Et in hunc modum complures tractabis controuerſias. In alio genere,ubi quadam remotione reus ſtatum facit,ut de Mimo,qui,a poeta accuſatus,quod eum in ſcena nominauerit: potuiſſe dicet,& iuſte potuiſſe,qui eo in facto nec natura,nec lege,nec conſuetudine &c. uetitus ſit: omnia autem licere,quae non ſint illa iuris parte prohibita. Hoc genere accuſator,ſi,firmamento uſurus,cõtendere poterit,iuris partes ea in re offendi facile uincet,dummodo hoc liquidum faciat. Et incident etiam ea in ſpecie litigantes iterum ſtatus legitimos,quod illa pars a ſcripto,a ſententia alia ſe tuebitur. Sic de aliis ſtatibus. Et, quod in abſolutam iuridicialem legitimi ſtatus incidant, Sulpicius Victor docet. cui addo ego: Legitimos ſtatus per ſe numquam uenire in controuerſiam, ſemper eſſe incidentales. quapropter Cicero de Inuentione poſt coniecturam,definitionem,& iuridicialem,legitimos ſtatus incidenter examinet,& ſeorſim: quod & Quinctilianus feciſſe uidetur. ut ita probabilis ſit eorum aſſertio,qui tres tantum ſtatus ponunt praecipuos,An ſit,Quid ſit,& Quale ſit. Reuerſi ad propoſitum noſtrum,uidemus in ſuperiori controuerſia etiã incidere locum a definitione: cum accuſator contra leges fieri dicet, quidquid ad ſcandalum inſignium perſonarum attentetur. nam hoc caſu incidit definitio: ſcandalum ne ſit,pronunciare poetam in ſcena. Poteſt & per Obſiſtentiam accuſator rem ſuam firmare: ut,ſi dicat, etiam ubi licuerit nominare nomen poetae, tamen non a mimo,a geſticulatore: non in ſcena loco theatrali,ubi populari ſannae boni uiri exponantur: non huiuſ modi ioculari,riſorio,hiſtrionicoq. apparatu: honeſtorum hominum nomina honeſte eſſe, & loco honeſto pronuncianda, non per ludibrium. Hic locus ſemper eſt uehemens. Hac in ſpecie etiam loci incident a perſonarum qualitate,a ratiocinatione,a comparatione. Finge aliud exemplum. Pictor cum eleganti,& perſpicua pictura in tabula cladem naufragij pinxiſſet,eamq. litori maris publice affixiſſet,& pictura deterritos mercatores uicinos mare uitaſſe. quo nomine ciuitatem maritimam damno affectam,quae ex mercatorum aduẽtu commodius locupletaretur. Proinde pictor accuſatus uiolatae reip. iuſte ſe feciſſe dicet,pingendo, quod nec natura,nec lege,nec conſuetudine ulla ſit prohibitum. quinimmo,quia pictor ſit, moribus, aequo & bono licuiſſe ei,pingere pro arbitrio. qui eſt locus a perſonae condicione, iunctus abſolutioni. Hic accuſator repulſione uſus per obſiſtentiam imminebit reo: quod,etſi ex artificio rei pingere liceat,non tamen eo conſilio,ut ceteris uel ex occaſione damnum afferat. uiuam eſſe poeſim,picturam: ut,ſicut poeta carmine, ita pictor calamo nocere poſsit. Reus tamen negat ex occaſione praeter propoſitum damnum imputari. Iamq. iterum incident in ſtatus legitimos,an ex occaſione damnum detur. Incident etiam loci a definitione, quid ſit remp. laedere. Accuſator a factis definiet,uidelicet,quamcumque occaſionem praeſtare,ut reip. commoda minuantur. reus e diuerſo definiet a derelictis,nempe laedere remp. eſſe, in magiſtratum dolum committere, ciuitatem tradere hoſtibus, aerarium depilare. Quem definitionis conflictum commode conſequetur locus a ratiocinatione per accuſatorem,qui argumentis colliget utrumque eſſe reip. damnoſum, ſiue directe, ſiue ex occaſione noceas. Et poteſt in his,& ſimilibus controuerſiis grandis concertationis ſilua, uerborum diuitiis,& Rhetoricae praeceptis conſarcinari. De locis communibus,qualitate, & intentione, ſciendum,per eos locos qualitatem facti,& intentionem facientis uel ſuſtolli per accuſatorem,uel eleuari,& minui per reum: illic,ut in odium trahatur,exaggerat omnia; hic,ut ab odio eximatur, factum attenuat. qui ſunt commodi loci materiae amplificandae. Hoc in calce non eſt praetereundum,in conſtitutione abſoluta reum ex coniunctis criminibus poſſe appeti: quae ſeparata ſtatum non facerent. ut accuſatur, quod in conſeſſu parui ſemper aliis contradicat,ipſe nihil conſulat. Iam ſi ſeparaueris,cauſſa utraque per ſe licet, coniuncta non licet. quae dicitur duplex abſoluta. Quo loco reus contendet, ut crimina ſeparet, ac ſingulis ad coniuncta arguat. Accuſator e diuerſo crimina ſeparari non patietur. nec enim ex ſingulis reum defendi poſſe, qui non niſi ex coniunctis ſit accerſitus. In diuiſionis fallacia huiuſmodi diſceptationes incidi,cum accuſatio ad cõiuncta reſpiciat.

& erit ſumma utrobique contentio, ſummus conflictus, an a ſingulis ſeparatis ad coniuncta liceat arguere. incidentq. iterum ſtatus legitimi: quia pro utraque parte ſunt leges, & quod liceat, & quod non liceat. l. miles, §. j. ff. de re iudicata. & l. ſcire, ff. de uerb. oblig. Et poſſet hac ſpecie conſtitutionis abſolutae attentari teſtator, in l. ſi mihi, in fine, ff. de legatis primo. Quaſi non liceat coniunctim ſub alia, & alia condicione legatum adimere. quod tamen ſeparatim licuerat, ſed lex eſt pro reo.

PARTES. CONSTITVTIONIS. ASSVMPTIVAE COMPARATIO. XXVII

CVm ex comparatione quaereretur, utrum ſatius fuerit agere id, quod reus dicat ſe feciſſe, aut id quod accuſator dicat oportuiſſe fieri; primum quaeri conuenit, utrum fuerit utilius ex conuentione, hoc eſt, utrum uenuſtius, facilius, conducibilius. Deinde oportebit quaeri, ipſum ne oportuerit iudicare, utrum fuerit utilius, an aliorum fuerit ſtatuendi poteſtas. Deinde interponetur ab accuſatore ſuſpicio ex conſtitutione coniecturali, quare putetur non ea ratione factum eſſe, quo melius deteriori anteponeretur, ſed dolo malo negotium geſtum. Deinde quaeretur, potuerit ne uitari, ne in eum locum ueniretur. Ab defenſore contra refelletur argumentatio coniecturalis, aliqua probabili cauſſa, de qua ante dictum eſt. His ita tractatis accuſator utetur loco communi in eum qui inutile utili praepoſuerit, cum ſtatuendi non habuerit poteſtatem. Defenſor contra eos, qui aequum cenſeant rem pernicioſam utili praeponi, utetur loco communi per conqueſtionem: & ſimul quaeret ab accuſatoribus & ab iudicibus ipſis quid facturi eſſent, ſi in eo loco fuiſſent; & tempus, locum, rem, deliberationem ſuam ponet ante oculos.

EXPLANATIO

IVRIDICIALIS aſſumptiua, quam Graeci ἀντιληπτικὴν nominant, eſt, cum per ſe defenſio infirma eſt, ſed aſſumpta extranea re comprobatur. In hac uerſatur Cicero, ubi, Clodium ex uſu totius reip. & interfectoris gloria oppreſſum fuiſſe, multis argumentis probat. C. Pomponius, cum a Gallis obſideretur, neque effugere ullo modo poſſet, uenit cum hoſtium ducibus in collocutionem: adductus neceſsitate ita diſceſſit, ut impedimenta relinqueret, exercitum educeret: ſatius eſſe duxit amittere impedimenta, quam exercitũ. exercitum eduxit, impedimenta reliquit; arceſsitur maieſtatis. Ex comparatione conſtitutio naſcitur, utrum facere ſatius fuerit.

Hermogenes appellat hanc partem ἀντίθεσιν, quaſi contrapoſitionem, ſiue compenſationem honeſtatis. habet enim conceſsionem rei illicitae: cuius tamen defenſio ſumitur a re extranea. Partes eius ſunt, Comparatio, Translatio, Conceſsio, & Remotio. Hermogenes ςάσεις ἀντιθετικὰς appellauit, & uno in loco omnium tractationem coniunxit. quoniam omnes ſeſe inuicem complectuntur, non ſolum in his, quae ſunt inter ſe communes, ſed etiam in aliis ſtatibus. Verum hic non inutiliter ſeparauit. Σύγκρισις comparatio eſt, cum aliquod factum, quod per ſe ipſum non ſit probandum, ex eo, cuius id cauſſa factum eſt, defenditur. Vt, qui, effoſſo ciuitatis muro, (quod laeſae reip. crimen erat) hoſtes ab urbe fugauerat. Item imperator quidam, cũ ab hoſtibus cinctus eſſet, ut exire illi non liceret, utilius, & honeſtius eſſe iudicauit, exercitu ſaluo, reliquiſſe impedimenta, cum alterutrum relinquendum fuerit: quam, ſaluis impedimentis, exercitum amiſiſſe.

Lib. I. ad finem comparationem ultimo loco poſuit. in hoc tamen ſecundo libro eam priori ſede dignatur. & recte. quia in comparatione excuſationis ratio non ab extra ſumitur, ſed ex ipſo facto. & ſic potius ad abſolutam accedit, quae propriis armis nititur, quam quod ſit aſſumptiuae portio, quae niſi adiumento ab extra ſumpto non conſiſtit: & ideo Aſſumptiua nominatur. Eſt autem Comparatio, rei per accuſatum factae, ad eam, quam accuſator fieri oportuiſſe contendit, collatio: ut in exemplo Cn. Pompilij ſupra dicto.

Loci comparatiuae conſtitutionis ita tractari poſſunt, ut primo exponat accuſator facinus, ſcilicet arma, equos, ceteraq. militaria inſignia, & inſtrumenta hoſtibus tradidiſſe, laeſiſſe maieſtatem reip.

Deinde per locum a definitione, quid ſit laedere maieſtatem reip. & item a loco ab amplificatione crimen augebitur. Ingentem rem commiſſam eſſe conqueretur accuſator. perpetuum uulnus ciuitati Romanae inuſtum.

Premet & accuſator reum tertio loco, a temeritate conſilij, quod ei non fuerit facultas ignominem facere exercitum: & item a dolo, & fraude eum criminabitur. deinde ratiocinando a decoro, & uenuſto: ſpecioſius fuiſſe, perire iuſtum exercitum, quam naeuis, & maculis ineluibilibus remp. dilaceratam iri.

Reus per locum ab intentione, qui eſt ei praecipuus, ſe tuebitur: quod nulla mala intentione, nullo fraudis, uel doli conſilio, ſed neceſsitate, rerumq. difficultate impeditus hoc fecerit: proinde non tam inſpiciendum eſſe, quid factum ſit, (ut eleganter dicit Sulpicius Victor) hoc uel hoc loco, quam qua ratione, quo conſilio, quo propoſito; facta enim non ex factis, ſed ex cauſsis faciendis ſpectari oportere. Et per locum, qui dicitur a ſummo ad imum, ante oculos ponet, illic montes, alibi flumina, poſt ſe fauces, ante ſe hoſtes imminentes. Et defendet ſe per locum a tuto, ſatius fuiſſe depaciſci, quam tot illuſtres perire animos. Item ab infinitione, & ab generali ſententia, pernicioſam eam dicit honeſtatem, qua tantus exercitus carnificinae exponeretur: poſſe reparari depactionis ignominiam, an tot fortes milites ſemel peremptos reparari non potuiſſe.

Primvm *quaeri conuenit,*] Comparationis capita ſunt quattuor. Primum eſt αὐτεξέτασις, quae eſt diligens, & accurata finium publicorum inter ſe conſideratio, atque comparatio. Verſatur haec circa huius rei finem proprium, cuius tria ponit capita, Venuſtum, Facile, Conducibile. quae tamen ſub utili comprehendit, & utriuſque accuſatoris, ac defenſoris praecepta coniungit. Venuſtum uocat honeſtum, pulchrum, quod demonſtratiui eſt generis. Facile, quod fieri poteſt, & in deliberatiuo genere in primis neceſſarium eſt: ideoq. praecedere debet. Conducibile, quod Vtile uocant, quod proſit. quod ad deliberatiuum genus pertinet. Hoc in loco accuſator dicet: Honeſtum, utile, atque facile fuiſſe pugnare. Quamquam enim fuit inferior uiribus, tamen uirtute potuiſſe uincere Romanum exercitum. Defenſor prima duo concedet: uerum negabit tertium: & fieri non potuiſſe oſtendet, ut, ſaluo exercitu, impedimenta etiam educeret. itaque alterutrum relinquendum fuiſſe contendet. Deinde *oportebit quaeri,*] Caput ſecundum comparationis eſt, ποιότης, qualitas, quae eſt τοῦ ἀξιώματος poteſtatis, atque iuris: an illi licuerit iudicare, utrum fuerit utilius: ideſt, maiori malo minus praeponere. Eſt igitur hoc caput δικαιολογικὸν: in quo accuſator non licuiſſe, defenſor uero licuiſſe praeponere maius malum minori dicet: quoniam, quid faciendum eſſet, pericula reo oſtenderunt, de quibus magiſtratum certiorem reddere non potuerit. *Quaeri*: reum interrogari ab accuſatore. An *aliorum fuerit ſtatuendi poteſtas.*] Qui eſt locus a praeſumpta auctoritate. dicet enim accuſator: non licuiſſe reo ſtatuere, utrum ex duobus eſſet melius: ſed ad ſenatum detuliſſe, cuius ſit percutere foedera. ut ſic excuſari non poſsit, qui ſenatus auctoritatem ipſe priuatus ſibi praeceperit. Deinde *interponetur ab accuſatore*] Tertium eſt, τὸ τέλος, rei propoſitae conſilium, atque ratio. Differt a primo, quod in illo finium publicorum comparatio eſt, qui rei conficiendae facultatem oſtendunt: in hoc uero priuati commodi ſpectatur conſiliū. Accuſator igitur ſuſpicione coniecturali contra reum pugnabit, non eum melius deteriori praepoſuiſſe, ſed dolo malo ſui commodi gratia negotium geſsiſſe. Vt cum imperator militum dicitur arcem, uel opidum, non alimoniae inopia, ſed pecunia corruptus, tradidiſſe. Videtur hic locus a librariis eſſe corruptus. Cum enim hoc caput magis inſeruiat accuſatori, quam defenſori, omnino ſequi hoc in loco debet praeceptum, quod dat defenſori ſeparatim: neque interponi caput quartum neceſsitatis. Defenſor igitur contra refellet argumentationem coniecturalem aliqua probabili cauſſa. Oſtendet autem reum ante ſemper fortiter, prudenterq. pugnaſſe: nunc uero ut non pugnaret, cauſſam fuiſſe τὴν τῶν κακῶν ἀποβολὴν, incommodorum euitationem: eumq. nihil inde priuati commodi conſecutum, ſed exercitus ſalutem ſpectaſſe: quem ſaluis impedimentis ſaluare non potuerit. *Deinde interponetur ab accuſatore*: Accuſator, qui dolum, & fraudem obiicit reo, ex locis coniecturalibus ſe fundabit. ſcilicet, ex uoluntate, & poteſtate. quod uoluerit potuerit reus exercitum prodere. eſſe enim reum hominem non integrum, natura, forma, habitu, affectione, educatione praua: ſtudiis, factis ſimilibus: & ita de aliis. Deinde *quaeretur,*] Quartum caput eſt τοῦ ἀναγκαίου, neceſsitatis: an fuerit neceſſe facere id, quod fecit: an potuerit in eum locum uenire, in quo ab hoſtibus fuerit circumdatus: & his ſimilia. *Deinde quaeretur*: Qui eſt locus a prouidentia, uehemens contra locum a neceſsitate. ut uoluit Cicero in libris de Inuentione. ſiquidem non excuſabitur neceſsitate, qui prouidere poterat, ne in eum locum incideret. Ab *defenſore contra refelletur &c.*] intellige, ſigna ſuſpicionis ſupra in contrarium adducta refellentur: nempe, falſa ſe premi ſuſpicione: porro, nullam rem eſſe, quam non ſuſpicionibus criminari poſsit homo inimicus: nihil firmamenti in talibus eſſe coniecturis, ſi deſint teſtes: proinde, niſi quid doli probari poſsit, taceat. Ceterum haec ſigna, & argumenta talia eſſe poſſent, quod reus grauaretur. ut, ſi conſtaret, hoſtes aliquid reo pollicitos eſſe, ut clamdeſtina eos colloquia miſcuiſſe, uel reum ardenti in exercitum odio id ei ignominiae comparaſſe. quod factitatum legitur de Appio Claudio: His *locis ita tractatis,*] Quinctum, & poſtremum caput eſt, κοινὸς τόπος, locus communis cum accuſatori, tum defenſori. Accuſator enim ἀπορίᾳ utetur, ſiue communicatione, cum iudicibus, quid ipſi facturi fuiſſent, ſi in eo fuiſſent loco: & oſtendet, inutile eſſe, temere aliquid facere, cuius ſtatuendi poteſtatem non habuerit. Defenſor etiam loco communi utetur: in quo primum ὀδυρμὸν querellam inſtituet: deinde κοινωνίαν, communicationem cum iudicibus, quid ipſi fuiſſent facturi: tertio, ἀπαρίθμησιν, enumerationem temporis, loci, rei, ac deliberationis ſuae. Accvsator *utetur loco communi*] intellige, locum communem, quoad genus cauſſae. Sunt tamen loci proprij, quoad perſonam accuſatoris. nam non conueniunt reo. *Loco communi*: commotiuo ad indignationem. cum dicat, merito puniendos eſſe, qui inutile praeponunt utili. Statvendi] deliberandi. Locus ab auctoritate, uel comparatione. Rem *pernicioſam utili praeponi,*] Senſus eſt: Propter modicam reip. & umbratilem laudem, quae tantam perniciem ciuium Rom. afferat, anteponi ſalutem ciuium cum modica labecula reip. quod eſt utile. nemo hoc aequa mente feret. nec poſſe animi ſui propoſitum turpe cenſeri, ubi honeſto conſilio ductus, temporis condicione actus, neceſſaria facinoris cauſſa permotus, exercitum ſaluauerit. Quae enim (dicet) iniquitas foret, perdere, quos ſaluare poſsit? Quod ſi uel unum in bello ciuem ſaluaſſe coronam meretur, quot coronas ei deberi, qui totum exercitum ſaluauerit? Et ſimul inſimulabit accuſatorem feritatis, ac crudelitatis, qui tot fortes milites potius perditos uellet, quam ſaluatos. Per *conqueſtionem*:] per miſericordiae captationem. Qvid *facturi eſſent,*] num ſpectaſſetis Achaeos, ex turri? ut eſt in prouerbio. non puto, propter imminens periculum, In *eo loco*] ubi circumuentus erat ab hoſtibus. Tempvs,] nam mirabilis quaedam ſiccitas tunc erat, adeo ut non poſſet haberi aqua. Locvm,] quia undique obſeſsi, nullo modo euadere poterant. Rem,] paenuriam, & coactionem. Deliberationem] conſilium. quoniam ei ſatius uiſum eſt, arma, & impedimenta amittere, quam exercitum, & ſalutem militum. Ante *oculos.*] iudicum.

Ex hic, quae diximus, facile Epaminundae factum & excuſari, & defendi poteſt. is enim, cum eſſet dux exercitus,

ereitus,& terminus ducatus iam inſtaret, ſucceſſori electo exercitum non tradidit contra legem, ſed tenuit ducatum lege refragante. interim Lacedaemonios funditus uicit. is ſi accuſetur maieſtatis, quod contra legem exercitum tenuerit, quo caſu accuſator utetur loco a definitione, quid ſit minuere maieſtatem, quid ſit militarem diſciplinam. Item locis utetur a comparatione, ampliabit, ratiocinabitur. Reus. e diuerſo ab intentione laudata, a ſucceſſu felici, ab obtenta uictoria ſe tuebitur. & tractabuntur loci, ut ſupra diximus.

TRANSLATIO. XXIIX

TRANSLATIO criminis eſt, cum ab reo facti cauſſa in aliorum peccatum transfertur. In qua primum quaerendum eſt, iure ne in alium crimen transferatur. Deiude ſpectandum eſt, an aeque magnum ſit illud peccatum, quod in alium transferatur, atque illud quod reus ſuſcepiſſe fateatur. Deinde oportuer.t ne in ea re peccare, iu qua alius ante peccarit. Deinde oportuerit ne iudicium ante fieri. Deinde eum factum iudicium non ſit de illo crimine, quod in alium transferatur, oporteat ne de ea re iudicium fieri, quae res in iudicium non uenerit. Locus communis accuſatoris, contra eum, qui plus cenſebat uim, quam iudicia, ualere oportere: & ab aduerſariis percunctabitur accuſator, quid futurum ſit, ſi idem ceteri faciant, ut de indemnatis ſupplicia ſumant, quod eos idem feciße dicant. Quid, ſi ipſe accuſator idem facere uoluißet? Defenſor eorum peccaii atrocitatem proferet, in quos crimen transferetur: rem, locum, tempus ante oculos ponet, ut ij, qui audent, exiſtiment aut non potuiſſe, aut non fuiſſe utile rem in iudicium uenire.

EXPLANATIO

CAVSSA conſtat ex tranſlatione criminis, cum feciſſe nos non negamus, ſed aliorum peccatis coactos feciſſe dicimus: ut Oreſtes, cum ſe defendit, in matrem confert crimen, quod ei patrem necaſſet.

In hac tam ab actore, quam a reo, diligente, quaerendum eſt.

Iure ne in alium crimen transferatur: ut in cauſſa Oreſtis, primum quaerendum eſt, an Clytemneſtra Agamemnonem per inſidias occiderit. niſi enim factum eſſe conſtet, nihil Oreſti tranſlatio criminis proderit.

An aeque magnum ſit illud peccatum, quod in alium transferatur, atque illud, quod reus ſuſcipere fateatur: ut, num aequale crimen ſit Clytemneſtrae, quod ei patrem necauerit, Oreſtis crimini, qui eam occidit.

Oportuerit ne in ea re peccare, in qua alius ante peccarit. Turpe autem, & indignum putant magni rhetores, eos conſectari imitando, quos apud iudices improbamus. Si nulla ualebat apud te excuſatio unius peccati Clytemneſtrae, cur ipſe ſimile committebas?

Oportuerit ne iudicium ante fieri, priuſquam patris ulciſcendi cauſſa ſupplicium de matre ſumpſiſſet.

Cum factum iudicium non ſit de illo crimine, quod in alium transferatur, oporteat ne de ea re iudicium fieri, quae res in iudicium non uenerit.

Hac in cauſſa locus communis

Accuſatoris, eſt, cum dicet, contra eum, qui plus cenſeat, uim, quam Clytemneſtrae Oreſtes intulit, quam iudicia ualere oportere, & ab aduerſariis percunctabitur, quid ſit futurum, ſi ceteri quoque de indemnatis ſupplicia ſumant, quod eos idem feciſſe dicat, quos accuſat, & dicet: Quid, ſi accuſator idem facere uoluiſſet? Quid, ſi eadem ratione Menelaus Oreſtem indemnatum necaſset?

Defenſoris, eſt, ſi proferet eorum peccati atrocitatem, (ut Oreſtes Clytemneſtrae) in quos crimen tranſfertur. rem, locum, tempus ante oculos ponet, ut ij, qui audient, exiſtiment aut non potuiſse, aut non fuiſſe utile rem in iudicium uenire.

TRANSLATIO a Graecis Αντέγκλημα uocatur, ideſt, quaſi mutua quaedam accuſatio, cum culpa in alium confertur. Eſt autem duplex, στοχαστικὸν, & δικαιολογικόν. Illud eſt in coniectura, cum factum non ſolum a nobis factum eſse negamus, ſed etiam ab aduerſario factum eſse dicimus: cuius eſt exemplum in Roſciana. Δικαιολογικὸν uero eſt cum ipſa qualitate, qua nos iure defendimus: cum factum concedimus, ſed facti cauſsam in aduerſarium transferimus. ut, Oreſtes ſe matrem occidiſse fatetur, ſed matrem praebuiſse cauſsam dicit: quoniam illa patrem ſuum occiderat, cuius necem ultus ſit iure. Huiuſmodi etiam Milonis fuit defenſio. Pertinet igitur hic ſtatus ad ius, & aequitatem. Sed omnis cauſsa transfertur uel in perſonam alienam, & μετάθεσις, ideſt remotio dicitur: uel in rem, uocaturq. purgatio. ut, cum quis, tempeſtate impeditus, uenire ad diem conſtitutum non potuerit. uel in aduerſarium, & appellatur ἀντέγκλημα, id eſt tranſlatio, ſiue accuſatio mutua. Sunt autem ſex tranſlationis capita.

Primum eſt, κοινὴ ποιότης, qualitas communis, quando abſolute conſideratur, an iure aliquid in alium conferatur. ut, An, quia patrem illa prius occiderit, recte matrem occiderit Oreſtes: An, quia Clodius inſidiator fuerit, iure eum occiderit Milo. Habet igitur hoc caput τῶν αἰτίων διάσκεψιν.

Alterum eſt, σύγκρισις, comparatio, quae circa utriuſque facti qualitatem uerſatur. In hac enim ſpectandum eſt τὸ ἴσον ἀντεπεπονθὸς, aequalitatis proportio: An aeque magnum ſit illud peccatum, quod in alium transfertur, atque illud, quod reus ſuſcepiſse fatetur. ut, Milo occidit Clodium, quoniam hic Milonem occidere uoluit. In Oreſtis autem exemplo dubium eſse poteſt: Vtrum maius ſit peccatum, maritum ab uxore, an matrem a filio occidi. Cum igitur aliqua eſt inaequalitas, ἀντέγκλημα locum non habet.

Tertium eſt, τὸ ἀναγκαῖον, quod in cauſsarum efficientium conſideratione eſt poſitum: an illae ſint abſolutae, ac neceſsariae. Oportuerit ne in ea re peccare, in qua alius ante peccarit, & an uim effugere potuerit. Eſt

enim

enim uis, quam effugere non poſſumus. Hoc igitur in loco opus eſt diſtinctione temporis, quod uel interuallum habet, uel continuationem. Haec eſt in cauſſa Milonis, qui Clodium occidit, cum ei inſidias ſtruxiſſet. Interuallum uero eſt in cauſſa Oreſtis, qui matrem longe poſt occiſum patrem interfecerit, cum illam in iudicium uocare potuiſſet. τὸ συνεχὲς igitur, ideſt continuatio, excuſationem habet: ſed διαχωρισμένον, ideſt interuallum, ad caput ſequens referendum eſt.

Quartum caput eſt, κρίσις, iudicium: an illud ante fieri oportuerit. In hoc primum διαχωρισμένα locum habent: deinde ea, quae non omnino continuata ſunt. Continuata enim uel omnino continuata ſunt, ideoq. ſunt neceſſaria: quae locum in iudicio non habent. uel modicum habent interuallum, & non ſunt neceſſaria: eaq. in iudicium deduci poſſunt. A primo capite hoc differt qualitate, quae in illo eſt ſpectanda.

Quinctum eſt, πρόκρισις, praeiudicium: an lex exſtiterit de ea re, aut ſimili. ut, cum factum iudicium non ſit de illo crimine, quod in alium transfertur: oporteat ne de ea re iudicium fieri, quae res in iudicium non uenerit. Sic Oreſtes ſe defendere poterit: de quo uide in Roſciana.

Sextum, & poſtremum caput eſt, κοινὸς τόπος; qui in utramque partem ualet, & ab accuſatore, & a reo uſurpatur. Nam ex firmamento accuſatoris, & ratione defenſoris pendet: ideo utrique dat praecepta. Accuſator primum utetur συγκρίσει, iudiciorum, aut legum cum ipſa ui. Deinde ἐπιπλήξει, comminatione, quae ſumetur ex conglobatione conſequentium: quam tractabit κατὰ τὸ πύσμα ὑποθετικῶς, ideſt, per interrogationem in re una uehementem, in qua etiam utetur ἐπιμονῇ, immoratione conglobationis multarum rerum, ex quibus ipſa cognoſcetur qualitas. Defenſor etiam σύγκρίσει utetur, & uim eorum peccati proferet, in quos crimen transferretur, eamq. cum rei facto conferet. Vocat autem hoc in loco atrocitatem, uim: quae nihil eſt aliud, quam atrox rei neceſsitas, cum mors eſt quaſi ante oculos. Deinde utetur conglobatione τῶν περιστάσεων, & rem, locum, ac tempus ante oculos ponet. ut, aut non potuiſſe, aut non fuiſſe utile, rem in iudicium uenire, exiſtimetur.

Hic autem ſtatus pro tanto aſſumptiuus eſt, quia non conſiſteret niſi ope extrinſecus petita. ut, qui excuſat ſe homicidij, dicet ſe aliter defendi non potuiſſe, uiolentia alterius urgente. Et, quamuis etiam hoc ſtatu reus defendatur iuſte feciſſe, & ex partibus iuris forte nitatur, tamen non ex ſolis partibus iuris, ſi aliorum peccata cauſſam non inſtruerent. Vt ſic non ſit magna differentia inter tranſlationem criminis, & abſolutam iuridicialem. atque adeo exemplum Oreſtis, quod huc pertinet, illuc deduximus. Habet haec conſtitutio acrē utrimque conflictum. nam accuſatoris loci ſunt uehementes. primo, exponet: deinde, intentionem rei repellet per locum ab obſiſtentia, cui ſubiungitur locus a comparatione: item, ratiocinatio, qua accuſator reū premet ab abſurdo: item, locus a contemptu iudicij, uehementer ſtrenuus. quae omnia exemplo patebunt iam ſupradicto. Nam accuſatur Oreſtes, quod matrem interfecerit. is ſe defendit, coactum crimine matris, quae auxilio Aegyſthi adulteri parentem interfecerit. hic accuſator urgebit repulſione ab obſiſtentia. Sit ſane, quod mater parentem interfecerit: non propterea matrem debebas occidere. ſic enim crimina non excuſari, ſed multiplicari. Porro non erat tantum facinus matris, quantum tuum eſt. haec enim, irritata, quod Agamemnon Iphigeniam filiam immolarit, quod amaſſet Caſſandram, &c. facile poſſe mulieres talibus rebus irritari. Tu uero quam cauſſam interficiendae matris habuiſti, cui ſummam pietatem debueras? qui eſt locus a comparatione. Deinde, cum mater caedis culpabilis fuiſſet, patebat locus iudicij. hanc uiam cum tu contempſeris, & auctoritate tibiipſi iudicaueris: quo modo iam in iudicium crimen matris uocas, qui locum iudicij a principio deſeruiſti? Hic locus eſt ualidus, teſte Cicerone in libro de Inuentione. Poſſunt addi loci a definitione: ut non uindicta parenti, ſed latrocinium ſit facinus Oreſtis. Hic accedent loci communes, quod, ſi ea licentia concedatur, ut de indemnatis ſupplicium ſumere liceat, ſe ſe ſine iudice uindicare: quo tibi cum iudiciis? quo Areopagus? quid forum? quis tandem caedium finis? quae ciuilis communionis tranquillitas? Hic defenſor primum a cauſsis facinoris ſe tuebitur, non tam facta, quam cauſſam, inſpici oportere. Item ab intentione ſe fundabit. armabitur a pietate, ut nihil minus, quam latrocinij, uel parricidij facinus intenderit. Porro per locum ab opportunitate, amore, periculo, ſe potenter defendet. ſaepe enim praeripi facultatem uindicandi criminis, ſi ſemper ad iudicia ſpectes. licere etiam iure ſcripto ſine iudice ſeſe uindicare, ubi mora ſit allatura periculum. denique potētiam matris, familiā, patrocinetores, & clientelam uereri potuiſſe, & ne per ſordes, ne per gratiam iudices mouerentur. proinde iudicij aleam non contempſiſſe, ſed, opportunitate fuiſſe uſum. Nec ipſe crimen matris in iudicium deducam, ut ſuper eo iudicetur: quia manifeſta non egent iudicio, ſed ut exemplo ſeſe tueatur, ſeſe excuſet. Nec ſane uerum eſſe, quod parricidio ſeſe contaminauerit: ſed id ipſum perpurgauerit, adulterij foeditatem euerterit, domum patris deiectam erexerit, reparauerit. quae eſt contraria uiolenta definitio. Haud ab ſimili tractatu per declamationes ſcholaſticas accuſari poterit Scipio Naſica: qui Tiberium Gracchum ſine iudicio in foro occiderit, quod legem agrariam moliretur; cum tamen Scaeuola iuriſconſultus iudicij ſerie rem eſſe tractandam hortaretur. Ceterum Scipio, Me, inquit, ſequatur, qui remp. ſaluam uelit. dum enim iuri nitimur inter mores reip. maieſtatem euertimus. teſtis Liuius. Hoc modo Horatij cauſſa tractabitur. qui, uictor Curiatiorum, cum ſoror unum ex interfectis, nempe ſponſum, plangeret, eam interfecit. Quam hiſtoriam luculenter tractat Cicero lib. II. de Inuentione. Qvae *res in iudicium non uenerit.*] Contra hunc locum ſe tuebitur defenſor Oreſtis, facinus matris non introduci in hoc iudicium, ut uentiletur, utpote quod iam poena de matre ſumpta ſit. ſed ideo hoc crimen reticetur, ut factum rei purgetur, nempe coacti propter hoc facinus. Qvam *iudicia.*] nam, ſi hoc impunitum auferet, nimirum iudicia peribunt. & eſt locus ab euentu. Eos] aduerſarios, Idem *feciſſe*] de indemnatis ſupplicia ſumpſiſſe. Qvid, *ſi ipſe accuſator idem facere uoluiſſet?*] ſi accuſator uoluiſſet hoc facere, quod fecit reus, certo

non

non id impune tuliſſem. DEFENSOR] Locus communis, per quem arguere debet *Deſenſor*; ideſt, reus. ATROCITATEM *proferet*,] crudelitatem palam faciet. REM,] ut, occidiſſe Agamemnonem, principem ciuitatis, & omnium parentem, & tutorem. uel Horatiam, fleuiſſe maritum, hoſtem reip. acerrimum. LOCVM,] quia in propria domo fratrum, de quorum morte dolor recens eſſet, faciebat talia. TEMPVS] cum, ut dixi, recens dolor eſſet, & tota ciuitas maerore eſſet oppreſſa.

CONCESSIO. XXIX

CONCESSIO eſt, per quam nobis ignoſci poſtulamus. Ea diuitur in purgationem & deprecationem. Purgatio eſt, cum conſulto a nobis factum negamus. Ea diuiditur in neceſſitudinem, fortunam, imprudentiam. De his primum partibus oſtendendum eſt, deinde ad deprecationem reuertendum uidetur. Primum, conſiderandum eſt, utrum per culpam uentum ſit in neceſſitudinem, num culpam ueniendi neceſſitudo fecerit. Deinde quaerendum eſt, ecquo modo uis illa uitari potuerit, ac leuari. Deinde his, qui in neceſſitudinem cauſſam conferet, expertus ne ſit, quid contra facere, aut excogitare poſſet. Deinde, num quae ſuſpicione ex coniecturali conſtitutione trahi poſſint, quae ſignificent id conſulto factum eſſe; quod neceſſario accidiſſe dicitur. Deinde, ſi maxima neceſſitudo quaepiam fuerit, conueniat ne eam ſatis idoneam putari. Si autem imprudentia reus ſe peccaſſe dicet, primum quaeretur, utrum potuerit ſcire, an non potuerit. Deinde, utrum data ſit opera ut ſciretur, an non. Deinde, utrum caſu neſcierit, an culpa. nam, qui ſe propter uinum, aut amorem, aut iracundiam fugiſſe rationem dicet, is animi uitio uidebitur neſciſſe, non imprudentia ſe defendet, ſed culpa contaminabitur. Deinde, coniecturali conſtitutione quaeretur, utrum ſcierit, an ignorauerit: & conſiderabitur, ſatis ne imprudentia praeſidij debeat eſſe, cum factum eſſe conſtet. Cum in fortunam cauſſa conferatur, & ea re defenſor ignoſci dicet reo oportere; eadem omnia uidentur conſideranda, quae de neceſſitudine praeſcripta ſunt. Etenim hae tres partes purgationis inter ſe finitimae ſunt, ut in omnes eadem fere poſſint accommodari. Loci communes in his cauſſis: Accuſatoris contra eum, qui, cum ſe peccaſſe confiteatur, tamen oratione iudices demoretur: Defenſoris, de humanitate, miſericordia, uoluntatem in omnibus rebus ſpectari conuenire; &, quae conſulto facta non ſint, ea fraudi eſſe non oportere. Deprecatione utemur, cum fatebimur nos peccaſſe, neque id impudenter, aut fortuitu, aut neceſſario feciſſe dicemus, & tamen, ignoſci nobis poſtulabimus. His ignoſcendi ratio quaeritur ex iis locis, ſi plura aut maiora officia, quam maleficia, uidebuntur conſtare: ſi qua uirtus, aut nobilitas erit in eo, qui ſupplicabit: ſi qua ſpes erit, uſui futurum, ſi ſine ſupplicio diſceſſerit: ſi ipſe ille ſupplex, manſuetus, & miſericors in poteſtatibus oſtendetur fuiſſe: ſi ea, quae peccauit, non odio, non crudelitate, ſed officio, & recto ſtudio commotus fecit: ſi tali de cauſſa aliis quoque ignotum eſt: ſi nihil ab eo periculi nobis futurum uidebitur, ſi eum miſſum fecerimus: ſi nulla aut a noſtris ciuibus, aut ab aliqua ciuitate uituperatio ex ea re ſuſcipietur. Loci communes, de humanitate, fortuna, miſericordia, rerum commutatione. His locis omnibus ex contrario utetur is, qui contradicet, cum amplificatione & enumeratione omnium peccatorum. Haec cauſſa iudicialis fieri non poteſt, ut in primo libro oſtendimus, ſed, quod poteſt uel ad ſenatum, uel ad concilium uenire, non uiſa eſt ſuperſedenda.

EXPLANATIO

CONCESSIO eſt, per quam nobis ignoſci poſtulamus: uel, per quam non factum ipſum improbatur ab reo, ſed, ut ignoſcatur, id petitur.

Haec diuiditur in

Excuſationem, per quam fatemur nos peccaſſe, ſed per neceſsitatem, aut ignorantiam, aut forrunam: ut ille, qui ad diem commeatus non rediit, quod aquae ſubito ortae intercluſiſſent eum, non uoluntate, ſed neceſsitate impeditum ſe defendit. Caepio apud tribunos pl. per fortunam purgat ſe de amiſsione exercitus. Sic, qui ſupplicium ſumpſiſſe ab eo ſeruo, qui ei fratrem necaſſet, confitetur. Seruus interfectus, cum in tabulis teſtamenti apertis manumiſſus inuentus eſſe, accuſatur ille, quod liberatum, & ciuem iam factum occidiſſet. Res in iudicio eſt: eadem a ſe factam confitetur, ſed per ignorantiam, quod ſeruum eſſe credebat.

Deprecationem, per quam & peccaſſe, & conſulto feciſſe reus ſimul confitetur, & tamen, ut ſui miſereantur, poſtulat. Haec apud ſenatum, populum, principem pium, & ubicumque clementia iuris eſt, maxime ualet: rarius in iudicio, quod delicto iam conceſso, impetrare difficile ſit ab eo, qui peccatorum uindex eſse debet, ut ignoſcat.

CVM per neceſsitatem factum excuſatur, conſiderandum eſt,

Vtrum per culpam uentum ſit in neceſsitudinem.

Num culpam ueniendi neceſsitudo fecerit.

Quo modo uis illa uitari potuerit, aut leuari.

An is, qui in neceſsitudinem cauſsam conferet, expertus ſit, quid contra facere, aut excogitare poſset.

Num quae ſuſpiciones ex coniecturali conſtitutione trahi poſsint, quae ſignificent id, quod neceſsario accidiſse dicitur, conſule factum eſse.

Si maxime neceſsitudo quaepiam fuerit, conueniat ne eam ſatis idoneam cauſsam putari, quae id facere compulerit.

CVM per ignorantiam peccaſse ſe reus dicet, quaeretur,

Vtrum potuerit ſcire, an non potuerit, id quod per ignorantiam ſe feciſse confitebitur.

Num

Num data ſit opera, ut ſciretur, aut non.

Vtrum caſu neſcierit, an culpa. nam, qui ſe propter uinum, aut amorem, aut iracundiam fugiſſe rationem dicet, is animi uitio uidebitur neſciſſe, non ignorantia.

Per conſtitutionem coniecturalem: utrum ſcierit, aut ignorauerit: ſatis ne imprudentia praeſidij debeat eſſe, cum factum eſſe conſtet.

Cvm in fortunam cauſſa facti confertur, iiſdem locis utemur. quaeremus enim,

Num per culpam in fortunam reus inciderit; num culpam fortuna praeceſſerit.

Vtrum is, qui in fortunam cauſſam conferet, expertus autem fuerit, ne in caſum concideret.

Quae ſuſpiciones ex coniecturali cauſſa trahi poſsint, quae declarent, id, quod per fortunam accidiſſe reus dicet, conſulto factum eſſe.

Locvs autem communis in his tribus Conceſsionis partibus,

Accuſatiuus eſt, cum dicet contra eum, qui, cum ſe peccaſſe confiteatur, & tamen diutius oratione iudices demoretur, quo minus iudicij ſententiam efferant.

Defenſoris eſt, cum dicet, humanitatem, miſericordiam, uoluntatem, in omnibus rebus ſpectari conuenire: &, quae conſulto facta non ſint, ea fraudi eſſe non oportere.

Hac in parte ad facti deprecationem ignoſcendi petenda uenia eſt ex his locis,

A comparatione: ſi plura, aut maiora officia, quam maleficia, uidebuntur conſtare. hoc modo: Vir fortis, & animoſus eſt, qui pro populi Romani honore ex auctoritate ſenatus grauiſsima bella geſsit.

Ab attributis perſonae: ſi qua uirtus, aut nobilitas erit in eo, qui ſupplicabit.

A cauſſa ratiocinatiua: ſi qua ſpes erit, uſui futurum, ſi ſine ſupplicio diſceſſerit: ſi nihil ab eo periculi nobis futurum uidebitur, ubi eum miſſum fecerimus.

Ab honeſto: ſi ipſe ille ſupplex, manſuetus, & miſericors in poteſtatibus oſtendetur fuiſſe.

Ab excuſatione: ſi ea, quae peccauit, non odio, non crudelitate, ſed officio, & recti ſtudio commotus fecit.

A ſimili: ſi tali de cauſſa aliis quoque ignotum eſſe dicemus, ut M. Marcello, & aliis.

A laudabili: ſi nulla aut noſtris ciuibus, aut ab aliqua ciuitate uituperatio ex ea re ſuſcipietur: ut Cicero pro Ligario facit, oſtendens Caeſari laudi futurum, ſi eum ſine ſupplicio cum bona gratia dimittat.

Locvs autem communis in Deprecatione,

Defenſoris, eſt, de humanitate, fortuna, miſericordia, rerum commutatione: in quibus uerſatur Cicero, ut pro Ligario, & Deiotaro dicit.

Accuſatoris, eſt, cum his locis omnibus, cum propriis, tum communibus, ex contrario, cum amplificatione, & enumeratione peccatorum utetur.

Concessio a Graecis dicitur Συγγνώμη, ideſt Venia. inde etiam a Latinis Status Venialis dicitur. Eſtq. cum reus non id, quod factum eſt, defendit, ſed, ut ignoſcatur, poſtulat. Haec, ut diximus, in Purgationem, & Deprecationem diuiditur. Purgatio eſt, cum factum conceditur, culpa remouetur. cauſſa enim rei in rem alienam transfertur. ideo a Graecis Μετάστασις dicitur. Differt a ſuperioribus, quod in illis ius, & leges ſpectantur, in hac uero ſola clementia, & miſericordia iudicis. Haec partes habet tres: Neceſsitudinem, Imprudentiam, Fortunam. Neceſsitudo uehementiſsima eſt, ideoq. ad purgationem plurimum ualet. Eſt autem quinquepartita. Primum enim conſiderandum eſt τὸ τῆς ἀνάγκης αἴτιον, ideſt neceſsitatis cauſſa: utrum per culpam uentum ſit in neceſsitudinem: num culpam ueniendi neceſsitudo fecerit. Culpam hoc in loco uocat, cauſſam malam neceſsitudinis: ut, ſi quis ſua negligentia paſſus eſſet ſe ita includi, ut uel cum periculo pugnandum illi fuerit, uel impedimenta amittenda. Deinde ὁ τῆς ἀποβολῆς τρόπος, ideſt, ratio quaerēda eſt, ecquo modo uis illa uitari potuerit, ac leuari. Deriuatur hoc ex primo, in quo quaeritur, unde neceſsitatis cauſſa uenerit. Tertio, τὰ πραχθέντα, res geſtae ſunt ſpectandae: in quibus etiam τὰ παραλειφθέντα, ea, quae omiſſa ſunt, conſiderantur: utrum is, qui in neceſsitudinem cauſſam conferet, expertus ne ſit, quid contra facere, aut excogitare poſſet. Quarto, βούλησις, num uolens uenerit in periculum. hoc totum eſt στοχαστικὸν ἐκ τῶν ἑκουσίων, καὶ ἀκουσίων: ſumuntur enim ſuſpiciones ex coniecturali conſtitutione, ideſt τεκμήρια, καὶ εἰκότα, quae ſignificent id conſulto factum eſſe, quod neceſſario accidiſſe dicitur. Poſtremo, τῆς ἀνάγκης μέγεθος eſt ſpectanda, ſi maxime neceſsitudo quaepiam fuerit, conueniat ne, eam ſatis idoneam putari. Eſt enim neceſsitas, uis quaedam ἄφυκτος, quae uitari minime poteſt. Imprudentiam Graeci ἄγνοιαν uocat, cum quis per ignorantiam in malum labitur. Ea quattuor habet capita. Primum eſt, τοῦ δυνατοῦ, utrum potuerit ſcire, an non potuerit: ideſt, an imprudentia ibi fuerit. Alterum eſt, τῶν πραχθέντων, utrum data ſit opera, ut ſciretur, an non. Tertium eſt, διακριτικὸν: diſtinguendum enim eſt, utrum caſu neſcierit, an culpa. Quoniam, qui ſe affectu peccaſſe dicet aliquo, is animi uitio uidebitur neſciſſe, non imprudentia: quamobrem noua ſe culpa contaminabit. Vocat autem caſum τὸ αὐτόματον, quod fortuito accidit. Quartum eſt, στοχαστικὸν: coniecturali enim conſtitutione quaeretur, utrum ſcierit, an ignorauerit. Tractantur tamen etiam tres partes στοχασμῶς. Differt autem prima ab hac quarta, quod illa eſt πραγματικὴ περὶ τοῦ δυνατοῦ, καὶ τοῦ μέλλοντος, haec uero rerum eſt praeteritarum. Poſtremum caput eſt συγκριτικὸν: conferetur enim factum cum imprudentiae qualitate, ſatis ne in hac ad defenſionem praeſidij debeat eſſe, cum de illo conſtet. Praecepta ſunt in hac parte communia, ut etiam in prima fuerunt. Nam & accuſator reum his capitibus grauare, & defenſor illis eundem tueri conabitur. ἐν τῇ τύχῃ, in fortuna eadem ſunt ſpectanda, quae in neceſsitate. Etenim hae tres partes purgationis inter ſe finitimae ſunt, ut in omnes eadem fere poſsint accommodari. Habet autem ut neceſsitas, ita etiam fortuna, ob-

iectum,ac fundamentum,ipſam uim: terminum uero,euitationem: quare,cum & neceſsitas, & fortuna ſatis eſt magna,euitari non poſſunt. CONSVLTO] cum deliberatione. IN *neceſſitudinem,*] ut ille,qui ad diem commeatus non uenit,quod aquae eum interclusiſsent. Neceſsitudo alia culpabilis,alia inculpabilis. Omnis autem neceſsitudo, quae per culpam fit, caret uenia; quae non per culpam accidit, ſed potius hominem in culpam coniicit, digna uenia. Sane Neceſsitudo eſt impulſio ad faciendum, quod non oportuit fieri; fortuna uero impedit,ne fiat,quod fieri debet. VIS *illa*] neceſsitudo. VITARI] in totum uitari,ne culpa ſua uideatur reus in ea deueniſſe. LEVARI.] alleuari, minui. CONSVLTO] propter aliquam ſuam utilitatem,& commodum. DEINDE, *ſi maxime neceſſitudo*] Ex iſtis colliguntur quattuor loci,a culpa antecedenti,a negligentia,a propoſito,ab impertinentia. VTRVM *potuerit ſcire,*] utpote,cui frater omnia nunciabat. AN *non*] quoniam non erat in urbe,uel iurgia erant inter eum,& fratrem. omnis autem imprudentia, quae ſciri potuit, ueniam non meretur; quae autem ſciri non potuit, digna eſt uenia. Locus a facultate. DATA *ſit opera,*] Locus a ſtudio, CASV *neſcierit, an culpa.*] Duplex eſt ignorantia: una caſualis, quod genus, ſi quis lapidem a feneſtra deiecerit, hominemq. occiderit; altera culpabilis, ut, ſi quis ſe excuſet in delicto,aut amore,aut uino. Virgilius:

Omnia uincit amor: & nos cedamus amori.

PROPTER *uinum,*] Haec ſententia ſumitur a loco ab infinitione, ſicut quaelibet alia moralis ſententia; quae non ſolum reſpicit thema propoſitum, ſed omnem caſum imprudentiae, quam culpa praecedit. ut,ſi ebrius noctu in puellam incidens,eam uitiet; defendet ſe imprudenter feciſſe. at eam imprudentiā culpa,ideſt ebrietas praeceſſerat. quae uiolentia in iure ciuili excuſat quidem a capitali ſupplicio, ſed ab extraordinaria poena non excuſat. l. aut facta, §. delinquunt,ff. de poenis. Sic excuſatur a crimine maieſtatis: ut, ſi quis imperatori male dixerit, hunc impunitum uult imperator, ſiue lubricum linguae,ſiue uitium in cauſſa fuit. id quod conſtituit Imp. Theodoſius in l. unica, C. ſi quis imperatori maledixerit. Hoc iam a uetuſto tempore fecerat Pyrrhus,ut docet Plutarchus in eius uita. qui,cum iuuenes per ebrietatem mala de rege locutos deprehendiſſet,at ij iuuenes reſpondiſſent,futurum,ut peiora loquerentur, ſi plus uini habuiſſent, dimiſit eos. RATIONEM] ueri inueſtigationem. CONTAMINABITVR.] infamabitur. QVAE *de neceſſitudine praeſcripta ſunt,*] num culpam ueniendi neceſsitudo fecerit. IN *omnes*] ſcilicet, partes purgationis. EADEM] praecepta. FERE] propter neceſsitudinem. nam maior eſt neceſsitas in neceſsitudine, & uis, quam ſit in fortuna, & imprudentia. LOCI *communes*] Poſt praecepta generalia, nunc etiam locos communes huius ſtatus tractat. Accuſator finem habet propoſitum, ſaeuitiam: ideoq. omnia exaggerabit: & facta potius, quam orationem,ſpectanda eſſe dicet. Defenſor clementiam,& miſericordiam iudicis propoſitam habet. Is primum διακρίσει utetur. & non facta, ſed uoluntatem potius ſpectandam eſſe in omnibus rebus contendet. Deinde oſtendet,nullam in iis fraudem eſſe poſſe,quae conſulto facta non ſint. IN *his cauſſis;*] quae uerſantur in neceſsitudine,fortuna,& imprudentia. DE *humanitate,*] de hominum fragilitate. MISERICORDIA,] captando miſericordiam. VOLVNTATEM] quae diſtinguit malum. multa enim peccamus inuiti. DEPRECATIONE *utemur,*] Deprecatio proprie Συγγνώμη uocatur, quae eſt, cum & factum confitemur,& conceſsionis partibus non utimur, ſed ueniam petimus. In conceſsione eſt defenſio aliqua, qua in iudicio reus poteſt conſiſtere: in hac uero nulla eſt. quamobrem ignoſcendi ratio in deprecatione ſex quaeretur locis. I. Primum, ἐπιδείξει, demonſtratione perſonae,quis ſit,quid pro rep. egerit, quae de illo in futurum ſpes ſit. II. Deinde,συγκρίσει παραδειγματικῇ, eum,qui iam ſupplex ſit,manſuetum,& miſericordem fuiſſe etiam aliis,cum in magiſtratu eſſet. III. Tertio, διακρίσει τῶν αἰτίων, cauſſarum diſtinctione. malas enim facti cauſſas tollet,& bonas,ac ueras ponet; non odio,aut crudelitate,ſed officio,& recto ſtudio commotum feciſſe. IV. Quarto, exemplis, aliis quoque in ſimili cauſſa ueniam eſſe datam. ut in cauſſa Marcelli apud C. Caeſarem fuit Cicero. V. Quincto,τοῖς ἐκβησομένοις: primum hoc tuto,deinde etiam honeſte fieri poſſe: ut nec periculum,nec uituperatio metuenda ſit. VI. Poſtremo,locis communibus, de humanitate, fortuna,miſericordia,rerum commutatione,quibus defenſor iudicem ad clementiam flectet. Sunt autem omnes illi loci defenſoris. quare in fine breuiter monet,accuſatorem,qui contradicet,his locis omnibus ex contrario uti debere, cum amplificatione, & enumeratione omnium peccatorum. ut, atrocitate ſceleris animaduerſa,iudex a miſericordia auertatur. IGNOSCENDI *ratio*] argumentum,quo oſtendimus nobis ignoſci oportere. EX *iis locis,*] ex ſubſequentibus argumentis. PLVRA,] quoad numerum. MAIORA] quoad quantitatem. OFFICIA,] modo beneficia, alias honeſtatem ſignificant. CONSTARE,] manifeſta eſſe, conuenire. ideſt,ſi poterimus oſtendere,nos magis profuiſſe,quam nocuiſſe. Locus uel a facto, uel a comparatione. SI QVA *uirtus,*] Locus ab habitu. AVT *nobilitas*] Locus a fortuna. VSVI *futurum,*] utilitati. Locus a conſequenti. NON *odio,non crudelitate,*] eſt enim humanae naturae,quam ducem ſequi debemus,inimica crudelitas. Locus a contrariis. Sic ſe defenderat Horatius,cum interfeciſſet ſororem,apud T. Liuium. Sic Cicero defenderat Q. Ligarium,quod non odio Caeſaris manſiſset in Africa,ſed recto,& bono ſtudio,Pompeium,& ciues Romanos ſequendi. Et in iure ciuili parcitur delinquenti, ſi dolo careat, immo & peieranti. l. qui iuraſse, ff. de iureiurando. SED *officio,*] debito. RECTO *ſtudio*] benignitate & recto animo, caſtigando ſeruum fugitiuum, ne quid tale poſthac eſset auſus aggredi, uerberibus, & loris. SI *tali de cauſſa*] crimine & peccato. Locus a ſimili. Vt M. Marcello,quem Cicero pro Ligario Caeſari exhibuit,ut pari clementia effunderetur in Ligarium,quā in Marcellum. PERICVLI] Locus a conſequenti, a cauſſa ratiocinatiua. MISSVM *fecerimus,*] ſi ueniam conſecutus fuerit a iudicibus. SI *nulla*] Locus ab euentu. VITVPERATIO] mala fama,ſed laus,& gloria. EX *ea re*] liberando reum. DE *humanitate,*]

Vel,

Vel, quin fragilis eſt humana natura ad peccandum. Vel, de humana benignitate, quia iudices debent eſſe humani, & benigni. FORTVNA,] oſtendendo, miſeram factam eſſe ſuam fortunam. MISERICORDIA,] oſtendendo, miſericordiam eſſe praecipuam uirtutē, & hominem miſericordem eſſe omnibus laudabiliorem: nihil eſſe magno, & praeclaro uiro dignius placabilitate, & clementia. RERVM *commutatione.*] nam fortuna rotat, numquam perpetuo ſtabilis. AMPLIFICATIONE,] quia plura ſunt in eo uitia, quam uirtutes.

IN hoc ſtatu Deprecationis (ſi ſaltem ſtatus eſt, ſicuti non eſt) nouem locos colligas. I. ab officiorum exceſſu. II. a uita inculpata. III. a natalium ſplendore. IV. a ſpe utilitatis futurae. V. a digna retaliatione manſuetudinis per eum exhibitae. VI. a remotione fraudis. VII. a lapſu officioſo. IIX. ab exemplo. IX. a ſublata periculi formidine.

REMOTIO. XXX

CVM a nobis crimen remouere uolemus, aut in rem, aut in hominem noſtri peccati cauſſam conferemus. Si cauſſa in hominem conferetur, quaerendum erit primum, potuerit ne tantum, quantum reus demonſtrabit, is, in quem cauſſa conferetur: & ecquonam modo aut honeſte, aut ſine periculo potuerit obſiſti: ſi maxime ita ſit, num ea re concedi reo conueniat, quod alieno inductu fecerit, deinde in coniecturalem trahetur controuerſiam, & quaeretur, num conſulto factum ſit. Si cauſſa in rem quandam conferetur, & haec eadem fere, & omnia quae de neceſſitudine praecepimus, conſideranda erunt.

EXPLANATIO

CAVSSA conſtat ex remotione criminis, cum a nobis non crimen, ſed culpam ipſam amouemus, & uel in hominem transferimus, uel in rem quampiam conferimus. In hominem; ut, ſi accuſeturis, qui P. Sulpicium ſe fatetur occidiſſe, & id iuſſu conſulum defendat; & eos dicat non modo imperaſſe, ſed rationem quoque oſtendiſſe, quare id facere liceret. In rem: ut, ſi quis ex teſtamento quod facere iuſſus ſit, ex plebiſcito uetetur.

REMOTIO, μετάστασις, poſtremus eſt inter ſtatus aſſumptiuos. Ea eſt, cum facti noſtri cauſſam uel in rem, uel in perſonam conferimus. Si cauſſa in hominem conferetur, quadripartita eius conſideratio erit. I. Primum enim de perſonae auctoritate quaeretur, potuerit ne tantum, quantum reus demōſtrabitur, is, in quem cauſſa conferetur. ut: Tribunus occidit militem iuſſu imperatoris: quaeritur, an indicta cauſſa occidiſſe imperator potuerit. II. Deinde, τὸ δυνατόν, an honeſte, & ſine periculo potuerit obſiſti. hoc στοχαστικὸν eſt: ut, An ſuadere tribunus imperatori potuerit, ne occideret militem. III. Tertio, ποιότης, qualitas: an ſi maxime ita ſit, ea re concedi reo conueniat, quod alieno inductu fecerit. IV. Quarto, στοχασμὸς, coniectura, nū conſulto fecerit. Si cauſſa in rem quandam conferetur, eadem praecepta obſeruanda ſunt, quae ſupra de neceſsitudine tradidit. Coniunxit praecepta etiam in hoc ſtatu: ſed utentur contraria methodo accuſator, & defenſor, & quiſque ad ſuum omnia finem accommodabit. Differt autem Remotio a Purgatione, quod fortuna, & neceſsitas quaſi diuina ſint, & imprudentia etiam in uoluntate hominis non contineatur: in remotione uero omnia ſunt humana. Hermogenes tamen ex duo coniunxit.

REMOVERE] Remotio criminis conuenit cum Tranſlatione, eo quod ambae remouent crimen, ſed in eo differunt, quod Tranſlatio transfert peccatum in rem punitam, Remotio uero criminis in rem non punitam. AVT *in rem*,] Vt, ſi heres iuſſus facere ſepulcrum in aede ſacra Dianae, prohibeatur plebiſcito, quod uetat, ne eo loci quiſquam ſepeliatur. POTVERIT *ne tantum*,] Locus eſt uehemens, quo urgetur reus: cum dicimus, non potuiſſe iubere, non fuiſſe tantae auctoritatis eum qui iuſsit peccatum tantum. Et hoc eſt etiam iure ciuili prouiſum, ut non excuſetur remotione criminis a facinore illicito, qui paruit illicita iubenti: immo utrique tenentur, & iubens, & faciens. l. prima, §. quoties, ff. de ui & ui armata. Excuſabit igitur iuſſus conſulis, uel praetoris, quod & ius ſcriptū dicit, iuſte eum poſsidere, qui iuſſu praetoris poſsideat. l. iuſte, ff. de acquirendis poſſeſsionibus. Item iuſſu dictatoris. Sic Seruilius Ahala, magiſter equitum, dum confodiſſet Sp. Melium, excuſatus eſt iuſſu Cincinnati dictatoris. Sic, ex Iuriſconſultorum ſententia, excuſatur is magiſtratus, qui iuſſu Imperatoris ſuſpendit hominem ſine ulla cauſſae cognitione. quod ſatis colligitur in cap. qui reſiſtit, 11. q. 3. NVM *ea re concedi reo conuenit, &c.*] Hoc loco uidetur eſſe uſa Dido, in IV. Aeneidos, cum Aeneas, crimen fugae apud eam excuſaturus, uſus eſt remotione criminis:

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo
Italiam Lyciae iuſſere capeſcere ſortes.

Cui pulchre reſpondet Dido:

- nunc augur Apollo,
Nunc Lyciae ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo,
Interpres diuum, &c.

Hactenus de Statibus, Sequitur altera κατασκευῆς pars, de Argumentationibus.

DE . ARGVMENTATIONIBVS . XXXI

QVONIAM ſatis oſtendiſſe uidemur, quibus argumentationibus in unoquoque genere cauſsae iudicialis uti cōueniret, conſequi uidetur, ut doceamus, quemadmodum ipſas argumentationes ornate, & abſolute tractare poſſumus. nam fere non difficile eſt inuenire quid ſit cauſſae adiumento: difficillimum uero eſt inuentum expolire, & expedite pronunciare. haec enim res facit, ut neque diutius, quam ſatis ſit, in eiſdem locis commoremur, neque eodem identidem reuoluamur, neque inchoatam argumentationem relinquamus, neque incommode ad aliam deinceps tranſeamus. Itaque hac ratione & ipſi meminiſſe poterimus, quid quoquo loco dixerimus: & auditor cum totius cauſſae, tum uniuſcuiuſque argumentationis diſtributionem percipere, & meminiſſe poterit.

EXPLANATIO

QVONIAM ſatis de ſtatibus, earumq. tractatione dixit, nunc de Argumentationibus, quo modo illae ornate, atque abſolute ſint tractandae, praecipit. quod alterum κατασάσεως membrum fuit. Tria autem hoc in loco facit: primum enim proponit, ſe de argumentationibus eſſe praecepturum: deinde, eius praeceptionis rationem reddit: tertio, argumentationum uirtutes, atque uitia oſtendit.

ARGVMENTVM eſt ratio, dubiae rei fidem faciens, quod a locis ſumitur, tamquam a ſede.

Argumentatio, eſt argumenti a locis extracti per orationem appoſitam explicatio: Vel:

Argumentatio, eſt argumenti tractatio, dilatatio, atque ornatio. Cum Aiacem ab Vlixe iuterfectum eſſe colligimus, mouemur per locum a conſecutione: quod cum gladio cruento, ex Aiacis cadauere extracto, inuentus ſit. Hoc argumentum ſi oratione polita explicaueris, iam argumentatione uteris: dummodo ſpecies, modos, formas argumentationis ſerues.

Quod autem diximus, Argumenta rei dubiae facere fidem: neceſſe eſt, ut ſaltem iuris praeſumptione non dubitentur. &, ſint licet argumenta in Rhetoricis probabilia, uel credibilia, ut quorum oppoſitum uerum eſſe poſsibile ſit: tamen argumentis ſtabitur, donec aduerſarius contrarium probet. ut ita nihil differant Praeſumptio iuris, apud Iuriſtas; & Argumentum probabile, apud Rhetores. Nam alioqui ea ſciri dicuntur in Iure, quae uehementi, & firma opinione apprehenduntur. perelegans textus eſt cum gloſſa in l. Panthonius, §. perduellionis, ff. de acquirenda hereditate. Sunt autem aliqua argumenta firmiter credibilia; ut, quod mater amet filium: aliqua propenſe credibilia; ut, qui ſanus ſit, in craſtinum perueniat: alia ſunt credibilia non repugnanter; ut, cum furti inſimulatur, qui eo tempore domi fuit. Haec, & multa elegantia Quinctilianus lib. v. cap. 10.

Nec tamen hoc praeterire poſſum, ut argumentum, quod alioqui fidem facit in genere, in ſpecie non facit fidem, niſi factum probetur. Vt, Caedes a te facta eſt: cruentam enim ueſtem habuiſti. Hic, ſi negas, ueſtem fuiſſe, aut habuiſſe cruentam, iam cecidit argumentum, niſi probetur contrarium. quod ſi probatum fuerit, quod ad te negatum erat, tum firmius operabitur. nec enim aduerſarius negaret, niſi in eo cauſſae cardinē locari uereretur. ut eleganter Quinctilianus loco praedicto. qui doctrinam inter alia ponit non negligēdam. Quod ſi ſint argumenra firmiora, ſingula tractanda eſſe ſine aliorum adminiculo. ſi ſint infirma, multa ſimul congregari: ut, ſi non pondere proſint, proſint numero. hinc illud: Sed, ſi non proſunt ſingula, multa iuuant. Sic Therſites numerum, non uires, adiecit Achiuis. Haec poſſunt patere eleganti exemplo. Accuſatur Flaccus, quod Titium teſtatorem, qui eum heredem ſcripſerat, interfecerit. hereditatem Titij ſperabas, & eam magnam. pauper eras, a creditoribus appellabare, denique teſtatorem offenderas, uerebaris mutaturum tabulas. Occulte occidiſſe non eſt, quod dubitetis, iudices. Haec omnia per ſe leuia ſunt, ſed aggregata operātur: quod tractat Quinctilianus lib. v. c. 12. Iuriſconſulti dicunt, Plures praeſumptiones uni praecauere. At, ſi dicas: Gladium cruentum ex cadauere Aiacis extraxiſti, Vlixes: hoc unum argumentum ſufficiet ſine ſuffulcro, ſine tibicine, ut condemneris. Vt in ſimili dixerit Claudianus:

Numeri damnum Proſerpina penſat.

Viſis modicis, quae ad argumentorum uſum pertinerent, quae tamen fuſiſsime tractantur a Quinctiliano loco praedicto: nunc, quae ſint Argumentationis ſpecies, quibus argumentorum ratio explicatur, uidendum.

ARGVMENTATIONIS ſpecies quattuor, ſecuti Ariſtotelem, Ciceronem, & Quinctilianum, ponimus: Ratiocinationem, Enthymema, Inductionem, & Exemplum. Quos ita tractabimus, ut & alios argumentationum modos, quos alij ponunt, ſi quid in eis ornamenti ſit, non ſimus praeterituri.

RATIOCINATIONIS uocabulo Epicherema, ideſt liberiorem argumētorum collectionem, includimus, & ſyllogiſmum. ſiquidem utraeque argumentationes Ratiocinationis uocabulo, ſeu nomine appellantur: quod quaedam ſit inter ſyllogiſmum, & Epicherema uicinitas, ut teſtatur Quinctilianus lib. v. cap. 10. Igitur Ratiocinatio duobus explicatur ſpeciebus, Epicheremate, & Syllogiſmo.

Epicherema Valgius rhetor Aggreſsionem interpretatur, quod per eam argumentationis ſpeciem aduerſarium orationis diuitiis uelut obruendo aggredimur. Sunt, qui Epicheremata alicubi orationes nominent, ſumptas a circumſtantiis. Ratiocinatio, quam Epicherema nominamus, in quinque partes diſtinguitur; Propoſitionem, Rationem, Confirmationem rationis, Exornationem, & Complexionem. quam hic perfectiſsimam, & abſolutiſsimam argumentationem appellat. I. Propoſitione, breuiter oſtendimus, quid intendamus. II. Ratio docet uerum eſſe, quod propoſuimus, & idipſum uno, uel pluribus argumentis. III. Rationis confirmatio, ſi quid infirmum rationi fuerit, fulcit, inſtaurat, roborat. IV. Exornatio, per ornamenta dictionis

dictionis exſpatiatur, urgendi aduerſarij cauſſa. v. Complexio, breuiter colligit argumentationis partes, uelut epilogo. Haec res ut exemplo pateat, fingamus thema de Epaminunda; qui accuſatur affectatae tyrannidis, quod contra leges exercitum tenuerit. Non arbitror, iudices, dubitaturos uos, quin Epaminundas iniquiſsimae, & affectatae tyrannidis cauſſa, ſucceſſorem lege datum reiecerit, ſpreueritque. breuis propoſitio. Quod ut euidentiſsime pateat, euidenti ratione euinco. ſicuti enim is maxime bonus nominari ciuis poterit, qui legibus pareat, ut quae ſint ciuitatis anima: ita e diuerſo non niſi maxime malus ciuis eſſe intelligitur, qui legibus temere contrauenerit. at tyrannidem nemo niſi maxime malus ciuis affectat. Haec eſt ratio, quod in Epaminunda potiſsime receperitis, iudices. ſiquidem exercitum potentem ductabat, quem audientem dicto compererat: milites pollicitationibus ineſcabat: uulgum ultro auarum, adeoq. reliquos ciues facile oppreſſuros ſperabat, ut ita nihil eſſet, quod eum in tyrannide occupanda moraretur. Haec eſt confirmatio rationis. Videbat nimirum uicinorum tyrannorum potentiam, diuitias, clientelas, uoluptates, ſceleraq. pro arbitrio dominantia. & eſt alioqui hominis animus ad faſtigia facile propenſus, maxime eorum, qui magiſtratus geſſere, qui inter principes uiros a iuuenta uerſati ſunt. ut non otioſe Euripides, ius, ſi uiolādum ſit, imperij cauſſa uiolari poſſe ſcripſerit. ut ita ſatis pateat, Epaminundas cur leges, cur iura, cur reip. maieſtatem tanta ſpreuerit temeritate. Haec eſt exornatio, in qua poſſumus diffundi pro ingenij felicitate. Quare, ſi non niſi mali ciues leges contemnunt, ſi Epaminundae, quod exercitum haberet paratum, tyrannidem occupare facile fuit, ſi ad tyrannidem eum dominandi libido, & alia quae dicta ſunt, permouit: nolite dubitare, iudices, quin nō alio, quam affectatae tyrannidis propoſito, & leges contempſerit, & ſucceſſorem reiecerit.

Syllogiſmus tribus potiſsimum partibus conficitur: Propoſitione, Aſſumptione, & Concluſione. I. Propoſitio quid ſit, diximus. II. Aſſumptio eſt, quae ex uiribus propoſitionis naſcitur, quae utraque pronunciata complectitur. III. Concluſio. In genere ſyllogiſmi Propoſitio frequenter uerſatur in theſi, ideſt in infinitione; Aſſumptio autem in hypotheſi, quia eſt finitior, & ad certitudinem materiae magis adſtricta. Vt nihil uiolenti eſt perpetuum, lapidis iactus eſt uiolentus, non igitur perpetuus. quae argumentandi ſeries in prima figura locatur in Ferio. nam ea eſt natura ſyllogiſmi, etiam apud Rhetores, immo in omni genere doctrinarū, ut, niſi ex aliqua figura formetur, nihil habeat legitimi. Figurarum tres modi igitur ſunt. in quibus dare exempla ex rebus moralibus, ciuilibus actibus, quotidianis negotiis, & controuerſiis uolo. ut ita nihil in quaque re colligamus, quod non ſyllogiſmi aliquam formam praeferat. quod in libris contra Academicos diligenter pleriſque locis ſeruauit Auguſtinus. Sic lib. III. cap. 16. Cum omnem in modum turpe ſit errare, uerum omnis homo ad errorem procliuis, ergo de omnibus dubitandum, ne temere aſſerendo erremus. Quo argumento ſe tuebantur Pyrrhonij, qui de omnibus dubitabant. Hac ſyllogizandi forma etiam Iuriſconſulti uti poſſunt, cum a regula negatiua rem exceptam ſecernimus. Hunc ſyllogiſmum Cicero etiam quinque partibus abſolui poſſe putat: ut Propoſitioni Ratio, Confirmatio Aſſumptioni accedat, deinde ſequatur Concluſio. ut in exemplo: Quiſquis eſt fundendi ſanguinis ſcelere aſſuetus, is nec fas, nec aequum reſpicit, dum inimicū ulciſcatur. Si enim aliis in actibus difficile a conſuetis diſceditur, quo modo ſe a ſceleribus cohibebunt, quos praeter conſuetudinem & naturae impellit nequitia. At Vlixes ſuadendi ſanguinis ſcelere aſſuetus eſt: quod quis non uideat in ſapientiſsimi uiri Palamedis interitu. igitur, ſepoſita omni aequitate, Vlixes de Aiace ſeſe ultus eſt. Poſſet & hoc ex ſyllogiſmo, & ſimilibus, arguendi ſeries in amplum diffundi, ut & propoſitionis ratio, & aſſumptionis confirmatio pluribus attexeretur argumentis, argumenta ornarentur amplificatione, crebris ſententiis, ſubiectione, & multis id genus coloribus. quid enim non poſſunt orationis opes? at ea exercitio explicantur. Vbi autem uel propoſitio, uel aſſumptio ſit probanda, materia ſubiecta docebit, ut hic ſatiſfiat. dum hoc ſciueris, propoſitionem, quae ex communiter accidentibus ſumitur, non eſſe probandam, quia commuuiter accidentia in actibus ciuilibus pro ueritate habentur. ut, mater eſt, ergo diligit filium: licet Medea non dilexerit. Habentur autem pro ueritate, donec probetur contrarium. ut eſt elegans gloſſa in l. neque natales, C. de probationibus. Quapropter eo loci ſola aſſumptio probabitur. Verum, ſi & propoſitio ſit, fide media, tunc & ipſam ratione fulciri, nedum aſſumptionem: ut ſic utraque pronunciata rationem recipiant.

Enthymema Quinctilianus lib. v. cap. 10. Commentum interpretatur, ut quod omnia mente concepta ſignificet, de quo tamen non eſt ad rem. Quantum ad praeſentia, Quinctilianus Ethymema eſſe dicit, quod certam quandam concluſionem habeat ex conſequentibus, & repugnantibus: qui & Enthymema, uel ſyllogiſmum rhetoricum, uel imperfectum nominat. Rhetoricum ideo, quia laſciuire poteſt, & extra carceres formarum euagari. Imperfectum autem ſyllogiſmum, quod & apud Dialecticos obtinuit, ideo nominat, quia in ea argumentatione, aut Propoſitio deſideratur, aut Aſſumptio. nec enim uſpiam conſequens facile inferri poſſe credo, in quo non tacite alia oratio intelligatur. Ariſtoteles II. Priorum, cap. paen. Enthymema dicit eſſe ex Icotis, & Signis. Icota intelligens, quae ſint probabilia, uel conſentanea. quod εἰκὸς conſentaneum dicatur. ut quae in pluribus facta eſſe, uel non eſſe, comperta ſunt: ut odiſſe inuidentes. Signa, licet aliquando denotent rem futuram, ut rubor matutinus pluuiam: aliquando factum praeceſsiſſe, ut fumus in domo conflagrationem oſtendit: in propoſito tamen Signa hic accipimus, ex quibus propoſitiones conſtituuntur ad aliquid oſtendendum. nam & propoſitionum ueritas probabilis per ſigna oſtenditur, quae ſigna ex pronunciatis ſubintellectis colligi licet. hoc eſt, quod Dialectici ueteres dixerunt, ſignum habitudine quodam uenire ad propoſirionem, quae infertur, ideſt uiam ſternit propoſitioni inferendae. Proinde Ariſtoteles non otioſe dixit, enthymemata ex icotis, & ſignis conſtare: quod enthymemata eſſent conſentanea, & probabilia, & propoſitio ſubintellecta haberet ſe per modum ſigni. Vt ſic errare uideantur, qui dicunt, icota, & ſigna re ipſa non differre.

differre: icota enim enthymematis materiam, ſigna formam reſpiciunt. Si igitur antecedens, & conſequens in enthymemate eiuſdem ſint ſubiecti, propoſitio ſubintelligitur, quae maior dicitur. alios enim mediũ ſigno non clauderetur. In enthymemate enim non apparet medium, niſi ſignum claudat argumentationem, ideſt propoſitionem ſubintellectam. Vt, homo eſt ratione deprauatus, homo errat igitur. ſubintelligitur maior, uel propoſitio: Quiſquis ratione deprauatus, errat. cuius propoſitionis ueritas ſigno oſtenditur: nam homo eſt ratione deprauatus. Sin antecedens, & conſequens eiuſdem ſint praedicati, minor, uel aſſumptio, quae ſignum habet, ſubintelligitur: ut, ſapientes ſunt utiles, ergo Pithacus eſt utilis. hic ſubintelligitur de neceſsitate minor, quae ſe habet in modum ſigni. Subintelligas ergo minorem, quia Pithacus eſt ſapiens. Hae argumentationes, ut dixi, uerſantur inter probabilia: ſed non prohibet, quin habeant etiam ſeriem neceſſariam, ſi ſignũ ex neceſsitate rem oſtendat, ut, mulier lac habet, ergo eſt corrupta: hoc eſt ſignum neceſſarium, & eſt argumentatio neceſſaria, & faciet ſyllogiſmum neceſſarium, per pronunciatum ſubintellectum. Subintelliguntur autem pronunciata maxime ex prima figura. ut docet Ariſtoteles dicto cap. paen. ad finem. licet nihil prohibeat, etiam ex aliis figuris colligere, (quod ipſum Ariſtoteles ibi tractat) & propoſito ſubintellecta habet ſe per modum ſigni. Sunt autem enthymematis duae ſpecies. quaedam ex antecedente conſequens ſimpliciter infert, alia ſub quadã pugnantia colligit. Prior ſpecies antecedentis, & conſequentis eſt latiſsima: ut, is uiuit, ergo in craſtinum perueniet. ex communiter accidentibus: ut, mater eſt, ergo filium diligit, quamuis Medea filium non dilexerit. Vnde haec ſpecies plerumque inter probabilia uerſatur. Saepe & in neceſſariis uerſatur haec ſpecies; ut, piſcis pulmonem non habet; ergo nec reſpirat. mulier lac habet, eſt igitur corrupta. Huiuſmodi enthymemata aliquando ſubſeruiunt, non ſtringunt. ita, ſi diceremus, comediſſe prodeſt, ergo non comediſſe nocet. Alia ſpecies enthymematis a pugnantibus contexitur, & hoc duplici forma. habet enim aliquando negationem explicitam, aliquando citra negationem pugnat. quod enthymema negationem habet ſeſe, includit pugnantia duplicia. Sunt enim alia mediata, alia immediata: immediata, ut, lux, & tenebrae; uiſus, & caecitas; in quibus ſemper iuſta arguendi ſeries ſumitur, ſiue negatio ſit in antecedente, ſiue in conſequente. Et hoc eſt, quod in Iure dicitur, Poſito uno ex contrariis, remoueri alıud: ut, hi ſunt ſui iuris, ergo non alieni. & ita e diuerſo: lux eſt, ergo non ſunt tenebrae. & e diuerſo non eſt lux, tenebrae igitur: uera ſunt quae dicis, non igitur falſa. quia inter uerum, & falſum non eſt medium, ut uoluit Iuriſconſ. in l. reſpiciendum, cum l. praecedente, ff. ſi certum petatur. Pugnantia mediata ſunt, quae ſe non neceſſario impellunt, ut album, & nigrum: nam ſunt etiam alij colores. ut non ſequitur: Album non eſt, igitur nigrum. Sic ſtare, ſedere, mediate pugnat. nam, qui ambulat, nec ſtat, nec ſedet. Sic oſorem eſſe, amicum eſſe: ſic eloquentia, & barbaries, non ſunt mediata. nam medium ſuſcipiunt, quae a Iuriſconſultis nominantur ſubiunctiua. arg. l. haec uerba, ff. de uerb. oblig. In eo enthymemate bifariam arguitur, aut antecedente affirmato, aut negato. ſi prius illud receperit, iuſta eſt omnifariam arguendi ſeries. ut, oſor eſt, non igitur amicus: album eſt, non igitur nigrum: Romae fuit eo die, non igitur Carthagini. Sic Imp. arguit in l. optimam, in fine, C. de contrahenda ſtipulatione. Sin uero antecedens negatiue ueniat, nihil iuſte infertur. nam non iuſte impellas, ſi dixeris, Antonius orator non fuit eloquens, (hoc enim de ſe ipſo fatetur lib. I. de Oratore) eſt igitur barbarus. item, Academici diſputando non ſtabant, ſedebant igitur: nam ambulabant. Sic Cic. in Tuſculanis. Nec iuſte iudices, Pomponium Atticum non fuiſſe oſorem Caeſaris, ergo familiarem, uel amicum: nam nec amicus, nec oſor erat, ſi Plutarcho credimus; ſed mediae conſuetudinis. Et haec ſunt enthymemata pugnantia, in quibus eſt negatio explicita. Videndum autem, in ultima ſpecie enthymematis pugnantis, ubi antecedens negatur, ſi ſaluari poſsit id genus argumentationis, ut uitium habeat abſolute quidem, non uero ſuppoſitiue. Si enim ex qualitate materiae ſubiectae termini ad paritatem determinantur, & coercentur iam: & a pugnantibus mediatis, antecedente, uel negato, argumentum ſumitur. ut, ſuppoſito, quod Titius alterutro locorum fuerit, recte infertur, non fuiſſe Carthagini, igitur Romae. Alia enthymematis ſpecies ex pugnantibus explicatur, citra negationem, ſaltem quoad figuram uerborum: quod enthymema eſt quam maxime farinae Rhetoricae. hoc enim formam arguendi ad figuras ſyllogiſticas non accommodat, uel certe non curat. Quo nomine & luxuriari, & exſpatiari liceat dum a natura enthymematis non recedatur. ut, qui ſibiipſi numquam profuit, aliis quo modo proderit? Item, ſicuti tempore pacis a legibus ſtandum eſt, ita belli periculo ab armis, uel contra leges. Hoc enthymemate uſus eſt Cic. pro Pompeio Magno. Etenim, inquit, quae numquam faceremus, ſi pax eſſet, haec nobis, cum bellum ſit, neceſſario ſuſcipienda uidentur. Et alibi Cicero pro Milone eleganti enthymemate utitur: eius (haud dubie Clodij) mortis ultores ſedetis, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe, nolitis. Item: priuatus dum erat, faſtu intumuit: in magiſtratum ſublatus, quid faciet? Haec enthymemata ad exceſſum ſub quadam comparatione, uel quod dicitur, a fortiori frequenter inferũtur. Hoc tandem in enthymemate pugnantium diligenter eſt aduertendum, poſſe ex ea enthymematica argumentatione in aliam argumentationis ſpeciem deueniri, quam alij Oppoſitionem, nos Ex oppoſitis nominamus. quae ab enthymemate in nihilo differt, niſi quod in eo eſt ſermo rotatior, & curtior, in oppoſitione explicatior: ut, ſi hic fuiſſem, quo tempore homo eſt occiſus, in ſuſpicionem fortaſſe incidiſſem: nunc, quia Carthagini fui, merito crimen homicidij deprecor. Et ſic uarium ſchema ſpecies argumentationis hoc loco uariat, ut alio exemplo patere poteſt: Si tempora pacis haberemus, quis neſciret a legibus ſtari oportere: nunc nos belli pericula circumſtant. ad arma igitur accedendum eſt, non ad leges. Huiuſmodi enthymematum explicationes alij pneumatice, ideſt ſub productione ſpiritus fieri putant. ſpiritum intelligentes, ſermonis continentiã, & tractum. Ex hoc argumentationis genere illud uulgatum emergit, ſicut propoſitum in propoſito, ita oppoſitum in oppoſito: ut, ſi augmenta augent, decrementa deminuunt. quod ſic explicabis, ſi mihi aucta eſſet

hereditatis

hereditatis portio, & legata ageretur: nunc ergo, cum ea portio ſit mihi deminuta, legata igitur deminui. qua forma arguit Iuriſconſultus in l. fin. §. fin. ff. de leg. iij. Haec explicatio enthymematis pugnantis, qua facies oppoſitionis induitur, non procedit in pugnantibus mediatis, cum diſtinctione qua ſupra. nam non iuſte inferas: Si non eſſem barbarus, eloquens eſſem: at, quia non ſum eloquens, igitur barbarus. Sed finis eſto Enthymematis.

De Inductione eo dicemus breuioribus, quod ea arguendi ſpecies frequentiſsime a Dialecticis uerſatur: Graeci Epagogen nominant, teſte Quinctiliano; & eſt, iuxta Ciceronem de Inuentione, & alios a rebus non dubiis ad id, quod dubium erat, liquida collectio. ea enim argumentatio a rebus non dubiis conceſsis, rem, quae dubia erat, approbat. Nec Rhetoribus ſatisfacit uulgata definitio, quae dicitur a particulaeibus ſufficienter enumeratis eſſe progreſsio ad uniuerſalia, quia etiam collegimus in particularibus, dum ſint indeterminata, a non dubiis ad dubia. Exempla dialectica non dabo, quia ſunt pulueraria. Sic ergo collige: Si nauis gubernator, non ſorte, ſed arte eligitur: ſi aurigam non ſors, ſed artis commẽdatio profert: ſi nec medico ſors proficit, ſed artis profeſsio: & ita de aliis: relinquitur, nihil iuſte in rebus adminiſtrari a quoquam poſſe, qui fortuitu, non ex arte, non ex deliberatione eligeretur. Item, ſi equus is optimus eſt, qui eſt generoſiſsimus: ſi pomum optimum eſt, quod generoſiſsimum; & ita de aliis: ergo, quae optima ſunt, dicuntur generoſiſsima. hinc argumento a conſequentibus pulchre colligendum: Sic quae ſunt optima, generoſiſsima ſunt: homo igitur generoſiſsimus eſt, non qui naturale ſplendore conſpicuus ſit, ſed qui optimus. Hoc loco pro regula tenendum, & notatu digna, quod ex propoſitione collecta in argumento inductionis oritur Enthymema neceſſarium, neceſsitate morali. Eſt autem argumentum inductionis aptiſsimum, ad argumenta, quae ſumuntur ex conſequentibus. Ceterum inductio tunc eſt uehementior, ſi ſub interrogatione fiat. omnis enim interrogatio habet quandam quaſi epitaſin, id eſt uehementiam. qua forma eos urget Socrates apud Platonem, quibuſcum diſputat: pro ſententia Ciceronis in libris de Inuentione. ut: Nunquid is uere laudatur nauta, qui nauem bene regit? num porro medicus, qui bene curat? & ita de aliis: igitur uere laudari, qui remp. bene adminiſtrat. Quae inductio conſtat ex particularibus indeterminatis. hinc argumento ſumpto a conſequentibus remp. nemo melius adminiſtrat, quam philoſophus; uere igitur laudandus philoſophus. Hac ſpecie arguendi ſi reſpondens ſubſiſteret, & reſpondere cunctaretur, ad iudicem referenda eſt interrogatio: uel ipſe ſibi reſpondeat: aut certe argumentationis ſeriem in enunciata conuertat. Hoc fecit Aſpaſia, prudens mulier, quam Cicero lib. II. de Inuent. in exemplum adducit. nam Xenophontis uxorem, deinde ipſum Xenophontem interrogabat: Si uicina melius habeat aurum, quam tu, numquid illius uelles? aſſenſere. Num, ſi ueſtem meliorem? aſſenſere. Agite porro, num ſi coniugem meliorem? hic ſubſtitere, quod reſpondere erubeſcerent. Quapropter cordata mulier pro eis reſpondet. non dubitari, quin Xenophon optimam uxorẽ, & haec optimum maritum habere optet. Hinc egregia haec mulier argumento a conſequentibus utroſque hortatur: ſi res ita ſe habeat, ut collegit: curare ergo oportere utroſque, ut ſint optimi. Quae eſt inductio a particularibus. res non infrequens Rhetoribus: ut, ſi neque nauibus, neque turribus, neque agris fortuito quis praeficitur, igitur nec rebus publicis rectores praefici. Habet autem haec argumentationis ſpecies uitium. Primo, ſi quae dubia colligerentur, quae in proceſſu negari poſſent: unde prouidendum, ut indubitata colligantur. Deinde, ſi ad inductionem, ſub interrogationis figura factam, caute, & per generalia reſpondeas. Cum enim interrogatiunculis ſeparatim factis aduerſarius attentatur, ſecurius eſt reſponderi generaliter: Sic ſane ita, Demus, Sine praeiudicio, Tranſeat illud, hac enim cautione inductio tota eliditur. Vel tertio loco, ſi non ſit ſufficiẽter enumeratum in particularibus, ut ſi ars nauigandi manu indiget, ſi medicina ſine manu nihil ualet, ſi architectura manum addit, quae tamen artes ſunt: igitur omnis ars manu indiget. Quarto, uitiatur inductio, ſi ex ſeparatis colligas, & impertinentibus, ut, maritus regit uxorem, item eius bona gubernat, item eam educat, & in omnibus ei praeeſt: igitur & bona eius alienat. Nam inductio ſemper habet uitium, quoties ex his, quae ſub regula ſunt, arguitur ad ea, quae ſunt a regula excepta. ut in exemplo ſuperiori. ut, ſi ita colligas: Minor aetas inuita non adiuuatur: donatio in inuitum non confertur; non poteſt quis inuitus heres inſtitui. & in ſumma, Inuito non datur ullum beneficium. igitur & inuitus libertatem conſequi non poteſt. Sed hoc iuſte non infertur; quod is caſus, & quidam alij a regula ſunt excepti.

Iam Exempli genus elucidabimus, non more Dialectico, id quod tractat Ariſtoteles, ſed more Rhetorico. Graeci Exemplum nominant παράδειγμα. & eo ſunt uſi, teſte Quinctiliano lib. VI. cap. XI. in omni ſimilium oppoſitione. & hoc ſine diſcrimine. ſpecialiter autem in his, quae rerũ geſtarum auctoritate nituntur, quos & Quinctilianus ſequi uidetur. Cicero autem de Inuent. lib. I. in materia locorum, cum tractat locum a comparabili, tres ſpecies ponit comparabiles, Imaginem, Collationem, & Exemplum. Imagine demonſtrari corporum, & naturarum ſimilitudinem. ut apud Virgilium;

Os, humeroſq. deo ſimilis.

Et in XII. Turnum fractum tauro ad aram ſaucio confert. Naturarum ſimilitudinis apud poetas ſunt exempla frequentiſsima. Collationem in rerum ſimilitudine ponit. ut, Qui portum attigerunt, oram ſoluentibus tempeſtates praedicunt: ita, qui ex fluctibus aulicis emerſere, pericula denunciant iis, qui aulas experiri pergunt. Hac Collatione Cicero pro Murena elegantiſsime utitur. Exemplum eſſe dicit Cicero, quod rem auctoritate, aut caſu alicuius hominis, aut negotij uel firmat, uel infirmat: ut. Saturninum iure caeſum eſſe, exemplo Gracchi probatur. Quinctilianus Collationem ab Exemplo non ſeparat, uel contra Ciceronem. Ceterũ Collatio magis infinitionem, theſim, & generalia; Exemplum magis ſpeciem complectitur. Vnde Quinctilianus Exemplum definit, eſſe rei geſtae, aut ut geſtae, utilem perſuadendi commemorationem. nam & res

fictas in exemplum aliquando adducimus: ut, Bilingues, exemplo ſatyri Aeſopici, eſſe uitandos. Arguitur autem ab exemplo bifariam: aut ex contrario, aut ex ſimilitudine. Ex contrario uſus eſt Cicero contra Verrẽ. ut: Marcellus Syracuſis ornamenta reſtituit ciuitatis, tu Verres ea abſtuliſti: quod genus etiam in enthymema incidit: item: Doctos uiros praeclara gymnaſia ſubuertunt. Cicero ad faſtigia adſcendit honeſtate, M. Antonius flagitio. Ex ſimilitudine exempla ſumuntur aliquando ſimpliciter, ut ſupra dixi, exemplo Gracchi defendi caedem Saturnini: aliquando ex maioribus ad minora, & e diuerſo: id quod Quinctilianus eleganter tractat. ut: Si propter matrimonia uiolata urbes ſunt euerſae, quod erit adulteri ſupplicium? Item: Si tibicines, dum ab urbe diſceſsiſſent, reuocati ſunt uel temulẽti, quanto plus principes de rep. benemeriti ab exſulio ſunt reuocandi? Item a maiori ad minus: Milites pro patria militare cur non addeceat, cur id ipſum plerumque feminae fecerint. Cicero hac argumentandi ſerie elegantiſsime utitur in oratione pro Milone: Negant, inquit, lucem intueri oportere, qui hominem occidiſſe fateatur. nec meminere ſtultiſsimi homines M. Horatij, qui, cum ſororem occidiſſe fateretur, populi tamen iudicio eſt abſolutus; & id ipſum ciuitate nedum libera. Verba Ciceronis ſunt ampliora. Hoc genere argumentationis colligere etiam futura uelut coniectura poſſumus: ut Dionyſium ideo ſe custodibus uallaſſe probabile eſt, quod tyrannidem ſit occupaturus: quando & Piſiſtratum eiſdem mediis tyrannidem occupaſſe nouit.

Abſoluimus quattuor Argumentorum ſpecies. Verum, quia alij praeterea argumentationum modi apud Rhetores inueniuntur, eos praeterire non eſt conſilium. Tradit autem Cicero de Inuentione duos, Enumerationem, & Complexionem; Alij alios duos, Summiſsionem, & Violationem.

Enumeratio eſt, in qua, pluribus rebus expoſitis, reliqua, de quibus quaeritur, per ſeparationem neceſſario confirmantur. ut in hoc exemplo, cum probatur Titius a crimine homicidij innocens: quoniam ſine impulſu numquam ſumitur maleficium. Vnde tu, qui Titium criminaris homicidij, neceſſe eſt doceas, aut propter metum, aut odium, aut inimicitias, aut commodum, uel propter amicum aliquem hoc feciſſe: ſed nihil illorum probare poteris, relucet igitur innocentia. Iuriſtae hoc argumentum a ſufficienti partium enumeratione nominant. Haec autem argumentandi ſpecies alio ſchemate poteſt induci, nempe per ſubiectionem. Vt, Quaero abs te, accuſator, quae cauſſa reum ad hoc facinus impulerit? Metus? at nihil umquam fuit cauſſae, ut eum metueret. Odium? at nemo illi erat familiarior. Commodum? at non didicit ex facinoribus quaeſtum facere. & ita de aliis. Sic C. Pompilius, de quo iam ſaepe uerba fecimus, ſe defendet. Nam, cum tanta Gallorum multitudine circũdatus eſſem, quid me facere oportuit? Dimicare? at parua nobis manus erat: denique obſidebamur. Virtuti militum, & robori confidere? at locorum anguſtiae non ſunt paſſae, ut eorum uirtus explicaretur. Sedere in caſtris? at fame, & ſiti enecti fuiſſemus. Caſtris relictis effugere? at non licebat, cum circumſideremus ab hoſtibus. Militum uiam negligere? at hoc inhumanum fuiſſet. Haec arguendi ſpecies differt ab Inductione. nam inductio, pluribus connumeratis, aliquid uel non eſſe, uel eſſe conſonanter colligit. Enumeratio ex partium enumeratione ſeparanter emetitur, nempe oppoſitum colligit. ut, diuitias Titius nec ſucceſsione adeptus eſt: erant enim maiores ſui inopes. nec donatione, nam nemo ei umquam fauit. nec labore proprio, ſemper enim ſegnis laborare non poterat. nec ulla negotiatione, ut cui non erat induſtria. relinquitur ergo, aut furto, aut rapina conquiſiſſe. Habet autem Enumeratio uitium, quoties non ſufficienter partes enumerantur: ut Flaccus fundum non poſsidet pro herede, non pro dote, non pro emptore, non pro legato, non pro donato: igitur iniuſte poſsidet. Haec argumentatio ſonat uitium, quia poterat pro ſuo poſsidere. Sed de hac ſpecie hic etiam differit. ut uideri poteſt.

Complexio, eſt bicorne argumẽtũ, Graeci uocãt Dilemma, Iuriſtae Syllogiſmum cornutum, ſatis illoto uocabulo. Haec autem argumentationis ſpecies uehemens eſt, recte ſumpta: ut quae utrimque aduerſariũ ſternat, alterutrum uel firmauerit, uel negauerit. ut, ſciebas quid erat futurum, aut neſciebas: ſi ſciſti, in culpa es, quod non admonuiſti: ſi neſciſti, cur nos ignorantiae condemnas, qua & tu inuolueris? Hac complexione eatenus oppoſitas oportet eſſe interrogationes, uel extrema argumenti, ut, quidquid praeterea dici, euadi, effugi poteſt, occupẽt, & praecipiant, ut nullus pateat effugiendi angulus. quod maxime conſumitur ex contrariis immediatis. Complexionis ſchema ſaepenumero interrogatione conficitur. Hoc dilemma ſuo ordine confutabitur. Noueris porro, dilemma conſumi unius propoſitionis interrogatione. Hac ſpecie argumentationis omnia ſunt plena: qua nihil eſt uehementius, ſi recte utamur: quo tamen nihil facilius ſoluitur, ſi uitium habeat. Quae autem ſint uitia Complexioni, poſtea dicemus.

Summiſsio, argumentationis ſchema eſt, in quo noſmetipſi a nobis petimus rationem, quare quidque dicamus. Quod genus commode conficietur, ſi crebro cuiuſque rationis rationem ſubtexuerimus: ut, Maiores noſtri magnam oratoriae operam dare uoluerunt. Quid ita? quod recte intellexerunt, ea ſtudia omnium ſumme eſſe appetenda. Cur id? quoniam per ea tanto plus hominibus aliis praeſtamus, quanto homines brutis. Qui hoc? quod nihil habent ingenia in hominibus conſtans, niſi ea doctrina, ea arte expoliantur. At; quid ita? nam, cum oratorum praeceptis quibuſcumque rebus ordo detur, ſit, ut ingenia ad ordinem compoſita nihil tumultarium, nihil praeceps, nihil confuſum, praeruptum, hians, nihil intempeſtiuum producant. Hoc arguendi ſchemate utitur ſaepe in orationibus Cicero: ut pro Planco, & alibi. Habet autem ea uarietas, qua ſub interrogationis figura rationes ſubiiciuntur, multum ornamenti. Eſt admodum uehemens, ac ualida. Si tamen uitio laboret, utpote quod uel aliqua ex rationibus ſit uel impertinens, uel non urgeat, facile cadet, in iudiciis maxime. Non ita in demonſtratiuo genere; in quo ſatis eſt, ſi argumentatio haec uel ex perſona, ideſt apparenter pugnet. nam & hoc in iudiciis ſaepe fecit Cicero: ut potius artem mouerit, ſub ſpecie argumentandi, quam niteretur argumenti uiribus.

Violatio,

Violatio, ultimus modus arguendi eſt argumentationis ſpecies, qua ex aduerſariorum ratione non id, quod ipſi uolunt, ſed quod pro nobis eſt, ſequi demonſtramus. Quod genus confutationi ſemper ſacra facit, numquam confirmationi: ad inſtar tribuniciae poteſtatis, quae potens erat in confutando, non in affirmando. Dicitur autem Violatio, quia uiolat, demolitur, reſupinat intentionem aduerſarij ex ſuis propriis armis. Vt, ſi dicat aliquis, non eſſe fidendum ne amicis quidem, quod nuſquam ſit tuta fides. Cui tu obuiabis: immo eo maxime ratione fidendum eſſe iis, quod in amicitiam receperimus, ut, explorata eorum uel fide, uel perfidia, & complectamur ſinceros, & frigidos auerſemur. Finge, aliquem ex uetutinis, & barbaris logicis, ueteres logicorum & nugas, & tricas tueri, quod iam ſint uetuſtiſsima conſuetudine receptae. Obuiabis tu: nulla magis ratione tollendas, & in tartarum Tartareos ablegandos eſſe, quam quod tot annorum curriculis infelicium iuuenum ingenia preſſere, immo perdidere: tantoq. audacius, tantoq. operoſius corruptiſsimam conſuetudinem euerti oportere, quo radicem ex diuturnitate temporis firmius egiſſe uiſa eſt. Apud Cic. in oratione Pōpeiana, Q. Catulus Pompeium Magnum bello Mithridatico non eſſe praeficiendum cenſuit, ne in uno homine, qui pro natura humani generis breui eſſet moriturus, omnia ponerent. Quod Cicero egregie eludit hac argumentatione, nolens ideo magis in Pompeio omnia eſſe ponenda, quod eſſet breui moriturus, ut ita reſp. factum quam ampliſsimum ex eo interitu conſequatur. Violationem a reprehenſione, de qua Cicero de Inuent. lib. I I. mentionem facit, ita ſeparamus: quod uiolatio ad hoc unum tendit, ut quadam uelut inuerſione aduerſatium ſuis propriis armis iugulet. At reprehenſio frigidior eſt. quamuis enim confirmationes argumentationum in genere aliquando diluat, & confutet; tamen ſaepenumero tantummodo attenuat, ut ita minus roboris ſit argumentationibus. Modi autem reprehenſionis ex uitiis conſtant. Quae quia non indiligenter hic tractantur, uidebimus.

QVONIAM *ſatis &c.*] Proponit non ſimpliciter, ſed κατ᾽ ἐνθύμημα: quoniam ſatis oſtendiſſe uidemur, quibus argumentationibns in unoquoque genere cauſſae iudicialis uti conueniret: atque hoc eſt τὸ ἡγούμενον. ſequitur ἑπόμενον: conſequi uidetur, ut doceamus, quemadmodum ipſas argumentationes ornate, atque abſolute tractare poſsimus. ἡγούμενον αἰτιολογικὸν eſt, ἑπόμενον uero καταστατικὸν: rem enim proponit breuiter. OSTENDISSE *uidemur*,] dubitatiuo uerbo uſus eſt, ut uitet arrogantiam. ARGVMENTATIONIBVS] argumētis, & argumentorum generibus, non autem formis. quod nunc faciet. nam demonſtrabit ſecundum formam argumentari. IN *unoquoque genere cauſſae iudicialis*] coniecturali, legitima, iudiciali. Sane Genera iudicialis cauſſae uocat conſtitutiones, quae ſunt in iudiciali genere. ORNATE, *& abſolute*] perfecta exornatione. poteſt enim ornate tractare quis, & non perfecte; & econtra. TRACTARE *poſſimus*.] docuimus enim θεωρικὴν, nunc πρακτικὴν docebimus. ADIVMENTO:] nam adiumenta uocat argumenta. EXPOLIRE] pulchre formare, quoad uocabula. EXPEDITE *pronunciare*.] nihil cunctando, & ſine mora. HAEC *enim res*] κατασκευὴ, ab utili, quod oſtendit κατ᾽ ἀφαίρεσιν τῶν κακῶν. Enumerat enim argumentationum quinque uitia: quibus uitatis, facile uirtutes, atque utilitates argumentationum poſſumus conſequi. Primum eſt κακὴ, καὶ ἄτακτος ἐπιμονὴ, cum diutius, quam ſatis eſt, in iiſdem locis commoramur. Alterum, ἐπανάληψις τοῦ αὐτοῦ, ὅταν τὴν ἀρχὴν ἐπιλαμβάνομεν, cum eandem rem dicimus, & nos diuerſa dicere putamus. Tertium, ἀτελὲς ἐπιχείρημα, argumentatio inchoata, nedum perfecta. Quartum, incōmoda ad aliam deinceps tranſitio: cum argumentationes, ac concluſiones inter ſe non diſtinguuntur. Hoc apud oratores uitioſum eſt: ſed tamen, cum ſit apud dialecticos κρίψεως ἕνεκα, laudem habet. Illi enim ornate, ac dilucide dicunt, hi argumentoſe. Quinctum eſt, ἡ λήθη τῶν ῥηθέντων, obliuio eorum, quae dicta ſunt: cum neſcimus, quid quo loco dixerimus: ut nec auditor cum totius cauſſae, tum uniuſcuiuſque argumentationis diſtributionem percipere, & meminiſſe ponit. Ex hic uitiis facile eſt uidere uirtutes, quae ex contrario ſumuntur. EODEM] ad eundem locum: neſcientes rectum ordinem. Vitanda iteratio. IDENTIDEM] denuo, iterum. NEQVE *incommode ad aliam*] Hae ſunt peſtes, nimirū immorari uni rei, ſaepe reuolui ad eundem ſcopum, perturbare argumenti ſeriem, & per praecipitium ad aliam argumentationis ſpeciem deuolui. quae peſtes non ſolum in argumentatione, ſed in doctrinarum interpretatione, & in qualibet perpetua oratione fugiendae ſunt. HAC *ratione*] hac doctrina poliendi inuentum, & explicite pronunciandi. IPSI] actores. LOCO] argumento in cauſſa adducto.

ARGVMENTATIONVM. PARTES. XXXII

ERGO abſolutiſſima, & perfectiſſima argumentatio eſt ea, quae in quinque partes eſt diſtributa, propoſitionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. Propoſitio eſt, per quam oſtendimus ſummatim, quid ſit, quod probare uolumus. Ratio eſt cauſſa, que demonſtrat id uerum eſſe, quod intendimus, breui ſubiectione. Rationis confirmatio eſt ea, quae pluribus argumentis corroborat breuiter expoſitam rationem. Exornatio eſt, qua utimur rei honeſtandae, & collocupletandae cauſſa, confirmata argumentatione. Complexio eſt, quae concludit, breuiter colligens partes argumentationis.

EXPLANATIO

ARGVMENTATIO quinquepartita eſt ampliſsima. Breuiſsima tripartita, quae fit, cum argumentatio breuis, & res tenuis, atque humilis non opus habent exornatione, atque complexione, At mediocris

eſt quadripartita,omiſſa uel exornatione,uel complexione. Quorum illud contingit,cum res parum locuples uidetur ad amplificandum,uel exornandum; hoc, cum res breuis & memoris comprehendi poterit.

Exemplvm quinquepartitae argumentationis in cauſſa coniecturali de Vlixe, qui a Teucro capitis arceſſitur,quod ei fratrem necaſſet.

Teucer: Occidiſti, Vlixes, fratrem meum Aiacem.

Vlixes: Non occidi. Eſtq. hic quaeſtio, An occiderit, necne.

Vocato igitur in iudicium Vlixe per Teucrum, potuiſſet argumentatio hunc in modum tractari:

I. Propoſitio: Cauſſam oſtendemus,iudices,Vlixi fuiſſe, cur interfecerit Aiacem.

II. Ratio propoſitionis, a probabili: Inimicum enim acerrimum de medio tollere uolebat, a quo ſibi non iniuria ſummum periculum metuebat.

III. Confirmatio rationis a contrario: Videbat,illo incolumi,ſe incolumem non futurum. Sperabat illius morte,ſe ſalutem ſibi comparare. A uita: Conſueuerat,ſi iure nō poterat,quauis iniuria inimico exitium machinari,cui rei mors indigna Palamedis teſtimonium dat. A cauſſa ratiocinatiua: Ergo & metus periculi hortabatur eum interimere,a quo ſupplicium uerebatur; & conſuetudo peccandi,maleficij ſuſcipiendi remouebat diſputationem.

IV. Exornatio,a minori ad maius: Omnes enim,cum minima de cauſſa peccata ſuſcipiunt, tum uero illa, quae multo maxima ſunt maleficia,aliquo certo emolumento inducti, ſuſcipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecuniae ſpes,ſi complures ſcelere ſe contaminauerunt imperij cupiditate,ſi multi leue compendium fraude maxima commutauerunt,cui mirum uidebitur,iſtum a maleficio propter acerrimam formidinē non temperaſſe? A collatione: Virum fortiſsimum, integerrimum, inimicitiarum perſequentiſsimum, iniuria laceſsitum,ira excitatum,homo timidus,nocens,conſcius ſui peccati,inſidioſus,inimicum incolumem eſſe noluit. cui tandem hoc mirum uidebitur? A ſimili: Nam cum feras beſtias uideamus alacres, & erectas uadere, ut alteri beſtiae noceant, non eſt incredibile putandum,iſtius quoque animum ferum, crudelem,atque inhumanum cupide ad inimici perniciem profectum: praeſertim cum in beſtiis nullam neque bonam, neque malam rationem uideamus; in iſto plurimas,& peſsimas rationes ſemper fuiſſe intelligimus.

V. Complexio: Si ergo pollicitus ſum me daturum cauſſam,qua inductus,Vlixes acceſſerit ad maleficium, & ſi inimicitiarum acerrimam rationem, & periculi metum interceſsiſſe demonſtraui, non eſt dubium, quin confiteatur cauſſam maleficij fuiſſe.

Argvmentatio oratoria eſt, qua ex rebus probabilibus aliquid probabile efficitur, quod ante minus probabile,ac dubium fuit. Rhetores Graeci Επιχείρημα uocant,ideſt,rei probandae aggreſsionem: quae uox eſt Sophiſtarum,& tortam argumentationem ſignificat. eſt enim ſyllogiſmus dialecticus. quidam etiam ἐνθύμημα uocant,ſed breuiorum illud concluſionum eſt. Philoſophi συλλογισμὸν Ratiocinationem appellant. Cū autem in omni argumentatione res ſint multae, ἄτακτον eam eſſe neceſſe eſt. Quamobrem recte nunc de partibus,quibus conſtet,& quid harum quaeque ſit,docet. Omnis igitur argumentatio uel eſt perfecta,& plena; uel contra,imperfecta,& non plena.

Plena,eſt,quae eſt πιστικὴ, καὶ ὀγκώδης,ideſt,quae uires,& elegantiam habet. uires ab argumentis ſumuntur,quae Graeci πίστεις: elegantia uero ab ornatu,quem illi ὄγκον appellant.

Non plena eſt,quae ornatu caret: ideoq. non delectat,ſed ad πίστιν,fidem,ſolummodo eſt accommodata: qualis eſt etiam dialecticorum. Omnis autem plena argumentatio,quam hic abſolutiſsimam,& perfectiſsimā appellat,in quinque diſtributa eſt partes,ut dicimus,

Propoſitionem,Rationem,Rationis confirmationem,Exornationem,Complexionem.

I. Propoſitio, πρότασις dicitur ab oratoribus,& dialecticis: Rhetores etiam κατάστασιν uocant: a nonnullis ἐπιχείρησις, quaſi ad rem ipſam aggreſsio,appellatur. Eſt autem id, quod in argumentatione ponitur primū, & in concluſione repetitur poſtremum,de quo dubitatio fuit.

II. Ratio, κατασκευὴ, ſiue αἰτία,eſt,propoſitionis confirmatio. demonſtrat enim,id uerum eſſe, quod intendimus: ideſt,quod eſt ἐν ὑποθέσει,breui ſubiectione, hoceſt, una, atque altera ſententia. Haec par eſt magnitudine,quoniam in eadem re,ac perſona uerſatur,ſed fide maior eſt. Propoſitio enim τὸ ζήτημα πολιτικὸν, ideſt,quod in quaeſtione eſt,continet,de quo adhuc dubitatur. Ratio autem affert aliquid probabilius, quod concluſionis cauſſa eſſe poteſt. Omnis propoſitio uel eſt ἁπλῆ,ideſt ſimplex; uel συμπεπλεγμένη,coniuncta. Simplex, eſt, quae ſummatim id,quod in quaeſtione eſt,oſtendit: quod tum fit, cum res ipſa non eſt multiplex. Coniuncta,eſt,ſiue copioſa,quae ἐπεξεργασίαν,ἢ ἐπιμονὴν habet: quae duas ob cauſſas fiunt. Primum, propter rem multiplicem, quae uel partitione habet opus; uel ornatum,ac ſplendorem, propter magnitudinem,requirit. Deinde memoriae cauſſa,ut ipſa repetitio,ſiue immoratio memoriam adiuuet. Eodem autem modo propoſitionis ratio tractabitur,quo ipſa eſt tractata propoſitio: ut,ſi haec ſimplex ſit,etiam illa erit: ſin tractata copioſius,etiam ratio uel ἐπεξεργασίαν,uel ἐπιμονὴν habet. Oratores enim ſemper aequalitatem obſeruant,ut paria reddant paribus.

III. Rationis confirmatio, προσυλλογισμὸς, προκατασκευὴ, uel ἐπικατασκευὴ,eſt,quae pluribus argumentis corroborat breuiter expoſitam rationem. Differt a ratione ἀριθμῷ,καὶ πίστει: quod haec unum habet mediū. eſtq. ὑποθετικὴ, ut etiam propoſitio: & plerumque breuiter,hoc eſt,ſine amplificatione, cum propoſitio ſimplex eſt,rem exponit. approbatio uero, quia θετικὴ eſt, pluribus,magiſq. probabilibus argumentis, ac mediis copioſius rationem corroborat. Eſt enim cauſſa ſine qua non,ut dialectici loquuntur; ideo αἰτιολογία dicitur,rationis approbatio,quia rationi eſt addita ratio.

Exornatio,

Exornatio, ab aliis Ἐπεξεργασία, ab Ariſtotele Προσοικοδόμησις dicitur, quaſi altera coaedificatio: ab Hermogene Ὄγκος appellatur. Eſt autem Exornatio, qua utimur rei cohoneſtandae, & locupletandae cauſſa, confirmata argumentatione. Differt a reliquis, quod propoſitio ſimplex eſt, & nuda: ratio plus ualet probabilitate: approbatio ui, & robore argumentorum: exornatio autem uehementior eſt propter amplificationem. Omnis enim exornatio aut uiribus ualet, aut ornatu. uiribus ea ualet, quae eſt argumentoſa: ornatu, quae habet amplificationem. Ea autem, ut in Partitionibus inquit Cicero, & uerborum genere conficitur, & rerum. Verba ponenda ſunt, quae uim habeant illuſtrandi: in quibus decorum obſeruandum eſt, ne ſint grauiora, quam cauſſa poſtulat. Rerum amplificatio ſumitur ex iiſdem locis omnibus, quibus illa, quae dicta ſunt ad fidem: maximeq. definitiones ualent conglobatae, & conſequentium frequentatio, & contrariarum, & diſsimilium, & inter ſe pugnantium rerum conflictio, & cauſſae, & ea, quae ſunt de cauſsis orta, maximeq. ſimilitudines & exempla, fictae etiam perſonae, muta denique loquuntur. Atque haec omnia magna eſſe debent. Sed, quamquam in curſu ipſo orationis locus, declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehenſa: tamen, cum proprius amplificationis locus ſit in perorando, nihil de ea hic dicemus amplius.

Complexio, Συμπέρασμα eſt, quae concludit breuiter, colligens partes argumentationis. Eſt enim oratoriae argumentationis terminus. Atque haec tractatio partium argumentationis etiam in ipſo exordio obſeruari poteſt, non minor, quam in confirmatione, aut in reprehenſione.

Argvmentatio] argumentorum tractatio, in qua multae ſunt inductiones argumentorum, & multi ſyllogiſmi. nam Argumentatio aliquando ſumitur pro argumento, aliquando pro expoſitione argumenti. hic uero pro tractatione multorum argumentorum ſumitur. Propositio] id, quod adducitur ad probandum, in qua breuiter, quod agendum, aperitur. Svmmatim] docilem facit auditorem. Cavssa,] ad differentiam humanae rationis, quae bonum a malo diſcernit. ergo ratio pro cauſſa hic ponitur. Vervm] ueriſimile. nam Verum aliud eſt, quoad eſſentiam; aliud, quoad apparentiam; aliud, quoad utrumque. Intendimvs,] probare uolumus. Brevi *ſubiectione*.] probatione, & oſtenſione, & propoſito. nā praemittit omnes res propoſitas, deinde probat. Expositam *rationem*.] probationem eius, quod adducitur ad probandum, per quam ratio multis modis confirmatur. *Expoſitam*: commemoratam. Explanatio] alia pars Argumentationis, qua utimur ad exornandum, & locupletandam materiam, & rem propoſitam. Res *honeſtandae*,] ideſt, ornandae propoſitae materiae cauſſa, quoad uerborum ornatum adducendo colores. Collocvpletatione] quoad grauitatem ſententiarum, adducendo locos communes, & ſententias. nam Exornatio in amplificatione fit per ornatus & uerborum, & ſententiarum. Confirmata *argumenattione*.] ratione, probatione. Complexio] ultima pars, per quam concludendo colligimus omnes partes argumentationis ſub quadam breuitate. Breviter *colligens*] ad memoriam reuocans. Parter *argumentationis*.] ea, quae dicta ſunt in argumentatione: ut Propoſitionem, Rationem, Rationis confirmationem, Exornationem, & Complexionem.

EXEMPLVM : ARGVMENTATIONIS PERFECTAE : XXXIII

Hisce igitur quinque partibus ut abſolutiſſime utamur, hoc modo tractabimus argumentationē. Cauſſam oſtendemus Vlixi fuiſſe, quare interfecerit Aiacem: inimicum enim acerrimum de medio tollere uolebat: a quo ſibi non iniuria ſummum periculum metuebat. uidebat, illo incolumi ſe incolumem non futurum. ſperabat, illius morte ſe ſalutem ſibi comparare. conſueuerat, ſi iure non poterat, quauis iniuria inimico exitium machinari. cui rei mors indigna Palamedis teſtimonium dat. ergo & metus periculi hortabatur eum interimere, a quo ſupplicium uerebatur: & conſuetudo peccandi maleficij ſuſcipiendi remouebat dubitationem. Omnes enim, qui minima peccata cum cauſſa ſuſcipiunt, tum uero illa, quae multo maxima ſunt maleficia, aliquo certo emolumento inducti ſuſcipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecuniae ſpes: ſi complures ſcelere ſe contaminauerunt imperij cupiditate: ſi multi leue compendium frvude maxima commutauerunt: cui mirum uidebitur, iſtum a maleficio propter acerrimam formidinē non temperaſſe? Virum fortiſſimum, integerrimum, inimicitiarum perſequentiſſimum, iniuria laceſſitum, ira excitatum, homo timidus, nocens, conſcius ſui peccati, inſidioſus, inimicum incolumem eſſe noluit: cui tandem hoc mirum uidebitur? nam, cum feras beſtias uideamus alacres, & erectas uadere, ut alteri beſtiae noceant; non eſt incredibile putandum, iſtius quoque animum ferum, crudelem, atque inhumanū cupide ad inimici perniciem profectum: praeſertim cum in beſtiis nullam neque bonam, neque malam rationem uideamus, in iſto plurimas, & peſſimas rationes ſemper fuiſſe intelligamus. Si ergo pollicitus ſum, me daturum cauſſam, qua inductus Vlixes acceſſerit ad maleficium: & ſi inimicitiarum acerrimam rationem, & periculi metum interceſſiſſe demonſtraui: non eſt dubium, quin confiteatur cauſſam maleficij fuiſſe.

EXPLANATIO

Exemplo iam oſtendit, quo modo, ut hiſce quoque partibus abſolutiſsime utamur, tractanda ſit argumentatio.

Hisce] κατάστασις, quomodo ſit perfecta argumentatio tractanda. Tractabimvs] exercebimus. Argvmentationem.] quam docuimus in quinque partes eſſe diſtributam. Cavssam] Nunc exem-

plum ponit argumentationis perfectae, cuius ſingulas partes ordine explicabimus. Propoſitio breuis eſt, & ſimplex: Cauſſam oſtendemus Vlixi fuiſſe, quare interfecerit Aiacem. Res enim nude proponitur. Sane duplex eſt cauſſa, Impulſiua, ut quando per furorem, uel inſaniam commiſit maleficium; & Rationalis, ut ſi quis propter ſolam malitiam ſcelus patrauit. INIMICVM] Propoſitionis κατασκευὴ ratio, non minus, quam ipſa propoſitio ſimplex. Habet tamen in ſe hunc συλλογισμὸν: A quo ſummum metuendum eſt periculum, is inimicus eſt acerrimus: Ab Aiace Vlixi ſummum periculum metuendum fuit: Ergo Vlixis hoſtis acerrimus Aiax fuit. Minor facti impulſionem, & cauſſam habet. ACERRIMVM] fortiſsimum. DE *medio.*] de uita. nam triplex eſt uita: infima, ut brutorum; media, ut hominum; ſupera, ut deorum. A. QVO *ſibi non iniuria*] A cauſſa ratiocinatiua, ſecundum intentionem incommodi. nam cauſſa occidendi fuit periculũ, quod metuebat ab eo. SVMMVM *periculum*] mortem. Hic duae ſubiiciuntur cauſſae, & quod inimicus erat, & quod metuebat ſummum periculum. METVEBAT.] quod futurum proſpicit tempus. VIDEBAT, *illo incolumi, ſe incolumem non futurum.*] Προκατασκευὴ, ſiue προσυλλογισμὸς, rationis approbatio, quae tractatur contrario, exemplo, concluſione, & θέσει. Primum contrarij medium ex circumſtantia perſonarum, ac cauſſae ſumitur. Perſonae ſunt, Aiax, & Vlixes: cauſſa eſt ὀρεκτικὴ, impulſiua, incolumitas Vlixis, quae altero incolumi eſſe non potuit. Alterum medium ex eodem ſumitur loco: eſt enim τῶν αἰτίων ἀντιστροφὴ: mors Aiacis, ſalus Vlixis. Tertium medium eſt: conſueuerat, ſi non iure, quauis iniuria inimico exitium machinari. Hoc quaſi ad παραδείγματα pertinet. ab ingenio enim, & uita Vlixis anteacta ſumitur. Exemplum eſt ὑποθετικὸν, a perſona Palamedis, quo ante uniuerſalem concluſionem concludit. Sumitur hoc eſt hiſtoria, cuius etiam in ſecundo Sinon Virgilianus mentionem facit. Concluſio & cauſſam repetit: metum ſcilicet periculi, & Vlixis conſuetudinem in peccando. θέσις, ideſt ſententia uniuerſalis, habet ratiocinationem a minori ad maius. *Videbat*: Rationis cofirmatio, quae pluribus argumentis corroborat breuiter expoſitam rationem. SPERABAT] A cauſſa ratiocinatiua, ſecundum adeptionem commodi. nam morte illius ſperabat ſalutem ſibi comparare. CONSVEVERAT,] Locus a facto, uel a ſimili. MACHINARI.] ſtruere, fabricare, conficere. METVS *periculi*] Locus a maiori. nam in aliquo certo emolumento huiuſmodi homines maxima ſuſcipiunt maleficia, cum etiam minima peccata ſuſcipiant aliqua de cauſſa. OMNES *enim,*] Exornatio, ideſt Amplificatio, in qua ſunt omnes loci. Eſt etiam ſimilitudo, eſt contrarium, eſt exemplum. EMOLVMENTO] utilitate. SI *multos*] Sequitur in Exornatione, ἐπεξεργασία. quae habet primum σύγκρισιν, deinde ὁμοίωσιν. Pars prima συγκρίσεως prior eſt ἀόριστος, καὶ ὑποθετικὴ, in qua plures, minores, & extraneae res cum maiore conferuntur infinite: nullam enim perſonam nominat. Longe minora ſunt pecuniae, imperij cupiditas, & leue compendium, quam formido acerrima, quae Vlixem ad maleficium impulit. Pars altera, ipſa uidelicet προσαπόδοσις, tractatur ἐρωτήσει, iuterrogatione, propter uim maiorem. CONTAMINAVERVNT] uitiarunt. LEVE *compendium*] breuem, & paruam utilitatem. COMMVTAVERVNT:] ideſt, comparauerunt. Ductum a commutatione mercium, qua utebantur maiores, nondum uſu pecuniae reperto. CVI *mirum,*] Concludit. quaſi dicat, nulli. TEMPERASSE?] abſtinuiſſe. VIRVM *fortiſſimum,*] Altera comparatio, ὡρισμένη, finita eſt, in qua perſonas inter ſe confert Aiacis, & Vlixis. Habet autem haec ἐπαύξησιν, incrementum in utraque parte, Virum fortiſsimum, integerrimum, &c. pars altera: Homo timidus, nocens, &c. Huic etiam ſubiungit interrogationem, uehementiae cauſſa. NAM, *cum feras beſtias*] ὁμοίωσις, ſimilitudo, qua in rebus diuerſitatem oſtendit, & comparationem proximam probabiliorem facere conatur. Habet autem etiam haec ipſa ſimilitudo ἐνθύμημα σύγκριτον: cuius παραύξησιν quoque, ideſt exaggerationem, κατ᾽ ἀντίθεσιν ſubiungit, qua rebus ſimilibus diuerſitatem oſtendit. Huius pars prior ἀφαίρεσιν habet: praeſertim cum in beſtiis nullam neque bonam, neque malam rationem uideamus. Altera θέσιν: in iſto plurimas, & peſsimas rationes ſemper fuiſſe intelligamus. Eſt haec exaggeratio eo firmior, quod, cum prima ἀντιθέσεως partes, omnem rationem a beſtiis remouerit, in altera parte quantitatem cum ipſa qualitate coniunxit: nec peſsimas tantum, ſed etiam plurimas Vlixi rationes tribuit. FERAS *beſtias*] non manſuetas. nam multae ſunt beſtiae manſuetae. ALACRES,] expeditas, & ueloces. CRVDELEM,] qui cruore delectatur. INHVMANVM,] omni humanitate exſutum. NEQVE *malam*] per ſe, ſed quantum ad facientem. nam, ſicuti homo, omnium animantium optimum, & perfectum; ita, ſeparatum a iuſtitia, & lege, peſsimum eſt omnium. RATIONES] calliditates. SI *ergo*] Συμπέρασμα, Complexio, quae cum propoſitione medium comprehenſum habet. In hoc enim concluſio dialectica differt ab oratoria: quod dialecticus medium omittit, orator uero & illud ipſum repetit, & ad hoc rationem, eiuſq. exornationem addit. *Si ergo*: Concludendo exemplum adducit de Complexione. Et Concluſio per inductionem. Haec igitur complexio breuiter colligit Propoſitionem, Rationem, Rationis confirmationem, Exornationem. *Si pollicitus*: hic Complexio. ME *daturum cauſſam,*] dicturum, demonſtraturum. Hic repetit, concludendo, Propoſitionem. ET SI *inimicitiarum acerrimam rationem*] Per hoc notat Rationem. ET *periculi meum*] hic Rationis confirmationem. Exornationem uero, ideſt, Amplificationem, non repetit, ne res uideatur nimis apparata.

ARGVMENTATIO. IMPERFECTA. XXXIV

ERGO *abſolutiſſima eſt argumentatio ea, quae ex quinque partibus conſtat: ſed ea non ſemper neceſſe eſt uti. Tum enim complexione ſuperſedendum eſt, ſi res breuis eſt, ut facile memoria comprehendatur: tum exornatio praetermittenda eſt, ſi parum locuples ad amplificandum, & exornandum res uidetur eſſe. Sin & breuis erit argumentatio, & res tenuis, aut humilis, tum exornatione, & complexione ſuperſedendum eſt. In omni argu-*

mentatione

gumentatione de duabus partibus poſtremis, haec, quam expoſui, ratio eſt habenda. Ergo ampliſſima eſt argumentatio quinque partita: breuiſſima eſt tripartita: mediocris, ſublata aut exornatione, aut complexione, quadripartita.

EXPLANATIO

ΑΠΟΔΟΣΙΣ eſt hoc in loco, qua concludit, perfectiſsimam, & abſolutiſsimam argumentationem eſſe eam, quae ex quinque partibus conſtat. Sed, quia ea non ſemper neceſſe eſt uti, ideo etiam oſtēdit, quae argumentatio imperfecta ſit. Omnis igitur argumentatio uel eſt plena, & abſoluta; uel eſt imperfecta, & non plena. Plena eſt, quae non ſolum πιστικὴ, argumentoſa, uerū etiam ὀγκώδης, ornata, atque elegans: ideoq. partibus conſtat quinque. Non plena eſt, quae tantum eſt πιστικὴ, ad fidem faciendam inſtituta: ἀλλὰ τοῦ ὄγκου, abſque ornatu. Atque haec eſt tripartita: uel enim duas tantum habet partes, uel tres, uel quatuor. Quae quattuor habet partes, uel complexionem omittit, quando ſcilicet res eſt breuis, ut facile memoria comprehen datur: eſt enim eadem cum propoſitione maiore. uel exornationem, ſi parum locuples ad amplificandum, & exornandum res uidetur eſſe: id quod fit in argumento, & cauſſa humili. Tripartita uero, & concluſionem omittit, & exornationem, cum & argumentatio breuis eſt, & res humilis. Bipertita, ἐνθύμημα uocatur, & inter σχήματα numeratur: ideoq. huc non pertinet. Agitur enim hoc in loco de epicheremate, ſyllogiſmo perfecto oratorum: in quo non minus maiore, ac minore opus eſt, quam in ſyllogiſmo dialectico. Quamobrē in oratoria etiam argumentatione tres perpetuae partes ſunt: Propoſitio, Ratio, & Rationis confirmatio: quae omitti nullo modo poſſunt. Propoſitio enim maius, & minus cōtinet extremum. Ratio uero propoſitionem minorem. quae cum omittitur, de quo dicatur, eſt incertum. Confirmatio autem θέσιν habet, ſine qua conclu ſio nulla fieri poteſt. Exornatio autem, & concluſio προσθήκη, ſunt acceſſoriae. Exornatio enim ornatur, & quaſi delectationis cauſſa uſurpata eſſe uidetur. Complexio uero, in tractatione longiore memoriae cauſſa eſt inuenta. Ampliſsima igitur argumentatio quinque partita eſt, breuiſsima tripartita, mediocris quadripartita. RATIO *eſt habenda.*] doctrina ſcilicet de exornatione, & complexione. AMPLISSIMA] perfectiſsima. BREVISSIMA,] perfecta. MEDIOCRIS,] nec ampliſsima, nec breuiſsima; perfectior.

ARGVMENTATIONES. VITIOSAE. XXXV

GENERA *duo ſunt uitioſarum argumentationum: unum, quod ab aduerſario reprehendi poteſt, idq. pertinet ad cauſſam: alterum, quod tametſi nugatoriū eſt, tamen nō indiget reprehenſione. Quae ſint, quae reprehēſione confutari conueniat, quae tacite contemni, atque uitari ſine reprehenſione, niſi exempla ſubiecero, intelligere dilucide non poteris. Haec cognitio uitioſarum argumentationum duplicem utilitatem afferet: nam & uitare in argumentatione uitium admonebit, & ab aliis non uitatū commode reprehendere docebit. Quoniam igitur oſtendimus, perfectam, & plenam argumentationem ex quinque partibus conſtare; in unaquaque parte argumentationis quae uitia euitanda ſunt, conſideremus: ut & ipſi ab his uitiis recedere, & aduerſariorum argumentationes hac praeceptione in omnibus partibus tentare, & ab aliqua parte labefactare poſſimus.*

EXPLANATIO

HACTENVS de argumentationibus ueris, ac bonis docuit: nunc etiam de uitioſis praecepta tradit. Vt enim non ſolum uirtutes docentur, ut illas amplectamur; ſed etiam indicantur uitia, ut ea fugiamus: ſic quoque in artibus non ſatis eſt praecipere ea, quae bona ſunt, & uera: ſed etiam, ſi quid malū eſt, ac uitioſum, neceſſe eſt oſtendere. Id hic cum in aliis, tum etiam hoc in loco prudenter obſeruauit. Tradit igitur hic περὶ τῆς ἀνασκευῆς καταλήψεις, praecepta, quo modo argumentationes uitioſae ſint reprehendendae. Ac primū, quot ſint earum genera, & quid unumquodque ſit, docet: deinde, ſe exemplis omnia explicaturum eſſe promittit: tertio, uſum huius praeceptionis indicat: poſtremo, quibus in rebus uitia illa ſint, conſiderat. Genera duo ſunt uitioſarū argumentationum. unum, πρὸς θέσιν, ad cauſſam pertinens. alterum, μὴ πρὸς θέσιν, ad cauſſam non pertinens. Primum, tametſi neceſſarium non eſt, tamen, quia ad cauſſam pertinet, in qua aliquando orator probabili pro neceſſario utitur, ideo aliquo modo tolerabile eſt. Reprehenditur tamen propter materiā, quia aut eſt falſum, aut infirmum. Alterum nugatorium eſt, hoc eſt σοφιστικὸν: quod quoniam eſt ἀσυλλογιστὸν, ideſt, in ipſa forma peccat, nec ad cauſſam pertinet, reprehenſione non eget, ſed tacite contemnitur, atque uitatur, ſine reprehenſione. Hoc triplex eſt: falſum, leue, alienum. Vtuntur tamen huiuſmodi poetae, idq. artificioſe, ac laudabiliter: quoniam in perſonis, quas loquentes introducunt, τὸ πρέπον maxime obſeruare ſolent. Vtriuſque generis exempla ſe ſubiecturum eſſe promittit. IDQ. *pertinet ad cauſſam:*] ad reprehenſionem cauſſae. NVGATORIVM *eſt,*] deriſorium: propter manifeſtas nugas per ſe manifeſtum. QVAE *tacite contemni, atque uitari ſine reprehenſione*] Eius autem generis ſunt argumenta nugatoria, quae prima litterarum figura ſe prodant. ut ſi dicas, Iura ſequi oportere, ut pecuniam lucremur. uel, ſi dicas, Magiſtratum uenerari oportere, quia ueſtibus ſplendidis, & longo famulorum comitatu incedit. HAEC *cognitio*] Nunc uſum oſtendit huius praeceptionis. triplicem autem affert utilitatem cognitio uitioſarum argumentationum. Prima eſt, quod uitare in argumentatione uitium admonet: altera, quod ab aliis non uitatum commode reprehendere docet: tertia, de qua hic non meminit, quod nos, cum uti aliquando argumentatione uitioſa uolumus, eam artificio quodam abſcondere diſcimus: quod ἐν τῷ κρύψει eſt conceſſum. IN *argumentatione*] noſtra.

noſtra. Ab *aliis*] aduerſariis. Qvoniam *igitur*] Quoniam argumentatio perfecta, ac plena ex quinque partibus conſtat, & uitia argumentationis ſunt in partibus eius: nunc, quae in unaquaque parte uitia uitanda ſint, conſiderat: idq. duas ob cauſſas, ut & ipſi ab his recedere, & aduerſariorum argumentationes hac praeceptione in omnibus partibus tentare, & ab aliqua parte labefactare poſsimus. In *unaquaque*] quinque partioſa. Hac *praeceptione*] doctrina. In *omnibus partibus*] quo ad totum. Ab *aliqua parte*] ubi ſit uitium. Labefactare] diſſoluere, deſtruere.

EXPOSITIO . VITIOSA . XXXVI

Expositio uitioſa eſt, cum ab aliqua, aut a maiore parte ad omnes confertur id, quod non neceſſario eſt omnibus eſt attributum: ut, ſi quis hoc modo exponat: Omnes, qui in paupertate ſunt, malunt maleficio parare diuitias, quam officio paupertatem tueri. Si quis hoc modo expoſuerit argumẽtationem, ut nõ curet quaerere qualis ratio, aut rationis confirmatio ſit, ipſam facile reprehendemus expoſitionem, cum oſtendemus id, quod in aliquo paupere improbo ſit, in omnes pauperes falſo, & iniuria conferri.

EXPLANATIO

Enumerat modo omnium partium uitia: ac primum Propoſitionis, quam hoc in loco uocat Expoſitionem, quae Propoſitionis eſt correlatiuum. eſt enim Propoſitio, rei concludendae expoſitio: & ſubiectum habet concluſionem, terminum uero expoſitionem. a Graecis dicitur ἔκθεσις, ἢ πρότασις, ἢ ἐπιχείρησις, Omnis autem propoſitio, uel ſimplici conſtat ſententia: ut, Omnes, qui in paupertate ſunt, &c. uel diuiſione, aut diſiunctione: ut, Duae res ſunt, iudices, &c. Hoc in loco de ſimplici agit propoſitione, &, quae eius uitia ſint, oſtendit. Eſt igitur primum propoſitionis uitium, cum uniuerſale pro particulari, uel aliquando contingens pro plurimum contingente ponitur. Id Dialectici in ſophiſticis elenchis appellarunt a dicto ſecundum quid ad ſimpliciter. Cum dicit, a maiori parte, intelligit contingens plerumque. Cum dicit, Quod non neceſſario eſt omnibus attributum, intelligit id, quod re uera non eſt uniuerſale.

Quaecunque ante complexionem ſumuntur, poſſunt Expoſitionis appellatione contineri, ſi Ciceroni credimus de Inuentione. Et in hunc finem hic intelligendus Cicero de Inu. lib. II. argumentatione reprehendi poſſe quattuor modis docet. Aut ſi ex his, quae ſumpta ſunt, ideſt ex argumentis (ut Victorinus explanat) non conceditur unum, plura ue. hunc primum modum hic proſequitur, appellatione Expoſitionis. Deinde, ſi, conceſsis, quae ſumpta ſunt, complexio confici ex his negatur. Tertio loco, ſi genus ipſum argumentationis uitioſum oſtenditur. Tandem, ſi contra firmam argumentationem, alia aeque firma, ac firmior ponitur. Tres poſteriores modos hic non proſequitur: nos non tacebimus. Circa primum modum argumentationis, aduertendum eſt, quod aliquando res eſſe credibilis negatur: ut, ſi pro credibili propoſitione dicam, neminem eſſe, qui pecuniam malit, quam ſapientiam: iam negatur credibile. Aliquãdo negamus comparabile. cuius tres ſunt ſpecies: ut, ſi dixero a Gallis ad Germanos argumẽtum perfidiae ſumi, quod ſint proximi, affines, uel confines. hoc enim negare iuſte poſſumus. Aliquando iudicatum negatur: ut, ſi ex eo, quod iudex ali prolem decreuerit, arguamus, uel euincamus agnitionem prolis. nã hoc iuſte negamus: habet enim uitium. Aliquando arguimus a ſigno, ubi neceſſe eſt primo, ut probemus ſignum eſſe: deinde, ut conſtet ſignum accommodari crimini. quorum utrum defuerit, iam argumentatio uitium habet. ut, Habuiſti ueſtem cruentam ſanguine, ergo occidiſti. hoc argumentum habet uitium. Quae omnia Cicero de Inuentione latiſſime, & ex pari elegantia tractat. Dicit porro Cicero, a rebus in ſpecie iniuſte argui ad uniuerſalia. Ad *omnes*] partes. Non *neceſſario*] non ſufficienter. Ad probandam propoſitionem, Neceſsitatem appellat ſufficientiam. Omnes, *qui in paupertate ſunt*,] Hoc primum uitium etiam Cicero de Inu. lib. II. inter alia cõnumerauit. Videndum autem, ne iſtaec uitia probe excuſari poſsint, tribus modis. Primo, nam in moralibus in poſitiuis, uniuerſalitas ſumitur ex communter accidentibus. Quo caſu expoſitio neceſſario non urgeret, poteſt tamen defendi tamquam probabilis: quae eſt receptiſsima doctrina totius iuris ſcripti. Secundo; Si uniuerſalis propoſitio ad actus humanos ſeſe accommodaret: quia tunc ſemper coercetur ad materiã ſubiectam, ad habilitatem, ad naturae condicionem. Sic fere dicimus, omnes homines timere in mari, in periculis: licet Stoicus hoc non reciperet, tamen ueritas ſumitur ex communiter accidẽtibus. ita, cum dicimus, nemo odit carnem ſuam: nam multi ſunt, qui oderunt, ut Medea. Hac ſecunda ſpecie poteſt defendi exemplũ huius, de pauperibus. niſi dicas, ibi non eſſe communiter accidentia, ſed actus medios, quod uerius eſt. Tertius modus eſt tropicus, quia huiuſmodi uniuerſalitates (ſi ita loqui licet) ſaepe tropum habent, & ex hyperbole intelliguntur. Officio] honeſtate. Si . qvis] Cauſſas ponit, quibus oratores ſaepe in hoc incurrunt uitium. Primum enim id fit, cum non quaerunt, quae ſit ratio eius, quod eſt in quaeſtione. Deinde, cum etiam rationis confirmationem non inueſtigant. Qvalis *ratio*,] nam, cum ratio ſequatur expoſitionem, & pendeat, & eodem modo de reliquis partibus, ut a ratione rationis confirmatio: neceſſe eſt, ſi propoſitio ſit uera, rationem quoque eſſe uerã; ſin falſa, falſam item eſſe rationem. Eodem modo, ſi ratio uera, ueram eſſe rationis confirmationem, & e contrario. Iure igitur reprehendemus in hoc exemplo, non conuenire omnibus pauperibus id, quod exponitur, cum oſtẽdimus, id, quod in aliquo paupere improbo ſit, in omnibus eſſe pauperibus, falſo quidem, & iniuria. Ipsam *facile*] Oſtendit nũc, quo modo hoc uitiũ reprehẽdi poſsit. Negatione aũt quantitatis reprehẽditur: quoniã ex particularibus, ſiue ſingularibus non ſequitur uniuerſalis.

II. EX-

II. EXPOSITIONIS. VITIVM. XXXVII

ITEM uitioſa expoſitio eſt, cum id, quod raro fit, fieri omnino negatur, hoc modo: Nemo poteſt uno adſpectu, neque praeteriens in amorem incidere: nam, cum non nemo deuenerit in amorem uno adſpectu, & cum ille neminem dixerit, omnino nihil differt raro id fieri, dummodo, aliquando fieri, aut poſſe fieri, intelligatur.

EXPLANATIO

ALTERVM exceptionis uitium eſt in ipſis contingentibus, quorum tres ſunt auctores: Natura, forma, homo. Quae a natura fiunt, uocantur plerumque contingentia: ut, Ver eſſe ſudum, aeſtatem calidam, autumnum nubiloſum, hiemem frigidam, & ſimilia. Quae a fortuna proueniunt, raro contingentia appellantur: ut, cum in agro arans, theſaurum inuenit, &c. Quae ab homine fiunt, contingentia faciunt utraque. Nam uel edere, uel non edere: ambulare, aut non ambulare: ſcribere, & non ſcribere poſſum. Appellatur hoc uitium in Elenchis, a negato ſecundum quid ad negatum ſimpliciter. Reprehenditur ἐν στάσει, quae dari poteſt. Differt a primo, quod primum affirmationem, & perſonam habuit, & ex particulari uniuerſalem, & ἀναγκαῖαν facit. Secundum autem in negando, ac temporis diſtinctione eſt poſitum, & ex negatiua particulari uniuerſalem facit affirmatiuam.

ITEM *uitioſa*] Secundum uitium uitioſae propoſitionis, cum negatur, omnino fieri poſſe id, quod raro fit. quod uitium in eo conuenit cum ſuperiori, quod ambo peccant per falſam conſequentiam, ſed in eo diſcrepant, quod illud affirmat, hoc uero negat. CVM *id, quod raro fit, fieri omnino negatur,*] In iure ciuili ea, quae raro fiunt, intelliguntur numquam fieri. ius enim ſcriptum, ea, quae raro fiunt, non curat. l. iura, cum lege ſeq. ff. de legibus. Inde Imperator in Authenticis dicit, propter bonas mulieres non oportere legem conſtitui, quia rarae ſunt: malas autem multas eſſe. Ne ergo iura diſsideant ab hoc, diſtinguamus inter tria cauſſarum genera. nam, ſi iudiciale tractes, & maxime in criminalibus, utraque ea uitia, quae iam tractauimus, recepta ſunt. nec enim reus condemnari ex eo debebit, quod uel frequenter, uel raro fiat, regula ex uniuerſo ſumpta. Sed nec ex coniecturis ullis, niſi euidentem faciant probationem. Praeterea multa circa locos in coniecturali in criminalibus non procederent: & creditur eo nomine proceſsiſſe conſtitutio Imperatoris, in l. ſciant, C. de probatio. In ciuilibus res temperamento eget. ex frequentia enim, & raritate actuum, ſi contractus, uel ultimas uoluntates diſceptaueris, in dubio iuſte arguitur: ut ita non ſit tutum, ea, quae pro uitiis hic ſcribuntur, tueri tamquam uitia. ſiquidem communiter, uel raro accidentia, item natura rei, & condicio materiae, ſaepe euincunt aliquid uel eſſe factum, uel non eſſe factum. ne negotia hominum relinquantur ambigua, etiam ſi nihil neceſſario colligas. quod tamen latiorem tractatum habet. Ceterum in genere deliberatiuo, & demonſtratiuo ſuperiora uitia tantum abeſt, ut uitia putētur, ut etiam arti detur, & uniuerſo enunciata ſumere, etiam ſi ex freqnentia, uel raritate ſumantur, dum ex natura, uel condicione rei, uel per hyperbolem pronunciata defendi poſsint. Nam, ſi deliberes, homo inops, ignotus, ad munera recipiatur: nihil abſurdi feceris, ſi ab eo abſtineas: motus ea ſententia, quae ex uniuerſo ſumitur, quod pauperes ſeſe uel ſcelere ab inopia redimere, quam eam officio tueri pergant. Nam & ita ius noſtrum iudicat, inſt. de ſuſpectis tutoribus, ad finem l. 3. §. Tu magis, ff. de teſtibus. quod uel maxime in demonſtratiuis receptum eſt, in quibus nihil aliud, quā laudamus, aut uituperamus. Eum in ſenſum illud Quinctiliani dicitur, aequitatem optimo cuique notam eſſe. & illud ſapientis, iuſtum hominem nulla re contriſtari. Sic Iuno Virgiliana, cum quereretur, Ilium in Italiam portari. Sic Cicero in oratione pro Flacco, reiecit teſtes Aſianos ex uniuerſo, quod Graecae nationi fides negaretur. Concludo, quae utrobique uitia ex hoc tractamus, in criminalibus ſemper recipi, a ciuilibus iudiciis frequenter remoueri: in deliberatiuo, & demonſtratiuo raro eſſe receptas, ſi per ſupradicta temperamenta expurgari poſſunt. Sed, quod ad legiſlatorem attinet, ideſt, ad iura condenda, tunc non curantur ea, quae raro fiunt: per iura ſupra a principio allegata. quod Accurſius ibi latius explicat. NEMO *poteſt*] Locus ab affectiune. amor enim eſt affectio. VNO *adſpectu, neque praeteriens*] Hic declarat, hominem & ſtando, & praetereundo poſſe amore capi. AVT *poſſe fieri*] nam, etſi non poſſumus oſtendere, quempiam uno intuitu incidiſſe in amorem, modo poſsimus demonſtrare, id fieri poſſe, eiuſmodi propoſitio eſt falſa, igitur reprehendenda.

III. VITIVM. XXXIIX

ITEM uitioſa expoſitio eſt, cum omnes res oſtendimus nos collegiſſe, & aliquam rem idoneam praeterimus, hoc modo: Quoniam igitur hominem occiſum conſtat eſſe, neceſſe eſt aut a praedonibus, aut ab inimicis occiſum eſſe, aut abs te, quem ille heredem teſtamento ex parte faciebat. praedones illo loco uiſi numquam ſunt: inimicum nullum habebat. relinquitur, ſi neque a praedonibus, neque inimicus occiſus eſt, quod alteri non erant, alteros non habebat, ut abs te ſit interemptus. Nam in huiuſcemodi expoſitione reprehenſione utemur, ſi quos praeter eos, quos ille dixerit, potuiſſe ſuſcipere maleficium oſtenderimus: uelut in hoc exemplo, cum dixerit neceſſe eſſe aut a praedonibus, aut ab inimicis, aut a nobis occiſum eſſe, dicemus potuiſſe uel a familia, uel a coheredibus noſtris. Cum hoc modo illorum collectionem diſturbauerimus, nobis latiorem locum defendendi relinquemus. Ergo hoc quoque uitandum eſt in expoſitione, ne quando, cum omnia collegiſſe uideamur, aliquam idoneam partem reliquerimus.

EX-

EXPLANATIO

HACTENVS ſimplicis expoſitionis uitia duo indicauit: tertiũ eſt propoſitionis cõpoſitae, quae διαίρεσιν, ἢ ἀπαρίθμησιν habet. Haec uitioſa eſt, cũ non eſt plena, & ſufficiens, ſed ἐλλείπουσα. QVONIAM *igitur*] Enumerationis, ſiue expeditionis expoſitio, quae primum habet κατάστασιν, Hoĩem occiſum eſſe cõſtat. deinde, διαίρεσιν, Neceſſe eſt, aut a praedonibus, &c. tertio ἀφαίρεσιν, Praedones illo loco, &c. poſtremo concluſionẽ, quae tractatur κατ' ὑπόθεσιν, cum eiuſdem adiunctã ratione. QVEM *ille heredem teſtamento*] Ideo hic dicit, eum heredem ex parte factum, & non in aſſe, ut euidentius pateat uitium inſufficiẽtiae. poterat enim & alius heres eum occidiſſe. ALTERI] praedones. ALTEROS] inimicos. Aduerte differentiam: quia in praedones euentu, in inimicos occaſione incidimus. NAM *in huiuſcemodi expoſitione,*] Docet etiã hoc uitium reprehendendum eſſe ἐν στάσει: Si quos praeter eos, quos ille dixerit, potuiſſe ſuſcipere maleficium oſtenderimus. CVM *hoc modo*] Monet in hoc loco, primum, de utilitate, quam ex huius uitij reprehenſione capimus; deinde, ut in expoſitione caueamus, ne quam idoneam partem in colligendo relinquamus. COLLECTIONEM] enumerationem. DISTVRBAVERIMVS,] deſtruxerimus. NOBIS *latiorem locum*] quaſi dicat, Cum aduerſarium diſturbamus, nobis latiorem locum defendendi paramus, ideo quod aduerſarius anguſtat nos.

IV. VITIVM. XXXIX

ITEM uitioſa expoſitio eſt, quae conſtat ex falſa enumeratione: ut ſi, cum plura ſint, pauciora dicamus, hoc modo: Duae res ſunt, iudices, quae homines ad maleficium impellunt, luxuries, & auaritia. Quid amor? inquit quiſpiam. quid ambitio? quid irreligio? quid metus mortis? quid imperij cupiditas? quid denique alia permulta? Item falſa enumeratio eſt, cum pauciora ſunt, & plura dicimus, hoc modo. Tres res ſunt, quae omnes homines ſolicitant, metus, cupiditas, aegritudo. Satis fuerat dixiſſe metum, & cupiditatem: quoniam aegritudinem cum utraque re coniunctam eſſe neceſſe eſt.

EXPLANATIO

QVARTVM expoſitionis uitium eſt, quod conſtat ex falſa enumeratione: idq. duplex eſt; uel enim plura ſunt, & pauciora dicimus; uel ſunt pauciora, & plura dicimus. Differunt inter ſe abundantia. Primum enim enumerationem habet, ut in ſcholis uocant, non ſufficientem: & idem eſt cum tertio, niſi quod illud quaſi formam argumentationis habet: in hoc uero extra argumentationem expoſitio ſimpliciter proponitur. Alterum uero, cum ſcilicet pauciora ſunt, & plura dicimus, enumerationem habet abundantem. Examinatur igitur enumeratio omnis defectu, atque abundantia. QVAE *conſtat ex falſa enumeratione*:] Praeter hoc uitium, Cicero de Inuentione alia duo uitia adiecit: aut quia enumeramus, cui contradici poteſt, aut cauſſa non eſt, quare nõ honeſte poſsimus contendere. ideſt, nulla nos cauſſae turpitudo impedit, uel moratur, quin honeſte poſsimus unam ex partibus concedere. Exemplum prioris: ut, nec emiſti, nec ſuſcepiſti, nec tibi donatum eſt: relinquitur, te mala fide habere. hic nego, quod non ſit mihi donatum. Iam tota argumentatio cecidit. Exemplum poſterioris: Non ſtetiſti fruſtra in diuerticulo: aut enim furari uolebas, aut affectari puellas, aut inſidias ponere uicino. hoc ultimum ſine pudore concedes: uerum eſſe, te locauiſſe inſidias, ſi tibi ex profeſſo inimicus fuit. Sis, cum Roſcius accuſaretur interfeciſſe Saturninum, Cicero in oratione cupide ſe hoc crimen confeſſurum dicit, ſi ei ex ueritate liceret. DVAE *res*] Eſt haec enumeratio nimium uitioſa, quoniam non duae, nec tres, nec quattuor res ſunt, quae hominem ad maleficium impellunt, ſed plures. reprehenditur igitur, cum defectus indicatur. LVXVRIES,] quae in gula, ueſtitu, & coitu dicitur. & de quolibet hic eſt ſermo. QVID *amor?*] Increpat huiuſmodi expoſitionem. Sane triplex eſt amor: Propter bonum, honeſtum, & hic numquam impellit homines ad malum: Propter bonum, & utile: Propter bonum, & delectabile. quae duo impellunt ad malum, de quibus nunc loquitur. AMBITIO?] honoris cupiditas. IRRELIGIO?] non colere deum, nec ſacra uenerari, ſed negligere. METVS *mortis?*] qui duplex eſt, & inſtantis periculi, & remoti. Per inſtans autem periculum magis mouemur ad maleficium & impellimur. IMPERII *cupiditas?*] delectabilis appetitus. ITEM *falſa enumeratio*] Aliud uitium, quod fit, cum enumerando ponimus ſuperfluum. Differt autem a ſuperiore, quod illud paucitatis eſt, hoc uero pluralitatis. In eo tamen cõueniunt, quod utrumque fit per enumerationem, cum dixerit, Duas res; & hic dicat, Tres res. Non uitio uertendum, quod iterum de enumeratione hic tractet. nam hic tractatur uitium partitionis, non enumerationis. quae partitio ab enumeratione differt: quia enumeratio ex particularibus negatiue collectis, infert poſitionem alterius particularis: at partitio ex partibus totum infert, ſi ſit iuſta. TRES *res ſunt,*] In hoc exemplo uitium eſt ἐν τῷ πλείονι in abundantia. aegritudo enim, & metus, & cupiditatis genus eſt. Hoc igitur, cum τὸ πλεῖον oſtenditur, reprehendi poteſt. SATIS *fuerat*] Reprehendit uitiũ, quod in eo aegritudo ſuperfluit. nam ſatis erat dixiſſe Metum, & Cupiditatem, quoniam Aegritudo dicitur animi ſolicitudo, quae cum metu concluditur, & cupiditate. QVONIAM *aegritudinem cum utraque re*] Hic partitionis uitium eſt, non enumerationis. nam hic genus ſpeciei commiſcetur, quod aegritudo genus ſit ad metum, & ad cupiditatem. Et eſſe partitionem uitioſam, ſatis ex Cicerone conſtat lib. II. de Finibus, poſt principium, cum dicit: uitioſum eſſe in diuidendo, partem in genere numerari; quo nomine taxat Epicurum. CVM *utraque re*: cum metu, & cupiditate: quae animi ſunt uitia.

V. VITIVM. XL

ITEM *uitioſa expoſitio eſt, quae nimium longe repetitur, hoc modo: Omnium malorum ſtultitia eſt mater, quae parit immenſas cupiditates: immenſae porro cupiditates, infinitae, & immoderatae ſunt: hae pariunt auaritiam: auaritia porro hominem ad quoduis maleficium impellit: igitur auaritia inducti aduerſarij noſtri hoc in ſe facinus admiſerunt. Hic id, quod extremum dictum eſt, ſatis fuit exponere, ne Ennium, & ceteros poetas imitemur, quibus hoc modo loqui conceſſum eſt:*

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caeſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes:
Ne ue inde nauis inchoandae exordium
Cepiſſet, quae nunc nominatur nomine
Argo; qua uecti Argiui delecti uiri,
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis, imperio regis Peliae per dolum:
Nam numquã hera errans mea domo efferret pedẽ
Medea, animo aegra, amore ſaeuio ſaucia.

Nam hic ſatis erat dicere, (ſi id modo, quod eſſet ſatis, curaſſet poeta)

Vtinam ne hera errans mea domo efferret pedem
Medea, animo aegra, amore ſaeuio ſaucia.

Ergo hac quoque ab ultimo repetitione in expoſitionibus magnopere ſuperſedendum eſt. non enim reprehenſione eget, ſicut aliae complures, ſed ſua ſponte uitioſa eſt.

EXPLANATIO

QVINCTVM uitium eſt ἀπ' αἰτίων, cum cauſſae nimium longe repetuntur. Id etiam duplex eſt. Vel enim cauſſae remotae, omiſsis proximis, hoc eſt, non uerae pro ueris ponuntur: id, quod & uitioſiſsimum eſt, & intolerabile. uel remotae cum proximis, & coniunctis coniunguntur, quod ſunt uerae. Hoc non perinde uitioſum eſt, ut illud: itaque illo cum poetae, tum philoſophi uti poſſunt. Hi enim, cum perfecta demonſtratione opus habent, Sorite utuntur, in qua coaceruatio, atque repetitio fieri ſolet ultimorum principiorum: ut in hoc exemplo, Omnium malorum ſtultitia eſt mater. &c. & multis aliis animaduertitur. Poetae uero, cum ita loquuntur, perſonarum decorum obſeruant. Neque ancilla aliter loqui poteſt. ut in hoc exemplo Ennij loquitur, quia cauſſarum imperita eſt.

HIC *id, quod extremum dictum eſt,*] Sed non ne hoc argumentum alio etiam uitio laborat, etiam ſi ceſſet praeſens uitium? Nam hic ad omnes confertur, quod non eſt neceſſario uerum, in omnibus ſcilicet auaritia hominem ad quoduis maleficium impellit, haec non eſt neceſſario uera, & tamen reus ex ea impellitur. Videndum igitur, quod non ſit tutum haerere primo uitio. ad quod nec hic aduerterat. *Extremum*: ſcilicet, inducti auaritia. NE *Ennium, & ceteros poetas*] Conceſſum eſt, quia aliquando, & ſaepenumero ex perſona aliorum, quos inducunt, non ex perſona propria loquuntur, ut in hoc ſequenti exemplo, ubi ancilla Medeae conqueritur: & eo tantum nomine abeſt a uitio, ut etiam arti detur, inducere ancillam loqui, ut ancillam. *Ne Ennium, & ceteros poetas*: quibus licentia poetica id datum eſt facere. VTINAM *ne in nemore Pelio*] Nota eſt fabula Iaſonis, quem cum patruus Pelia rex Theſſaliae ſub ſpe interitus Colchos miſiſſet, ut aureum uellus illuc cuſtoditum reportaret, naui Pelio monte fabricata, cum aliis heroibus cum ad locum perueniſſet, auxilio Medeae filiae regis Colchorum, quae Iaſonem amauerat, aureum uellus obtinuit: quam & abduxit, nec tamen ei fidem ſeruauit. Quod apud hunc poetam Ennium, ancilla Medeae conqueſta eſt, & ab alto orſa in culpã uocat Pelion montem, ex quo nauis heroum fabricata fuerat. Legendus Ouidius in VII. Metamorphoſeon, & in duodecima epiſtola Heroidum. *Vtinam &c.*: Exemplum Ennij, qui inducit quandam ancillam, deplorantem fugam Medeae cum Iaſone. in qua re ſatis fuerit, eam conqueri amorem Medeae in Iaſonem, & remotionem praetermittere, & nimium longam repetitionem. *Pelio*: iuſſu Pelij, qui Iaſonis patruus fuit. Hic, cum timeret eiici de regno a nepote Iaſone, omnibus modis clam eius mortem meditabatur, quare orauit Iaſonem, ut proficiſceretur ad uellus aureum rapiendum, ſperans numquam inde eum reuerſurum, quoniam erat ei pugnandum cum dracone, ſi uellus aureum cuperet adipiſci, quod obſeruabat draco. factum eſt igitur opera Medeae, quae Iaſonem uiſum arſit, ut, ſopito dracone medicamentis Medeae, uellus aureum Iaſon conſequeretur. ABIEGNA] ex abiete arbore, ad naues conficiendas, propter ſuam leuitatem, accommodata, inde ex trabibus abiegnis. EXORDIVM] principium. ARGO,] uel quod prima apud Graecos inuenta eſt, uel a celeritate, uel ab inuentore Argo Colchis, unde fuit Medea. PER *dolum*:] nam cupiebat Pelius nepotẽ illic ab dracone occiſum iri. HIC *ſatis*] Increpat uitium, demonſtrans, unde fuerat inchoandum. nam ſatis erat dicere, Vtinam &c. ERGO] Concludit, deinde occurrit quaeſtioni, ibi, Non enim &c. Nunc itaque praecipit ſuperſedendum eſſe, ab huiuſmodi repetitione remota, & quae fit ab ultimo, ſicut a praedictis uitiis. AB *ultimo*] incipientibus a nimis remoto ſuperſedendum, abſiſtendum, cauendum. NON *enim reprehenſione eget,*] Hoc dicit propter primam diuiſionem argumentationum uitioſarum: quarum quaedam pertinent ad cauſſam, quaedam uero non pertinent. quae refutare non eſt neceſſe, quoniam ſua ſponte uitioſa ſunt. *Non enim*: Occurrit quaeſtioni. nam dicit, huiuſmodi expoſitionem, quae fit a remoto, non debere reprehendi a nobis, ſicut aliae. nam, cum ſit uitioſa per ſe, eius increpatio eſt manifeſta: iccirco non oportet increpari. *Reprehenſione*: nam poetae ſua utuntur licentia. Horatius: Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas. ALIAE *complures,*] praedictae. SVA *ſponte*] per ſe.

VITIOSA. RATIO. XLI

VITIOSA ratio eſt, quae ad expoſitionem non eſt accommodata uel propter infirmitatem, uel propter uanitatem. Infirma ratio eſt, quae non neceſsario oſtendit ita eſse, quemadmodum expoſitum eſt: uelut apud Plautum:

Amicum caſtigare ob meritam noxiam,
Immane eſt facinus, uerum in aetate utile,
Et conducibile:-

Haec expoſitio eſt. uideamus, quae ratio afferatur.

-Nam ego amico hodie meum
Concaſtigabo pro commerita noxia.

Ex eo, quod ipſe facturus eſt, non ex eo, quod fieri conuenit, utile quid ſit, ratiocinatur. Vana ratio eſt, quae ex falſa cauſsa conſtat, hoc modo: Amor fugiendus non eſt: nam ex eo ueriſſima naſcitur amicitia. Aut hoc modo: Philoſophia eſt uitanda: affert enim ſocordiam, atque deſidiam. Nam hae rationes niſi falſae eſsent, expoſitiones quoque earum ueras eſſe confiteremur.

EXPLANATIO

QVINQVE ſunt rationis uitia.

Primum eſt, cum ratio non eſt ſufficiens, ideſt, non accommodata ad expoſitionem, uel propter infirmitatem, uel propter uanitatem. Infirma eſt, quae non poteſt neceſſario concludere; eſt enim ἀσυλλόγιστος: ut,

Amicum caſtigare ob meritam noxiam
Immane eſt facinus, uerum in aetate utile,
Et conducibile:- Sequitur ratio:
-Nam ego amicum hodie meum
Concaſtigabo pro commerita noxia.

Haec ratio ideo eſt infirma, & ἀσυλλόγιστος, quod ex puris particularibus nihil ſequitur. Huiuſmodi etiam illa eſt Horatij lib. I. od. 22. Namque me ſilua lupus in Sabina, &c. Vana, ψευδὴς eſt ratio, quae non eſt perpetua, atque uera; ideſt, ut hic inquit, Quae ex falſa cauſſa conſtat. ut, Poetica in rep. ferenda non eſt, quoniã etiam Plato non tulit. Plato enim eos poetas eiecit, qui non ſui meminere muneris: hoc eſt, qui neque Deum auctorẽ tanti muneris celebrarunt, nec uirtutem docuerunt, ſed rebus turpibus carmina ſua impleuerunt. Differunt haec duo uitia inter ſe, ueritate, atque falſitate. Primum enim, tametſi ἀσυλλόγιστον eſt, nec concluſionẽ efficit: tamen uerum eſt. alterum autem falſum eſt, etiam ſi ex eo aliquid concludatur. In primo igitur conceditur propoſitio, ratio uero negatur: in altero negatur utraque propoſitio, ratio uero negatur: in altero negatur utraque propoſitio, atque ratio. Quoniam enim ratio falſa eſt, expoſitionem etiam falſam eſſe neceſſe eſt.

VITIOSA *ratio*] Exſecutis uitiis expoſitionis, nunc exſequitur uitia rationis. Ceterum, etſi haec uitia ex ceteris partibus orationis poſsint inueniri, tamen, quoniam frequentius inueniuntur in ratione, adſcribuntur ei, quod pro ratione inducitur. Sciendum eſt, plura inueniri uitia in propoſitione, quam ſint ea, quae antea expoſuit. nam uitia ipſa propoſitionis poſuit, quae fiunt uel affirmando, uel negando, uel diuidendo, uel repetendo, uel ultimo principio. inueniuntur & alia plura. uerum, quoniam frequentius uſitata ſunt, & ſaepius inueniuntur in propoſitione, ea enumerauit uitia, cetera uero, quae rarius inueniuntur, tacuit. *Ratio*: hic dicitur argumentum, quod adducitur ad probandum propoſitum. eſt autem ratio uitioſa duabus de cauſsis, uel propter infirmitatem, cum ea debilis eſt ad probandum, nec ſufficiens, uel propter uanitatem, cum id, quod adducitur ad probandum, falſum eſt, iccirco non ualet ad probandum. AD *expoſitionem non eſt accommodata,*] non conuenit cum propoſitione, ideſt expoſitione. per quod intelligimus, duo eſſe uitia in generali ratione. INFIRMA *ratio eſt,*] declarat membra, & proponit uitia rationis per infirmitatem, uel per uanitatem. tertio cedit ad uitia infirmitatis. NON *neceſsario*] non ſufficienter, ad probandum quod expoſitum eſt. Neceſsitatem hic appellat ſufficientiam. alias enim probabiles orationes, quas, inducunt oratores, infirmas concedi neceſſe eſt. quoniam non neceſſario probant. AMICVM *caſtigare*] Exemplum ponit rationis infirmae, ſumptum a Plauto. OB *meritam malam noxam,*] commiſſum peccatum. IMMANE *eſt facinus,*] Immune, legendum, ex Feſto. ideſt, improbum. Eſt locus in Trinummo. NAM *ego amicum hodie, &c.*] Senſus eſt: Quamuis aliquando in aetate profectiori conducibile ſit caſtigare amicum, non tamẽ ſemper, utpote quod ſit immane facinus. Et, quare hoc? nam ego amicum pro noxia non caſtigaui. quaſi diceret: non eſt ſemper utile, quia ego amicum non caſtigo: uolens ex ſuo facto, quid ſit utile, uel non ſit, cõprobare. Vnde dicit: Ex eo, quod facturus, non ex eo, quod fieri conuenit, utile quid ſit, ratiocinatur. Eſt enim uitioſa ratio, quae leuior eſt, quam exigat propoſitionis amplitudo. Rerum publicarum ſtatus tunc erit ſecutus, ſi adſit concordia. habet enim concordia & in conuiuiis, & puellarum choris, ſuam laudem. HODIE] ſtatim. Sane huiuſmodi ratio fit ab opinione, quae & ueritatem in ſe habere poteſt, & falſitatem. quare increpanda eſt, tum quod particularis, tum quod iure propria nemo debet iudicare in re propria, tum quod ea fit ab opinione. EX *eo*] Increpat rationem, quoniam uitioſa eſt, eoq. ratiocinatur, ideſt adducit rationem, quid ſit utile, ex eo, quod ipſe eſt facturus, non ex eo, quod conuenit fieri. nam ratio debet eſſe communis, & uniuerſalis, ſed haec eſt particularis. Sane ea bona fuiſſet ratio, quae non debet corrigi. AMICVM] dum adhuc feruet ira. nam eo magis irritaret. quae ratio eſt communis omnibus iratis. VANA *ratio*] Docet, quae ſit uitioſa ratio propter falſitatem. Ponit igitur primo uitium, ſecundo exemplum, tertio increpat.

Ex

Ex *falſa cauſſa conſtat,*] Sane Ratio, & Cauſſa, cum eaedem res eſſe uideantur, tamẽ Cauſſa ad plura ſe habet, quam Ratio. Cauſſa enim ſe habet ad impulſiuam, & ad rationalem cauſſam. Nam *ex eo*] Haec eſt ratio, quae falſa eſt. nam dicit, Ex amore naſci uerißimam amicitiam, immo inimicitias. quoniam hic intelligitur de amore propter utile, & delectabile. quod ſi de honeſto, uera eſſet propoſitio, & ratio. Philosophia *eſt uitanda.*] Tela eſt argumentationis, ab oppoſitis. quam ſic detexe: Niſi falſae eſſent rationes, hae expoſitiones quoque uerae eſſent. nunc, quia propoſitiones uerae ſunt, falſae igitur rationes.

II. VITIVM. XLI

I*TEM infirma ratio eſt, quae non neceſſariam cauſſam affert expoſitionis: uelut Pacuuius:*
Fortunam inſanam eſſe, & caecam, & brutam perhibent philoſophi,
Saxoq. inſtare globoſo praedicant uolubili:
Ideoque, quo ſaxum impulerit fors, eo cadere fortunam autumant.
Caecam ob eam rem eſſe iterant, quia nihil cernat quo ſeſe applicet:
Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabilisq. ſit:
Brutã, quia dignum, atque indignũ nequeat internoſcere.
Sunt autem alij philoſophi, qui contra fortuna negant
Materiam eſſe ullam, ſed temeritate omnia regi. id magis
Veriſimile aiunt, quod uſus reapſe experiundo edocet.
Velut Oreſtes modo fuit rex, modo mendicus factus eſt:
Naufragio res contigit. nempe ergo haud fortuna obtigit.
Nam hic Pacuuius infirma ratione utitur, cum ait, uerius eſſe temeritate, quam fortuna res regi. nam utraque opinione philoſophorum fieri potuit, ut is, qui rex fuiſſet, mendicus factus eſſet.

EXPLANATIO

ALTERVM Rationis uitium eſt, cum cauſſa expoſitionis non eſt neceſſaria, ſed in utramque partem concludit. Habet hoc cum primo commune, quod eſt ἀσυλλόγιστος: differt ab eo, quod in illo unum, in hoc uero contraria concluduntur. Vt cum illo Iuuenalis uerſu,

Si Fortuna uolet, fies de rhetore conſul:
Si uolet haec eadem, fies de conſule rhetor.

Et Claudianus, contra Rufinum:

Saepe mihi dubiam traxit ſententia mentem, &c.

Item *infirma ratio eſt,*] Cum docuerit, quid ſit Infirma ratio, quid Vana, cuius uanae rationis ſpecies cum expoſuerit, hic enumerat ſpecies infirmae rationis, quae complures habet ſpecies. Non *neceſſariam*] non ſufficientem. Quod uitium ſi quis obiiciat eſſe ſupra commemoratum, reſpondetur illud fuiſſe particulare; hoc uero commune, quod accommodatur diuerſis iam expoſitione poſitis. Velvt] Exemplum infirmae rationis; ab Oreſte, qui, cum rex fuiſſet, ad ſummam decidit calamitatem, & inopiam. quo caſu nonnulli philoſophi uolunt probare, omnia caſu accidere. quae opinionem primo ponit, deinde aliorum philoſophorum ſententias. quod exemplum aeque ualet ad probandum contrarium, & ad probandum id, propter quod inducitur, ut probetur. Insanam,] quae hominibus uenit indifferenter, & dignis, & indignis. Caecam,] quae ſe adiungit aeque malo, & bono, non cernens. Brvtam] dignum enim, & indignum adit. Temeritate] inconſideratione. Reapse] reipſa. cum Oreſtes ex rege per naufragium factus ſit mendicus. Edocet exemplo ſui. Senſus eſt: Si quis uult tentare hoc ita eſſe, per uſum poteſt experiri. Nam *hic Pacuuius*] Parum referebat, fortuna ne regeretur, an temeritate: cum utraque caeca ſit, & bruta. Ceterum ſignificatur hic elegans differentia inter Fortunam, & Temeritatem. Nam Fortuna ducit, uel trahit; Temeritas factum praeſtat, uel complet. Ducimur in pericula fortuna, Experimur pericula temeritate. Tu uide, hoc uitium eſſe frequentiſsimum. ut non neceſſarias, immo nec probabiles rationes ſubnectam. ut, ſi dicas: Morales diſciplinas eſſe diſcendas, faciunt enim ciuilem. Sic quidam arguit alium, qui dicebat, Iuſtiniani editionẽ merito uituperari, quod ἀναλφάβητος eſſet. hoc quid impellit, cum per ſuos aſſeſſores iura dirigere poterat. Vtraqve *opinione*] & eorum philoſophorum, qui dixerunt, omnia fortuna regi; & eorum, qui dixerunt, temeritate.

III. VITIVM. XLIII

I*TEM infirma ratio eſt, quae uidetur pro ratione afferri; ſed idem dicit, quod in expoſitione dictũ eſt, hoc modo: Magno malo eſt omnibus auaritia, iccirco quod hões magnis, & multis incõmodis conflictantur propter immenſam pecuniae cupiditatem. Nam hic aliis uerbis idem per rationem dicitur, quod dictum eſt per expoſitionem.*

EXPLANATIO

TERTIVM eſt principij repetitio, ut in Elenchis appellatur. Fit autem tribus modis. primum per eadem uerba, quae ταυτολογίαν dicitur: ut anima eſt immortalis, quia eſt immortalis. deinde κατ' ἰσοδυναμοῦντα, uerbis diuerſis; ſed idem ſignificantibus: ut, Recte agit, uita enim inocens & pura es. utrumque dubium eſt. poſtremo uerbis, & rebus diuerſis. atque illud erat, quod erat in quaeſtione: ut, Socratis anima immortalis eſt, quia hominis anima eſt immortalis. Hoc rurſus multis fit modis. aut enim genus aſſumitur du-

bium,aut totum,aut partes,aut uniuerſale,aut etiam aliud conſimiliter dubium,aut aliquid poſterius inuerſō, atque mutato ordine. Hoc uitium parunt curant Iuriſconſulti,non cum maxima laude. ſic in l. fin. ff. de off. proconſ. curatores Caeſaris ius deportandi non habent,quia huius poenae conſtituendae ius non habent. ſic in l. 2. §. mutui, ff. ſi certum petatur: Mutui datio conſiſtit in his rebus, quae numero, pondere, menſura conſiſtunt,quoniam earum datione poſſumus in creditis ire. ſic in l. quaeſitum,in fine,ff. de peculio,poſt tēpus actionis de dolo non poteſt dolus obiici,quia nec de dolo actio poſt tempus datur. Fit autem,cum idem dicimus in ratione,quod dictum in propoſitione. quod uitiū appellatur Identitas, ſiue Nugatio; quaedam,repetens idem,quoad rem,& uocabula; quaedam, quae repetit idem, quoad ſententiam, quae dicitur Redargutio. hic uero fit Nugatio. MAGNO *malo eſt omnibus auaritia,*] Exemplum idem, aliis uerbis. nam Auaritia,& Pecuniae cupiditas idem ſunt. quare,quod in propoſitione dictum eſt,adducit pro ratione. nam cum dicit, Propter immenſam pecuniae cupiditatem,definit auaritiam. Hoc uitium,ſi demas cōiunctionem cauſſalem,ideſt,Quia Quoniam,&c. faciet colorem rhetoricum,Expolitionem. Et erit elegans ſchema,quando idem ſermo uaria figura loquendi enunciatur, manente eodem ſenſu. quod eſt notatu dignum, cum alij non dxerint.

IV. VITIVM. XLIV

ITEM *infirma ratio eſt, quae minus idoneam,quam res poſtulat,cauſſam ſubiicit expoſitioni, hoc modo: utilis eſt ſapientia, propterea quod, qui ſapientes ſunt, pietatem colere conſueuerunt. Item utile eſt amicos ueros habere. habes enim; quibuſcum iocari poſſis. Nam huiuſmodi in rationibus non uniuerſali, neque abſoluta, ſed extenuata ratione expoſitio confirmatur.*

EXPLANATIO

QVARTVM eſt,cum ratio non eſt idonea. Eſt autem ratio non idonea, quae non eſt plena. Ea eſt, cum uel non id probat,ad quod adhibetur; uel non totū probat. Vt in Dialogis Luciani Ganymedes Mercurium interrogat,num etiam lac in caelo ſit. nam, ſi non ſit, ſe adſcenſurum negat. Mercurius reſpondet,nectar,& ambroſia eum eſſe habiturum. Sed hoc loco Lucianus decorum obſeruauit, dum infirma ratione Mercurius apud puerum utitur. Alioqui neque nectar ibi eſt, nec ambroſia: tametſi id a poetis fingatur.Verſatur igitur in duobus. primum eſt,cum id,quod eſt maximum,non ponitur; alterum,cum non omnia ponuntur,quae in expoſitione ſunt propoſita. EXPOSITIONI,] Propoſitioni. VTILIS *eſt ſapientia, &c.*] Tu dato alia exempla. Vineas eradicandas eſſe puto, quod ebrietas ſit grande uitium. Vel ſic; Naues eſſe delendas,quia ex eis piratae praedantur. Hoc modo argumentatur D. Auguſtinus, & recitatur in c. de occidendis, 22. q. 3. ubi per multa exempla notat hoc uitium. IOCARI *poſſis.*] propter alia,& utiliora inuenti ſunt amici,quam per iocum: utpote qui tuis ſuccurrant neceſsitatibus. NAM *huiuſmodi*] increpat praedictas rationes. NON *uniuerſali,*] μὴ ἀντιςρόφῳ: debet enim ratio cum ipſa propoſitione conuerti; ut omnia,quae in hac comprehenſa ſunt,exponat. quae non reſpicit omnes partes expoſitionis,ut de ſapientia,quam ille dicit eſſe utilem, propterea quod ſapientes conſueuerunt colere pietatem. neque plura expoſuit ſapientiae commoda,quae longe plura ſunt. ABSOLVTA,] perfecta. EXTENVATA] infirma, & minus ſufficienti ratione.

V. VITIVM. XLV

ITEM *infirma ratio eſt, quae uel alij expoſitioni poteſt accommodari, ut facit Pacuuius, qui eandem affert rationem, quare caeca; eandem, quare bruta fortuna dicitur.*

EXPLANATIO

QVINCTVM eſt Rationis uitium,cum eſt κοινὴ πολλῶν προθέσεων,quae multis propoſitionibus accommodari poteſt. Dicitur hoc uitium improprium,quoniam ratio eſt communis.ut,Iuriſprudētia eſt diſcenda: facit enim diuites. Ratio communis eſt: nam id etiam medicina facit. iuxta illud Diſtichon:

Dat Galienus opus: fuluum dat Bartolus aurum:
Plato pedes, peditem ducit Ariſtotelem.

Hoc uitium eſt,ſi dices: Laudandam eſſe Rhetoricem,eminentia nominis,quia per eam perſuademus. At & puella perſuadere poteſt,& hiſtrio. quod uitium annotauit Quinctilianus lib. II. circa definitionem Rhetorices. Tu adde textum uitium, non abſimilis formae: cum id,quod pluribus commune eſt,uni praecipue uitio datur: Quo uitio lapſus eſt quidam,qui Iuſtiniano ideo dicam ſcripſerat,quod purpuram ſuam adorari iuſsit. At hoc,cum ſit omnibus Imperatoribus commune,ut paſsim edocetur in libris Codicis,inepte ſoli Iuſtiniano uitio uertitur. Ergo uitioſa eſt ratio ſimpliciter: tum, quia impertinens: item, uana, ideſt falſa: deinde,non neceſſaria: quarto,cum ratio idem eſt cum dicto: & praeterea,ſi ſit minus accommoda: ſexto, ſi ſit uulgaris: & nouiſsime,ſi a communi uitio aliquis criminetur. Nec dubitate,plura ex his coincidere nomina: tamen diſtinguuntur,ut res ſit clarior.

Item *infirma ratio*] Vltimum uitium infirmae rationis, quae ſit, cum idem adducitur ad duo oppoſita probanda continue. Caeca;] quae nihil cernat, quo ſeſe applicet. Brvta] quae dignum, atque indignum nequeat internoſcere. nam eadem ratio affertur, quare ſit caeca, & quare bruta fortuna.

CONFIRMATIO. RATIONIS VITIOSA. XLVI

In confirmatione rationis multa uitanda in noſtra, & obſeruanda in aduerſariorum ratione ſunt uitia, propterea q. diligentius conſideranda ſunt, quod accurata confirmatio rationis totam uehementiſſime comprobat argumentationem.

Vtuntur igitur ſtudioſi in confirmanda ratione duplici concluſione, hoc modo:

Iniuria abs te afficior indigna, pater.
Nam, ſi improbum Chreſphontem exiſtimaueras;
Cur me huic locabas nuptiis? ſin eſt probus,
Cur talem inuitam inuitum cogis linquere?

Quae hoc modo concludentur, aut ex contrario conuertentur, aut ex ſimplici parte reprehendentur: ex contrario hoc modo:

Nulla te indigna, nata, afficio iniuria.
Si probus eſt, bene locaui: ſin autem eſt improbus,
Diuortio te liberabo incommodis.

Ex ſimplici parte reprehendentur, ſi ex duplici concluſione alterutra pars diluitur, hoc modo:

Nam ſi improbum Chreſphontem exiſtimaueras,
Cur me huic locabas nuptiis? Duxi probum,
Erraui, poſt cognoui, & fugio cognitum.

Ergo reprehenſio huius concluſionis duplex eſt: acutior illa ſuperior, facilior haec poſterior ad excogitandum.

EXPLANATIO

In confirmatione Rationis duo ſunt conſideranda: primum, ut in noſtra ratione uitemus uitia, deinde eadem in aduerſariorum ratione obſeruemus: idq. eo diligentius, quod accurata cõfirmatio rationis totam uehementiſsime comprobat argumentationem. Pluribus enim haec, & firmioribus rationem argumentis comprobat: ideoq. etiam plura de ea dat praecepta, in qua diligenter ſeſe exercere utile eſt. plura enim eius ſunt uitia. Primum eſt dilemmatis, in quo uitium eſt, cum uel utraque pars, uel altera tantum deprehenditur. Hic duplicem uocat concluſionem, quia partes habet duas: duas nempe propoſitiones, ac totidem redditiones, quas concluſionem uocant. Cum pars utraque reprehenditur, ἀντίϛροφον δίλημμα uocatur. quoniam ex contrario conuertitur, & in aduerſarium retorquetur. ut hoc in exemplo, pater filiae dilemma in ipſam conuertit. Hoc cum fit, uitioſiſsimum eſt dilemma. Cum pars altera reprehenditur, ex ſimplici parte reprehendi dicitur: ſiue prima, ſiue altera reprehendatur. Vtriuſque hoc in loco exempla ponit. Αντίϛροφον δίλημμα oſtendit eſſe acutius, ideo maior in illo locus eſt: poſterius autem, ad excogitandum facilius.

In *confirmatione &c.* Hactenus demonſtratum eſt, quae uitia ſint in expoſitione, quae in expoſitionis ratione. nunc docet, quae uitia incidant in rationis confirmatione. Haec autem uitia tametſi in ceteris partibus incidant orationis, tamen, quod in hac parte frequentius argumentationis incidunt, iccirco in primis huic parti adſcribuntur. Sciendum, quod in hac parte facit prooemium, quod in ceteris partibus minus eſt factũ, eo quod haec pars inter alias obtinet principatum, quippe quae ceteras corroborat partes, & plures continet rationes. iccirco plura uitia poſſunt in ea fieri. quare diligentius eſt tractanda. quo in prooemio captat beneuolentiam a re ipſa, cum dicit, quod accurata confirmatio rationis totam comprobat argumentationem. Mvlta] eo quod plura argumenta in ea ſunt, quam in ceteris partibus. Vitanda *in noſtra,*] ne incidamus in ea. Observanda *in aduerſ.*] conſideranda, ut ea poſsimus reprehendere. Diligentivs] quam expoſitio, & ratio accurata cum ingenti cura, & diligentia, facta ſine uitio, & labe, comprobat, confirmat, & corroborat. Argvmentationem.] argumentum, & omnes partes argumentationum. quod cum maxime Complexio ſolita ſit facere, & hunc locum obtinere, iccirco docer ſtatim de uitioſa complexione. Vtvntvr] quod pollicitus eſt, exſequitur. ſcilicet, uitia declarando in rationis confirmatione. Stvdiosi] ſtudio dediti. nam & Studioſus nonnumquam pro ſedulo, & diligentia accipitur. Dvplici *concluſione,*] confirmatione rationis. Inivria *abs te afficior indigna, pater.*] Poterant olim de uetuſtiori iuris prudentia patres matrimonia filiarum ſeparare, etiam inuitis filiabus. Sed Marcus Imperator, uir optimus, Philoſophus dictus, prohibuit huiuſmodi ſeparationes, coercuit patriam poteſtatem, niſi ex magna, & euidenti cauſſa; l. diſſentientis, C. de repudiis. Ceterum uideamus, ne non ſit tuta haec reprehenſio, quam eludet filia alio dilemmate. Aut enim ſciuiſti Chreſphontem improbum, aut ignoraſti. Si ſciuiſti, impius es, qui me ei locaſti. ſi ignoraſti, in culpa es, in tam ardua re non prouidendo ea, quae neceſſaria fuerant. nec potes dicere, erraui: iſte enim error non mihi, ſed tibi nocere debebit. Igitur haec dilemmatis diſſolutio tuta non uidetur. Sic in iure ciuili propter dilemma artificioſiſsimum diſſolutione. Ceterum textum, ut ſolent Iuriſconſulti. Textus putatur difficillimus omnium iuris ciuilis, in l. rationes, §. ſi filio, ff. ad legem Falcidiam, qui §. plenus eſt rhetorico artificio. nam illic arguunt dilemmate legatarij: Aut ſubſtitutus filio deducet quartam legatorũ ex perſona ſua, & non poteſt, quia eam prius habet: aut ex pupilli perſona, & non poteſt, quia nec ipſe pupillus poſsit. Sed e regione ſubſtitutus egregie diſſoluit, inuerſione rhetorica, quam iam tractamus: nempe conuerſis prohibitionibus. dicit enim: Aut ex perſona pupilli ſoluenda ſunt mihi legata, & deduco quartam, cum legata proprie me onerent: aut ex perſona mea ſunt ſoluenda, & iterum deduco quartam, cum legata pupilli me grauent.

grauent. Haec latius habentur in gloſſa in dicto §. Eius farinae eſt argumentum Protagorae contra Euathlum. qui, cum eum docendum ſuſcepiſſet, pepigerunt mercedem poſt primam cauſſam, quam Euathlus obtineret. Euathlus noluit cauſſas agere, ut fruſtraretur Protagoram. Quo nomine conuentus Euathlus a Protagora, ſic urgetur ab eo: Aut uinces, aut uinceris. ſi uinces, dabis mercedem ex pacto; ſi uinceris, dabis mercedem ex ſententia. E regione Euathlus pari argumentatione iugulum praebet: Diſce, magiſter, neutro loco tibi debeti. aut enim uinco, & defendor ſententia: aut uincor, & defendor pacto. Iſtae ſunt argutae diſſolutiones, quibus dilemmata repelluntur. ſed Euathli diſſolutio uitium habet, ut ſtatim dicam. Ergo, ut in ſumma habeatis, quo pacto poſsit complexiui argumenti iugulum auerti: primo aduertendum eſt, ut hic dicit, ſi uitium in utraque parte ſit, uel in altera, extra textum uidendum eſt, ſi altera pars poſsit diſtinctione tolli. ut fecit Auguſtinus libro de Ordine: Aut ſtultum adibis, aut ſapientem. ſtultus non docet uitare ſtultitiã: ſapiens non intelligit. Hanc ultimam partem diſtinguite. Res enim dupliciter intelligitur, aut ex diſtantia, aut ex communione. Priori loco ſapiens intelligit ſtultitiam, ſicut fortis timorem, ſicut uidemus tenebras. Si poſteriori loco, ideſt communione, tunc ſapiens non intelligit ſtultitiam, quia nihil commune habet cũ ea. tunc etiam diluetur dilemma, ſi in alium finem alteram ex partibus abflectas. Sic Euathlo praebetur iugulũ, cum colligit: Aut uinco, & nihil debebo ex ſententia: aut uincor, & nihil debebo ex pacto. Hic poſterior pars poteſt adflecti in alium finem. Sic enim dicet Protagoras: Si uinceris, agam contra te ex ſententia, quia uictus es, non ex pacto. nec mihi obiicies pactum, quod nihil commune habet cum ſententia. Poteſt & diſſolui hoc argumentum; ſi perpendas naturam, alternatiue, an ex contrariis mediatis pugnet: quia tunc facile eluditur, neutrum inferendo. Qua diſſolutione infinita dilemmata, quae colorem habent, infirmabuntur, & quidem non difficile. Et denique Cicero in orationibus non ſemel ex contrariis mediatis hoc argumentum contexuit, & maxime pro Quinctio. Item, ſi uim partium complexionis aequiuoces. Poteſt & diſſolui dilemma, ſi utraſque partes partitione concordemus: ut, Aut inſanire fas eſt, aut non. ſi fas eſt, cur non omnes inſanimus; ſi non eſt, cur tu inſanis. Diſſolue ex ea partitione: quia aliquando inſanire conceditur, aliquando non conceditur. Et tandem diſſoluitur dilemma, ſi ratio, in quam partes complexionis fundantur, poſsit alia ratione expurgari. ut, cum accuſas hunc reum, aut enim ueretur, & probus eſt: aut non ueretur, & nihil proficit accuſatio. Hic dices: Immo eo magis accuſandus eſt, quia eius inuerecundia coercebitur, aut probitas ex accuſatione augebitur. Cicero aliter diſſoluit. Hae ſunt cautelae, & effugia, quibus hoc urgens argumentum uitatur. *Iniuria abs te*: Ponit exemplum, ſumptum ab Ennio, qui inducit filia de patre querentẽ, quod eam a uiro ſeiungere conabatur. Et haec complexio duo habet membra. Subaudienda eſt propoſitio, hoc modo: Non recte facis, pater. Ratio: Iniuria, abs te. NAM, *ſi*] Hic rationis confirmatio eſt per duplicem concluſionem. Senſus eſt; Aut probum, aut improbum Chreſphontem exiſtimabas. Et hic eſt prima concluſio. SIN *eſt probus*,] Alia concluſio, quae hoc modo docet confutari huiuſcemodi complexiones. QVAE] concluſiones. CONCLVDENTVR,] confutabuntur. CONVERTENTVR,] conuertendo confutabuntur, dirigentur. SIMPLICI] ideſt, una. EX *ſimplici*] hic docet, unam tantum partem concluſionum confutare. ALTERVTRA] ſiue una, ſiue altera. DIVIDITVR,] confutatur. ACVTIOR *illa ſuperior*,] Primus modus reprehendendi, in quo reprobat has reprehenſiones. HAEC *poſterior*] Secundus modus.

CONFIRMATIONIS. VITIVM. XLVII

ITEM *uitioſa eſt confirmatio rationis, cum ea re, quae plura ſignificat, abutimur pro certo unius rei ſigno, hoc modo: Neceſſe eſt, quoniam pallet, aegrotaſſe: aut neceſſe eſt peperiſſe, quoniam ſuſtinet puerum infantem. Nam haec ſua ſponte certa ſigna non habent, ſi non cetera quoque ſimilia concurrunt: quod ſi concurrerint, non nihil huiuſmodi ſigna adaugent ſuſpicionem.*

EXPLANATIO

ALTERVM in Confirmatione rationis uitium eſt, cum ea re, hoc eſt σημείῳ, quod plura ſignificat, abutimur pro certo: cum id adducitur ad probandum, quod pluribus poſsit adaptari. quod uitium dicitur Exceſſus, quod excedit rationem uocabuli. VNIVS *rei ſigno*: τεκμηρίῳ. Talia ſunt ἐνθυμήματα, atque συλλογισμοὶ in ſecunda figura, in qua alteram praemiſſarum negatiuam eſſe oportet. NECESSE *eſt*,] Quicumque diu aegrotauit, pallet: Hic pallet, ergo aegrotauit. Vitioſe concluditur. primum enim in ipſa forma peccatur, quia in ſecunda figura negando omnia efficiuntur. Vaga igitur eſt concluſio, ſi ambae propoſitiones affirmatione informentur. Deinde etiam in materia uitium eſt. pallor enim commune eſt multarum rerum ſignum: morbi, defatigationis, amoris, metus, ſtudiorum, inediae: quae, niſi conglobentur, infirma erunt. Eodem modo de altero etiam exemplo iudicandum eſt: non enim quia infantem ſuſtinet, ideo eam peperiſſe neceſſe eſt: ſed quia uterum geſsit, quia lac habet, &c. Quamobrem praecipit huiuſmodi ſigna accumulanda eſſe: quoniam ſua natura firma non ſunt, ſi non etiam cetera concurrant. quod ſi concurrerint, non nihil huiuſmodi ſigna adaugent. *Neceſſe eſt*: Exemplum huius uitioſae confirmationis. cuius talis erit propoſitio: Tu fuiſti aegrotus, quia habes ſigna aegroti. Confirmatio rationis eſt in littera. Rationis confirmatio uitioſa eſt. quoniam & timentes, & amantes quoque pallent. Vnde: Palleat omnis amans. Eodem modo: Tu peperiſti. Ratio, Quia habes ſigna puerperae. Confirmatio, quia ſuſtines infantem. Quae uitioſa eſt.

quoniam

quoniam & uirgines quoque ſuſtinent infantes. Nam *haec*] increpat huiuſmodi confirmationes. Sva *ſponte*] per ſe, niſi alia concurrunt ſigna. Certa] uera. Vt, Palles, imbecillis es. quae ſigna certe ſunt agrotantis, & eſſe macilentum magis ſolito. Non nihil] ualde.

III : VITIVM. XLIIX

Item uitioſum eſt, cum uel in alium, uel in eum ipſum, qui dicit, id, quod in aduerſarium dicitur, poteſt conuenire, hoc modo: Miſeri ſunt, qui uxorem ducunt: at tu duxiſti alteram.

EXPLANATIO

Tertivm eſt, cum uel in alium nobis amicum, uel eum ipſum, qui dicit, id, quod in aduerſarium dicitur, poteſt conuenire. Eſt igitur hoc uitium non in ueritate, ſed in offenſione: id enim cauere debemus, ne etiam nobis, aut noſtris noceamus. Dicitur Communitas. Convenire,] adaptari. Talis erit propoſitio, Tu es miſer. Ratio, Nam, quae miſera ſunt, facis. Confirmatio, Miſeri ſunt, qui uxores ducunt. Cui aduerſarius reſpondet, At tu duxiſti alteram. & ſic attributum eſt ſibi, quod dixerat in aduerſarium. Alteram.] ſecundam, non modo unam.

IV. VITIVM. XLIX

Item uitioſum eſt id, quod uulgarem habet defenſionem, hoc modo: Iracundia inductus peccauit, aut adoleſcentia, aut amore. Huiuſcemodi enim deprecationes ſi probabuntur, impune maxima peccata dilabentur.

EXPLANATIO

Qvartvm eſt, quod uulgarem, hoc eſt infirmam defenſionem habet, cum uitium purgamus uitio: neque ἀδίκημα, ſed ἁμάρτημα factum eſſe concedimus. Fieri ſolet in deprecationibus. Et dicitur Vulgaritas.

Vvlgarem] utilem. Iracvndia] uitium permanens, perpetuum, in corde. Ira, temporarium, caſu naſcitur. Talis eſt propoſitio, Hic peccauit, ſed excuſandus eſt. Ratio, Quia id fraude non fecit. Confirmatio, Nam fecit per iracundiam, per adoleſcentiam, per amorem. Hvivsmodi] Oſtendit cauſſam huius uitij: ſed habet tamen in ſtatu ueniali locum, in quo deprecatione reus clementiam iudicis quaerit. Increpat hanc rationis confirmationem. nam, ſi per hanc confirmationem rationis homines impune ferrent delicta, in maxima dilaberemur peccata. Deprecationes] depulſiones. nam ab ſe amouent peccata. Probabvntvr,] laudabuntur, admittentur. Impvne] ſine poena. Dilabentvr.] incurrent. ſubaudi, homines.

V. VITIVM. L

Item uitioſum eſt, cum id pro certo ſumitur, quod inter omnes non conſtat, quia etiam nunc in controuerſia eſt, hoc modo: Eho tu, dij, quibus eſt poteſtas motus ſuperum, atque inferum,
Pacem inter ſeſe conciliant, conferunt concordiam.
Nam ita pro ſuo iure hoc exemplo uſum Chreſphontem Ennius induxit, quaſi iam ſatis, certis rationibus ita eſſe demonſtraſſet.

EXPLANATIO

Qvinctvm in Rationis confirmatione uitium eſt, quando non eſt probata ab omnibus, ſed tantum a quibuſdam. Sunt autem uaria τῶν ἐνδόξων apud Ariſtotelem genera. uel enim omnibus aliquid uidetur eſſe, uel maiori parti, uel meliori. Apud oratores autem maxime uitioſum eſt, ſi quid nō probatur omnibus; quoniam illi populo loquuntur. Ideoq. huiuſmodi Chreſphontis ratio de deorum pace, ac concordia, imbecillis eſt: quia non poetae ſolum, ſed etiam Socratici, diſcordes deos, & bella inter illos fingunt: & alios aliis fauere, aut aduerſari ſtatuunt. Fit, cum rem maxime dubiam adducimus ad alterius rei probationem. Vt de Chreſphonte: qui, cum hortaretur ſocerum ſuum ad pacem, concordiamq. ſecum faciendam, adduxit pro rationis confirmatione, deos eſſe inter ſe concordes. quod cum ſit a nobis longe remotum, non ita oculis noſtris patet. Cvm *id pro certo ſumitur, &c.*] Cum argumentum ſit ratio rei dubiae faciens fidem, & argumentis conſtet confirmatio rationis, uitioſe ſupponitur pro certo argumento, de quo adhuc controuertitur. *Pro certo*: pro re uera. In *controuerſia eſt,*] Sic Horatius: Et adhuc ſub iudice lis eſt. Eho *tu,*] aduerbium hortantis. Alloquitur ſocerum Chreſphon. Talis erit propoſitio, Debes mecum in gratia redire. Ratio, Nā debes imitari deos. Confirmatio rationis, Pacem inter ſe conciliant, ideſt componunt. Conferunt] faciunt. Nam *pro ſuo iure*] Increpat hanc confirmationem certis uerbis, & firmis.

VI. VITIVM. LI

ITem uitioſum eſt, quod iam quaſi ſero, atque acto negotio dici uidetur, hoc modo: *In mentem mihi ſi ueniſſet, Quirites, non commiſiſſem, ut hunc in locum ueniret: nam hoc aut hoc feciſſem: ſed me tum haec ratio fugit.*

EXPLANATIO

SExtvm eſt, quod eſt intempeſtiuum, quia quaſi iam ſero, & peracto negotio dici uidetur. cum ſero alicui rei prouidemus: Vt, ſi quis id parti ſuae adducit adiumentum, poſt iudicium. quae dicitur Sera probatio. Quamobrem idoneum non eſt ad rem praeſentem defendendam. Dubitari de hoc exemplo poſſet, propoſitio ne, an ratio, ſiue eiuſdem confirmatio ſit: ſed, eſſe rationis confirmationem, facile apparet. Qvod *iam quaſi ſero,*] Haec ratio non tam eſt uitioſa, quam nugatoria, dicere, Prouiſurus eram, ſi ſciuiſſem. Seneca dicebat, Non eſſe ſapientis dicere, Non arbitrabar hoc futurum. Hinc illud Prouerbium, Sero ſapiunt Phryges. In rebus tamen gerendis dixerat Brutus ad Romanos, Satius eſſe ſero fieri, quam numquam. Et, Turpe eſt dicere, Non putaram, Ex Demoſthene ſumptum. Acto *negotio*] perfecto, peracto, Dici] ut probet. In *mentem ſi &c.*] Exemplum de eo, qui quendam obſeruabat locum, ne hoſtes per eum irrumperent in agrum Romanorum. quem locum cum deſeruiſſet, hoſtes ingreſsi populati ſunt agrum. accuſatus, defendit ſe per huiuſmodi confirmationem rationis. Et erit talis propoſitio: Non debeo puniri. Ratio, Quia conſulto non peccaui. Confirmatio, Si in mentem &c. Quod uitium dicitur Ignorantia. Tvm] cum peccaui. Haec *ratio fugit.*] neſciui hanc uiam, & modum, quem nunc ſcio.

VII. VITIVM. LII

ITem *uitioſum eſt, cum id, quod in aperto delicto poſitum eſt, tamen aliqua leui tegitur defenſione, hoc modo:*

Cum te expetebant omnes, florentiſſimo
Regno, reliqui: nunc deſertum ab omnibus
Summo periculo ſola ut reſtituam paro.

EXPLANATIO

SEptimvm eſt, impar, ſiue inaequale: cum peccatum manifeſtum eſt, & magnum: defenſio uero leuis eſt, & impar. Vtitur hac defenſione Dauus apud Pamphilum: ita enim hic inquit:

P. Ehodum, bone uir, quid ais? uiden' me conſiliis tuis
Miſerum impeditum eſſe? D. At iam expediam. P. Expedies? D. Certe, Pamphile.

Item ſcena ſequenti:

Hac non ſucceſsit, alia aggrediemur uia. &c.

Leuis eſt defenſio manifeſti delicti, quoniam promiſsio illa impar eſt priori conſilio, quo eum in nuptias inſperatas coniecit. Idem de exemplo hoc ſentiendum eſt, quod ex poeta ueteri ſumptum eſt. Differt hoc a quarto, quod illud plerumque eſt malorum, & rationes infirmas, & malas habet: in hoc uero etiam uiri boni poſſunt incurrere, ut ſe ratione inaequali defendant. Exemplum eſt, de quodam principe, qui, cum fuiſſet ab hoſtibus profligatus, & regno eiectus, ab omnibus & amicis, & ſeruis derelictus eſt. inter quos unum inuenit, quem accuſat non recte feciſſe, quod eum deſeruerit. Talis eſſet propoſitio: Si peccaui, tuum eſt ignoſcere. Ratio, Nam ego te deſerui, quando omnes te ſequebantur. nunc, quando ſolus es, paro, ut reſtituam te in regnum. haec eſt rationis confirmatio. quod uitium dicitur defenſionis leuitas. Cvm *id, quod in aperto delicto,*] Manifeſtum delictum uelle contegere, non tam uitium eſt, quam ſtultitia. ut, ſi dicas: Praeceptorem deſerui, cum ab eo ſaluberrimas hauſerim doctrinas: iam uero reponam delictum, quando doctrinarum ſuarum non plus egeo. Quis credet hoc? nemo. Item aliud exemplum: Rectorem in magiſtratu poſitum offendi, nunc uero priuatum tuebor. Nemo haec credit. Tegitvr] defenditur, ſcilicet delictum. Cvm *te*] Exemplum. Expetebant] honorabant, & cupiebant. Florentiſſimo] opulentiſsimo. Svmmo *periculo*] in ſummo tuo periculo. quod uitium differt a quarto. nam hic aliquo modo tegere uidetur, quamuis leuiter; illic uero minime. Reſtitvtam] in regnum.

IIX. VITIVM. LIII

ITem *ui:ioſum eſt, quod in aliam partem, ac dictum ſit, poteſt accipi. id eſt huiuſmodi, ut ſi quis potens, ac factioſus in concione dixerit: Satius eſt uti regibus, quam malis legibus. Nam hoc, tametſi rei arguendae cauſſa poteſt ſine malitia dici, tamen, propter potentiam eius, qui dicit, non dicitur ſine atroci ſuſpicione.*

EXPLANATIO

OCtavvm eſt, quod aliorſum poteſt accipi. id uariis modis fieri ſolet. primum, propter offenſionem aliorum, ut in hoc exemplo: deinde, propter ridiculum: tertio, obiurgandi cauſſa. Propoſitio eſt: Reip. ſtatum mutandum eſſe cenſeo. Ratio, Nullus enim ordo facit officium ſuum. Rationis confirmatio,

Satius eſt uti regibus, quam malis legibus. Haec, tametſi uera eſt, & πολιτική, tamen, quia affectatae tyrannidis ſuſpicionem affert, odioſa eſt: praeſertim, ſi is ſit potens, quid id dixerit. ITEM *uitioſum*] Aliud uitium, quod fit, cum id bona mente dicatur, & ſine malitia, facit tamen eum ſuſpectum, qui dicit. QVOD *in aliam partem, ac dictum ſit,*] Hoc uitium, praeterquam quod culpam habet, non quidem ſimplicem, ſed praeſumptã, non etiam periculo caret. quod experti ſunt Vitellij, nobiles Romani, & filij Bruti, cupientes potius ſub regibus eſſe, quam ſub ſenatoriis legibus. poſt factam conſpirationem, ad unum omnes caeſi ſunt. quapropter periculoſum eſt, ſtudia ſequi, ideſt factiones. Sic olim Caeſar Iulius, etiam ſi ſane conſuluerat, de coniuratis nõ eſſe ſupplicium mortis ſumendum: tamen, quia factioſus, ſuſpectus erat. Simili ſtudio laborabat Scipio Naſica, dum conſuluit, Carthaginem non eſſe delendam: quamuis optimo conſilio diceret. Quapropter caueat, quiſquis eſt in rep. ſi ſuſpectus eſt de ſtudiis, ne ad ſpeciem quidquam conſulat. Quid, ſi aliquis fauorem ciuium habeat, & alteri reip. conſulat, pacem eſſe ſequendam: qua non ſuſpicione laborabit? FACTIOSVS] coniurator. NAM *hoc*] Increpat huiuſmodi confirmationem ſuſpicione, ut uelit rex fieri, propter potentiam, & factionem.

IX. VITIVM. LIV

ITEM uitioſum eſt, falſis, aut uulgaribus definitionibus uti. Falſae ſunt huiuſmodi, ſi quis dicat iniuriam eſſe nullam, niſi quae expulſatione, aut conuicio conſtet. Vulgares ſunt, quae nihilominus in aliam rem transferri poſſunt, ut ſi quis dicat, quadruplator, ut breuiter deſcribam, capitalis eſt: eſt enim improbus, & peſtifer ciuis. Nam nihilo magis quadruplatoris, quam furis, quam ſicarij, ut proditoris attulit definitionem.

EXPLANATIO

SVPERIORA oratoria fuerunt, quoniam ad perſonas pertinent: hoc uero dialecticum eſt, de definitionibus uitioſis, quarum praecepta ex Sophiſticis elenchis ſumpta ſunt. Duo autem genera ponit definitionum uitioſarum: unum falſum, alterum uulgare. Falſae ſunt, quae in quantitate peccant: id enim plenum eſſe aſſeuerant, quod non eſt plenum: ut, Iniuria eſt, quae expulſatione, aut conuicio conſtat. Falſa eſt ἐλλιπής: nam & damno, & rapina, & furto iniuria conſtat. Vulgares ſunt, quae quia aliis etiam rebus accommodari poſſunt, nimium ſunt communes. ut, Omnis quadruplator eiiciendus eſt e rep. Ratio, Eſt enim capitalis: ideſt, capitale eſt, quadruplatorem eſſe. Confirmatio rationis per definitionem. Eſt enim improbus, & peſtifer ciuis. Nimis eſt communis definitio, cum fures, adulteri, feneratores, latrones non minus ſint peſtiferi. Falſae igitur nimis ſunt arctae, nec uere conueniunt definito, & ideo etiam mendacium habent: uulgares nimis ſunt amplae, & communes. FALSIS, *aut uulgaribus definitionibus*] Sic, ſi deſcriberes, Rhetoricam eſſe artem, quae doctos faciat. In hoc uidetur Philoſophus deliquiſſe, in Rhetorici, ſpart. 39. cum dicit: Improbat auferre leges, eſt remp. beneficiis donare. Quae definitio ideo uulgaris eſt, quia aliis conuenit. quod, moliri opera publica, donare diuitias, uiro ſapientes, eſt remp. beneficio donare. Ceterum hoc uitium non eſt fugiendum Oratori, maxime in uiolentis definitionibus. Hoc genere defenſionis perſtrinxit quidam Iuſtinianum, quod diceret eum improbum, quia pateretur ſe diuum appellari. nam, quis ex imperatoribus hoc nõ paſſus eſt? INIVRIAM *nullam eſſe,*] Haec eſt falſa definitio. nam complura ſunt iniuriarum genera. Eſt enim quoddam genus, quod Contumelia uocatur. Eſt Rapina, & Dehoneſtatio ſuorum animorum. PVLSATIONE,] uerberatione. QVADRVPLATOR,] is eſt, qui propter ſumma flagitia in quadruplum debet puniri; uel qui pecuniam quadruplo feneratur. CAPITALIS *eſt.*] capitis puniendus. NAM *nihilomagis*] Increpat huiuſmodi confirmationem. nam talis definitio poteſt & adſcribi, furi, ſicario, proditori.

X. VITIVM. LV

ITEM uitioſum eſt, pro argumento ſumere quod in diſquiſitionem poſitum eſt: ut ſi quis, quem furti arguat, dicat eum eſſe hominem improbum, auarum, fraudulentum: ei rei teſtimonium eſſe, quod ſibi furtum fecerit.

EXPLANATIO

DECIMVM uitium eſt, τὸ ἐν ἀρχῇ, ut ab Ariſtotele dicitur, repetitio principij: ἢ τὸ ζητούμενον ἀντὶ τοῦ μέσου. Ariſtoteles τὸ προκείμενον appellat: id eſt, quod in diſquiſitione eſt poſitum. Repetitur autem principium uel per eadem uerba, uel idem fere ſignificantibus, uel uerbis, & rebus diuerſis. Hoc etiam ſupra inter uitioſas rationes habuimus. Nulla exempla in ſcriptis ſophiſtarum colligi poſſunt.

ITEM *uitioſum*] Aliud uitium, cum id, quod in quaeſtione eſt, adducitur ad probandum, quod non deberet adduci, donec probatum eſſet. Differt autem ab illo, quod adduxit Chreſphon, quod in in illo omnes dubitant, in hoc non omnes, ſed multi. Dicitur hoc uitium probandi repetitio. PRO *argumento ſumere, quod in diſquiſitione poſitum*] Hoc uitium probe conferas cum uitio ſuperiore: niſi quod ſuperius ſupponitur in antecedente certa ratio, quae adhuc fluctuat; hic autem in probationem antecedentis, pro conſequenti idem illud, quod controuertitur, pro ratione ſumitur. ut, Improbus es, crucem meruiſti, quia furtum feciſti. At hoc eſt in controuerſia. Hic ſi dicatur, Puniam te, quia ſtatuta non ſeruaſti: ſtatim dices: Doce me ſtatuta non

ſeruaſſe,& poſtea arguito. *Pro argumento*: pro eo,quod uolumus,id quod intendimus probare. In *diſquiſitione*: in quaeſtione. nam multi ſunt auari,improbi,fraudulenti, qui propterea non ſunt arguendi furti. Ergo uitioſum eſt, quia,etſi quis hoc ſuſpicatur, tamen dubium eſt.

XI. VITIVM. LVI

*I*TEM *uitioſum eſt, controuerſiam controuerſia diſſoluere, hoc modo: Non conuenit cenſores iſtum nobis ſatisfacere, ex eo,quod ait ſe non potuiſſe adeſſe, ita ut iuratus fuerat: quod ſi ad exercitum non ueniſſet, id ne tribuno militum diceret? hoc ideo uitioſum eſt, quia non expedita, aut iudicata res, ſed impedita, & in ſimili controuerſia poſita exempli loco profertur.*

EXPLANATIO

POTEST hoc uitium cum proximo coniũgi: & utrumque ſub principij repetitione comprehendi. Nam etiam hic parem aeque dubiam,diuerſam tamen,res dubia,hoc eſt quaeſtio,probatur.

CONTROVERSIAM *controuerſia diſſoluere*:] Nam finge quendam iuratum uenire ad cenſores, ſi uocaretur. is uocatus non uenit. accuſatus periurij,reſpondet, Non ueni, quia non potui. nam,ſi tribuno militum iuraſſem me affore in commeatus die,& non ueniſſem,nulla alia excuſatione tuerer,quam quia uenire non potui. Et ſic accumulatur abſurdum abſurdo. quia utrobique eſt inepta reſponſio, nullius rei. Quid, ſi forte tribunus hanc reſponſionem non accipiet? an cenſor accipiet? non. Dicitur innouatio controuerſiae. SATISFACERE,] ſe excuſare.

HOC *ideo*] Oſtendit cauſſam uitij. neque enim dubium eſt,& in eadem controuerſia poſitum: an ita ſeſe apud tribunum militum defendere licuiſſet,ut apud cenſores.

XII. VITIVM. LVII

*I*TEM *uitioſum eſt,cum id,de quo ſumma controuerſia eſt, parum expeditur, &, quaſi tranſactum ſit, relinquitur, hoc modo:*

Aperte fatur dictio, ſi intelligas:
Tali dari arma, qualis, qui geſſit, fuit,
Iubet, potiri ſi ſtudeamus Pergamo:
Quae ego profiteor eſſe mea. nã me aequum eſt frui
Fraternis armis, mihiq. adiudicarier,
Vel quod propinquus, uel quod uirtute aemulus.

EXPLANATIO

DVODECIMVM eſt, μὴ ἐπιμένειν ὅπου ἀνάγκη ἐπιμένειν. non enim in re, ſed in tractatione rei eſt poſitum. Duo ſunt dubiorum genera. unum,re uera: ut, Fui aegrotus,ideo uenire, ut iuraueram, non potui: id antequam probetur, re uera dubium eſt. alterum ignoratione,cum res non eſt ita tractata,atque expolita, ut poſsit intelligi. Contra hoc uitium,oratores pulcherrimo illo τῆς ἐπεξεργασίας, expolitionis ſchemate utuntur in iis rebus,quae res expolitionem,atque immorationem requirunt. Huius uenuſtiſsimum eſt exemplum in oratione pro Milone: ubi Cicero copioſiſsime docet,Clodium Miloni fuiſſe inſidiatum. Sunt autem res nõ ſolum fidei,& intelligentiae,ſed etiam memoriae,ac motus gratia ſaepe copioſius tractandae, atque repetendae. Cum igitur in rebus magis,ac grauibus non immoramur expoliendo, ſed quaſi tranſactas relinquimus, uitioſum eſt: quemadmodum ex hoc apparet exemplo ueteris poetae,in quo Aiax,id quod maxime expoliendum erat,arma fratris eſſe ſua,propter induſtriam ſuam,& res praeclare geſtas: paucisſimis uerbis proponit: rationem breuem reddit,eamq. breuiſsime confirmat διαιρέσει.

ITEM *uitioſum*] Aliud uitium,cum id,quod probari conueniat,non probatur,ſed quaſi probatur. CVM *id,de quo ſumma controuerſia eſt,*] Item uitioſum eſt,ſi id,in quo cardo cauſſae ſteterit,uel frigide, uel impertinenter,uel omnino non tuearis, quaſi id certum relinquas. Quod faciunt arguti diſceptatores. ſaepe enim rem,in qua cauſſae ſcopus ſtat,diſsimulant,non probant: uel probant frigide. Qui enim rem ambiguam fortius firmare contendit,is ſuſpendit mentem iudicis, & excitat ingenium aduerſarij. Cicero dat exemplum de Aiace,& Vlixe,dum diſceptarent ſuper armis Achillis. quam diſceptationẽ elegãter deſcribit Ouid.lib. XIII. Metamorph. Et certe,ſi uerum fateamur,haec cautela tantum abeſt a uitio,ut pro ſummo artificio habeatur, ſi ea utaris feliciter. RELINQVITVR] Quod exemplum eſt tale. Aiace petente arma Achilli,& Vlixe Calchanti conſulente,cui debeat arma dari,reſpondit Apollo,ea debere tali adſcribi,qualis fuit is,qui ea geſsit. cum uero Aiax ſe talem eſſe probare deberet,ait: APERTE *fuit dictio*: ideſt,ſententia, ſiue teſtamenti fratris,ſiue Apollinis,qui,conſultus,reſpondiſſe dicitur: illi danda eſſe arma, qui talis ſit,qualis,qui ea geſſerat, fuit. Hanc contentionem pulcherrime Ouidius lib. XIII. Metam. deſcripſit. ex cuius collatione hoc uitiũ clare proſpici poteſt. SI *intelligas,*] O Vlixes. Iubet ſcilicet oraculum,dari arma, talis, quali fuit is,qui geſsit,ideſt Achilles. SI *ſtudeamus Pergamo*:] potiri: ſi Troiam uelimus habere in noſtra poteſtate. QVAE] arma. PROFITEOR *eſſe mea.*] mihi debere adſcribi, talis erit propoſitio. Arma debent eſſe mea,ratio; Quia merui, rationis confirmatio. NAM *ne aequum*] uitium de inſufficientia. Eſt autem uitioſum,dicere,ſe eſſe eius fratrem,& ſimilem eius. quod tamen non probat. Frater enim dicitur fere alter. ac ſi dicat, ſum alter Achilles.

XIII. VITIVM. LIIX

Item uitioſum eſt, ipſum ſibi in ſua oratione diſſentire, & contra ea, quae ante dixerit, dicere hoc modo:

Qua cauſſa accuſem hunc, nequeo exputando euoluere.
Nam, ſi ueretur, quid eum accuſem, qui eſt probus?
Sin inuerecundum animi ingenium poſſidet,
Quid eum accuſem, qui id parui auditu exiſtimet?

Non incommoda ratione uidetur ſibi oſtendiſſe, quare non accuſaret. Quid, quod poſtea ait?

Nunc ego te ab ſummo iam detexam exordio.

EXPLANATIO

Decimvmtertivm uitium eſt, obliuiſci eorum, quae dixerit aliquis, & ſibi contraria dicere. In hoc uitio ſaepe errant imprudentes: ut, Fruſtra me laborare ſentio, iudices, in hoc accuſando. nam, ſi probus eſt, male ago, quod accuſem probum; ſin impotenti eſt animo, nihil proficiam: non enim inde erit melior. Sed detegam te, & tuis depingam coloribus, quam ſis impudens. Mox enim oblitus ſui, cum non incommoda ratione oſtendiſſet, cur eum accuſare nollet, contrarium ſe facturum eſſe oſtendit. Ita enim, ut Horatius inquit,

Dum uitant ſtulti uitia, in contraria currunt.

Eſt, cum primum, uel medium diſcrepat imo. Et dicitur Inconſtantia. nam, quod ſumit, numquam probat.

Qva *cauſſa*] Exemplum, de eo, qui probat ſe non debere familiarem ſuum reprehendere de uitiis. quia, ſi improbus eſt, non ueretur reprehenſionem, & tamen illius manifeſtat uitia. Exputando] argumentando. nam, Exputare, eſt, id extra putationem ponere. Evolvere.] manifeſtare. Veretvr,] uerecundatur. Ingenivm] naturam. Non *incommoda*] quia optime probauit, cur non debeat eum reprehendere, ſed in eo ſibi diſſentit, cum dicat, ſe manifeſtaturum omnia illius uitia. Ab *ſummo exordio.*] a principio. Summum dicimus primum. ut Infimum, ultimum. Detexam,] detegam.

XIV. VITIVM. LIX

Item uitioſum eſt, quod dicitur contra iudicis uoluntatem, aut eorum, qui audiunt, ſi aut partes, quibus illi ſtudent, aut homines, quos illi caros habent, laedantur; aut aliquo huiuſmodi uitio laeditur auditoris uoluntas.

EXPLANATIO

Decimvmqvartvm πρὸς τὴν λῆψιν, hoc eſt ad delectum, & ad ipſam iudicationem argumentorum pertinet, unde praeceptum eſt, Οὐ δεῖ λαμβάνειν, ἀλλ᾽ ἀποβάλλειν: non ſumenda illa argumenta, quae offenduntur, ſed reiicienda eſſe. Omne autem argumentum uel ad rem refertur, uel ad perſonam. quod ad rem refertur, ad quaeſtionem pertinet infinitam, docendi, ac probandi cauſſa: quae uero ad perſonam referuntur, finita ſunt, & uel laudandi, aut uituperandi; uel accuſandi, aut defendendi cauſſa adhibentur. In his igitur adhibenda oratori diligentia eſt, ne laedatur ab eo iudex odioſis rationibus. id enim maxime obſtat beneuolentiae. &, qui id faciũt, uitiorum ſuorum ipſi ſibi poena ſunt. Offenditur autem iudex, ſiue ij, quos ille ſibi aduocauit, ſiue ij, qui audiunt laudantem, aut conſulentem aliquid, uel per ſe, cum eius dignitas, auctoritas, aut exiſtimatio laeditur; uel per alios, cum laeduntur ij, quos ipſe defendit, aut caros habet. Id Cicero pro Milone, in Roſciana, & aliis in locis diligentiſsime cauit. Dicitur Offenſum.

Contra *iudicis uoluntatem*,] Meminit primum iudicis, quoniam adhuc in iudiciali uerſatur genere. Eorvm, *qui*] Hoc addit, propter demonſtratiuum, ac deliberatiuum genus. Illi] iudices. Stvdent,] fauent, amant.

XV. VITIVM. LX

Item uitioſum eſt, non omnes res confirmare, quas pollicitus ſis in expoſitione.

EXPLANATIO

Est hoc uitium priori contrarium, & ad ἐργασίαν pertinet: in illo ſunt quaedam omittenda, quia laedunt: in hoc reprehenduntur ea, quae omiſſa ſunt. Eſt igitur hic uitioſum, non omnes res, & quae partitus es membra, confirmare, quae pollicitus ſis in expoſitione, ſub artis tegmine. Expoſitio omnis duplex eſt. uel enim eſt ſimplex, uel multiplex. Simplex eſt, quae ut unius eſt rei, ita unica tantum confirmatione habet opus. Multiplex multas in ſe partes continet confirmandas. Cum igitur non confirmantur ea, quae in expoſitione es pollicitus, uitioſum eſt. Hoc ſi uitio ingenij facis; imperite te arguis: ſin ex propoſito, quia in altera parte nihil habes, quod firmes; ſi induſtria feceris, id pulchre praetereas. quo caſu, tutiſsimum eſt, in altero membro uel ad faſtidium morari, digredi, exornare, ut ita iudicis memoria, uni rei fixa, alterius partis obliuiſcatur. quod tamen nolo fieri, niſi cum iuſtitia.

Pollicitvs ſis]ut,ſi pollicitus ſum,me tribus rebus confirmaturum, & non fecero niſi duabus. Vocatur hoc uitium Imperfectio.

XVI. VITIVM. LXI.

Item uerendum eſt, ne de alia re dicatur, cum alia de re controuerſia ſit; inq. huiuſmodi uitio conſiderandum eſt, ne aut ad rem addatur quid, aut quippiam de re detrahatur, aut tota cauſſa mutata in aliam cauſſam deriuetur: uti apud Pacuuium Zethus cum Amphione; quorum controuerſia cum de muſica inducta ſit, diſputatio in ſapientiae rationem, & uirtutis utilitatem conſumitur.

EXPLANATIO

Decimvmsextvm uitium eſt, quod ab Ariſtotele uocatur τὸ μὴ ἐν θέσει, quod non eſt in controuerſia, nec ad eam pertinet. Semper enim τὸ πρόβλημα, ἢ τὸ ζήτημα reſpiciendum eſt. Verſatur hoc uitium in tribus. primum, ἐν τῷ προσθέσει, cum ad rem additur quippiam alienum: deinde, ἐν τῇ ἐλλείψει, cum quippiam de re detrahitur neceſſarium: tertio, ἐν τῇ παραλήψει καὶ μεταβολῇ, in praeteritione neceſſariorum, ac totius cauſſae in aliam mutatione. Aliena ponere, mediocre uitium eſt: nam & oratores nonnumquam κρυπτικῶς, occultandi cauſſa, huiuſmodi argumenta admiſcent. Vti non neceſſariis, ſaepe etiam oratoribus conceditur. ſunt exempla in Verrinis, & alibi. Sed, omittere neceſſaria, aut mutata cauſſa in aliam cauſſam deriuare orationem, id uitioſiſsimum eſſe ſolet. Vetuſtiſsimum eſt hac de re Martialis lib. VI. Epigramma, quod hic adſcribere, exempli gratia, uiſum eſt:

Non de ui, neque caede, nec ueneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc iudex ſibi poſtulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumq. bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Sullas, Marios, Mucioſque,
Magna uoce ſonas, manuq. tota,
Iam dic, Poſtume, de tribus capellis.

His igitur tribus modis in hoc uitium delabimur, quod eſt μὴ ὁρᾶν τὸ ἐν τῇ θέσει, non uidere id, quod ad quaeſtionem pertinet. Eſt igitur, cum de re certa controuertitur, diſputandoq. in alia extranea incidimus, quae ſunt extra controuerſiam. ut, ſi furem te criminetur, tu cauſſam commodati inſinues, ut ita, relicto furti crimine, cauſſa commodati diſcepteris. quod faciunt arguti Logici, qui diſputatione utũtur, tamquam equo deſultorio, ſi aduerſarius ſit improuidus. Hoc uitium ſupra caueri iuſſerat, cum uetuerat coeptam relinqui argumentationem, & incommode tranſire ad aliam. Datq. exemplum de Zetho, & Amphione fratribus: qui, cum diſceptaſſent de Muſica, inciderunt in certamen ſapientiae.

Inq. *huiuſmodi uitio*] Peccat, qui uel addit, uel minuit, uel deriuationem aliquam facit, quae propoſito nõ conueniat. nam, ſi ea conuenirent propoſito, non eſſent uitioſa. Indvcta] incepta. In *ſapientiae rationem*] quod notat uirtutem intellectualem. Virtvtis *utilitatem*] notat moralem. Consvmitvr] finitur.

XVII. VITIVM. LXII

Item conſiderandum eſt, ne aliud accuſatoris criminatio contineat, aliud defenſoris ratio purget: quod ſaepe conſulto multi ab reo faciunt, anguſtiis cauſſae coacti: uti ſi quis, cum accuſetur ambitu magiſtratum petiiſſe, ab imperatoribus ſaepenumero ſe apud exercitum donatum eſſe dicat. Hoc ſi diligenter in aduerſariorum oratione obſeruauerimus, ſaepe deprehẽdemus, & in huiuſmodi depre henſione oſtendemus eos, de ea re quid dicant, non habere.

EXPLANATIO

Decimvmseptimvm eſt, μὴ ὁρᾶν τοῦ ἐναντίου λόγου: non uidere aduerſarij criminationem. Recte ergo hoc uitium ſequitur. Praemittimus autem, atque diſsimulamus dicta aduerſariorum, uel prudentes; ut Demoſthenes, cõtra Aeſchinem, diſsimulato utilitatis capite, honeſtatem urget. huiuſmodi diſsimulatio magnam habet apud oratores laudem, praeſertim ſi ab aduerſario non animaduertatur. Quae enim, ut Quinctilianus inquit, dicendo refutare non poſſumus, quaſi faſtidiendo calcanda ſunt. Vel praeterimus imprudentes: idq. aut obliuione, aut ignorãtia, aut negligentia. Hoc maximopere uitioſum eſt. nam, quemadmodum gladiatores mali ſunt, qui uulnera ſolum cupiunt facere, ictus uero aliorum non repellunt: ita etiam oratores uitioſi ſunt, qui tantummodo aduerſarium criminantur, nec crimina ſibi obiecta refellunt. Videntur igitur huiuſmodi, cum de alliis ſit ſermo, de cepis reſpondere. Id uituperat Perſius etiam Satyra prima, cum inquit:

Nil ne pudet, capiti non poſſe pericula cano
Pellere, quin trepidum hoc optes audire decenter?

Fur es, ait Pedio: Pedius quid? crimina raſis

Libras in anthithetis, doctas poſuiſſe figuras Laudatur.

Praecipit igitur de hoc etiam uitio; primum, ut ipſi illud uitemus; deinde, ut in aduerſariorum hoc orationibus obſeruare, & reprehendere poſsimus. Contra obliuionem opus eſt memoria, quae non ſolum eſt naturae, ſed artis quoque: ut ordinem obſeruet orator, tam in ſententiis, atque uerbis, quam in totius orationis partibus. Non eſt enim minima oratoris uirtus, τακτικὸν εἶναι. Ignorantiam ſtudium, & doctrina tollunt. hoc uitio Cicero Caecilium, & Erutium laboraſſe oſtendit. Negligentiae diligẽtia eſt oppoſita, quam orator in cauſsis ſummam adhibere debet: ut in Diuinatione Cicero Caecilio oſtendit. Eſt igitur, cum criminatio accuſatoris aliud continet, quam ab reo, ideſt nomine rei reſpondeatur. ut, ſi furti accuſatus reſpondeat, fama ſe eſſe ubique cognitum, claris ortum natalibus, ſaepe laudatas res geſsiſſe, fuiſſe iudicibus utilitati. quod uitium callidi oratores frequenter uſurpant, propter anguſtam ab reo, ideſt a cauſſa rei defenſionem. Et in huiuſmodi communibus locis uerſatus, crimen defendere negliget. Facit id & Dauus Terentianus Simoni interroganti:

Quid iſtic tibi negotij eſt?

Da. Modo introiui. Si. Quaſi hoc te rogem. Da. Modo cum gnato una introiui.

Sed certe non eſt modicae induſtriae, apud rethores hos flexus feliciter quaerere, uel alia miſcendo, uel generalibus nitendo, ne capiaris. quod & hic ſignificatur, & ſaepiſsime obſeruatur.

PVRGET,] excuſet. CONSVLTO] cum deliberatione. AMBITV] ſcilicet, pecunia. MAGISTRATVM] dignitatem, DONATVM] muneribus ornatum. DE *ea re*] quam uolunt defendere. QVID *dicant*,] pro defenſione.

XIIX. VITIVM. LXIII

ITEM *uitioſum eſt, artem, aut ſcientiam, aut ſtudium quodpiam uituperare propter eorum uitia, qui in eo ſtudio ſunt: ueluti qui rhetoricam uituperant propter alicuius oratoris uituperandam uitam.*

EXPLANATIO

DECIMVMOCTAVVM eſt, cum res ipſa propter perſonam uituperatur. Eſt hoc uitium omnino ἀσυλλόγιστον, quoniam ex particulari concludit affirmatiue, id quod eſt contra dialecticorum praecepta. Non enim, quia oratores quidam mali ſunt, etiam dicendi ratio mala eſt: nec, quia iuriſconſulti quidam, & medici ſunt auari, iccirco etiam iuriſprudentia, & medicina uituperanda eſt. Pertinet autem hoc uitium ad coniugatorum locum, in quibus diligenter conſiderandum eſt, quae aliquid concludunt, quae uero minus: id uero in ipſa re, & materia animaduertitur. Vere enim dicitur: Si morbus malus eſt, etiam aegrotus eſt malum. Contra falſum eſt: Si nullus morbus eſt ſanitas, ergo nemo aegrotus poteſt conualeſcere. Vocatur hoc uitium apud Dialecticos Παραλογισμὸς accidentis. Refutat alicubi hoc uitium etiam Ptolemaeus, quod artes, propter eos, qui male his utuntur, aut inhoneſte uiuunt, uituperari minime debeant. Eſt igitur, ſcientiam, aut ſtudium uituperare, ſi quid in eis naeui inueniatur. Dicitur communis damnatio.

XIX. VITIVM. LXIV

ITEM *uitioſum eſt, eo, quod perperam factum eſſe conſtat, putare oſtendi a quo homine factum eſt, hoc modo: Mortuum deformatum, tumore praeditum, corpore decoloratum fuiſſe conſtat: ergo ueneno necatus eſt. Deinde, ſi ſit uſque adeo in eo occupatus, ut multi faciunt, uenenum datum, uitio non mediocri conflictetur. non enim, factum ne ſit quaeritur, ſed a quo factum ſit.*

EXPLANATIO

DECIMVMNONVM eſt, cum qualitas pro coniectura tractatur: ideoq. decimoſexto ſimile eſt. Nam etiã in hoc a re neceſſaria ad rem non neceſſariam digreditur: aut ſtatus cauſſae mutatur: ut cõtra Roſcium fecit Erutius, qui, relicta coniectura, qualitatem tractauit. Eſt igitur, Si reum criminis conuincere pergas, ex eo ſolo, quod euincis crimen eſſe commiſſum. nõ enim ſufficit, cõſtare de crimine, niſi & reus auctor criminis cõuincatur. eſt ergo nõ mediocris ſtultitia, dicere hoĩem eſſe enectũ ueneno, quod cadauer liuidũ ſit, pallidũ, deforme, & crimẽ Veneni uerbis attollere: de reo aũt, an is fecerit, nihil euincere. Appellatur uana cõmutatio.

EX *eo putare oſtendi*,] ideſt, demonſtrari auctorem facti, quod ad coniecturam pertinet, ex ipſa facti qualitate. *Ex eo, quod perperam factum eſſe conſtet, putare oſtendi*: ideſt, ex manifeſto delicto. Senſus eſt, Vitioſum, cum quis putat manifeſtum eſſe, reum ſciri, propter manifeſtum delictum, non propterea tamen declaratur, neque ſcitur, quis fecerit. Ergo uitioſum eſt, cum debeamus probare, a quo factum ſit, & probamus, quod manifeſtum eſt delictum: putantes, ſic eſſe manifeſtum, qui fecerit, ut delictũ conſtat eſſe factum. OSTENDI,] declarari. A. QVO *homine factum eſt*,] reo. MORTVVM] Si quis dicat, Tu hunc ueneno occidiſti: alter ſe occidiſſe neget: & ille omiſſa coniectura in oſtendenda corporis deformitate occupatus ſit, in hoc incurret uitiũ. VSQVE *adeo*] multum. VITIO *non mediocri*] aut magno, aut cũ magna malitia. NON *enim*,] Increpat, quoniã probat illũ fuiſſe uenenatũ, quod eſt manifeſtũ, cũ quaeritur, quis uenerauerit, nec id probet.

XX. VI-

XX. VITIVM. LXV

Item uitioſum eſt, in comparandis rebus alteram rem efferre, de altera mentionem non facere, aut negligentius diſputare: ut, ſi comparetur, utrum ſatius ſit populum frumentum accipere, an non accipere: quae commoda ſint in altera re, curet enumerare: quae in altera re incommoda ſint, uelut depreſſa praetereat, aut ea, quae minima ſunt, dicat.

EXPLANATIO

Vigesimvm eſt, comparatio uitioſa: quae fit, cum pars altera enunciationem habet copioſam, alterius uero commoda aut amittuntur, aut diſsimulantur. Pertinet igitur hoc etiam uitium ad tractationem: in qua rurſus eſt ſciendum, nos amplificare commoda noſtra, aduerſariorum uero aut diſsimulare, aut deprimere: idq. uel prudenter, quod eſt oratorum; uel imprudēter, quod eſt uitioſum. Facit hoc uitium neglecta propoſitio rerum comparatarum. ut, ſi dicas, ſatius eſſe ſtudere rhetoricae, quam iuribus: & alteram partem proſequaris, & taceas de altera. uerum in oppoſitis hoc non daretur uitio, quod eleganter dicit Iuriſconſultur; Probationem unius relucere alterius improbatione. in l. Qui accuſare, ff. de accuſationibus. in l. Iulia, ff. de teſtibus.

Efferre,] laudare. Negligentivs] minus accurate, quam debeat. Vt, *ſi*] Exemplum, ſumptum a cauſſa deliberatiua. Depressa] uilia, & abiecta, nec curanda. Alias, Deprehenſa; ideſt, cognita.

XXI. VITIVM. LXVI

Item uitioſum eſt, in rebus comparandis neceſſe putare alteram rem uituperari, cum alteram laudes: quod genus; ſi quaeratur, utris maior honor habendus ſit, Albenſibus, an Venuſinis, quod reip. & populo R. profuerunt; & is, qui dicat ab alteris, alteros laedat. non enim neceſſe eſt, ſi alteros praeponas, alteros uituperare. fieri enim poteſt, ut, cum alteros magis laudaris, aliquam alteris laudis partem attribuas, ne cupide pugnaſſe contra ueritatem puteris.

EXPLANATIO

Est hoc uitium cum ſuperiore coniunctum: Omnis comparatio uel eſt differentium rerum, uel contrariarum. Res differentes ſunt, quae aliquam in ſe habent ſimilitudinem: ut Iuriſprudentia, & Ars militaris, Artis nomine continentur: differunt tamen cum ipſa materia, tum etiam fine. Iuris enim prudentia leges docet, & in pace illa utimur: res uero militaris arma tractat, & in bello locum habet. Res contrariae ſunt, quae nihil habent commune, ſemperq. inter ſe ſunt oppoſitae: ut doctrina litterarum, & earum ignoratio. In differentibus comparatio quantitatis fit, non qualitatis: in contrariis alterum tantum laudatur, quod hic uituperat. Cum igitur res differentes ita comparantur, ac ſi eſſent contrariae, aut contra, uitioſum eſt. Eſt igitur, ſi pergas alterum praeferre alteri. ita, quod, cum hunc laudes, uituperes alterum. quod maximum eſt uitium, & non niſi illepidi hominis: cum omnis comparatio ultro ſit odioſa. Vocatur Inconſultum, & differt a ſuperiori, quod illud ſit in deliberatiuo, hoc in demonſtratiuo.

In *rebus comparandis alteram rem uituperari,*] Vetuſti moris erat, ſi forte carior fuerat annona Romae, ut ciues frumenta a ſenatu acciperent pro teſſera, oſtenſis teſſeris, ideſt, ſignis. quod cum Accurſius neſciret, in l. ſed & ſi, §. j. ff. de iudic. ridicule labitur. Ad hunc uetuſtum morem reſpicit. nam, cum ſenatus offerret largitionem frumenti populo, tribuni, oſores ſenatus, conuocato populo, in concione pollicebantur, ſe dicturos, utrum eſſet commodius, uel incommodius, accipere, uel non accipere frumentum. Iam enarrant incommoda: Si accipiant, quod ipſi ſeſe obligabunt ſenatui, uelut mancipia: deinceps non audebunt eis reſiſtere, tamquam corrupti muneribus. Tacent autem commoda, ex uerſuta malitia: quod populus, preſſus caritate annonae, uel inedia laborabit, uel peribit fame.

Fieri] abs te.

XXII. VITIVM. LXVII

Item uitioſum eſt, de nomine, & uocabulo eius rei controuerſiam ſtruere, quam rem conſuetudo poteſt optime iudicare: uelut Sulpicius, qui interceſſerat, ne exſules, quibus cauſſam dicere non licuiſſet, reducerentur: idem poſterius, immutata uoluntate, cum eandem legem ferret, aliam ſeſe ferre dicebat propter nominum commutationem: nam non exſules, ſed ui eiectos ſe reducere aiebat: perinde quaſi id fuiſſet in controuerſia, quo illi nomine appellarentur a populo R. aut perinde quaſi non omnes, quibus aqua & igni interdictum eſt, exſules appellentur. uerum illi fortaſſe ignoſcimus, ſi cum cauſſa fecit: nos tamen intelligamus uitioſum eſſe intendere controuerſiam propter nominum mutationem.

EXPLANATIO

POSTREMVM Confirmationis uitium eſt, conſentire rebus, uerbis autem diſcrepare. Fit hoc uel ignoratione, uel deſidia, uel occultandi gratia. Ignoratio excuſatur, cum nos in cauſſa non ſumus, ſed obſcuritas rerum: quam ſtudio, atque diligentia noſtra tollere non potuimus. Sic, tametſi non conſentiunt, tamen ignoſcendum eſt Stoicis, Academicis, ac Peripateticis, quoniam in inquiſitione ueri ſtrenue laborarunt. Deſidia excuſari minime poteſt: debet enim orator diligens eſſe, & cauſſam probe cognoſcere. Occultatio laudem habet ingenij, cum adiuuare cauſſam noſtram poteſt. Oratores enim uerum nonnumquam ex rebus falſis conantur elicere: quod cum fit, hac confirmatione, licet uitioſa ſit, uti poſſunt. Id hic in fine oſtendit, his uerbis: Verum illi fortaſſe ignoſcimus, ſi cum cauſſa fecit. Eſt igitur, ex uerborum mutatione naturam mutare controuerſiae. nam ſaepe contingit, ut diuerſa nomine eandem rem ſignificent. ut, ſi quis furem te accuſet: poſtea mutando, rem te amouiſſe cauſſetur. fatuitatis eſt, niſi in marito, & uxore. Sic Sulpicius tribunus, cum interceſsiſſet, nec lex de exſulibus prouocandis promulgaretur, ductus poſt poenitentia, forte donis corruptus, legem tulit, quod ui eiecti reuocarentur, ſoli uerborum immutationi nixus. Hoc eſt, quod nos in iure dicimus: Verba ſeruire oportere legibus, non leges uerbis.

CONSVETVDO] uſus. INTERCESSERAT] prohibuerat. CAVSSAM *dicere*] ſe defendere. REDVCERENTVR:] in urbem reuocarentur. IMMVTATA] hic auget praepoſitio.

HACTENVS de uitioſa Rationis confirmatione. Poſſunt autem eius uitia omnia ad tria redigi: ad omiſſionem rerum neceſſariarum, quae proprie ad cauſſam pertinent: ad poſitionem rerum leuium, quae uel falſae ſunt, uel uerae, ſed tamen offendunt: & ad tractationem, ut uel copioſe tractentur ea, quae paucis abſoluenda ſunt, aut contra: uel in argumentorum collocatione peccetur, cuius orator ſtudioſiſsimus eſſe debet.

VITIOSA. EXORNATIO. LXIIX

QVONIAM *exornatio conſtat ex ſimilibus, & exemplis, & amplificationibus, & iudicatis, & ceteris rebus, quae pertinent ad exaggerandã, & collocupletãdã argumentationem, quae ſint iis rebus uitia, conſideremus.*

EXPLANATIO

PARS quarta argumentationis eſt Exornatio, quae eſt id in oratione, quod in aedificiis eſt, quidquid nõ neceſsitatis, ſed ornatus tantum cauſſa fieri ſolet. Quamobrem etiam ab Hermogene Επεξεργασία, ideſt, ſecunda ſuperſtructio, & ab Ariſtotele Προσοικοδόμησις, ideſt aedificium ornatus gratia additum, μεταφορικῶς appellatur. Ait, eam poſitam eſſe in ſimilibus, exemplis, rebus iudicatis, & amplificationibus. Addit deinde: Et rebus ceteris, quoniam non ſolum iudicis ſententiam ſub iudicato comprehendimus, uerum etiam leges, ſcripta, & huiuſmodi. Poſſunt haec ad duo redigi: ad teſtimonia, & amplificationẽ. teſtimonia triplicia ſunt: rerum naturalium, quae ſimilia dicuntur: perſonarum, quae appellantur exempla: & orationis, quae res iudicatae uocantur. Amplificatio in partes quattuor diſtribuitur, Σωμάτισμόν, Διαίρεσιν, Σύγκρισιν, καὶ Αὔξησιν. Σωματισμὸς eſt, totus in ſua membra, aut partes, ſiue generis in ſpecies partitio. Διαίρεσις eſt, rerum diuerſarum ad eandem rem pertinentium diſtributio. Σύγκρισις eſt, maiorum, & minorum comparatio. Αὔξησις eſt, incrementum, cum res uerbis augetur grauioribus. Exornatio igitur uitioſa non alio nomine, quam ingenij diuitiis, felix eſt. Et omnino copiam ſumit ex ſimilibus, dum non ſint uitioſa. Habent autem uitium, ſi maior ſit rerum diſsimilitudo, quam ſimilitudo: ut ſaepe nocuit exquiſita interpretatio. nam & affectata nouitas placet. Modica eſt ſimilitudo inter interpretationem, & nouitatem, licet ambo ſint exquiſita. Porro & uitium habet, ſi ea ſimilitudine exornes, quae tibi noceat: ut Caeſar Iulius, ſi aerarium nulla ratione exhauriat, ea ſe tueatur, quod & ipſum hoc Pompeio fugiente fecerit. Item accuſatus adulterij, defendat, quod multas ſe uitiaſſe impune dicat.

EX *ſimilibus*,] Plurali numero dixit, quoniam duplex eſt Similitudo, Extrinſeca, & Intrinſeca. EXEMPLIS,] duplex enim Exemplum, facti & dicti. AMPLIFICATIONIBVS,] ut ex contrariis, maioribus, minoribus. IVDICATIS *rebus*, nam eae iudicantur a multis: ut a rege, ab imperatore, praetore, conſule, tribuno pl. iudice. EXAGGERANDAM,] quoad ornatum uerborum. COLLOCVPLETANDAM] quoad ſententias. Vel e contrario. IIS *rebus*] ſimili, exemplo, amplificationibus, iudicatis rebus.

NVNC, quae uitia ſint in ſingulis, conſiderandum eſt.

SIMILE. VITIOSVM. LXIX

SIMILE *uitioſum eſt, quod ex aliqua parte diſſimile eſt, nec habet parem rationem comparationis, aut ipſi obeſt, qui affert.*

EXPLANATIO

ΟΜΟΙΩΣΙΣ, Simile, eſt res differens ab alia re, natura tamen, & qualitate aliqua cum eadẽ conueniens. ut, canis nocturnus cuſtos, & accuſator forenſis, differunt ſpecie: quod alter brutum, alter rationalis eſt.

eſt. Conueniunt autem qualitate, quod, ut canis fures noctu ab aedibus arcet, ita accuſator forenſis ciues a rep. ſceleratos depellit. Ideo autem Simile dicitur, quod in aliquibus ab illa re, cui accommodatur, differt. ſi enim omnino cum illa conuenire, non ſimile, ſed idem diceretur. Duplex eſt illius uitium. Primum eſt, quod ex aliqua parte diſsimile eſt, nec parem rationem comparationis habet. ideſt, quod cum illa re, ad quam in comparando aſſumitur, non conuenit, ideoq. negari poteſt. Alterum eſt ἀντίςροφον, quoniam in eum ipſum, qui affert, retorqueri poteſt.

EXEMPLVM . VITIOSVM . LXX

EXEMPLVM *uitioſum eſt, ſi aut falſum eſt, ut reprehendatur; aut improbum, ut non ſit imitandum; aut maius, aut minus, quam res poſtulabit.*

EXPLANATIO

ΠΑΡΑΔΕΙΓΜΑ, exemplum uitioſum eſt, quod uel in ueritate, uel in honeſtate, uel in quantitate peccat. In ueritate peccat, quod falſum eſt: id ἀρρήσει refutatur. ut, In honeſtate, tametſi eſt uerum, tamen non eſt ſequendum. ut, ſi quis afferat exemplum Iulij Caeſaris, quo confirmare uelit, imperij gratia ius uiolari poſſe. In quantitate uero peecat, cum aut maius eſt, aut minus, id, quod exempli loco affertur, quam res poſtulabit. ut, Romulo licuit fratrem occidere, & Torquato filium, ergo etiam mihi. Huic priuato ignouiſtis, ergo etiam praetori dabitis ueniam. Eſt enim uitioſum, perſonam magnam cum inferiore, & humili conferre; aut contra, hanc cum illa. Exemplis inſtruitur, tamquam per latiores diuitias; quia, quod exemplo fit, id iure fieri creditur: dicit alicubi Cicero. Habent autem exempla uitium, ſi falſa ſint; ut, Conuiuandum nobis, & potandum eſt, nam & ſapientes id facere. Denique uitioſum eſt exemplum, ſi ſit improbum. ut, ſi praetori ſcortari liceat, quo modo non & nobis licuerit? Porro exempla uitium trahunt, ſi maius quiddam in exemplum trahatur; ut, Magiſtratus noſtri ſunt immunes a muneribus, iam nec ego ſubibo munera. Item, ſi minus ſit; ut, pueros nucibus ludere uidemus, quin nos non ea ſpecie ludimus?

FALSVM] ut reprehendatur, ideſt reprehendi poſsit propter falſitatem. cuiuſmodi multa reperiuntur. IMPROBVM,] ratione perſonae, uel rei: ut non ſit imitandum propter turpitudinem. cuiuſmodi ſunt uel dicta, uel facta. ut Thraſo apud Terentium: Qui minus ſeruiam Omphale. MAIVS,] ſi de rege id inducatur ad ſimilitudinem, cum tantum res agitur de ruſtico. MINVS,] ut, ſi de ruſtico id inducatur, cum tamen res agatur de rege. RES] de qua agitur, & materia.

RES . IVDICATA . LXXI

RES *iudicata uitioſe profertur, ſi aut diſſimili de re proferatur; aut de ea re, de qua controuerſia non eſt; aut ſi improba; aut eiuſmodi, ut aut plures, aut magis idoneae res iudicatae ab aduerſariis proferri poſſint. Item uitioſum eſt, quod in aduerſarij factum eſſe confiteantur, de eo argumentari, & planum facere factum eſſe: nam id tantum augeri oportet. Item uitioſum eſt, id augere, quod conuenit doceri, hoc modo: ut ſi quis quem arguat hominem occidiſſe, & ante quam ſatis idoneas argumentationes attulerit, augeat peccatum, & dicat nihil indignius eſſe, quam hominem occidere. non enim, utrum indignum ſit an non, ſed factum ne ſit, quaeritur.*

EXPLANATIO

RES iudicatae κρίσεις dicuntur a Graecis, ſub quibus comprehendimus, quidquid decretorum eſt: ut abſolutiones, condemnationes, ψηφίσματα, & huiuſmodi. Res iudicatae uitioſae proferuntur, cum uel ſunt diſsimiles, uel diuerſae, uel improbae, uel inferiores numero, uel tractatione uitioſae. Diſsimiles ſunt, quae, tametſi ſub eodem genere comprehenſae ſunt, tamen aliquam habent diſsimilitudinem, & diſsimili de re prolatae ſunt: ut fur, & ſacrilegus, uterque alienum abſtulit, ſed differunt ſpecie: quoniam alter priuatum abſtulit, alter rem ſacram. Diuerſae, ſiue alienae, remotae ſunt a iudicio: quia de ea re, de qua proferuntur, controuerſia non eſt. Hae non genere ſolum, ſed etiam ſpecie differunt: ut abſolutio furti, & exſulis in urbem reuocatio. Improbae ſunt, quae cum natura, ac honeſtate pugnant: ut, ſceleratum liberare in iudicio. Non enim, quia Verrem defendit Hortenſius, iccirco defendendus fur eſt. Numero inferiores ſunt, uel impares, cum res, raro facta, cum re ſaepius facta confertur. Tractatione uitioſae ſunt, cum ſtatus mutatur in alium: idq. fit dupliciter. Primum, cum, qualitate omiſſa, qualis res iudicata fuerit, honeſta ne, an utilis, orator totus eſt eſt in tractanda coniectura: & quod aduerſarij confitetur, planum facere ſtudet. Deinde contra, cum, omiſſa coniectura, qualitatem rei iudicatae oſtendimus: cum non, utrum indignũ ſit, ſed factum ne ſit, quaeratur.

Sumitur porro Exornatio a rebus iudicatis: quae res in uitium incidit, ſi ſit utrobique diſsimilitudo. Vt, ſi quis neget, probari minus, quam ſeptem teſtibus, exemplo ſumpto, quod nuper contra teſtamentum ſit iudicatum, quod ſeptem teſtibus caruerit. ſed teſtamenti cauſſa eſt diſsimilis, habet proprium uis. Item uitium habet res iudicata, ſi afferatur ſuper ea re, de qua non eſt controuerſia. Vt, ſi contendas, tibi legata deberi ex teſtamento non ſollemni, quod & aliis ſint legata ſoluta: tu dices, aliis non eſſe factam controuerſiam, tibi controuerſiam fieri. Simile eſt, ſi quis petat ſe furti abſolui, & afferat rem iudicatam a Lacedaemoniis, per quam

fures ſint abſoluti, nihil ad rem facit. quia apud Lacedaemonios furta non culpantur, non habent controuerſiam. Item uitium habet, ſi res afferatur improbe iudicata. ut, Clodius fuit criminis inceſtus abſolutus, longe plus ego adulterij abſoluar. Sed tu dices: corrupte eſſe abſolutum. qua defenſione ſaepe utitur Cicero in Verrinis, contra corruptos iudices. Item uitium habet, cum proferas rem iudicatam, ſi ab aduerſario in diuerſum plures aliae proferantur, ut, ſi contendas, unico teſti eſſe credendum, rem iudicatam proferendo, in qua ſuper uno teſte iudicatum eſt. Aduerſarius dicet, non eſſe hoc exemplum ſequendum: & plures alias res iudicatas producit, in quibus uni teſti non eſt creditum. Praeterea uitioſa eſt exornatio, ſi, quod confitetur aduerſarius, pergas argumētis planum facere, cum iam res ſit confeſſa. debet enim augeri potius exornando, quod confeſſum fuit, quam probari. Vt, Occidiſti Aiacem Vlixes. occidi. iam exornando uitioſe inferas, dicens: Ne ulla ſit criminis commiſsi latebra, ſignis, & coniecturis hoc oſtendam. Sed, quid attinet, cū ego rem confitear? Vltimo uitium eſt in exornatione, quod habuimus ſupra in Confirmatione rationis, uitio ſecundo: quando probatur, & augetur crimen, antequam conſtet de auctore criminis.

Res *iudicata*] Iudicatum eſt, cum de aliqua re primo dubia certa data ſit ſententia, quod idem dicimus Decretum. hoc autem uitium docet pluribus de cauſsis fieri, ſi diſsimili de re. Dissimili *de re*] ut, ſi proponatur de uno, cum ſit agendum de alio. Avt *de ea re, de qua controuerſia non eſt:*] ut, ſi, cum agi debeat de re dubia, agatur de certa. Avt *ſi improba,*] ut non ſit imitanda. quod genus eſt; ut, ſi quis de eo, quod pro iudicato adducit, & certo, non ſit lata ſententia; uel, ſi quis adduxerit, debere ſibi ignoſci, qui conſulto hominem occiderit. quoniam ignotum eſt ei, qui caſu hominem occiderit. Avt *eiuſmodi,*] ideſt, ſi plura iudicata ad commodum adduci potuerunt, nec ea adduxerimus. Plvres] contra illam, quam tu adducis ad propoſitum. Magis *idoneae*] ideſt, congruae, ſcilicet, ſufficientes, loco, & tempore. Item *uitioſum*] aliud uitium Exornationis, quod dicitur Superfluitas. quod probat id, quod iam patuit per conſenſum aduerſarij; quod pertinet ad amplificationem. Argvmentari,] argumentum adducere, quod id, de quo agimus, concedi debeat. Nam *id tantum augeri oportet.*] Reddit cauſſam, quare ſit uitioſum, quoniam nos argumentamus, cum augeri crimen oporteat. Item *uitioſum*] Aliud uitium, quod item Super Auitas nominatur. ſed differt a praecedenti, ex eo, quod illud probat, cum debeat augere. hoc autem auget, cum oporteat probare. Doceri,] probari. Vt, *ſi quis*] Ponit exemplum. Non *enim*] Increpat.

COMPLEXIO VITIOSA. LXXII

Complexio uitioſa eſt, quae non, ut quidque primum dictum eſt, primum complectitur, & quae non breuiter concludit, & quae non ex enumeratione certum, & conſtans aliquid reliquit; ut intelligatur quid propoſitum in argumentatione ſit, quid deinde ratione, quid confirmatione, quid tota argumentatione demonſtratum ſit.

EXPLANATIO

Pars poſtrema epicherematis, ideſt ſyllogiſmi oratorij, eſt Complexio, ſiue Concluſio, quam Ariſtoteles Συμπέρασμα appellat. Ea nihil eſt aliud, quam argumentationis terminus. Tria ſunt eius uitia: perturbatio, prolixitas, & obſcuritas. Concluſio perturbata eſt, quae non ſeruat ordinem argumentationis. Debet enim Complexio propoſitionem, rationem, rationis confirmationem, & exornationem repetendo comprehendere: quae perfectae argumentationis partes ſunt. Si igitur ordo inuertatur, nec repetantur ea, quae dicta ſunt, uitioſa erit complexio. Prolixitas eſt, cum nimis operoſe repetuntur ea, quae dicta ſunt. ea caueri poteſt, ſi in repetendo adhibebimus συντομίαν. Obſcuritas fit tribus modis: genere uerborum, cum ſententiae uerbis obſcurantur: enumeratione, cum plura, quam ſunt propoſita, enumeramus: omiſsione eorum, quae ſunt ad intelligendum neceſſaria. Eſt igitur Complexio uitioſa, quae male ex antecedentibus cohaeret, quae non ordine a principio propoſito complectitur, quae nimis eſt prolixa. His enim uitiis fit, ut nihil conſtans, nihil certum concludatur, non appareat, quid ſit in argumentatione propoſitum: quae ratio, quae confirmatio, quid exornatio auxerit.

Qvae *non id, quod primum dictum eſt,*] appellatur hoc uitium Inordinatio. Qvae *non breuiter*] appellatur Prolixitas. Certvm,] non dubium. Constans] quod non poſsit confutari. Dicitur Debilitas. Qvid *propoſitum in argumentatione ſit,*] quae ſit propoſitio argumentationis. nam ea eſt, per quam ſummatim oſtendimus, quid ſit, quod probare uolumus. Tota *argumentatione*] omnibus partibus argumentationis. quae ſunt quinque.

PERORATIO. LXXIII

Conclvsiones, *quae apud Graecos* ἐπίλογοι *nominantur, tripertitae ſunt: nam conſtant ex enumeratione, ampiificatione, & commiſeratione. In quattuor locis uti poſſumus concluſionibus: in principio, ſecundum narrationem, ſecundum firmiſſimam argumentationem, in concluſione.*

EXPLANATIO

HACTENVS tradidit, quae ratio poſſet inuentionem ad unamquamque conſtitutionem, aut partem conſtitutionis accommodare. & item, quales argumentationes ſequi, & quales uitari oporteret: quorũ utrumque ad confirmationem, & confutationem pertinet. Nunc docebit, cuiuſmodi concluſionibus orationum uti oporteat, qui locus erat poſtremus de ſex orationis partibus. Concluſio a Latinis dicitur Peroratio, apud Graecos Επίλογος nominatur, quaſi τῷ πρώτῳ λόγῳ additus. Vt enim Εργασία, καὶ Επεξεργασία, item Κατασκευὴ, καὶ Επικατασκευὴ, differunt, ita etiam Λόγος, καὶ Επίλογος. Eſt enim Επίλογος ὕστερος λόγος τῷ πρώτῳ λόγῳ ἐπικείμενος. Quattuor locis in oratione poſſumus uti Epilogo. I. In prologo, ſi forte ſit prolixior. II. Item poſt narrationem, ſi & ipſa ſeſe protendat: ut in oratione pro Quinctio. III. Poſt firmiſsimam argumentationem, ubi multa argumenta colliguntur. IV. In concluſione. I. Exempli umbram circa prologos. ut, ſi in fine Exordij dicat: Quae cum ita ſint, & iam pateat, qua innocentiae fama reus ornetur, quae de eo ſit opinio integra, qui natalium ſplendor, quae in remp. beneficia: dubium relinqui non poteſt, quin, eius cauſſae audita iuſtiria, eum ſitis abſoluturi. Sed nunc ipſam rem narrabimus. II. Poſt Narrationem; ut, cum prolixe narraueris, epilogabis, quid reus fecerit, ubi fuerit, qua cauſſa accuſatus ſit: & ita de ſimilibus. III. Poſt firmiſsimam argumentationem, ſi prolixa ſit, epilogo recenſebuntur per ſummam omnia argumentorum capita, quo ordine propoſita ſunt: & infirmiori argumento diutius commoraberis, id ſaepius repetendo, quod eſt multum utile. IV. Tandem, in concluſione epilogabitur, iuſta ſede. Eſt enim locus proprius Epilogo, ut in Concluſionem reiiciatur.

IN *quattuor locis*] Quattuor genera Epilogorum tradit, ut diximus. unum Exordij, alterum Narrationis, tertium Confirmationis, quartum cauſſae. quorum diſtinctio ex accidentibus ſumitur. I. In Exordio dicitur Εκβασις, ideſt Exitus, ſiue Terminus: quoniam cauſſae finem oſtendit. hic plerumque Αξίωσιν, Υπόσχεσιν, & Κατάστασιν habet. Nam & poſtulamus nõnumquam aliquid a iudice, uel auditore: & uiciſsim aliquid promittimus: & poſtremo ad narrationem cauſſae aditum nobis praeparamus. II. Narrationis concluſio Εκθέσις, ἢ Εξήγησις dicitur, & plerumque τὴν τῆς στάσεως ἐπίδειξιν habet, ideſt indicationem ſtatus: cum uidelicet cauſſa ſimplex eſt, & partitione opus non habet. III. De Argumentationum termino ſupra dictum eſt. IV. Cauſſae uero ἐπίλογος τοῦ λόγου ὕστατος ἐστὶ λόγος, ideſt orationis pars poſtrema, de qua nunc praecipue agit. Conſtat autem Επίλογος Cauſſae enumeratione, Amplificatione, & Commiſeratione. Primum enim intelligentiae iudicis ſeruiendum eſt: deinde res augenda eſt, ut magna uideatur, ne contemnatur: tertio, etiam uictoriae gratia (quoniam haec oratoris finis eſt) affectus ſunt mouendi.

ENVMERATIO. LXXIV

ENVMERATIO eſt, per quam colligimus, & commouemus, quibus de rebus uerba fecerimus, breuiter, ut renouetur, nõ redintegretur oratio: & ordine, quidquid erit dictum, referemus: ut auditor, ſi memoriae mandauerit, ad ie, quod ipſe meminerit, reducatur. Item curandum eſt, ne aut ab exordio, aut a uarratione repetatur orationis enumeratio. Ficta enim & dedita opera compa rata oratio uidebitur eſſe artificij ſignificandi, aut ingenij uenditandi, uel memoriae oſtentandae cauſſa. quapropter initium enumerationis ſumendum eſt a diuiſione. deinde ordine breuiter exponendae ſunt res, quae tractatae erunt in confirmatione, & confutatione.

EXPLANATIO

ENVMERATIO Επαναρίθμησις, καὶ Ανακεφαλαίωσις dicitur, ideſt rurſus enumeratio eorum, quae antea dicta ſunt. Haec Συντομίαν, Ευταξίαν, & Κρύψιν habere debet. quae ex definitione colliguntur. Συντομία praecipua Enumerationis uirtus eſt. Primum enim facit, ut res melius & intelligatur, & in memoria retineatur: deinde artem occultat: tertio habet elegantiam, & Ευταξίαν. Ea renouando fit, non redintegrando. Eſt autem Renouatio, rerum ante dictarum indicatio, Επανάγνωσις, ἢ Επανάληψις τῶν λεχθέντων. Haec igitur, ut breuitatem aſſequamur, non a narratione, ſed a confirmatione, ſiue partitione repetionem incipit. Redintegratio eſt, quando tractationem rei eodem modo, ornatu, & quantitate repetimus: Graece Ανεξεργασία appellatur. Ευταξία, eſt ordinis conſeruatio, ut eo ordine, quo res collocata fuit in diuiſione, & in confirmatione tractata, repetatur. Κρύψις eſt, ipſius artis occultatio. Haec uirtus facillime ex contrario uitio intelligitur, quod eſt, nimia artis oſtentatio. Tametſi enim Enumeratio occulta eſſe non debet, ſed habere σύλληψιν, ἢ συλλογὴν, ideſt, praecipuarum quaeſtionum repetitionem: tamen non indiuidua, ſed ſpecies tantum: neque omnes repetendae ſunt, ut ars ipſa occultetur. Nam, qui ad infinita deſcendit, & enucleate omnia repetit: is indicat artem, quae occultanda eſt, primum propter offenſionem iudicis, deinde propter ingenij uenditationem, poſtremo ne memoriam oſtentare uelle uideamur, quod eſt puerile. Eſt autem enumerationis uſus in omnibus cauſsis, ſed utetur ea laudator non neceſſario: quoniam libera Exornationis eſt oratio, & fere ſemper aduerſario caret. Vtilis tamen eſt, primum cum quaedam conglobata pondus maius ſit habitura. Deinde, cum eſt utile, capita cauſſae quaſi uno adſpectu intueri. In ſuaſione non ſaepe adhibenda eſt, quoniam huius cauſſae minus multis ſunt implicatae controuerſiis. Sed, cum eſt cauſſa multiplex, & rationibus numeroſa, Enumeratione eſt utendum. In iudiciis accuſatori ſaepius, ac reo neceſſaria eſt. Sunt enim duo Enumerationis tempora. unum, cum memoriae diffidis eorum, apud quos agis; alterum, cum ſparſa

ſa per orationem firmiora argumenta, ſingulatim, & ſeorſim ſunt tractata: tum enim frequentata magis mouent. Diffiditur autem memoriae, uel cum una cauſſa a pluribus acta eſt, idq. per interuallum. id quod in magnis accidit controuerſiis: ut in Quinctiliano factum eſt. uel cum prolixa cauſſa eſt habitu, & longa oratio.

Eſt igitur, per quam colligimus, & commonemus, quibus de rebus uerba fecerimus breuiter, ut renouetur, non redintegretur oratio: & ordine, quidquid dictum erit, referemus, ut auditor, ſi memoriae mandauerit, ad id, quod ipſe meminerit, reducatur. PER *quam colligimus,*] quae dicta ſunt in Narratione, Confirmatione, & Confutatione. Duo ſi quidem efficit Enumeratio. nam & colligit, & in mentem reuocat, quae ante dicta ſunt. COMMONEMVS,] in memoriam auditoribus reuocamus. BREVITER,] ut uitetur prolixitas. RENOVETVR, *Redintegretur,*] Renouare, eſt ea, quae deleta fuerant, reficere; Redintegrare, ea, quae iam dicta ſunt, iterum dicere. ORDINE,] nam non ſatis reſumere dicta, niſi ordo adhibeatur. FICTA] formata, & compoſita. DEDITA *opera*] ſummo ſtudio. COMPARATA] inſtituta, & ordinata. ARTIFICII *ſignificandi,*] ut oſtendat ſe ſcire artem dicendi. INGENII *uenditandi,*] ut oſtentet ingenium. MEMORIAE *oſtentandae.*] Tertia cauſſa occultationis: Haec autem omnia, quoniam offendunt iudicem, uitanda ſunt. QVAPROPTER] Cicero de Inuentione Enumerationem quattuor modis diuidit. hic de ſola agitur, quae refertur ad partes partitionis, cum comparatione noſtrorum, & contrariorum argumentorum. & hoc, quod hic modus eſt difficilior, & dignior. A. DIVISIONE.] ideſt, a partitione. nam diuiſio eſt, per quā oſtendimus, quibus de rebus dicturi ſumus, quod genus eſt: Oſtendi uobis, iudices, Vlixem peccaſſe ulciſcendi gratia. nam inter eum, & Aiacem erat inimicitia, & metus periculi. BREVITER] ſummatim, ſine prolixitate. IN *Confirmatione, & Confutatione.*] Vbi notandum, quod aliquando repetimus ea, quae confirmauimus tantum; aliquando ea, quae confutauimus; nonnumquam ea, quae confirmauimus, & confutauimus.

AMPLIFICATIO. LXXV

AMPLIFICATIO *eſt res, quae per locum communem inſtigationis auditorum cauſſa ſumitur. Loci communes ex decem praeceptis commodiſſime ſumuntur adaugendi criminis cauſſa.*

EXPLANATIO

QVEMADMODVM enumeratio memoriae, ac docilitatis cauſſa in Epilogo adhibetur, ita etiam Amplificatio attentionis, atque excitationis gratia, ut res magna uideatur. Poſteaquam igitur enumeratione iudici in memoriam reuocata ſunt ea, quae ad cauſſam praecipue ſpectant, ex quibus rem plane iam intelligit, cōtra contemptum, atque negligentiam excitandus eſt. Fit autem illa excitatio amplificatione, quae rei magnitudinem oſtendit. Eſt enim Amplificatio, res, quae per locum communem inſtigationis auditorum cauſſa ſumitur. uel, ut Cicero inquit in Partitionibus, grauior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliet in dicendo fidem. Tametſi autem in ipſo orationis curſu declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehenſa: tamen proprius eſt augendi locus in perorando. Conficitur autem Amplificatio, & uerborum genere, & rerum. Verba ponenda ſunt, quae uim habeant illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia, grauia, plena, ſonantia, iuncta, facta, cognominata: non uulgata, ſuperlata, tranſlata: nec in ſingulis rebus, ſed in continentibus ſoluta, quae dicuntur ſine coniunctione, ut plura uideantur. item relata, iterata, duplicata, & ea, quae adſcendunt gradatim ab humilioribus uerbis ad ſuperiora. Omninoq. ſemper quaſi naturalis, & non explanata oratio, ſed grauibus referta uerbis, ad augendum accommodatior erit. His omnibus actio uocis, uultus, & geſtus, congruens, & apta ad animos permouendos accommodanda eſt. Sed & in uerbis, & in actione decorum obſeruandum eſt. Rerum amplificatio, quoniam θετικὴ eſſe debet, ſumitur eiſdem locis omnibus, quibus illa, quae dicta ſunt ad fidem: maximeq. definitiones ualent conglobatae, & conſequentium frequentatio, & contrariorum, & diſsimilium, & repugnātium rerum conflictio, & cauſſae: & ea, quae ſunt de cauſsis orta, maximeq. ſimilitudines, & exempla: fictae etiam perſonae, muta denique loquentur. Omninoq. adhibenda ſunt ea, ſi cauſſa patitur, quae magna habentur, ſiue magna natura uidentur, ſiue uſu. Hoc in loco etiam hic uult, amplificationem ex locis confici communibus: qui, quantum ad accuſatorem attinet, ex decem praeceptis commodiſsime ſumuntur, adaugendi criminis cauſſa. De quibus ordine dicemus.

Indignatio uocatur a Cicerone de Inuentione. & fit per communes locos, ideſt, per generales ſententias: & ex eo dicitur Indignatio, ab effectu. nam ea ampliat, ſiue auget malum.

PER *locum communem*] per ſententiam generalem. CAVSSA *inſtigationis*] ad commouendos auditores ad indignationem. Terentius: Age, inſtiga, ſi hoc non ſatis inſanit ſponte ſua. ADAVGENDI *criminis cauſſa.*] ad differentiam commiſerationis, quae fit ex decem praeceptis. ſed ea fit cauſſa miſericordiae captandae.

Cicero de Inuentione ait, ex quindecim praeceptis ſumi locos communes, ponitq. aliquos, qui non multum ualent ad amplificationem. Per hos autem deces locos, commode poſſumus crimen augere. qui loci digniores ſunt, & firmiores.

PRIMVS . LOCVS . LXXVI

PRIMVS locus ſumitur ab auctoritate, cum commemoramus, quantae curae ea res fuerit diis immortalibus, aut maioribus noſtris, regibus, ciuitatibus, nationibus, hominibus ſapientiſſimis, ſenatui: item maxime, quo modo de his rebus in legibus ſan c itum ſit.

EXPLANATIO

PRIMVS locus eſt τῦ ἀξιώματος, καὶ καλῦ, ideſt, auctoritatis, atque honeſtatis: & uel in rebus eſt, uel in perſonis. Amplificatio rerum magnarum ſententias habere debet. res magnae ſunt, quae magnos auctores habent, ut Roma Romulum, frumenta Cererem, uinum Liberum patrem, &c. Omnis igitur auctoritas, uel eſt diuina, uel humana. Diuina, uel eſt reuera, ut Deus, ut uox, ut opera, ut uoluntas Dei: uel eſt quaſi diuinum, ut ſunt ea, quae in uoce conſiſtunt, praecepta Dei: item ea, quorum obſcurae ſunt cauſſae, ut ſiderum curſus, & quae in aëre, terra, mari cientur. Haec τὰ φύσει μεγάλα, ideſt, natura magna dicuntur. Humana etiam uel rerum eſt, ut inſtituta, decreta, reſponſa, res geſtae regum, maiorum, ſapiētum, nationum, ciuitatum, &c. Omnis autem auctoritas ſpectatur uel ui, uel uirtute, uel utroque. In Deo eſt utrumque, uirtus, & potentia, ſiue ius. τῇ δυνάμει, ui, & potentia auctoritatem habent diuina ſcripta, propter uim Dei: τῇ ἀρετῇ, uirtute uero, cauſſae naturales, ut ſiderum motus, fulgura, tonitrua, pluuiae, tempeſtates. In humanis etiam magnam uim habent reges, maiores, ſapientes, nationes, ciuitates. uirtute auctoritatem habent leges Solonis, Lycurgi, Minois, & huiuſmodi. Priore autem loco res diuinae erunt, quae ſemper maximam auctoritatem habere debent. Omnes autem ſententiae, quae de auctoritate afferuntur, uel habent εὐχὴν, uotum, & precationes, ut in oratione pro domo: Nunc te, Iuppiter, &c. uel habet ἔκπληξιν, comminationem, ut in II. Verrina. uel διδασκαλίαν, quae docent. Exempla in Cicerone paſsim obuia ſunt.

COMMEMORAMVS,] dicimus, in memoriam auditoribus reuocamus. EA *res*] in qua fuerit quis praeuaricatus.

SECVNDVS . LOCVS . LXXVII

SECVNDVS locus eſt, cum conſideramus, illae res, de quibus criminamur, ad quos pertineant, utrum ad omnes, quod atrociſſimum eſt; an ad ſuperiores, quod genus ij ſunt, a quibus auctoritatis locus communis ſumitur; an ad pares, hoc eſt in eiſdem partibus animi, corporis, fortunarum poſitos; an ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur.

EXPLANATIO

SECVNDVS locus eſt τῦ χρησίμυ, utilitatis, quam recte auctoritas praeceſsit. Primum enim uiri boni honeſtate mouentur, deinde etiam aliorum calamitate afficiuntur: quare utilitas non eſt negligenda. Ea uel eſt publica, δημοσίον, καὶ κοινὸν ἀγαθὸν, ut patriae: uel τῶν ἀμεινόνων, κρειττόνων meliorum, atque ſuperiorum, ut magiſtratus: uel ὁμοίων, parium, in eiſdem partibus animi, corporis, fortunarum: uel eſt τῶν πολλῶν, ut plebis, & ceterarum nationum. Hoc poſtremum genus multum ualet apud uiros bonos: apud quos turpe admodum uidetur, inopi, & calamitoſo opem non ferre. Primum eſt grauiſsimum, quoniam ad omnes pertinet: ut Catilinae parricidium. Secundum etiam apud bonos praecipue locum habet, ut pro Equitibus ſaepe dixit Cicero. Tertium paucorum etiam eſt: ut propagatio, atque interitus litterarum.

SECVNDVS *locus*] hic locus multiplex eſt, tum ab auctoritate, tum a fortuna, tum a natura. AD *omnes*,] ut, ſi quis uoluerit patriam prodere, dicam: O ſcelus ingens, crudele, nefarium, & impium, quod ad infantium, puerorum, mulierum, omnium denique perniciem ſpectare iudicatum eſt. OMNIBVS *his rebus*] animo, per quem intelligimus ſapientiam; quoniam animo ſapimus, anima uero uiuimus: corpore, ideſt, uiribus, pulchritudine: fortunis, ideſt, diuitiis, ſtatu.

TERTIVS . LOCVS . LXXIIX

TERTIVS locus eſt, quo percunctamur quid ſit euenturum, ſi omnibus idem concedatur: & ea re neglecta, oſtendemus quid periculo aum, aut incommodorum conſequatur.

EXPLANATIO

HIC locus priori eſt contrarius: ille enim τὸ χρήσιμον, utilitatem ſpectat, ut rem bonam: hic uero τό βλαβερὸν, damnum, ut rem malam. Debet autem tractari πυσματικῶς, quoniam τὰ ἐκβησόμενα plerumque καθ' ὑπόθεσιν proponuntur: quae uim maiorem habet, cum fit interrogando. Habet igitur etiam hic locus τὸ τελικὸν αἴτιον, damnum ipſum: quod non ſolum poſitum eſt in ablatione utilitatis, ſed etiam in periculi metu. Non ſatis eſt igitur, uidere, quid ſit utile, ſed etiam, quae pericula, aut commoda conſequantur.

TERTIVS *locus*] amplificandi, a cauſſa ratiocinatiua, uel ab euentu. IDEM *concedatur*:] quod aduerſarius

rius poſtulat ſibi concedi, ideſt ignoſci. EA *re*] de qua aduerſarios criminamur. NEGLECTA,] a iudicibus: qui neglexerint reum punire.

QVARTVS . LOCVS . LXXIX

QVARTVS locus eſt, quo demonſtratur, ſi huic ſit remiſſum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc exſpectatio iudicij remoratur.

EXPLANATIO

VT res, & perſona differunt, ita hic locus differt a proximo. In hoc enim τὰ πρόσωπα ἄχρηστα perſonae inutiles; in illo uero res incommodae ſpectantur: & uterque eſt τῶν ἐκβησομένων. Si utile eſt, in rep. eſſe uiros prudentes, atque litteratos: incommodum eſt, aliquo illos malo interire. Sunt autem multa paſsim in orationibus Ciceronis huius loci exempla.

QVARTVS *locus*] Eſt etiam ab euentu. ſed in hoc differt, ut diximus, a tertio, quod ille reſpicit ad reum, hic ad iudicem: uel, quod ille arguit, ut non ignoſcatur reo, hic autem ut fiat uindicta: uel, quod ille probat malum per aduentum, hic autem per conſequentia. HVIC *ſit remiſſum*,] ſcilicet, maleficium, indultum reo. ALACRIORES] ueloiores, promptiores. Dictum ab Ala. EXSPECTATIO *iudicij*] exſpectant enim iudicium de reo. nam, ſi ei ueniam dederitis, o iudices, illico erunt alacres ad maleficium patrandum. REMORATVR.] detinet a maleficio, exſpectantes, quod iudicium de reo feceritis.

QVINCTVS . LOCVS . XXC

QVINCTVS locus eſt, per quem oſtendimus, ſi ſemel aliter iudicatum ſit, nullam rem fore, quae incommodo mederi, aut erratum iudicum corrigere poſſit. quo in loco non incommodum erit uti ceterarum rerum comparatione, ut oſtendamus alias res poſſe aut uetuſtate ſedari, aut conſilio corrigi: huius rei aut leniendae, aut corrigendae nullam rem adiumento futuram.

EXPLANATIO

QVINCTVS locus eſt ποιότητος, qualitatis ſpecialis, quae ex generibus incommodorum ſumitur, & ad cauſſas pertinet conſeruantes, atque corrumpentes. Tractabitur hic locus συγκριτικῶς, ex iſta diuiſione: Bona amiſſa uel recuperari poſſunt, ut pecunia, & huiuſmodi; uel recuperari non poſſunt, ut parentes, liberi, maritus, uxor, & fama, ſemel amiſſa: uel difficulter recuperantur, ut regnum amiſſum, aut fides, &c. Eadem eſt in malis ratio. quaedam enim ſunt medicabilia; ut, intēdere pagas, neceſsitate belli; amittere omnia, quae habes, honeſtatis cauſſa. quaedam immedicabilia ſunt; ut, cicatrix, dedecus, & infamia ex culpa contracta. Inter haec ea numerantur, quibus difficulter mederi poſſumus, ut perfidiae, &c. Oſtendemus igitur, alias res poſſe aut uetuſtate ſedari, aut conſilio corrigi: huius rei aut leniendae, aut corrigendae, nullam rem adiumento futuram.

QVINCTVS *locus*] a comparatione in adiunctis negotio, ſecundum inuentionem incommodorum. ERRATVM] quod iudex non bene iudicauerit, ſed errauit. quo uerbo minus laedit auditorem, cum dicat eum erraſſe, non dolo malo feciſſe. NON *incommodum erit*,] utile. Liptotes eſt. CETERARVM *rerum*] ceterorum delictorum. ALIAS *res*] alia maleficia. VETVSTATE] uel, quod iam exſoleta ſunt; uel, quod iam diu facta ſunt. nam temporis longitudo delet peccata, & iniurias. HVIVS *rei*] huius maleficij, de quo agitur. LENIENDAE,] mitigandae; quod refertur ad Sedari. CORRIGENDAE] quod refertur ad, Conſilio corrigi.

SEXTVS . LOCVS . XXCI

SEXTVS locus eſt, cum oſtendemus ex conſilio factum, & dicemus uoluntario facinori nullam eſſe excuſationem, ſed imprudentiae iuſtam deprecationem paratam.

EXPLANATIO

EST etiam hic locus qualitatis ſpecialis, ſed differt a quincto; quod ille cauſſarum eſt conſeruantium, aut corumpentium; hic uero cauſſas habet efficientes. Omnis autem cauſſa efficiens hoc in loco uel eſt uoluntatis, quae in iure ciuili maxime ſpectari ſolet. Vocantur a Graecis huiuſmodi facinora ἁμαρτήματα ἑκούσια: de quibus multa etiam in Ethicis Ariſtoteles. Pertinet enim hic locus ad iuriſconſultorum, ac philoſophorū doctrinam, qui περὶ τῶν ἑκουσίων, καὶ ἀκουσίων ἁμαρτιῶν multa diſputare ſolent. Vel efficiens eſt imprudentiae: ut, cum Arcas matrem pro urſa, & Cephalus Procrin uxorem pro fera occidit. Tractatur etiam hic locus κατὰ σύγκρισιν. uoluntatem enim cum imprudentia conferet, quae excuſationem meretur, & ueniam, etiam apud iuriſconſultos: ſi abſit negligentia, quae miſericordiae locum non habet.

Sextvs *locus*] qui eſt a modo facti, uel a conſilio . quod eſt attributum perſonae. Modus uero eſt qualitas facti, pro intentione agentis. Facinori] ſceleri. nam & bonum facinus dicimus, & malum facinus. Imprvdentiae] homini, qui per imprudentiam peccauit. Deprecationem] criminis remotionem. ſubaudi, nullam.

SEPTIMVS . LOCVS . XXCII

Septimvs locus eſt, quo oſtendemus taetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicū eſſe: quod genus iniuriae mulierum, aut earum rerum aliquid, quarum rerum cauſſa bella ſuſcipiuntur, & cum hoſtibus de uita dimicatur.

EXPLANATIO

Svperiores duo loci qualitatem habuere ſpecialem: hic qualitatis eſt generalis, ac communis, κοινῆς ποιότητος. Habet hic locus ἀπαρίθμησιν, qua oſtenditur facinoris qualitas: eſſe facinus crudele, nefarium, tyrannicum. Oſtendi exempla: iniurias mulierum, aut earum rerum aliquid, quarum rerum cauſſa bella ſuſcipiuntur, & cum hoſtibus de uita dimicatur. Talis fuit iniuria Paridis, cum Helenam rapuit: quae res cauſſam dedit belli Troiani. Talis etiam fuit libido Tarquinij Superbi, cum Lucretiae uim intulit: propter quod ſcelus reges ſunt exacti.

Septimvs *locus*] qui eſt a modo facti, & a natura. & fit, cum uolumus oſtendere plura peccata, & obſcura, & odioſa, augendi criminis cauſſa. & ea omnia fere ſunt idem. Taetrvm] obſcurum, & propter turpitudinem, & atrocitatem tacendum. Crvdele,] quoad ſanguinis effuſionem. Nefarivm] quoad deos. ut nec ſacrificio purgari poſſit. Tyrannicvm] in ſubditos. nam tyrannorum eſt peſſime agere cum ſubditis. Inivriae *mulierum*] uim inferre alienae uxori, uirginem ſtuprare, rapere. Bella *ſuſcipiuntur*,] ut Sabini, cum Romulo, propter raptas mulieres.

OCTAVVS . LOCVS . XXCIII

Octavvs locus eſt, quo oſtendimus non uulgare, ſed ſingulare eſſe maleficium, ſpurcum, nefarium, inuſitatum, quo maturius, & atrocius uindicandum ſit.

EXPLANATIO

Octavvs locus a qualitate comparata ſumitur. ut pro Ligario: Nouum crimen, C. Caeſar, & ante hūc diem inauditum, propinquus meus Q. Tubero detulit, &c. Si uindicanda ſunt uulgaria, & communia ſcelera, maturius, & atrocius uindicanda ſunt ea, quae ſunt ſingularia, ſpurca, nefaria, & inuſitata, quale hoc eſt maleficium. Qualitas comparata uel habet comparationem perfectam, uel imperfectam. Perfecta eſt, cum facinoris qualitatem oſtendimus cum re comparata: ut, Rarum hoc eſt crimen, & ſimillimum C. Fimbriae ſceleri, &c. Item, C. Verres piratis, ac barbaris fuit immanior, addito comparatiuo. Haec perfecta eſt, quoniam eſt finita, Imperfecta eſt, quae eſt infinita ſuperlatiuo gradu: ut, Crudeliſsimum facinus admiſit Verres, &c. deeſt enim res comparata.

Octavvs *locus*] qui eſt a facto, uel a conſuetudine faciendi. Non *uulgare*,] non uile, quod neque ab omnibus peccatur. nam, quod a multis peccatur, multum eſt. Singvlare] praeſtans, & unicum. Spvrcvm,] praeter humanum actum. Nefarivm,] contra Deum, nullo ſacrificio piandum. Invsitatvm,] quod raro in uſum ueniat. Matvrivs,] ſapienter, & ualde cito. Atrocivs] admodum crudeliter.

NONVS . LOCVS . XXCIV

Nonvs locus conſtat ex peccatorum comparatione, quaſi cū dicemus maius eſſe maleficium ſtuprare ingenuam, quam ſacrum laedere: quod propter egeſtatem alterum, alterum propter intemperantem ſuperbiam fiat.

EXPLANATIO

Nonvs locus comparationem habet abſolutam, quam rhetores Αντεξέτασιν uocant. cum utraque pars comparando excutitur. Sumitur autem haec comparatio ex loco differentium, ac primo habet propoſitionem: Maius eſt maleficium ſtuprare ingenuam, quam ſacrum laedere. Deinde αἰτιολογίαν, rationem. Nam, qui ſacrum laedit, propter egeſtatem id facit; qui ingenuam ſtuprat, propter intemperantem ſuperbiam id facit, in qua legum eſt contemptus.

Ingenvam,] liberam, nobilem. Sacrvm *laedere*:] ſacrilegium facere. Eſt autem hic locus a comparatione in adiunctis negotio.

DECIMVS. LOCVS. XXCI

DEcimvs locus eſt, per quem omnia, quae in negotio gerendo acta ſunt, quaeq. rem conſequi ſolent, exponemus acriter, & criminoſe, & diligenter, ut agi res, & geri negotiũ uideatur rerũ conſequẽtiũ enumeratione.

EXPLANATIO

POSTREMVS locus amplificandi rem, habet τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους ideſt, comprehenſionem eorum, quae a principio ad finem geſta ſunt. Hic locus omnes circumſtantias comprehendit in quo hic tria ponit, Materiam, Genus dicendi, & Tractationem. I. Materia eſt, σύλληψις τῶν πραχθέντων, comprehenſio omnium, quae geſta ſunt in negotio gerendo. II. Genus dicendi debet eſſe ὀγκῶδες καὶ ἀξιωματικὸν, ideſt graue, ut res acriter exponatur: item αὐξητικὸν accommodatum ad amplificationem, ut omnia criminoſe exponãtur. Tractatio debet eſſe diligens, & habere ἐνάργειαν, ſiue ἐνέργειαν. Ita enim orationis grauitas, & ornatus ad crimen adaugendum adhiberi oportet, ut agi res & geri negotium uideatur, rerum conſequentium enumeratione, quae eſt expoſitio copioſa, in unum locum contracta. Habet autem illa ἐνάργεια primum ὑποτύπωσιν, cum omnia ad rem ipſam exprimendam ita exponuntur, ut quaſi ante oculos poni uideantur. Deinde ἐπιμονὴν, ideſt in re eadẽ immorationẽ. Orationis igitur cultus ἐν τῇ ἐναργείᾳ potiſsimum uerſatur: de quo uide Quinctilianũ lib. IIX. cap. 3. Eſt hoc in loco diſcrimen ſuffigurationis: nam in confirmatione lata eſt, in peroratione contracta.

DECIMVS *locus*] qui eſt a triplici adminiſtratione. ſcilicet, Ab ante rem, A poſt rem, & Ab in re. ACTA *ſunt,*] hoc eſt Ante rem. QVAEQ. *rem conſequi ſolent,*] hoc eſt Poſt rem. ACRITER,] acuendo, & inſtigando auditores in aduerſarios, faciendo conduplicationem, uel repetitionem. CRIMINOSE,] ita, ut omnis noſtra oratio plena ſit criminibus aduerſariorum, faciendo frequentationem. DILIGENTER;] ut nihil praetermittatur rerum connectendarum, faciendo articulum. AGI *res,*] dici, & recitari negotium. GERI] fieri. Senſus eſt. Vt, enumerando ea, quae annectenda ſunt cauſſae noſtrae, uideatur res & dici ſimul, & fieri.

COMMISERATIO. XXCVI

MISERICORDIA cõmouebitur auditoris animus, ſi uariam fortunarum commutationem dicemus; ſi oſtendemus, in quibus commodis fuimus, quibuſq. in incommodis ſimus comparatione. Si quae nobis futura ſint niſi cauſſã obtinuerimus, enumerabimus, & oſtendemus. Si ſupplicabimus, & nos ſub eorum, quorum miſericordiã captabimus, poteſtatem ſubiiciemus. Si, quid noſtris parentibus, liberis, ceteris neceſſariis cauſſarum ſit propter noſtras calamitates, aperiemus, & ſimul oſtendemus, illorum nos ſolitudine, & miſeria, non noſtris incommodis dolere. Si de clementia, humanitate, miſericordia noſtra, qua in alios uſi ſumus, aperiemus. Si nos ſemper, aut diu in malis fuiſſe oſtendemus. Si noſtrum fatum, aut fortunam conqueremur. Si animum noſtrum fortem, patientem incommodorum oſtendemus futurum. Commiſerationem breuem eſſe oportet. nihil enim lacryma citius areſcit.

EXPLANATIO

TERTIA pars Epilogi Commiſeratio dicitur, Ἔλεος a Graecis: & nomen habet a re meliore. Perinde enim, ut defendere melius, & honeſtius eſt, quam accuſare: ita etiam melius eſt miſereri, quam iraſci. Hanc partem Cicero in Partitionibus ſub Amplificatione comprehẽdit, quoniam amplificationi in peroratione ſemper motus eſt adiunctus. Sunt autem duplicia πάθη: quaedam enim προκατασκευαστικὰ dicuntur, quae ſunt inchoata quidem in iudicum animis, nondum autem perfecta. Huiuſmodi ſunt ea, quae ante rationem fiunt: ut Demoſthenis, qui fere perorationem non habet. Graeci enim αὐτὰ προοιμίου, καὶ ἐπιλόγου ſolebant dicere. quaedam uero ἐπιλογικὰ, ἢ συμπερασικὰ appellari poſſunt, quae in peroratione fiunt. Tria autem nobis ſpectanda ſunt hoc in loco. Primum, materia, ex qua ſententiae ſumuntur: deinde, modus, ſiue tractatio: tertio, dicendi genus. Prima ſententia habet μεταβολὴν τῆς τύχης, fortunae commutationem, quam Ariſtoteles περιπέτειαν appellat. ut, ſi oſtendamus nos ſemper beatos fuiſſe, nunc ſubito factos eſſe miſeros. Nihil eſt autem tam miſerabile, ut in Partitionibus inquit, quam ex beato miſer. Plurimum igitur huiuſmodi ſententia mouet. Altera eſt συγκριτικὴ: ſuperior enim felicitas, & miſeria praeſens, inter ſe comparari debet. Tertia habet συναθροισμὸν τῶν ἐκβάντων, καὶ ἑπομένων, conglobationem, aut congeriem conſequentium: cum male omnia, quae euentura ſunt, niſi cauſſam obtinuerimus, in unum congerimus. Quarta ducitur a caſu, neceſsitate, aut imprudentia, quae τῆς συγγνώμης ſunt κεφάλαια. Quincta conuenit cum tertia: utraque enim conſequentium conglobationem habet, ſed differunt perſonis. tertia enim, quae nobis euentura ſint, indicant: quincta uero, quid amicis. Eſt igitur plane ἠθικὴ: quoniam ad pietatem pertinet: atque iccirco maxime mouet. Sexta habet ἔπαινον τοῦ φεύγοντος, rei noſtri laudem a clementia, humanitate, miſericordia ſumptam, qua in alios uſus eſt: quae laus ad cauſſam proprie pertinebit. Qui enim aliquando miſericors fuit, is miſericordiam merito aſſequetur. Eſt igitur etiam haec ſententia ἠθικὴ, qua noſtram in alios miſeros pietatem oſtendimus. Septima contraria ſextae eſt: ut enim illa ex bonis rebus ſumitur, ita haec ex malis, & aduerſis: eſtq. omnino παθητικὴ. Differt a prima: quoniam illa fortunae commutationem habet, haec calamitates enumerat, & fortunae aduerſae conſtantiam oſtendit. Octaua demonſtrationem habet propriae uirtutis, quae miſeriae aduerſatur, cum animum noſtrũ fortẽ, & incommodorum patientem oſtendimus. Videtur haec ſententia quaſi occupationis loco, ne reus ipſe ſibi miſeriam cõ-

paraſſe

paraſſe putetur. Sua enim culpa mali, timidiq. infelices ſunt. Tractatio miſericordiae breuis eſſe debet: cito enim areſcit lacryma, praeſertim in alienis lacrymis. Tale etiam dicendi genus erit, ſed tamen copioſum erit affectibus.

Hactenus de Epilogo. cuius pars prima ad accuſatorem, atque reum pertinet; altera, ad accuſatorem tantum; tertia, ad defenſorem. Nonnumquam tamen accuſator miſericordiam mouere debet, & defenſor iracundiam.

MISERICORDIA] piae mentis affectio. Commiſerationem paullo ante nominauit. Quaeſtionem Cic. in libris de Inuentione. FORTVNARVM] diuitiarum. COMMVTATIONEM] locus a fortuna. IN QVIBVS *commodis*] locus a caſu, uel ab euentu. ENVMERABIMVS,] dicendo ea numero. OSTENDEMVS.] declarando enumerata. SVPPLICABIMVS,] ſupplices erimus. Supplicare, ſub pedibus plicare. SVBIICIEMVS:] utendo eo colore, qui dicitur Permiſsio. PARENTIBVS] & patri, & matri. LIBERIS,] maribus, & feminis. nam Filios tantum dicimus mares. NECESSARIIS] affinibus. CASVRVM] euenturum. CALAMITATES] Calamitatē dictam quidam uolunt a Cadendo, alij a Calamo, qui debilis eſt, & inanis. Ter. Eun. act. 1. ſc. 1. Sed ipſa egreditur noſtri fundi calamitas. ideſt, grando. Hic locus eſt ab euentu. & differt a ſuperiori, quod ille pro ſe ſupplicat, hic uero pro parentibus, liberis, neceſſariis. SOLICITVDINE,] Solicitare, quaſi ſolo citare, ideſt loco mouere. Qui duplici LL ſcribunt, deriuant a Sollers, & Citus. CLEMENTIA,] in danda poena. nam Clemens is eſt, qui prouocatus iniuria, & laceſsitus animi cohibet impetum. QVA *in alios*] cum ſcilicet poteſtatem habuimus nocendi aliis. SI *nos*] Locus a Fortuna. FATVM,] quod reſpicit omnia. uel *Fatum*, quoad caeleſtia. uel *Fatum*, diſpoſitio inhaerens rebus mobilibus, per quam diuina prouidentia ſuis quaeque nectit ordinibus. FORTVNAM] quae ad humana refertur, & ad homines. ANIMVM *noſtrum*] Locus a partibus uirtutis. FORTEM,] in rebus duris, & aſperis. COMMISERATIONEM] Docuit, quibus argumentis uti oporteat in Conqueſtione. nunc oſtendit, qualis eſſe debeat. LACRYMA *citius areſcit.*] unde Miſericordia eorum eſt ſicut nubes matutina & ſicut ros cito pertranſiens. quare, cum auditores cō moti ſunt ad lacrymas, miſericordia noſtri; non longa opus eſt oratione, quae poſſet eorū animos immutare.

CONCLVSIO. LIBRI

FERE *locos obſcuriſſimos totius artificij tractauimus in hoc libro: quapropter huic uolumini modus hic ſit. reliquas praeceptiones, quoad uidebitur, in tertium librū transferemus. Haec ſi, ut conquiſite conſcripſimus, ita tu diligenter fueris conſecutus: & nos induſtriae fructus ex tua ſcientia capiemus, & tute noſtram diligentiam laudabis, tuaq. perceptione laetabere; tu ſcientior eris praeceptorum artificio, nos alacriores ad reliquum perſoluendum. uerum haec futura ſatis ſcio: te enim non ignoro: ſed nos deindeps ad cetera praecepta tranſeamus, ut, quod libentiſſime facimus, tuae uoluntati rectiſſimae morem geramus.*

EXPLANATIO

ABSOLVIT hactenus conſtitutionum capita, argumentationes etiam, & epilogos: nunc librum hunc concludit ἠθικῶς. Sunt autē huius concluſionis tres praecipue partes: ἀποδίωξις, παραίνεσις, & προκατάστασις. Αποδίωξις eſt, tractationis longioris eorum, quae hactenus docuit: Huic uolumini modus ſit, reliquas praeceptiones, quoad uidebitur, in tertium librum transferemus. Cauſſam praepoſuit reiectionis: Quia fere locos obſcuriſsimos totius artificij tractauimus in hoc libro. Παραίνεσις habet ὑπόσχεσιν commodorum, quae auctor ex ſua induſtria, Herennius uero ex dicendi ratione conſecutus ſit. ſi diligenter ea exerceat. Tractat hanc primum ὑποθέσει, cuius pars utraque eſt συγκριτική. deinde ἀφαιρέσει τῆς ὑποθέσεως, ne diffidere illi uideatur: Verū, haec futura ſatis ſaio, te enim non ignoro. Προκατάστασις plane ἠθική eſt, in qua oſtendit, ſe libenter morem gerere Herennij uoluntati, cum inquit: Sed nos deinceps ad cetera praecepta tranſeamus, ut, quod libentiſsime facimus, tuae uoluntati rectiſsimae morem geramus.

FERE] Nunc imponit modum huic uoluntati. Nam *Fere* dixit, propter quoſdam locos, de quibus docebit in Demonſtratiuo, & Deliberatiuo genere, aliquantum difficiles. MODVS] finis. alias, menſura, item uia, & oratio. PRAECEPTIONES] praecepta, quae pertinēt ad rhetoricam. QVOAD *uidebitur*,] Quoad, aliquando ſignificat Quouſque; aliquando, Quamdiu; aliquando, Quando. *Videbitur*: nobis. ideſt, pro ſententia noſtra. CONQVISITE] diligenter, dedita opera. INDVSTRIAE] laboris noſtri honeſtiſsimi, & ſcientiae. FRVCTVS] utilitatem. LAETABERE:] profuſe gaudebis. SCIENTIOR] doctior. ALACRIORES] expeditiores, & ueloctores. AD *reliquum perſoluendum.*] ad id, quod reſtat, ad hanc rem perfecte abſoluendam. HAEC] quae dixi. quaſi dicat, Non dubito te facturum, quae dixi, quod haec diligenter conſequeris, & laetabere hac praeceptione. SATIS] ad ornandum te, ad haec conſequenda. TE *enim non ignoro*:] ideſt, ingenium tuum. Liptotes, figura. AD *cetera praecepta*] ſcilicet, ad demonſtratiuum, & deliberatiuum genus. QVOD] ſcilicet morem gerere. VOLVNTATI *rectiſſima*] ideſt, optimae. MOREM *geramus.*] ideſt, obſequamur.

RHETORICORVM AD · C · HERENNIVM LIBER · III

AVCTOR

AD · OMNEM *iudicialem cauſſam quemadmodum conueniret intentionem rerum accommodari, ſatis abundanter, ut arbitror, ſuperioribur libris demonſtratum eſt. nunc earum rationem rerum inueniẽdarum, quae pertinebant ad cauſſas deliberatiuas, & demonſtratiuas, in hunc librum tranſtulimus; ut omnis inueniendi praeceptio tibi quamprimum perſolueretur. Reliquae quattuor partes erant artificij. de tribus partibus in hoc libro dicemus, diſpoſitione, pronunciatione, memoria. de elocutione, quia plura dicenda uidebantur, in quarto libro conſcribere maluimus, quem, ut arbitror, tibi librum celeriter abſolutum mittemus: ne quid tibi rhetoricae artis deeſſe poſſit. interea prima quaeque, & nobiſcum, cum uoles, & interdum ſine nobis legendo conſequere, ne quid impediare, quin ad hanc utilitatem pariter nobiſcum progredi poſſis. nunc tu fac attentum te praebeas: nos proficiſci ad inſtituta pergemus.*

EXPLANATIO

HACTENVS de iudiciali genere praecepit, quia illud erat difficillimum: nunc de reliquis duobus, deliberatiuo, ac demonſtratiuo, praecepta dabit. Habet autem hic liber partes duas: προκατασκευὴν, καὶ πραγματείαν. προκατασκευὴ eſt aditus, ſiue ueſtibulum, ſiue principium libri, in quo eum docet, & ad diligentem horum praeceptorum cognitionem hortatur. Eſt enim bipartitum. nam primum μετάβασιν habet, deinde concluſiunculam. μετάβασις tranſitio perfecta eſt: habet enim ἀνακαίνωσιν, renouationem eorum, quae dicta ſunt: κατάστασιν, propoſitionem eorum, quae dicenda reſtant, earum uidelicet rerum inuentionem, quae ad demõſtratiuas, ac deliberatiuas cauſſas pertinent, quas in hoc libro ſe una cum reliquis tribus officij oratorij partibus abſoluturum eſſe promittit: ut omnis inueniendi praeceptio Herennio quamprimum (in his ſcilicet tribus prioribus libris) perſolueretur. Eſt enim inuentio, officij oratorij pars potiſsima: quoniam inuenire, & cognoſcere, idem ſunt. In inuentione igitur ſapientia dominatur, ſine qua eloquentia nulla eſſe poteſt. Eſt enim Eloquentia, copioſe, & ornate loquens ſapientia. Lingua etenim a corde diſſentire non debet: id, quod in Sophiſtis olim reprehenſum eſt. Cum igitur primum ſit ſapere, multa de inuentione praecipit.

IVDICIALEM *cauſſam,*] iudicialis generis cauſſam. INVENTIONEM *rerum*] ſex partium, in quas Inuentio conſumitur, ſcilicet, Exordium, Narrationem, Diuiſionem, Confirmationem, Confutationem, & Concluſionem. ACCOMMODARI,] commode adaptari. PRAECEPTIO] doctrina. PERSOLVERETVR.] abſolute perficeretur. ARTIFICII].] artis rhetoricae. DE *Elocutione*] κατασκευῇ ſubiungit ἀπόδειξιν. quoniam enim prolixa, & difficilis elocutiouis eſt praeceptio, ideo in quartum librum eam reiicit, ne quid perturbate doceatur. INTEREA] dum reliqua abſoluo. PRIMA *quaeque*] omnia, quaecumque adhuc de arte ſcripſimus. *Interea prima quaeque*: Epilogus, ſiue concluſiuncula huius principij, quae fit occupando, atque poſtulando, ut diligenter praecepta iſta cognoſcat. NOBISCVM] me interprete. SINE *nobis*] per te ipſum, & ſtudium tuum. CONSEQVERE:] diſces, comparabis. NE *quid impediare,*] ne aliqua pars rhetoricae tibi deſit, & ſine impedimeuto eam poſsis conſequi. NOBISCVM] tu legendo, ego ſcribendo. uel, quod tu ſis par nobis in huiuſmodi ſcientia. AD *inſtituta*] ad ea, quae propoſuimus: ſcilicet, ad docendam inuentionem in deliberatiuo, & demonſtratiuo genere. PERGEMVS.] perſeuerabimus. uel incipiemus. Vt Virgilius: Pergite, Pierides. ideſt, incipite. Hactenus docilem, & attentum facit auditorem. beneuolum uero, finito prooemio, eſt facturus.

GENVS . DELIBERATIVVM

DELIBERATIONES partim ſunt huiuſmodi, ut quaeratur utrum potius faciendum ſit; partim huiuſmodi, ut, quid potiſſimum ſit, conſideretur. Vtrum potius, hoc modo: Carthago tollenda, an relinquenda uideatur. Quid potiſſimum, hoc pacto: ut, ſi Hannibal conſultet, cum ex Italia Carthaginem accerſitur, an in Italia remaneat, an domum redeat, an in Aegyptum profectus occupet Alexandriam. Item deliberationes partim ipſae propter ſe conſultandae ſunt, ut, ſi deliberet ſenatus, captiuos ab hoſtibus redimat, an non: partim propter aliquam extraneam cauſſam ueniunt in deliberationem, & conſultationem, ut, ſi deliberet ſenatus, bello Italico ſoluat ne legibus Scipionem, ut eum liceat ante tempus conſulem fieri: partim & propter ſe ſunt deliberandae, magis propter extraneam caußam ueniunt in conſultationē, ut, ſi deliberet ſenatus, bello Italico ſociis ciuitatem det, an non. In quibus cauſſis rei natura faciet deliberationem, omnis ratio ad ipſam rem accommodabitur. In quibus extranea cauſſa conficiet deliberationem, in his ea ipſa erit cauſſa adaugenda, aut deprimenda.

EXPLANATIO

DELIBERATIO relatiuum eſt: fundamentum habet, res futuras: terminum, ſentētiae dictionem. In hoc genere nihil eſt potentius opinione probitatis, ac prudentiae: quare is, qui conſilium eſt daturus, uir bonus ſit, ac ſapiens, neceſſe eſt, ut coniuncta ſit cum auctoritate dignitas. Partes huius generis, ſiue formae duae ſunt: ſuaſio, ac diſſuaſio. Finis, utilitas, ad quem omnia in conſilio dando referuntur. Materia, quam Ariſtoteles τὸ ὑποκείμενον appellat, ideſt ſubiectum, eſt conſultatio de rebus futuris: ideoq. etiam ſtatus eſt ςοχασμὸς, an ſit ſuſcipiendum id, quod ſuadetur. Incipit hoc in loco auctor ſtatim a deliberationum diuiſione, quae eſt bipartita. Prima enim a materia ſumitur: materia omnis deliberatiui generis eſt, uel ἁπλῆ, uel eſt συμπεπλεγμένη. ἁπλῆ ſimplex eſt, in qua eſt unius rei uel affirmatio, uel negatio: ideo dicit, Vtrum potius faciendum ſit: ut, An Carthago relinquenda ſit, uel non. Hic enim & ſuaſor rem unam affirmat, & eandem diſſuaſor negat. Coniuncta eſt, in qua plura deliberantur, ut in Hannibalis exemplo. Primum eſt utilitas remanendi, deinde neceſsitas redeundi, tertio occaſio occupandi. Altera diuiſio eſt a perſonis ſumpta. Vel enim deliberatio ad praeſentē auditorem pertinet: ut, An captiuos ſenatus redimere debeat, uel non. haec enim quaeſtio ad Romanos tantum ſpectat. Vel ad perſonam extraneam, & abſentem: ut, An C. Caeſaris abſentis ſit habēda ratio. nam haec quaeſtio magis ad Caeſarem, quam ſenatum, pertinet: ideoq. non praeſentis eſt conſilij, ſed rei extraneae. Vel eſt compoſita ex praeſenti perſona, & extranea cauſſa: ut in Miloniana, an Pompeio contra Mithridatem committendus ſit exercitus. haec enim quaeſtio & propter populum R. & propter Pompeij perſonam in conſultationem uenit. quamobrem in ea oratione Cicero & de populi ſalute, & de Pompeij uirtutibus amplificationem inſtituit.

RELINQVENDA] in priſtino ſtatu. quod potiſsimum exemplum alterius ſpeciei deliberationis trimēbris. nam ſuperior fuit bimembris. ACCERSITVR,] nam, cum Hannibal ueniſſet in Italiam ad infeſtandam urbem Romam, miſerunt Romani exercitum in Africam duce Scipione, cuius imperio deuicta eſt Carthago, & Romanorum ditioni ſubiecta. quare Hannibal reuocabatur. PROPTER *ſe*] propter propriam utilitatē, non alienam. quod honeſtum eſt; utpote, ciues ex captiuitate redimere. ALIQVAM *extraneam cauſſam*] imminens periculum; & non propter ſe. PROPTER *ſe*] propter honeſtum, nam honeſtum eſt, ſociis, & confoederatis fidem habere. PROPTER *extraneam cauſſam*] propter utilitatem. nam, etſi honeſtum eſt, habere potius ſocios pro ciuibus, quam alienos; tamen magis conducibile eſt, curare, ne regnum pereat, & reſpublica. quoniam fide magis pugnabunt ſocij, quam alieni. IN *quibus cauſſis, &c.*] Haec praecepta ad tractationem ſecundae diuiſionis deliberationum pertinent. Rei enim natura deliberationem faciet, cum res ipſa καθ' αὑτὸ, ideſt, propter ſe conſultanda eſt: ut, An captiuos ſenatus redimere debeat, uel minus. In hoc exemplo rei natura eſt, captiuitatis conſideratio: de qua praecipue deliberandum erit. Extranea cauſſa eſt, δι' ἄλλο, ideſt, quae aliunde adiungitur: ut in exemplo Scipionis deliberatur, num legum auctoritas, quae cauſſa eſt extranea, potius ſit frangenda, quam reip. conſulendum: cum nemo ſit, qui melius opponi Hannibali poſsit, quā Scipio. Hic propter utilitatem maiorem, legi, quae reip. conſeruandae gratia lata fuerat, nonnihil derogatur: & utilitas, quae, lege non ſeruata, ex Scipionis conſulatu capi poteſt, maxime adaugetur. Idem fit in Maniliana. REI *natura faciet deliberationem,*] in quibus deliberatio fiet propter ſe, ideſt propter honeſtum. *Rei natura*: honeſtas, & honeſta cauſſa. OMNIS *ratio ad ipſam rem accommodabitur.*] omnia argumenta tunc adducenda ſunt, & accommodanda tantummodo ad eam ipſam rem probandam, uel improbandam, de qua fit dubitatio. *Omnis ratio*: ambarum partium, quae in ſenatu diſſentiunt: ut, Tollenda eſt Carthago, non eſt tollenda. *Accommodabitur*: ad amplificandam, & commodandam honeſtatem.

FINIS . DELIBERATIVI . GENERIS

OMNEM orationem eorum, qui ſententiam dicent, finem ſibi conueniet utilitatis proponere, ut omnis eo totius orationis ratio conferatur. Vtilitas in duas partes in ciuili conſultatione diuiditur, tutam, & honeſtam. Tuta eſt, quae conficit inſtantis, aut conſequentis periculi uitationem qualibet ratione. Haec diſtribuitur in uim, & dolum: quorum aut alterum ſeparatim, aut utrumque ſumemus coniunctim. Vis ſecernitur per exercitus, claßes, arma, tormenta, euocationes hominum, & alias huiuſmodi res. Dolus conſumitur in pecuniam, pollicitationes,

licitationes, diſſimulationes, maturationes, mentitiones, & ceteras res, de quibus magis idoneo tempore loquemur, ſi quando de re militari, aut de adminiſtratione reip. ſcribere uelimus.

EXPLANATIO

DIVISIT deliberationes, earumq. oſtendit materiam: nunc etiam finem, ad quem omnia in conſilio dando, ſententiaq. dicenda referuntur indicat. Finis eſt utilitas: Ariſtoteles τὸ χρήσιμον appellat, καὶ ἄχρηστον. hoc omittendum, illud ſuſcipiendum eſt. Adhibentur tamen aliorum etiam generum fines, ſed illi ſunt improprij: ut iuſtum & iniuſtum, honeſtum & inhoneſtum: proprius uero finis eſt utilitas. Reſpicit autem hic auctor non philoſophos, quia negant id eſſe utile, quod cum honeſtate pugnat, ſed remp. in qua non ſolum cũ ſenatu, ac prudentibus uiris, ſed etiam cum plebe agitur, quae utilitate maxime permouetur. Sed reuera philoſophi recte ſenſerunt: nihilq. ſuadendum, nedum ſuſcipiendum eſt uiro bono, quod utile quidem, ſed non honeſtum eſſe poteſt. Exſtant plura in hiſtoriis exempla, in quibus laudatur M. Regulus, ob ſeruatam fidem: uituperatur is, qui, pactis indutiis, noctu agros populabatur. Quare numquam id iudicabitur eſſe utile illi, qui conſilium dabit, quod honeſtum non erit: praeſertim apud expolitum genus hominum, quos Ariſtoteles χαρίεντας appellat, qui rebus omnibus dignitatem anteponunt. Ideoq. illis laus, honor, gloria, fides, iuſtitia, religio, pietas proponenda ſunt. Sed, quia uulgus utilitatem honeſtati anteponit, propterea quod opinionibus regitur: orator illi utilitatem ſolam, & aliquando etiam uoluptatem, tametſi uirtuti maxime ſit contraria, proponet: non ut deteriores, ſed meliores ciues faciat. Sic enim decipiendi ſunt, qui ad honeſtatem ueritate duci non poſſunt. Vtilitatem hoc in loco auctor diuidit in tutam, & honeſtam. tuta eſt, quae moleſtiae, & periculi nihil habet. χρήσιμον, ἀκίνδυνον, καὶ ἄλυπον. honeſta eſt, quae laudem etiam ſecum affert, τὸ καλόν. Sed, cum utilitas in diſcernendis bonis, maliſq. uerſetur, ut Cicero in Partitionibus docet, bonorum diſcrimen ſcire oportet. Sunt autem bona quaedam ἀναγκαῖα, non neceſſaria, ſine quibus uiuere poſſumus. Horum alia καθ' αὑτὸ ἀγαθά ἐστι, ideſt per ſe bona, ideoq. expetenda: ut ſunt ea, quae ſita ſunt in officiis, atque uirtutibus. alia uero δι' ἄλλο ἀγαθά, propterea quod aliquid commodi efficiunt: ut opes, & copiae, quae inſtrumenta ſunt comparandarum, ac colendarum uirtutum. Rurſus eorum, quae per ſe bona ſunt, quaedam honeſtate cenſentur, quaedam uero commoditate aliqua tantum. Honeſtate expetuntur ea, quae proficiſcuntur a uirtutibus, earumq. actionibus, quae ſunt per ſe laudabiles, nemoq. illis abuti poteſt. Commoditate aliqua cenſentur, quae tametſi utilia ſunt, tamen abuti illis aliquis poteſt. huiuſmodi ſunt, ea, quae ſunt in corporis, aut fortunae bonis expetenda: quorum alia ſunt quaſi quodam modo cum honeſtate coniuncta, ut honos, & gloria: alia diuerſa, ut uires, forma, ualetudo, nobilitas, diuitiae, clientelae, amicitiae. Horum omnium diuiſio in demonſtratiuo ad laudandum inſtituitur: hic uero ad cohortandum, in quo ualeat plurimum, quemadmodum in dehortando contraria. Habent enim multa inter ſe communia demonſtratiuum, & deliberatiuum genus, differunt forma dicendi. Sed maior labor in hic eſt inſumendus, quae per ſe expetuntur: ut ſunt uirtutes, quarum uim, & dignitatem pauci intelligunt. Suaſori autem, aut diſſuaſori illa prima ſunt uidenda, quid aut poſsit fieri aut non poſsit: & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. Quae enim omnino fieri nequeunt aut quae factu ſunt facillima, quaeq. magnam, ac perſpicuam uel utilitatem, uel incommoditatem habent, ea ſunt ἀσύστατα, nec in deliberationem cadunt. Deliberatio igitur in ſuadendo eſt eorum, quae ſunt utilia, neceſſaria, facilia: τὸ χρήσιμον, τὸ ἀναγκαῖον, τὸ δυνατόν. in diſſuadendo contra, τὸ ἄχρηστον, τὸ μὴ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ ἀδύνατον. Sed ſuaſori ſimplex ratio proponitur, ut, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat. diſſuaſori duplex: una, ſi non utile eſt, ne fiat: altera, ſi non fieri poteſt, ne ſuſcipiatur. Sic ſuaſori utrumque docendum eſt, diſſuaſori alterum infirmare ſat eſt. Verum τὸ δυνατὸν duplex eſt. uel enim per ſe eſt facile, uel comparatione: cum difficile quidem eſt, ſed, quia maior eſt utilitas, quam difficultas, pro facili habetur. Fiunt etiam difficilia facultate facilia. facultas autem uel in ui, uel in dolo conſiſtit: quae duo, ſi coniuncte ſumuntur, perfectam utilitatem faciunt: ſi alterum eorum ſeparatim, imperfecta utilitas erit. Vis autem uel eſt moderata, ut ſunt pecunia, arma, inſtrumenta militaria, & euocationes hominum, ideſt imminutiones hoſtium, cum euocantur ab hoſtibus quidam, ut eorum uis infringatur. uel eſt uiolenta: ut ſunt exercitus, claſſes, tormenta, & potentia nimia. Dolus conſumitur maxime in pecuniam numeratam, in pollicitationes, ſcilicet pecuniae, & aliarum rerum: in diſsimulationes, cum milites fugiendo diſsimulant ſe eſſe animoſos, ut hoſtes e loco meliore euocent: in maturationes, ideſt, celeritatem, quae in Alexandro Magno, & Iulio Caeſare maxime laudatur. & in mentitiones: ut, cum non poſſet Troia ui expugnari, Graeci equum ſunt fabricati, quem mentitionibus in urbem introduxerunt. Huiuſmodi multa in re militari docentur: eo enim res peruenit, ut dolo magis, quam uirtute, pugnetur.

QVI *ſententiam dicent,*] qui deliberabunt. Triplex eſt ſententia, ſcilicet Expoſitio, Color rhetoricus, & Conſilij captatio. quo modo hic accipitur. FINEM *utilitatis*] nam finis, quem debet orator intendere ſua in oratione, eſt utilitas. nam, ut inquit philoſophus, proponitur finis conſulenti conferens, ideſt utile. nam, ſi quid orator dicturus eſt, quod in uirtutem tendat, debet utilitatem proponere, & non uirtutem. debet tamen id poſtea ad uirtutem adducere. nam, cum populus extranea magis optare uideatur, quam ea, quae ſunt, eum neceſſe eſt utilitatem praeponere honeſto. quoniam difficile eſſet populo perſuadere, ſi honeſtum praeponeretur utili. OMNIS *ratio*] omnia argumenta, quae ſunt in oratione. Eo] ad utilitatem. TOTIVS *orationis*] quae eſt in tota oratione. IN *ciuili conſultatione*] in ciuili concione, in qua petitur conſilium, ad differentiam aliarum conſultationum, & concionum. nam multiplex eſt utilitas. quaedam ſimplex, quae nullam habet honeſtatem, & uirtutem: quaedam uirtuti miſta. In dicendo autem uertitur utilitas tuta, & honeſta.

INSTANTIS,] praeſentis. CONSEQVENTIS] futuri, ſiue ſit imminens, ſiue remotum. Duplex eſt, remotum, & remotiſsimum. QVALIBET *ratione*.] quouis modo, uel iure, uel iniuria, uel diſſenſione, uel odio, uel dolo. EXERCITVS,] copias terreſtres. CLASSES,] exercitum maritimum. ARMA,] homines armatos. TORMENTA,] machinae ſunt bellicae, ut baliſtae, arietes, & huiuſmodi complura. AVOCATIONES *hominum*,] alias, Reuocationes. ideſt, reſtaurationes. nam ſaepe contingit in bello, diuidere milites per turmas, & centurias. ſed, quia aliquando una quaeuis centuria per ſe parum eſt firma, adduntur duae, uel tres ſimul, ut firmiores ſint. quae res appellatur a nonnullis Reſtauratio, ut a Vegetio; ab hoc, Reuocatio cum exſules ad tutelam patriae reuocantur. Sunt, qui legant, Euocationes, ut dixi, ideſt, imminutiones hoſtium, cum euocantur ab hoſtibus quidam, ut eorum uis infringatur. DOLVS] pro bono conſilio accipitur. fit enim, quod is tutus eſſe poſsit, & cautus per pecuniam, per quam facit hoſtes, & inimicos expugnari, & ita fit tutus per cautelam. fit item tutus per promiſsiones, per diſsimulationem. CONSVMITVR] abſolute, & perfecte diuiditur. PECVNIAM,] per quam nos defendimus ab hoſtibns, & eos expugnamus. POLLICITATIONES,] ut Ouidius:

Pollicitis tutus quilibet eſſe poteſt.

DISSIMVLATIONES,] ſicut, qui, bello diſsimulato, hoſtes inuadit; &, cum, quaſi hoſtibus reſiſtere non poſsimus, damus nos in pedes, fugam ſimulantes. ut ſectantes nos hoſtes, in inſidias deducti, a noſtris intercipiantur. MATVRATIONES,] ut de Iulio Caeſare, qui Gallos de improuiſo occupauit, cum ex oriente fortiſsimos milites maturantes ad eam rem perficiendam miſiſſet. MENTITIONES,] ut de Sinone, qui per mendacia Troianos decepit. uel Mentitiones, ideſt, recordationes, cum res fortiter, & ſtrenue geſtas, in quibus bene, proſpereq. ceſsit, commemoramus. quod Sulla fecit apud ſenatum, cum milites ſui trepidarent aduerſante filio Bacchi, quo uerbo uſus eſt. Terentius Eunucho:

Si quando Phaedriae mentionem faciet, &c.

VTILITAS. HONESTA

HONESTA res diuiditur in rectum, & laudabile. Rectum eſt, quod cum uirtute, & officio fit. id diuiditur in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, modeſtiam. Prudentia eſt calliditas, quae ratione quadam poteſt delectum habere bonorum, & malorum. Dicitur item prudentia, ſcientia cuiuſdam artificij. Item appellatur prudentia, multarum rerum memoria, & uſus compluriam negotiorum. Iuſtitia eſt aequitas, ius unicuique tribuens pro dignitate cuiuſque. Fortitudo eſt rerum magnarum appetitio, & rerum humilium contemptio, & laboris cum utilitatis ratione perpeſſio. Modeſtia eſt in animo continens moderatio cupiditatum.

EXPLANATIO

PARS utilitatis altera, eſt res honeſta, quae in uirtute ſpectatur. Vtitur autem hoc in loco methodo tripartita. Primum enim diuidit rem honeſtam in ſuas partes, deinde eaſdem definiendo explicat, poſtremo ſingularum oſtendit tractationem. Atque id fieri ſolet, cum rem aliquam plene docere uolumus. Honeſtas igitur in rectum diuiditur, & laudabile. rectum appellat id, quod ſine controuerſia bonum eſt. Graeci κατόρθωμα, καὶ ἀναμφισβήτητον ἀγαθὸν appellant. Diuiditur in habitum, & actionem, ideſt in uirtutem, & officium. eſt enim κατόρθωμα φυσικὸν naturale, quod eſt donum diuinum, ut ſunt habitus uirtutis, ingenium prudens, iuſtum, temperans, moderatum. eſt etiam ἀνθρώπινον, ut actio, & officium hominis, quod habitum in homine probet, & exerceat, ne ſit otioſus. Officium autem illud in quattuor uerſatur rebus, prudentia, iuſtitia, fortitudine, temperantia. Prudentia a Graeco φρόνησις dicta eſt, ἀπὸ τῶν φρενῶν, ideſt a mente. eſt enim mentis calliditas, & acumen & ingenij rectitudo, quae uerſatur circa bona comparanda, augenda, atque conſeruanda: mala uero abiicienda, compenſanda, depellenda. Ponit hoc in loco tres eius definitiones; in prima, quae eſt generalis, prudentia ἕξις eſt ἠθική: in ſecunda ἐπιστημονική, ſiue διανοητική & ſignificat τέχνην. huiuſmodi prudentiam omnibus mechanicis poſſumus attribuere. Ariſtoteles apibus, & araneis tribuit. In hac autem definitione habitus corporis pro intellectu ſumitur. in tertia pro ἐμπειρία, ideſt experientia ponitur: quae neque ingenio, neque artificio, ſed longo rerum uſu comparatur. Poſteriores igitur definitiones factae ſunt κατὰ κατάχρησιν. Iuſtitiam appellat aequitatem, eiuſdem prope ſignificationis uerbo, quae ius unicuique ſuum tribuit, id etiam iuriſconſulti dicunt. Cum addit, Pro dignitate, ideſt condicione, & ſtatu cuiuſlibet, maxime reſpicit eam iuſtitiae partem, quam diſtributiuam philoſophi appellant. Fortitudinis tria ponit genera. priora duo inter ſe ſunt contraria. neque enim appetere magna poteſt, niſi humilia contemnat. Perpeſsio laboris, conſequens eſt appetitionis. Sed haec omnia cum utilitatis ratione fieri debent, pro patria, pro libertate, pro religione, pro liberis, &c. ne audacia potius, & temeritas, quam fortitudo ſit. Modeſtiam Cicero continentiam, atque temperantiam, Ariſtoteles ἐγκράτειαν, καὶ σωφροσύνην appellat: quia τὰς φρένας σώζει, hoc eſt, mentem, atque rationem conſeruat. Eius eſt officium, ſedare animi perturbationes; rerum modum perſcribere, & in omnibus τὸ πρέπον obſeruare. Vult hoc in loco auctor, moderationem eſſe continentem: quia perpetua eſt cum cupiditatibus pugna rationi. Prolixior uirtutum tractatio ex Ethicis eſt petenda, quae oratori in omni cauſſarum genere magnam ſuppeditant copiam.

HONESTA *res*] Docuit de parte utilitatis, quae Tuta dicitur. nunc agit de parte honeſtae utilitatis. & diuidit Honeſtum, quod eſt utile, in rectum, & laudabile. nec eſt intelligendum, ut quidam uolunt, quidquam

rectum eſſe,quod non ſit laudabile. hanc uero partem honeſtae utilitatis non per definitionem aperit,ſed per diuiſionem. RECTVM *eſt,*] Declarat membra. Duplex eſt rectum,reale,& intentionale. de hoc ſecundo hic intelligit. CVM *uirtute,*] nam uirtus,ut placet philoſopho,eſt habitus animae,naturae modo conſentaneus. ET *officio*] ideſt,honeſtate. Officium eſt congruus actus ſecundum mores patriae,& inſtituta. nam, quod cum uirtute fit,& honeſtate,id recte fieri dicitur. & illud idem,cum fit famoſe, Laudabile dicitur,ita, quod ab omnibus laudetur. CALLIDITAS,] ſcientia. RATIONE *quadam*] diſcretione. ut de Inuentione Cicero. DELECTVM] electionem. CVIVSDAM *artificij.*] cuiuſdam artis, uel Rhetoricae, uel Logicae, uel alterius artis mechanicae. ut, Prudens architectus, Prudens faber. MVLTARVM *rerum memoria,*] nam, qui multis in negotiis eſt uerſatus,& plurima expertus eſt, ſatis commode ſibi prouidere poteſt. Et haec deſcriptio data eſt per diuiſionem; quoniam haec uirtus habet tres partes,intelligentiam, cognoſcere bonum a malo: prouidentiam,futura prouidere: memoriam praeteritorum,uſus; nam habere ſcientiam, nec eam ſcire exercere,non ſatis eſt. IVSTITIA] Cicero tres partes facit,Ius naturae,Ius conſuetudinis,Ius legis. CVM *utilitatis ratione*] nam,ſi quid appetimus ſine utilitatis ratione,nimirum temeritatis eſt:&,ſi cum cauſſa priuata id fiat,dicitur Audacia; ſi cum publica,dicitur Fortitudo. Et Partes habet quattuor, Magnificentiam, Fidentiam,Patientiam,Perſeuerantiam. MODESTIA,] alias dicta Temperantia. partes habet tres,Continentiam,Clementiam,& Temperantiam. CONTINENS] perſeuerans. nam aliter non eſſet modeſtia, nec uirtus. nam abſtinere ab aliqua re non ſufficit, niſi id perſeueranter fiat animo. MODERATIO] moderata actio.

PRVDENTIAE autem partibus utemur in dicendo,

Si commoda cum incommodis conferemus,cum alterum ſequi,uitare alterum cohortemur. ut, ſi conſultetur, confligendum Scipioni,& decertandum cum hoſte ſit, necne, & commoda pacis,& belli incommoda enumerentur.

Si qua in re cohortabimur aliquem, cuius rei aliquam diſciplinam, ſcientiamq. poterimus habere: & quo modo,aut qua quidque ratione fieri oporteat,oſtendemus: ut,ſi quis dicat,iam eſſe confligendum, & decertandum cum hoſte: quia & locus & tempus, & ratio ferat.

Si ſuadebimus quippiam,cuius rei geſtae aut praeſentem,aut auditam memoriam poterimus habere, qua in re facile id,quod uelimus,exemplo allato perſuadere poterimus: ut, Auctoritate igitur ſenatus, conſenſuq. populi Romani firmiſsimum exercitum inuicto genere ueteranorum militum ad Carthaginem obſidendam comparemus. Memini enim noſtros patres Africam ſic olim expugnaſſe,ut ſuis praeſidiis plane occupatam, & obſeſſam tenerent.

IVSTITIAE partibus utemur,ſi dicemus,

Aut innocentum,aut ſupplicum miſereri oportere.

Bene merentibus gratiam referri conuenire,& ulciſci male meritos oportere.

Fidem magnopere conſeruandam.

Leges,& mores ciuitatis egregie conſeruari oportere.

Societates,atque amicitias ſtudioſe coli conuenire.

Quod ius in parentes,deos,patriamq. natura comparauit,id religioſe colendum.

Hoſpitia,clientelas,cognationes,affinitates caſte colendas eſſe.

Nec prece,nec pretio,nec gratia,nec periculo,nec ſimultate a uia recta deduci oportere.

In omnibus aequabile ius ſtatui conuenire.

Rem,quam in concione aut in conſilio faciendam eſſe cenſebimus, iuſtam eſſe, & contrariis partibus iniuſtam. Ita fiet,ut eiſdem locis ad ſuadendum,& ad diſſuadendum ſimus comparati.

FORTITVDINIS partibus utemur,ſi oſtendemus,

Res magnas,& excelſas ſequi,& appeti oportere: & item res humiles,& indignas uiris fortibus uiros fortes propterea contemnere oportere, nec idoneas dignitate ſua iudicare.

A nulla re honeſta periculi,aut laboris magnitudine deduci oportere: antiquiorem mortem turpitudine haberi: nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur: nullius pro rei ueritate metuere inimicitias.

Quodlibet pro patria,parentibus,hoſpitibus,amicis,& iis rebus,quas iuſtitia colere cogit,adire periculum, & quemlibet ſuſcipere laborem.

MODESTIAE partibus utemur in dicendo,

Si nimias libidines honoris,pecuniae, ſimiliumq. rerum uituperabimus.

Si unamquamque rem certo naturae termino definiemus.

Si denique,quod cuique ſatis eſt,oſtendemus,& nimium progredi diſſuadebimus,& modum unicuique rei ſtatuemus.

TRACTATIO. VIRTVTVM

PRVDENTIAE *partibus utemur in dicendo, ſi commoda cum commodis conferemus, cum alterum ſequi,uitare alterum cohortemur. Aut ſi qua in re cohortabimur aliquem,cuius rei aliquam diſciplinabilem ſcientiam poterimus habere,&,quo modo,aut qua quidque ratione fieri oporteat, oſtendemus. Aut ſi ſuadebimus quippiam, cuius rei geſtae aut praeſentem, aut auditam memoriam poterimus habere: qua in re facile id,quod uelimus,exemplo allato perſuadere poſſimus. Iuſtitiae partibus utemur, ſi aut innocentum, aut ſupplicum dicemus*

miſereri

miſereri oportere: ſi oſtendemus bene merentibus gratiã referri conuenire: ſi demonſtrabimus ulciſci male meritos oportere: ſi fidem magnopere cenſebimus conſeruandam: ſi leges, & mores ciuitatis egregie dicemus ſeruari oportere: ſi ſocietates, atque amicitias ſtudioſe dicemus coli conuenire: ſi, quod ius in parentes, deos, patriam natura comparauit, id religioſe colendum demonſtrabimus: ſi hoſpitia, clientelas, cognationes, affinitates caſte colendas eſſe dicemus: ſi nec prece, nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec ſimultate a uia recta oſtendemus deduci oportere: ſi dicemus in omnibus ius aequabile ſtatui conuenire. His itaque huiuſmodi partibus iuſtitiae, ſi quam rem in concione, aut in concilio faciendam cenſebimus, iuſtam eſſe oſtendemus: contrariis iniuſtam. ita fiet, ut eiſdem locis & ad ſuadendum, & ad diſſuadendum ſimus parati. Sin fortitudinis retinendae cauſſa faciendum quid eſse dicemus, oſtendemus res magnas, & excelſas ſequi, & appeti oportere: & item res humiles, & indignas uiris fortibus uiros fortes propterea contemnere oportere, nec idoneas dignitate ſua iudicare. Item, a nulla re honeſta periculi, aut laboris magnitudine deduci oportere: antiquiorem mortem turpitudine haberi; nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur; nullius pro rei ueritate metuere inimicitias; quodlibet pro patria, parentibus, hoſpitibus, amicis, & iis rebus, quas iuſtitia colere cogit, adire periculum, & quemlibet ſuſcipere laborem. Modeſtiae partibus utemur, ſi nimias libidines honoris, pecuniae, ſimiliumq. rerum uituperabimus: ſi unamquãque rem certo naturae termino definiemus: ſi denique, quod cuique ſatis ſit, oſtendemus, & nimium progredi diſſuadebimus, & modum unicuique rei ſtatuemus.

EXPLANATIO

OSTENDIT iam ſingularum uirtutum tractationem, & locos, ex quibus & ſuaſori, & diſſuaſori emendae ſunt ſententiae, quantum eſt neceſſe in hoc genere cauſſae. Prudentiam diuidit in προτροπὴν, καὶ δίδαξιν. nam & cohortandus, atque excitandus eſt ad rem aliquam auditor, &, quo modo ea res confici poſsit, docendus. προτροπὴ, cohortatio duo habet, σύγκρισιν, καὶ παράδειγμα. primum enim commoda, quae ex ea re, quam ſuademus, cum incommodis, quae patimur, comparãda ſunt: ut haec uitemus, illa uero ſequamur. Vt, ſi quis bellum ſuadeat contra Turcas, quae ille enumerabit damna, quas miſerias, quae futura pericula? contra uero, quae commoda oſtendet ex locis recuperatis? Deinde, exemplo allato, id, quod uolumus, perſuadebimus facile. Exempla ponit duplicia: recentia, & praeſentis temporis, ſi habere illa poſſumus; & uetera, quae plerũque auctoritatem habent maiorem. Inter comparationem, & exempla poſuit δίδαξιν, doctrinam: haec etiam duplex eſt. primum enim τὰς δυνάμεις, facultates oſtendet: deinde modum, qua ratione id, quod ſuademus, fieri oporteat, terra ne, an mari, an utroque loco, &c. Sed, cum nemo id docere poſsit, quod non nouit: ideo Ariſtoteles lib. I. Rhetoricorum prudenter docet, maximum, & potentiſsimum eſſe ad perſuadendum, & bene conſulendum, noſſe rerumpubl. ſtatus, mores, leges, utilitates, uectigalia, prouentus, impenſa, & quaecumque in remp. importantur, & exportantur.

SI *commoda*] hoc ad primam prudentiae deſcriptionem pertinere uidetur. In quo notamus prouidentiam. CONFEREMVS,] comparabimus. SEQVI,] commodnm. VITARE] incommodum. AVT *ſiquaiare*] demonſtrat argumentari per ſecundam partem prudentiae, quae dicitur Intelligentia. ALIQVAM *diſciplinabilem ſcientiam*] ſiue mechanicam, ſiue liberalem. ut in expugnando opido, uel diſcenda aliqua uirtute. QVO *modo*] quantitatem reſpicit: ut altam foſſam facere, uel ligneam turrim, ad expugnanda opida. QVA *ratione*] ad qualitatem refertur. ut ſi dicam, Aqua poterit haec foſſa repleri; uel, A turri ſic expugnabimus. AVT *ſi ſuadebimus*] Docet arguere per tertiam partem prudentiae, quae Memoria uocatur. AVT *praeſentem, aut auditam memoriam*] hoc eſt, earum rerum, quas aut uidimus, aut audiuimus. EXEMPLO *allato*] propoſito alicuius exemplo. IVSTITIAE *partibus*] Iuſtitia locos habet decem. Primus ex contrariis conſtat, miſericordia in innocentes, & ſaeuitia in nocentes: ut enim illi defendendi ſunt, ita hi puniendi, ut pax, & tranquillitas in rep. conſeruetur. Alter eſt, relatio gratiae: uix enim aliquid magis alienos reddit homines, quam beneficiorum obliuio. contra animus gratus facile impetrat, quidquid uolet. Tertius eſt uindictae: eſt enim turpe multos mori, & acceptam iniuriam non ulciſci. Quartus, fidei eſt: ut praeſtetur, ſi quid eſt promiſſum. Quinctus eſt, cum leges, iuraq. conſeruanda eſſe dicemus: quod fieri non poſſe oſtendemus, niſi reſiſtamus. Sextus eſt, ſocietatum, atque amicitiarum, quae plurimum in ſuadendo bello ponderis habent. Septimus locus cum quincto poteſt coniungi: ſi enim pro legibus, ac moribus ciuitatis eſt pugnandum, etiam pro pietate, ac religione pugnandum erit. Octauus eſt, neceſsitudo cum hoſpitibus, clientibus, cognatis, & affinibus: quae ſancte nobis eſt colenda, ſi homines eſſe uelimus. Nonus, integritas, cum non patimur nos nulla re corrumpi. Poſtremus eſt aequitatis, qui eſt generalis, quoniam ſuperiora omnia complectitur. Ea enim praecipit, ut, quae nobis uelimus fieri, ea aliis ipſi faciamus. AVT *innocentum*,] ſine culpa. AVT *ſupplicum*] qui, cum peccarunt, ſupplicant, ut eis ignoſcatur. quod pertinet ad pietatem. SI *oſtendemus*] In ſecunda parte iuſtitiae docet nos arguere. quae Gratia uocatur, ſiue Gratitudo. BENEMERENTIBVS] inſeruientibus nobis. SI *demonſtrabimus*] tertia pars, quae dicitur Vindicatio. MALE *meritos*] nocentes. SI *fidem*] quarta pars, quae dicitur Pactum. LEGES,] quoad iuſtitiam ſcriptam. SOCIETATES,] Socij uere dicuntur, qui ſunt foedere aliquo ſimul coniuncti. AMICITIAS] Amici, qui amore mutuo tenentur. PARENTES,] ad pietatem refertur. DEOS,] ad religionem. NATVRA] naturalis iuſtitia. HOSPITIA,] Sane maxima eſt uis Hoſpitalitatis, de qua multa traduntur in legibus. CLIENTELAS,] de iure clientelae multa habentur. multitudinem clientum, qui uel a domino, uel patrono expetunt patrocinium. dicti, quaſi Colentes. COGITATIONES,] ex linea feminina coniunctiones.

AGNA-

Agnationes,] ex linea maſculina. Affinitates] ab uxoribus. Gratia,] amore, beneficio. Simvltate] occulto odio. Aeqvabile *ius*] aequum ius, quod pertinet ad par. quod Cicero in libris de Inuentione nominauit partem iuſtitiae. His, *atque huiuſmodi*] Epilogum addit tractationi huic: & oſtendit his locis ſuaſorem, contrariis diſſuaſorem uti poſſe. Si enim per partes ſuademus, ipſas commẽdemus, & amplificmus; ſin uero ab iis dehortari uelimus, hoc eſt ſi diſſuadebimus, attenuemus. nam nemo erit, qui cenſeat, a uirtute decedendum, niſi illa res attenuetur his rationibus. In *concione*,] quae ad genus demonſtratiuum refertur. In *conſilio*] ad deliberatiuum. Locis] argumentis. Svadendvm,] reſpicit Iuſtam. Dissvadendvm] reſpicit, Iniuſtam. Sin *fortitudinis*] Fortitudo duos habet locos, προτροπὴν, καὶ ἀνασκευήν. Προτροπὴ eſt ipſa adhortatio, & confirmatio ad res fortiter gerendas. haec σύγκρισιν habet rei, ad quam hortamur, cum re ſimili, diſsimili, differente, uel pugnante: ſic, ut res magnae, & excelſae ſequi, & appeti, humiles, & indignae uiris fortibus contemni oportere uideantur. ita comparatio rerum eſt contrariarum. Ἀνασκευὴ eſt eorum, quae obiici poſſunt, refutatio. Haec fit primo προτάσει, propoſitione: a nulla re honeſta periculi, aut laboris magnitudine deduci oportere. deinde συγκρίσει κατ᾽ ἀντικατάλλαξιν, antiquiorem mortem turpitudine haberi: nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur: nullius &c. προτροπὴ & bonarũ, & malarum eſt rerum: ἀνασκευὴ uero duorum tantorum malorum, quae inter ſe conferuntur: ut, habet quidem fortitudo multa propoſita pericula, ſed ignauia affert infamiam. Ostendemvs] Spectat primam partem fortitudinis. Magnas,] utiles, & honeſtas. Pertinet ad ſecundam partem fortitudinis. Excelsas] magnae dignitatis. nam, cum Magnus dicatur, & cum uirtute, & ſine uirtute; iccirco ſubdit, *Excelſas*, ideſt cum uirtute. Seqvi,] ſectando efficere. nam, ſi non reducerentur ad effectum, nihil eſſet, etiã ſi id optaremus. uirtutis enim laus omnis in actione conſiſtit: ut ait Cicero de Off. lib. I. Appeti] deſiderari. nam debemus eas ſponte noſtra ſequi, non inuitati. quoniam nihil eſt honeſtum, quod idem non ſit uoluntarium. ut idem Cicero ait eodem loco. A *nulla*] tertia pars fortitudinis, ad quam ceterae partes uidentur pertinere. Per hanc igitur partem notat perſeuerantiam. Antiqviorem] cariorem. Tvrpitvdine] infamia. Et eſt alia pars fortitudinis. Ab *officio*] ab honeſto, & uirtute. Et haec alia pars eſt. Modestiae *partibus*] Habet huius uirtutis tractatio primum ψόγον, deinde δίδαξιν. ψόγος uituperatio eſt rei nimiae, & excedentis modum: cuius haec uirtus conſeruatrix eſt, ut refrenet cupiditates. Si autem modus exceditur, & cupiditates nimiae ſunt in pecunia, auaritia dicitur: ſi in uoluptatibus, libido, & luxuria: quae duo ſunt eorum, quos Ariſtoteles φορτικοὺς appellat. ſi uero honorum eſt, ambitio dicitur, eſtq. πολιτικῶν. Sunt autem & pecunia, & uoluptates, & honores media: ſiuntq. bona uſu, mala uero abuſu. Δίδαξις oſtendet uerum uſum, poſtquam ſatis uituperatus eſt abuſus: & modum praeſcribet in his omnibus, quod tum bona ſint pecunia, uoluptas, & honores; cũ ad ſalutem, atque utilitatem patriae comparata ſunt. Id indicat his uerbis: Si unamquamque rem certo naturae termino definiemus, ſi denique, quod cuique ſatis ſit, oſtendemus, & nimium progredi diſſuadebimus, & modum unicuique rei ſtatuemus. Terminus uero, & modus iſte, uirtus eſt, cuius formae ſunt: prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia: quae ſunt his contraria, uitia appellantur, quia modum excedunt. Nimias] licet enim honores, pecuniam, ceteraq. id genus appetere, ſed ea modice. nam omnis uirtus medium tenet. parum, & nimis, in uitio ſunt. extrema omnia, uitioſa. media uero, laudabilia. Vnamqvamqve *rem certo naturae termino definiemus.*] moderabimus ſecundum naturam ſuam: hoc eſt, modum imponemus. ut in hoc exemplo, docendi cauſſa: Caſtitas eſt, ſua cum uxore conſueſcere, & matrimonium rite ſeruare. Et haec pars dicitur Temperantia. Qvod *cuique ſatis ſit,*] Alia pars, quae uocatur Clementia. ut, pulchrum eſt capere honorem, ſed ſecundum modum.

DISSVASIO

Hvivsmodi partes ſunt uirtutis amplificandae, ſi ſuadebimus; attenuandae, ſi ab his dehortabimur, ut haec attenuentur, quae ſupra demonſtraui. nam nemo erit, qui cenſeat a uirtute recedẽdum. uerum aut res huiuſmodi non dicatur eſſe, ut uirtutem poſſimus egregiam experiri: aut in contrariis potius rebus, quã in his, uirtus conſtare oſtendatur. Item, ſi quo pacto poterimus, quam is, qui contradicet, iuſtitiam uocarit, nos demonſtrabimus ignauiam eſſe, & inertiam, ac paruam liberalitatem. Quã prudentiam appellarit, ineptam, & garrulam, & odioſam ſcientiam eſſe dicemus. Quam ille modeſtiam dicet eſſe, eam nos inertiam, & diſſolutam negligentiam dicemus. Quam ille fortitudinem nominarit, eam nos gladiatoriam, & inconſideratam appellabimus temeritatem.

EXPLANATIO

Hactenvs praecepta dedit τῆς προτροπῆς, quae αὐξητικὴ eſſe debet: nunc etiam περὶ τῆς ἀποτροπῆς, de diſſuaſione praecepit, quae methodo utitur contraria, & omnia, quae ſunt amplificata, attenuat. Huius duae ſunt partes, μείωσις, ἢ ὑποκορισμὸς, attenuatio: & σοφιστικὸς ὁρισμὸς, rhetorica uerbi deprauatio, quae ex diſputatione ſophiſtarum Protagorae, Gorgiaeq. nata eſt: qui dixerunt, homines ignauos inueniſſe iuſtitiam, cum non poſſent reſiſtere fortioribus, ut eos legibus, ac iudiciis coercerent, atque interimerent. Si *ſuadebimus:*] hoc eſt, ſi fidem facere uolemus auditori. Si *ab his dehortabimur,*] ſi diſſuadebimus. tunc enim diſſuaſor oſtendet res non eſſe tales, quales ſuaſor perſuadebat. aut docebit uirtutibus contraria eſſe in his, in quibus alter perſuadebat uirtutes ineſſe. uel, ſi poterit, oſtendet contrarium eſſe iuſtitiae id, quod alter appellauit iuſtitiam. & eodem modo de ceteris uirtutibus. Attenventvr,] Hic oſtendit, utendum eſſe in diſſuadendo

do μειώσει,attenuatione contra amplificationem uirtutum , quarum praecepta omnia non repetit . Cum autẽ turpe eſſe uideatur attenuare uirtutes,& ab illis quaſi recedere,ideo mox obiectioni occurrit his uerbis : Nam nemo erit,qui cenſeat a uirtute recedendum . &c . Oſtendet enim diſſuaſor,aut non tantam eſſe uirtutem,aut nullam in his rebus eſſe, de quibus in oratione ſua ſuaſor dixerit . A *uirtute recedendum :*] quoniam nemo poteſt eas uituperare . Cauſſam dicit,quare non poſſumus penitus uirtutes attenuare,ſed ex parte . QVAM *in his*] quas dixit ſuaſor . ut, ſi quis dicat,uirtutem eſſe,pecuniam pauperi dare,dicat diſſuaſor,maioris eſſe uirtutis,dare uni,quam alteri . ITEM, *ſi quo pacto*] Nunc docet, quo modo utendum ſit ὁρισμῷ τῆς λέξεως σοφιστικῷ debet enim diſſuaſor uerbum deprauare : quod tamen uiro bono in rebus ueris numquam faciendum eſt. Neque enim decet ex albo nigrum facere,aut contra . id quod omnibus gentibus ſemper fuit abominabile. IGNAVIAM] ut, ſi quis dicat, non eſſe facienda bella : quoniam malum eſt,aliena uaſtare ; ego contra dicam,potius eſſe ignauiam,quam iuſtitiam . *Ignauiam:* quoad animum . INERTIAM,] quoad corpus. PRAVAM *liberalitatem*] quae pars eſt iuſtitiae. QVAM *prudentiam*] alia repugnantia uirtutis. INEPTAM,] ut,ſi quis dicat,faciendum eſſe pontem,qui quinque millia paſſuum ſit. MODESTIAM] alia repugnantia . ut, ſi quis dicat,Modeſtia habenda in exſurgendo ante lucem e ſtrato,uel in ſtudendo ; ego dicam,non erit id modeſtia,ſed potius uel inertia,uel negligentia . FORTITVDINEM] Vltima repugnandi praeceptio . ut, ſi quis dicat,fortitudinem eſſe uiuere rapto, homines occidere, uel centum prodire obuiam mille uiris ; ego dicam, eſſe inconſideratam temeritatem .

LAVDABILE

LAVDABILE eſt, quod conficit honeſtam, & praeſentem , & ſequentem commemorationem. Hoc nos eo a recto ſeparauimus, non quod hae quattuor partes, quae ſubiiciuntur ſub uocabulo recti, hanc honeſtatis commemorationem dare non ſoleant ; ſed quamquam ex recto laudabile naſcatur, tamen in dicendo ſeorſum tractandum eſt hoc ab illo . neque enim ſolum laudis cauſſa rectum ſequi conuenit, ſed, ſi laus conſequitur, duplicatur recti appetendi uoluntas . Cum igitur erit demonſtratum rectum, laudabile eſſe demonſtrabimus, aut ab idoneis hominibus , ut ſi qua res honeſtiori ordini placeat, quae a deteriore ordine improbetur ; aut aliquibus ſociis, aut omnibus ciuibus, exteris nationibus, poſteriſq. noſtris.

EXPLANATIO

ALTERA honeſti pars eſt Laudabile, quod a recto proficiſcitur,& a Graecis Ἐπαινετὸν dicitur . Hoc in loco auctor primum definit,quid ſit Laudabile : deinde cauſſas indicat,cur a recto ſeparauerit : tertio docet,quo modo laudabile aliquid eſſe, oſtendendum ſit. LAVDABILE,] Laudabile eſt,quod cum uirtute,& officio coniunctum eſt,& nos,ut ait Cicero in II. de Inuentione,cum dignitate,tum fructu quoque ſuo ducit ad ſe : ideoq. honeſtam commemorationem conficit,& praeſentem,& conſequentem,propter gloriam,dignitatem,amplitudinem,atque amicitiam : de quibus copioſius in II. de Inuentione docet. HONESTAM *commemorationem &c.*] quaſi dicat,Laudabile eſt id,per quod homines laudantur praeſenti fama,& futura . *Commemorationem* : ideſt,laudem . HOC *nos a recto*] Oſtendit iam cauſſas, cur a recto ſeparauerit , cuius partes etiam laudabili conueniunt . Cauſſa autem ſeparationis eſt,quod rectum ſequi conuenit propter ſe, non laudis tantum gratia,quae ultro conſequitur . Ita enim,ut hic inquit,duplicatur appetendi recti uoluntas. Quãquam autem laudabile ex recto naſcitur,tamen ab eodem duobus modis differt . primo,ut effectum a cauſſa efficiente . Habitus cauſſae ſunt efficientes : actiones uero,propter quas homines aut laudantur,aut uituperantur,ſunt effecta . Vt ſapientia rectum eſt,& cauſſa efficiens : factum ſapienter, laudabile eſt, & effectum . Sic etiam Fides,quae iuſtitiae fundamentum eſt,rectum dicitur : fides autem Poenis a Regulo ſeruata , laudabile appellatur . Altero modo differunt, quod rectum cognitionem habet certam , laudabile incertam : quia non ſolum uirtutis,ſed etiam uitij ſpeciem habet : ideoq. laude,ac defenſione opus habet, ut rectum eſſe uideatur . Sunt enim actiones hominum ἀμφισβητήσιμα : &, quod hic faciẽdum cenſet, ille negat . Hinc etiam in demonſtratiuo genere ſtatus oritur . Manilius uictoriam filij ſui reprehendebat, non quia fortitudo uituperari poſſet,ſed quod edicto non paruerat . Virtutem enim nec laudamus,nec uituperamus, ſed uirtutis actiones : ideoq. laus eſt perſonarum,unde etiam dictum eſt laudabile . Sed,qui nouerit,quid ſit Rectum,ille etiam ſciet, quod ſit Laudabile. COMMEMORATIONEM] laudem,quam dat laudabile. HOC] laudabile. LAVDIS *cauſſa*] complures enim ſunt,qui ipſum rectum,hoc eſt ipſam uirtutem, petunt, nec appetunt laudabile, ideſt non quaerunt inde laudari . quales ſunt , qui in ſua conſcientia uolunt habere uirtutem. CVM *igitur*] Iam docet,quo modo Laudabile demonſtrandum ſit . id ita fiet,cum demõſtratum eſt rectum iis rationibus, quas ſupra tradidit,tum etiam laudabile demonſtrandum erit,quod ex iiſdem fontibus naſcitur,ex quibus rectum. Id quinque fiet modis : cum aut idoneis hominibus,aut ſociis,aut omnibus ciuibus,aut exteris nationibus placere,aut poſteris noſtris id placiturum eſſe oſtendemus . Non ita percurrit partes laudabilis,ut recti : quoniam eandem habent conſiderationem,& ex iiſdem locis ſententias ſumunt .

PARTES . DELIBERATIONIS

CVM huiuſmodi locorum diuiſio ſit in conſultatione, breuiter aperienda eſt totius tractatio cauſſae. Exordiri licebit uel a principio, uel ab inſinuatione, uel ab iiſdem rationibus, quibus in iudiciali cauſſa. Si cuius rei

narratio

PARTES. DELIBERATIONIS

CVM huiuſmodi locorum diuiſio ſit in conſultatione, breuiter aperienda eſt totius tractatio cauſſae. Exordiri licebit uel a principio, uel ab inſinuatione, uel ab iiſdem rationibus, quibus in iudiciali cauſſa. Si cuius rei narratio incidet, eadem ratione narrare oportebit. Quoniam in huiuſmodi cauſſis finis eſt utilitas, & ea diuiditur in rationem tutam, atque honeſtam: ſi utrumque poterimus oſtendere, utrumque pollicebimur nos in dicendo demonſtraturos eſſe: ſin alterum demonſtraturi erimus, ſimpliciter quod dicturi ſumus, oſtendemus. At ſi noſtram rationem tutam eſſe dicemus; diuiſione utemur in uim, & conſilium. nam, quod in docendo rei dilucidandae cauſſa dolum appellauimus, id in dicendo honeſtius conſilium appellabimus. Si rationis noſtrae ſententiam rectam eſſe dicemus, & omnes partes recti incident, quadripartita diuiſione utemur; ſi non incident, quot erunt, tot exponemus in dicendo. In confirmatione, & confutatione utemur locis, quas ante oſtendimus, noſtris confirmandis, contrariis confutandis. Argumentationis artificioſae tractandae ratio de ſecundo libro petetur. Sed, ſi acciderit, aut in conſultatione alteri ab tuta ratione, alteri ab honeſta ſententia, ſi ut in deliberatione eorum, qui a Poenis circumſeſſi deliberant quid agant: qui tutam rationem ſequi ſuadebit, his locis utetur: nullam rem utiliorem eſſe incolumitate: uirtutibus uti neminem poſſe, qui ſuas rationes in tuto non collocarit: ne deos quidem eſſe auxilio iis, qui ſe inconſulto in periculum mittant: honeſtum nihil oportere exiſtimari, quod non ſalutem pariat. Qui tutae rei praeponet rationem honeſtam, his locis utetur: uirtutem nullo tempore relinquendam: uel dolorem, ſi is timeatur; uel mortem, ſi ea formidetur, dedecore, & infamia leuiorem eſſe: conſiderare quae ſit turpitudo conſecutura. At non immortalitatem, neque aeternam incolumitatem conſequi; nec eſſe exploratum, illo uitato periculo, nullum in aliud periculum uenturos: uirtute, uel ultro ad mortem proficiſci eſſe praeclarum: fortitudini fortunam quoque eſſe adiumento ſolere: eum tute uiuere, qui honeſte uiuat, non qui in praeſentia incolumis ſit: & eum, qui turpiter uiuat, incolumem in perpetuum eſſe non poſſe. Concluſionibus fere ſimilibus in his, & iudicialibus cauſſis uti ſolemus, niſi quod his maxime conducit quamplurima rerum ante geſtarum exempla proferre. Nunc ad demonſtratiuum genus cauſſae tranſeamus.

EXPLANATIO

QVAE hactenus praecepit, fuerunt generalia, & ad inuentionem pertinent: nunc ad ſingularum partium tractationem accedit, quam Hermogenes ἐργασίαν appellat. Partes huius generis quinque conſtituit: exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, & perorationem. Praecipiunt quidam, in hoc genere uel omnino breuia, uel nulla eſſe exordia. id ita eſt intelligendum, quod in hoc genere exordia ita plerumque cohaerent cum confirmatione, ut diſcerni difficulter poſsint: quemadmodum in Demoſthenis quarta Philippica perſpicue uidemus. Sumuntur enim plerũque ex ipſis cauſſae uiſceribus, ut quaſi confirmationis pars quaedam eſſe uideantur. Si igitur in hoc genere exordiemur, id iiſdem rationibus faciemus, quas ſupra in iudiciali cauſſa tradidit. Nam, ſi res eſt honeſta, quam ſuademus, & auditor ſibi conſilium dari cupit, προοιμίῳ, hoc eſt exordio libero ac tuto, ſed tamen breui aut nullo utemur. Cum uero ſibi conſilium dari non uult auditor, ſiue quod perſonam odio habet, ſiue quod res, ad quam ſuſcipiendam hortamur, aut uetita, aut turpis eſt, idq. uel re uera, uel opinione hominum: ἐπαγωγῇ, ideſt exordio inſidioſo utemur. Vt Solon, cum uetitum eſſet lege, ne quis ea de re ageret, inſaniam ſimulauit, ut conſilium patriae ſalutare contra Salaminios daret. In Partitionibus inquit Cicero: Principia autem in ſententiis dicendis breuia eſſe debebunt. Non enim ſupplex ut ad iudicem uenit orator, ſed hortator, atque auctor. Quare proponere, qua mẽte dicat, quid uelit, quibus de rebus dicturus ſit, debet, hortariq. ad ſe breuiter dicentem audiendum. Tota autem oratio ſimplex, & grauis, & ſententiis debet ornatior eſſe, quam uerbis. Hoc eſt, oratio deliberationis non debet eſſe περιβολικὴν, ideſt circumducta dilatatione uerborum, & aſſumptione rerum extranearum: ſed rebus magis, quam earum exornationibus expolita, ut prudens, & ſapiens ornatus ſit, & magis ueritas, quam elegantia, appareat. Quamquã quammaxime remotum ab omni affectatione in deliberatiuo genere Theophraſtus uoluit eſſe ſermonem, tamen nihil ineſſe debet in oratione nec impurum, nec inconcinnum, nec abiectum, nec male collocatum. Habet multa hac de re Quinctilianus: ſed exempla in oratoribus lectores diligenter obſeruabunt, e quibus omnia iſta perfectius diſcent. Cum, inquit hoc in loco auctor, Vel a principio, uel ab inſinuatione: intelligit praecepta generalia, quae libro primo de exordio tradidit: cum uero, Vel iiſdem rationibus, quibus in cauſſa iudiciali: praecepta ſpecialia reſpicit, quae de ſolo iudiciali genere dedit. Habent enim haec duo genera eandem prope tractationem.

CVM *huiuſmodi &c.*] Cum utilitatis rationem dederit ex ordine, & demonſtratum ſit, utilitatem eſſe finem in cauſſa deliberatiua, quae in tutum, & honeſtum eſt diſtributa. Si poterimus, inquit, utrumque horũ duorum demonſtrabimus; ſin minus, alterum tantum, uel rectum ſcilicet ſolum, uel honeſtum: & quo modo expediendum ſit, & narrandum. LOCORVM] argumentorum, recti, & honeſti. IN *conſultatione,*] in deliberatione. BREVITER *aperienda eſt totius tractatio cauſſae.*] breuiter aperiam, quo modo tota cauſſa deliberatiua poſsit tractari. A PRINCIPIO,] ab exordio aperta. AB *inſinuatione,*] occulto. IISDEM *rationibus,*] a lege aliqua, uel ſcriptura, uel ab aliquo noſtrae cauſſae adiumento. SI *cuius rei*] Praecipit de narratione. ea uel non incidit in hoc genere: uel, cum incidit, eadem ratione narrare oportebit, qua in iudiciali genere. Duplex eſt apud Quinctilianum genus narrationis: unum generale, quod cauſſae proprium eſt, & ad rem praeſentem dicendam pertinet. hoc genus deliberatio non habet, quoniam uel ſimplici expoſi-

tione, uel partitione abſoluitur, cum diſtinguimus cauſſam. Alterum ſpeciale eſt, quod interdum in hoc genere incidit. Adhibetur enim uel confirmandi cauſſa, & κατασκευαστικὴ dicitur, ut ſunt multae pro Cluentio, & in Verrinis, uel refutandi, ἀνασκευαστικὴ, ut pro Roſcio de liberis Clodij: uel excitandi ad audiendum, προτρεπτικὴ. uel deprimendi, & dehortandi, ἀποτρεπτικὴ. uel laudandi, ἐγκωμιαστικὴ. uel uituperandi, ψεκτικὴ: uel amplificandi gratia, αὐξητικὴ appellata. Narratio *incidet,*] ut fortia facta alicuius referamus. Eadem *ratione*] qua ſcilicet narramus in iudiciali; ſcilicet, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit. Qvoniam] Cum breuiter exordiendi, & narrandi praecepta dederit, de partitione nunc agit. praecipit enim, partitionem nonnumquam ſimplicem fieri, nonnumquam uero coniuncte. In partitione igitur conſiderandus eſt finis, quem ſupra in rem tutam, & honeſtam diuiſit. Omnis autem partitio uel habet diuiſionem, uel ſimplicem tantum expoſitionem, ideſt propoſitionem. In cauſſa multiplici, hoc eſt, in qua & tuta, & honeſta utilitas oſtendi poteſt, utemur diuiſione, & utrumque nos in dicendo demonſtraturos eſſe pollicebimur. Si uero alterum ſolum demonſtrabimus, ſimpliciter, quod dicturi ſumus, ἐκθέσει, expoſitione oſtendemus: quam tamen deinde etiam diuiſio ſequetur. In *huiuſmodi.*] recto ſcilicet, & honeſto. Finis *eſt utilitas,*] nam ſupra dictum eſt Is qui ſententiam dicet, finem ſibi conueniet utilitatis proponere. Ea] utilitas. Vtrvmqve] coniunctum. Simpliciter,] ſeparatim. At, *ſi.*] Eandem diuiſionem retinet in utilitatis partibus, quam ante propoſuit: ut rem tutam poſt expoſitionem partis unius, in uim, & dolum: rectam uero in partes quattuor, prudētiae, iuſtitiae, fortitudinis, ac modeſtiae, ſi omnes incidant, diuidamus. Admonet autem hoc in loco eos, qui ſcripturi ſunt, ut artis uocabula uitent, quae ſcholis relinquenda ſunt, quoniam ars eſt occultanda. Quamquam enim dolus etiam bonus eſt apud iuriſconſultos, tamen, quoniam id uulgus non intelligit, ideo uocabulo gratiore corrigit, & uocat Conſilium. Vim retinet: nam & in bonam partem accipitur, ut Vis dicendi: & in malam, ut cum Caeſar inquit, Iſta quidem uis eſt: & in utramque, ut, Vim ui repellere licet: priore enim loco pro uiolentia, poſteriore pro honeſta defenſione uſurpatur. Sic Cicero nonnumquam, ſed modeſte, uocabulis artis utitur. Tvtam] tuta enim utilitas in uim, & conſilium diuiditur. Nam, *quod*] Occurrit dubitationi. nam dixerit quiſpiam, Dictum eſt a te ſupra, tutam rationem in uim, & dolum diuidi: nunc uero dicis, in uim, & conſilium. reſpondet, quod ſupra, dolum: quoniam ob pietatem in patriam licet uti dolo aduerſus inimicos, & hoſtes doctrinae cauſſa, & artis docendae, quod tamen orando conſilium bonum appellamus. nam & bonus dolus, & malus dicitur. Rei *dilucidandae*] declarandae. ut omnes ſcirent, uti dolo malo reip. cauſſa. In *dicendo*] in orando. Si *rationis*] Docet rectum diuidere (nam, ſi quid a nobis recte factum dixerimus, in quo ſint omnes praedictae partes recti, prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperantia, tunc licebit rectum diuidere in partes quattuor: ſi non erunt niſi tres, uel duae, diuidemus illud in totidē partes. In *confirmatione,*] Nihil hic de confirmatione, & confutatione praecpit, quoniam ſupra, ubi de utilitatis paribus egit, & ſuaſori, & diſſuaſori praecepta dedit, ad quae iam lectorem reuocat. Nostris] locis. ut de tuto, & honeſto commodis ad confirmandum. Contrariis] ideſt, eiſdem e contrario modo. nam dictum eſt ſupra, His itaque huiuſmodi partibus iuſtitiae ſi quam rem in concione, aut in conſilio faciendam cenſebimus, iuſtam eſſe oſtendemus; contrariis, iniuſtam. ita fiet, ut iiſdem locis & ad ſuadendum, & ad diſſuadendum ſimus comparati. Argvmentationis] Docet expolitionem. nam, ſi quis uelit, inquit, argumenta expolire, confugiat neceſſe eſt ad librum ſecundum: in quo tradita eſt doctrina de expolitione. quoniam non ſecus fieri oportet in hoc genere, quam in iudiciali, in conſultatione, in genere deliberatiuo. Quae hactenus praecepit, fuerunt ὑποθετικά: quoniam oſtendendum fuit, quod tutum, & honeſtum ſit in in cauſſa praeſenti. quae iam ſequuntur, θετικὰ ſunt, ideſt utrique parti, ſuaſori ſcilicet, & diſſuaſori, communia. Fit enim ſaepe, ut res tuta cum dedecore, honeſta cum incommodo coniuncta eſſe, & haec cum illa pugnare uideatur: quod cum fit, locis utendum eſt communibus, hoc eſt ſententiis uniuerſalibus, quas Graeci θέσεις, ut dialectici ſuas maximas & ſtoechia appellant. Vocat autem hic argumentationem artificioſam quinquepartitam, de qua copioſe in ſecundo praecepit. Sed, *ſi*] Exponit iam, propoſita rhetorica ὑποθέσει de Romanis a Poenis circumſeſsis, locos, qui ſunt ἀόριστοι infiniti: ideoq. communes dicūtur, quoniam in utramque partem uſurpari poſſunt. nam & affirmationem, & negationem habent; nec ſunt uniuerſales, ſed tamquam uniuerſales defenduntur. nam, ſiue affirmes uniuerſaliter, ſiue neges, falſi ſunt: quamobrem etiam rhetorici dicuntur. ut, Omnibus teſtibus eſt credendum, nullis teſtibus eſt credendum. Vocat autem tutam rationem, quae cum dedecore; honeſtam, quae cum incommodo eſt coniuncta: ſi utraque ſcilicet ſeorſim ponatur. Qui igitur rationem tutam defendet, quattuor utetur ſententiis, quarum prima eſt τοῦ προκειμένου, ac confirmationis huius πρότασις: nullam rem utiliorem eſſe incolumitate. Altera eſt συγκριτικὴ, ἢ ἀντιστατικὴ: uirtutibus uti neminem poſſe, qui ſuas rationes in tuto non collocarit. Tertia eſt ὑπερβολικὴ: pugnat enim cū fortitudine, quae ſaepe temeritatis habet ſpeciem: nec deos quidem eſſe auxilio iis, qui ſe inconſulto in periculum mittant. Quarta eſt ὁριστικὴ: honeſtum nihil oportere exiſtimari, quod non ſalutem pariat. Habet ὁρισμὸν falſum, atque oratorium. Locis] argumentis. Nvllam *rem*] locus a comparatione. Virtvtibvs] Locus ab habitu. Deos] Locus a fortuna. Honestvm] Locus a cauſſa ratiocinatiua. Qvi *tutae rei*] Ponit rationes arguendi per honeſtum. Et ſequuntur ſententiae eius, qui pro honeſtate ſolà dicet. Prima eſt τοῦ προκειμένου, καὶ πρότασις confirmationis: ideſt, rei propoſitae propoſitio: uirtutem nullo tempore relinquendam. Altera eſt συγκριτικὴ, ex contrariis, & pugnantibus: Vel dolorem, ſi is metuatur; uel mortem, ſi ea formidetur, dedecore, & infamia leuiorem eſſe. Tertia eſt τῶν ἐκβησομένων, conſiderandum (ita enim legi debet) quae ſit turpitudo cōſecutura. Quarta eſt διαβλητικὴ, ideſt aduerſariae definitionis, καὶ τῆς ὑπερβολῆς maligna interpretatio. haec ſententia eſt αὐξητικὴ. κατὰ σύγκρισιν enim tractatur, cuius pars prin a

μείωσιν habet, quae fit ἀφαιρέσει. At non immortalitatem, neque aeternam incolumitatem conſequi; nec eſſe exploratum, illo uitato periculo, nullum in aliud periculum uenturos. Oſtendit utilitatem non eſſe tantam, quantam aduerſarius propoſuerat. Pars altera συγκρίσεως habet ἐπανάληψιν primae ſententiae, quae fit ἐγκωμίῳ: Virtute uel ultro ad mortem proficiſci, eſſe praeclarum. Cum autem, ut Ariſtoteles docet, maiora bona ſemper ſint minoribus anteponenda, ideo non utilitatem, ſed uirtutem ſequi oportebit. Quincta eſt ἀντιστατική. eſt autem ἀντίστασις, quando uel malum malo comparamus: unde illud, Inter duo mala minus eſſe eligendũ. uel, malum cum bono: ut, ſi dicimus, periculoſam eſſe rem, quam ſuſcipimus, ſed compenſari periculum euentu: quia fortes fortuna adiuuet. Sexta eſt ὁριστική: tractatur autem defiuitio uel ſolitarie, cum rem unam definimus, ut in methodo utilitatis tutae: uel συγκριτικῶς, cum rem utramque definimus, ut in hoc loco, qui tres habet ſententias definitiuas. Prima eſt affirmatiua: Eum tute uiuere, qui honeſte uiuat. altera negatiua: non tute uiuere eum, qui in praeſentia incolumis ſit. Atque hae duae ſunt definitiones recti. ſequitur tertia, qua turpitudinem definit: & eum, qui turpiter uiuat, incolumem in perpetuum eſſe non poſſe. In Partitionibus inquit Cicero, perſaepe euenire temporibus, quae uim habent maximam, ut utilitas cum honeſtate certet, earumq. rerum contentio plerũque deliberationes efficiat, ne aut opportuna propter dignitatem, aut honeſta propter utilitatem relinquantur. ad hanc difficultatem explicandam praecepta omnia referenda eſſe monet: quod quo modo faciendum ſit, eodem in loco docet. VIRTVTEM] locus uel a comparatione, uel ab auctoritate. DOLOREM] locus a comparatione. CONSIDERARE] locus ab euentu. CONSEQVI,] Si uirtutem relinquat fortitudini. nam fortuna adiuuat. CONCLVSIONIBVS] Docet in deliberatiuo concludere. *Concluſionibus*: tribus modis concludendi, Enunciatione, Amplificatione, Conmiſeratione. *Concluſionibus*: Docet, cuiuſmodi Peroratio eſſe debeat. eius partes tres eſſe dixit, in iudiciali genere, Enumerationem, Amplificationem, & Commiſerationem. eas, fere partes etiam in hoc genere eſſe dicit, quoniam magnam inter ſe coniunctionem habent. Differunt tamen concluſiones huius ab illius, quod in hoc genere maxime debet elucere prudentia: quae cum memoriam praeteritarum, iudicium praeſentium, & prouidentiam futurarũ rerum habere debeat, ideo in deliberatiui generis concluſionibus maxime conducit, quamplurima rerum ante geſtarum exempla proferre. Haec maxime in amplificatione adhibenda ſunt. Nec eſt negligenda ratio mouendi animos in hoc genere, quod ſaepe id cauſſa ipſa requirat: ut in deliberatione belli aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes. Vtrumque etiam in Partitionibus docet Cicero, cum inquit: Vterque uero ad augendum habeat exemplorum, aut recentium, quo notiora ſint, aut ueterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam. Maximeq. ſit in hoc genere meditatus, ut poſsit uel utilia, ac neceſſaria honeſtis, uel haec illis anteferre. Ad commouendos autem animos maxime proficient, ſi incitandi erunt, huiuſmodi ſententiae, quae ad explendas cupiditates, aut ad odium ſatiandum, aut ad ulciſcendas iniurias pertinebunt. Sin autem reprimendi, de incerto ſtatu fortunae, dubiiſq. euentis rerum futurarum, & retinendis ſuis fortunis, ſi erunt ſecundae: ſin autem aduerſae, de periculo commouendi. Atque hi quidem ſunt perorationis loci. Nunc ad Demonſtratiuum genus cauſſae tranſeamus. HIS *cauſſis*] deliberatiuis. QVAMPLVRIMA] quod non conuenit in iudiciali.

DE. GENERE. DEMONSTRATIVO

QVONIAM haec cauſſa diuiditur in laudem, & uituperationem, quibus ex rebus laudem conſtituerimus, ex contrarijs rebus erit uituperatio comparanda. Laus igitur poteſt eſſe rerum externarum, & corporis, & animi. Rerum externarum ſunt ea, quae caſu aut fortuna ſecunda, aut diuerſa accidere poſſunt; ut genus, educatio, diuitiae, poteſtates, gloriae, ſodalitates, amicitiae, & quae huiuſmodi ſunt, & ea quae his ſunt contraria. Corporis ſunt ea, quae natura corpori attribuit commoda, aut incommoda; ut uelocitas, uires, dignitas, ualetudo, & quae contraria ſunt. Animi ſunt ea, quae conſilio, & cogitatione noſtra conſtant; ut prudentia, iuſtitia, fortitudo, modeſtia, & quae contraria ſunt. Erit igitur haec confirmatio, & confutatio nobis.

EXPLANATIO

TERTIVM cauſſarum genus eſt, quod a meliore parte laudationis eſt appellatum, de cuius etymologia, & nominibus uariis, libro primo dictum eſt. Hoc in loco primi huius generis partes oſtendit, deinde materiam, cum qua finis eſt coniunctus, tertio tractationem, poſtremo uſum. Partes huius generis ſunt laus, & uituperatio, quae ex contrariis conſtituuntur rebus. Quemadmodum autem Ariſtoteles in fabulis perſonas medias, hoc eſt, neque optimas, neque peſsimas uult introduci, quod hae ſunt ἀπαθῆ πρόσωπα, illae uero ſtuporem moueant: ita etiam in demonſtratiuo genere fieri debet. Illae enim perſonae ſunt laudãdae, quae cum inſignibus uirtutibus coniuncta quaedam habent uitia: ut Pompeius, & Iulius Caeſar. Deos enim non laudamus, ſed ὕμνοις celebramus. Vituperandae etiam ſunt mediocres, in quibus uitia ſuperant uirtutes. Vt igitur nec optimae, nec peſsimae aduerſarium habent, ſed ἀσύστατα ſunt: ita mediocres aduerſarium habent, qui aut uirtutes in malis defendet, aut in bonis reprehendet uitia. Genus igitur demonſtratiuum ſtatu non caret, ut nonnulli uoluerunt, qui ex ipſa materia probatur. nam & in bonis aliquid inuenitur uitii, & mali uirtutibus non omnino deſtituti ſunt: quae cauſſa eſt, ut hoc genus in laudem, & uituperationem diuidi dicat. Cum igitur uel bonus laudatur, uel uituperatur malus, in utroque aliquid erit dubium, ex quo naſcetur ſtatus. Materia laudis eſt, quidquid cum uirtute coniunctum eſt: uituperationis uero, quidquid uitioſum eſt. Finis alienis eſt, honeſtas: alterius uero, turpitudo. Ariſtoteles duo exornationis genera facit: unum ſerium τὰ μετάσπουδῆς, quo

in foro, curia, & comitiis utimur: alterum iocoſum, τὸ χωρὶς σπουδῆς, quod eſt otij, & litteratorum hominum, ut Muſcae apud Lucianum, & aliorum animantium, atque etiam rerum laudes. Vtrumque genus uel eſt proprium, cum homo aut laudatur, ſi ſecũdum naturam, atque uirtutẽ uiuit: aut uituperatur, ſi uitiis ſeſe polluit. uel eſt improprium, cum aut res ipſae ablatae a perſonis laudantur, uel uituperantur, ut uirtus, & uitium: aut facta, & res geſtae, quae uirtutum, ac uitiorum ſigna ſunt. Virtutum, ut Bruti, ac Caſsij, qui tyrannidem e rep. ſuſtulerunt: uitiorum, ut Antonij, Catilinae, Sullae, qui remp. euerterunt, aut animantia bruta, ut ciconia, muſca: aut res corporatae, ut Quercus Mariana, &c. QVONIAM *haec cauſſa*] Abſoluto genere deliberatiuo, nunc agit de demonſtratiuo, quod ἐπιδεικτικὸν Graeci uocant, in primis enumerando locos, ex quibus ſumuntur argumenta in cauſſa demonſtratiua. deinde docet tractatione eiuſdem generis unamquamque partem rhetoricae orationis. Diuiditur itaque Demonſtratiuum genus in laudem, & uituperationem. &, quibus locis laudabimus, per contrarios poterimus uituperare. quod genus cauſſae praeſens tempus conſiderat, quod olim in campo Martio agitabatur. cuius finis eſt honeſtum. Genus autem nullum eſt orationis (ut docet Cicero in Partitionibus) quod aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus eſſe poſsit, aut in quo magis orator in cognitione uirtutum, uitiorumq. uerſetur. nemo enim negat, oratori uirtutum omnium cognitionem, ſine qua laudatio, ac uituperatio effici non poſsit, eſſe neceſſariam. Etſi ſeparatim haec cauſſa minus crebro tractatur, in iudicialibus tamen, & deliberatiuis cauſsis ſaepe magnae partes uerſantur laudis, & uituperationis. Cuius omnino partes ſunt duae: Vna eſt laus, quae rerum bonarum, quas in aliqua perſona orator eſſe dicit, continet amplificationem. Altera uituperatio, quae rerum malarum, cum certae perſonae deſignatione, amplificationem habet. COMPARANDA.] inuenienda. nam, Cum laus, & uituperatio contraria ſint, cum ſciemus, quibus rebus laus comparari poſsit, facillime quoque ſcire poterimus, quibus comparetur uituperatio; ſcilicet, ex contrariis. LAVS *igitur*] Quoniam perſonae propter uirtutem, & ea, quae cum uirtute ſunt, coniuncta laudantur, uirtus autem inter bona numeratur, ideo recte bonorum diuiſionem inſtituit: id quod etiam in Partitionibus fecit. Sunt autem bonorum tria genera: unum rerum externarum, alterum corporis, tertiũ animi: in quibus uirtus ſeſe maxime conſpiciendam praebet. Is enim laudandus eſt, qui id agit, quod aut genus, aut formam, aut fortunas ſuas decet: contra, qui his abutitur, uituperandus. Erit igitur haec confirmatio, & confutatio nobis; ideſt, confirmationis, ac confutationis materia: de quibus paullo poſt. Haec diuiſio ut in hoc genere neceſſaria eſt, ita etiam deliberatiuo ualde utilis. *Laus igitur*: Quia ex contrariis uituperatio comparanda eſt, agamus de laude, per quam facile poterit intelligi contrarium eius, hoc eſt uituperatio. CASV,] qui eſt euentus improuiſae rei inopinatus; qui etiam contingit rebus inanimatis. FORTVNA] qui eſt ſtatus uniuſcuiuſque, quem adipiſcitur uel caſu, uel hominum inſtitutione; uel ex propria uoluntate, uel fortuna, uel diſpoſitione temporali. GENVS,] nobilitas. EDVCATIO,] nam liberos ſuos dabant plerumque Romani educandos. & ita uel bene, uel male educabantur. & hoc erat a fortuna. DIVITIAE,] quae plurimum humanae uitae conducunt. POTESTATES,] nam, imperare aliis, in laude ponendum. GLORIAE,] quid enim magnificentius, quam gloria florere? CIVITATES,] eſſe enim natum in nobili ciuitate, laudandum. AMICITIAE,] quas principẽ locum in hominibus habere, merito exiſtimatum eſt. CONSILIO, *& cogitatione noſtra conſtant*:] acquiruntur ſtudio, & induſtria horum. ERIT *igitur*] Infert a pari. Quoniam ex rebus extraneis, & attributis animo, uel corpori, ſumitur omnis laus, uel uituperatio: igitur ex his nobis erit confirmatio, & confutatio: ideſt, quidquid confirmabimus ex his, & quidquid confutabimus.

VITVPERATIO ex contrariis tractatur locis, ut oſtendamus malum genus, educationem periculoſam, paupertatem, ſeruitutem, ſtuporem, infirmitatem, tarditatem, turpitudinem, indignitatem, inualetudinem, imbecillitatem uirium, inſcitiam, iniuſtitiam, timiditatem, libidinem, & quae ſunt ſimilia, quorum omnium ratio ex iis, quae dicimus, ſuppeditatur. Atque his locis & laudandi, & uituperandi ſaepe nobis eſt utendum in omni genere cauſſarum.

TRACTATIO . PARTIVM . PRINCIPIVM

IN *huiuſmodi cauſſa principium ſumetur aut ab noſtra, aut ab eius, de quo loquemur, aut ab eorum qui audient persona, aut ab re. Ab noſtra, ſi laudabimus, dicemus aut officio facere, quod cauſſa neceſſitudinis intercedat; aut ſtudio, quod eiuſmodi uirtutis ſit, ut omnes commemorare debeant uelle; aut quod rectum ſit, ex aliorum laude oſtendere qualis noſter animus ſit. Si uituperabimus, aut merito facere, quod ita tractati ſumus; aut ſtudio, quod utile putemus eſſe, ab omnibus unicam malitiam, atque nequitiam cognoſci; aut quod placeat oſtendi, quid nobis diſpliceat, ex aliorum uituperatione. Ab eius perſona, de quo loquemur, ſi laudabimus, uereri nos dicemus, ut illius facta uerbis conſequi non poſſimus: omnes homines illius uirtutes praedicare oportere; ipſa facta omnium laudatorum eloquentiam anteire. Si uituperabimus, ea, quae uidebimus contraria paucis uerbis commutatis dici poſſe, dicemus, ut paullo ante ſupra exempli cauſſa demonſtratum eſt. Ab auditorum perſona, ſi laudabimus, dicemus, quoniam non apud ignotos laudemus, nos monendi cauſſa pauca eſſe dicturos: aut ſi erunt ignoti, ut talem uirum uelint cognoſcere, petemus: quoniam in eodem uirtutis ſtudio ſint, apud quos laudemus, quo ille, qui laudatus fuerit, ſperare nos facile iis, quibus uelimus, huius facta probaturos. Contra uituperatio: quoniam norint, parcas de nequitia eius nos eſſe dicturos: quod ſi ignorent, petemus ut cognoſcant, uti malitiam uitare poſſint: quoniam diſſimiles ſunt qui audiant, atque ille qui uituperatur, nos ſperare eos illius uitam uehementer improbaturos. Ab rebus ipſis, incertos eſſe quid potiſſimum laudemus: uereri, ne, cum multa dixerimus, plura praetereamus, & quae ſimiles ſententias habebunt: quibus ſententiis contraria ſumuntur a uituperatione.*

EXPLANATIO

PARTES, & materiam exornationis indicauit: nunc eiuſdem oſtendit tractationem in ſingulis orationis partibus. Ariſtoteles in tertio docet, principia in cauſſis demonſtratiuas multipliciter poſſe accipi, a laude, a uituperatione, ſuadendo, diſſuadendo, ab his, quae ad perſonam audientium attinet. Deinde inquit: Δεῖ δὲ ἢ ξένα, ἢ οἰκεῖα εἶναι τὰ ἐνδόσιμα τῷ λόγῳ. Sunt enim, ut idem inquit, in demonſtrationibus prooemia maxime libera: & quod quiſque uult, initiis dicere poteſt, & continenter ſequentibus committere. Sumitur autẽ, ut hic docet, uel a perſonis, uel a rebus. Perſonae ſunt aut noſtra, aut eius de quo loquemur, aut eorum, qui audient. A noſtra, reſpicimus primum τὸ καθῆκον, officium: cum dicemus nos officio facere, quod cauſſa neceſſitudinis intercedat, aut bene de nobis, aut rep. meritus ſit. Haec igitur ſententia τοῦ προσώπου habet σύστασιν. Deinde βούλησιν, ſtudium, atque uoluntatem: cum dicemus nos ultro id facere, quod eiuſmodi uirtutis ſit, ut omnes commemorare debeant uelle. Differunt haec duo, quod officium coactum eſt, uoluntas uero libera, atque prompta. Tertio κρίσιν, iudicium: quod rectum ſit ex aliorum laude oſtendere, qualis noſter animus ſit. A noſtra igitur perſona plane ἠθικὸν ſumitur principium; cuius tractatio τριμερὴς eſt. In uituperatione μέθοδος eſt contraria, ſed eoſdem habet locos. Nam aut merito id nos facere, quod male de nobis, & rep. meritus ſit: aut ſtudio, quod utile putemus malitiam eius cognoſci, ut Verris, atque Catilinae: aut uoluntate, ut oſtendamus, ex aliorum uitiis, quid nobis diſpliceat. Prima igitur ſententia hic a iuſto ſumitur, altera ab utili, tertia ἐκ τοῦ ἤθους. Ab eius perſona, de quo loquemur, μονομερὲς eſt principium: habet.n. tantũmodo ἔπαινον σὺν τῇ ἀπορίᾳ, cum dubitatione: cum uereris, ne non poſsit ſatisfacere illius, quem laudas, uirtutibus. Si uituperabimus, paucis uerbis cõmutatis, oſtendemus eadem figura, nos non poſſe ſatis uituperare. Ab auditorũ perſona διμερὴς eſt tractatio: is enim, qui laudatur, aut uituperatur, uel notus eſt, uel ignotus. Si notus eſt, etiam uitia eius nota erunt: ideo opus erit καταλήψει ἐπαγωγικῇ, népe ὑποσχέσει συντομίας: nos pauca de eo dicturos eſſe monendi cauſſa, quoniam non apud ignotos laudemus. Si erit ignotus, primum ἀξιώσει, poſtulatione utemur, ut talem uirum uelint cognoſcere: deinde ὑποσχέσει utilitatis, quam ex commemoratione laudum illius percepturi ſint: cum indicatione ſpei, ac fiduciae, quam de illis habeamus. Cum enim ignoti nihil ad nos pertineant, maxime opus eſt utilitatem oſtendere, quae in exemplo poſita eſt: ut eos imitemur, qui uirtutibus clari ſunt: uitia uero fugiamus, dum eorum turpitudinem in aliis conſpicimus. Vituperatio eandẽ habet μέθοδον. Primum enim promittemus pauca de eius nequitia nos dicturos; deinde ſi ignorent, petemus, ut cognoſcant, ut uitare malitiam diſcant. Indicabimus etiam fiduciam noſtram de illis, quod eſt ἠθικόν. Atque haec tractatio ſententiarum a perſonis, tota ad beneuolentiam cõparandam pertinet. A rebus ipſis praecipue φιλήκοΐα, attentio captatur, ut audire uelint: quod ut fiat, primum ὑποσχέσει promiſsione κατασατικῇ utemur, rei magnae, ἄνευ τῆς αὐξήσεως, ſine amplificatione. Deinde ἀπορίᾳ, dubitatione facultatis; nos neſcire, quo modo rei tantae poſsimus ſatisfacere.

IN *huiuſmodi*] demonſtratiua ſcilicet. Iam loca, quae ſunt in demonſtratiua cauſſa, oſtendit: nũc, quae a tota cauſſa tractari poſsint, aperit. PRINCIPIVM] exordiri. ut ſaepe contingit, ſpeciem pro genere poſuit. etenim in hoc genere non ſolum principio utendum, ſed etiam in ſuaſioue: ut ſi quis laudare uelit perſonam uitioſam, & deprimere uirtute praeditã, & alicuius auctoritatem. Illud quoque tenendum eſt, quod hic docet, quibus locis in exordio demonſtratiuae cauſſae beneuolentia cõparetur. & non attentio, uel docilitas: quod illae non ualent uel ad laudem, uel ad uituperationem, ſed uel in iudiciali genere, uel deliberatiuo. SVMETVR] captando beneuolentiam ab noſtra perſona, i. ab attributis noſtrae perſonae. OFFICIO] ex debito, & opere uirtuoſo. CAVSSA *neceſsitudinis*] aliquae uirtutes cogant nos laudare, uel facere ex officio, quod ſuũ eſt, probos ſemper laudare. STVDIO,] ſponte, & propria uoluntate mea. Locus a ſtudio, in eo, quem laudamus. COMMEMORARE] dicere ex aliorũ laude. Locus a cõparatione. QVALIS *noſter animus ſit.*] ac ſi dicat, Iudices, hunc ego hominẽ eo laudo, ut intelligatis, quid meo placet animo. uirtus.n. me magnopere delectat, quam ſcio in hoc eſſe non mediocrẽ. SI *uituperabimus,*] Nunc docet, quibus locis uti conueniat eum, qui uituperabit, captando beneuolentiam a ſua perſona, tribus.ſ. ſuperioribus locis, aut officio, aut honeſtate, aut ex aliorũ laude. ITA *tractati ſumus:*] ab illo, ſ. peſsime. quod contra illud eſt, Aut officio facere. OMNIVM *laudatorum eloquentiam*] omnes, qui ſunt laudati in eloquentia. APVD *ignotos*] quoniam tales eſtis, ut uos non fugiat, quantam uim habeat uirtus. IGNOTI,] ignorantes laudabilium attributorum.

NARRATIO . ET . DIVISIO

PRINCIPIO tractato, tum ab re, tum ab aliquibus iſtarum, quas ante commemorauimus, rationum, narratio non erit ulla, quae neceſſario conſequatur: ſed, ſi qua inciderit, cum aliquod factum eius, de quo loquemur, nobis narrandum ſit cum laude, aut uituperatione, praeceptio narrandi de primo libro repetetur. Diuiſione hac utemur: Primo exponemus, quas res laudaturi ſumus, aut uituperaturi. Deinde, ut quaeque, quo ue tẽpore res erit geſta, ordine dicemus, ut, quid, quamq. tute, cauteq. egerit, intelligatur. Sed exponere oportebit animi uirtutes, aut uitia. Deinde cõmoda, aut incommoda corporis, aut rerũ externarũ, quo modo ab animo tractata ſint, demõſtrare.

EXPLANATIO

DVo ſunt, ut dictũ eſt, Narrationũ genera: unũ generale, quod cauſſae propriũ eſt, ut ꝑ Quinctio, & Milone; alterũ ſpeciale, quod ſic dicitur, non quod ſub generali cõprehẽſum ſit, ſed quod ſit alicũde acceſſitũ: & uariis de cauſsis adhibeatur, de quib. ſupra dictũ eſt. In hoc igitur genere proprie nulla eſt narratio neque ab re ſũpta, cuius gratia laus, & uituperatio inſtituitur: neque ab aliqua harũ rationũ, quae ad perſonas ꝑtinẽt: ſed quaſi ꝑpetua quaedã eſt narratio oĩm eorũ, quib. ille eſt ornatus, quẽ laudamus, cui recte adhibetẽ partitio.

Si qua tamen narratio ſpecialis incidat de factu aliquo, quod uel laudem, uel uituperationem mereatur, eã ſeruabimus narrandi methodum, quae libro primo indicata eſt. Diuiſio in hoc genere διμερὴς eſt: habet enim μερισμὸν partitionem, & ἔκθεσιν expoſitionem, ſiue declarationem. Partitio indicabit, quas res laudaturi, aut uituperaturi ſimus. Quia autem Partitio declaratione opus habet, ideo expoſitio ἔκθεσις eſt addenda, quae trium partium eſt. Primum enim ἔνδειξιν habet τῆς τάξεως, indicationem ordinis, quo modo unumquodque geſtum ſit. deinde ſignificationem τῆς ἀρετῆς uirtutis, quam tute, cauteq. omnia egerit. tertio expoſitionem bonorum animi, corporis, & fortunae. Hoc idem eſt cum primo, niſi quod hoc eſt paullo clarius. PRINCIPIO *tractato*,] Cum docuerit exordiri, nunc docet in demonſtratiuo genere narrare. AB *aliqua*] ſcilicet, aut ab noſtra perſona, aut ab eius, de quo loquimur, uel ab auditorum, uel ab ipſa re, quae uidebitur contraria, hoc modo ſumendo per contrarium exempla praedicta. NON *erit ulla*,] Sciendum eſt, nullam própriam eſſe ad demonſtratiuam cauſſam narrationem, quoniam eſt de re praeterita. & hoc genus agit de re praeſenti. ſed, ſi quando propter laudem alicuius fortiter ſua geſta narrauerimus, breuiter, & aperte, & probabiliter illis faciamus. NECESSARIO] qua ſit opus in hoc genere. SI *qua inciderit*,] Dixi, non oportere uti narratione in demonſtratiuo genere: ſed, ſi quid inciderit, quod oporteat narrari, ſic narrandum erit, ut in iudiciali, ut breuiter, dilucide, ueriſimiliter. DIVISIONE] Nunc tranſit ad Partitionem, in qua docet, eiuſmodi res, quae laudantur, & quae uituperantur, eſſe inueniendas. DEINDE] eodem ordine, quo geſtae res ſunt, exponendas eſſe demonſtrat. ut, quam tute, quam caute egerit, intelligatur. TVTE,] fortiter. CAVTE] ſapienter. SED *exponere*] Nunc uero docet confirmare. nam, cum tria ſint, quibus perſona poſſit uel laudari, uel uituperari, uidelicet res externae, uel animo, uel corpori attributae; docet, quantum ex coniunctione iſtorum quidque uel laudari, uel uituperari poſsit. Item ex cõiunctione attributorum corpori cum attributis animo, & ex coniunctione illorum cum rebus externis. nam ex ſolis externis nemo merito uel laudandus eſt, uel uituperandus. diuitiae enim neminem reddunt uel laudabilem, uel uituperabilem. ueluti nec paupertas. ceterum, ſi quis in diuitiis modeſtus fuerit, & in pauperie prudens, tunc uero laudabilis eſt. nec ſane quiſpiam laudabilis, quod ſit fortis, niſi idem prudenter ſua utatur fortitudine. AMIMI *uirtutes*,] Primo incipit ab animo. quoniam a perfectiori ſemper, & digniori inchoandum eſt. nam, cum animi bona ceteris praeſtent, ab eiſdem, tamquam a forma, principia ſumenda ſunt. COMMODA,] ut, ſi quis laudetur a pulchritudine, dicamus eundem ſtatum; ſi a diuitiis, largum, & liberalem. INCOMMODA] ut, ſi quis laudetur a pulchritudine, dicamus eum luxurioſum, effeminatum, cinaedum, calamiſtratum; ſin a diuitiis, auarum. quod pertinet ad res externas. ubi notandum, quod duplex eſt laus corporis, ſimplex ſcilicet, & compoſita. illa ſuperior non eſt uera. nam aequiuoca eſt & ad bonum, & ad malum. diuitem enim ſi quem appellaro, licet eundem auarum intelligere; & liberalem eſſe poſſe. compoſita uero, & perfecta eſt, & uera: ſcilicet, cum bona corporis iungimus cum bonis animi. ut, ſi diues ſit, liberalem dicamus, eundẽ & uirtute praeditũ.

CONFIRMATIO

ORDINEM *hunc adhibere in demonſtranda uita debemus. Ab externis rebus genus in laude, quibus maioribus natus ſit: ſi bono genere, parem aut excelſiorem fuiſſe: ſi humili genere, ipſum in ſuis, non in maiorum uirtutibus habuiſſe praeſidium. In uituperatione, ſi bono genere, dedecori maioribus fuiſſe: ſi malo, tamen his ipſis detrimento fuiſſe. Educatio in laude, bene, & honeſte, in bonis diſciplinis per omnem pueritiam: in uituperatione, e contrario. Deinde tranſire oportet ad corporis commoda. A natura in laude: ſi ſit dignitas, atque forma, laudi fuiſſe eam, non, quemadmodum ceteris, detrimento, atque dedecori: ſi uires atque uelocitas egregia, honeſtis haec exercitationibus, & induſtriis dicemus comparata: ſi ualetudo, ex perpetua diligentia, & temperantia cupiditatum. In uituperatione, ſi erunt haec corporis commoda, male his uſum dicemus, quae caſu, & natura tamquam quilibet gladiator habuerit: ſi non erunt, praeter formam omnia ipſius culpa, & intemperantia non fuiſſe dicemus. Deinde reuertemur ad extraneas res; & in his, animi quae uirtutes, aut quae uitia fuerint, conſiderabimus; diuitiae an paupertas fuerit, & quae poteſtates, quae gloriae, quae amicitiae, quae inimicitiae, & quid fortiter in inimicitijs gerendis fecerit; cuius cauſſa ſuſceperit inimicitias; qua fide, beneuolentia, officio geſſerit amicitias; in diuitijs qualis, aut in paupertate cuiuſmodi fuerit, quemadmodum habuerit in poteſtatibus gerendis animum: ſi interierit, cuiuſmodi mors eius fuerit, cuiuſmodi res mortem eius ſit conſecuta. Ad omnes autem res, in quibus animus hominis maxime conſideratur, illae quattuor animi uirtutes erunt accommodandae: ut, ſi laudemus, aliud iuſte, aliud fortiter, aliud modeſte, aliud prudenter factum eſſe dicamus: ſi uituperemus, e contrario. Perſpicuum eſt iam nimirum ex hac diſpoſitione, quemadmodum ſit tractanda tripartita diuiſio laudis, & uituperationis, ſi illud etiam aſſumpſerimus, non neceſſe eſſe nos omnes has partes in laudem, aut uituperationem transferre: propterea quod ſaepe ne incidunt quidem, ſaepe ita tenuiter incidunt, ut non ſint neceſſariae dictu. Quapropter eas partes, quae firmiſſimae uidebuntur, legere oportebit.*

EXPLANATIO

MAXIMAM Confirmationis uim & hodie neceſſariam in genere demonſtratiuo, ciuilibuſq. cauſsis ab amplificationum ornatu ſumi conſtat, quas in ipſa cauſſa crebras, & breues eſſe magni rhetores oportere praecipiunt. Eſt.n. Amplificatio, Cicerone definitore, uehemens argumentatio, & huius generis propia quaſi, quae ualet non ſolum ad augendum, & extollendum aliquid, ſed etiam ad extenuandum, & abiiciendum.

Accedit

Accedit iam κατασκευὴ ad praecepta τῆς οἰκονομίας, quae in exornationum ἀποδείξει obſeruanda eſt. Deinde, quem ordinem in demonſtranda uita adhibere debeamus, per omnia bonorum genera oſtendit. Tertio concludit hanc praeceptionem admonitione, ut obſeruemus, quae partes in laude, aut uituperatione recipiantur, & quae non. Confirmationem, Ariſtotelem ſecutus, qui ἀπόδειξιν appellat, demonſtrationem uocat: in qua maxime ſpectandum eſt, quid dicendum ſit, & quo ordine. Huius principium recte fit ab externis bonis, non quod dignitate prima ſunt, ſed tempore: quoniam prima animaduertuntur ab hominibus, & laus ipſe magis ſe in his, quam in aliis, explicat, ſi rectus accedat uſus. Ab his ad corporis tranſeundum commoda, a quibus ad res extraneas reuertendum & quae in his uirtutes, aut quae uitia fuerint, conſiderandum erit. Ad omnes autem res, ſiue fortunae, ſiue corporis, in quibus animus hominis maxime conſideratur, illae quattuor animi uirtutes accommodandae ſunt. Vt, ſi laudemus, aliud iuſte, aliud fortiter, aliud modeſte, aliud prudenter factum eſſe dicamus. Si uituperemus, e contrario. Virtus enim unúquodque in ſuo conſeruat ſtatu: &, quae per ſe media ſunt, ea uirtutis actionibus fiunt laudabilia: quoniam uirtute nemo poteſt abuti. Haec de ordine. Sequitur tractatio. In externis igitur rebus primum genus conſideratur. quod uel maiorum uirtute clarum eſt, uel infame, eorundem aliquo ſcelere, aut condicione uitae, uel humile, & obſcurum, tamen bonũ uirtute domeſtica, uitaq. priuata. Clarum dicitur εὐγένεια, nobilitas propter uirtutes, famam, & nomen maiorum eſtq triplex: gentis, ciuitatis, & familiae. Gentis, ut Graecorum, Romanorum, & olim Iudaeorum. Ciuitatis, ut Athenarum, & Romae. Familiae, ut Marcellorum, Fabiorum, Scipiorum. Obſcurum duplex eſt: uel enim eſt ἀγένεια, obſcuritas in qua nec uirtus eſt, nec uitium. uel δυσγένεια, quae eſt uitioſa. Sed ea praecipue nobilitas in hoc genus cadit, quae eſt familiae propter perſonam. Haec principium, incrementum, ac temporis diuturnitatem habere debet. Principium a uirtute, non diuitiis male partis, aut rapinis erit: ut, nobilitas Ciceronis a magiſtratibus praeclare geſtis coepit. Deinde augenda eſt liberalitate, & conſeruanda εὐτεκνίᾳ, quae Ciceroni defuit. Tertio debet in multa ſaecula durare, ut auctoritatem ſibi comparet antiquitate. Si igitur illuſtre genus eſt, & clarum, quod hic bonum uocat, laudandum eſt, ſed modice: parem eum, & excelſiorem fuiſſe ſuis maioribus, uirtute, & induſtria. commune enim genus eſt, & agnoſcitur, non comparatur. Si infame eſt, praetermittere oportet. Si humile, uel omittetur, ſi nihil adiumenti affert; uel tractabitur, ſi ad augendam eius quem laudare uelit, gloriam pertinet. Non enim ſolum maiorum uirtuti reſpondere glorioſum eſt, ſed etiam praeclarum ſui generis, atque nobilitatis auctorem eſſe. In uituperatione duplicem oſtendit methodum: Si bono genere natus ſit, dedecori maioribus fuiſſe: ut de M. Antonio, & Catilina dixit Cicero. Si malo, etiam his ipſis fuiſſe detrimento. Permagni refert, quibus quis natus ſit maioribus: quamobrem a genere prudenter ſumitur principium. Alterum eſt educatio, quae eſt inſtitutio pueri, ac prima uirtutis exercitatio. In ea eſt conſiderandum, quae nutrix fuerit, qui paedagogus, qui magiſtri, quibus artibus, ac diſciplinis inſtitutus aliquis ſit. Propoſuit ſupra ſeptem. hic duo tantum tractat, ut oſtendat, quid ſit faciendum. Quia enim minor eſt copia, & materia tenuior bonorum corporis, quam fortunae, & uarietas plurimum delectare ſolet: ideo, uno, atque altero fortunae munere tractato, corporis commemoranda bona erũt. Deinde ad res externas reuertendum, quibus ubique animi dotes adiungendae ſunt: ut, quemadmodum in acie fieri ſolet, infirmiora in medio collocentur.

ORDINEM *hunc*] demonſtrare ſcilicet aut commoda corporis, aut incommoda. SI *bono, ſi humili genere*] ſi quem uolumus laudare a genere, conſiderandum eſt, utrum maiores ſui ſint nobili, uel ignobili genere nati. ſi nobili, dicemus, illum, quem laudabimus, non a ſuis degenerare; aut eundem maiores ſuos excellere: ſi humili, ideſt ignobili. ut Cicero: Ego maioribus meis uirtute praeluxi. ut, ſi prius noti non fuerint, a me capiant initium ſuae memoriae. HIS *ipſis*] maioribus. DETRIMENTO] malo. nam in hoc omnia illorum uitia luceſcent. EDVCATIO] quae triplex eſt, morum, uictus, & diſciplinae. AD *corporis commoda.*] Laus ab attributis corpori. A. NATVRA] Bona, & incommoda corporis, naturalia uocat: quoniam ea natura corpori attribuit. Primum eſt forma, alibi dignitatem uocat: hoc in loco coniungit dignitatem, atque κατ' ἐνδιάδυν. Eſt enim dignitas, formae ſpecies liberalis, quae uiros decet, ut uenuſtas mulieres. Itaque olim reges eligebat, iuxta illud: Species digna eſt imperio. Ea coloris bonitate tuenda eſt, color uero exercitationibus corporis. Si igitur forma ſit, eam laudi fuiſſe oſtendemus: quemadmodum in uituperando, detrimento, ac dedecori, ut de Alcibiade, Helena, Laide, atque aliis ſcribitur, qui ad amores, ac libidines ea ſunt abuſi. Si nulla ſit, ἀντεισαγωγῇ utemur: corpus quidem deforme eſſe, ſed animum eſſe egregium: ut de Socrate, Epicteto, Aeſopo, atque aliis legimus. In uituperando dicemus, in deformi corpore etiam animum eſſe deformem: ut de Therſite fertur, ac Zoilo. Vires ingenuae a Martiali inter ea commemorantur, quae uitam faciunt beatiorem. quare, ſi uires ſunt, ac uelocitas egregia, honeſtis haec exercitiis, & induſtriis dicemus comparata. Quemadmodum enim in ceteris rebus ars naturam perficit, ita etiam in bonis corporis exercitatio, & induſtria facit, quae in rebus honeſtis laudanda eſt. Valetudo etiam bona a natura nobis conceditur: Martialis ſalubre corpus appellat. Sed, cum multa ſint, quae eam debilitent, ideo, ſi illa ſit integra, ex perpetua diligentia, & temperantia cupiditatum dicemus conſeruatam. In uituperatione contra faciemus. Si erunt, his male uſum eſſe: ſi non erunt, praeter formam (nam illa a natura ſolum datur) ipſius culpa, & intemperantia non fuiſſe dicemus: quod uires non exercuerit, quod ualetudinem luxu, & libidine amiſerit. DIGNITAS,] uirilis. FORMA,] pulchritudo. DETRIMENTO, *atque dedecori*:] ut eſt: Votoq. tuo tua forma repugnat. Sane duplex eſt corporis commodum. ab arte, quod mulieres exercent; a natura, ut pulchritudo, quae innata ſit. CASV,] quo ad extranea. ET *natura*] quo ad attributa corpori. SI *non erunt,*] illa corporis commoda. PRAETER *formam.*] quoniam forma non mouetur. DEINDE *reuertemur*] Docet

uel

uel laudare res extraneas, uel uituperare adiunctas arbitris corpori. A rebus naturalibus ad externas reuertendum eſt: quae omnia non ideo laudantur, quod habuerit quis ea, ſed quod his honeſte ſit uſus. Sed inter reliqua externa praecipuum, poſt genus, atque educationem, locum obtinent diuitiae, potentia, gratia, gloria, amicitiae: quoniam (ut Quinctilianus inquit) certiſsimi faciunt morum experimentum, quod propter haec aut meliores, aut deteriores ſumus. In his igitur animi quae uirtutes, aut quae uitia fuerint, conſiderabimus. Non enim tam res ipſae, quam earum uſus eſt laudandus. ideo ubique eſt accommodanda uirtus: cuius actionibus omnia laudabilia fiunt: quoniam in uſu bonarum rerum maxime conſiſtit. Si uero interierit is, quem laudamus, cuiuſmodi mors eius fuerit, cuiuſmodi res mortem eius ſit conſecuta, oſtendemus. Huius exempla multa ſunt in utramque partem apud Suetonium: & exſtant plura in aliis hiſtoriis. Cvivs cauſſa] an ſcilicet ulciſcendi patris, an proptet amorem meretricum. Qvalis,] liberalis, an parcus. Cvivsmodi] uel quoad famam, uel quoad infamiam. Ad *omnes autem res*] Docet laudare a bonis animi. Hactenus enim de externis, & naturae bonis, quibus animi ſunt accommodanda: nunc etiam de factis, quae uirtutum ſunt iudicia, ea uirtute proficiſcuntur. Non enim uirtus in homine eſſe creditur, niſi quid exſtet, quod ab eo aut iuſte, aut fortiter, aut modeſte, aut prudenter ſit actum. In his tripartita eſt collocandi ratio. Vel enim eſt directa. ſeruato temporis ordine, qui dilucidus eſt, & memoriam adiuuat, quia naturalis eſt, cum ſcilicet a primis ad ultima fit progreſsio: ut in ſecunda Philippica. Vel immutata, cum ab ultimis ad prima progreditur: ut in tertia Philippica Ciceronis, de Auguſti genere, hoc loco: At quam contumelioſus, &c. Vel miſta, cum ſingula facta in genera uirtutū digeruntur: ut in Maniliana, de Pompeij ſcientia rei militaris, uirtute, auctoritate, & felicitate. Poſſent adhuc multa ex aliis adiici: ſed haec ſufficiant. Qvattvor *animi uirtutes*] iuſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia. Perspicvvm] Tractatis omnibus partibus laudis, uel uituperationis, ne quis forte putet, eas tractandas eſſe in quolibet cauſſa demonſtratiua, remouet hoc, & eam ſubdit epilogando. *Perſpicuum*: Concludit iam praecepta confirmationis: & ſimul monet, non neceſſe eſſe, nos omnes has partes in laudem, aut uituperationem transferre: propterea quod ne incidunt quidem, & ſaepe ita tenuiter incidunt, ut non ſint neceſſariae dictu. Id magis uſu, atque obſeruatione diſcet futurus orator, quam praeceptis. Eas autem partes, quae firmiſsime erunt, legere oportebit. Dispositione] ordine. Tripartita] bonorum externorum, corporis, & animi. Assvmpserimvs,] didicerimus, adiunxerimus. Incidvnt] hae partes, ſcilicet, ab animo, corpore, & rebus extenſis. Legere] eligere ex argumentationibus.

Confvtatione in hoc genere raro utimur, niſi ſi quando ſuſpicio inciderit, quam orator infirmet, ac diluat opurtet, & falſam eſſe doceat. Cuius praecepta contrariis ex uitiis ſumentur, ut oſtendamus, iniuſte, ignaue, immodeſte, & ſtulte factum eſſe. quorum omnium ratio locis contrariis conſtat.

P E R O R A T I O

Conclvsionibvs breuibus utemur, enumeratione ad exitum cauſſae: in ipſa cauſſa crebras, & breues amplificationes interponemus per locos communes. Nec hoc genus cauſſae, eo quod raro accidit in uita, negligentius conſiderandum eſt. neque enim id, quod poteſt accidere ut faciendum ſit aliquando, non oportet uelle quam accommodatiſſime poſſe facere. Et ſi ſeparatim haec cauſſa minus ſaepe tractatur, at in iudicialibus, & in deliberatiuis cauſſis ſaepe magnae partes uerſantur laudis, aut uituperationis. quare in hoc quoque genere cauſſae non nihil induſtriae conſumendum putauimus. Nunc, abſoluta nobis difficillima parte rhetoricae, hoc eſt inuentione perpolita, atque ad omne cauſſae genus accommodata, tempus eſt ad ceteras partes proficiſci. Deinceps igitur de diſpoſitione tacemus.

E X P L A N A T I O

Explicavit Principium, Narrationem, Partitionem, Confirmationem, (omiſſa confutatione, ut diximus) demonſtratiui generis: nunc etiam de Peroratione agit. Eam uult eſſe breuem, & habere tantum ἀνακεφαλαίωσιν, enumerationem. Breuitatis duae ſunt cauſſae. Prima eſt, quia motus uehementiores hoc genus non requirit: propterea quod altercationes, ut ſuperiora genera, non habet. Altera eſt, quod copioſius explicare res in concluſione, taedium afferat, cum eaedem in confirmatione ſatis amplificatae ſint. Enumeratio propter uarietatem rerum inſtituenda eſt, in qua tamen etiam adhibendus eſt modus. Cum enim hoc genus in tribus bonorum, & malorum generibus uerſetur, & unumquodque horum ſit multiplex, prodeſt paucis, breuiter ea, quae uel laudata, uel uituperata ſunt, in peroratione renouare. Concluſio tres partes habet, Enumerationem, Indignationem, & Conqueſtionem. de Enumeratione tamen ſola nūc agit, quae breues amplificationes, & communes locos in ſe debet habere, & conſequitur praecipuos aliquot confirmationis locos, & affectus, quibus homines huc & illuc rapimus.

Enymeratione *ad exitum cauſſae.*] ideſt, in fine cauſſae. nam oratoris eſt, in demonſtratiuo genere, concludere in epilogo. In *ipſa cauſſa*] Tria hoc loco fuit. Primum tradit utiliſsimum praeceptum, quod ad confirmationem pertinet, de amplificatione, quae eſt proprie exornationis: deinde de huius generis uſu dicit: tertio tranſit ad reliquas officij oratorij partes. Oſtendit autem quantitatem, & modum amplificationum,

num, dum uult eas eſſe crebras, breues, ac θετικάς. Crebras eſſe oportet, quia in omnibus debent adhiberi partibus, quae poſſunt amplificari. Breuitas ſeruanda eſt, primũ, ne fiant μειρακιώδεις: eſt enim adoleſcentiae fere proprium, rem augere nimium, & ὑπερβολαῖς uti; quod tamen poetis in ſua arte eſt conceſſum. Deinde, ut in affectibus nos nimis diu immoremur, ſiue quod cito areſcit lacryma, ſiue quod fletus uidetur eſſe fictus, ſi modum non habeat. Tertio, ut abſolui reliqua etiam poſsint, quae ſunt unius cauſſae. Quemadmodum enim fabulae unius diei periodo debent peragi, ita etiam partes cauſſarum omnes actione una abſoluendae ſunt. qua in re peccant, qui rem, de qua dicturi ſunt, in plura membra partiuntur, quam una oratione poſsint expedire: ut illi etiam, qui in duos, tresq. dies fabulas extendunt. Quod ad modum attinet, docet αὐξήσεις, per locos communes interpoſitas, ideſt non ὑποθετικὰς finitas, ſed θετικὰς infinitas eſſe debere: ut oratio magis ad reip. & omnium utilitatem, quam ad unius, accommodata eſſe uideatur. Plus enim mouet auditorem, ſi de iuſtitia, aut iniuſtitia dicas, quid haec mali, illa boni rebuspub. afferat, quam ſi Ariſtidem iuſtum, aut Catilinam iniuſtum fuiſſe demonſtres. CREBRAS, *& breues amplificationes*] hoc modo: Si oſtendi, iudices, hunc hominem fuiſſe optime uſum rebus externis, corporis, & animi: neceſſe eſt, eundem ipſum a prudentibus laudari. NEC *hoc genus*] Occurrit quaeſtioni. & de uſu huius generis agit, κατὰ προκατάληψιν. nam, cum raro hoc accidat genus in uita, fuit ab eo ſuperſedendum, quod eius uſus non neceſſarius uideri poterat. Primum oſtendit uſum eius, deinde modum. Separatim, inquit, haec cauſſa minus ſaepe tractatur: ſcilicet apud Romanos, qui illud in funeribus ſaepe uſurpabant, & actionibus gratiarum: ideo nullum habemus exemplum perfectae exornationis. Apud Graecos autem fuit uſitatius, apud quos erant παναθηναϊκοὶ, ἐπιτάφιοι, καὶ πανηγυρικοὶ λόγοι: & crebro ſophiſtae illo utebantur: quare etiam exempla plura haberet. At in iudicialibus, & deliberatiuis cauſsis ſaepe magnae partes uerſantur laudis, aut uituperationis. Exempla ſunt in oratione pro lege Manilia, & pro M. Marcello, in quibus Pompeium, ac Caeſarem ornat. Modus in duobus conſiſtit, ut non negligentius, quam cetera, conſideremus; & ut non nihil induſtriae in illud conferamus, non autem nimium exerceamus. In Partitionibus Cicero duplicem huius generis uſum iudicat, quod non ſolum ad benedicendum, ſed etiam ad honeſte uiuendum ualeant laudandi, uituperandiq. rationes. Primum enim complectitur hoc genus doctrinam prope omnem de moribus: ob honeſtatem enim, atque uirtutem celebrantur homines: uirtus uero ipſa fons omnis eſt officij, & honoris, atque gloriae: quã qui habet, is & dignus eſt, ut laudetur; & laudari hunc utile eſt. Excitat enim laus reliquos ciues ad honeſtatem: nemoq. eſt ita ſui contemptor, ut non honeſte potius, quam ſcelerate uixiſſe uideri uelit: quamobrem utiliſſimum eſt hoc genus ciuitatibus. Deinde ad dicendum, & ad eloquentiam plurimum affert adiumenti. Nam copioſa uirtus laus eſt, & ſe ſinit ipſa amplificari: & cadunt in hoc genus ornamenta & uerborum, & ſententiarum omnia. Ac ſane utile eſt, in exercitatione ſtyli hoc primum occupare locum. Hactenus de uſu Exornationis. CAVSSAE,] demonſtratiuae. SEPARATIM] per ſe. HAEC *cauſſa*] demonſtratiua. VERSANTVR] accidenter: ut uel iudices laudemus, uel rem, quam conſulimus. INDVSTRIAE] laboris, & doctrinae. NVNC *abſoluta nobis*] perfecte tractata. Μετάβασις, tranſitio ad reliquas officij oratorij partes, quas tractaturus eſt; inter quas prima eſt diſpoſitio, de qua nunc agit: commemor atque, de quibus rebus dixerit. Eſt hoc in loco exemplum tranſitionis ſingulare. ἀνακεφαλαίωσις enim habet ἀνάμνησιν. κατάστασις autem duplex eſt, καθολικὴ, καὶ ἰδικὴ. Sed, quia inter figuras numeratur Tranſitio, libro quarto copioſius de ea dicemus. AD *omne cauſſae genus*] demonſtratiui, deliberatiui, & iudicialis. ACCOMMODATA,] commode adaptata.

D I S P O S I T I O

*Q*VONIAM *diſpoſitio eſt, per quam illa, quae inuenimus, in ordinem redigimus, ut certo quidque loco pronuncietur; uidendum eſt, cuiuſmodi rationem in diſponendo habere conueniat. Genera diſpoſitionis ſunt duo, unum ab inſtitutione artis profectum, alterum ad caſum temporis accommodatum.*

E X P L A N A T I O

ABSOLVIT difficillimam officij oratorij partem, hoc eſt inuentionem, eamq. ad omne genus cauſſae accommodauit: nunc ad alteram accedit partem, quam hic Diſpoſitionem, in Partitionibus Collocationem uocat: a Graecis τάξις, καὶ οἰκονομία uerbo translato dicitur. Primum hic proponit, ſe de Diſpoſitione acturum eſſe: deinde eandem diuidit in duas partes: tertio ſingularum partium tradit praecepta: poſtremo etiam uſum indicat collocationis. Propoſitio habet αἰτιολογίαν, quae a definitione ſumitur. quoniam enim diſpoſitio eſt, per quam illa, quae inuenimus, in ordinem redigimus, ut certo quidque loco pronuncietur, uidendum eſt, qui in diſponendo ſit obſeruandus ordo. Ita coniuncta eſt cum propoſitione ratio, quae eſt ὁριστική. Diſpoſitio duplex eſt: una uerborum, altera rerum. Verborum, ad elocutionem pertinet: rerum, uel omnino perturbata, atque uitioſa eſt, a Graecis ἀταξία dicitur, cui uitio imperiti ſunt obnoxij. uel eſt in aliquibus partibus uitium, κακοταξία. ut, cum id, quod eſt leuius, initio pro grauiore ponitur. uel omnia recte collocata ſunt εὐταξία: qua oratores utuntur. Huic Antonius tantum fere in 2. de Oratore tribuit, quantum Demoſthenes pronunciationi fertur tribuiſſe. Abſoluta igitur inuentione, ſtatim de cauſſarum, ſta-

tuum, argumentationum, locorumq. omnium diſpoſitione agendum erit. Huius genera ſunt duo: unum ab inſtitutione artis profectum; alterum, ad caſum temporis accommodatum. hoc a Graecis περιστατικὴν, ἢ τὸ κατὰ συμβεβηκὸς, illud τεχνικὸν appellatur. Primum enim ex ui, & natura cauſſae, ideſt, rei, de qua agimus, conſideratur: alterum perſonis, locis, temporibus attributum, ordinem ipſius rei artificioſe commutat propter utilitatem. Illa,] argumenta, & cauſſae capita. Quae *inuenimus*,] ideſt, inuenta. In *ordinem redigimus*,] ideſt, ordinamus. Certo *quidque loco*] deputato. Cuiusmodi *rationem*] ideſt, doctrinam. In *diſponendo*] in diſpoſitione. Genera *diſpoſitionum*] Declarat, diuerſis modis ſolere inuenta diſponi, ſecundum artis inſtitutionem, interdum ſecundum ordinem, qui in inuentis habetur. Ab *inſtitutione artis*] hoc eſt, artificioſum, ἔντεχνον. Ad *caſum temporis*] ideſt, ad alicuius cauſſae neceſsitatem.

DISPOSITIO. ARTIS

EX inſtitutione artis diſponemus, cum ſequemur eam praeceptionem, quam in primo libro expoſuimus, hoc eſt, ut utamur principio, narratione, diuiſione, confirmatione, confutatione, concluſione: & hunc ordinem, quemadmodum praeceptum eſt ante, in dicendo ſequemur. Item ex inſtitutione artis non modo totas cauſſas per orationem, ſed ſingulas quoque argumentationes diſponemus, quemadmodum in libro ſecundo docuimus, ideſt, expoſitionem, rationem, confirmationem rationis, exornationem, complexionem. Haec igitur duplex diſpoſitio eſt, una per orationes, altera per argumentationes, ab inſtitutione artis profecta.

EXPLANATIO

DIVISIT Diſpoſitionem in duo genera: nunc illud, quod artis eſt, explicat, & concludit. Eſt autem Collocatio τεχνική, cum praecepta artis, eorumq obſeruamus ordinem: ut hoc in loco oſtendit. Sed, ut ſciamus, quando ſit hoc utendum ordine, conſiderandum eſt, ſimplex ne, an duplex ſit cauſſa propoſita. Simplex eſt, quae unam tantum conſtitutionem, aut conſtitutionis partem habet. Duplex, quae duabus, aut pluribus conſtitutionibus, aut conſtitutionum partibus, aut etiam unica duplicata conſiſtit. Huius tres ſunt partes. Prima, cum quaeſtiones duae, pluresue afferuntur: altera, cum res quidem ſimplex ab accuſatore affertur, multitudine autem rationum defenſionis conſtitutiones quoque multiplicantur, quas omnes principales nominamus. Tertia eſt, cum quaeſtio quidem ita eſt unica, ut nec rationibus defenſoris multiplicentur, ſed tamen & aliae accidunt. Accidentes ſunt, quae non ex prima depulſione defenſoris, ſed aut a rationis, aut a loci cuiuſpiam depulſione naſcuntur. Quinque igitur modis ſit cauſſa duplex: quaeſtionum multitudine, rationum uarietate, diuerſitate firmamentorum, firmamenti depulſione, & incidenti ſtatu. In ſimplici igitur cauſſa diſpoſitio artificioſa dupliciter conſideratur. Primum, per partes orationis, cum utimur principio, nouatione, diuiſione, confirmatione, confutatione, concluſione, quemadmodum libro primo praeceptum eſt. Deinde, per argumentationes, de quibus libro ſecundo docuit: ut eas in expoſitionem, rationem, confirmationem rationis, exornationem, & complexionem diſponamus. In cauſſa uero duplici tribus modis. Primum, per orationis partes: deinde, per argumentationes, ut in cauſſa ſimplici: tertio, per conſtitutiones, & earum partes. Sed in ſingulis etiam orationis partibus obſeruandum eſt, quo modo quaelibet collocandae ſint.

Ex *inſtitutione artis*] ideſt, eo ordine, quo ars docet. ſcilicet, ut praecedat propoſitio, ſequatur ratio, rationis confirmatio, exornatio, amplexio. Haec diſpoſitio ad ordinem partium reſpicit orationis, ſcilicet expoſitionis rationis, & ceterarum partium. qui ordo docetur a praeceptore, cum tradit artem de prima Diſpoſitione, de qua in primo libro; de ſecunda uero in ſecundo. Eam *praeceptionem*,] quam in primo libro expoſuit; ſcilicet, ut praecedat exordium, ſequatur narratio, & ita de ceteris partibus orationis. Haec *igitur*] Concluſio primi generis collocationis, quae ab inſtitutione artis profecta eſt.

DISPOSITIO. TEMPORIS

περιστατική.

EST autem alia diſpoſitio, quae, cum ab ordine artificioſo recedendum eſt, oratoris iudicio ad tempus accommodatur: ut, ſi a narratione dicere incipiamus, aut ab aliqua firmiſſima argumentatione, aut a litterarum recitatione: aut ſi ſecundum principium confirmatione utamur, deinde narratione, aut ſi quam huiuſmodi permutationem ordinis faciamus: quorum nihil, niſi cauſſa poſtulet, fieri oportebit. nam, ſi uehementer aures auditorum obtuſae uidebentur, atque animi defatigati ab aduerſarijs multitudine uerborum, commode poterimus principio ſuperſedere, & exordiri cauſſam aut a narratione, aut ab aliqua firma argumentatione. Deinde ſi commodum erit, quia non ſemper neceſſe eſt, ad principij ſententiam reuerti licebit. Si cauſſa noſtra magnam difficultatem uidebitur habere, ut nemo aequo animo principium poſſit audire: a narratione cum inceperimus, ad principij ſententiam reuertamur licebit. Si narratio parum probabilis eſt, exordiemur ab aliqua firma argumentatione. His commutationibus & translationibus partium ſaepe uti neceſſe eſt, cum ipſa res artificioſam diſpoſitionem artificioſe commutare cogit.

EXPLANATIO

ALTERVM Diſpoſitionis genus eſt, τὸ ἐκ περιστάσεως, collocatio temporis: quae tametſi non ſit ex inſtitutione artis, tamen id ſine magno fieri artificio non debet. Orator enim non rem ſolum, de qua agitur, ſed perſonas, tempus, locum, ceteraſq. circumſtãtias conſiderare ſolet: quibus fit, ut eum ordinem, qui ab arte proficiſcitur, aliquando ſeruare non poſsit, ſed orationem ad caſum temporis cogatur accommodare. Id quando faciendum ſit, propter uarietatem caſus, praecipi difficulter poteſt: ſed facile intelligitur, cum reliqua praecepta, & quid in quaque cauſſa utile ſit, obſeruamus. Non igitur hoc genus priori eſt oppoſitum; ſed, cũ maxime artificioſum ſit, iccirco eſt ab illo diſtinctum, ut certior, magisq. perſpicua praeceptorum utriuſque eſſet ratio.

EST *autem*] Oſtendit primum, quod ſit alterum collocationis genus. quod ad caſum temporis accommodatur. deinde, quando illo ſit utendum. Hoc genus uocatur τὸ κατὰ συμβεβηκὸς ἢ περιστατικόν: quoniam nonnumquam ab ordine artificioſo recedendum eſt, propter aliquam circumſtantiam. quod cum fit, orator ſuo iudicio diſpoſitionem ad tempus accommodabit. Oratorem enim prudentem eſſe decet, ut intelligat, quid utile ſit, & quid cauſſa requirat. Quemadmodum enim imperator bonus, multa agit ex improuiſo, quorum ante nec exempla uidit, nec praecepta didicit: ita etiam orator bonus facile animaduertit, quo ei ſit utendum ordine, non modo in ipſo principio, ſed in omnibus totius cauſſae partibus. Nam auditorum aures (ut in Partitionibus inquit Cicero) moderantur oratori prudenti, & prouido: &, quod reſpuunt, immutandum eſt. NAM, *ſi*] Docet iam, quando ſit utendum huiuſmodi diſpoſitione, per omnes orationis partes. Ordo mutatur ἢ μεταθέσει τῶν ῥηθησομένων, tranſpoſitione dictorum, ἢ ἐκλείψει, omiſsione. ἐκλείψει igitur utemur, cum principio non eſt opus. Id duobus modis fit. Primum, cum auditoris aures obtuſae, atque animi defatigati ſunt oratione aduerſarij: deinde, cum beneuolum habemus auditorem. Exordiemur autem aut a narratione, aut praepoſita ὑποσχέσει, cauſſam noſtram non eſſe tam malam: ab aliqua firma argumentatione, contra perſuaſionem aduerſariorum, in quo cauſſae noſtrae fiducia apparebit, quod aduerſarij argumẽta nihil metuamus. Ab hac ad principij ſententias reuerti licebit, cum adhuc auditoris beneuolentia nobis opus eſt: non enim ſemper id neceſſe eſt. Si cauſſa noſtra magnam difficultatem uidetur habere, ut nemo aequo animo principium poſsit audire, propter alienationem auditorum, ut uel perſonam, uel cauſſam odio habeát: aut a narratione incipiemus, & ad principij ſententiam reuertemur. aut, cum narratio parum probabilis eſt, ab aliqua firma argumentatione: qua tractáta, ad narrationem reuertemur.

PRAECEPTA. COMMVNIA

IN confirmatione, & confutatione argumentationum diſpoſitiones huiuſmodi conuenit habere, firmiſſimas argumentationes in primis, & in poſtremis cauſſae partibus collocare; mediocres & neque inutiles ad dicendũ, neque neceſſarias ad probandum, quae ſi ſeparatim, ac ſingulae dicantur, infirmae ſunt, cum ceteris coniunctae, firmae, & probabiles fiunt, interponi, & in medio collocari oportet. nam & re narrata ſtatim exſpectat animus auditoris, qua re cauſſa confirmari poſſit. quapropter continuo firmam aliquam oportet inferre argumentationem. &, quoniam nuperrime dictum facile memoriae mandatur; utile eſt, cum dicere deſinamus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem. haec diſpoſitio locorum, tamquam inſtructio militum, facillime in dicendo, ſicut illa in pugnando, parare poterit uictoriam.

EXPLANATIO

PRAECEPTA communia iam tradidit utrique generi: primum de contentione, deinde de collocationis utilitate. In contentione primum illud animaduertendum eſt, ſaepe confirmationi praeponi confutationẽ, cum ea, quae obſtare plurimum uidentur, remouenda ſunt: ut in Miloniana fecit Cicero. Deinde ſtatus etiã mutari ut acceſſorius principaliorem anteuertat: incidens aut praeoccupetur, aut poſtponatur. Principales quoque commiſceri ſic poſſe, ac maxime ſi locos finitimos, atque cõſimiles habeant, ut legitimae fere omnes, & aſſumptiuae: & cum his definitio, ut nunc ex iſtius, modo ex illius loco uiciſsim arguatur. Tertio ſciendum eſt, argumentorum collocationem ſimilem eſſe debere aciei militari. Optimos.n. milites imperator in principio, ac fine ſtatuere ſolet, tirones, ac triarios in medio: ut a prioribus defendatur, & a poſterioribus cohibeantur in officio, ne figura meditentur, & ne hoſtes poſt principia impetum faciant. Eodem modo orator faciet, ut firmiſsimas argumentationes in primis, & in poſtremis cauſſae partibus collocet, mediocres in medio. Nã, ut ille inquit, Si non proſunt ſingula, iuncta iuuant. Huius praecepti rationem reddit: quod, re narrata, ſtatim exſpectat animus auditoris, ex qua re cauſſa confirmari poſsit. Quare continuo firmam aliquam oportet inferre argumentationem. quod etiam in fine facere utile eſt: quoniam nuperrime dictum, facile memoriae mandatur. In Partitionibus praecipit, omnem collocationem ad finem quaeſtionis eſſe accommodandam: quare genus quaeſtionis conſiderandum eſt. In infinita enim, ut ſunt Tuſculanae, Academicae, & de Finibus bonorum & malorum, libera eſt collocandi ratio. θέσεις enim perſonarum, ac temporum notationem nõ habent: quoniam earum finis eſt fides tantum, quae firma eſt opinio, ex argumentis nata. ὑποθέσεις autẽ circumſtantiarum habent cõplexum, inter quas perſona eſt praecipua, quae ſemper affert aliquid, de quo uel metuas, uel cupias; uel laeteris, uel angaris animo. Res autem ipſae mouent quidem, ſed ſi ad perſonas referuntur. Quare in quaeſtione finita non ſolum rerum, ſed etiam motuum eſt habenda ratio: quoniam & fides ipſa, &

motus,finis eſt cauſſae, ideſt ὑποθέσεως. Primum igitur orator in ſingulis cauſſarum generibus in collocando res ipſas,τὰ πράγματα: deinde motus,τὰ πάθη conſiderabit,ut in laudando delectationem,in iudicio ſaeuitiam,& clementiam,in ſuadendo ſpem,atque metum. Haec *diſpoſitio*. Nunc effectum,atque uſum indicat collocationis,κατὰ σύγκρισιν, ſed γενικῶς, huiuſmodi diſpoſitionem faciliime in dicendo, ſicut inſtructionem militum in pugnando,parere poſſe uictoriam. Habet autem tres utilitates ἡ τάξις. Primum affert lucem,& illuſtrat cogitationem: magis enim perſpicua ſunt,bene collocata,quam confuſa. Deinde confirmat memoriam: quia facilius tenentur, quae dicuntur intelligenter. Tertio prodeſt ad perſuadendum; ſunt enim ſaepe multa,quae ſi in principio collocantur,auditorem offendunt; ſi alio loco ponantur,grata erunt. Inſeruit igitur collocatio τῇ εὐμαθείᾳ, τῇ εὐμνηστείᾳ, καὶ τῇ πίστει & magnam cum inuentione utilitatem habet.

Memoria omnium rerum theſaurus,ceterarumq. ingeni partium cuſtos,maximam fere in dicendo uim habet,ac poteſtatem; atque ita,ut quae niſi conſeruatrix inuentis,excogitatisq. rebus,& uerbis adhibeatur,intelligimus omnia,ut ait Cicero,etiam ſi praeclara fuerint,in oratore peritura. Nam & ea,quae dicit orator in accipienda cauſſa,tum quae ipſe cogitauit,conſeruat; & omnium rerum notatam in animo diſtributionem,ſententiarum plenitudinem,deſcriptum uerborum apparatum infligit; & res caecas, hoc eſt ab adſpectus iudicio remotas,per locos quoſdam,& imagines,& figuras notat,atque confirmat. Cuius uis,& admirabilis ueluti bonitas, quoniam ſola fere in natura principe dominatur,uidit prudenter Simonides Chius,qui primus artē memoriae inueniſſe fertur,ordinem eſſe maxime rerum & locorum,qui memoriae lumen afferret,ſi quis eū poſſet educere,atque praecipiendo (ars enim eſt dux certior,quam natura) meliorem reddere. Plato in libro de Summo bono,qui Philenus inſcribitur,recte inquit memoriam ad ſenſus cōſeruationem tenebimus,quam in Critia Mnemoſynē,i. Muſarū matrē uocat,in qua praecipua orationis noſtrae momēta,atq. in dicēdo ſubſidio Ciceroni optimo magiſtro,in Orat.ad Brutū poſita eſſe uidetur; & ob id a Fabio eloquētiae theſaurus dicitur.

Sunt autem duae memoriae:

Naturalis,una,quae noſtris animis inſita eſt,& ſimul cum cogitatione nata. Virtus eius eſt duplex, facile percipere,& fideliter retinere: illud humidae,hoc ſiccae naturae beneficio iuuari putant.

Artificioſa altera,quam confirmat inductio quaedam & ratio praeceptionis. Sed,quia in ceteris rebus ingenij bonitas imitatur ſaepe doctrinam,ars porro naturae bona confirmat,& auget: ita fit in hac re, ut nonnunquam naturalis memoria,ſi cui data eſt egregia,ſimilis ſit huic artificioſae.

Cum igitur maxima uix memoriae ſit,eaq. duplex: altera a natura petenda eſt,altera inductione quadam, & ratione praeceptionis confirmanda: de qua latior patet ratio.

Conſtat autem Artificioſa memoria ex

Locis,qui breuiter,perfecte,inſignite,aut natura,aut manu ſunt abſoluti,ut eos facile naturali memoria cōprehendere,& amplecti queamus,ut aedes,intercolumnium,angulum,fornicem,feneſtram,montes,prata,flumina,& alia,quae his ſimilia ſunt. Oportet igitur,ſi uolumus multa meminiſſe,multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare poſsimus: & putamus oportere ex ordine hos locos habere, ut perpetuo nobis haerere poſsint. Eſt autem commodius in derelicta quam in celebri regione locos comparare,propterea quod frequentia,& obambulatio hominum conturbat,& infirmat imaginum notas. Solitudo conſeruat integras ſimulacrorum figuras. Praeterea diſsimiles forma, atque natura loci comparandi ſunt, ut diſtincte interlucere poſsint.

Imaginibus,quae ſunt formae quaedā,& notae,& ſimulacra earum rerum,quas meminiſſe uolumus,quod genus equi,leones,aquilae: quorum memoriam ſi uolemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit. Et,quoniam rerum ſimiles imagines eſſe oportet, & ex omnibus uerbis notas nobis ſimilitudines eligere debemus,duplices ſimilitudines eſſe debent: unae rerū,quae exprimuntnr,cum ſummatim ipſorū negotiorū imagines comparamus; alterae uerborum,quae conſtituuntur,cum uniuſcuiuſque nominis,& uocabuli memoria imagine notatur. Simonides ille lib. II. de Oratore apud Ciceronem iis, qui hanc partem ingenij exercerent,locos eſſe capiendos putauit,& ea,quae memoria tenere uellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda: ſic fore,ut ordinem rerum locorum ordo conſeruaret: res autem ipſas rerum effigies notaret,atque ut locis pro cera,ſimulacris pro litteris uteremur.

PRONVNCIATIO

Pronvnciationem multi maxime oratori utilem dixerunt eſſe, & ad perſuadendum plurimum ualere. nos,quid unum de quinque rebus plurimum proſit,non facile dixerimus, nec egregie magnam eſſe utilitatem in pronunciatione ſola audacter confirmauerimus. nam commodae inuentiones, & concinnae uerborum elocutiones, & partium cauſſae artificioſae diſpoſitiones, & horum omnium diligens memoria, ſine pronnnciatione non plus, quam ſine his rebus pronunciatio ſola, ualere poterit. quare,quia nemo de ea re diligenter ſcripſit,(nam omnes uix poſſe putarunt de uoce, uultu, geſtu dilucide ſcribi, cum hae res ad ſenſus noſtros pertinerent) & quia magnopere ea pars a nobis ad dicendum comparanda eſt, non negligenter uidetur tota res conſideranda.

EXPLANATIO

Pronvmciatio, eſt tertia pars officij oratorij,quam alij actionē nominant: ſed prius nomen a uoce, ſequens a geſtu habet. utraque appellatione indifferenter uti licet. Graeci eam ὑπόκρισιν appellant. Ἐστὶ δὲ ὑπόκρισις μίμησις τῶν πραγμάτων,καὶ τῶν πράξεων διὰ φωνῆς,καὶ τῆς τοῦ σώματος κινήσεως γενομένη. Id eſt,Pronunciatio eſt imitatio rerum,atque actionum,quae fit uoce,ac motu corporis. In hoc capite agit primum de Pronun-

ciationis

ciationis utilitate: deinde eandem in ſuas partes diuidit, & ut unaquaeque comparetur indicat: tum occupatione utitur, qua hoc caput concludit, & ad memoriae tractationem tranſit.

Pronunciatio, quae oratori motu corporis, quae geſtu, quae uultu, quae uocis confirmatione, ac uarietate moderanda eſt, maximam in oratione inuẽtis, excogitatisq. rebus, & uerbis uim affert, & lumen. nam & ea ad docendum, perſuadendumq. plurimum ualet; & dilucidam orationem (ut ait in Partitionibus) & illuſtrem, & probabilem, & ſuauem, non uerbis, ſed uarietate uocum, motu corporis, uultu facit. Vidit hoc prudenter Demoſthenes orator ille magnus, pronunciationem in oratoribus plurimum poſſe, ita, ut primas ei partes, ſecundas, ac tertias attribuiſſe uideatur. Etenim commodae inuentiones, & concinnae uerborum elocutiones, & partium cauſſae artificioſae diſpoſitiones, & horum omnium diligẽs memoria ſine pronunciatione, non plus, quam ſine his rebus pronunciatio ſola ualere poterit.

Conſiſtit autem Actio omnis in Moderatione Vocis, & Corporis.

PRONVNCIATIONEM] Primum aliorum oſtendit ſententiam, qui ſenſerunt, pronunciationem eſſe utiliſſimam. Quinctilianus illam moram quandam in orationibus uim, ac poteſtatem habere inquit: quia nõ tam referat, qualia ſint, quae intra nosmetipſos compoſuimus, quam quo modo efferantur. Nam ita quiſque, ut audit, mouetur. Quare neque probatio ulla, quae modo uenit ab oratore, tam firma eſt, ut non perdat uires ſuas, niſi adiuuetur aſſeueratione dicentis. Affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi uoce, uultu, totiusq. prope habitu corporis inardeſcant. Documento ſunt uel ſcenici actores, qui & optimis poetarum tantũ adiiciunt gratiae, ut nos infinite magis eadem illa audita, quam lecta delectent; & uiliſsimis etiam quibuſdam impetrant aures, ut, quibus nullus eſt in bibliothecis locus, ſit etiam frequens in theatris. Quod ſi in rebus, quas fictas eſſe ſcimus, & inanes, tantum pronunciatio poteſt, ut iram, lacrymas, ſolicitudinem afferat: quanto plus ualeat neceſſe eſt, ubi & credimus? Equidem uel mediocrem orationem commendatam uiribus actionis, affirmauerim plus habituram eſſe momenti, quam optimam eadem illa deſtitutam. Siquidem & Demoſthenes, quid eſſet in toto genere dicendi ſummum, interrogatus, Pronunciationi palmam dedit, eidemq. ſecundum, ac tertium locum, donec ab eo quaeri deſierit; ut eam uideri poſsit non praecipuam, ſed ſolam iudicaſſe. Ideoq. ipſe tam diligenter apud Andronium hypocritem ſtuduit, ut, admirantibus etiam eius orationem Rhodiis, nõ immerito Aeſchines dixiſſe uideatur, Quid, ſi ipſum audiſſetis? Et M. Cicero unam in dicendo Actionem dominari putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis conſecutum, quam eloquentia, tradunt. Haec ideo ex Quinctiliano exſcripſi: ut cognoſcatur, quantum ueteres Pronunciationi tribuerint, qui nihil crediderunt eſſe perfectum, niſi ubi naturam cura adiuuaret. NOS *quid*] ἐπίκρισις auctoris: ſuam enim etiam fert de hac parte ſententiam ἠθικῶς. Non enim nihil, ut quidam, nec nimium, ut olim, Pronunciationi tribuit: ſed partes omnes uult ex aequo eſſe utiles. Vt enim reliquae partes ſine hac, ita etiam haec ſine illis nihil ualet. QVARE, *quia*] Concludit iam, pronunciationem non negligenter eſſe conſiderandam. Cauſſas affert duas. Prima, quia nemo de ea re diligenter ſcripſit: quod omnes uix putarint poſſe de uoce, uultu, & geſtu, dilucide ſcribi, cũ hae res ad ſenſus noſtros pertinerent. Altera, quia magnopere ea pars a nobis ad dicendum comparanda eſt.

PARTES. PRONVNCIATIONIS FIGVRA. VOCIS

DIVIDITVR *igitur pronunciatio in uocis figuram, & corporis motum. Figura uocis eſt, quae ſuum quendam poſſidet habitum, ratione, & induſtria comparatum. ea diuiditur in tres partes, magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem. Magnitudinem uocis maxime comparat natura: non nihil hanc auget, ſed maxime cura conſeruat. Firmitudinem uocis maxime natura comparat, non nihil adauget, & maxime conſeruat exercitatio declamationis. Mollitudinem uocis, hoc eſt, ut eam torquere in dicendo pro noſtro commodo poſſimus, maxime faciet exercitatio declamationis. Quapropter de magnitudine uocis, & firmitudinis parte, quoniã altera natura, altera cura cõparatur, nihil ad nos attinet commonere, niſi ut ab iis, qui non inſcii ſunt eius artificii, ratio curandae uocis petatur.*

EXPLANATIO

PARS ſecunda huius capitis, in qua primum diuidit Pronunciationem, deinde partes eius quomodo comparentur, indicat. Diuiditur igitur Pronunciatio in uocis figuram, & corporis motum. Figura uocis eſt τῆς φωνῆς ἰδέα, ἢ σχηματισμὸς, conformatio: ſunt enim uanae eius ſpecies, ut magna parua, clara rauca, alta preſſa, lenis firma &c. Eius cauſſas efficientes tres ponit, naturam, rationem, & induſtriam. Natura eſt cauſſa abſoluta, ſine qua non, quae dat, ut hic loquitur, habitum quendam, & inſtrumenta uocis. Lingua enim uocẽ ſecat, atque moderatur: arteria aſpera iter, & uehiculum eius eſt: pulmones uocis ſunt receptacula, quae, quia ſunt fungoſi, ſaepto tranſuerſo premuntur. Addidit etiam latera, ne pulmones premendo nimium infirmentur. Sed haec phyſicorum ſunt, qui diligenter omnia tradiderunt: neque ad oratorem pertinent. Ratio, & induſtria ſunt cauſſae adiuuantes, atque conſeruantes. Eſt autem ratio nihil aliud, quam ars quaedam uocis conſeruandae. Quia enim natura uocem dat aequabilem, & informem, qualis puerorum eſt, ratio illam informat, & intelligi queat. Eſt enim uox imago, & ſimulacrum noſtrarum cogitationum, quae lingua exprimuntur. Docet igitur ratio primum, quis cibus, ac potus ſit ſeruandus: deinde, cuiuſmodi uox eſſe debeat in omnibus partibus, ſiue in interrogando, ſiue in reſpondendo, ſiue in altercando. Induſtria eſt ipſa exercitatio, quae fit declamando. Ars certas uocis ſpecies tradit: ſed induſtria illas conſeruare ſolet. Quamobrem crebra debent eſſe declamandi exercitia: quae hoc tempore magna ſtudiorum iactura paſsim negliguntur. Diuidit hoc in loco uocem in tres ſpecies, Magnitudinem, Firmitudinem, Mollitudinem. Magna, μεγάλη eſt, quae aures ferit, atque implet. Firma, στερεὰ, καὶ ἰσχυρὰ eſt, cuius magnitudo continuatur. eſt enim uox aequabilis. Vtriuſque cauſſae

duae

duae ſunt: natura, quae eſt abſoluta: & cura, atque exercitatio declamationis, quae eſt cauſſa adiuuans: quoniam augent, conſeruantq. maxime naturam. Conſiſtit firmitudo in inſtrumentis, & contnuatione: ut ſit eadem magnitudo, ne pars aequabilitatis remittatur, aut inclinetur. Mollitudo, ἀκοινία, eſt flebilis uox. modo enim grauior eſſe debet, modo remiſsior, modo ad contendendum inclinet, modo ad concludendum. Eſt enim torquenda, ideſt flectenda uox pro noſtro commodo. Huius cauſſam dicit eſſe exercitationem declamationis. QVAPROPTER *de magnitudine uocis,*] Ἀποδίωξις: reiicit tractationem de magnitudine uocis, & ea firmitudinis parte, quae nobis a natura datur. Aliis enim dedit inſtrumenta uocis firmiora, quibus uox magna, firmaq. efficitur; aliis uero infirmiora. Cura augeri uox, & conſeruari poteſt, cũ in cibo, potu, atque exercitatione ars, & ratio adhibetur, quemadmodum de Demoſthene ſcribitur. Is enim, ut ꝓ pronunciare diſceret, ſcrupulis in os iniectis, ſaepe aliquid recitabat. deinde uno ſpiritu currens, uerſus multos recitabat: tum, ut aquarum ſtrepitũ uoce uinceret ad fluuiorum ripas ſeſe exercebat. Sed, cum naturae auctor Deus ſit & curandae uocis artificium (excepta declamandi ratione) ad oratorem minime pertineat, ideo illud ab hiſtrionibus petendum eſſe docet.

VOX. FIRMA

DE ea parte firmitudinis, quae conſeruatur ratione declamationis, & de mollitudine uocis, quae maxime neceſſaria eſt oratori, quoniam ea quoque moderatione declamationis comparatur, dicendum uidetur. Firmam igitur quammaxime poterimus in dicendo uocem conſeruare. ſi quammaxime ſedata, & depreſſa uoce principia dicemus. nam laeduntur arteriae, ſi, antequam leni uoce permulſae ſunt, acri clamore compleantur. Etiam interuallis longioribus uti conueniet. recreatur enim uox ſpiritu, & arteriae reticendo acquieſcunt. Et continuum clamorem remittere, & ad ſermonem tranſire oportet: commutationes enim faciunt, ut, nullo genere uocis effuſo, in omni uoce integri ſimus. Et acutas uoces exclamationes uitare debemus. ictus enim fit, & uulnerantur arteriae acuta, atque attenuata nimis acclamatione, & ſiquis ſplendor eſt uocis, conſumitur clamore uniuerſus. Et uno ſpiritu continenter multa dicere in extrema conuenit oratione. fauces enim calefiunt, & arteriae complentur, & uox, quae uarie tractata eſt, reducitur in quendam ſonum aequabilem, atque conſtantem.

EXPLANATIO

DIVISIT uocem in tres ſpecies, ſingularum etiam cauſſas indicauit: nunc, quo modo conſeruentur, docet. Firmitudinis duae ſunt partes: una, quae hiſtrionum cura comparatur, cuius praeceptionem prius reiecit: altera, quae ratione declamationis cõſeruatur, de qua hoc in loco dicit. In ea quinque obſeruãda ſunt: primum, ipſa quantitas, ut ſit uox ſedata, neque nimis magna, aut alta. Eſt enim uox ſedata, quae nec uelocitatem, nec clamorem habet ſed depreſſa eſt, & humilis. Ea in exordiis decet, quoniam laeduntur arteriae, ſi ante, quam leni uoce permulſae ſunt, acri clamore compleantur. Non debet igitur pronunciatio eſſe Satyrica. Deinde interſpirationes, quas hic interualla uocat. Fiunt haec uel inciſis, uel membris, uel periodis. Inciſa igitur interualla modica, membra autem magna, ſed periodi maiora interualla habebunt Spiritu enim uox ipſa recreatur, & arteriae reticendo acquieſcunt. Tertio mutatio, ut clamorem continuũ remittamus, & ad ſermonem tranſeamus. Commutationes enim faciunt, ut, nullo genere uocis effuſo, ideſt conſumpto, in omni uoce integri ſimus. Clamore enim auditor fatigarur, ſermone uero ſpiritus uires ſuas colligit. ἀμοιβὴν igitur eſſe oportet. Clamor uocis eſt contentio, ſermo uox ſedata. Quarto, ut acutae uocis exclamationes uitentur. Ictus enim fit, & uulnerantur arteriae, acuta, atque attenuata nimis acclamatione. Habent enim eiuſmodi exclamationes intẽſionem, ut audiantur: & exilitatem, qua arteriae comprimũtur. Hinc larinx, & arteriarum ualuulae debilitantur. Quamobrem, ſi uox eſt clara, quam his ſplendorem uocis appellat, in qua nulla eſt raucedo, conſumitur clamore uniuerſa. Arteriis enim debilitatis, excitatur tuſsis: haec raucedinem facit, raucedo uocem fuſcã, & obſcurã. Quincto, continuatio ſpiritus, ut multa continenter uno ſpiritu dicãtur. in extremis periodorũ mẽbris, in fine confirmationũ, & in ipſa peroratione. Rationes reddit tres. primũ.n. fauces calefiunt. deinde arteriae cõplẽtur: tũ uox, quae uarie tractata eſt, (in principio ſcilicet, & reliquis orationis partibus, depreſsione, interſpiratioſie mutatione, continuatione, &c.) reducitur in quendam ſonum aequabilem, atque conſtantem, ideſt, ſui ſimilem.

VOX. SVAVIS

SAEPE rerum naturae gratia quaedam iure debetur, uelut accidit in hac re. nam, quae diximus ad uocem ſeruandam prodeſſe, eadem attinent ad ſuauitatem pronunciationis: ut, quod noſtrae uoci proſit, idem uoluptate auditoris probetur. Vtile eſt ad firmitudinem uocis, ſedata uox in principio. quid inſuauius, quam clamor in exordio cauſſae? interualla uocem confirmant. eadem ſententias concinniores diuiſione reddunt, & auditori ſpatium cogitandi relinquunt. Conſeruat uocem continui clamoris remiſſio, & auditorem quidem uarietas maxime delectat, cum ſermone animum eius retinet, aut exſuſcitat clamore. Acuta exclamatio uocem, & fauces uulnerat. eadẽ laedit auditorem. habet enim quiddam illiberale, & ad muliebrem potius uociferationem, quam ad uirilem dignitatem in dicendo accommodatum. In extrema oratione continens uox remedio eſt uoci. quid? eadem non ne animum uehementiſſime calefacit auditoris in totius concluſione cauſſae? Quoniam igitur res eadem uocis firmitudini, & pronunciationis ſuauitudini prodeſt; de utraque re ſimul erit in praeſentia dictum, de firmitudine, quae uiſa ſunt, & de ſuauitate, quae coniuncta fuerunt: cetera ſuo loco paullo poſt dicemus.

Mol-

EXPLANATIO

QVINQVE rebus docuit firmitudinem uocis conſeruari: nunc illorum omnium ἀνακεφαλαιώσει probat, eaſdem etiam ad ſuauitatem pertinere. Facit hoc συγκρίσει: praecepta enim firmitudinis cum iis, quae ſuauitatem efficiunt, confert. Primum igitur, ut ſit εὐφωνία, idest, uox ſuauis, ſedate eſt loquendum. Clamores enim non ſolum aures non ferunt in principio, ſed ne mens quidem: quoniam hominem arguunt impudẽtem. Deinde interuallis uti, & in ſententiis concinnitatem parit diuiſione, hoc eſt, interſpiratione: &, dum auditori ſpatium cogitandi relinquunt, memoriam adiuuant. idq. gratum, & iucundum eſt. tum, quemadmodum continui clamoris remiſsio uocem conſeruat; ſic uarietas auditorem maxime delectat. Eſt igitur interdum animus auditoris ſermone retinendus, interdum clamore exſuſcitandus. Quarto, quemadmodum uoces, faucesq. exclamatio acuta uulnerat, ita eadem laedit auditorem: uel quia illiberalis eſt, uel quia ad muliebrem uociferationem, non uirilem dignitatem, accommodatur. Poſtremo, ſpiritus continuatio & oratorem delectat, & auditorem. illum quidem, propter ipſam continuationem, ſunt enim iam arteriae calefactae: hunc uero, quia iam excitatus eſt, &, quae dicuntur, cogitatione poteſt conſequi. Atque hactenus de firmitudine uocis, & de ſuauitate pronunciationis.

GRATIA *quaedam*] ideſt, ſuauitas. IN *hac re.*] in uocis firmitudine. AD *uocem ſeruandam*] ſcilicet, firmam. VOLVPTATE *auditoris probetur.*] ideſt, auditorem delectet. CONCINNIORES] ideſt, ſuauiores, & grauiores. DIVISIONE] interſpiratione, RELINQVVNT.] id, quod etiam gratum, & iucundum eſt. VOCEM] firmam. SERMONE] ſedata uoce. CLAMORE.] uoce contentioſa. ACVTA *exclamatio*] nimium extenuata, & expreſſa exſiliter. LAEDIT] offendit, ingrata eſt auditori. AD *muliebrem*] propter extenuationem. IN *extrema oratione*] in peroratione, & extremis periodorum membris. CONTINENS] membris longioribus continuata. RES *eaedem*] quinque, quas expoſuimus. IN *praeſentia dictum*,] praeceptum. CETERA *ſuo loco*] de ſermone, & dignitate, & mollitudine uocis.

VOX. MOLLIS

MOLLITVDO igitur uocis, quoniam omnis ad Rhetoris praeceptionem pertinet, diligentius nobis conſideranda eſt. Eam diuimus in ſermonem, contentionem, amplificationem. Sermo eſt oratio remiſſa, & finitima quotidianae locutioni. Contentio eſt oratio acris, & ad confirmandum, & confutandum accommodata. Amplicatio eſt oratio, quae aut ad iracundiam inducit, aut ad miſericordiam trahit auditoris animum. Sermo diuiditur in partes quattuor, dignitatem, demonſtrationem, narrationem, iocationem. Dignitas eſt oratio cum aliqua grauitate, & uocis remiſsione. Demonſtratio eſt, quae docet remiſſa uoce quo modo quid fieri potuerit, aut non potuerit. Narratio eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum expoſitio. Iocatio eſt oratio, quae ex aliqua re riſum pudentem, & liberalem poteſt comparare. Contentio diuiditur in continuationem, & diſtributionem. Continuatio eſt orationis enunciandae acceleratio clamoſa. Diſtributio eſt in contentione oratio frequens, cum raris, & breuibus interuallis, acri uociferatione. Amplificatio diuiditur in cohortationem, & conqueſtionem. Cohortatio eſt, quae, aliquod peccatum amplificans, auditorem ad iracundiam adducit. Conqueſtio eſt oratio, quae incommodorum amplificatione animum auditoris ad miſericordiam perducit.

EXPLANATIO

FIRMITVDO uocis, ne facile formam ſuam immutet, oratori omnino neceſſaria: quamobrem prudenter docuit primo loco, quibus illa rationibus conſeruanda ſit. Verum, quia firmitudo haec non agreſtis, aut barbara eſſe debet, qualis Cyclopum fuit, aut Stentoris, ſed εὐκίνητος, flexibilis ad noſtrum commodum: ideo nunc de uocis mollitudine, quoniam omnis ad Rhetoris praeceptionem pertinet, diligenter dicendum fuit. Supra dixit, orationem contentioſam cum ſedata commutandam eſſe: quamobrem in uoce molli κινήσεις, καὶ ἐνεγκλίσεις, ideſt inflexio facilis eſſe debet. Quemadmodum enim ij, qui ſtatuas faciunt, ex ſignis aliquando alia ſigna fundunt: ſic etiam orator uocem, ut res ipſa poſtulat, pro arbitrio ſuo mutabit. Hanc primum in tres partes diuidit: deinde ſingulatum ſpecies definiendo, diuidendoq. explicat: tum ordine omnium pronunciationem demonſtrat. Mollitudinem uocis diuidit in ſermonem, contentionem, amplificationem. Non igitur in extenuatione, & humiliatione; ſed in clamore, uociferatione, & remiſsione conſiſtit mollitudo. His enim tribus orator utetur, cum eſt neceſſarium: primo in contentione, altero in amplificatione, tertio in ſermone. Sermo eſt, inquit, oratio remiſſa, & finitima quotidianae locutionis. Orationem uocat σχῆμα, ideſt, habitum, atque formam pronunciationis. In ſermone remiſſa eſſe debet forma uocis, & finitima quotidianae locutioni: qualis eſt ἐν τοῖς ἐντεύξεσι, ὁμιλίαις, καὶ διαλόγοις, in congreſsibus, & colloquiis quotidianis amicorum, & hominum doctorum, ac prudentum. Contentio, ἀγών, eſt oratio clamoſa, acris, & ad confirmandum, & confutandum accommodata. Acre eſt, quod mordet linguam, & pungit, ut acetum: ſic tranſlate uox dicitur acris, quae σφοδρότητα, καὶ ἀκμὴν, ideſt uehementiam, & uigorem habet, ad grauiter concludendum. Fit haec acrimonia uel continuando, uel diuidendo. continuatio eſt, ueluti uulneratio, caeſim facta: diuiſio, ſicut

ut

ut uulneratio facta punctim. Adhibetur acrimonia, ad confirmandum, atque confutandum: quamobrem συλλογιστικὴ, καὶ διδακτικὴ, καὶ συμπεραστικὴ eſſe debet. Amplificatio eſt oratio, quae aut iracundiam inducit, aut ad miſericordiam trahit auditoris animum. Quemadmodum contentio eſt διδακτικὴ, ſic amplificatio eſt παθητικὴ: ſolo enim affectu differunt. In omni amplificatione eſt contentio, ſed non in omni contentione amplificatio.

Sermo *diuiditur*] ὑποδιαιρεσις. nunc enim ſermonem ſubdiuidit in quattuor ſpecies, ſiue partes: dignitatem, demonſtrationem, narrationem, iocationem. Dignitas τὸ ἀξίωμα, eſt in ſola uocis cõformatione: quae grauitatem, & remiſsionem habet. Graue eſt, quod eſt ponderoſum: ut aqua, plumbũ, & his grauius aurum, ſic uox grauis eſt a pondere metaphora ſumpta, quae aures onerat, atque implet numero. Fit haec grauitas plenis buccis, arteria dilatata, & inflatis pulmonibus. Remiſsio eſt, cum oratio eſt ſedata: non enim clamoſa grauitas eſſe debet. Demonſtratio, ἀπόδειξις, ſita eſt in prudentia, quae grauitatem ad rem praeſentem prudenter applicat. Neque enim dignitas illa σκύθρωπος; ſed διδακτικὴ, καὶ ἐπιστημονικὴ eſſe debet, ideoq. accommodanda rebus eſt, ut auditorem aliquid doceat. Eſt igitur demonſtratio dignitas perfecta, quoniam πειστικὴ eſſe debet, ut, quid fieri, & quibus ex cauſsis aliquid fieri potuerit, oſtendat. Habet autem etiã haec remiſsionem non minus, quam dignitas. Narratio demonſtrationem ſequitur, ut cauſſa adiuuans, quoniam eſt rerum obſcurarum explicatio: qua nõnumquam in demonſtratione, cum aliqua in ea eſt obſcuritas, opus eſt. Iocatio eſt oratio iucunda, quae ex aliqua re riſum prudentem, & liberalem poteſt comparare. Dignitatem amabilem eſſe oportet, non agreſtem: non igitur cum Simone ſemper, atque Demea eſt loquendum, ſed iocari etiam decet, in oratione praeſertim longiore, in qua medicina, atque recreatio adhibenda eſt.

Contentio *diuiditur*] Nunc etiam contentionis ponit ὑποδιαίρεσιν, cuius partes dicit eſſe duas, continuationem, atque diſtributionem. Continuatio, περιβολὴ, eſt acceleratio clamoſa, ideſt, clamor continuatus, atque acceleratus in coniungendis membris: membris enim pluribus inter ſe connexis conſtat. Diſtributio, διαίρεσις, eſt tarditas in membris diuidendis: abſoluitur igitur membratim, & inciſim. Quod in elocutione membrum, & inciſum dicitur, id in pronunciatione appellatur interuallum, & interſpiratio. Rara interualla ſunt, quae non ſunt condenſata, aut frequentia, ſed ſeorſim poſita, ideſt διῃρημένα, ideoq ſingulis uel inciſis, uel mẽbris abſoluuntur. Frequens eſt, quod eſt condenſatum. In periodis eſt membrorum denſitas, in inciſis raritas. non igitur hic inter ſe pugnant rarum, atque frequens. Oſeruatis autem circumſtantiis, eadem oratio uel continuari, uel diſtribui poteſt. Amplificatio *diſtribuitur*] Amplificatio eſt oratio, quae aut ad iracundiam inducit, aut ad miſericordiam trahit auditoris animum. Ex hac definitione uidemus duos eſſe amplificationis fines, iracundiam & miſericordiam: unde etiam duae ſunt eiuſdem partes, ſiue formae, cohortatio, & conqueſtio: προτροπὴ, καὶ ὀδυρμός. προτροπὴ adhibetur ad iracundiam, ac ſaeuitiam, cuius cauſſa efficiẽs eſt peccatum rei, quod eſt amplificandum, uel uere, uel probabiliter. Cum enim haec duo exceduntur, amplificatio fit μυθώδης. In ſaeuitia iudicis officium, in peccato qualitas eſt conſideranda. In utroque tamẽ moderatio adhibenda eſt, non ſecus, ac in elocutione, ne hiſtriones eſſe uideamur, nimiumq. clamando iudicem offendamus. ὀδυρμὸς miſericordiam habet propoſitam, cuius cauſſa efficiens eſt incommoda, quae non minus, quam peccatum, amplificanda ſunt, ut ea iudex intelligat. Eſt hoc in loco obſeruandum, φράσιν, καὶ ὑπόκρισιν multa habere uocabula communia; & idem eſſe in pronunciatione, quod eſt in formis dicendi, quia orationis uox aggregata eſſe debet. Quamobrem ſimilitudine quadam naturali, ſermo, cõtentio, amplificatio, earumq. omnium partes tam ſunt elocutionis, quam pronunciationis. Quoniam enim genera uocis nuncupari commode non poſſunt, nominibus rerum pro denominanda uoce abutimur.

PRONVNCIATIO SINGVLARVM PARTIVM MOLLITVDINIS

QVONIAM igitur mollitudo uocis in tres partes diuiſa eſt, & hae partes ipſae in octo partes alias diſtributae; harum octo partium, quae cuiuſque idonea pronunciatio ſit, demonſtrandum uidetur. Sermo cum eſt in dignitate, plenis faucibus quamſedatiſſima, & depreſſiſſima uoce uti conueniet, ita tamen, ut ne ab oratoria conſuetudine ad tragicam tranſeamus: cum autem eſt in demonſtratione, uoce paullulum attenuata, crebris interuallis, & diuiſionibus uti oportet, ut ipſa pronunciatione eas res, quas demonſtrabimus, inſerere, atque interſecare uideamur in animis auditorum. cum autem ſermo in narratione eſt, tum uocum uarietate opus eſt, ut, quo quidque pacto geſtum ſit, ita narrari uideatur. Strenue quod uolumus oſtendere factum, celeriuſcule dicemus: at aliud, otioſe retardabimus. Deinde modo acriter, tum clementer, modeſte, hilariter in omnes partes commutabimus, ut uerba, ita pronunciationem. Si qua inciderint in narratione dicta, rogata, reſponſa, ſi quae admirationes, de buibus nos narrabimus; diligenter animaduertemus, ut omnium perſonarum ſenſus, atque animos uoce exprimamus. Sin erit ſermo in iocatione, leniter tremebunda uoce, cum parua ſignificatione riſus, ſine ulla ſuſpicione nimiae cachinnationis, leniter oportebit a ſermone ſerio torquere ad liberalem iocum uocem. Cum autem contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem, aut per diſtributionem faciendum eſt, in continuatione adaucto mediocriter ſono uocis, uerbis continuandis, uocem quoque adaugere oportebit, & torque-

re

re ſonum, & celeriter cum clamore uerba conficere, ut uim uolubilem orationis uociferatio conſequi poſſit. In diſtributione uocem ab imis faucibus exclamatione quam clariſſima adhibere oportet, & quantum ſpatij per ſingulas exclamationes ſumpſerimus, tantum in ſingula interualla ſpatij conſumere iubemur. In amplificationibus, cum cohortatione utemur uoce attenuatiſſima, clamore leni, ſono aequabili, commutationibus crebris, maxima celeritate. In conqueſtione utemur uoce depreſſa, inclinato ſono, crebris interualis, longis ſpatijs, magnis commutationibus. De figura uocis ſatis dictum eſt: nunc de corporis motu dicendum uidetur.

EXPLANATIO

QVAE hactenus docuit de uocis mollitudine, eiuſdemq. partibus, ſermone, contentione, amplificatione, ad rhetoris praeceptionem quidem omnia pertinuerunt: ſed obſcuriora ſunt propter eam, quam cum elocutionis praeceptio habent, ſimilitudinem. Quamobrem nunc, quae ſingularum partium ſit pronunciatio, clarius explicat. Sunt autem huius loci partes tres, propoſitio, explicatio, & tranſitio. Propoſitio eſt ἐνθυμηματική, cuius τὸ ἡγούμενον αἰτιολογίαν habet, quae ἐκ τῆς διαιρέσεως ſumitur: Quoniá igitur mollitudo uocis in tres partes diuiſa eſt &c. τὸ ἑπόμενον κατάστασιν habet: Harum octo partium, quae cuiuſque idonea pronunciatio ſit, demonſtrandum uidetur.

SERMO *cum eſt*] Explicatio: exponit enim nunc, quae ſit in ſingulis partibus adhibenda pronunciatio, ut actio omnis ſit conueniens, & uenuſta. Cum igitur ſermo dignitatem requirit, quattuor nobis obſeruáda ſunt: grauitas, tarditas, humilitas, modus. Grauitatem fauces efficiunt pleni: quae cum non currere, ſed incedere debeat, ne in dignitatem peccet, ideo primum tarditate uocis, deinde humilitate opus eſt. Vocem tardá hic ſedatiſsimam appellat, quae non habet amfractus & praecipitationes, ideſt accelerationem: metaphora a fluminibus ſedatis ſumpta, quae intra ſuos manent alueos. Vox humilis eſt, quae non eſt alta: eam hic depreſſiſsimam uocat, ideſt maxime remiſſam. Modum oſtendit, cum inquit: Ita tamen, ut ne ab oratoria conſuetudine ad tragicam tranſeamus. Vt enim comica nimis ſunt humilia, ita tragica ſunt maiora, quam dignitas admittit, quae requirit mediocritatem. CVM *autem eſt in demonſtratione,*] Cum ſermo requirit demonſtrationem, primum uox debet eſſe attenuata, quae fit faucium contractione. eſt igitur contraria grauitati, quae fit faucibus plenis. Deinde utendum eſt interuallis, & diuiſionibus crebris, membrorum ſcilicet, & inciſorum. Cauſſam affert: ut ipſa pronunciatione eas res, quas demonſtrabimus, inſerere, atque interſecare, ideſt ſigillatim inferre uideatur in animis auditorum. CVM *autem*] Dignitas, atque demonſtratio aequabilem ſemper uocem habent: illa grauem, haec continuatam. ſed narratio uarietatem uocum poſtulat, ut, quo quidque pacto geſtum ſit, ita narrari uideatur. Narratio enim περιστάσεις cóplectitur, perſonae, loci, temporis, modi, cauſſae, &c. unde rerum exſiſtit uarietas, ad quam etiam uox accommodanda erit. Cum igitur ſtrenue aliquid uolumus oſtendere, celeriuſcule dicemus: ut illud eſt. Veni, uidi, uici. Laudatur enim celeritas in uiris fortibus maxime. Ignauius autem geſta otioſe retardabimus. Sed tamen & ille habet laudem in re militari ſummam, qui non manu, ſed conſilio Hannibalis conatú fregit. unde ille etiam placet numerus:

Vnus cunctando Romanam reſtituit rem.

Deinde, cum res aliae clementer, aliae crudeliter geſtae ſint; aliae triſtitiam afferant, aliae hilares efficiant, aliae mediae ſint, in omnes partes ipſam pronúciationem, non minus, quam uerba rebus, accómodabimus. Quod ſi qua inciderunt in narratione dicta, rogata, reſpóſa, ſi quae admiratioaes, de quibus nos narrabimus, τὸ ἦθος, καὶ τοὺς λογισμοὺς τῶν προσώπων uoce exprimemus. Id facile praeſtabit is, qui ſe diligenter ἐν ταῖς ἠθοποιΐαις, καὶ προσωποποιΐαις exercebit. SIN *erit*] In locutione quattuor obſeruanda ſunt. Primum enim uocem leuē, ideſt, ſedatam eſſe oportet, & remiſſam: deinde tremebúdam, ideſt pudicam, ut uitetur ſcurrilitas. tertio, paruam habebit ſignificationem riſus, qui uel amorem oſtendet erga amicos, uel amarulentiam ad exagitandum aduerſarium: uel calliditatem, ne iocus uideatur ſtultus, cum uideris intellexiſſe quod alius non intellexit. Poſtremo uox moderata eſſe debet, ſine ulla ſuſpicione nimiae cachinnationis, ut iocus ſit liberalis. CVM *autem*] In contentione talis erit pronunciationis ratio, qualis eſt membrorum, atque inciſorum. Nam in periodis, ac circumductionibus, continuandus clamor eſt: cum uero aut membratim, aut per inciſa aliquid dicendú erit, pronunciatio diuidenda eſt. Cum igitur duae ſint contentionis partes, continuatio, atque diſtributio: in cótinuatione tria obſeruanda ſunt, incrementum, detorſio, & celeritas uocis. Incrementum a clamore mediocri incipere debet: uox torquenda eſt in fine, ut aures feriat, cum aduerſarius urgetur: celeritas cum clamore uerba conficiet, ut uim uolubilem orationis uociferatio conſequi poſsit. In diſtributione membra ſunt, & inciſa: quare interualla habet rara, & breuia, uociferationem acrem, quam hic uocat exclamationem clariſsimá ab imis faucibus. Inchoatur igitur, & ſimul abſoluitur in diſtributione, clamor. IN *amplificationibus,*] Partes amplificationis etiam duae ſunt, cohortatio, & conqueſtio: illa ſaeuitiam iudicis, haec miſericordiam habet propoſitam. In cohortatione quinque obſeruanda ſunt. primum, ut ſit uox attenuatiſsima, quae fit faucibus cótractis: deinde clamor lenis, non obſtreperus: deinde ſonus aequabilis, ideſt, ſui ſimilis, non ſubſultans: deinde commutationes crebrae, quae fiunt ſermone grauiore in remiſsionem, & contra. poſtremo celeritas: neque enim apta eſt ad iracundiam tarditas. In conqueſtione totidem obſeruanda ſunt: ut utamur uoce depreſſa, inclinato ſono, crebris interuallis, longis ſpatiis, magnis commutationibus. ut in illo pro Milone: Valeant, inquit, ualeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Stet haec urbs praeclara, mihiq. primo clariſsima, quoquo modo merita de me erit. Ego cedam, atque abibo: ſi mihi rep. bona frui non licuerit, at carebo mala. Monent hoc in loco quidam, haec pronunciandi genera non ſemper ſimplicia inueniri, ſed multa

ex his nonnumquam inter ſe miſceri. Deinde illa octo, quamuis quibuſdam partibus orationis, exordio, narrationi, &c. conuenire uideantur, tamen non ibi ſolum adhibenda ſunt: ſed in quacumque orationis parte inueniuntur, aut ſermonis, aut contentionis, aut amplificationis ſententiae, eaedem in illa part e adhibebuntur. DE *figura*] Tranſit nunc ad alterum pronunciationis membrum, in motu ſcilicet corporis.

MOTVS. CORPORIS

MOTVS eſt corporis geſtus, & uultus moderatio quaedam, quae pronuncianti conuenit, quae probabiliora reddit ea, quae pronunciantur. Conuenit igitur in uultu pudorem, & acrimoniam eſſe; in geſtu nec uenuſtatem conſpicuam, nec turpitudinem eſſe, ut aut hiſtriones, aut operarij uideamur eſſe. At eaſdem igitur partes, in quas uox eſt diſtributa, motus quoque corporis ratio uidetur eſſe accommodanda. Nam, ſi erit ſermo cum dignitate, ſtantes in ueſtigio, leui dexterae motu loqui oportebit, hilaritate, triſtitia, mediocritate uultus ad ſermonis ſententias accommodata. Sin erit in demonſtratione ſermo, paullulum corpus a ceruicibus demittemus. nam hoc eſt a natura datum, ut quamproxime tum uultum admoueamus ad auditores, ſi quam rem docere eos, & uehementer inſtigare uelimus. Sin erit in narratione ſermo, idem motus poterit idoneus eſſe, qui paullo ante demonſtrabatur in dignitate. Sin erit in iocatione, uultu quandam debebimis hilaritatem ſignificare, ſine commutatione geſtus. Sin contendemus per continuationem, brachio celeri, mobili uultu, acri adſpectu utemur. Sin contentio fiet per diſtributionem, celeri porrectione brachij, inambulatione, pedis dextri rara ſupploſione, acri, & defixo adſpectu uti oportet. Sin utemur amplificatione per cohortationem, paullo tardiore, & conſideratiore geſtu conueniet uti, ſimilibus ceteris rebus, atque in contentione per continuationem. Sit utemur amplificatione per conqueſtionem, femineo plangore, & capitis ictu, nonnumquam ſedato, & conſtanti geſtu, maeſto, & conturbato uultu uti oportebit. Non ſum neſcius, quantum ſuſceperim negotij, qui motus corporis exprimere uerbis, & imitari ſcriptura conatus ſim uoces. uerum nec hoc confiſus ſum poſſe fieri, ut de his rebus ſatis commode ſcribi poſſet: nec, ſi id fieri nō poſſet, hoc, quod feci, fore inutile putabam: propterea quod hic admonere uoluimus, quod oporteret, reliqua tra demus exercitationi. hoc ſcire tamen oportet, pronunciationem bonam id perficere, ut res ex animo agi uideatur. Nunc ad theſaurum inuentorum, atque omnium partium rhetoricae cuſtodem memoriam tranſeamus.

EXPLANATIO

DIVISIT pronunciationem omnem in figuram uocis, & corporis motum. figura uocis in eleuatione, & depreſsione maxime conſiſtit; quam hactenus abſoluit: nam de altero pronunciationis membro, quod eſt motus corporis, agit. Primum hoc in loco definit motum corporis: deinde oſtendit, qualis is motus eſſe debeat: tertio, quomodo is motus ad omnes uocis partes accommodandus ſit, docet: quarto, obiectioni occurrit: quincto, occupationem corrigit: poſtremo, ad memoriae praecepta accedit tranſitione. MOTVS *eſt*,] ὅρος, definitio motus corporis: in qua conſideranda ſunt genus, differentia, effectum. genus duplex eſt, geſtus, & moderatio, quia motus etiam duplex eſt. uel enim eſt concitatus, & conſpicuus: ut cum caput, humeri, brachia, digiti, pedes mouentur. uel eſt quietior, minuſq. conſpicuus: ut motus, qui in uultu eſt, qui pars corporis praecipua eſt κατ᾽ ἐξοχὴν, qui multarum rerum ſignificationem habet. debet autem is motus pronuncianti conuenire, ut ab hiſtrionum, aut operariorum motu differat. In uultu igitur primum uerecundia eſſe debet, ne in beneuoleutiae καταλήψεις peccet. Omnis enim impudentia odioſa eſt, & offendit iudicem. Deinde acrimonia, ut pudor non ſit ſtolidus, & illiberalis: ſed uirtutis, prudentiae, ſapientiae, calliditatis ſignificationem habeat, ut pungat, & mordeat animum auditoris, & orator prudens, patriaeq. ſtudioſus eſſe uideatur. Quod enim in aere lumen eſt, id eſt in uultu acrimonia, quae in oculis conſiſtit. In geſtu uero corporis uenuſtas conſpicua eſſe debet, ideſt moderata, non nimia, qualis hiſtrionum eſt; nec illiberalis, aut ſeruilis, ut eſt operariorum, quam hic turpitudinem uocat. Motus igitur corporis liberalis, & uenuſtas probabiliora reddit ea, quae pronunciantur, propter imitationem ueritatis. AD *eaſdem igitur partes*,] Demonſtrauit, quae partium uocis pronunciatio ſit. nunc etiam corporis motum ad eaſdem accommodat. Debet autem corporis motus ἀντιςρέφειν, ideſt uocis inflexionem reſpicere: ut, quocumque inclinat uox, eodem quoque motus inclinetur corporis. Cum igitur ſermo erit in dignitate, in qua eſt auctoritas, ſtatus oratoris erectus erit, ut non modo uultus, ſed corpus etiam totum conſpiciatur. deinde non ſiniſtrae, quod eſt malae educationis indicium, ſed dextrae motu loqui oportebit: ſed ut abſit geſticulatio. ideo hunc motum ſiue lenem, ſiue leuem, ideſt tranquillum, eſſe oportebit: poteſt enim utrumque legi. Tertio, uultus ad ſermonis ſententias accommodandus erit, quae uel ſunt hilares, uel triſtes, uel mediae. Sin erit in demonſtratione ſermo, ceruices ad auditorem inclinandae ſunt. Rationem reddit: quia eſt a natura datum, ut quamproxime uultum admoueamus ad auditorem, ſi quam rem docere eos, & uehementer infligere uelimus. Eſt enim demonſtratio, oratio aliquid docens, ac firmiter, uehementerq. probans, ac concludens. In narratione idem motus eſt formandus, qui in dignitate, ut uarietati rerum accommodetur. In locatione, in qua riſus eſt, qui hilaritatis eſt iudex, nulla debet eſſe geſtus commutatio, quae hiſtrionibus eſt conceſſa: quoniam eorum imitantur uitam, atque mores, qui multa in decore faciunt. Si contendemus, ideſt, ſi ipſa pronunciatio habebit contentionem per continuationem, primum utemur brachio celeri, ut motus par ſit membris, & inciſis. deinde uultu mobili, quia cū ipſo brachio moueri uultus debet. tertio, acri aſpectu, quoniam eſt contentio.

tentio. id autem fit, quando uel curam, & ſolicitudinem, uel ſaeuitiam oſtendemus. Per diſtributionem uero ſi contentio fiet, utemur primum celeri porrectione brachij, ut in continuatione: deinde in ambulatione. erant enim longa oratorum ſubſellia, in quibus modo ſedebant, modo inambulabant. id autem illis licebat in diſtinctione rerum, quoties membrum unum diſtribuebatur. tertio, pedis dextri rara ſupploſione. frequens enim & attentionem impediret, & inquietum, ac ſtultum animum oſtenderet. poſtremo adſpectu acri, & defixo uel in iudicem, uel in aduerſarium. In amplificando, cum utemur cohortatione, primum geſtus debet eſſe tardior, ut appareat aliqua prudentiae grauitas, cui celeritas eſt contraria. deinde etiam conſideratior, ut nullum uideare membrum mouere ſine cauſſa. tertio utemur brachio celeri, mobili uultu, adſpectu acri, non ſecus ac in continuatione. Cum uero utemur conqueſtione, primum femineo plangore, maeſto, & conturbato uultu uti oportebit, quoniam conqueſtio finem habet miſericordiam. Sed, quia in conqueſtione etiam incommodorum eſt commemoratio, ideo nonnumquam ſedato, & ſtanti geſtu, nonnumquam capitis ictu uti conueniet, quo ſignificamus indignationem. Fit autem illa capitis concuſsio uel inclinatione, uel declinatione. Non *ſum neſcius*,] προκατάληψις, occupatio, qua ſe contra obiectionem excuſat. Quoniam enim difficilis eſt pronunciandi ratio, quia innumerabiles hominum ſententiae, atque cogitationes ſunt, unde etiam motus corporis exſiſtunt uarii, non uidetur de ea commode poſſe praecipi. Habet igitur ὑποφορὰ ὁμολογίαν conceſſionem, ſe difficile ſuſcepiſſe negotium. ἀνθυποφορὰ habet excuſationem κατ᾽ ἀφαίρεσιν, primum fiduciae ſuae, quod non confiſus ſit de his rebus ſe ſcripturum commode. deinde nouae obiectionis: Si igitur commode ſcribi de pronunciatione non poteſt, ergo fruſtra laboraſti. id remouet, & non inutile eſſe, quod fecit, oſtendit. addit etiam rationem: propterea quod hic admonere uoluerit, quid oporteat. reliqua enim exercitationi committenda ſunt. Hoc *ſcire tamen oportet*,] Nũc quaſi ἐπανορθώσει ſubiungit pronunciationis laudem ab utili, cui rhetores ſane plurimum tribuunt. Si enim actio uera ſit, & rebus conueniens, magnas habet ad perſuadẽdum uires: quoniam orator ex animo loqui uidetur. de qua re copioſe ſcripſit Quinctilianus. Nunc *ad theſaurum*] Tranſit iam ad memoriae, quae eſt omnium rhetoricae partis cuſtos, praeceptionem. de qua nos pauciora dicemus, quia artificioſa illa memoriae ratio paene euanuit.

MEMORIA

Memoria utrum habeat quiddam artificij, an omnis a natura proficiſcatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur. nunc, perinde atque conſtet in hac re multum ualere artem, & praeceptionem, ita ea de re loquemur. placet enim nobis eſſe artificium memoriã. quare placeat, alias oſtendemus: in praeſentia, cuiuſmodi ſit ea, aperiemus. Sunt igitur duae memoriae, una naturalis, altera artificioſa. Naturalis eſt ea, quae noſtris animis inſita eſt, & ſimul cum cogitatione nata. Artificioſa eſt ea, quam confirmat inductio quaedam, & ratio praeceptionis. Sed, quia in ceteris rebus ingenij bonitas imitatur ſaepe doctrinam, ars porro naturae commoda confirmat, & auget: ita fit in hac re, ut nonnumquam naturalis memoria, ſi cui data eſt egregia, ſimilis ſit huic artificioſae, porro haec artificioſa naturae commoda retineat, & amplificet ratione doctrinae. Quapropter & naturalis memoria praeceptione conformanda eſt, ut ſit egregia: & haec, quae doctrina, datur indiget ingenij. nec hoc magis, aut minus in hac re, quam in ceteris artibus ſit, ut ingenio, doctrina, praeceptione, natura niteſcat. quare & illis, qui natura memores ſunt, utilis haec erit inſtitutio, quod tute paullo poſt poteris intelligere. quod, ſi illi freti ingenio noſtra praeceptione non indigerent, tamen iuſta cauſſa daretur, quare ijs, qui minus ingenij habent, adiumento uelimus eſſe. Nunc de artificioſa memoria loquemur.

EXPLANATIO

Postrema officij oratorij pars eſt Memoria, de qua nunc agit, ut nihil Rhetoricae praeceptionum omiſiſſe uideatur. Eſt enim Memoria omnis eloquentiae, ſapientiaeq. theſaurus: quia fideliter ea omnia, quae uel ipſi nobiſcũ meditamur, atque legimus, uel ab aliis audimus, ac percipimus, cuſtodit. Hanc ob cauſſam & Sapientiam uſus, & memoriae filiam eſſe poetae dixerunt. ſine hac enim quidquid in artibus, quidquid in rep. quidquid in tota hominis uita praeciperetur, fruſtra omnino praeciperetur. Quamobrem, cum natura non modo in aliis rebus, ſed in hac etiam animae facultate non parum ab arte adiuuetur, recte etiam huius artificium Herennium poſtremo loco docuit. Non enim aliarum modo partium officij oratorij, ſed pronunciationis etiam cuſtos memoria eſſe debet. Eius organum eſt, poſterior cerebri uentriculus: quare, obliti alicuius, ſcalpimus caput, qua parte ſunt nerui, a cella memoriae protenſi, unde refricatur uis memoratiua. Obiecta eius ſunt ſpecies, & intentiones, uel imagines. Duplex eius eſt officium: facile apprehendere, & firmiter retinere. Memoramus autem praeterita, cognoſcimus praeſentia, praeuidemus futura. Nos totum hoc caput in partes quattuor diuidemus. Pars prima habet primum κατάστασιν, deinde διαίρεσιν, tum ἐνθύμημα, poſtremo συμπέρασμα. Memoria] κατάστασις, quae primum habet ἀποδίωξιν, reiectionem, κατ᾽ ἀπορίαν: Vtrum memoria habeat quiddam artificij, an omnis a natura proficiſcatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur. Deinde ὑπόθεσιν διαλεκτικὴν. Nunc, perinde atque conſtet in hac re multũ ualere artẽ, & praeceptionẽ, ita de ea re loquemur. Addit κατασκευὴν κατ᾽ ἀποδίωξιν τοῦ αἰτίου: Placet.n.nobis eſſe artificiũ. ἀποδίωξις καταστατικὴ eſt: Quare placeat alias oſtẽdemus. κατάστασις, In praeſentia cuiuſmodi ſit ea aperiemus. Svnt *igitur*] Διαίρεσις. diuidit enim nunc memoriam in partes duas, in naturalẽ, & in artificioſam. Naturalis eſt ea, quae noſtris animis inſita eſt, & ſimul cũ cogitatione nata. Huius cauſſae duae ſunt: natura, quae aliis prope ſtupendã, aliis mediocrẽ, aliis fere nullã dedit: & ars aliena, ut eſt dialecticorũ, quorũ praecepta plurimũ iuuare

ſolent, propter ordinē, cuius dialectica mater eſt. Deinde medicorum, qui de uictus ratione praecipiunt. adiuuatur. n. memoria cibis, potionibus, exercitamentis, quiete, ſomno, & ſimilibus. Exercitatione maxime conſeruatur, ſine qua fere laudabilis eſſe non poteſt. Plura de hac medici ſcripſere. ARTIFICIOSA *eſt ea,*] Memoria artificioſa eſt ea, quam confirmat inductio quaedam, & ratio praeceptionis. Inductio illa, & praeceptio, eſt locorum, & imaginum, quibus haec memoria artis conſtat. De hac arte, praeter hunc auctorem, etiam alij ſcripſerunt: quae cū & operoſa, & difficillima ſint intellectu, praeſertim ubi fidelis deeſt praeceptor: ſuadeo, ut memoria, qualiſcumque hominibus contingat, aliis rationibus exerceatur. SED, *quia in ceteris rebus*] Oſtendit nunc uſum huius artis enthymemate rhetorico, quod latentem habet ὑπόθεσιν. Maius eſt: Sin ceteris rebus ingenij bonitas imitatur ſaepe doctrinam, ars porro naturae commoda confirmat, & auget: etiam in memoria fit, ut nonnumquam naturalis memoria, ſi cui data eſt egregia, ſimilis ſit huic artificioſae. Porro haec artificioſa naturae commoda retinet, & amplificat ratione doctrinae. Haec propoſitio deeſt, minorem habet antecedens: Sed, quia in ceteris rebus ingenij bonitas &c. Antecedens eſt συγκριτικόν. Quemadmodum in ceteris rebus ingenij bonitas imitatur ſaepe doctrinam &c. ita fit in hac re, ut nonnumquam &c. omnia ſunt ἀντιστρέφοντα. Conſequens enthymematis eſt: Quapropter & naturalis memoria praeceptione confirmanda eſt, ut ſit egregia: & haec, quae doctrina datur, indiget ingenij. QVARE *& illis, qui natura*] Συμπέρασμα, concluſio huius loci: Vtilem eſſe hanc memoratiuam artem, etiam iis, qui natura memores ſunt.

LOCI. MEMORIAE. ARTIFICIOSAE

CONSTAT *igitur artificioſa memoria ex locis, & imaginibus. Locos appellamus eos, qui breuiter perfecte, inſignite aut natura, aut manu ſunt abſoluti, ut eos facile naturali memoria cōprehendere & amplecti queamus, ut aedes, intercolumnium, angulum, fornicem, & alia, quae his ſimilia ſunt. Imagines ſunt formae quaedam, & notae, & ſimulacra eius rei, quam meminiſſe uolumus: quod genus, equi, leones, aquilae: quorum memoriam ſi uolemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit. Nunc cuiuſmodi locos inuenire, & quo pacto reperire, & in locis imagines conſtituere oporteat, oſtendemus. Quemadmodum igitur qui litteras ſciunt, poſſunt id, quod dictum eſt, ſcribere, & recitare quod ſcripſerunt: ita, qui* μνημονικὰ *didicerunt, poſſunt quae audierunt in locis collocare, & ex his memoriter pronunciare. Loci enim cerae, aut chartae ſimillimi ſunt, imagines litteris, diſpoſitio & collocatio imaginum ſcripturae, pronunciatio lectioni. Oportet igitur, ſi uolumus multa meminiſſe, multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare poſſimus. Item putamus oportere ex ordine hos locos habere, ne quando perturbatione ordinis impediamur, quo ſecius, quoto quoque loco libebit, uel a ſuperiore, uel ab inferiore, uel a media parte imagines ſecuti, ea, quae mandata locis erunt, edere, & proferre poſſimus. nam, ut, ſi in ordine ſtantes notos complures uiderimus, nihil noſtra interſit, utrum a ſummo, an ab imo, an ab medio nomina eorum dicere incipiamus: item in locis ex ordine collocatis eueniet, ut in quamlibet partem, quoto quoque loco libebit, imaginibus commoniti dicere poſſimus id, quod locis mandauerimus. Quare placet & ex ordine locos comparare, & locos, quos aſſumpſerimus, egregie commeditari oportebit, ut perpetuo nobis haerere poſſint. nam imagines, ſicut litterae, delentur, ubi nihil illis utimur: loci, tamquam cera, remanere debent. Et, ne forte in numero locorum falli poſſimus, quinctum quemque locum placet notari: quod genus, ſi in quincto loco manum auream collocemus, & ſi in decimo aliquem notum, cui praenomen ſit decimo: deinde facile erit ſimiles notas quincto quoque loco collocare. Item commodius eſt in derelicta, quam in celebri regione locos comparare: propterea quod frequentia, & obambulatio hominum conturbat, & infirmat imaginum notas: ſolitudo conſeruat integras ſimulacrorum figuras. Praeterea diſſimiles forma, atque natura loci comparandi ſunt, ut diſtincte interlucere poſſint: nam, ſi quis multa intercolumnia ſumpſerit, conturbabitur ſimilitudine locorum, ut ignoret quid in quoque loco collocarit. Et magnitudine modica, & mediocres locos haberi oportet. nam & praeter modum ampliuagas imagines reddunt, & nimis anguſti ſaepe non uidentur poſſe capere imaginum collocationem. Tum nec nimis illuſtres, nec uehementer obſcuros locos haberi oportet: ut aut obcaecentur tenebris imagines, aut ſplendore praefulgeant. Interualla locorum mediocria eſſe placet, fore paullo plus aut minus pedum trecenum. nā, ut adſpectus, ita cogitatio minus ualet, ſiue nimis procul amoueris, ſiue uehementer prope admoueris id, quod oportet uideri. Sed, quamquam facile eſt ei, qui paullo plura explorauerit, quamuis multos & idoneos locos comparare: tamen, ſi quis ad iſta ſatis idoneos inuenire ſe non putabit, ipſe ſibi conſtituat quam uolet multos licebit. cogitatus enim quamuis regionem poteſt amplecti, & in ea ſitum loci cuiuſdam ad ſuum arbitriū fabricari, & architectari. quare licebit, ſi hac prōpta cōpia contenti non erimus, nōſmet ipſos nobis cogitatione noſtra regionem conſtituere, & idoneorū locorū commodiſſimam diſtinctionem comparare. De locis ſatis dictū eſt: nūc ad imaginū rationē tranſeamus.*

EXPLANATIO

PARS ſecunda huius capitis, in qua de memoria artificioſa praecipit: cuius cauſſa efficiens eſt ars propria, quae de memorandi ratione praecepta tradit. Graeci huic arti tribuere plurimum: Romani minus exercuerunt, quia magis laborioſa eſt, quam utilis. Primum autem in hoc loco artificioſae memoriae partes oſtendit, eaſdemq. explicat. deinde de locis agit. Partes igitur huius artis ſunt, Loci, & Imagines. Licet enim, ut ſibi fingat unuſquiſque regionem, aut aedificium tale, quale uoluerit, in quo locos tuos collocet. Imagines ſunt ſimulacra earum rerum, quae meminiſſe uolumus. NVNC, *cuiuſmodi locos inuenire,*] Nunc de locis praecipit, cuiuſmodi inuenire, quot comparare, & quo diſponere ordine conueniat. QVEMADMO-

DVM *igitur,*] Probat ſimilitudine, μνημονικοὺς poſſe in his locis, quae audiuerunt, collocare, & ex his memoriter pronunciare. Ratio eſt, quia loci cerae, aut chartae ſimiles ſunt, imagines litteris, quae cerae, chartaeue inſcribuntur: diſpoſitio & collocatio imaginum ſcripturae, pronunciatio lectioni. OPORTET *igitur,*] decem praecepta dat de locis. Primum eſt, ut multos nobis locos comparemus, ut multorum meminiſſe poſsimus: in quibus cauendum eſt, ne nimis minutim extendamus. ITEM *putamus*] Secundum praeceptum, de ordine locorum. numerum reliquit liberum cuiuſuis arbitrio. alius enim plures, alius pauciores habere poteſt. Sed, quia multitudo confuſionem parit, unde etiam imagines locis impoſitae confunderentur: ideo opus eſt ordine, ut in collocandis imaginibus non impediamur. Addit rationem a ſimili: Nam, ut, ſi in ordine ſtantes &c. ET *locos,*] Tertium eſt, de locorum exercitio: quia enim loci ut cera remanere debent, imagines uero, ubi nihil illis utimur, ſicut litterae delentur: egregie commeditari, aut, ut alij legunt, commoditer notare oportebit, ut perptuo nobis haerere poſsint. Sunt enim loci perpetui, imagines uero temporariae. ET, *ne forte*] Quartum eſt, ut quinctum ſemper locum inſigni aliqua re notemus, ſimiliter etiam decimum. ITEM *commodius*] Quinctum eſt, de regione locorum, quam deſertam eſſe, non celebrem oportet: quoniam hominum frequentia imaginũ notas turbat, ſolitudo uero integras conſeruat. PRAETEREA *diſſimiles*] Sextũ eſt, ut comparentur diſsimiles forma, & natura ut melius diſtingui queant. Similitudo enim perturbationem parit. ET *magnitudine*] Septimum eſt, de magnitudine, ut ſint mediocres, ne aut nimis magni ampliuagas imagines reddant, aut nimis anguſti imaginum collocationem capere non poſsint. TVM *nec*] Octauum eſt de locorum qualitate, ne uel nimis illuſtres, uel nimis obſcuri ſumantur. Hi enim imagines tenebris occaecant, illi uero nimium ſplendidas efficiunt. INTERVALLA] Nonum eſt de interuallis, quae etiam mediocria eſſe debent, ſiue modica, ut ait Quinctilianus. Probat ſimili: Nam, ut adſpectus, &c. SED, *quamquam facile eſt*] Poſtremum eſt, licere cuilibet & regionem, & locos, locorumq. ordinem pro ſuo arbitrio fingere. DE *locis ſatis dictum eſt:*] Epilogus huius tractationis, de Locis: ſequuntur Imagines.

IMAGINES

QVONIAM *ergo rerum ſimiles imagines eſſe oportet, & ex omnibus uerbis notas nobis ſimilitudines eligere debemus: duplices ſimilitudines eſſe debent, unae rerum, alterae uerborum. Rerum ſimilitudines exprimuntur, cum ſummatim ipſorum negotiorum imagines comparamus. Verborum ſimilitudines conſtituuntur, cum uniuſcuiuſque nominis, & uocabuli memoria imagine notatur. Rei totius memoriam ſaepe una nota, & imagine ſimplici comprehendemus, hoc modo: Vt ſi accuſator dixerit ab reo hominem ueneno necatum, & hereditatis cauſſa factum arguerit, & eius rei multos dixerit teſtes, & conſcios eſſe. Si hoc primum, ut ad defendendum nobis expeditum ſit, meminiſſe uolemus: in primo loco rei totius imaginem conformabimus, aegrotum in lecto cubantem faciemus ipſum illum, de quo agetur, ſi formam eius detinebimus: ſi eum non agnouerimus, aliquem aegrotum non de minimo loco ſumemus, ut cito in mente uenire poſſit, & reum ad lectum eius adſtituemus, dextera poculum, ſiniſtra tabulas, medico teſticulos arietinos tenentem. hoc modo & teſtium, & hereditatis, & ueneno necati memoriã habere poterimus. Item deinceps cetera crimina ex ordine in locis ponemus, & quotieſcumque rẽ meminiſſe uolemus ſi formarum diſpoſitione, & imaginum diligenti notatione utemur, facile ea, quae uolemus, memoria conſequemur. Cum uerborum ſimilitudines imaginibus exprimere uolemus, plus negotij ſuſcipiemus, & magis ingenium noſtrũ exercebimus. id nos hoc modo facere oportebit; Iam domuitionem reges Atridae parant. In loco conſtituere oportet manus ad caelum tollentem Domitium, cum a regib. Marcijs loris caedatur. Hoc erit, Iam domuitionem reges. In altero loco Aeſopum, & Cimbrum ſubornare Iphigeniam, Agamemnonem, & Menelaum: hoc erit, Atridae parant. hoc modo omnia uerba erunt expreſſa. Sed haec imaginũ conformatio tum ualet, ſi naturalem memoriam exſuſcitauerimus hac notatione, ut, uerſu poſito, ipſi nobiſcum primum tranſeamus bis aut ter eum uerſum, deinde cum imaginibus uerba exprimamus. hoc modo naturae ſuppeditabitur doctrina: nam utraque, altera ſeparata, minus erit firma, ita tamen, ut multo plus in doctrina, atque arte praeſidij ſit. quod docere non grauaremur, ni metueremus, ne, cum ab inſtituto noſtro receſſiſſemus, minus commode ſeruaretur haec dilucida breuitas praeceptionis. Nunc, quoniam ſolet accidere, ut imagines partim firmae, & acres, & ad mouendum idoneae ſint, partim imbecilles, & infirmae, quae uix memoriam poſſint excitare: qua de cauſſa utrumque fiat, conſiderandum eſt, ut, cognita cauſſa, quas uitemus, & quas ſequamur imagines, ſcire poſſimus. Docet igitur nos ipſa natura, quid oporteat fieri. nam, ſi quas res in uita uidemus paruas, uſitatas, quotidianas, eas meminiſſe non ſolemus: propterea quod nulla niſi noua, aut admirabili re commouetur animus: at, ſi quid uidemus, aut audimus egregie turpe, aut honeſtum, inuſitatum, magnũ, incredibile, ridiculum, id diu meminiſſe conſueuimus, itaque, quas res ante ora uidemus, aut audimus, obliuiſcimur plerumque: quae acciderunt in pueritia, meminimus optime ſaepe: nec hoc alia de cauſsa poteſt accidere, niſi quod uſitatae res facile e memoria elabuntur, inſignes, & nouae manent diutius. Solis exortus, curſus, occaſus nemo admiratur, propterea quod quotidie fiunt: at eclipſes ſolis mirantur, quia raro accidunt: & ſolis eclipſes magis mirãtur, quã lunae, quoniam hae crebriores ſunt. Docet ergo ſe natura uulgari, & uſitata re non exſuſcitari, nouitate uero et inſigni quodam negotio commoueri. Imitetur igitur ars naturam, &, quod ea deſiderat, inueniat; quod oſtẽdit, ſequatur. nihil eſt enim, quod aut natura extremũ inuenerit, aut doctrina primum: ſed rerum principia ab ingenio profecta ſunt, & exitus diſciplina comparantur. Imagines igitur nos in eo genere conſtituere oportebit, quod genus manere in memoria diutiſſime poteſt. id accidet, ſi quammaxime notas ſimilitudines conſtituemus: ſi non mutas, nec uagas, ſed aliquid notum agentes imagines ponemus: ſi egregiam pulchritudinem, aut unicam turpitudinem eis attribuemus: ſi aliqua re exornabimus, ut ſi coronis, aut ueſte purpurea, quo nobis notior ſit ſimilitudo, aut ſi qua re deformabimus, ut ſi cruentam, aut coeno oblitam, aut rubrica delibutam inducamus, quo magis inſignita ſit forma,*

aut

aut ſi ridiculas res aliquas imaginibus attribuamus. nã ea res quoque faciet, ut facilius meminiſſe poſſimus. nã, quas res ueras facile meminimus; eaſdem fictas, & diligẽter notatas meminiſſe non eſt difficile. Sed illud facere oportebit, ut identidem primos quoſque locos imaginum renouandarum cauſſa celeriter animo percurramus.

EXPLANATIO

DE Imaginibus iam agit, quarum receptacula Loci ſunt. Primum illas diuidit, deinde eaſdem explicat, tertio quae eligendae ſint oſtendit, poſtremo concludit. Duplices inquit eſſe imagines, ſiue ſimilitudines: unas rerum, alteras uerborum. Rerum eſt, cum ſummatim ipſorum negotiorum ſimilitudines comparamus, ut aut nota, aut pluribus res tota comprehendatur. Verborum ſimilitudines conſtituuntur, cum uniuſcuiuſque nominis, & uocabuli memoria imaginę notatur. In his difficilior ratio eſt, quã in illis: facilius enim rerum, quam uerborum, meminimus. Eſt autem omnis imago aut ſimilis, aut diſsimilis, aut media. Similes imagines maxime memoriam renouant: ut, ſi Quinctilianus ſit tenendus, referamus ad illum Cũctatorem &c. Diſsimiles locantur, aut tranſlatione, aut geſtu, aut ſcriptura, aut conſuetudine. Media uero imago, quam ex parte ſimilem uocat, quattuor ſimiliter rebus efficitur: additione, ſubtractione, tranſpoſitione, mutatione. REI *totius*] Nunc exemplis declarat utramque ſpeciem: deinde monet, hanc imaginum conformationem tum ualere, ſi naturalem memoriam hac notatione exſuſcitauerimus. Vtraque enim ſeparata minus firma eſt, ita tamen, ut plus in doctrina, atque arte ſit praeſidij, quam in natura. NVNC, *quoniam*] Docet, quae uitandae, & quae ſequendae ſint imagines, ἐνθυμηματικῶς. Antecedens enim habet αἰτιολογίαν: quoniam imagines partim firmae, & ad monendum idoneae ſint: partim imbecilles, & infirmae. Conſequens: Qua de cauſſa utrumque fiat. &c. DOCET *igitur*] Oſtendit, exemplo rerum naturae, quid in imaginibus eligendis fieri debeat. Vult enim artem imitari naturam, & ſequi quod haec oſtendit. IMAGINES *igitur*] Concludit hunc de Imaginibus locum, eas eligendas eſſe, quae diutiſsime maneant in memoria. Oſtendit id accidere, ſi quam maxime notas ſimilitudines conſtituerimus, &c. Eſt enim utendum imaginibus aliquid agentibus, acribus, inſignitis, quae occurrere, celeriterq. percutere animum poſsint. Sint igitur imagines, quae aut riſum moueant, aut miſericordiam, aut iram, aut admirationem. Facile enim huiuſmodi figurae inueniuntur, quae animum mouent affectu. Deinde ſimile per ſimile, aut per contrarium, aut per proprietatẽ figurabimus. Praeterea a teneris annis imaginum locationi aſſueſcamus. Poſtremo, quoniam ualde prodeſt repetitio, omni quinario rerum ſignandarum, quaecumque ſignata ſunt, a principio repetemus.

REPREHENSIO. GRAECORVM

SCIO pleroſque Graecos, qui de memoria ſcripſerunt, feciſſe, ut multorum uerborum imagines conſcriberẽt, uti, qui eas ediſcere uellent, paratas haberent, ne quid inquirendo conſumerent operae, quorum rationem aliquot de cauſſis improbamus; primum, quod in uerborum innumerabilium multitudine ridiculum ſit mille uerborum imagines comparare. quantulum enim poterunt haec ualere, cũ ex infinita uerborum copia, modo aliud, modo aliud nos uerbum meminiſſe oportebit? Deinde cur uolumus ab induſtria quẽquam remouere, ut ne quid ipſe quaerat, cũ nos illi omnia parata, quaeſitaq. tradamus? Praeterea ſimilitudine alia alius magis commouetur. nam, ut ſaepe, formam ſi quam ſimilem cuipiam dixerimus eſſe, nõ omnes habemus aſſenſores, quod alij uidetur aliud: ita fit in imaginibus, ut, quae nobis diligenter notae ſint, eae parum uideantur inſignes alijs. quare ſibi quemque ſuo commodo conuenit imagines comparare. Poſtremo praeceptoris eſt docere, quemadmodum quaeri quidque conueniat, aut unum aliquod, aut alterum, non omnia, quae eius generis erant, exẽpli cauſſa ſubijcere, quo res poſſit eſſe dilucidior. ut cum de prooemijs quaerẽdis diſputamus, rationem damus quaerendi, non mille prooemiorum genera conſcribimus: ita arbitramur de imaginibus fieri cõuenire. Nunc, ne forte uerborum memoriam aut nimis difficilem, aut parum utilem arbitreris, & ipſarum memoria rerum contentus ſis, quod & utiliores ſint, & plus habeant facilitatis, admonendus es, quare uerborum memoriam non improbemus. nam putamus oportere eos, qui uelint res faciliores ſine labore, & moleſtia facile meminiſſe, in rebus difficilioribus eſſe ante exercitatos. Nec nos hanc uerborum memoriam inducimus, ut uerſus meminiſſe poſſimus, ſed ut hac exercitatione illa rerum memoria, quae pertinet ad utilitatem, confirmetur: ut ab hac difficili conſuetudine ſine labore ad illam facilitatem tranſire poſſimus.

EXPLANATIO

ANAΣKEYH', pars tertia, in qua primum uituperat Graecorum rationem, qui, de memoria ſcribentes, in uerborum imaginibus nimium fuere curioſi. Deinde de uerborum memoria ſuam dicit ſentẽtiam, ne aut nimis difficilem, aut parum utilem Herennius arbitretur. Sed, cum omnia ſint in hoc loco facilia, nos, omiſſa eorum explicatione, Quinctiliani de hac re ſententiam adſcribemus. Libro enim undecimo de Memoria ita inquit: Quo magis miror, quo modo Metrodorus in duodecim ſignis, per quae ſol meat, trecenos, & ſexagenos inuenerit locos. Vanitas nimirum fuit, atque iactatio circa memoriam ſuam potius arte, quam natura, gloriantis. Equidem haec ad quaedam prodeſſe nõ negauerim, ut, ſi rerum nomina multa per ordinem audita reddenda ſint. Namque in iis, quae didicerunt, locis reponunt res illas: menſam, ut hoc utar, in ueſtibulo, in atrio puluinum, & ſic cetera. deinde relegentes inueniunt, ubi poſuerint. Et forſitan in hoc ſunt adiuti, qui, auctione dimiſſa, quid cuique uendidiſſent, teſtibus argentariorum tabulis reddiderunt: quod

praeſtitiſſe

praeſtitiſſe Hortenſium dicunt. Minus idem proderit in ediſcendis, quae orationis perpetuae erunt. Nam & ſenſus non eandem imaginem, quam & res, habent, cum alterum fingendum ſit, & horum tamē utrumque commonet. Sed ſermonis alicuius habiti uerborum contextus eadem arte quo modo comprehendetur? Mitto, quod quaedam nullis ſimulacris ſignificari poſſunt, ut certae coniunctiones. habeamus enim ſane, ut, qui notis ſcribunt, certas imagines omnium, & loca ſcilicet infinita, per quae uerba, quae ſunt in qninque contra Verrem ſecundae actionis libris, explicentur, ut meminerimus etiam omnium quaſi depoſitorum: non ne impediri quidem eorum, quae dicit, decurſum, neceſſe eſt duplici memoriae cura? Nam, quo modo poterunt copulata fluere, ſi propter ſingula uerba ad ſingulas formas reſpiciendum erit? Quare & Carneades, & Scepſius (de quo modo dixi) Metrodorus, quos Cicero dicit uſos hac exercitatione, ſibi habeant ſua, nos ſimpliciora tradamus. Si longior complectenda memoria fuit oratio, proderit per partes ediſcere: (laborat enim maxime onere) & hae partes non ſunt perexiguae. alioqui nimis multae erunt, & eam diſtinguent, atque concident. Nec utique certum imperauerim modum, ſed maxime ut quiſque finietur locus: niſi forte tam ſit numeroſus, ut ipſe quoque diuidi debeat. Dandi ſunt certi quidam termini, ut contextum uerborum (qui eſt difficillimus) continuet crebra meditatio, partes deinceps ipſas repetitus ordo coniungat. Non eſt inutile, quo facilius haereant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat, & quaſi excitet memoriam. Nemo enim fere tam infelix, ut, quod cuique loco ſignum deſtinauerit, neſciat: ut, ſi erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio utatur, ut ipſae excitent notae. Hinc eſt ex illa arte non inutile, attendere ſigna ad eos, qui exciderunt, ſenſus: anchoram (ut ſupra poſui) ſi de naue dicendum eſſet; ſpiculum, ſi de proelio. Multum enim ſigna faciunt, & ex alia memoria uenit alia: ut, cum tranſlatus anulus, uel alligatus, commoneat nos, cur id fecerimus. Et paullo poſt ſubiungit: Illud neminem non iuuabit, iiſdem, quibus ſcripſerit, ceris ediſcere. Sequitur enim ueſtigiis quibuſdā memoriam; & uelut oculis intuetur non paginas modo, ſed uerſus prope ipſos, qui tum dicit ſimilis legenti. Iam uero, ſi litura, aut adiectio, aut mutatio aliqua interueniat, ſigna ſunt quaedam, quae intuentes, errare non poſſumus. Hactenus Quinctilianus: cuius non parua apud ſtudioſos auctoritas eſſe debet.

ADHORTATIO. AD. EXERCITATIONEM

SED cum in omni diſciplina infirma eſt artis praeceptio ſine ſumma aſſiduitate exercitationis, tum uero in μνημονικοῖς *minimum ualet doctrina, niſi induſtria, ſtudio, labore, diligentia comprobetur. Quamplurimos locos ut habeas, & quammaxime ad praecepta accommodatos, curare debebis. In imaginibus collocandis exerceri quotidie conueniet. non enim, ſicut in ceteris ſtudiis abducimur nonnumquam occupatione, ita ab hac re nos poteſt cauſſa deducere aliqua. numquam eſt enim, quin aliquid memoriae tradere uelimus, & tum maxime, cum aliquo maiore negotio detinemus. quare, cum ſit utile facile meminiſſe, non te fallit, quod tantopere utile ſit, quanto labore ſit appetendum: quod poteris exiſtimare utilitate cognita. Pluribus uerbis ad eam te hortari non eſt ſententia, ne aut tu noſtro, aut nos tuo ſtudio diffidere, aut minus, quam res poſtulat, dixiſſe uideamur. De quincta parte rhetoricae deinceps dicemus: tu primas quaſque partes in animo frequēta, &, quod maxime neceſſe eſt, exercitatione cōfirma.*

EXPLANATIO

ΠΡΟΤΡΟΠΗ΄, pars poſtrema, in qua Herennium ad diligentem horum praeceptorum exercitationem cohortatur. Habet προτροπὴ iſta primum πρόσληψιν τοῦ καθόλου πρὸς τὸ μέρος, artis praeceptionem cum in omni diſciplina ſine ſumma aſsiduitate exercitationis infirmam eſſe: tum uero in Mnemonicis minimum ualere doctrinam, niſi induſtria, ſtudio, labore, diligentia comprobetur. Deinde ἐπανάληψιν, repetitionem generalem ſuperiorum, de locis, & imaginibus: locos quamplurimos, & quammaxime ad praecepta accommodatos, eſſe comparandos: in imaginibus uero collocandis quotidie exerceri oportere. Tertio ponit ἐπίλογον, qui conſtat ἀφαιρέσει cauſſarum, cur non pluribus eum ad exercendam memoriam adhortetur. Poſtremo προκατάσει ad quinctam officij oratorij partem accedit. Nunc pauca de exercenda memoria ex Quinctiliano, & aliis in eorum gratiam colligemus, qui haec praecepta non poſſunt apprehendere. Dixi ante, plurimum Memoriae uim iuuari arte dialecticorum: idem nunc quoque repeto. Qui enim ordinem nouit, hoc eſt, qui ſcit recte definire, diuidere, atque argumentari, is facile apprehendit res, & continet: quoniam nouit antecedentia, conſequentia, media. Ordo igitur in primis memoriam adiuuat, poſt rationem uictus, in quo ſobrietas maxime conſideranda eſt: quoniam ebrietas, & crapula non modo memoriam, ſed ingenium omne obruunt. de qua re conſulendi ſunt medici. Ad ordinem, earum rerum intelligentia, quae memorandae ſunt, & cura, & exercitatio accedere debent. Impedit memoriam curarum uarietas, negotiorum turba, tumultuaria diuerſorum uoluminum lectio, immodicus pudor, auditorum nouitas: quae duo uincuntur aſſuetudine. Eſt ratio, (ut inquit Quinctilianus, cuius etiam ſuperiora huc ſunt transferenda) ut illi, de qua primum locutus ſum, arti non diſsimilis, ita (ſi quid me experimenta docuerunt) & expeditior, & potentior, ediſcere tacite. Nam id quoque eſt, quod tum erat optimum, ſi non ſubirent uelut otioſum animum plerumque aliae cogitationes, propter quas excitandus eſt uoce: ut duplici motu iuuetur memoria, dicendi, & audiendi. Sed haec uox ſit modica, & magis murmur. Qui autem legente alio ediſcit, in parte

tardatur,

tardatur, quod acrior eſt oculorum, quam aurium, ſenſus. In parte iuuari poteſt, quod, cum ſemel, aut bis au-
dierit, continuo illi memoriam ſuam expediri licet, & cum legente contendere. Nam & alioqui id maxime fa-
ciendum eſt, ut nos ſubinde tentemus: quia contraria lectio, & quae magis, & quae minus haerent, aequali-
ter tranſit. In experiendo teneas ne, & maior intentio eſt, & nihil ſuperuacui temporis perit: quo etiam, quae te
nemus, repeti ſolent: ita ſola, quae exciderunt, retractantur, ut crebra iteratione firmentur: quamquam ſolẽt
hoc ipſo maxime haerere, quod exciderunt. Et paullo poſt inquit: Si quis tamen unam, maximamq. a me ar-
tem memoriae quaerat, exercitatio eſt, & labor. multa ediſcere, multa cogitare, &, ſi fieri poteſt, quotidie, po-
tentiſsimum eſt. Nihil aeque augetur cura, uel negligentia intercidit. Quare & & pueri ſtatim, ut praecepi,
quamplurima ediſcant: & quaecumque aetas operã iuuandae ſtudio memoriae dabit, deuoret initio taedium
illud & ſcripta, & lecta ſaepius reuoluendi, & quaſi eundem cibum remandendi. Quod ipſum hoc fieri poteſt
leuius, ſi pauca primum & quae taedium non afferant, coepimus ediſcere: tum quotidie adijcere ſingulos uer
ſus, quorum acceſsio labori ſenſum incrementi non afferat, in ſummam ad infinitum uſque perueniat. Dein-
de: Mirum dictu eſt, nec in promptu ratio, quantum nox interpoſita afferat firmitatis. Poſtea, an ad uerbum
ediſcendum ſit, in uniuerſum pronunciari non poſſe dicit. Nam, ſi, inquit, memoria ſuffragatur, tempus non
deſit, nulla me uelim ſyllaba effugiat: alioqui etiam ſcribere ſit ſuperuacuum. Idq. praecipue a pueris obtinen-
dum, atque in hanc conſuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis diſcamus ignoſcere Ideoq. &
admoneri, & ad libellum reſpicere, uitioſum, quod libertatem negligentiae facit: nec quiſquam ſe parum tene-
re iudicat, quod ne ſibi excidat, non timet. Si uero aut memoria, natura durior erit, aut non ſuffragabitur tem-
pus, etiam inutile erit, ad omnia ſe uerba alligare, cum obliuio unius eorum cuiuſlibet, aut deformem haeſita-
tionem, aut etiam ſilentium inducat. Tutiuſq. multo, comprehenſis animo rebus ipſis, libertatem ſibi eloquen
di relinquere Nam & inuitus perdit quiſque id, quod elegerat, uerbum: nec facile reponit aliud, dum id, quod
ſcripſerat, quaerit. Sed ne hoc quidem infirmae memoriae ſignum eſt, niſi in ijs, qui ſibi facultatem aliquã dicẽ
di ex tempore parauerunt. Quod ſi cui utrumque defuerit, huic omittere totum actionum laborẽ, ac, ſi quid
in litteris ualet, ad ſcribendum potius ſuadebo conuertere. Hactenus Quinctilianus. Cuius ego praecepta hac
in re potiora eſſe iudico, quam huius auctoris. Eſt enim ars (ut uocant) memoratiua, ubi magiſter abeſt, dif
ficillima, quam paucißimi aſſequuntur. Quare adoleſcentes hortor, ut Quinctiliani praecepta ſequi uelint.

RHETORICORVM
AD · C · HERENNIVM
LIBER · IV

AVCTOR

QVONIAM in hoc libro, C. Herenni, de elocutione conſcripſimus; &, quibus in rebus opus fuit exemplis uti, noſtris exemplis uſi ſumus; & id fecimus praeter conſuetudinem Graecorum, qui de hac re ſcripſerunt: neceſſario faciundum eſt, ut paucis rationem noſtri conſilij demus. atque hoc nos neceſſitudine facere, non ſtudio, ſatis erit ſigni, quod in ſuperioribus libris nihil neque ante rem, neque praeter rem locuti ſumus. nunc, ſi pauca, quae res poſtulat, dixerimus, tibi id, quod reliquum eſt artis, ita uti inſtituimus, perſoluemus. ſed facilius noſtram rationem intelliges, ſi prius, quid illi dicant, cognoueris.

EXPLANATIO

SVPERIORIBVS libris explicauit partes officj oratorij quattuor, Inuentionem, Diſpoſitionem, Pronunciationem, & Memoriam, hoc libro περὶ τῆς φράσεως, ideſt, de elocutione dat praecepta, quae reliquis partibus omnibus animam, atque uitam dat. Diuiditur autem hic liber in partes tres: προοίμιον, πραγματείαν, ſiue ἐξήγησιν, καὶ ἐπίλογον. Prooemium prolixum eſt, in quo primum genus, deinde ἐργασία tractatio eius eſt conſideranda. Defendit autem ſe auctor ad Herennium in hoc exordio, quod ſuis in hoc libro uſus ſit exemplis, non aliorum, ut in prioribus fecit: & ſimul aliorum rationes refellit, qui ex aliis ſcriptoribus exempla ſumi oportere contendunt. Eſt igitur ἀπολογητικὸν, καὶ ἀνασκευαστικὸν προοίμιον, tractatum διδασκαλικῶς. Docet enim ſuas rationes ueras, aliorum autem falſas eſſe, & ſe ἀντιλήψει defendit. Sed maiori tamen ex parte totum hoc prooemium eſt ſophiſticum: nec minus refelli huius auctoris ſententiae poſſent, quam illorum, quos ipſe reprehendit. Vt enim Hermogenes, cum de ideis, ideſt, dicendi formis, ſcriberet, earum quaſi perfectum exemplar ex Demoſthene oſtendi poſſe non dubitauit: ita etiam hic auctor ex iis, quos ipſe paullo ante enumerauit, ſuarum de elocutione praeceptionum exempla facile elegiſſet. Sed excuſari tamen poteſt, quia non doctis, ſed rudibus rhetoricae artis ſcribit. In tractatione partes ſunt ſpectandae, quarum docendi gratia tres eſſe poſſunt, ἀρχὴ, ἀπολογία, καὶ ἐπίλογος. Principium huius prooemij eſt ἐφοδικὸν, ideſt κατὰ προκατάληψιν tractatur. Poterat enim arrogans uideri, quod non aliorum, ut ante, ſed ſuis uſus eſſet exemplis: id neceſſario defendendum fuit. Habet autem primum propoſitionem πρότασιν, deinde προκατάστασιν, tertio praemunitionē καταστατικήν. πρότασις διμερὴς eſt, cuius pars prior tractatur ἐνθυμηματικῶς. eſt enim ratio, τὸ ἡγούμενον: Quoniam in hoc libro, C. Herenni, de elocutione conſcripſimus, &, quibus in rebus opus fuit exemplis uti, &c. Propoſitio, τὸ ἑπόμενον: Neceſſario faciendum eſt, ut paucis rationem noſtri conſilij demus. Pars altera προτάσεως eſt, τῶν αἰτίων, confirmata ſigno. Cauſſarum una uera eſt, neceſſitudo; altera falſa, ſtudium ſcilicet, quam tollit: Atque hoc nos neceſſitudine facere, non ſtudio, &c. Signum, quo confirmat cauſſam ſuam, eſt σοφιστικὸν: Nam, etiam ſi nihil neque ante rem, neque praeter rem locutus eſt in ſuperioribus libris, tamen neceſſario non ſequitur, eum iam neceſſitudine cogi, ut exempla noua fingat, cum ex poetis, atque oratoribus ea non minus, quam in ſuperioribus libris, eligere potuiſſet. προκατάστασις huius principij, eſt aditus ad ſequentia, in quibus aliorum opiniones de exemplis confutat διδασκαλικῶς, ut ſe defendat, his uerbis: Nunc, ſi pauca, quae res poſtulat, dixerimus, &c. Huic parti ſubiungit praemonitionem, καταστατικὴν τῆς διδασκάλεως, cum inquit: Sed facilius noſtram rationem intelliges, ſi prius, quid illi dicant, cognoueris. Cicero hanc figuram Digeſtionem uocat, quae τῆς διακρίσεως eſt.

EXPLICATIO. SENTENTIAE ADVERSARIORVM

COMPLVRIBVS de cauſſis putant oportere, cum ipſi praeceperint quo pacto oporteat ornare elocutionẽ, uniuſcuiuſque generis ab oratore, aut poeta probato ſumptum ponere exemplum, & primum ſe id moleſtia commotos facere dicunt; propterea quod uideatur eſſe oſtentatio quaedam, non ſatis habere praecipere de artificio, ſed ipſos etiam uideri uelle artificioſe gignere exempla. hoc eſt, inquiunt, oſtentare ſe, non artem oſtendere. quare pudor in primis eſt ad eam rem impedimento; ne uos ſolos probare, nos amare, alios contemnere, & deridere uideamur. etenim, cum poſſimus ab Ennio ſumptum, aut a Graccho ponere exemplum; uidetur eſſe arrogantia, illa relinquere, & ad ſua deuenire. Praeterea, exempla teſtimoniorum locum obtinent. id enim, quod admonuerit, & leuiter fecerit praeceptio, exemplo ſicut teſtimonio comprobatur. non igitur ridiculus ſit, ſi quis in lite, aut in iudicio domeſtico pugnet, & ſui ipſius teſtimonio abutatur? ut enim teſtimonium, ſic exemplum rei confirmandae cauſſa ſumitur. non ergo oportet hoc, niſi a probatiſſimo, ſumi; i. e, quod aliud confirmare debeat, egeat ipſum confirmationis. etenim neceſſe eſt, aut ſe omnibus anteponant, & ſua maxime probent; aut negent optima exempla, quae a probatiſſimis oratoribus, aut poetis ſumpta ſunt. ſi ſe omnibus anteponant, intolerabili arrogantia ſunt. ſi quos ſibi praeponant, & eorum exempla ſuis exemplis non putent praeſtare; non poſſunt dicere quare ſibi illos anteponant. quid igitur ipſa auctoritas antiquorum, non cum res probabiliores, tum hominum ſtudia ad imitandum alacriora reddit? immo erigit omnium cupiditates, & acuit induſtriam, cum ſpes iniecta eſt, poſſe imitando Gracchi aut Craſſi conſequi facultatem. Poſtremo hoc ipſum eſt ſummum artificium, res uarias & diſpares in tot poematibus & orationibus ſparſas, & uage diſiectas ita diligenter eligere, ut unumquodque genus exemplorum ſub ſingulos artis locos ſubijcere poſſis, hoc ſi induſtria ſolum fieri poſſet, tamen eſſemus laudandi, cum talem laborem non fugiſſemus: nunc ſine ſummo artificio non poteſt fieri. quis eſt enim, qui, niſi ſumme teneat artem, poſſit ea, quae iubeat ars, de tanta & tam diffuſa ſcriptura notare & ſeparare? ceteri, cum legunt orationes bonas, aut poemata, probant oratores & poetas, neque intelligunt qua re commoti probent, quod ſcire non poſſunt ubi ſit, nec quid ſit, nec quo modo factum ſit id, quod eos maxime delectet. at is, qui & haec omnia intelligit, & idonea maxime eligit, & omnia in arte maxime ſcribenda redigit in ſingulas rationes praeceptionis, neceſſe eſt eius rei ſummus artifex ſit. Hoc igitur ipſum maximum artificium eſt, in arte ſua poſſe, & alienis exemplis uti.

EXPLANATIO

PARTEM Prooemij alteram dixi eſſe ἀπολογίαν, quae bipartita eſt. prima enim pars eſt ἀντίθεσις προηγουμένη, ideſt, explicatio rationum aduerſariorum, qui arbitrantur in praeceptis elocutionis a poetis, aut oratoribus exempla ſumenda eſſe. Altera pars eſt ἀνασκευαστική: refutat enim aliorum opiniones, ut ſuam defendat.

COMPLVRIBVS *de cauſſis*] ἀντίθεσις προηγουμένη rationum aliorum κατ' ὑποφοράν. ET *primum*] ἔκθεσις τῶν λόγων, rationum expoſitio: quarum prima ἠθικὴ eſt, qua uitare arrogantiam uolunt. PROPTEREA *quod*] κατασκευὴ probabilis, non tamen neceſſaria. QVARE *pudor*] Concluſio primae rationis, quae tametſi mala non eſt, eſt enim ἠθική, tamen non eſt neceſſaria. ETENIM] ἐπικατασκευὴ παραδειγματική. PRAETEREA] Secunda ratio, ab exemplorum ui. Maior enim eſt auctoritas ueterum, quam recentiorum. quare non imprudenter faciunt, qui exemplis aliorum utuntur. ID *enim*,] κατασκευή, ratio, ab auctoritate exemplorum. NON *igitur*] ἀπόδοσις συγκριτική. VT *enim*] Ratio ἀπὸ τοῦ αἰτίου τελικοῦ, κατ' ἀναλογίαν. NON *ergo*] Concluſio ſecundae rationis, quae eſt firmior, quam prima. ETENIM *neceſſe eſt*,] Ἐπικατα-σκευὴ διλημματική, συνημμένων eſt: Etenim neceſſe eſt, &c. SI *ſe omnibus ant.*] πρόσληψις, quae habet utriuſque membri ἀφαίρεσιν: primi membri ἀνασκευὴ ἠθικὴ eſt, & latentem habet συλλογισμόν: Nulli enim arrogantes ferri poſſunt. Alterius membri ἀφαίρεσις: Si quos ſibi proponat, & eorum &c. Fit κατὰ τὸ ἄλογον, ab abſurdo. Quid enim ſtultius, quam dicere eos nihil nobis praeſtare, quos tamen ad imitandum nobis propoſuimus? QVID *igitur*] ὑποφορὰ ab utili: ſumma enim antiquorum eſt auctoritas, non ſolum temporis ratione, ſed quia omnia quaſi ab illis accepimus. NAM *cum*] κατασκευὴ impartita: primum enim antiquorum auctoritas probabiliores reddit res, propter fidem, quae ei adhibetur: deinde hominum ſtudia ad imitandum alacriora reddit, propter dignitatem: poſtremo induſtriam acuit, propter utilitatem, cum ſpes iniecta eſt facultatem ſimilem conſequendi, quod fit, cum quis recte imitatur. POSTREMO *hoc ipſum*] Tertia ratio, quae ſumitur a ſigno: nihil difficilius eſt, quam artem in optimorum auctorum ſcriptis obſeruare: ergo, qui id nouit praeſtare, eum ſumme tenere artem credendum eſt. HOC *ſi induſtria*] αὔξησις a minori ad maius καθ' ὑπόθεσιν. QVIS *eſt*] κατασκευὴ ἐπιφωνηματική. CETERI, *cum legunt*] Alia αὔξησις, quae fit ἀντιθέσει contrariorum. AT *is*,] ἀνταπόδοσις τῆς ἀντιθέσεως. HOC *igitur ipſum*] Concluſio generalis, tametſi praecipue ad rationem tertiam pertinet.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ. REFVTATIO

HAEC illi cum dicunt, magis nos auctoritate ſua commouent, quã ueritate diſputationis. illud enim ueremur, ne cui ſatis ſit ad contrariã rationem probandam, q̃ ab ea ſteterint ij, qui & inuentores huius artificij fue-

runt, & uetuſtate iam ſatis omnibus probati ſunt. quod ſi, illorum auctoritate remota, rem omnino uolent cum re comparare, intelligent non omnia eſſe concedenda antiquitati. Primum igitur, quod ab eis modeſtia dicitur, uideamus ne nimium inutiliter, & pueriliter proferatur. nam, ſi tacere, & nihil ſcribere modeſtia eſt; cur quidquã ſcribunt, aut loquuntur? ſin aliquid ſuum ſcribunt: cur, quo ſecius omnia ſcribant, impediuntur modeſtia? quaſi ſi quis ad Olympiacum uenerit curſum, & ſteterit ut mittatur, impudentesq. illos dicat eſſe, qui currere coeperint, ipſe intra carcerem ſtet, & narret alijs, quo modo Ladas, aut Boius cum Sicyonijs curſitarint: ſic iſti, cum in artis curriculum deſcenderunt, illos, qui in eo, quod eſt artificij, elaborent, aiunt facere immodeſte: ipſi aliquem antiquum oratorem, aut poetam laudant, aut ſcriptorem, ſicut in ſtudium rhetoricae artis prodire non audeant. non auſim dicere, ſed tamen uereor, ne, qua in re laudem modeſtiae uenentur, in ea ipſa re ſint impudentes. Quid enim tibi uis, aliquis inquiet? artem tuam ſcribis, gignis nobis nouas praeceptiones, eas ipſe confirmare non potes, ab alijs exempla ſumis: uide, ne facias impudenter, qui tuo nomini uelis ex aliorum laboribus libare laudem. nam, ſi eorum uolumina prehenderint antiqui oratores, & poetae, & ſuum quiſque de libris ſuis tulerint, nihil iſtis, quod ſuum uelint, relinquetur. At exempla, quoniam teſtimoniorum ſimilia ſunt, item conuenit, ut teſtimonia, ab hominibus probatiſſimis ſumi. Primum omnium exempla ponuntur hic non confirmandi, neque teſtificandi cauſſa, ſed demonſtrandi. non enim, cum dicimus eſſe exornationem, quae, uerbi cauſſa, conſtet ex ſimiliter deſinentibus uerbis, & ponimus hoc exemplum a Craſſo, Quid poſſumus, & debemus, teſtimonium collocamus, ſed exemplum. Hoc igitur inter exemplum, & teſtimonium. Exemplo demonſtratur id, quod dicimus cuiuſmodi ſit. Teſtimonio eſſe illud ita, ut nos dicimus, confirmatur. Praeterea oportet teſtimonium cum re conuenire: aliter enim rem non poteſt confirmare. at id, quod illi faciunt, cum re non conuenit. Quid ita? quia pollicentur artem ſe ſcribere, & exempla proferunt ab ijs plerumque, qui artem neſcierunt. Tum quis eſt, qui poſſit id, quod de arte ſcripſerit, comprobare, niſi aliquid ſcribat ex arte? Contraq. faciunt, quam polliceri uidentur. nam, cum ſcribere artem inſtituunt, uidentur dicere ſe excogitaſſe, quod alios docerent: cum uero ſcribunt, oſtendunt nobis quid alij excogitarunt. At hoc ipſum difficile eſt, inquiunt, eligere de multis. Quid dicitis difficile? utrum laborioſum, an artificioſum? ſi laborioſum, non ſtatim praeclarum. ſunt enim laborioſa; quae ſi faciatis, non continuo gloriemini. niſi etiam, ſi ueſtra manu fabulas, aut orationes totas tranſcripſiſſetis, glorioſum putaretis. Sin autem iſtud artificium egregium dicitis; uidete, ne inſueti rerum maiorum uideamini, ſi uos parua res, ſicuti magna, delectat. nam iſto modo eligere rudis quidem nemo poteſt, ſed ſine ſummo artificio multi. quiſquis enim audierit de arte paullo plus, in elocutione praeſertim; omnia uidere poterit, qua ex arte dicuntur; facere nemo poterit, niſi eruditur. ita ut, ſi de tragoedijs Ennij uelis ſententias eligere, aut de Pacuuianis periodos; ſed, quia plane rudis id facere nemo poterit, cum feceris, te litteratiſſimum putes, ineptus ſis: propterea quod id facile faciat quiuis mediocriter litteratus. Item ſi, cum ex orationibus, aut poematibus elegeris exempla, quae certis ſignis artificij notata ſunt, quia rudis id nemo facere poſſit, artificioſiſſime te feciſſe putes, erras: propterea quod iſto ſigno uidemus te non nihil eius ſcire, alijs ſignis te ſcire multa intelligimus. Quod ſi artificioſum eſt intelligere quae ſunt ex arte ſcripta, multo eſt artificioſius ipſum ſcribere ex arte. qui enim ſcribit artificioſe, ab alijs commode ſcripta facile intelligere poterit: qui eliget facile, non continuo ipſe commode ſcribit. Et ſi eſt maxime artificioſum, alio tempore utantur ea facultate, non tum cum parere ipſi, & gignere, & proferre debent. Poſtremo in eo uim artificij conſumant, ut ipſi ab alijs potius eligendi, quam aliorum boni electores exiſtimentur.

EXPLANATIO

SECVNDA apologiae pars ἀνασκευὴ τῆς ἀντιθέσεως προηγουμένης: refutatio eorum, qui dicunt in praecipiendo alienis exemplis uti oportere. Eſt autem duplex: primum enim refutat argumenta ſingula ordine: deinde ſeparatim contra aduerſarios dicit, alienis exemplis non utendum eſſe.

HAEC *illi*] Ἀνθυποφορὰ, ideſt ſententiae ſuae κατάστασις ἀνασκευαστική. ILLVD *enim ueremur*,] Ratio ἠθικὴ, a ſua ſolicitudine, quam habet in ſententia ſua defendenda propter antiquitatis auctoritatem. QVOD *ſi*] Concluſio contrarij καθ' ὑπόθεσιν. PRIMVM *igitur*,] Ἀνασκευὴ: primae aduerſariorum ſententiae ἀντιπρότασις, contra modeſtiam in qua & incommodum & ſtultitiam reprehendit. NAM, *ſi*] λύσις διλημματική, κατ' αἴτιον. eſt autem δίλημμα ἁπλοῦν ſimplex, προτάσει carens, ſed σοφιστικόν. Neque enim dicunt alij modeſtiam eſſe, nihil ſcribere: cum praecepta ſine arrogantia poſsint ſcribi, exempla uero non item. QVASI] Confirmatio a ſimili. SIC *iſti*,] Accommodatio ſimilitudinis συγκριτική. Stadium uocat, Rhetoricae artis exercitium, & ſcriptionem μεταφορικῶς. NON *auſim*] παράληψις ἠθική, modeſtiae cauſſa, cum ἐπανορθώσει διαβλητικῇ. QVID *enim*] Occupatio αἰτιολογικὴ κατὰ προσωποποιίαν. NAM, *ſi*] κατασκευὴ τῆς προσωποποιίας primae ſententiae refutationem concludit. AT *exempla*,] ἐπανάληψις τῆς προτάσεως ſecundae ſententiae καθ' ἐνθύμημα, a ſimili. PRIMVM *omnium*] Ἀνθυποφορὰ, καὶ λύσις huius ſententiae, primum a cauſſa finali exemplorum, deinde a natura teſtimoniorum, tertio ab abſurdo. Vtitur autem hoc in loco primum duarum cauſſarum, quae falſae ſunt, confirmationis ſcilicet, atque teſtificationis, ἀφαιρέσει: deinde unius, quae uera eſt, uidelicet demonſtrationis, θέσει, quae ut res intelligatur, facit, quando cuiuſmodi illa ſit, demonſtramus. NON *enim*,] Ratio αἴτιον κατὰ τύπον. HOC *igitur*] αὔξησις κατὰ διάκρισιν, quid inter exemplum, atque teſtimonium interſit. PRAETEREA] Altera λύσις,

ſiue ἀνασκευὴ συλλογιστική, a natura teſtimoniorum. Maior eſt: Oportet teſtimonium cum re conuenire. Minor: At id, quod illi faciunt, cum re non conuenit. Concluſionem omittit: ergo exempla non ſunt teſtimoniorum loco. Vtriuſque propoſitionis προσυλλογισμὸν ponit. Maioris: Alter enim rem non poteſt confirmare. Minoris figurate ſubiungit per ſubiectionem: Quid ita? quia pollicentur artem ſe ſcribere, & exempla proferunt ab iis plerumque, qui artem neſcierunt. TVM *quis eſt,*] Tertia ſecundae ſententiae λύσις, ex repugnantibus κατὰ τὸ ἄτοπον ab abſurdo ſumpta eſt. quid eſt enim abſurdius, quam artem polliceri, & ex arte nihil poſſe ſcribere, ſed ab aliis excogitata oſtendere? Pugnant igitur inter ſe, ex arte ſcribere, & artem comprobare nõ poſſe. NAM, *cum ſcribere*] κατασκευὴ τῆς λύσεως κατ᾽ ἀντιμεταβολήν, quae ſequẽtis refutationis eſt προοικονομία. AT *hoc ipſum*] Tertiae ſententiae πρότασις, καὶ ὑποφορά, quae ex ratione proximae refutationis occaſionem ſumit, κατ᾽ ἀντικατάλλαξιν: Fatemur nos ab aliis excogitata oſtendere, at hoc ipſum difficile eſſe contendimus. QVID *dicitis*] αὐθυποφορὰ καὶ διλημμα σύνθετον, cuius πρότασις fit ἐρωτήσει: quid dicitis difficile? διαίρεσις eſt: utrum laborioſum, an artificioſum? SI *laborioſum,*] Ἀφαίρεσις primi λήμματος, ex differentibus. SVNT *enim*] ἡ αἰτία, ratio τῆς ἀφαιρέσεως. NISI *etiam ſi*] ἐπανόρθωσις εἰρωνική, a ſimili. SIN *autem*] ἡ τῆ δευτέρου λήμματος ἀφαίρεσις. NAM *iſto modo*] ἡ αἰτία κατὰ σύγκρισιν. QVISQVIS *enim*] Comprobatio rationis συγκριτική. ITA, *ut,*] ἔκθεσις παραδειγματική. PROPTEREA. QVOD] προσαπόδοσις. ITEM *ſi*] Alia ἔκθεσις. PSOPTEREA. QVOD.] προσαπόδοσις. QVOD *ſi*] αὔξησις, a maioris ad minus. QVI *enim*] κατασκευὴ κατ᾽ ἀντιμεταβολήν. ET *ſi eſt*] Occupatio poſt rem confutatam, quae primum habet παρωμολογίαν ἐκ πειθοῦς: deinde ἀποδίωξιν, ut alio tempore hac eligendi facultate utantur. POSTREMO] Ἐπίλογος tertiae refutationis.

REFVTATIO. SEPARATA

CONTRA ea, que ab alijs dicuntur, qui dicunt alienis ſe exemplis uti oportere, ſatis eſt dictum. Nunc, quae ſeparatim dici poſſunt, conſideremus. Dicimus ergo, eos omnes, ideo quod alienis utantur, peccare: tum etiã magis delinquere, quod a multis exempla ſumant: & de eo, quod poſtea diximus, ante uideamus. Si concederem aliena oportere aſſumere exempla, uincerem unius oportere. Primũ, quod contra hoc nulla ſtaret eorum ratio. liceret enim eligerent, & probarent quemlibet, qui ſibi in omnes res ſuppeditaret exempla, uel poetam, uel oratorem, cuius auctoritate niterentur. Deinde intereſt magni eius, qui diſcere uult, utrum unum omnia, an omnia neminem, ſed aliud alium putet conſequi poſſe. Si enim putabit poſſe omnia penes unum conſiſtere, ipſe quoque ad omnium nitetur facultatem: ſi id deſperarit, in paucis ſe exercebit. ipſis enim contentus erit: nec mirum, cum ipſe praeceptor artis omnia penes unum reperire non poterit. allatis igitur exemplis a Catone, a Gracchis, a Laelio, a Scipione, Galba, Porcina, Craſſo, Antonio, ceteriſque, item ſumptis aliis a poetis, & hiſtoriarum ſcriptoribus, neceſſe erit eum, qui diſcet, ab omnibus putare omnia ab uno pauca uix potuiſſe ſumi. Quare, ſi unius alicuius eſſe ſimilem ſatis habebit, omnia, quae omnes habuerint, ſolum habere ſe poſſe diffidet. ergo inutile eſt ei, qui diſcere uult, putare non unum omnia poſſe. Igitur nemo in hanc incideret opinionem, ſi ab uno exempla ſumpſiſſent. nunc hoc ſigni eſt ipſos artis ſcriptores non putaſſe unum potuiſſe in omnibus elocutionis partibus enitere, quoniam neque ſua protulerunt, neque unius alicuius, aut denique duorum, ſed ab omnibus oratoribus, & poetis exempla ſumpſerũt. Deinde, ſi quis uelit artem demonſtrare nihil prodeſſe ad diſcendum, non male utatur hoc adiumento, quod unus omnes artis partes conſequi nemo potuerit. Quod igitur iuuat horum rationem, qui omnino improbent artem, id non ridiculum eſt ipſum ſcriptorem artis ſuo iudicio comprobare? Ergo ab uno ſumenda fuiſſe docuimus exempla, ſi ſemper aliunde ſumerentur. Nunc omnino aliunde ſic intelligemus ſumenda non fuiſſe. Primum omnium, quod ab artis ſcriptore affertur exemplum, de eius artificio debet eſſe, non ut ſi quis purpuram, aut aliud quippiam uendens, dicat, Sume a me, ſed huius exemplum aliunde rogabo, tibiq. oſtendam. ſi, merces ipſi qui uenditant, aliunde exemplum quaeritent aliud mercis: aut ſi aceruos ſe dicant tritici habere, & eorum exemplum pugno non habeant, quod oſtendant: ſi Triptolemus, cum hominibus ſemen largiretur, ipſe ab alijs hominibus id mutuaretur: aut ſi Prometheus, cum mortalibus ignem diuidere uellet, ipſe a uicinis cum teſta ambulans carbunculos corrogaret: non ridiculum uideretur? iſti magiſtri omnium dicendi praeceptores non uidentur ſibi ridicule facere, cum id, quod alijs pollicentur, ab alijs quaerunt. ſi qui ſe fontes maximos penitus abſconditos aperuiſſe dicat, & haec ſitiens quammaxime loquatur, neque habeat quo ſitim ſedet, non irrideatur? iſti, cum non modo dominos ſe fontium, ſed ſeipſos fontes eſſe dicant, & omnium rigare debeant ingenia; non putant fore ridiculum. ſi, cum id polliceantur alijs, areſcant ipſi ſiccitate. Chares a Lyſippo ſtatuas facere non iſto modo didicit, ut Lyſippus caput oſtenderet Myronium, brachia Praxitelea, pectus Polycletium: ſed omnia coram magiſtrum facientem uidebat, ceterorum opera, uel ſua ſponte conſiderare poterat. iſti credunt eos, qui haec uelint diſcere, alia ratione doceri poſſe commodius. Praeterea ne poſſunt quidem ea, quae ſumuntur ab alijs exempla, tam eſſe accommodata ad artem, quam propria. propterea quod in dicendo leuiter unuſquiſque locus plerumque tangitur, ne ars appareat; in praecipiendo expreſſe conſcripta ponere oportet exempla, ut in artis formam conuenire poſſint; & poſt in dicendo, ne poſſit ars eminere, & ab omnibus uideri, facultate oratoris occultatur. Ergo etiam, ut magis ars cognoſcatur, ſuis exemplis melius eſt uti. Poſtremo haec quoque res nos duxit ad hanc rationem, quod nomina rerum Graeca, quae conuertimus, ea remota ſunt a conſuetudine. quae enim res apud noſtros non erant, earum rerũ nomina non poterant eſſe uſitata. Ergo haec aſperiora primo uideantur neceſſe eſt; idq. fiet rei, non noſtra difficultate. Reliquum ſcripturae conſumetur in exemplis. haec aliena ſi poſuiſſemus; factum eſſet, ut, quod commo-

dius

dius eſſet in hoc libro, id noſtrum non eſſet; quod aſperius, & inuſitatum, id proprie nobis attribueretur. Ergo hanc quoque incommoditatem fugimus. His de cauſſis, cum artis inuentionem Graecorum probaſſemus, exemplorum rationem ſecuti non ſumus. Nunc tempus poſtulat, ut ad elocutionis praecepta tranſeamus.

EXPLANATIO

DIVISIMVS Apologiam in partes duas. in prima, argumenta aduerſariorum ſingula ordine refutauit: ſequitur iam pars altera, quae eſt ἀντιλογία abſoluta, in qua ſeparatim contra illos dicit. Reprehendit autem hoc in loco duo in Rhetoribus Grecis: primum, quod alienis utuntur exemplis: deinde, quod a multis illa ſumunt. Ad hanc partem accedit μεταβάσει: Contra ea, quae ab iis dicuntur, &c. nunc quae &c.

DICIMVS *ergo*] Propoſitio duplex τῆς ἀντιλογίας. Pars prima eſt, Peccant, qui exemplis alienis utuntur: altera, Magis delinquunt, qui a multis exempla ſumunt. SED *de eo,*] προκατάστασις κατ' ἀντιστροφὴν. inuertit enim propoſitionis ordinem: &, quod poſterius propoſuit, primo loco refutat. SI *concederem*] Pars poſterior propoſitionis: non a multis, ſed ab uno exempla ſumenda eſſe. Habet haec prima pars conceſsionem ὑποθετικὴν. PRIMVM] Ratio ἀποδεικτικὴ, καὶ ἀνέστατος, ut illi uidetur: ſed facile dari poſſet. LICERET] ἐπικατασκευὴ: facile enim inuenirent uel poetam, uel oratorem, in quo ſuarum praeceptionum exempla inuenirent. DEINDE *intereſt*] Pars altera διλημματικὴ. SI *enim*] τὸ ἡγούμενον: eſt enim ἀφαίρεσις ἐνθυμηματικὴ. IPSE *quoque*] τὸ ἑπόμενον: ideſt, conabitur uirtutes illius, quem ſibi imitandum propoſuit, imitari. SI *id deſperarrit,*] ἀφαίρεσις τοῦ δευτέρου λήμματος, καὶ τὸ ἡγούμενον. ſi id deſperarit, ideſt ſi non putabit poſſe omnia penes unum conſiſtere. IN *paucis*] τὸ ἑπόμενον: ſunt eligendi pauci meliores, ſi unus praeſtare omnia non poteſt. IPSIS *etiam*] Paucis erit contentus, quoniam penes unum omnia reperire praeceptor artis non potuerit. ALLATIS *igitur exemplis*] ἐπικατασκευὴ παραδειγματικὴ, conglobatione facta. QVARE,] Concluſio ſecundae partis: unum non poſſe habere omnia. ERGO *inutile*] τὸ πόρισμα συλλογιστικόν: eſtq. hoc in loco maior propoſitio. IGITVR *nemo*] ſcilicet, putare non unum omnia poſſe. NVNC *hoc ſigni*] Minor, confirmata ſigno. QVONIAM] προσυλλογισμὸς minoris a ſigno, καθ' ἀρίθμησιν. QVOD *igitur*] πόρισμα ἀντὶ τοῦ συμπεράσματος. ERGO *ab uno*] Ἐπίλογος generalis ὑποθετικὸς, qualis etiam propoſitio fuit. NVNC *omnino*] κατάστασις alterius partis, alienis exemplis utendum non eſſe. PRIMVM *omnium,*] κατασκευὴ alterius partis, quam probat argumentis duobus, quorum primum a natura exemplorum ſumitur, tractaturq. primum κατὰ παραδιαστολὴν, deinde ἐπαγωγῇ. SI *merces ipſi,*] ἐπαγωγὴ τῶν παραδειγμάτων, quorum tractatio triplex eſt. prima enim tria conglobatione tractantur coniunctim: quartum ſeparatim, quae omnia ſunt ſimilia: quinctum eſt contrarium, etiam ſeparatum. Priora omnia κατ' ἐρώτησιν ὑποθετικῶς tractauit: hoc poſtremum ἀντιφαστικῶς tractat. *Si merces*: Primum exemplum καθολικόν. SI *Triptolemus,*] Alterum exemplum, quod eſt ſingulare, atque fabuloſum: quemadmodum & ſequens. AVT *ſi*] Tertium exemplum, etiam ſingulare. Nota ſunt, quae de Triptolemo, ae Prometheo fabulantur poetae. ISTI *magiſtri*] ἀπόδοσις unica omnium trium exemplorum. SI *quis ſe*] Quartum exemplum rurſus καθολικὸν, ſed ſeparatum. ISTI] ἀπόδοσις. CHARES] Quinctum exemplum ſingulare, ac contrarium. De hoc uide Plinium lib. XXXIV cap. 7. ISTI *credunt*] ἀπόδοσις. PRAETEREA] Alterum argumentum ab utili: ut ars melius cognoſcatur, praeſtat ſuis, quam alienis exemplis uti. PROPTEREA. QVOD] Ἀντιλογία. IN *praecipiendo*] ἔκθεσις παραδειγματικὴ. ERGO *etiam*] Concluſio huius argumenti. POSTREMO] Tertium argumentum ab inutili. QVAE *enim*] Ratio a neceſſario. ERGO *haec*] ἀπόδοσις ἀπολογητικὴ. HAEC *aliena*] ὑπόθεσις συγκριτικὴ. ERGO *hanc*] Concluſio tertij argumenti. HIS *de cauſſis,*] Ἐπίλογος uniuerſalis totius prooemij: quare ſuis in hoc libro, non aliorum, exemplis uſus ſit. Magis autem σοφιστικῶς, ut uidetur, ad ingenij oſtentationem, non quod ita ſentiret, argumentatus eſt: ut a nobis eſt ante etiam dictum. NVNC *tempus poſtulat,*] παρασκευὴ ad ipſam πραγματείαν, ſecundam huius libri partem.

GENERA. DICENDI

BIPERTITA *erit igitur nobis elocutionis praeceptio. primum dicemus, quibus in generibus ſemper omnis oratoria elocutio debeat eſſe; deinde oſtendemus, quas res ſemper habere debeat.*

SVNT *igitur tria genera, quae nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non uitioſa conſumitur: unã grauem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam uocamus. Grauis eſt, quae conſtat ex uerborum grauium magna, & ornata conſtructione. Mediocris eſt, quae conſtat ex humiliore, neque tamen ex infima, & peruulgatiſſima uerborum dignitate. Attenuata eſt, quae demiſſa eſt uſque ad uſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem.*

EXPLANATIO

PARS altera huius libri eſt ipſa πραγματεία, ſiue ἐξήγησις, expoſitio, atque expeditio rei, in qua de Elocutione, pulcherrima officij oratorij parte, praecipit, quae a Graecis φράσις dicitur. Accedit ad hanc partẽ καταστάσει κατὰ διαίρεσιν: Bipertitam eſſe elocutionis praeceptionem. Primum enim dicit, quibus in generibus ſemper omnis oratoria elocutio debeat eſſe. deinde oſtendit, quae res ſemper habere debeat. Eſt autem Elocutio, noſtrarum ſententiarum, quas in animo noſtro reconditas habemus, congruens, & apta rebus ipſis,

explanatio.

explanatio. Fit haec definitio ex relatione. fundamentum enim eſt, ſententiae animo noſtro conceptae, ac reconditae: terminus, explanatio. addita eſt differentia congruens: quoniam εὐσχήμων eſſe, & cum rebus ipſis, dicendiq. genere conuenire debet, cuius poetae ueteres ſtudioſiſſimi fuerunt.

Eloquentia igitur, quam φράσιν Graeci uocant, ut & Eloquentiae nomen ortum eſſe putant, omnium partiũ ut pulcherrima, ita quoque utiliſſima, atque difficilliſſima eſt, in qua oratoris uis illa diuina, uirtuſq. cernitur, quam cum Cicerone, optimo doctore, in Partitionibus copioſe loquendi ſapientiam definimus. Nam & ea profuſae, & immenſae rerum omnium inuentioni uarietatem, plenitudinemq. addit, & certis dicendi luminibus, res in orationibus explicat, atque exornat: & flumen grauiſsimis ſententiis, & optimis uerbis, propriis, apte tranſlatis, ſonantibus ad dicendi genus adducit. Nec ſolum ex flumine iſto elocutionis eligere uerba oportet, ſed etiam collocare. Vis enim, ac facultas elocutionis in ſimplicibus uerbis, & coniunctis uerſatur, quarum illa inuenienda ſunt, haec collocanda. eſt enim quidam ornatus, qui ex ſingulis uerbis eſt: alius, qui ex coniunctis conſtat. Eligere autem, & ſuo quidque loco collocare de ſententia Ciceronis in Oratore, & Quinctiliani libro Inſtitutionum Oratoriarum octauo, nequaquam facile eſt. Sic M. Antonius dicere ſolebat, diſertos ſe uidiſſe multos, eloquentem adhuc neminem. Et M. Tullius (ut ait Quinctilianus) inuentionem quidem, & diſpoſitionem prudentis hominis putauit, eloquentiam uero oratoris. Ratio enim inueniendi, & collocandi communis omnium eſſe poteſt, qui uel antiquitatis clariſsima monumenta in codicillos referunt, atque hiſtorias litteris, memoriaeq. mandāt, uel qui de re aliqua loquuntur: eloqui apte, diſtincte, ornateq. admodum paucis conceſſum eſt. Sed, quoniam bipertita nobis elocutionis eſt praeceptio, primum dicemus, quas res omnis oratoria elocutio habere debet. quae pars in ſermone Latino, atque perſpicuo, & compoſitione, & dignitate poſita eſt: deinde quibus in dicendi generibus uerſetur.

Elocutio commoda, & perfecta, tres res in ſe habere debet, Sermonem Latinum, & perſpicuum, Compoſitionem, Dignitatem.

De his autem, quae in Elocutione poſuimus, haec ſit prima cura, ut Latine, & perſpicue ad rerum dignitatem, atque naturam loquamur, & uerba efferamus ea, quae (ut ait de Oratore) nemo iure reprehendat. Latinus autem ſermo, & perſpicuus ex grammaticis diſcitur, qui orationem puram, atque ab omni uitio intermiſſam conſeruat, & facit, ut unumquodque pure, & aperte, & dilucide dici uideatur. Conſtat autem Latinus ſermo uſitatis uerbis, quae in uſu quotidiani ſermonis uerſantur: & propriis, quae eius rei ſunt, de qua loquetur. Nec uero proprietates ad nomen dumtaxat, ſed multo etiam magis ad uim ſignificationis referri, ac poteſtatẽ oportet: nec auditu, ſed intellectu perpendi. Ita tranſlatio quoque, in qua fere maximus eſt elocationis uſus, uerba non ſuis rebus accommodat; ſed tamen aliquando habet etiam in oratione inuſitatum aliquod uerbũ, aut pretium, dignitatem, quibus loco poſitis, (ut Ciceronis uerbis utar) grandior, atque antiquior oratio ſaepe uideri ſolet. Poetas enim omnino quaſi alia quadam lingua loqui, nemo eſt, qui ignoret.

SVNT *igitur tria*] Nunc Elocutionem in tria diuidit genera, deinde eadem definit. φράσις elocutio duplex eſt. uel eſt enim ἀήδης, bona; uel κακόζηλος, uitioſa. Bona aut generalis eſt, cuius genera ſunt graue, mediocre, attenuatum; aut ſpecialis, cuius ſeptem Hermogenes ſpecies tradit, de quibus paullo poſt. Vitioſae tres ſunt ſpecies: inflata, fluctuans, & arida. Primum hic de elocutione bona praecipit, tum de uitioſa. Omnis igitur non uitioſa elocutio in tribus dicendi generibus conſumitur, graui, mediocri, & attenuato. Quae hic genera, & figura uocat, Graeci τοῦ λόγου γένη, χαρακτῆρες, πλάσματα, τύπους, καὶ στύλους appellāt: Hermogenes ἰδέας, Platonem ſecutus, & Ariſtotelis uerbo nonnumquam εἴδη nominat: de quibus ſcripſit ſeparatim copioſe. Grauis a Graecis σφοδρὸν, σεμνὸν, ἁδρὸν, καὶ ἐσχηματισμένον dicitur: ea eſt, quae περιβολὴν, ὄγκον, & ἀξίωμα habet. Conſtat enim ex uerborum grauium magna, & ornata conſtructione. Conſtructionem uocat σύνθεσιν, quam Hermogenes συνθήκην appellat. Omnis autem conſtructio incipit a connexione uerborum, & mẽbrorum connexione definit. Eſt ergo σύνθεσις, apta uerborum, commatum, & membrorum collocatio, & cõnexio. Hanc uult eſſe magnam ad uincendum, ac mouendum, quia animum ferit. eſt enim magna uel ſono, uel ſignificatione, uel utroque: iccirco ad uiolentiam pertinet, in qua motus, & uictoria eſt, ut ornata ad delectandum. Mediocris, Graece μέσον, ἔμμεσον, ἀνθηρὸν, καὶ μονοειδὲς dicitur. mediocritatem habet inter infimum, atque ſummum dicendi genus: eamq. ob cauſſam a Cicerone Temperatum dicitur. Attenuata, tenuis, gracilis, infima, ἁπλοῦς, ἰσχνὸν, βραχὺς, ἀσχημάτιστον, λεπτότης: in uſitata dicendi conſuetudine manet. puritate enim contenta, elegantia, atque pulchritudine caret. Quamuis ſimplex illa puritas per ſe formoſa eſt: ut cultus mulierum naturalis, qui ipſa placet munditie. Haec diuiſio uniuerſalis eſt, & Latinorum propria, & ab Antonio etiam in tertio de Oratore uſurpatur: quo in loco haec tria dicendi genera, ſub ipſo orationis habitũ, ideſt aptitudine, comprehenduntur. In eo enim libro, principio quattuor dicendi modos tradit: purum, planum, ornatum, aptum. Hermogenes magis ſpecialem habet diuiſionem, qui & plura propoſuit, & aliis nominibus. Nam in libris περὶ τῶν ἰδέων ſeptem facit ſpecies, σαφήνειαν, μέγεθος, κάλλος, γοργότητα, ἦθος, ἀλήθειαν, δεινότητα. Sunt illae tres Latinorum communes, ad quas reliquae omnes conferendae ſunt. Quod eſt inuentione difficile, obſeruatione ſuaue, imitatione neceſſarium, uſu admirabile. Redeo ad Hermogenis diuiſionem, quae ſeptem fuit partium. Prima enim orationis uirtus eſt, ut ſit perſpicua, cui ἀσαφία, καὶ σκότος obſcuritas eſt contraria. Quia uero ex nimia perſpicuitate fit εὐτελία, ideſt contempta orationis humilitas, propter λεπτολογίαν: ideo magnitudo ſequitur, quae orationem, ne humi repat, in ſublime tollit. At, ne magnitudo ſit deformis, pulchritudo, & uenuſtas additur: cui mox celeritas adiungitur, ut ſit pulchritudo uirilis, agilis, atque uehemens. Et, quia orationem moribus, inſtitutis, ac condicionibus hominum conuenire debet: mos ipſe, quem Graeci ἦθος uocant, obſeruandus eſt: quo ingenia hominum aetates, ſexus, ac condiciones explicantur:

plicantur. Alia eſt Achillis irati oratio, alia Neſtoris conſilium dantis: quod non minus oratori, quam poetis, obſeruandum eſt. Etſi autem humanum eſt errare, ac decipi: tamen, ne aliquid diſſonum rebus dicatur, uerum eſſe orationem, & probabilem decet, ne contradici illi poſsit. In his uero omnibus decorum dominatur: quod ſi negligitur, oratio fit inepta. Non enim omni cauſſae, auditori, perſonae, tempori, oratorum genus unum congruit. quare figura orationis ad id, quod agitur, accommodata, deligenda eſt: ornamentis iiſdem fere uti licebit. alias contentius, alias remiſsius, qualis ſcilicet dicendi figura erit. De hac re uide tertium de Oratore. Atque hae ſeptem orationis formae ſpeciales ſunt, ac ſimplices, & tribus Latinorum generibus inſeruiunt: ac fere numquam ſolitariae, ſed mixtae inueniuntur. Alia tamen eſt frequentior alia. ut apud ſophiſtas κάλλος regnat, apud Demoſthenem μέγεθος: ita tamen, ut ceterae etiam ſunt admiſtae. Quibus autem ex rebus illae conſtituantur, etiam obſeruandum eſt. Hermogenes illas ex octo rebus confici docet: ſententiis, methodo, uerbis, figuris, membris, iunctura, clauſula, numero. Sententiae, ἔννοιαι, hoc in loco ſunt quaelibet cogitationes, non γνῶμαι, quae ad uitam, atque mores, hominum accommodantur. Omnes autem ſententiae ſunt uel magnarum, uel paruarum, uel mediarum rerum. Magnae ſunt diuinae, & humanae: in diuinis eſt religio, & res caeleſtes, & opera Dei uniuerſa, & quaecumque de Deo dici poſſunt: in humanis, quae de uirtute, republica, bello, pace, & ſimilibus dicuntur. Paruae ſunt, uel paruarum rerum, ut ſunt deſcriptiones ruris, fontium, montium, arborum, locorum, temporum: qualis etiam turris mobilis apud Caeſarem. uel ſunt paruarum controuerſiarum, ut de ſtillicidiis, & ſimilibus. Mediae ſunt, quae ad mores, & uitam hominum pertinent. In ſententiis obſeruandum eſt, ut pro earum uarietate oratio uarietur, ne ubique ſui ſimile eſſe uideatur: quod Lyſiae uitio uerſum eſt. Suam autem unaquaeuis ſententia collocationem habet, quam Hermogenes μέθοδον appellat: aliae enim primo, aliae ſecundo, aliae ultimo loco poni debent. Sunt enim tria ſententiarum genera: unum ἠθικὸν, alterum διδακτικὸν, tertium παθητικὸν: primum ad conciliandum, poſtremum ad mouendum, medium ad docendum pertinet. Sunt etiam in collocatione propoſitio, diuiſio, tranſitio, commutatio, uel conſeruatio ordinis naturalis ſpectandae. Non ſolum autem ſenteutiarum, ſed eriam uerborum μέθοδος eſſe ſolet, quae εἰκόνες, & σημεῖα, ideſt notae, atque ſigna rerum ſunt. Aliud autem paucis, aliud pluribus nerbis eſt tractandum. deinde res magnae ſonantibus uerbis, & grauibus, atque plenis efferri uolunt: paruae propriis, mediae humilioribus, neque tamen promulgatiſsimis. Figurae rerum, & uerborum ornamenta ſunt, ac uiuus orationis color. quamobrem non minus auditorem delectare ſolent, quam colores in imaginibus. Membra ſunt periodorum, in quibus colores, atque ornamēta, tamquam in certis quibuſdam partibus cernuntur: In his ſpectādum eſt, quae coniungere, quae ſeparare, quae praeponere, quae uero poſtponere, & an longis, aut breuibus uti uelis. Clauſula eſt membrorum, ac periodi pars extrema, qua tandem mens hominis acquieſcit. in principio enim occupata eſt, in medio fatigata: in fine quid orator ſit dicturus, quo delectetur, ac reficiatur, exſpectat. Poſtremum eſt numerus, qui etiam ad rei naturam eſt accōmodandus. Alius enim iratum, alius lenem, alius grauem, alius remiſſe dicētem numerus decet. Conſtat autem συνθέσει, καὶ ἀναπαύσει, in qua perficitur. Has octo partes Hermogenes ſpectandas eſſe in omnibus dicendi ideis tradit, de quibus hoc in loco ſatis eſt dictū. Nunc, quibus ex rebus graue dicendi genus noſter auctor conſtare dicet, uideamus.

GENVS. DICENDI. GRAVE

IN graui figura conſumetur oratio, ſi, quae cuiuſque rei poterunt ornatiſsima uerba reperiri, quae propria, ſiue tranſlata, ad unamquamque rem accommodabuntur: & ſi graues ſententiae, quae in amplificatione & commiſeratione tractantur, eligentur: & ſi exornationes ſententiarum, aut uerborum, quae grauitatem habebunt, de quibus poſt dicemus, adhibebuntur. In hoc genere figurae erit hoc exemplum: Nam, quis eſt ueſtrum iudices, qui ſatis idoneam poſsit in eum poenam excogitare, qui prodere hoſtibus patriam cogitarit? quod maleficium cum hoc ſcelere comparari? quod huic maleficio dignum ſupplicium poteſt inueniri? In iis, qui uiolaſſent ingenuam, matremfamilias conſtupraſſent, pulſaſſent aliquem, aut poſtremo necaſſent, maxima ſupplicia maiores noſtri conſumpſerunt: huic truculentiſſimo, ac nefario facinori ſingularem poenā non reliquerunt? Atque in aliis maleficiis ad ſingulos, aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruenit: huius ſceleris qui ſunt affines, uno conſilio uniuerſis ciuibus atrociſſimas calamitates machinantur. O feros animos, o crudeles cogitationes, o derelictos ab humanitate homines, qui agere auſi ſunt, aut cogitare potuerunt, quo pacto hoſtes, reuulſis maiorum ſepulcris, deiectis moenibus, ouantes irruerent in ciuitatem; quo modo, Deum ſpoliatis templis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis in ſeruitutem matribusfamilias & ingenuis ſub hoſtilem libidinem ſubiectis, urbs acerbiſsimo concidat incendio conflagrata: qui ſe, non putant id, quod uoluerint, ad exitum perduxiſſe. niſi ſanctiſsimae patriae miſerandum ſcelerati uiderint cinerem. Nequeo uerbis conſequi iudices indignitatem rei: ſed negligentius id fero, quia uos mei non indigetis. ueſter enim uos animus amantiſsimus reip. facile edocet, ut eum, qui fortunas omnium uoluerit prodere, praecipitem perturbetis ex ea ciuitate, quam iſte ſpurciſsimorum hoſtium dominatu nefario uoluerit obruere.

EXPLANATIO

DIVISIT Elocutionem in tria dicendi genera, eademq. breuiter definiuit: nunc, quibus unumquodque in rebus conſumatur, indicat, & ſingulorum exempla ſubiungit. Hermogenes figurae graui, quam ἰδέα μεγάλην appellat, Dignitatē, aſperitatē, uehementiā, ſplendorē, uigorē, circūductionē tribuit. Dignitas σεμνότη-

u maieſtiart

aeſtimatur ornatu ſententiarum, cum de rebus diuinis, de naturalibus, de republica, de bello, de uirtute loquimur. Aſperitas τραχύτης in diſſolutione ſententiarum conſtat, ne oratio ſit compoſita, & continuata, ſed interuallis dirempta, ut in diuiſionibus, & exclamationibus fieri ſolet. Quod enim in humano corpore exſtantes humeri, pectus hirſutum, barbatus uultus, atque horror eſt: ideſt in oratione aſperitas, quae iccirco additur dignitati, ut ſit uirilis, ſenatoria, ac forenſis; non ſophiſtica, lenis, atque theatralis. Vehementia σφοδρότης, firmam facit grauitatem, ne aſperitas ſit ſpinoſa. Vt enim ſaxa curſum fluminis non impediunt, ſed augent: ita etiam aſperitas orationem impedire non debet, ſed concitare, quod fit uehementia. Ne uero curſus ille nimiũ uerticoſus ſit, ſplendor λαμπρότης additur, ut oratio fiat luminoſa. Vigor ἀκμὴ orationis ſanguinem tribuit iuuenilem, hoc eſt, ſuccum bonum, plenum, ac uigentem. Sed circumductio, quae in longis membris, ac periodis conſideratur, haec omnia maiora, atque digniora facit. Has partes graui dicendi formae Hermogenes ſubiicit: ſed hic auctor, quia quaedam propria tradere uoluit, uerba, ſententias, & figuras tantum, quae partes ſunt praecipue, poſuit: non quod reliqua etiam neceſſaria nõ ſint, ſed quia quaſi communia ſunt alijs etiam generibus, his autem tribus graue dicendi genus ab aliis potiſsimum differat. deinde hic auctor membra, ac periodum infra inter exornationes recenſet. Grauitas igitur, quam Craſſus in tertio de Oratore plenam appellat, & tamen teretem eſſe uult, ſecundum hunc auctorem praecipue ſpectatur in uerbis, ſententiis, ac figuris. Verba diuidit in propria, & tranſlata. Propria, ἴδια, a quibus eſt incipiendum, ſaepe magis numeroſa ſunt, & grauia, quam tranſlata: ut, cum parricidam dicis, plus dicis, quam ſi perniciem, labem, aut peſtem dicas. Futurus igitur orator in delectu uerborum diligenter ſeſe exercebit, ut grauiora eligat: quod ex amplificationibus, incrementis, diſtinctione propriorum, atque ἰσοδυναμία facile aſſequetur. ut, Facinus eſt, uincire ciuem; ſcelus, uerberare; parricidium, necare; quid dicam in crucem tollere? humile eſt, uincire; mediocre, uerberare; graue, necare; grauiſsimum, in crucem tollere: adeo, ut neſciat, quo illud appellet nomine. Hoc ex loco ordo intelligitur, quae primo medio, ultimo loco poni debeant. Eſt in coniunctione obſeruanda Latinitas, qua multa fiunt barbara, quae ſimplicia ſunt Latina. ut priuignus filius, uitricus pater barbare dicuntur: cum recte dicãtur, pater uitricus, & filius priuignus: ut gemini fratres, ſi ſint uterini, & eodem nati tempore; ſi contra, uitioſe. Tranſlata τετραμμένα aut ſunt propria, quae ex propriis fiunt; aut aliena. Propria, ut περίφρασις, cum pro parricida dico eum, qui luce priuauit, per quem ipſe lucem adſpexit. Aliena ſunt, ὑπαλλαγή, συνεκδοχή, κατάχρησις, &c. Tranſlatis uerbis duabus de cauſsis utimur. primum, ne eodem ſemper uerbo utamur, quod grauitati eſt contrarium. deinde propter utilitatem: commodius enim tranſlato uerbo, quam proprio, aliquid efferimus. In deligendo quaerenda ſunt cum ornatiſsima, tum grauiſsima. Ornatus autem uerborum ſpectatur in poteſtate, in ſono, & in utroque. Poteſtas, quae eſt ipſa ſignificatio, animum ferit, cũ rem magnam, atque grauem ſignificat: ut ſceleratus pro malo, impurus pro improbo. Sonus aures implet, ut parricida grauius eſt, quam homicida. Cum & poteſtas, & ſonus coniunguntur, uerba faciunt plana, quae & animum, & aures ſimul mouet. Fit autem illa plenitudo primum mutatione uerborum, ut ſi pro Timere dicas Extimeſcere. Deinde inflexione, mutato modo, aut tempore, ut, Extimeſcebam. In his omnibus τὸ πρέπον obſeruare eſt neceſſe, ut oratio apta ſit, uerbaq. ipſa ad unamquamque rem accommodẽtur, ne grauitas ſine cauſſa affectata eſſe uideatur.

Et *ſi graues*] Verba rebus conuenire debent: quae quia in hoc genere grauia eſſe oportet, ideo graues etiam eligi uult ſententias, quae magnarum, & grauium ſolent eſſe rerum: de quibus dictum eſt. Omnis autem ſententia uel eſt ſimplex, atque ſolitaria, quae tantummodo docet: ut, Vos iſtaec intro auferte, abite, & cetera. uel eſt παθητική, quae auditorem etiam mouet; ut ille;

Degeneres animos timor arguit: heu, quibus ille
Iactatus fatis? quae bella exhauſta canebat?

Oſtendit autem, huiuſmodi ſententias eligendas, quae in amplificationibus, atque commiſerationibus tractari ſolent: quae quia non ſolum docent, ſed etiam mouent, graues appellantur. Et *ſi exornationes*] Vt uerba, & ſententias, ſic etiam exornationes, ipſa σχήματα, quae grauitatem habeant, adhibenda eſſe praecipit: de quibus infra diligenter docet. In *hoc genere*] Indicauit, quibus rebus ipſa grauitas conficiatur, nunc etiam exemplo rem oſtendit. Habet hoc exemplũ partes quinque, πρότασιν, αὔξησιν, ἐκφώνησιν, ὑποτύπωσιν, καὶ συμπέρασμα. Nam, *quis eſt ueſtrum,*] πρότασις figurata ἐρωτήματι. Habet autem primum membrum περιβολὴν, eſtq. περιοδικὸν, ac κοινοτενές. Nam & opinionem iudicis aſſumit, & περιφράσει orationem dilatat, dum non nominat perduellem, ſed his eum uerbis circumſcribit: Eum, qui prodere hoſtibus patriam cogitarit. Fit enim περιβολὴ uel ἐκτάσει, extenſione, atque dilatatione uerbi, cum pro uerbo utimur περιφράσει: ut cum pro filio dico, Eum, qui ab altero lucis uſum accepit. Vel fit προσλήψει, aſſumptione rerum extranearum, cum aut genus ad ſpeciem aſſumimus, ut pro domo Cicero: Cum multa diuinitus, pontifices, a maioribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt, tamen nihil praeclarius, quam quod uos eoſdem &c. Notus eſt locus. Aut partem ad totum. ut: Cum omnibus membris dolet, tum praecipue pedibus. Aut perſonae qualitas. ut: Vir fortiſſimus Milo, Cato homo ſapientiſsimus. Aut euenta, & res geſtae. ut:

Arma, uirumq. cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lauinaq; uenit
Litora. Pro, Aeneam

Qvod *maleficium*] Ἐπιμονὴ immoratio in eadem re. ter enim idem dicit: Quae poena? quod maleficium? quod ſupplicium? Verba ſunt diuerſa. Fit enim ἐπιμονὴ uel ἰσοδυναμία, quando in eadem re iiſdem uerbis immoramur: ut, Fugit, exceſsit, euaſit: pro, liberatus eſt. Vel cum diuerſis uerbis, ac ſententiis rem eandem

ſaepius

ſaepius efferimus; ut illud de Ciceronis genero, Quid tuus ille Tubero gladius,&c. IN *ijs*, *&c.*] αὔξησις συγκριτική: eſt autem comparatio ingens, & accumulata a minori ad maius. Omnis comparatio uel eſt ſimplex, cum ſingula ſingulis comparantur: ut; Parricida cum perduelli. uel eſt compoſita, cum aut plura uni cõparantur, ut in hoc loco: aut plura pluribus, ut bina binis, terna ternis: raro enim ad quatterna adſcendimus. Exempla paſsim in Cicerone ſunt obuia. Habet autem comparationis προκείμενον, id quod comparatur: & συγκρινόμενον, id cum quo comparatur. Ac, quia orator gladiator, non ſaltator eſſe debet; ἀντιμεταστάσει, uerborum tranſpoſitione uitauit ὁμοιοτέλευτον, quae figura ſuauitati, atque auribus inſeruit. HVIC *truculentiſſimo*,] προσαπόδοσις, quae ratiocinationem habet. maximum enim eſſe ſcelus oportet, cui poenam maiores non inuenerint. ATQVE *in alijs*] Prior comparatio fuit τῶν εἰδῶν: tres enim alienas ſpecies cum praeſenti contulit, ad oſtendendam maleficij magnitudinem. haec uero comparatio eſt ποσότητος. AFFINES, *&c.*] ſocij, & auctores. σύνθεσις eſt in uerbo. O. FEROS *animos.*] ἐκφώνησις. propoſuit rem grauiter, eamq. comparationibus auxit. nunc etiam motum addit, κατ' ἐπιμονὴν, in qua gradatio eſt, & incrementum. incipit enim aperte, ſcilicet ab animo: deinde ad partis trãſit actionem, cogitationes: poſtremo ponit totum, ipſum hominem. Sed eſt etiam in epithetis gradatio, ac diſtinctio: feros, crudeles, derelictos ab humanitate: Atque hoc poſtremum παρὰ τὴν φύσιν dicitur: ut Clementia inclemens, Concordia diſcors. QVID *agere*] Eſt quaſi occupatio exclamationis. QVO *pacto*] Ὑποτύπωσις, ſiue ἐνδιασκευή, parua quidem, ſed tamen huic loco apta. Breuis eſt totius maleficij diſtributio. Habet autem ἐνέργειαν, quae ſolet, ut inquit Ariſtoteles, πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, rem ipſam ante oculos ponere: ut in hoc loco indignitatem rei exprimit commemoratione incommodorum, quae in euerſione rerum publ. eueniunt. OVANTES *&c.*] cum magno gaudio. DEVM] Συναίρεσις, quae grauitati inſeruit. QVI *ſe non putant*] Sententia συλλογιστική, quam ideo poſtremo poſuit, quoniam eſt grauiſsima, atque uehementiſsima. Ex re enim minima rem indicat maximam. Nam, quid eſt uilius cinore? quod autem grauius euerſione patriae, legum, religionis, quam ille ex cinere oſtendit? Differunt autem ὑποτύπωσις, & συλλογισμός. illa enim plura, maximaq. ponit: hic uero unicum, atque ſimpliciſsimum, quod maxima illa nobis tamquam in ſpeculo proponit. NEQVEO *uerbis conſequi,*] Concluſio παθητική, atque acris, ut iudices ad uindicandum hoſtes patriae excitet. Habet autem haec prima ſententia ἀποδίωξιν ἀγανακτικήν: ſe non poſſe ſatis de hac rei indignitate dicere. Huic adiungit ἐπανόρθωσιν ἠθικὴν, ut de iudicium uirtute nihil uideatur dubitare: ſe id negligentius, hoc eſt, aequo ferre animo, quia iudices ipſius expoſitione non indigeant. VESTER] αἰτιολογία correctionis, in qua primum iudicibus ſapientiam tribuit, & amorem erga patriam: deinde ſententiam ſuam dicit cum quadam acrimonia, quae fit tractatione ſententiarum. Eſt enim ſententiae dictio in medio: Praecipitem perturbetis ex ciuitate. Vtrimque affectu eſt munita. in fronte: Qui fortunas omnium uoluerit prodere. a tergo: Quam iſte ſpurciſsimorum hoſtium dominatu nefario uoluerit obruere. Eſt etiam hoc obſeruandum, quod poſtremus affectus, qui oratoris habet ἐπίκρισιν, prolixius, grauioribus uerbis, ac epithetis, quam prior, eſt tractatus, ut aculeos in iudicum animis relinquat.

GENVS. DICENDI. MEDIOCRE

IN mediocri figura uerſabitur oratio, ſi haec, ut ante dixi, aliquantulum demiſerimus, neque tamen ad infimum deſcenderimus, ſic: Quibuſcum bellum gerimus, iudices, uidetis: cum ſociis, qui pro nobis pugnare, & imperium noſtrum nobiſcum ſimul uirtute, & induſtria conſeruare ſoliti ſunt. Hi cum ſe, & opes ſuas, & copiam neceſſariorum norunt, tum uero nihilo minus propter propinquitatem, & omnium rerum ſocietatem quid in omnibus rebus populus R. poßet, ſcire, & aeſtimare poterant. Hi, cum deliberaßent nobiſcum bellum gerere; quaeſo quae res erat, qua freti bellum ſuſcipere conarentur? cum multo maximam ſociorum partem in officio manere intelligerent; cum ſibi non multitudinem militum, non idoneos imperatores, non pecuniam publicam praeſto eſſe uiderent, non denique ullam rem, quae res pertineat ad bellum adminiſtrandum. Si cum finitimis de finibus bellum gererent; ſi totum certamen in uno proelio poſitum putarent: tamen omnibus rebus inſtructiores, ac paratiores uenirent, ne, dum illud imperium orbis terrae, cui imperio omnes gentes, reges, nationes partim ui, partim uoluntate conſenſerunt, cum aut armis, aut liberalitate a populo R. ſuperati eſſent, ad ſe transferre tantulis uiribus conarentur. Quaeret aliquis: Quid Fregellani, non ſua ſponte conati ſunt? Eo quidem minus iſti facile conareutur, quod illi, quemadmodum deſciſſent, uidebant. nam rerum imperiti, qui uniuſcuiuſque rei de rebus ante geſtis exempla petere non poſſunt, ij per imprudentiam facile deducuntur in fraudem. at ij, qui ſciunt, quid aliis acciderit, facile ex aliorum euentu ſuis rationibus poßunt prouidere. Nulla igitur re inducti, nulla ſpe freti arma ſuſtulerunt. Quis hoc credat, tantam amentiam quemquam tenuiße, ut imperium populi R. tentare auderet nullis copiis fretus? Ergo aliquid fuiße neceſſe eſt: quid aliud, niſi id quod dico, poteſt eſſe?

EXPLANATIO

IN mediocri dicendi genere eadem retinet, quae figurae graui attribuit, uerba, ſententias, & figuras. Sed uult haec omnia eſſe mediocria, ut ita demittantur, ne ad infimum deſcendamus. QVIBVSCVM] Propoſitio; differt autem hoc exemplum a ſuperiori quinque rebus. I. Primum, ὕλῃ, materia: ſuperius enim rem horribilem, & calamitoſam habuit; hoc, audacem, ac ſtultam, minuſq. periculoſam. II. Deinde, πάθει, affectu. in priore enim omnia tragica, indignatio, atque ira fuit: in hoc eſt contemptus aduerſarij, quem ſtultitia peccaſſe dicit. III. Tertio, λέξει, uerborum delectu: prius

enim habuit uerba grauiſsima, propter materiam tragicam, hoc mediocria: ſunt enim uerba rebus accommodanda. IV. Quarto, σχήμασι, figuris: in illo fuerunt ἐπιμονὴ, σύγκρισις αὐξητικὴ, ἐκφώνησις ἀγανακτικὴ, ὑποτύπωσις: in hoc ſunt tantum interrogationes, occupationes diſceptatoriae, σύγκρισις. V. Poſtremo, tractatione, ἐργασία, prius habuit commemorationem rerum peſsimarum: hoc inueſtigationem cauſſarũ, quae non nihil de grauitate remittit. in illo fuit amplificatio, in hoc eſt diſputatio. illud breuius fuit tractatum, hoc prolixius. Figura autem dicendi non ex magnitudine uniuerſi, ſeu prolixitate compoſitionis cognoſcitur, ſed ex obſeruatione ſingulorum: ut homo robuſtus ex proceritate, pectore, lateribus, ac reliquis membris conuenientibus: quae omnia ſunt conſideranda. Prima propoſitionis huius ſententia eſt ex attenuato dicendi genere: Quibuſcum bellum gerimus, iudices, uidetis, cum ſociis. Altera ſententia dignitatem habet, quoniam eſt πολιτικὴ, qua oratio paullatim aſſurgit: Qui pro nobis pugnare, & imperium noſtrum ſimul uirtute, & induſtria conſeruare ſoliti ſunt. Eſt enim ſententia dilatata προσλήψει primum totius, cum dicit, Nobiſcum: deinde τῷ τρόπῳ, Virtute, & induſtria. Ita oratio quidem habet αὔξησιν, ſed tamen mediocrem, & priori ſententia, quae eſt ex genere humili, & ſequenti διασκέψει temperata. HI *cum ſe,*] ſententia iſta lenitatem habet, & ab anteactis, & officio ſociorum ſumitur. NECESSARIORVM] ſociorum. HI, *cum delib.*] διάσκεψις τῶν αἰτίων, cauſſarum inquiſitio, quae quia eſt cõſuetudinis quotidianae, orationem facit remiſsiorem, propter praecedentem αὔξησιν. Addit tamen rurſus orationi grauitatem cauſſarum ἀπαρίθμησις, ut ex utroque genere mediocritas conſtet. Inueſtigat cauſſas temeritatis, & oſtendit, eos nihil ad tantum bellum conficiendum habuiſſe parati. Primum autem partes enumerat, ac tria potiſsimum ponit ad bellum neceſſaria: multitudinem militum, idoneos imperatores, pecuniam publicam. ea omnia remouet negando. Deinde etiam totum negat, eos rem nullam habuiſſe, quae res ad bellum adminiſtrandum pertineat: unde eorum ſtultitia, & temeritas apparet. Eſt igitur διάσκεψις illa carnoſa quidem, non tamen oſſea, quia uehementia caret. SI *cum finitimis*] αὔξησις, quae fit συγκρίσει ὑποθετικῇ. Differt haec amplificatio a ſuperiore. in genere enim graui fit ad perturbandum, atque commouendum iudicem, ut propter rei magnitudinem, atque indignitatem iraſcatur: in hoc uero genere ſimilis eſt, & placida: unde etiam affectus mouet leniores, ut in hoc loco aduerſariorum ſtoliditatem, atque imprudentiam oſtendit. QVAERET *&c.*] ἀποφορὰ κατ' ἐρώτησιν, ad diſceptandum inſtituta: quae figura rurſum ad ſubtilitatem pertinet. ſumitur autem ab exemplo aliorum, qui idẽ ſunt conati. EO *quidem*] ἀνατκαίη τῆς ὑποφορᾶς, quae acumen habet, propter aduerſariorum reprehenſionem. NAM *rerum imperiti,*] αἰτιολογία κατὰ σύγκρισιν συμβουλευτικήν: confert enim conſilia prudentum cum imprudentibus. quare, tametſi oratio etiam hoc in loco nonnihil ad grauitatẽ aſſurgit, tamen haec comparatio magis docendi, ac diſtinctionis rerum gratia, quam ornatus, adhibetur. quia non forenſis, ſed deliberatiua eſt oratio. PER *imprudentiam*] Dulce enim bellum inexpertis, qui neſciunt, quid ad bellum adminiſtrandum neceſſarium ſit. IN *fraudem.*] in malum conſilium. Eſt hic Fraus uſurpata praeter conſuetudinem. AT *ij, qui*] προσαπόδοσις. FACILE] non enim ignorant Felicem eſſe, quem faciunt aliena pericula cautum. NVLLA *igitur*] Concluſio figurata ἐπιμονῇ bimembri, & continuata, ut in mediocritate maneat. In graui enim genere trimembrem feciſſet, & diremptam: ut, Nulla igitur re inducti, arma ſuſtulerunt; nulla ſpe freti, hoſtes eſſe coeperunt; nulla iniuria laceſsiti, eum oppugnare populum conati ſunt, a quo ſemper defenſi fuerunt. QVIS *hic &c.*] ἐρώτησις μακρόκωλος, pulcherrimis uerbis facta, ne oratio humi reperet. ERGO *aliquid*] Ἐπίλογος, quo concludit, temeritate eos arma ſuſtuliſſe. utitur autem ἐρωτήσει τῆς αἰτίας, ἀντὶ τῆς ἀφαιρέσεως: quid aliud, niſi id, quod dico, eſſe poteſt? ideſt, ſtultitiam, ac temeritatem. Ita ſecundum genus omnia habet ex primo. ſed mediocria, ut neque nimis ſint grauia, neque remiſſa: & quaedam ex tenui. utriuſque enim generis particeps mediocritate quadam laudatur.

GENVS. DICENDI. TENVE

IN attenuato figurae genere, quod ad infimum, & quotidianum ſermonem demiſſum eſt, hoc erit exemplum. Nam, ut forte hic in balneas uenit, coepit, poſtquam perfuſus eſt, defricari. deinde, ubi uiſum eſt, ut in alueum deſcenderet, ecce tibi iſte de tranſuerſo, Heus, inquit, adoleſcens, pueri tui modo me pulſarunt, ſatisfacias oportet. Hic, qui id aetatis ab ignoto praeter conſuetudinem appellatus eſſet, erubuit. iſte clarius eadem, & alia dicere coepit. Hic uix tandem inquit, ſine me conſiderare. Tum uero iſte coepit clamare uoce iſta, quae facile cuiuis rubores eijcere poſſet: Ita petulans es, atque acer, ut non ad ſolarium quidem, ut mihi uidetur, ſed penes ſcenam, & in eiuſmodi locis exercitus ſis. Conturbatus eſt adoleſcens: nec mirum, cui etiam nunc paedagogi lites ad auriculas uerſarentur, imperito eiuſmodi conuiciorum. ubi enim iſte uidiſſet ſcurram exhauſto rubore, qui ſe putaret nihil habere, quod de exiſtimatione perderet, ut omnia ſine famae detrimento facere poſſet? Igitur genera figurarum ex ipſis exemplis intelligi poterunt. Erit enim & attenuata uerborum conſtructio quaedam, & item alia in grauitate, alia poſita in mediocritate.

EXPLANATIO

ATTENVATVM dicendi genus, quod etiam Tenue, Humile, ac Subtile dicitur, ſanum eſt, & nudum, atque ſimplex; ſed non ſine neruis, ac uiribus, ut de Oratore inquit Craſſus. caret enim exornationibus, ſermonis quotidiani puritate, collocatione ſimplici, figuris non magnis, ſententiis philoſophicis, moratis, ac prudentibus, numeris leuibus, clauſulis, quae uel inciſim, uel membratim fiunt, conſtans. Exemplo ſunt Terentius, Virgilij Bucolica, epiſtolae Ciceronis, &c,

NAM, *ut forte*] Exemplum tertij generis, quod eſt quaſi ἀσχηματιστὸν, ſiue quod nullas habeat figuras, ſiue quod non magnas habet, ſed humiles. Habet hoc exemplum ἀφήγησιν ἁπλῆν, expoſitionem ſimplicem abſque ornatu: in qua ordo rei geſtae naturalis obſeruatur. IGITVR *genera*] Concluſio tractationis exemplorum, ex quibus dicēdi genera facile intelligi poſſe dicit. exempla enim ſingulis accommodauit generibus: ut inde cuiuſuis natura, ut proprietas poſsit perſpici. ERIT *enim*] Repetit, aliam in tenui, aliam in graui, aliam uero in mediocri dicendi genere compoſitionem, ac conſtructionem eſſe. Attenuatam conſtructionē uocat, quae non inſeruit auribus, quia non eſt numeroſa, & habet uerba humilia. ALIA *in grauitate, alia &c.*] Contrariā omnino habent conſtructionem attenuatum, & graue dicendi genus: in illo enim omnia ſunt humilia, in hoc uero grauia. Eſt autem triplex apud auctores grauitas: nam & poetae, & hiſtorici, & oratores graues ſunt: qui tamen omnes inter ſe differunt. Apud poetas enim tragici utuntur uerbis poeticis, recens factis, antiquatis, &, ut Ariſtoteles appellat, γλώττας. Hiſtorici propria quidem habent, ſed tamen etiam multa habene accommodata temporibus, & moribus uetuſtis: ut Liuius in duobus prioribus libris. Oratores autem ſua e media populi conſuetudine ſumunt, & propriis, atque uſitatis utūtur. Sed hi primum delectum habent, & ſignificantiora eligunt. Eſt enim delectus in ipſa ſignificatione: ut ſcelus, & flagitium idem ſunt, & tamen orator eliget poſtremum. Deinde in collocando diligentiam adhibent, dum interdum uerbum humile reddunt grauius additione. Vt, Concidere urbem, eſt quotidianum, & humile: additione, fit grauius, ut in mediocritate tamen maneat: Vrbem concidere incendio. fit grauiſsiſsimum congregatione uerborum: Vrbem incidere incendio conflagratam. Haec collocatio uocatur σεσωρευμένη, condenſata, atque coaceruata. Hactenus de generibus dicendi: nunc de uitiis eorum dicit.

VITIVM MEDIOCRITATIS

EST *autem cauendum, ne, dum haec genera conſectemur, in finitima & propinqua uitia ueniamus. Nam graui figurae, quae laudanda eſt, propinqua eſt ea, quae fugienda eſt: quae recte uidebitur appellari, ſi ſufflata nominabitur. nam, ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſaepe, ita grauis oratio ſaepe imperitis uidetur ea, quae turget, & inflata eſt, cum aut nouis, aut priſcis uerbis, aut duriter aliunde tranſlatis, aut grauioribus, quam res poſtulat, aliquid dicitur, hoc modo: Nam, qui perduellibus uenditat patriam, non ſatis ſupplicij dederit, ſi praeceps in Neptunias depulſus erit lacunas. Paenitet igitur iſtum, qui montes belli fabricatus eſt, campos ſuſtulit pacis. In hoc genus plerique cum declinaſſent, & ab eo, quo profecti ſunt, aberrauerunt; & ſpecie grauitatis falluntur, nec perſpicere poſſunt orationis tutorem.*

EXPLANATIO

SOLENT fideles doctores non ſolum ea tradere, quae ſequamur; ſed etiam, quae nobis fugienda ſunt, oſtendere. Id cum hic auctor in ſuperioribus ſtudioſe fecerit, hoc quoque in loco ſibi non eſſe negligendum putauit. Cum igitur hactenus dicendi generum uirtutes expoſuerit; (nam, quod uirtutibus euenire ſolet, ut ſua habent adiuncta uitia, id etiam orationi accidit) nunc de propinquis eorum uitiis agit.

EST *autem*] Προκατάστασις. NE, *dum*] nam, ut inquit Horatius, Decipimur ſpecie recti: quia ſaepe ita ſunt propinqua uirtutibus uitia, ut agnoſci uix poſsint: atque adeo, ut, quemadmodum idem inquit,

Dum uitant ſtulti uitia, in contraria currunt.

NAM *graui*] Πρότασις: graui figurae eſt oppoſita ſufflata. NAM *ita*] αἰτιολογία καθ' ὁμοίωσιν. Recte oratio homini comparatur: multis enim modis illi ſimilis eſt. unde mores, ingenium, color, ſanguis, caro, oſſa, cutis, membra, & ſimiles in oratione appellationes. Sed, quemadmodum a uirtutibus, & iis, quae bona ſunt in homine, oratio nomina accipit: ſic etiam a uitiis, ac qualitatibus malis. unde tumor, diſſolutio, ſiccitas: graui autem orationi, tumida, & inflata eſt uicina. CVM *aut nouis, aut &c.*] Oſtendit, quibus uerbis oratio fiat inflata: ſcilicet nouis, priſcis, duriter tranſlatis, & grauioribus, quam res poſtulat. Conſtant uitia ex iiſdē rebus, quibus uirtutes: ſed uerba tantum ponit, quod in iis potiſsimū tumor conſpiciatur. Noua ſunt Thraſonica, & arrogantiae ſpeciem habent: quae non modo inuentione noua ſunt, ſed etiam compoſitione, cum ex ſimplicibus inuſitato modo nouo facimus. Priſca propter perſonarum nimis antiquam grauitatem, tumidam reddunt orationem, ut Hercules, aut Romulus loqui uideatur. Duriter tranſlata ſunt, quae ſunt longe petita, nec ſimilitudinem habent conuenientem: ut montes belli, campus pacis, lacus Neptuniae. His loquendi conſuetudo, tametſi ſimilitudo nota ſit, repugnat. Eſt enim conſuetudo, ut in propriis, ſic etiam in tranſlatis obſeruanda. Verba grauiora ſunt, ὑπερβολικά, quibus fides adhiberi non ſolet, aut etiam ſonantiora, ut in hoc loco, perduellionibus pro perduellione. eſt enim grauior pluralis ſingulari. Talia ſunt, quae Horatius in propoſitione ſcriptoris Cyclici reprehendit:

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Sententiae etiam, & exornationes orationem faciunt tumidam: cum ſententiae falſae, leues, nullae ſunt, aut non aptae rei, cui accommodantur: & cum exornationes non adhibentur ſuo loco. quod cum fit, orationem non magis decent, quam paſtorem purpura. Dicitur autem inflatum orationis genus, & tumidum, metaphora ſumpta a corporibus humanis. Nam, ut in corporibus habitus boni ſaepe

in malum conuertuntur: ita etiam oratio grauis uicinam habet ſufflatam, & tumentem: quae tametſi ſit carnoſa, tamen nec neruos bonos, nec lacertos firmos, nec ſanguinem uerum habet. Facile autem uitia poſſunt uitari, ſi, quibus ex rebus uirtutes conſtant, de quibus eſt ante dictum, animaduertimus. NAM, *qui perduellionibus*] Nunc exemplum ponit huius uitij, breue quidem, ex quo tamen facile, quale illud ſit, intelligitur. Hic primum ſtatim uerbum tumet, propter numerum, & prolixitatem. eſt enim affectatio in Venditat. NON *ſatis ſupplicij*] Pati ſupplicium, dicimus; non, dare: aut ſaltem raro: at eſt in raro etiam uſitatis tumor. Primum igitur durum fit compoſitione, deinde collocatione, quia cum tetraſyllabo coniungitur. SI *praeceps*] Etiam hoc duabus de cauſsis tumet: eſt enim metaphora dura, Neptuniae lacus, pro mari, & a Romana loquendi conſuetudine remota. Deinde additur ἀρχαϊσμὸς, Depultus, pro Depulſus: nimis enim eſt antiquum. QVI *montes*] ideſt, pericula, magnitudinem, curam, & ſolicitudinem belli. CAMPOS] tranquillitatem, commoditates, otium: durae, & inflatae omnino ſunt metaphorae. IN *hoc genus*] Concluſio: difficile eſt omnino tenere medium. dum enim unum uitamus uitium, in alterum incidimus. Nunc de Mediocritatis uitio.

VITIVM. MEDIOCRITATIS

QVI in mediocre genus orationis profecti ſunt, ſi peruenire eo non potuerunt, errantes perueniunt ad confine genus eius generis, quod appellamus fluctuans & diſſolutum; eo quod ſine neruis & articulis fluctuat huc & illuc; nec poteſt confirmare, nec uiriliter ſeſe expedire. id eſt huiuſmodi: Socij noſtri cum belligerare nobiſcum uellent, profecto ratiocinati eſſent etiam, atque etiam quid poſſent facere, ſi quidem ſua ſponte facerent, & non haberent hic adiutores multos & malos homines, & audaces. ſolent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia uolunt agere. Non poteſt huiuſmodi ſermo tenere attentum auditorem: diffluit enim totus, neque quidquam comprehendens perfectis uerbis amplectitur.

EXPLANATIO

MEDIOCRITAS confine habet uitium, fluctuans, atque diſſolutum orationis genus: illud ab aquis, hoc uero ab humano corpore μεταφορικῶς appellationem ſumit. Vt enim neque aqua fluctuans, tenere curſum ſuum, neque membra ſe mouere, & officio ſuo fungi poſſunt, ſi neruis, & articulis, quibus connectantur, careant: ita etiam oratio pendula, fluctuans, atque diſſoluta erit, niſi neruis & articulis recte coniungatur. Eſt enim hoc uitium, nō ut ſuperius, in uerbis, quae bona ſunt: ſed in uerborum, inciſorum, ac membrorum connexione uitioſa: qua ipſa continuatio, ut in aqua curſus, aut in humano corpore motus, impeditur. FLVCTVANS,] quod curſum ſuum tenere non poteſt. DISSOLVTVM:] quod membra non bene connexa habet. SINE *neruis*,] recta membrorum connexione: explicat metaphoram. id enim diſſolutum eſt quod non eſt recte connexum. ARTICVLIS] recta inciſorum uſurpatione. CONFIRMARE,] interſpirando, & ſeparando membra a membris, & inciſa ab inciſis. NEC *uiriliter &c.*] ideſt, non poteſt ſententiam perficere in clauſulis, quae mentem implere, & proprium afferre numerum debent, ut auribus ſatisfaciat. SOCII *noſtri*] Exemplum diſſolutionis. ſunt haec elegantia quidem, ſed numero & articulis carent. Deinde etiam cum propoſitione ratio eſt coniuncta, quae commodius dirimi potuiſſent. Incurrunt hoc uitium complures huius temporis ſcriptores, dum compoſitionem plane negligunt. SIQVIDEM] Ratio propoſitioni ſine ulla connexione, & ordine adiuncta. potuiſſet autem particulam Praeſertim addere, aut ſimilem. SOLENT] Etiam hoc ſine articulo eſt adiunctum. QVI *magna negotia*] Hoc in loco σύνθεσις, & ἀνάπαυσις uitioſa eſt. debet enim ἀνάπαυσις, & ſententiam abſoluere, & efficere, ut auribus ſatisfiat: quod fit, cum ſententia in fine bene cadit. NON *poteſt*] Oſtendit huius uitij incommodum, quod non mediocre eſſe ſolet. nam, cum orationis finis ſit aut docere, aut mouere alios, neutrum aſſequemur, ſi tenere auditorem non poterimus. DIFFLVIT] Ratio: diffluit, ut aqua, a qua metaphora ſumitur. neque quidquam perfectis uerbis amplectitur: quoniam neruis caret, nec abſolutam habet ſententiam. Supereſt, ut de Subtilitatis uitio dicamus.

VITIVM. ATTENVATIONIS

QVI non poſſunt in illa facetiſſima uerborum attenuatione commode uerſari; ueniunt ad aridum, & exſangue genus orationis, quod non alienum eſt exſile nominari, cuiuſmodi eſt hoc: Nam iſtic illo in balneas acceſſit: ad hunc poſtea dixit, hic tuus ſeruus me pulſauit. poſtea dixit hic illi, conſiderabo. poſt ille conuicium fecit, & magis magiſq. praeſentibus multis clamauit. Friuolus hic quidem iam, & illiberalis eſt ſermo. non enim adeptus eſt id, quod habet attenuata figura, puris uerbis & electis, compoſitam orationem. Omne genus orationis, & graue, & mediocre, & attenuatum, dignitate afficiunt exornationes, de quibus poſt loquemur: quae ſi rarae diſponentur, diſtinctam ſicuti coloribus; ſi crebrae collocabuntur, oblitam reddunt orationem. Sed figuram in dicendo commutari oportet, ut grauem mediocris, mediocrem excipiat attenuata. deinde identidem commutentur, ut facile ſacietas uarietate uitetur.

EXPLANATIO

HOC in loco primum oſtendit ſubtilis,ſiue attenuatae orationis uitium: deinde figurarum proprium: poſtremo dicendi genera commutanda eſſe monet. Subtilitatis uitium,orationis genus aridum,exſangue,& exſile uocat: ab humano corpore,ut in aliis,ſumpta metaphora. Habet hoc uitium uerba quidem propria,ſed abiecta,& compoſitionem ineptam,atque puerilem. quare ad contemptam omnino loquendi formam,ab illa facetiſsima uerborum attenuatione declinat. NAM *&c.*] Exemplum orationis aridae. quod quia ex attenuatae dicendi figurae exemplo ſumptum eſt, facile animaduerti poteſt,quale ſit hoc uitium. FRIVOLVS] *ἐπίκρισις* oſtendit duo in hoc ſermone uitia: quorum alterum uerborum eſt, quia eſt illiberalis,nec uerba habet plura: alterum uero compoſitionis,quia uerbis caret electis: repetitiones autem, & connexiones habet ineptas,unde friuolus efficitur. OMNE *genus orationis*] Principio in omnibus artibus forma conſtituenda eſt,tum partes,& materia tradenda. Cum igitur hactenus de tribus dicendi generibus praecepta tradiderit,eorumq. partes,ac materiam,uerba,ſententias,& figuras oſtenderit, tum, quae ſingulorum generum uitia eſſent, indicarit: nunc eorum oſtendit proprium, & genera inter ſe miſcenda eſſe docet. Eſt autem & grauis,& mediocris, & attenuati proprium dignitas: ea uero aeſtimantur ex figurarum quantitate. Nam,ſi rarae diſponentur,diſtinctam,ideſt conuenientem,ſicuti coloribus: ſi crebrae collocabuntur, oblitā, ideſt,unguentoſam,& inflatam reddunt orationem. Sumpta eſt metaphora a rebus,quae unguentis,aut pinguedine oblinuntur. SED *figuram*] Nulla eſt oratio Ciceronis,quae ex una tantum dicendi forma cōſtet. Nam,tametſi pro Caecina ſubtilis,pro Milone uero grauis ſit: tamen & illa multa habet grauia, & haec attenuata. Quare prudenter hoc in loco monet, figuras eſſe miſcendas: cuius rei duae ſunt cauſſae. Nam aut neceſsitas cogit,aut delectatio ſuadet. Illam res afferre ſolent,pro quarum natura,ac uarietate oratio quoque uarianda eſt: ut parua remiſſe,magna grauiter,mediocria neque nimis attenuato,neque nimis ſubtili orationis genere efferamus. Spectatur autem neceſsitas uel in toto: ut in Milonis, Roſciiq. cauſſa grauitas orationis requiritur,quoniam utroque cauſſa grauis eſt, uel in aliqua tantum parte, cum dicendi figura mutatur, eius rei gratia, quae extra cauſſam incidit. ut in Caeriniana, de ſocio malo, &c. Huiuſmodi loci multi ſunt in Verrinis,quae alioqui graues ſunt. Delectatio auditoris gratia admittitur, ne defatigatur ſatietate, quae uarietate figurarum, ac periodorum facile uitabitur. Nam, cum in periodis potiſsimum dignitas ſpectetur, quae orationem grauem reddunt, cum ſunt productae, ideo uariandae ſunt, ut ſex,aut quinque membrorum: quadrimembris,huic trimembris, aut bimembris ſuccedat, quae ſunt mediocritatis, & attenuationis.

ELOCVTIO. PERFECTA

QVONIAM, *quibus in generibus elocutio uerſari debeat, dictum eſt; uideamus nunc quas res debeat habere elocutio commoda, & perfecta. Quae maxime admodum oratori accommodata eſt, tres res in ſe debet habere, elegantiam, compoſitionem, dignitatem. Elegantia eſt, quae facit ut unumquodque pure, & aperte dici uideatur. Haec diſtribuitur in latinitatem, & explanationem. Latinitas eſt, quae ſermonem purum conſeruat ab omni uitio remotum. Vitia in ſermone, uno minus is latinus ſit, duo poſſunt eſſe, ſoloeciſmus & barbariſmus. Soloeciſmus eſt, cum in uerbis pluribus conſequens uerbum ſuperiori non accommodatur. Barbariſmus eſt, cum uerbum aliquod uitioſe effertur. Haec qua ratione uitare poſſimus, in arte grammatica dilucide diſcemus. Explanatio eſt, quae reddit apertam, & dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, uſitatis uerbis, & propriis. Vſitata ſunt ea, quae uerſantur in ſermone, & conſuetudine quotidiana. Propria, quae eius rei uerba ſunt, aut eſſe poſſunt, qua deloquemur. Compoſitio eſt uerborum constructio, quae facit omnes partes orationis aequaliter perpolitas. ea conſeruabitur, ſi fugiemus crebras uocalium concurſiones, quae uaſtam, atque hiantem orationem reddunt, vt hoc eſt. Baceae aeneae amoeniſſime impendebant. Et ſi uitabimus eiuſdem litterae nimiam aſſiduitatem, cui uitio uerſus hic erit exemplo: nam hic nihil prohibet in uitijs, alienis exemplis uti:*

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.

Et hic eiuſdem poetae:

Quidquam quiſquam cuiquam, quod conueniat, neget?

Et ſi eiuſdem uerbi aſſiduitatem nimiam fugiemus: ea eſt huiuſmodi: Nam cuius rationis ratio non exſtet, ei rationi ratio non eſt fidem habere. Et ſi non utemur continenter ſimiliter cadentibus uerbis, hoc modo: Flentes, plorantes, lachrymantes, obteſtantes. Et ſi uerborum tranſiectionem uitabimus, niſi quae erit concinna; qua de re poſterius loquemur: quo in uitio eſt Lucilius aſſiduus, ut hoc eſt in priore libro: Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Aeli. Item, fugere oportet longam uerborum continuationem, quae & auditoris aures, & oratoris ſpiritum laedit. His uitiis in compoſitione uitatis, reliquum operis conſumendum eſt in dignitate. Dignitas eſt, quae reddit ornatam orationem uarietate diſtinguens. haec & in uerborum, & ſententiarum exornationem diuiditur. Verborum exornatio eſt, quae ipſius ſermonis inſignita continetur perpolitione. Sententiarum exornatio eſt, quae non in uerbis, ſed in ipſis rebus quandam habet dignitatem.

EXPLANATIO

BIPARTITA fuit huius praeceptionis κατάςασις. Pars prima, cuius in rebus ſemper omnis oratoria Elocutio debeat eſſe, abſoluta eſt: nunc ad alteram partem, quas res debeat habere elocutio commoda, tranſitionem facit. Idea omnis ex elocutione ſua cognoſcitur, elocutio autem oratori accommodata, tres res in ſe debet habere, Elegantiam, Compoſitionem, Dignitatem. In oratore addit aptitudinem, ſed hic ſub dignitate comprehenditur: quoniam dignitas nihil eſt aliud, quam ornatus conueniens, & decorus. Elegantia eſt, orationis εὐκοσμία, ornatus bonus, ideſt, puritas, & perſpicuitas. Cicero Elegantiam, Hermogenes σαφήνειαν appellat. Diſtribuitur autem in Latinitatem, & explanationem. Latinitas ab Hermogene appellatur καθαρότης, ab Ariſtotele ἑλληνισμὸς, ab Atticis Atticiſmus dicebatur, a Latinis Puritas, quoniam ſermonem purum conſeruat ab omni uitio remotum: de quo grammaticorum exſtant praecepta. Ariſtoteles in Rhetoricis in particulis poſitum eſſe tradit; quarum ſane obſeruatio etiam apud Latinos non modo utilis, uerumetiam neceſſaria eſt. Vitia, quae ſermonem non Latinum faciunt, duo ſunt, Soloeciſmus, & Barbariſmus. Soloeciſmus in uerborum connexione fit, cum accidentia partium orationis, genera, caſus, tempora, modi, perſonae, &c. perturbantur. Barbariſmus eſt in pronunciatione uitioſa, cum aut corripimus, aut producimus ſyllabam uel non producendam, uel non corripiendam. Quamquam pluribus modis fieri ſolet, idq. in ſingulis uerbis: de quo uide Quinctil. lib. I. cap. 5. Excuſantur haec aliquando conſuetudine, auctoritate, uetuſtate, uicinitate uirtutum: quod obſeruandum eſt, ne fallamur. Explanatio εὐκρίνεια eſt, quae reddit apertam, & dilucidam orationem, ſi uerba recte collocentur, ſi ſententiae ſint apertae, ſi partitiones perfectae. Hoc in loco uerba tantum ei tribuit κατ' ἐξοχὴν: quoniam, ſi cetera omnia ſunt perſpicua, uerba autem ſint obſcura, totam orationem obſcuram eſſe neceſſe eſt. Quae de Latinitate praecipiuntur, ad grammaticam pertinent; quae uero de explanatione, ea orationis ſunt. Compoſitio συνθήκη, ἢ σύνθεσις, ἐςὶ πάντων τῶν μερῶν εὐταξία. fit enim collocatione uerborum non immutata. qualis autem eſſe debeat, ex uitiis oſtendit. Tria enim in componendo maxime ſunt cauenda: ne ratio ſit hiulca, ne ſit aſpera, ne ſit obſcura. his enim tribus κακοσυνθεσία fieri ſolet.

SI *fugiemus*] Hiulcus ſonus orationis, uocalium fit concurſu: cum & incipit a uocali uerbum, & in uocalem deſinit. ut in hoc exemplo. Baccae aeneae amoeniſsime impendebant. Duplex autem obſeruanda eſt exceptio. nam aut in una tantum diſtinctione lenis uocalium eſt concurſus, aut in diuerſis. In una dictione uocales aut ſimpliciter coeunt, ut in Orion, Oaxes, Deus, &c. aut figurate, cum uel una fit ex ſyllabis duabus, uocali in conſonantem tranſeunte: ut in abiete apud Maronem. uel diphthongus conſtituitur, ut apud eundem in Reiice capellas. non enim ſunt proceleuſmatici, ut Grammatici opinantur: ſed illud figura fit triſyllabum, hoc uero diſſyllabum. In diuerſis leniter concurrunt I, & E: ut,

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

Item I, & V: ut,

Vt uidi, ut perij, ut me malus abſtulit error.

Sic etiam O, & A: ut,

Te Coridon, o Alexi, &c.

ET *ſi uitabimus*] Aſperitas orationis tribus modis fieri ſolet, & continuatione conſonantium, & aſsidua eiuſdem uerbi repetitione, & uerborum fine. Continuãtur conſonantes, uel concurſu aſpero, & ſcabroſo: ut, Felix Xerxes, Vrbs Zacynthos. Vel puerili, & inepta repetitione, ut in hoc uerſu Ennij,

O Tite, tute, Tati, ſibi tanta tyranne tuliſti.

NAM *hic nihil*] Occupatiuncula contra obiectionem: quoniam alienis exemplis in elocutione utendum non eſſe, ſatis prolixe in prooemio demonſtrauit. Sed in hoc loco obſeruandum eſt, ſaepe etiam conſonantiũ non inſuauem eſſe repetitionem, ut in illo Virgilij,

Et ſola in ſicca ſeccum ſpatiatur arena.

Apud ueteres enim uim habuit conſonantis, & uocalis: propterea in fine elidebatur. ET *ſi eiuſdem uerbi*] Repetitione uerbi eiuſdem uitioſa, fit oratio aſpera. Eſt autem uitioſa repetitio, cum fit ſine ratione, ac neceſſitate, uocaturq. ταυτολογία, ut in hoc exemplo: Nam, cuius rationis ratio non exſtat, &c. Si uero eam neceſsitas exigit, non ſolum ſuauis eſt, & grata, ſed ornata quoque: uocaturq. πλοκὴ, de qua infra. ET *ſi non*] Finis uerborum orationem reddit aſperam, cum uerbis utimur continenter ſimiliter cadentibus: ut,

Non cauponantes bellum, ſed belligerantes.

In membris, ſiue inciſis laudem habet, & inter ornamenta numeratur ὁμοιόπτωτον: de quo infra. ET *ſi uerborum tranſiectionem*] Tertium compoſitionis uitium eſt obſcuritas, quae fit uel συγχύσει, uel περιβολῇ. σύγχυσις, ἢ ὑπέρθεσις, uerborum tranſiectio eſt, cum ea diſiunguntur, quae ſunt coniungenda: in quo Lucilium fuiſſe aſsiduum dicit. Fiunt enim ὑπέρβατα laudabiliter, cum aut conſuetudo, aut uirtus, aut neceſsitas. Conſuetudo in uerbis eſt, ut, Per mihi humanum uidetur, apud Ciceronem. Virtus ornatu aeſtimatur, quo uitatur uitium: ut, cum adiectiuum a ſubſtantiuo ſeparatur: quod apud poetas fere ſemper, apud oratores, ſaepe eſt laudabile. Neceſsitas eſt, cum uitari ὑπέρβατα non poſſunt: quod fit, cum ſententiae, quae omitti non poſſunt, interponendae ſunt. Vitatur autem aut praepoſitione, aut poſtpoſitione, quod ſemper faciendum eſt, cum fieri poteſt. ITEM, *&c.*] Longa uerborum continuatio eſt, quae a Graecis Περιβολὴ dicitur: ea fit nimia periodorum longitudine, quae uel membrorum prolixitate, uel multitudine cenſentur. Cauſſam oſtendit

dit huius uitij, quod auditoris aures, & oratoris ſpiritum laedat. HIS *uitiis*] Ἡ κατάστασις πρὸς τὸ ἀξίωμα. DIGNITAS *eſt*,] Elocutionem commodam in Elegantiam, Compoſitionem, atque Dignitatem diuiſit. Inter primum, & ultimum hoc intereſt: quod Elegantia neceſſaria, Dignitas uero honoraria eſt. Quod hic Dignitatem uocat, Quinctilianus Ornatum appellat: Graeci ἀξίωμα, καὶ μεγαλοπρέπειαν. Omnis autem dignitas uel ex ſingulis uerbis eſt, uel ex continuatis, coniunctisq. conſtat. Singula uel ſunt propria, uel translata, uel nouata. Propria dicuntur certa, quia rem certam deſignant; & paene una cum ipſis rebus nata, quia uſu omnium ita principio ſunt recepta. In his delectus eſt quidam habendus: ſunt enim propria, aut uſitata, aut non uſitata: illa rurſus ſunt aut lecta, atque illuſtria, aut abiecta. Abiecta ſunt, quae continuata orationem contemptam reddunt: qualia ſunt, uel nimis trita uulgo, uel uilia, uel impudica, uel ſordida. His prope omnibus epigrammatographi, & ſatyrici frequenter utuntur: ut etiam ſaepe medici, & ruſticarum, atque aliarum rerum ſcriptores, quibus id turpe non eſt, quod illos materia excuſat. Lecta ſunt, quae cetera eiuſdem rei uocabula praecellunt: ſic dicta, quod a doctis ſint ex aliis eiuſdem generis delecta. Illuſtria orationi lumen, ac ſplendorem afferunt. Inuſitata etiam ſunt duplicia: uel enim ſunt obſoleta, uel a conſuetudine ferri poſſunt, & ſunt illuſtria. Obſoleta ſunt, quae ſunt ita antiquata, ut in uſum ſine reprehenſione non poſsint reuocari. Illuſtria ſunt, quae, tametſi ſunt priſca fere, ac uetuſta, & ab uſu quotidiani ſermonis iam diu intermiſſa: non tamen ſunt omnino a doctis relicta; quibus ſuo loco poſitis, fit oratio grandior, & antiquior. In propriis eſt igitur uerbis illa laus oratoris, inquit Craſſus, ut abiecta, atque obſoleta fugiat, lectis, atque illuſtribus utatur: in quibus plenum quiddam, & ſonans ineſſe uideatur. In his omnibus delectus eſt habendus, qui & animi iudicio, & aurium trutina, ac bene loquendi conſuetudine ponderatur. Inuſitata igitur illa uetuſta, a poetis, atque aliis doctis hominibus uſurpata, orationem illuſtrant, atque exornant: Cuiuſmodi ſunt, proles, ſoboles, tempeſtas, effari, nuncupari, rebar, opinabar, & ſimilia. Nam, tametſi poetis tantum conceſſa uideantur, qui liberiores ſunt, quam oratores: tamen his etiam eiuſmodi uerbis uti licet, cum orationi dignitatem afferent. Quod fieri ſolet, cum aut rerum, aut morum, aut perſonarum amplitudo, & antiquitas illa requirit: quod non modo Virgilius, diligentiſsimus compoſitionis, ac proprietatis poeta, ſed etiam Liuius in prioribus libris obſeruauit. Hactenus de propriis. Nouata, uel noua (utraque enim appellatione Cicero utitur) ſunt ea, quae ab eo, qui dicit, ipſo gignuntur, ac fiunt: uel coniunctione, ut expectorare, & uerſutiloquus, apud Ennium: uel ſine coniunctione aliqua nouitate, ut indigenitalis ab indigena, incurueſcere ab incuruo. in his, auribus, ac conſuetudini parcendum eſſe Craſſus monet. Translata in Partitionibus uocat modificata, & inflexa, Graeci τετραμμένα καὶ τρόπους, quod uerbum Craſſus ſecutus, modos appellauit: quae tamquam ſtellis quibuſdam notant, & illuminant orationem. Ea late patent: nam in tertio Rhetoricorum Ariſtoteles omnes modos, quibus ſignificatio propria in alienam mutatur, ſub metaphora comprehendit. Duo ſunt genera tranſlationis: unũ neceſsitatis, alterum uoluptatis. illud quaſi mutuatio eſt, cuius cauſſa eſt inopia, & anguſtia uerborum, cum, quod non habes, aliunde ſumis: ut cum gemmare uites, & laetas, atque ſitientes ſegetes agricolae dixerunt. Hoc uero genus, quod non inopiam indicat, ſed orationi ſplendoris aliquid accerſit, audacius eſt: quia delectatione frequentatum eſt. Vt igitur cauſſae, & genera duo ſunt tranſlationis, ita etiam uſus duplex eſt: unus neceſſarius, alter delectationis, ac iucunditatis, qui eſt laudabilis, cum tranſlationes propriis ſunt uenuſtiores, ſiue claritate, ſiue ſignificatione, ſiue breuitate. Omnis autem μεταφορὰ fit in uerbis propriis, quae aliquam cum iis, ad quae tráſferuntur, habent ſimilitudinem. Plura de tráſlationis modis, uirtutibus, uitiis, uide apud Ciceronem in tertio de Oratore, Ariſtotelem in tertio ad Theodecten, & Quinctilianũ in octauo. Atque hactenus de uerbis ſingulis, in quibus egregium, atque mirabile aliquid praeſtat orator, ſi tranſlatis utatur frequenter, interdum factis, raro autem peruetuſtis. Sequitur uerborum continuatio, συνθήκη, in qua primum conſecutio, deinde numerus, poſtremo habitus quaſi quidã eſt ſpectandus. Cõſecutio, ſiue collocatio, quae a Graecis σύνθεσις dicitur, eſt uerborum compoſitio, qua & Latini ſermonis puritas cõſeruatur, & effingitur concinnitas, & aurium cõparatur oblectatio. Cõcinnitatis eſt, componere, & ſtruere uerba ſic, ut ſit oratio iuncta, cohaerens, lenis, aequabiliter fluens. Id aſſequimur, ſi uerba extrema cũ conſequentibus primis ita iungimus, ut ne ue aſpere concurrant, ne ue uaſtius diducantur, ne ue generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus, in quibus Latini ſermonis puritas conſiſtit, perturbetur oratio. Hac de re ſupra etiam dictum eſt in partibus elegantiae. Numerus oratorius, qui a Graecis ῥυθμὸς dicitur, ex uerborũ quodã modo, atque forma naſcitur. Habet n. unũquodque uerbum modum ſuum, atque cautum, qui conſtat ex acuto, & graui, medioq. uocis ſono. habet etiã numerum: ut dicere — ∪∪. patulae ∪∪ — fagi — — Deus ∪∪, &c. Forma uerborum concluſio a Craſſo appellatur, qua ſententia modis illigata, atque uincta immutatione ordinis relaxatur, ne quaſi certa aliqua lege uerſus eſſe uideatur. Ex his igitur duobus, modo, atque forma, numerus conſtat oratorius: qui non pedes, ſed tempora metitur. Huius exercitatione efficitur, ut oratio neque fluat, neque uagetur, neque inſiſtat interius, neque excurrat longius: ſed ut membris diſtinguatur, & concluſiones uerborum, hoc eſt periodos habeat. Conſideratur igitur numerus oratorius in inciſis, in membris, in periodis, & in ipſis potiſsimum clauſulis. De his uide Ariſtot. Ciceronem in 3. de Oratore. Sequitur habitus orationis, & quaſi color quidam uenuſtatis, non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus: qui uerborum, ac ſententiarum conſtat conformatione, quã hic auctor exornationem uocat: Graeci σχῆμα, quae nihil eſt aliud, quam διασχημάτισιν τοῦ λόγου. Exornatio enim a Graecis σχηματισμὸς dicitur: quos ſecutus Cicero, conformationem appellauit, qua oratio quaſi luminibus ſententiarum, ac uerborum diſtinguitur, atque frequentatur. Eius enim haec duo genera ſunt. Inter uerborum τῶν λέξεων, ἢ τῶν ῥημάτων, καὶ ὀνομάτων, ut Ariſtoteles appellat, & ſententiarum τῆς διανοίας conformationem hoc intereſt, ut Fabius indicat, quod uerborum tollitur, ſi uerba mutaris: ſentẽtiarum permanet, qui-

buſcumque

buſcumque uerbis uti uelis. Verborum autem exornationes rurſus bipartitae ſunt: aut enim uerborum poteſtatem oſtendunt, aut ad eorum tractationem referuntur. Poteſtatem oſtendunt uerborum λέξεις τετραμμέναι, ut Hermogenes appellat, Ariſtoteles μεταφοράς, Quinctil. & alij τρόπους uocant. Ad tractationem uero referuntur eae, quae delectum habent, ut uel ponas uerba, ut in repetitione, & conuerſione: uel omittas, ut in diſſoluto, & reticentia: uel tranſponas, & immutes, ut in traductione, & aliis: uel continues, atque comprehendas, ut in inciſis, membris, ac periodis, &c. idem enim in ceteris etiam obſeruari poteſt. Sed hoc in loco auctor figurae appellatione, qua generaliter, non proprie utitur, etiam τρόπους comprehendit, quos tamen infra a uerborum exornationibus uidetur diſtinguere.

R E P E T I T I O

Repetitio eſt, cum continenter ab uno, atque eodem uerbo in rebus ſimilibus, & diuerſis principia ſumuntur, hoc modo: Vobis iſtud attribuendum eſt, uobis gratia habenda, uobis res iſta erit honori. Item: Scipio Numantiam ſuſtulit, Scipio Carthaginem deleuit, Scipio pacem peperit, Scipio ciuitatem ſeruauit. Item: Tu in forum prodire, tu lucem conſpicere, tu in horum conſpectum uenire conaris? audes uerbum facere, audes quidquam ab iſtis petere, audes ſupplicium deprecari? Quid eſt, quod audeas poſtulare? quid eſt, quod tibi putes concedi oporte re? Non iuſiurandum reliquiſti? non amicos prodidiſti? non parenti manus intuliſti? non denique in omni dedecore uolutatus es? Haec exornatio cum multum uenuſtatis habet, tum grauitatis, & acrimoniae plurimum. quare uidetur eſſe adhibenda & ad exornandam, & ad augendam orationem.

E X P L A N A T I O

Dignitatem diuiſit in exornationes uerborum, & ſententiarum: nunc, eaſdem tractaturus, principiũ ſumit a repetitione, quae eſt non modo uenuſtiſsima, ſed omnibus etiam dicendi generibus conueniens. Coniungit autem quattuor eiuſdem generis figuras: Repetitionem, conuerſionem, complexionem, traductionem. quamuis multo plures ſint repetendi uerba ſpecies. In ſingulis figuris tria ſunt ſpectanda: primũ, quid ſint: deinde earum ἐργασία: poſtremo uſus. Primum, & ultimum in ſingulis prope figuris indicat: ἐργασίαν uult ab exemplis intelligi. Eſt igitur Repetitio ἀναφορὰ, ἢ ἐπιβολὴ, τῆς πρώτης λέξεως ἐπανάληψις, primi uerbi reſumptio: quae fit συνεχῶς continenter, ideſt, abſque ſententiarum interpoſitione. Hanc oſtendit auctor in rebus ſimilibus, & diuerſis fieri: ſed multo plures ſunt eius diuiſiones, ut in exemplis perſpicitur. Omnis enim repetitio uel eſt uerborum, uel eſt rerum. rerum eſt aut continens, aut habet interualla: ut ἐπεξεργασία; quae fit uel in eodem loco, uel poſt rem ante tractatam. De hac nihil in hoc loco dicit, ſed infra inter ſententiarum ornamenta tractabit. Verborum repetitio uaria eſt: primum enim fit uel in ſimilibus rebus, ut in congerie, & ἐπιμονῇ, cum immoramur, aut res unius generis tractamus: ut in primo exemplo, & in illo Horatij,

> Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
> Reſtituet pietas, &c.

Vel fit in diuerſis rebus, ut in ſecundo exemplo. Deinde: Repetitio uel eſt ſimplex, uel coniuncta. ſimplex eſt, cum unum tantum uerbum repetitur, ut in duobus prioribus exemplis. Coniuncta eſt, cum plura repetuntur uerba, ut in tertio exemplo: Tu in forum prodire, &c. eſt enim quadripartita repetitio. Tertio, omnis repetitio uel fit eodem manente uerbo, ut in his tribus exemplis: uel fit aut uerbi inflexione, ut in illo Virgilij,

> Quis nouus hic noſtris ſucceſsit ſedibus hoſpes?
> Quam ſeſe ore ferens, quam forti pectore, & armis?

Aut κατ᾽ ἰσοδυναμίαν, ut apud Demoſthenem, quemadmodum Rutilius tranſtulit: Dolui, Athenienſes, ubi illum clamdeſtinum hoſtem impune intra murum uidi uagari: aegre tuli, quod omnium ueſtrum facilitatem unius fallacia tentatam intellexi: commouit me, quod in accipienda iniuria pleroſq. laetitiam oſtentantes cognoui. Quarto, omnis repetitio uel eſt pura, uel mixta. pura eſt, quae cum aliis ſchematibus non eſt coniuncta: ut in prioribus duobus exemplis huius auctoris. Mixta eſt, quae cum aliis exornationibus coniuncta, & permixta eſt; ut in tertio exemplo, cui eſt interrogatio addita, quae acrimoniam habet.

Haec *exornatio.*] Oſtendit iam duplicem huius figurae uſum: uel enim adhibenda eſt ad ornatum, uel ad αὔξησιν, ad augendam orationem. Cauſſas tres praepoſuit: quod habeat multum uenuſtatis, multum grauitatis, & plurimum acrimoniae. Quas ad res adhibeatur, Hermogenes in methodo grauitatis his uerbis indicat: Ἐπανάληψις γίνεται κατὰ τρόπους τρεῖς, ἐπὶ πράγματος διδασκαλίᾳ, ἐπὶ προσώπου συστάσει, ἢ διαβολῇ, καὶ ἤθους βεβαιώσει. Exempla ex Homero, & aliis affert, quae prudens omiſit, quoniam ſatis eſt notaſſe locum. In hac exornatione multum uenuſtatis, grauitatis, atque acrimoniae eſt: eaq. Demoſtheni, & Ciceroni familiaris, & inſignis ad illuſtrandam, atque exornandam orationem, praeſertim cum uehementi quadam incitatione orator inflammatur: atque hoc maxime fit in contentione, ubi amplificationibus, quae inducunt, aut ad miſericordiam trahunt auditoris animum, & quaſi grauioribus argumentis tractanda quaeque res eſt.

CON-

CONVERSIO

Conversio eſt, per quam non, ut ante, primum repetimus uerbum, ſed ad poſtremum continenter reuertimur, hoc modo: Poenos populus R. iuſtitia uicit, armis uicit, liberalitate uicit. Item: Ex quo tempore concordia de ciuitate ſublata eſt, libertas ſublata eſt, fides ſublata eſt, amicitia ſublata eſt, reſp. ſublata eſt. Item: C. Laelius homo nauus erat, ingenioſus erat, doctus erat, bonis uiris, & ſtudioſis amicus erat, ergo in ciuitate primus erat. Item: Nã cum iſtos, ut abſoluant te, rogas; ut perierent, rogas; ut exiſtimationem negligant, rogas; ut leges populi R. tuae libidini largiantur, rogas.

EXPLANATIO

Conversio a quibuſdam Ἐπιφορὰ, a Rufiniano Ἐπιφορὴ, ab Aquila Ἀντιϛροφὴ dicitur: ἐπὶ δὲ ἐπιφορᾶ, ὅταν τὸ ἔσχατον ῥῆμα ἀναϛρέφηται, quando poſtremum repetitur. Similis eſt priori: nam & hic idem uerbum continenter repetitur. Differt tamen ab illa multis modis. Primum enim contrariam habet collocationem, quoniam inuertitur: unde Ἀναϛροφὴ dicitur. Deinde haec minus habet uirium, quam illa. Tertio repetitio naturalis eſt, quod etiam in ſermone quotidiano uſurpatur: haec uero non eſt naturalis, ſed eſt tamen uſurpanda uarietatis gratia. Cicero pro Fonteio: Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus ampliſsimae copiae e Gallia. Hoc *modo*:] ἐργασίᾳ. Primum conuerſio uel eſt in ſimilibus: huius exemplum nullum ponit, niſi quod tertium quandam uidetur habere immorationem. mihi iam aliud non ſuccurrit. Vel eſt in diuerſis: ut in primis duobus exemplis. Deinde uel eſt pura, ut in prioribus duobus exemplis: uel eſt mixta cum aliis figuris, ut in duobus poſtremis exemplis. utrumque enim eſt ἐνθυμηματικόν. Apud Rutilium conſtat ex anthitesi. ut, Ad bellum impulit nos Philippus, in ipſo belli periculo deſeruit nos Philippus. Tertio, uel in longius effertur, ut pro M. Marcello: De nobis, quos in repub. ſaluos eſſe uoluiſti, quoties cogitabis, toties de tuis maximis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia cogitabis. Vel uerbum omnibus membris redditur. ut, ſi ita dixiſſet Cicero: De nobis, quos in repub. ſaluos eſſe uoluiſti, quoties cogitabis, toties de tuis maximis beneficiis cogitabis, toties de incredibili liberalitate cogitabis, toties de ſingulari ſapientia cogitabis. Haec feſtiuitatem habet puerilem: illa grauior eſt, & iucundior. Poſſunt fortaſſe etiam huius figurae plures inueniri in exemplis diuiſiones: quae in Cicerone lector diligens obſeruabit.

COMPLEXIO

Complexio eſt, quae utramque complectitur exornationem, & hanc, & quam ante expoſuimus. ut & repetatur idem primum uerbum ſaepius; & crebro ad idem poſtremum reuertamur, hoc modo: Qui ſunt, qui foedera ſaepe ruperunt? Carthaginienſes. Qui ſunt, qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginienſes. Qui ſunt, qui Italiam deformauerunt? Carthaginienſes. Qui ſunt, qui ſibi poſtulant ignoſci? Carthaginienſes. Videte ergo, quid conueniat eos impetrare. Item: Quem ſenatus damnarit, quem populus R. damnarit, quem omnium exiſtimatio damnarit, eum uos ſententijs ueſtris abſoluetis?

EXPLANATIO

Complexionem Συμπλοκὴν uocant Graeci, & Κοινότην, quia utramque ſuperiorem complectitur. nam & primum uerbum, & poſtremum repetit: unde quidam illam etiam Κύκλον appellant, ſed non recte. Eſt enim Complexio non idem, quod Κύκλος, ſed cum eo ſimilitudinem habet. Differũt autem inter ſe, quod Complexio diuerſa uerba, Κύκλος eadem repetit: ut, Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa. In tertio de Oratore adiunctionem uocat. Deinde, quod hic in primo ſtatim ſententia; illa uero in ſecundo demum membro, ut etiam repetitio, animaduertitur. Recte igitur poterat etiam circulum cum his figuris coniungere. Hoc *modo*:] ἐργασία: eſt & huius figurae non una forma. Nam aut plura uerba in principio repetuntur, quam in fine: ut in primo exemplo tria, Qui ſunt, qui: aut unum tantum in utroque loco repetitur, ut in ſecundo exemplo. Ita contra Rullum: Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem populi partem ſuffragiis priuauit? Rullus. Quis comitiis praefuit? idem Rullus. Deinde, uel pura eſt complexio, uel mixta. Haec figuras alias & fere ſemper interrogationem habet admixtam, propter acrimoniam: ut in his exemplis. Pura nulli eſt permixta figurae: ut, Quem ſenatus damnarit, quem populus Rom. damnarit, quem omnium exiſtimatio damnarit, eum uos ſententiis ueſtris non abſoluetis. Sed haec minus habet uirium, quam ſi adiunctam habeat interrogationem. Tertio, uel fit complexio iiſdem uerbis, ut in ſuperioribus exemplis. uel κατ' ἰσοδυναμίαν, idem ſignificantibus. item illud in 2. Philipp. Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos: interfecit Antonius. deſideratis clariſsimos ciues: eos quoque eripuit uobis Antonius. auctoritas huius ordinis afflicta eſt: afflixit Antonius. Sed haec minus habet uirium, quam ſi adiunctam habeat interrogationem: tametſi quidam interrogationi hic locum eſſe putant. Tertio fit complexio, uel iiſdem uerbis, ut in ſuperioribus exemplis: uel κατ' ἰσοδυναμίαν, idem ſignificantibus, ut in proximo exemplo de Antonio. Quidã enim Complexionem eſſe uolunt: at niſi ἰσοδυναμία eſſet in principio, non complexio, ſed conuerſio tantum eſſet. quamquam quidam confundunt has figuras, dum hanc eandem eſſe cum praecedenti proxima uolunt.

TRADVCTIO

Tradvctio eſt, quae facit ut, cum idem uerbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, ſed etiam concinniorem orationem reddat, hoc pacto: Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitam non poteſt colere. Item: Eum tu hominem appellas, qui ſi fuiſſet homo, numquam tam crudeliter uitam hominis petiſſet. At erat inimicus: ergo inimicum ſic ulciſci uoluit, ut ipſe ſibi reperiretur inimicus. Item: Diuitias ſine diuitum eſſe, tu uero uirtutem praefer diuitiis. nam, ſi uoles diutius cum uirtute comparare, uix ſatis idoneae tibi uidebuntur diuitiae, quae uirtutis pediſſequae ſint. Ex eodem genere exornationis, cum idem uerbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo: Cur eam rem tam ſtudioſe curas, quae multas tibi dabit curas? Item: Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari. Item: Veniam ad uos, ſi mihi ſenatus det ueniam. In his quattuor generibus exornationum, quae adhuc propoſitae ſunt, non inopia uerborum fit, ut ad idem uerbum redeatur ſaepius: ſed ineſt feſtiuitas quaedam, quae facilius auribus diiudicari, quam uerbis demonſtrari poteſt.

EXPLANATIO

Hanc Μεταγωγὴν, ſiue Πολύπτωτον, uocant, quae eſt, ὅταν ἡ αὐτὴ λέξις πρὸς ἕτερα τόπα μετάγεται: quando idem uerbum ad loca diuerſa traducitur. quamuis traductionis uox magis τῷ ὑπερβάτῳ reſpondet. Appellatur etiam aliis nominibus, ſed eſt tamen inter illa diuerſitas. Nunc de huius figurae uarietate, ac tractatione. Primum omnis traductio uel eſt ſimplex, uel coniuncta. Simplex eſt, quae uno uerbo, una ſententia, ac periodo abſoluitur: ut in primo exemplo. Coniuncta eſt, quae fit, cum uel pluribus uerbis, & ſententiis, diuerſiſq. periodis perficitur: ut in ſecundo exemplo, quod uerbis duobus, ſcilicet hominis, & inimici, ut etiam ſententiis, ac periodis geminis abſoluitur. Huius elegans eſt exemplum pro Quinctio, ubi & uerba plura in ſententiis, ac periodis pluribus traducuntur. Tu id ſemper facis, quia ſemper potes: ego in hac cauſſa faciam, propterea quod in hac uideor poſſe facere. Quod tibi natura dat, ut ſemper poſsis: id mihi cauſſa dat, ut hodie poſsim. traducuntur enim uarie: facis, faciam, facere: potes, poſſe, poſsis, poſsim, dat. Vel in eadem ſententia, ac periodo geminata, non ſeparatim, ſed coniunctim uerba traducuntur: ut in tertio exemplo, uirtus, & diuitiae. Deinde uerbum idem traductione uel in eadem ponitur re, manente ſignificatione, ut in prioribus tribus exemplis: uel in re altera, ideſt, ſignificatione mutata. ut in exemplis poſtremis, & in illis Virgilij uerſibus:

> Vna ſalus uictis, nullam ſperare ſalutem. Item:
> Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

Videtur haec traductionis ſpecies idem eſſe cum παρονομασίᾳ: uerum hic auctor traductionem eſſe maluit, quam παρήχησιν, ut Hermogenes appellat. quoniam haec fit, cum uel mutantur ſyllabae: ut, Inceptio eſt amãtium, haud amentium. uel adduntur: ut, In hac fama, tamquam pernicioſa flamma. uel auferuntur: ut, Hanc flammam tamquam pernicioſam famam. Traductio uero & eaſdem ſyllabas, & eandem ſeruat quantitatem: ut in his exemplis. Haec ſpecies etiam ἀντίστασις, καὶ διαφορὰ nominatur. In *his*] Oſtendit cauſſam harum quattuor exornationum κατ' ἀφαίρεσιν, non inopiam, ſed feſtiuitatem eſſe: quae auribus potius, quam animo diiudicatur. Verum non ſemper feſtiuae ſolum, ſed etiam interdum graues ſunt, & acres, quemadmodum a principio ex Hermogene, de repetitione diximus. Hic auctor feſtiuitatem dumtaxat ponit, quod ea praecipue in his figuris animaduertatur.

CONTENTIO

Contentio eſt, cum ex contrariis uerbis oratio conficitur hoc pacto: Habet aſſentatio iucunda principia, eadem exitus amariſſimos affert. Item: Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem praebes. Item: In otio tumultuaris, in tumultu ſolus es otioſus: in re frigidiſſima cales, in feruentiſſima friges. Tacito cum opus eſt, clamas: cum loqui conuenit, obmuteſcis. Ades, abeſſe uis: abes, reuerti cupis. In pace bellum quaeritas, in bello pacem deſideras. In concione de uirtute eloqueris, in proelio prae ignauia tubae ſonitum perferre non potes. Hoc genere ſi diſtinguemus orationem, & ornati, & graues poterimus eſſe.

EXPLANATIO

Qvinctilianvs Contentionem uocat contrapoſitam, & ἀντίθετον, aliis Ἀντιμετάθεσις, ἢ Ἀντίθεσις dicitur: ideſt, contrariorum oppoſitio. Intelliguntur autem hoc in loco πάντα τὰ ἀντικείμενα, aduerſa, priuantia, relatiua. Duae ſunt contentionis ſpecies: una dialecticorum eſt, & ἐνθυμηματικὴ, quae inter argumenta numeratur; altera σχηματισμένη, quae ornatum habet. haec rurſus aut uerborum eſt, aut ſententiarum. Hoc in loco de ea loquitur, quae eſt uerborum. alteram enim infra tractabit: eſt enim copioſa admodum. Primum igitur in omni contentione uerba uel ſunt ſimilia, uel ſunt diuerſa. Similitudo in ſyllabis eſt: ut amicis, inimicis: placabilem, inexorabilem, in ſecundo exemplo. Implacabilem non dixit, propter nimiam concinnitatem: ſed uſus eſt idem ſignificante. Diuerſitas eſt in ipſis uerbis: ut in primo exemplo, in quo duo duobus opponuntur: primum relatiua, principia, & exitus: deinde aduerſa, iucunda, & amara. Deinde omnis

contentio uel fit in iiſdem uerbis, uel in diuerſis. in iiſdem uerbis fit, cum binis abſoluitur, quod fit tranſpoſitione μεταθέσει eorundem: ut in tertio exemplo, tumultu, & otio. In diuerſis fit, cum plura opponuntur, ut in primo, & ſecundo exemplo. Tertio, omnis contentio, quae fit in uerbis binis, aut repetit eadem, ut in tertio exemplo: aut ponit ἰσοδυναμοῦντα, ut in quarto exemplo, pro calidiſsima dicit feruentiſsima, uerbo συνωνύμῳ. Quarto, omnis contentio, quae in binis fit per ἰσοδυναμοῦντα, uel fit in uerbo altero dumtaxat, ut in exemplo quarto: uel fit in uerbo utroque, ut in quincto exemplo. Sunt enim συνώνυμα, taces, obmuteſcis, clamas, loqueris. Quincto, uel fit contentio in oppoſitis, ἀντιμεταθέσει commutatione uerborum eorundem: ut in exemplo quarto, Tacito cum opus eſt, &c. item in quincto. Vel in adiunctis κατ' ἰσοδυναμίαν: ut, In pace bellum quaeritas, in bello pacem deſideras. Vel in utroque: ut in poſtremo exemplo. nam & oppoſita, concio, atque proelium: & adiuncta, uirtus ſcilicet, & ignauia, ἰσοδυναμοῦντα ſunt. Videtur eadem eſſe cum ἀντιμεταβολῇ, ſed inter ſe differunt, quod haec fere eſt αἰτιολογική, adiunctam habens rationem, ſiue cauſſam: ut, Eripis ut perdas: perdis ut eripias. Contentio uero oppoſitionem habet ſimplicem, abſque adiuncta ratione: Quinctilianus tamen contentionem etiam κατ' ἀντιμεταβολήν fieri ſentit: apud quem adhuc aliae ſunt huius figurae diuiſiones. Nam aut ſingula ſingulis opponuntur: ut, Vicit pudorem libido, timorem audacia. aut bina binis: Vt, Non noſtri ingenij, ueſtri iudicij eſt. Item contentio fit uel ſimplici ſententiarum oppoſitione: ut, Dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis. uel diſtinctione rerum: ut, Odit populus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. Item contentio fit in differentibus, uel ut ſingula opponantur ſingulis: ut illud in Miloniana, Eſt igitur, iudices, non ſcripta, ſed nata lex. uel ut de ſingulis rebus propoſitis referatur ad ſingula, ut in eodem loco: Quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus. Item contentio fit aut in ſimiliter deſinentibus: ut, Et ſine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia puniatur. aut in diuerſis caſibus. Item omnis contentio uel eſt pura, uel eſt ὑποθετική, cum propria nomina ex diuerſo collocantur: ut, Si conſul Antonius, Brutus hoſtis: ſi conſeruator reipub. Brutus, hoſtis Antonius. Sed haec ad ſententiarum potius exornationem mihi uidetur eſſe referenda. Differt contentio a contrario: hoc enim ἐνθυμηματικὸν eſt, quia probat, & concludit; illa uero σχηματισμένη eſt, abſque concluſione. HOC *genere*] Duplicem oſtendit uſum. primum enim ornatiui, deinde grauitati inſeruit. ornatus in omnibus eſt generibus; grauitas tantum in illo primo. Facit hoc σχῆμα orationem non ſolum ornatam, ſed quadam etiam concinnitate numeroſam: unde σχῆμα σοφιστικὸν dicitur. Amant enim ſophiſtae τὰ ἴσα, ὅμοια, καὶ ἐναντία propter concinnitatem. Delectatus eſt hac figura plurimum Iſocrates, & Gorgias, nonnihil Cicero, minus Demoſthenes.

EXCLAMATIO

EXCLAMATIO eſt, quae conficit ſignificationem doloris aut indignationis alicuius, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cuiuſpiam compellationem, hoc modo: Te nunc alloquor, Africane, cuius mortui quoque nomen ſplendori, ac decori eſt ciuitati. Tui clariſſimi nepotes ſuo ſanguine abluerunt inimicorum crudelitatem. Item: O perfidioſae Fregellae, quam facile ſcelere ueſtro contabuiſtis: ut, cuius nitor urbis Italiam nuper illuſtrauit, eius nunc uix fundamentorum reliquiae maneant. Item: Bonorum inſidiatores latrocinio uitam innocentiſſimi cuiuſque petiſtis: tantam ne ex iniquitate iudiciorum ueſtris calumniis aſſumitis facultatem? Hac exclamatione ſi loco utemur, & raro, & cum rei magnitudo poſtulare uidebitur, ad quam uolemus indignationem animum auditoris adducemus.

EXPLANATIO

EXCLAMATIO, ἐκφώνησις a Graecis dicitur, & uel indicat noſtrum, uel mouet alteri affectum: ſiue ut amet, ſiue ut doleat, ſiue ut indignetur. Tribus modis hanc figuram fieri docet: aut hominis, aut loci, aut rei cuiuſpiam compellatione. Differt ab apoſtrophe. haec enim eſt ἀπαθής: & uel lucis cauſſa, uel laudis, aut uituperationis gratia adhibetur.

O. PERFIDIOSE] ἐργασία. Omnis exclamatio uel eſt pura, quae ſententiam, & affectum habet apertum: ut in primo exemplo, & in illo Perſij,

O curas hominum, o quantum eſt in rebus inane?

Vel eſt mixta, quae aut εἰρωνίαν habet: ut, O noſter miſericors, quid facis? in Piſonem. aut ἐρωτήσει informata eſt, quae uehemens eſt: ut hoc in loco, in poſtremo exemplo. Altera diuiſio: Omnis exclamatio uel eſt ἠθική, quae aut laetitiam oſtendit, ut in illo ad Q. Fratrem: Hic o dij nihil umquam honorificentius nobis accidit. aut laudem, ut de haruſp. reſponſis: O poſt hominum memoriam fortiſsimi, atque optimi conſules. aut amorem cum laude coniunctum: ut in primo exemplo. Vel eſt παθητική, quae aut doloris, aut odij, aut indignationis, aut querellae ſignificationem conficit: ut, Alter o dij boni, quam taeter incedebat, pro Sextio. O multa intolerabilia locis omnibus, in Epiſtolis. Item, O perfidioſae Fregellae, in ſecundo exemplo. Tertia: Omnis exclamatio uel habet particulam exclamandi o: ut in ſecundo exemplo, uel particula illa caret: ut in primo, & tertio exemplo. Quarta: Omnis exclamatio fit aut in principio, ut apud poetas, praecipue uero Satyricos: ut,

O curas hominum, o &c. in prima Perſij. aut fit poſt rem ſiue narratam, ſiue confirmatam: ut

Oratores ſolent. eſt enim & contra decorum, & ingratum auribus, in prima ſtatim cogitatione exclamare, quod etiam Perſius indicat: Quis leget haec? ſed poetis id conceditur, maxime Satyricis, propter finem eorũ: oratoribus non item, qui aliud habent propoſitum. Sexta: Omnis exclamatio uel eſt finita, quae fit uel ad perſonam, aut finitam, ut in primo exemplo aut infinitam, ut in tertio. uel ad locum aliquem, ut in ſecundo exemplo. uel ad rem aliquam, ut in Verrem: O conſuetudo peccandi. uel eſt tota infinita: ut, O multa intolerabilia locis omnibus. Septima: Omnis exclamatio uel eſt ſimplex, quae una ſententia abſoluitur: ut, O rem totam odioſam, ad Atticum. uel eſt coniuncta, quae ſententiis conſtat pluribus, ſiue in una periodo: ut, O perturbatam rationem, o libidinem refrenandam, o conſilia diſſoluta, atque perdita. tale eſt exemplum ſecundum. ſiue in duobus, ut in primo exemplo. HAC *exclamatione*] Vſum indicat ſuo more; primum, quando, ac quomodo ea ſit utẽdum: deinde, quam ob cauſſam. primum igitur in loco utemur ea, hoc eſt, poſt rem aut narratam, aut confirmatam. deinde raro, ac modice: tertio, cum eam rei magnitudo poſtulat. Cauſſa finalis eſt, ut uel animi noſtri affectum indicet; uel iudicem, ſiue auditorem, ad quam uolemus indignationem adducat.

INTERROGATIO

INTERROGATIO non omnis grauis eſt, neque concinna, ſed haec, quae, cum enumerata ſunt ea, quae obſunt cauſſae aduerſariorum, confirmat ſuperiorem orationem, hoc pacto: Cum igitur haec omnia faceres, diceres, adminiſtrares, utrum animos ſociorum ab rep. remouebas & alienabas, an non? & utrumne aliquem exornari oportuit, qui iſta prohiberet, ac fieri non ſineret, an non?

EXPLANATIO

INTERROGATIONEM ἐρώτημα, καὶ ἐρώτησιν uocant Graeci. eam Theon formam eſſe reſponſionum, & ab Addubitatione differre dicit: quod addubitans, quem ἐπαπορῶντα appellat, reſponſionem non requirat, quia ſecum ipſe dubitet. Interrogatio uero, aut aſſenſionem, aut infitiationem poſtulat. Habet enim interrogatio grauis, & concinna, primum enumerationem τῶν ἐπιχειρημάτων, quae obſtant cauſſae aduerſariorum: deinde aſſeuerationem, ac concluſionem eius, quod uolumus intendere. ἐστὶ γὰρ σχῆμα ἐνθυμηματικόν. CVM *igitur*] Vnico exemplo tractationem oſtendit, quod figuratum eſt ὁμοιοτελεύτῳ. Vt enim interrogationis iteratio ad grauitatem, atque acrimoniam pertinet, ſic concinnitatis cauſſa ὁμοιοτέλευτον eſt adiunctum. Variae huius figurae ſpecies ſunt, quarum hoc in loco non meminit. Primum igitur, omnis interrogatio uel eſt ἀσχημάτιστος, quae ſimpliciter rogat, noſcendi cauſſa: ut,

Sed uos qui tandem? quibus aut ueniſtis ab oris?

Vel eſt σχηματισμένη figurata, quae uim, & acrimoniam habet. Deinde, omnis interrogatio σχηματισμένη, uel eſt ſimplex, & pura, quae nulli figurae eſt coniuncta; uel eſt coniuncta, cuius hoc in loco ponit hoc exemplum. Tertio, omnis interrogatio ſimplex uel fit in eo, quod negari non poteſt, ut pro Cluentio, Dixit ne tandem cauſſam Fidiculanius Falcula? uel cum reſpondendi difficilis eſt ratio, ut in uulgaribus:

Quo modo? qui fieri poteſt? uel inuidiae gratia: ut, Quas peti terras iubes? inquit Medea apud Senecã. Vel miſerationis, ſiue uera ſit, ſiue ficta: qualis illa Sinonis,

Heu, quae me tellus, inquit, quae me aequora poſſunt
Accipere? —

Vel inſtandi, & auferendae diſsimulationis cauſſa: ut Aſinius, Audis ne? furioſum, inquam, non inofficioſum teſtamentum reprehendimus. Vel indignationis gratia:

— Et quiſquam numen Iunonis adoret?

Vel admirationis:

Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora? —

Vel acrius imperandi: ut illud ex 4. Aeneid.

Non arma expedient? totaq. ex urbe ſequentur?

Vel ipſi nos rogamus:

Quid igitur faciam? eam ne? ne nunc quidem?

Quarto, interrogatio mixta uel habet iterationem, cum apoſtrophe: Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Item illud in Catilinam: Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? &c. Vel habet apoſtrophen, iterationem, & dilemma, quae plurimum habet uehementiae. Huius exemplum in loco poſuit, ſimplicis, atque purae non poſuit. Habet interrogatio mixta uſum poſt rerum pluriũ tractationem: quod tametſi hoc in loco auctor non indicat, tamen ex definitione intelligitur.

RATIOCINATIO

RATIOCINATIO eſt, per quam ipſi a nobis rationem poſcimus, quare quidque dicamus, & crebro noſmet a nobis petimus uniuſcuiuſque propoſitionis explanationem. ea eſt huiuſmodi: Maiores noſtri ſi quam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici iudicio multorum maleficiorum conuictam putabat. Quo pacto? quoniam, quam impudicam iudicarant, eam ueneficij quoque damnatam exiſtimabant. Quid ita? quia neceſſe eſt eam, quae ſuum corpus addixerit turpiſſimae cupiditati, timere permultos. Quos iſtos? uirum, parentes, ceteros, ad quos uidet ſui dedecoris infamiam pertinere. Quid poſtea? quos tantopere timeat, eos neceſſe eſt, ut, quoquo

modo

modo poſſit, ueneficio petat. Cur? quia nulla poteſt honeſta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconſideratam. Quid ueneficij damnatam? quid? putabant impudicam quoque neceſſario. Quare? quia nulla facilius ad id maleficium cauſſa, quam turpis amor, & intemperans libido commouere potuit: cum, cuius animus mulieris eſſet corruptus, eius corpus caſtum eſſe non putarint. Quid in uiris? idem ne hoc obſeruabant? minime. Quid ita? quia uiros ad unumquodque maleficium ſingulae cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit. Item: Bene maiores noſtri hoc comparauerunt, ut neminem regem, quem armis cepiſſent, uita priuarent. Quid ita? quia, quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paullo ante in ampliſſimo ſtatu collocarat. Quid, quod exercitum contra duxit? deſino meminiſſe. Quid ita? quia uiri fortis eſt, qui de uictoria contendant, eos hoſtes putare; qui uicti ſunt, eos homines iudicare: ut poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille, ſi uiciſſet, non idem feciſſet? non profecto tam ſapiens fuiſſet. Quid igitur ei parcis? talem ſtultitiam contemnere, non imitari conſueui. Haec exornatio ad ſermonem uehementer accommodata eſt, & animum auditoris retinet tum uenuſtate ſermonis, tum rationum exſpectatione.

EXPLANATIO

VOCAT hoc in loco ratiocinationem, quod Graeci πῦσμα, καὶ αἰτιολογίαν appellant, Cicero percunctationem, eamq; ab interrogatione diſtinguit: quod interrogatio, ſiue rogatio, abſque explicatione ſententiae noſtrae fiat: percunctatione ſibi orator ad interrogata ſiue ſuo, ſiue aduerſarij nomine reſpondeat. Eſt igitur Ratiocinatio, ἡ τῶν αἰτίων διάσκεψις, rationum explicatio. Habet primum πρότασιν, propoſitionē rei: deinde ἐρώτησιν interrogationem rationis: tertio τὸ αἴτιον ἢ τὴν κατασκευήν, cauſſam. Cum plures ſunt propoſitiones, plures etiam ſunt reddendae cauſſae. Omnis autem ratiocinatio uel eſt pura, uel mixta. pura eſt, quae interrogatione caret. ut in Roſciana de mandati iudicio: Itaque mandati conſtitutum eſt iudicium non minus turpe, quā furti. credo, propterea quod, quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operae noſtrae uicaria fides amicorum ſupponitur. Mixta eſt, quae uel interrogatione figurata eſt, ut in his exemplis: uel ὑποθέσει, & interrogatione ſimul, ut in eadem oratione: Si ſpoliorum cauſſa uis hominem occidere, ſpoliaſti: quid quaeris amplius? ſi inimicitiarum, quae ſunt tibi amicitiae cum eo, cuius antea praedia poſſediſti, quam ipſum cognoſti? ſin metuis: ab eo ne metuis, quem uides ipſum a ſeſe tam atrocem iniuriam propulſare non poſſe? Altera diuiſio: Omnis ratiocinatio uel eſt ſimplex, quae unius rei eſt, & unam tantum habet propoſitionem: ut in exemplo de mandati iudicio. & in illo pro Archia: Quaeres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures conuicio defeſſae conquieſcant. uel eſt coniuncta, quae plures habet propoſitiones, quia rerum eſt plurium, ut in exemplis huius auctoris. Tertia: Omnis ratiocinatio uel fit aſſeuerando, ut in auctoris exemplis: uel fit κατὰ προκατάληψιν, ut in exemplo proximo pro Archia. Quarta: Omnis ratiocinatio, uel eſt κατασκευαστική, qua aliquid probatur, ut in auctoris exemplis, uel eſt ἀνασκευαστική, ut in quarta Verrina: Quid enim uis conſtitui? conſumptam eſſe omnem iſtam pecuniam in ſtatuis? fac ita eſſe: tamen hoc ferendum nullo modo eſt, tantam ab ſociis pecuniam auferri, ut omnibus in angiportis praedonis improbiſsimi ſtatuae ponantur, qua uix tuto tranſire poſſe uideamur. Verum, ubi tandem, aut in quibus ſtatuis iſta tanta pecunia conſumpta eſt? conſumetur, inquies: ſcilicet exſpectemus legitimum illud quinquennium. Quincta: Omnis cauſſa ratiocinationis uel eſt ἐπικριτική, quae alterius nomine redditur, ut in primo exemplo: uel eſt λογική, quae ſimpliciter oratoris nomine redditur, ut in ſecundo exemplo. Poſſunt plures & huius, & aliarum figurarum tractationes in Ciceroone obſeruari. MAIORES] πρότασις παραδειγματική. QVO *pacto?*] Subiectio, ἐρώτησις τῆς αἰτιολογίας. in interrogationibus ἰσοδυναμία eſſe debet, ut uitetur ſimilitudo, quemadmodum in his factum eſt exemplis. QVID *ita?*] Rationis confirmatio. VIRVM,] ἀρίθμησις. QVID *poſtea?*] Altera propoſitio. CVR? QVIA] αἰτιολογία. QVID *uene.*] Tertia propoſitio, quae fit interrogando, ut proxima. QVARE.] ἐρώτησις τῆς αἰτιολογίας. QVIA *nulla*] αἰτιολογία a maiori ad minus. Animus enim malus, à nulla malitia abhorret. QVID *in*] ὑποφορά, ſiue quarta propoſitio, quae fit negando κατ' ἐρώτησιν. QVID *ita?*] ἀνθυποφορὰ συγκριτική. ITEM,] Alterum exemplum, quod etiam eſt coniunctum ex pluribus propoſitionibus, atque rationibus. HAEC *exor.*] Vſum oſtendit, primum quo in genere orationis uſurpetur, deinde quid efficiat, poſtremo quibus modis. Habet igitur locum in ſermone, hoc eſt, in altercatione, ſiue oratione impedita, qualis & in confirmando, & confutando eſt. nam in exordiis, narratione, locis communibus, & epilogis, quae oratione perpetua conſtant, locum non habet: quare generi conuenit ſubtili. Inſeruit autem τῇ προσοχῇ attentioni, tum uenuſtate ſermonis, tum rationum exſpectatione.

SENTENTIA

SENTENTIA eſt oratio ſumpta de uita, quae, aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in uita, breuiter oſtendit, hoc modo: Difficile eſt primum uirtutem reuereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit uſus. Item: Liber eſt is exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit. Item: Egens aeque eſt is, qui non ſatis habet, & is, cui nihil ſatis poteſt eſſe. Item: Optima uiuendi ratio eſt eligenda: eam iucundam conſuetudo reddet. huiuſmodi ſententiae ſimplices non ſunt improbandae: propterea quod habet breuis expoſitio, ſi rationis nullius indiget, magnam delectationem.

tionem. Sed illud quoque probandum eſt genus ſententiae, quod confirmatur ſubiectione rationis, hoc modo: Omnes bene uiuendi rationes in uirtute ſunt collocandae: propterea quod ſola uirtus in ſua poteſtate eſt, omnia praeterea ſubiecta ſunt fortunae dominationi. Item: qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius ſecuti ſunt, hi, ſimulac fortuna dilapſa eſt, deuolant omnes. Cum enim receſſit ea res, quae fuit conſuetudinis cauſſa, nihil ſupereſt, quare poſſint in amicitia retineri. Sunt item ſententiae, quae duplices efferuntur, hoc modo ſine ratione: Errant, qui in proſperis rebus omnes impetus fortunae ſe putat fugiſſe. Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis caſus aduerſos reformidant. Cum ratione, hoc pacto: Qui adoleſcentium peccatis ignoſci putant oportere, falluntur, propterea, quod aetas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis: at hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maxime caſtigant, ut, quibus uirtutibus omnem uitam tueri poſſint, eas in aetate maturiſſima uelint comparare. Sententias interponi raro conuenit; ut rei actores, non uiuendi praeceptores eſſe uideamur. cum ita interponentur, multum afferent ornamenti. nam neceſſe eſt animo eam comprobet tacitus auditor, cum ad cauſſam uideat accommodari rem certam ex uita & moribus ſumptam. Contrarium idem fere eſt, quod contentio.

EXPLANATIO

QVOD Latini Sententiam uocant una uoce, id Graeci Ἐννοιαν, καὶ Γνώμην appellant, uocibus duabus, ſed inter ſe tamen differentibus. ἔννοια enim quaeuis eſt ſententia: γνώμη uero, quae ἀπὸ τοῦ γινώσκειν dicitur, ſententia inſignis, ac memorabilis, omnium iudicio, & aſſenſu comprobata. De hac loquitur in hoc loco, eamq. dicit eſſe orationem ſumptam de uita, quae, aut quid ſit, aut quid eſſe oportet in uita, breuiter oſtendit. Genus eſt, oratio: haec σύντομος, breuis eſſe debet, ne locus communis, aut παραίνεσις eſſe uideatur. Differentia eſt, ſumpta de uita, & moribus hominum. Officium duplex eſt: ſententia enim uel eſt θεωρητικὴ, quae, quid ſit in uita, indicat, & ad cognitionem rei pertinet: dum aut ſubſtantiam oſtendit, ut definitio: aut qualitatem, ut deſcriptio:

Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima.

Vel eſt πρακτικὴ, quae, quid fieri debeat, oſtendit: ut,

Vitae ſumma breuis, ſpem nos uetat inchoare longam.

Sunt autem uariae ſententiarum diuiſiones. Primum enim, omnis ſententia uel eſt ἁπλῆ ſimplex, uel σύνθετος. Simplex eſt, quae eſt ἀκατάσκευος, quae προσαποδόσει caret, ut priora quattuor exempla. Deinde, omnis ſententia ſimplex uel rem, & perſonam habet unam, ut in primo, & ſecundo exēplo: uel res, & perſonas duas, ut in tertio, & quarto exemplo. Tertio, omnis ſententia compoſita ſiue duplex, aut eſt ἐγκατάσκευος, ideſt, rationis ſubiectionem habet, ut in quincto exemplo: aut conſtat ἀντιθέσει. Quarto, omnis ſententia contrario conſtans, uel ſine ratione effertur, ut in ſeptimo exemplo: Errant, qui in proſperis rebus, &c. uel cum ratione, ut in octauo exemplo: Qui adoleſcentium peccatis ignoſci putant oportere, &c. Quincto, omnis ſententia duplex uel una periodo abſoluitur, ut in quincto, & ſeptimo exemplo: uel duabus, ut in ſexto & octauo exemplo. Sexto, omnis ſententia uel eſt relata ad rem: ut, Ipſa ſibi pretium eſt uirtus, &c. uel ad perſonam: ut, Auaro tam deeſt, quod habet, quam quod non habet. uel ad utrumque: ut, Obſequium amicos, ueritas odiū parit. Septimo, omnis ſententia uel eſt pura, hoc eſt, ſemel tantum figurata, (omnes.n. ſententiae per ſe ornatum habent, quoniam inter σχήματα numerantur) ut pleraque exempla auctoris. uel eſt mixta, quae per aliam etiam figuram tractatur: ut, Vſqueadeo ne mori miſerum eſt? figuratum enim eſt interrogatione. Octauo, omnis ſententia uel eſt acuta, quae ad docendum; uel arguta, quae ad delectandum; uel grauis, quae ad mouendum eſt accommodata. SENTENTIAS *interponi*] Vſum oſtendit. In ſententiis primum uidendum eſt, ne ſint falſae, alienae, leues, aut inſulſae. Deinde, aut ne crebrius interponantur, id, quod philoſophis quidem eſt conceſſum, non autem oratoribus: quoniam hi actores rei, illi uero uiuendi praeceptores ſunt. Aut ne paſſim, quia uelut oculi quidam ſunt eloquentiae: quos non decet eſſe in toto corpore. Aut ne a quouis, in quo perſonarum auctoritas, ſexus, & condicio ponderatur. Sententiae igitur in oratione, ut nitor in cultu, atque uictu uſurpatae, cauſſae proſunt, iudicem mouent, ac dicentem commendant: quoniam ſunt orationis quaſi lumina. NAM *neceſſe eſt animo eam &c.*] ἐπικατασκευὴ rationis. Quae enim philoſophi de moribus praecipiunt, ea oratores ſummo ſtudio obſeruare ſolent, quam ius naturae cum omnibus animantibus, tum praecipue homini ſit ingenitum.

CONTRARIVM

CONTRARIVM eſt, quod ex rebus diuerſis duabus alteram breuiter, & facile confirmat, hoc pacto, Nam, qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quo modo alienis rebus amicum fore ſperes? Item: Nam, quem in amicitia perfidioſum cognoueris, eum quare putes inimicitias cum fide habere poſſe? Et qui priuatus intolerabili ſuperbia fuerit, eum commodum, & ſui cognoſcentem uidere in poteſtate quis ſperet? Et qui in ſermonibus, & conuentu amicorum uerum dixerit numquam, eum ſibi in concionibus credis a mendacio temperaturum? item: Quos ex collibus deiecimus, cum his in campo metuimus dimicare? Qui cum plures erant, paucis nobis exaequari non poterant; hi poſtquam pauciores ſunt, metuimus ne ſint ſuperiores? Hoc exornationis genus breuibus & continuatis uerbis perfectum eſſe debet, & cum commodum eſt auditu propter breuem, & abſolutam

conclusionem,

concluſionem, tum uero uehementer id, quod opus eſt oratori, comprobat contrariare, & ex eo, quod dubium non eſt, expedit illud, quod dubium eſt, ut aut dilui non poſſit, aut multo difficillime poſſit.

EXPLANATIO

CONTRARIVM hoc in loco uocat Ἀντίθετον, καὶ ἐνθύμημα, contraria contrariis relata: illudq. fere idem eſſe cum contentione docet. Sed a contentione differt tamen nomine, & rebus ipſis: nam contentio ſimplicem tantum habet ἀπόφανσιν enunciationem: contrarium uero συλλογιστικὸν eſt, & concluſionem habet. Deinde contentio ex contrariis conſtat: ut, Tacito cum opus eſt, loquitur; cum loquendum eſt, obmuteſcit. Contrarium autem ex antecedente, ac conſequente conficitur: hoc eſt, ex contentione. In omni enim contrario eſt ἀντίθεσις: quantitate igitur, ac grauitate, hoc illam uidetur ſuperare. Contrarium autem eſſe inquit, quod ex rebus diuerſis duabus alteram breuiter, & facile confirmat. Diuerſa uocat omnia contraria, & oppoſita, ut aduerſa, priuantia, relata, diſparata, affirmationes, negationes: item ſpecie differẽtia, ut homo, & beſtia. Res duas intelligit, antecedens, & conſequens: quorum alterum, quod dubitationem habet, confirmatur breuiter, ideſt membris paucis, per alterum ſcilicet, quo fit fides: & facile, ideſt, cum aſſenſione auditoris facili. Omne autem contrarium primum uel eſt ἀόριστον infinitum, & πρῶτον ἐνθύμημα dicitur: quae eſt ὁρισμένον finitum, eſt enim ſyllogiſmus imperfectus. ἀόριστον eſt, quod maiorem ſolum propoſitionem τοῦ καθόλου habet, quae ſemper in ſe concluſionem comprehendit. ὁρισμένον uero, quae minorem ponit, uel in prima perſona: Ego aliis bene conſulam, qui mihi conſului male? uel in ſecunda: Tu aliis conſules, qui tibi ipſe conſulere numquam potuiſti? uel in tertia: Hic qua ratione conſulet aliis bene, ſibi male ſemper qui conſuluit? Deinde, omne contrarium uel eſt ſimplex, ſiue ſolitarium, ut in quattuor prioribus exemplis. uel eſt duplex, quod προσαπόδοσιν habet, ut in quincto exemplo: cuius & antecedens, & conſequens geminatum eſt. NAM *qui*] Exemplis iam tractationem oſtendit. primum ex rebus conſtat differentibus: Suis, & alienis: amicus, & inimicus. Antecedens eſt, Qui ſuis rationibus, &c. quo fit probatio. Concluſio, quae ante dubitationem habebat: Eum quo modo, &c. ET *item*:] Secundum exemplum, ex priuantibus, ſecundum Ciceronem: ex diuerſis autem, iuxta Ariſtotelis ſententiam: perfidioſus, fidelis: & amicitiae, inimicitiae. ET *qui*] Tertium exemplum, ex relatiuis, & contrariis: priuatus, & in poteſtate: ſuperbus, & lenis. ET *qui in ſerm.*] Quartum ex differentibus, & oppoſitis: ſermo, & concio; ueritas, & mendacium. ITEM, *quos*] Quinctum exemplum: priora fuere ſimplicia, hoc duplex eſt, quia προσαπόδοσιν habet. QVI, *cum*] Sextum, quod habet relatiua, plures, pauciores. HOC *exornationis*] Primum oſtendit, qua ratione fieri debeat, uerbis ſcilicet, ideſt membris breuibus, & in περιοδικῶς connexis. Deinde uſum. primum enim commodum ἀδάκυστον eſt, & propter breuitatem, quoniam omnis prolixitas eſt ingrata: & propter abſolutionem, cum ad faciẽdam fidem nihil deeſt. Deinde uehementer, hoc eſt, magna cum fide per rem contrariam probat. Tertio, ex eo, quod dubium non eſt, hoc eſt antecedente contrario, id quod dubium eſt, id eſt cõcluſionem, ita expedit, ut aut neceſſariam, aut prope neceſſariam faciat.

MEMBRVM. ET. ARTICVLVS

MEMBRVM *orationis appellatur res breuiter abſoluta ſine totius ſententiae demonſtratione, quae denuo alio membro orationis excipitur, hoc modo: Et inimico proderas; id eſt unum, quod appellatur membrum: deinde hoc excipiatur oportet ab altero, & amicum laedebas. Ex duobus membris haec exornatio poteſt conſtare: ſed commodiſſima, & abſolutiſſima eſt, quae ex tribus conſtat, hoc pacto: Et inimico proderas, & amicum laedebas, & tibi ipſi non conſulebas. Item: Nec reipublicae conſuluiſti, nec amicis profuiſti, nec inimicis reſtitiſti. Articulus dicitur, cum ſingula uerba interuallis diſtinguentur caeſa oratione, hoc modo: Acrimonia, uoce, uultu, aduerſarios perterruiſti. Item: Inimicos inuidia, iniurijs, potentia, perfidia ſuſtuliſti. Inter huius generis, & illius ſuperioris uehementiam hoc intereſt, quod illud tardius, & rarius uenit, hoc crebrius, & celerius peruenit. itaque in illo genere ex remotione brachij, & contortione dextrae gladius ad corpus afferri, in hoc autem crebro, & celebri uulnere corpus conſauciari uidetur.*

EXPLANATIO

QVAE de membris, articulis, atque ipſa continuatione hoc in loco praecipit, ad compoſitionem potius, quam elocutionem, uindentur pertinere. Quamobrem etiam Quinctilianus de his in libro nono, capite quarto, ubi de compoſitione praecipit, poſt figurarum tractationem agit ſeparatim: ut etiam ante eum Cicero fecit. Sed hic auctor, quia continuationis mentionem fecit in figura proxima, uerba breuiter debere continuari: ideo membra, articulos, atque continuationem utiliter hic ſubiunxit. Omnis igitur oratio aut inciſis diſtincta eſt, aut membris abſoluitur: aut uno ambitu eſt circumducta, quem hic uocat continuationem. Membrorum κῶλον relatiuum eſt, correlatiuum uero eſt totum. Eſt enim membrum pars totius, ſiue integri, quod eſt periodus; appellatione ſumpta ab humano corpore. Id dicit eſſe rem breuiter abſolutam, ſine totius ſententiae demonſtratione; quae denuo alio membro excipitur, uel periodice, uel diſtinctiue. Hic enim auctor membrum uel in periodo conſiderat, cum aliis membris eſt coniunctum: uel ult-

illud

illud eſſe periodum,quae μονόκωλος dicitur. Neque putat membrum ſolitarium eſſe: quemadmodum manus refecta a corpore,membrum eius amplius eſſe non poteſt. Et *inimico*] Membratim facta eſt haec oratio, & abſoluitur ſententia alterius membri additione. Omne membrum uel eſt μικρόκωλον,uel μακρόκωλον. μικρόκωλον eſt,quod aut par eſt,ut in hoc exemplo,aut paullo longius inciſo. μισόκωλον bis eſt longius. μακρόκωλον, quod eſt oblongum,quod ultra octodecim ſyllabas extenditur: a Graecis χοινοτενὲς dicitur. Quemadmodum autem inciſum,& membrum μικρόκωλον idem ſunt, ita paruum refert,ſiue membrum uocetur μακρόκωλον, ſiue periodus μονόκωλος. tametſi quidam periodum monocolam omnino excludunt. Ex *duobus*] Membra duo, aut tria coniunguntur diuiſim, non coniunctim, ut ſingula ſuam habeant quantitatem, nec in infinitum producantur. Habet enim periodos principium,ſiue propoſitionem,& finem,ſiue redditionem: de quibus paullo poſt.

Articulus] ἄρθρον Graeci,ἀσυνδετον, διάλυτον,βραχυλογίαν, καὶ κόμμα appellant: Latini caeſum, articulum,& inciſum uocant,quia a membro eſt ablatum,& abſciſum. ut enim membrum eſt totius, ita membri eſt articulus,qui eſt pars membri minima. Differunt primum quantitate,quod hic paucioribus, illud uero plubus conſtet ſyllabis. deinde uiribus: membrum enim, caeſim feriens, uulnera facit maiora: articulus autem punctim ferit,caeſa oratione. hoc eſt,membro diuiſo,& diſtincto: ideoq. uulnerat grauius. De his duobus, ut etiam de periodis, & diligenter, & longe aliter praecepit Hermogenes, quam Grammaticorum uulgus annotare ſolet.

CONTINVATIO

Continvatio eſt denſa, & continens frequentatio uerborum cum abſolutione ſententiarum. ea utemur cōmodiſſime tripertito,in ſententia, in contrario, in concluſione. In ſententia, hoc pacto,Ei non multum poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in uirtute, quam in caſu praeſidium collocauit. In contrario, hoc modo: Nam, ſi quis ſpei non multum collocarit in caſu,quid eſt, quod ei magnopere caſus obeſſe poſſit? In concluſione, hoc pacto: Quod ſi in eos plurimum fortuna poteſt, qui ſuas rationes omnes in caſum contulerunt, non ſunt omnia committenda fortunae, ne magnam nimis in nos habeat dominationem. In his tribus generibus ad continuationis uim adeo frequentatio eſt neceſſaria, ut infirma facultas oratoris uideatur, niſi ſententiam, & contrarium, & concluſionem frequentibus efferat uerbis. Sed & alias quoque nonnumquam non alienum eſt,tametſi neceſſe non eſt, eloqui res aliquas per huiuſcemodi continuationes.

EXPLANATIO

Continvationem Graeci περίοδον,ἀπὸ τοῦ περιοδεύεσθαι, ambire, & περιβολὴν uocant: tametſi περιβολὴν Hermogenes inter dicendi ideas numeret. Cicero,& alij,Graecos ſecuti,Circuitum,Circumductionem, Comprehenſionem, Circumſcriptionem, & Ambitum uocauerunt: etiam Concluſionem. Eſt enim periodus, quae ſententiam,& rationem aliquam abſoluit,concluditque. Hanc uult eſſe frequentationem denſam,uerbis pluribus ſcilicet; & continentem,cum uerborum compoſitione, tum connexione membrorum, quae & longa,& numeroſe connexa eſſe debent. eſt enim oratio aut διῃρημένη, diuiſa, aut καθημένη,ἢ περιοδικὴ, connexa, & continuata. Deinde hanc frequentationem uult habere abſolutionem ſententiarum. Conſtat periodus inciſis,atque membris,tamquam partibus materialibus: ſed differt ab his concluſione,ab illis frequētatione denſa,atque continenti. Formales autem partes ſunt, principium, quod Ariſtot. ἀρχὴν, Hermogenes πρότασιν appellat; & finem,quem hic ἀπόδοσιν,ille τελευτὴν uocat. Principium eſt,prima membrorum explicatio,quae ſententiam inchoat,finis uero abſoluit. Proponitur autem uel unū membrum,& redduntur duo, uel contra. uel paria proponuntur,& redduntur, ut in tetracolo. Ea *utemur*] Oſtendit materiam, atque uſum,quibus in partibus uti periodis debeamus. In ſententiis igitur orator periodis utetur,cum de uita,moribusq. hominum loquitur,ſententias θετικὰς τῇ ὑποθέσει accommodans. In contrario,hoc eſt,in ſyllogiſmis, cum eſt κατασκευαστικός. & in concluſionibus,hoc eſt,in fine confirmationis, & in ipſa peroratione. In *ſententia,&c.*] Suo more nunc exemplis indicat tractationem. πρότασις eſt γνωμολογικὴ: Ei non multum poteſt obeſſe fortuna,&c. Contrarium κατασκευαστικόν: Nam,ſi quis ſpei non multum collocat in caſu,&c. Concluſio eſt: Quod ſi in eos plurimum fortuna poteſt, &c. Fit igitur periodus ante concluſionem in ſententia, & contrario; in concluſione uero,cum repetimus argumenta ante propoſita, & id, quod uolumus concludere, connectimus. Magna autem periodorum eſt uarietas: quarum prima diuiſio a qualitate ſumitur. Omnis enim periodus uel eſt uera,quae proprie periodus appellatur: uel eſt uerae ſimilis,& περιοδικὸν dicitur. Id rurſus eſt duplex. aut.n.uerae periodi modū excedit membrorū numero,quod Graeci περιγραφὰς περιοδικὰς appellant; aut membra extra periodos ſententiam abſoluunt, quod genus πνεῦμα ab Hermogene nominatum eſt. Vtrumque uel tardum eſt,& τάσις dicitur,productio ſpiritus ſedatior,qua in defendendo utimur. uel eſt uolubile,& καταφορὰ appellatur,ideſt productio ſpiritus longior,ſed uehementior etiam,atque incitatior,qua in accuſando utimur; ut contra Vatinium teſtem. Nam in accuſando grauiores,in defendendo affectus oportet eſſe leniores. Differunt igitur haec duo,ut amnis leniter fluens,& incitatus,atque uerticoſus. Altera diuiſio eſt a forma apud Ariſtotelem. omnis enim periodus ἢ ἐν κώλοις,ἢ ἀφελής ἐστι: id eſt, uel membratim effertur,uel eſt ſimplex. ἡ ἀφελὴς ſimplex eſt,quae eſt μονόκωλος, unius membri,quae fit uel ὑπερβάτῳ, uel ἐπεμβολῇ, ut illa Virgilij: Tityre, ſub tegmine fagi recubans, auena muſam meditaris. placuit enim ita pueriliter reſoluere.

reſoluete. Hanc autē denſam fecit primum θέσει τοῦ προσώπου, Tityre tu: deinde τῆς ποιότητος τῶν ἐπιθέτων, patulae fagi, ſiluestrem muſam, tenui auena: tertio ἐπεμβολῇ, quae fit κατ' ὑπέρβατον. interponit enim τὸ κεῖσθαι, ſitum, recubans: καὶ τὸν τόπον, locum, quadam traiectione, patulae ſub tegmine fagi. rectum enim erat, ſub tegmine patulae fagi. Facit continentem participio Recubans. uim enim participia cōtinuandi, atque connectē-di habent. Hoc genus eſt aliqua longitudine informandum, ut uel hyperbatis, uel interpoſitionibus, ut in Virgilij exemplo uidimus, producatur. Tertia diuiſio, a membrorum numero ſumitur. Omnis enim periodus ἢ ἐν κώλοις, quae membratim effertur, aut eſt δίκωλος, duorum membrorum: ut, Atque antea quidem maiores copias alere poterat, nunc exiguas uix tueri poteſt. aut τρίκωλος, trium membrorum: ut, Omnes bene uiuendi rationes in uirtute ſunt collocandae, propterea quod ſola uirtus in ſua poteſtate eſt: omnia, praeter eā, ſubiecta ſunt fortunae dominationi. aut τετράκωλος, quattuor membrorum: ut, Si exſtitiſſet in rege fides, nihil ſapientius Poſtumo: quia fefellit res, nihil hoc amentius eſſe creditur. Quarta diuiſio etiam ſumitur a forma. Omnis enim periodus aut eſt μακρόκωλος, aut μικρὸς, aut ἰσόκωλος. μακρόκωλος eſt, quae finem longiorem habet principio. Fit autem redditio longior uel prolixitate uerborum, uel ſyllabarum multitudine, ac productione in ipſa ἀναπαύσει. μικρὸς eſt, quae finem habet breuiorem principio. ἰσόκωλος eſt, quae parium membrorū coniunctionem habet: tametſi ἰσοκωλία etiam in periodo τρικώλῳ eſſe ſolet, cum duo ſunt paria. Tertium autem aut prolixius, aut breuius, ſiue id ſit primum, ſiue mediū, ſiue poſtremum. Craſſus μακροκωλίαν, Hermogenes μικρίαν, Ariſtoteles ἰσοκωλίαν probat. Cum igitur omnia tria probentur, omnibus utemur uarie, & a μικρία incipiemus: cui μακροκωλία recte ſubiungitur. Corrigitur enim μικρία ἐπισωρεύσει, ideſt, alterius conuerſionis adiunctione, quae breuitati eſt cōtraria longitudine. Quincta diuiſio eſt: Omnis periodus uel eſt διῃρημένη, quae membrorum diſtinctione conficitur: ut, Hic ego nunc non uos prius implorabo, equites Romani, quorū ius iudicio tentatur: quam uos ſenatores, quorum agitur fides in hunc ordinem. Vel eſt ἀντικειμένη, quae fit cōtrariorum compoſitione: ut, Si exſtitiſſet in rege fides, nihil ſapientius Poſtumo: quia fefellit rex, nihil hoc amentius creditur. Sexta diuiſio: Omnis periodus uel eſt inſiſtens, quae eſt moderata, & interſpirationem habet, & minus eſt coacta: ut, Satis eſt, homines imprudentes lapſos non exigere: urgere uero iacētes, aut praecipitantes impellere, certe eſt inhumanum. Vel eſt cita, atque uelox, quae ſententiam non abſoluit, priuſquam perueniatur ad extremum: ideoq. neque cōgitationis uim, neque ſpiritum ſinunt interquieſcere. ut, Hoc ille natus, quamquam patrem ſuum nūquam uiderat, tamen & natura ipſa duce, quae plurimum ualet, & aſsiduis domeſticorum ſermonibus, in paternae culpae ſimilitudinem deductus eſt. Periodi uſus apud Ariſtotelem lib. 3. de Dicendi ratione, duplex eſt: nam & ἡδεῖα ſuauis eſt, dum orationem ſuauem reddit, & auditorem delectat. & eſt εὐμαθὴς, quoniam membra ita connexa facilius mente capi, & memoria retineri poſſunt. Vera igitur periodus εὐσύνοπτος, εὐανάπνευστος, καὶ εὐμαθὴς eſſe debet. Vide Quinctil. c. 4. libri 9. Ciceronem de Oratore, Ariſtotelem in Rhetoricis libro tertio. IN *his tribus &c.*] Oſtendit frequentationem periodi in ſententiis, contrariis, concluſionibus ita neceſſariam eſſe, ut ſine hac orator uideatur eſſe infirmus.

COMPAR

COMPAR appellatur, quod habet in ſe membra orationis, de quibus ante diximus, quae conſtant ex pari fere numero ſyllabarum. hoc non de enumeratione noſtra fiet. nam id quidem puerile eſt, ſed tantum affert uſus & exercitatio facultatis, ut animi quodam ſenſu par membrum ſuperiori referre poſſimus, hoc modo: In proelio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat: haec omnia graues caſus adminiſtrabant. Item: Illi fortuna felicitatem dedit, huic induſtria uirtutem comparauit. In hoc genere ſaepe fieri poteſt, ut non plane par ſit numerus ſyllabarum, & tamen eſſe uideatur, ſi una aut etiam altera ſyllaba eſt alterum breuis: aut ſi, cum in altero plures ſunt, in altero longior, aut longiores, plenior, aut pleniores ſyllabae erunt; ut longitudo, aut plenitudo harum multitudinem alterius aſſequatur, & exaequet.

EXPLANATIO

SEQVENTIA tria σχήματα non modo ἀστεῖα ſunt, uerum etiam εὔρυθμα. Compar uocat ἰσοκωλίαν, quam alij παρίσωσιν, καὶ παρίσωσιν appellant. ea eſt, ὅταν ἴσα τὰ κῶλα, cum membra in periodo ſyllabarum numero paria ſunt. HOC *non*] Haec κατάληψις cum ad omnes figuras accommodari poteſt, ut in iis domi nos diligenter exerceamus: tum ad hanc maxime, ut etiam ad ſequentes duas. Aſsidua enim, atque diligens praeceptis omnibus exercitatio adiungenda eſt: quae tametſi nonnumquam puerilis eſſe uideatur, multa tamen ſeria ducit ſecum, ut, cum ſubito nobis eſt dicendum, minime haereamus. IN *proelio,*] ἐργασίαν oſtendit exemplis: Primum, omne comparaut eſt uerum, δι' ὅλον, quando non ſolum ſyllabae, ſed etiam tempora paria ſunt. Ad hoc conficiendum orator non eſt adſtrictus. Aut eſt quaſi par, in quo nec tempora paria ſunt, nec ſyllabae. neque enim hic refert, ſi interdum aliquae ſyllabae ſuperſint. Deinde: Omne cōpar, quod eſt quaſi par, uel eſt in binis mēbris, ut in exēplo ſecundo: Illi fortuna felicitatē dedit, huic induſtria uirtutē cōparauit. uel in ternis, quod Hermogenes probat, ut in primo: In proelio mortē pater oppetebat, domi filius nuptias cōparabat, haec omnia graues caſus adminiſtrabant. uel in quaternis, cuius quia uſus rarior eſt, etiā obſeruatio difficilior eſſe ſolet. Tertio, ἰσοκωλία uel uarietatem habet, uel non habet: ſed omnia paria ſunt, quae uere ἰσοκωλία dicitur, ut in binis, & nonnūquā in ternis, ut hic in primo exēplo. Varietas autē eſt aut in ternis, aut in quatternis mēbris.

In ternis eſt, quando duo latera aequalia unum inaequale habent : quae uarietas ab oratoribus ἰσοκωλία dicitur, uoce a mathematicis ſumpta. Eſt etiam in hoc ipſo uarietas. nam uel duo priora paria ſunt, & tertium impar, ſiue ſit prolixius, ſiue breuius, ut in principio Quinctianae : Quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia. uel primum, & poſtremum paria ſunt, medium autem impar : Quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt, ſumma gratia, & eloquentia, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore. uel primum membrum impar eſt, poſtrema duo paria : ut Sūma gratia, & eloquentia, quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt, contra nos ambae faciunt in hoc tempore. Quia enim alia iam exempla nobis non occurrebant, μεταθέσει uſi ſumus. Diſtinctio iſta in exercitatione compoſitionis, in qua omnia ſunt tentanda, plurimum affert adiumēti. In quaternis uel omnia paria ſunt, uel uarietatem habent, ut priora duo paria, aut longiora ſint poſtremis duobus paribus, quae μειουρία dicitur: aut breuiora, ut ſit in μακροκωλία. In *hoc genere*] ἔκθεσις. declarat enim, quem ſyllabarum numerum intelligat : nimirum eum, qui par eſſe uideatur, tametſi una atque altera ſyllaba membrum aliud alio breuius ſit. Verba autem longa hoc in loco uocat, quae multas habēt ſyllabas: plena, quae pedes graues. longitudine igitur, atque plenitudine alicuius membri, alterius multitudinem aſſequi, & exaequari poſſe dicit.

SIMILITER. CADENS

SIMILITER cadens, exornatio dicitur, cum in eadem conſtructione uerborum duo, aut plura ſunt uerba, quae ſimiliter iiſdem caſibus efferuntur, hoc modo: Hominem laudas egentem uirtutis, abundantem felicitatis. Item: Cuius omnis in pecunia ſpes eſt, eius a ſapientia eſt animus remotus. Diligentia comparat diuitias, negligentia corrumpit animum: & tamen, cum ita uiuit, neminem prae ſe ducit hominem.

EXPLANATIO

SIMILITER cadens ab Ariſtotele Παρομοίωσις, ab aliis Ὁμοιόπτωτον appellatur, quoniam τὰ τῶν ὀνομάτων τελευταῖα ὅμοια ποιεῖ. Cicero in Partitionibus, Verborum ſimilitudinem, & aequalitatem uocat. Caſus hoc in loco intelligit τῶν ὀνομάτων, καὶ τῶν ῥημάτων ἐγκλίσεις, nominum, ac uerborum caſus, atque modos : tametſi nō eaedem ſemper in fine terminationes ſint. Omne autem ὁμοιόπτωτον uel in duobus uerbis eſt, ut in primo exemplo : uel eſt in pluribus, ut illud Ennij,

Maerentes, flentes, lacrymantes, commiſerantes.

& illud Aquilae Romani : Huic igitur ſocios ueſtros criminanti, & ad bellum uos cohortanti, & omnibus modis, ut in tumultu eſſetis, molienti. Deinde, omne ὁμοιόπτωτον uel eſt purum ἁπλὸν, quod ſolitarie ponitur, ut in his exemplis : uel eſt συμπεπλεγμένον coniunctum, quando cum ſequenti figura, ut poſt dicetur, coniungitur.

SIMILITER. DESINENS

SIMILITER deſinens eſt, cum, tametſi caſus non inſunt in uerbis, tamen ſimiles exitus ſunt, hoc pacto: Turpiter audes facere, nequiter ſtudes dicere. Viuis inuidioſe, delinquis ſtudioſe, loqueris odioſe. Item: Audacter territas, humiliter placas. Haec duo genera, quorum alterum in exitus, alterum in caſus ſimiliter uerſatur, inter ſe uehementer conueniunt; & ea re, qui his bene utuntur, plerumque ſimul ea collocant in iiſdem partibus orationis. Id hoc pacto facere oportet: Perditiſſima ratio eſt amorem petere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam. Hic & ea uerba, quae caſus habent, ad caſus ſimiles; & illa, quae non habent, ad ſimiles exitus ueniunt.

EXPLANATIO

HAEC figura Graecis Ὁμοιοτέλευτον dicitur : quia exitus habet ſimiles. Ita priori eſt affinis, ut uix diſtingui poſsint. quare & hic recte coniunguntur, & ſub uerborum ſimilitudine utramque Cicero cōprehendit. Hoc *pacto*:] ἐργασία. Primum, omne ſimiliter deſinens uel fit in uerbis duobus, ut in primo exemplo : uel in tribus, ut in ſecundo : uel in quattuor, ut, Neque in deliberando conſilium, neque in proeliando uirtus, neque in beneficio benignitas deerat, ſed dumtaxat in ſupplicio crudelitas. Nam, cum aliqua res dubia accidiſſet, apparebat ſapientiſsimus : cum autem confligendum eſſet cum hoſtibus, fortiſsimus : cum uero praemium dignis tribuendum, liberaliſsimus : at, cum animaduertendum, clementiſsimus. Fiunt haec uel in duobus, uel tribus, uel quattuor membris, ut exempla oſtendunt. Deinde, uel poſtremas ſolum ſyllabas habet ſimiles, ut in tertio exemplo : uel ultimas, & paenultimas ſimul, ut in primo exemplo : uel ultimas, paenultimas, & antepaenultimas, ut in exemplo ſecundo, ubi tres illae ſyllabae, di, o, ſe, tertium repetuntur. Atque illa prima concinnitatem habent ſimplicem, poſteriora uero duplicem. Tertio, ſimiliter deſinens uel eſt ſimplex, ut in tribus primis exemplis : uel eſt coniunctum, ut in proximo. Quarto, uel eſt purum ὁμοιοτέλευτον, ut in ſuperioribus : uel eſt cum aliis figuris mixtum, ut cum priori : & cum annotatione, ut, In hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſiſsima flamma. Accidit etiam in contentione. HAEC *duo genera*,] Duo

hoc in loco facit. Primum harum duarum figurarum diſcrimen, tum affinitatem, poſtremo uſum indicat. Differunt igitur hae duae figurae, quod illa ſimiles habet exitus caſuum, ut in primo exemplo: Hominem, egentem, abundantem: uirtutis, felicitatis. in ſecundo, cuius, eius: diligentia, negligentia, &c. Haec uero exitus tantum ſimilitudinem, etiamſi nominum, aut uerborum caſus non ſemper ſunt. Terminatione autem ſunt affines, quod utraque ſimiles habet exitus. Vſus earum uerus eſt in coniunctione. Vehementer enim inter ſe conueniunt, ideſt, ſuauiter coniunguntur in iiſdem periodis, quas hic orationis uocat partes: tametſi ſaepe utraque ponitur ſolitaria.

ANNOMINATIO

ANNOMINATIO eſt, cum ad idem uerbum acceditur commutatione, uel additione unius litterae, aut litterarum, ſyllabae, aut ſyllabarum; aut ad res diſſimiles ſimilia uerba accommodantur. ea multis, & uariis rationibus conficitur. Attenuatione, aut complexione eiuſdem litterae, ſic: Hic, *qui ſe magnifice iactat, atque oſtentat, ueniit a te ante, quam Romam uenit. Ex contrario:* Hic, *quos homines alea uincit, eos ferro ſtatim uinciit. Productione eiuſdem litterae, hoc modo: Hunc auium dulcedo ducit ad auium. Breuitate eiuſdem litterae, hoc modo: Hic tametſi uidetur eſſe honoris cupidus, tamen non tantum curiam diligit, quantum Curiam. Addendis litteris, hoc pacto:* Hic *ſibi poſſet temperare, niſi amori mallet obtemperare. Demendis litteris, ſic: Si lenones tamquam leones uitaſſet, uitae ſe tradidiſſet. Transferendis litteris, ſic: Videte, iudices, utrum homini nauo, an uano credere malitis. Item: Nolo eſſe laudator, ne uidear adulator. Commutandis, hoc modo: Deligere oportet, quem uelis diligere. Hae ſunt annominationes, quae in litterarum commutatione breuitate, aut productione, aut tranſlatione, aut aliquo huiuſmodi genere uerſantur. Sunt autem aliae, quae non habent tam propinquam in uerbis ſimilitudinem, & tamen diſſimiles non ſunt: quibus de generibus unum eſt huiuſmodi: Quid ueniam, qui ſim, quare ueniam, quem inſimulem, cui proſim, quem poſtulem, breui cognoſcetis. Nam hic eſt in quibuſdam uerbis quaedam ſimilitudo non tam affectanda, quam illae ſuperiores, ſed tamen adhibenda non numquã. Alterum genus huiuſmodi: Demus operam, Quirites, ne omnino P.C. circumſcripti putentur. Haec annominatio accedit magis ad ſimilitudinẽ, quam illa ſuperior, ſed minus, quam illae ſuperiores: propterea quod non ſolum auditae, ſed uno tẽpore dẽptae quoque litterae ſunt. Tertiũ genus eſt, quod uerſatur in caſuũ cõmutatione, aut unius, aut plurium nominum: unius nominis, hoc modo: Alexander Macedo ſummo dolore animum ad uirtutes a pueritia confirmauit. Alexandri uirtutes per orbem terrae cum laude & gloria uulgatae ſunt. Alexandro ſi uita data longior eſſet, trans Oceanum Macedonum gloria tranſuolaſſet. Alexandrum omnes maxime metuerunt, item plurimum dilexerunt. Varie hic unum nomen in commutatione caſuum uolutatum eſt. Plura nomina, caſibus commutatis, hoc modo facient annominationem: Ti. Gracchum, remp. adminiſtrantem, indigna prohibuit nex diutius in ea commorari: C. Graccho ſimiliter occaſio oblata eſt, quae reip. uirum amantiſſimum ſubito de ſinu ciuitatis eripuit. Saturninum, fide captum, malorum perfidia per ſcelus uita priuauit. Tuus, o Druſe, ſanguis domeſticos parietes, & uultum parentis adſperſit. Sulpicio, cui paullo ante omnia concedebant, eum breui ſpatio non modo uiuere, ſed etiam ſepeliri prohibuerunt. Haec tria genera proxima exornationum, quorum unum in ſimiliter cadentibus, alterum in ſimiliter deſinentibus uerbis, tertium in annominationibus poſitum eſt, perraro ſumenda ſunt, cum in ueritate dicemus: propterea quod non haec uidentur reperiri poſſe ſine elaboratione, & conſumptione operae. Eiuſmodi autem ſtudia ad delectationem, quam ad ueritatem uidentur accommodatiora. Quare fides, & grauitas, & ſeueritas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis: & non modo tollitur auctoritas dicendi, ſed offenditur quoque in eiuſmodi oratione auditor: propterea quod eſt in his lepos, & feſtiuitas, non dignitas, neque pulchritudo. quare, quae ſunt ampla & pulchra, diu placere poſſunt; quae lepida & concinna, cito ſacietate afficiunt aurium ſenſum faſtidioſiſſimum. Quo modo igitur, ſi crebro his generibus utemur, puerili uidebimur elocutione delectari: ita, ſi raro has interſeremus exornationes, & in cauſſa tota uarie diſpergemus; cõmode luminibus diſtinctis illuſtrabimus orationẽ.*

EXPLANATIO

AGNOMINATIO ab Hermogene Παρύχησις, ab Ariſtotele Παράγραμμα appellatur. Dicitur autem Παρονομασία Προνομασία, Παρονομία, Παρήχησις, καὶ Παρήχημα in nominibus, Παρόμοιον in uerbis, Παράγραμμα, καὶ Ἀνταναάκλασις in utroque. Tametſi omnes hae figurae, ut etiam aliae, adhuc confuſae ſint. E A *multa*,] ἐργασία. Hanc figuram multis, & uariis rationibus confici dicit. Primum igitur, omnis agnominatio fit aut in literis, aut in ſyllabis, aut in uerbis ſimilibus ad res diſsimiles accommodatis. Deinde, omnis agnominatio uel σαφὴς aperta, uel eſt ἀσαφὴς tecta. Tertio, omnis aperta agnominatio, quae fit in litteris, atque ſyllabis, aut fit κράσει, ἢ συναιρέσει, attenuatione, aut complexione eiuſdem litterae: ut in Veniit, Venit. aut ἐκτάσει, modo contrario, ideſt dilatatione: ut in Vincit, & Vinciit. aut διαστολῇ, productione eiuſdem ſiue litterae, ſiue ſyllabae: ut in Auiũ, & Auium. aut συστολῇ breuitate, ut Curiã, & Curiam. aut additione litterarum, quae fit uel in principio προσθέσει, ut in Temperare, & Obtemperare. uel in medio ἐπενθέσει, uel in fine παραγωγῇ. Horum duorum exempla me non memini legere. aut ἀφαιρέσει demendis litteris, ut Lenones, Leones. aut μεταθέσει transferendis, ut Nauo, Vano: Laudator, Adulator. aut ἐναλλαγῇ, commutandis: ut in Deligere, & Diligere. HAE *ſunt agnominationes*,] Μετάβασις ad alterum genus, quod dixi eſſe tectum, quod non tam propinquam habet in uerbis ſimilitudinem, & tamen propter litterarum, aut ſyllabarum conſimilem naturam diſsimile non

eſt. Hoc genus tripartitum eſt. Vel enim in uerbis eſt ſimilitudo, ut, Quid ueniam, qui ſim, quare ueniam, quem inſimulem, cui proſim, quem poſtulem, breui cog. &c. Vel eſt in ſyllabis: ut, Demus operam, Quirites, ne omnino patres conſcripti circumſcripti putentur. Hoc exemplum potius ad apertam pertinere agnominationem uidetur, quae eſt in litteris: ſed huc retulit auctor, propterea quod non ſolum additae, ſed uno tẽpore demptae quoque litterae ſunt. ut additae, Circum: demptae, Con &c. Medium igitur eſt hoc genus inter apertum, atque occultatum. Vel eſt in commutatione caſuum, aut unius, ut in primo exemplo: quae παρήχησις dicitur, propter extremae ſyllabae commutationem, nam prima ἐπαναφορὰν efficit. aut plurium nominum, ut in ſecundo, quae proprie μεταπτωσία appellatur. Haec uel directa eſt, cum ordo grammaticus obſeruatur, ut in primo exemplo. uel eſt inuerſa, cum ordo caſuum mutatur, ut in ſecundo exemplo, in quo παρήχησις quaſi nulla eſt. huc tamen ab auctore refertur, quod aliquo modo μεταπτωσία τῇ παρονομασίᾳ eſt affinis. HAEC *tria*] Vſum trium praecedentium figurarum duplicem oſtendit γενικῶς. Eſt enim duplex orationis genus. unum ſerium, cui ueritas eſt propoſita, quia docet: quale eſt deliberatiuum, ac iudiciale. alterũ non ſerium, in quo uoluptas ſolum, atque delectatio ſpectatur: ut in demonſtratiuo, quod omnes concinnitatis figuras admittit: quae cauſſa fuit, ut in eo ſe ſophiſtae diligenter exercuerint. Huiuſmodi ſunt Iſocratis orationes, & eorum, qui aetate illa, & paullo poſt ſcripſerunt. In ſeria igitur oratione, quam hic ueritatem appellat. harum uſus debet eſſe rarus, ne oratio uideatur eſſe elaborata, qua fides, & grauitas, & ſeueritas oratoria minuitur: propterea quod lepos illis figuris, & feſtiuitas, non dignitas ineſt. Raro autem hae exornationes inſertae, & in cauſſa tota uarie diſperſae, commode luminibus diſtinctis orationem illuſtrabunt. In orationis genere non ſerio, quod ſophiſticum eſt, quia feſtiuae, & concinnae ſunt, frequentius poſſunt uſurpari. Peculiaris etiam uſus eſt agnominationis. uel enim imitationis gratia adhibetur, cum litterarum ſonum rebus accommodamus,

Et ſecum ſola ſicca ſpatiatur arena:

huiuſmodi enim ſtrepitum ambulantes in arena excitant. Vel ſuauitatis cauſſa, ut illud in Quinctiana: Veritas diu iactata, aequitate talium uirorum recreetur. In hoc duo ſunt uitanda uitia. Primum eſt, ſi litterarum ſimilitudo ſit in principio, ut illud Ennianum: O Tite tute Tati, tibi, &c. niſi fiat imitationis cauſſa, ut in ſuperiori exemplo. Alterum eſt, ſi ſit in fine, ut in illo Ciceronis:

O fortunatam natam me conſule Romam.

Hoc uitium mutatione ſyllabarum uitabitur. Vel propter utrumque, tametſi imitatio bona ſuauitate carere non poteſt. Hactenus de uſu. PROPTEREA] Ratio. EIVSMODI] Vſus in oratione non ſeria. STVDIA] concinnarum exornationum. QVARE *fides,*] Tria praetori tribuit maxima, quae ſi his figuris recte non utatur, minuuntur: fidem, grauitatem, ſeueritatem, hoc eſt auctoritatem. FREQVENTER *collocatis:*] in eadem oratione. QVARE, *quae*] Concluſio διακριτική. QVO *modo igitur,*] σύγκρισις.

SVBIECTIO

SVBIECTIO *eſt, cum interrogamus aduerſarios, aut quaerimus ipſi, quid ab illis, aut quid contra nos dici poſſit: deinde ſubiiciemus id, quod dici oportet, aut quod non oportet; aut nobis adiumento futurum ſit, aut offuturum illis e contrario, hoc modo: Quaero igitur, unde iſte tam pecunioſus ſit factus. Amplum patrimonium relictum eſt? at patris bona uenierunt. Hereditas aliqua obuenit? non poteſt dici: ſed etiam a neceſſarijs omnibus exheredatus eſt. Praemium aliquod ex lite, aut iudicio cepit? non modo id non fecit, ſed etiam inſuper ipſe grandi ſponſione uictus eſt. Ergo, ſi his rationibus locupletatus non eſt, ſicut omnes uidetis, aut iſti domi naſcitur aurum, aut unde licitum non eſt pecunias accepit. Item: Saepe, iudices, animaduerti, multos, aliqua ex honeſta re, quam ne inimici quidem criminari poſſint, ſibi praeſidium petere, quorum nihil poteſt aduerſarius facere. Nam utrum ad patris eius uirtutem confugiet? at eum uos iurati capite damnaſtis. An ad ſuam reuertetur antiquam uitam alicubi honeſte tractatam? non. nam hic quidem ante oculos ueſtros quo modo uixerit, ſcitis omnes. An cognatos ſuos enumerabit, quibus uos conueniat commoueri? at hi quidem nulli ſunt. Amicos proferet? at nemo eſt, qui ſibi non putet turpe, iſtius amicum nominari. Item: Credo inimicum, quem nocentem putabas, in iudicium adduxiſti? non; nam indemnatum necaſti. Leges, quae id facere prohibent, ueritus es? at ne ſcriptas quidam iudicaſti. Cum ipſe te ueteris amicitiae commonefaceret, commotus es? at nihilo minus, ſed etiam ſtudioſius occidiſti. Quid? cum tibi pueri ad pedes uolutarentur, miſericordia motus es? at eorum patrem crudeliſſime ſepultura quoque probibuiſti. multum ineſt acrimoniae, & grauitatis in hac exornatione: propterea quod, cum quaeſitum eſt quid oporteat, ſubijcitur id non eſſe factum. Quare facillime fit, ut augeatur indignitas negotij. Ex eodem genere, ut ad noſtram quoque perſonam referamus ſubiectionem, ſic: Nam, quid me facere conueniret, cum a tota Gallorum multitudine circumſederetur? an dimicarem? at cum parua manu tum prodiremus, locum quoque inimiciſſimum habebamus? Sederem in caſtris? at neque ſubſidium, quod exſpectarem, habebamus, neque erat quo uitam produceremus. Caſtra relinquerem? at obſidebamur. Vitam militum negligerem? at ea uidebar eos accepiſſe condicione, ut, quoad poſſem, incolumes patriae, & parentibus conſeruarem. Hoſtium condicionem repudiarem? at ſalus antiquior eſt militum, quam impedimentorum. Huiuſmodi conſequuntur identidem ſubiectiones, ut ex omnibus oſtendi uideatur, nihil potius, quam quod factum ſit, faciundum fuiſſe.*

EXPLANATIO

OCCVPATIO, quae ab Hermogene Ανασκευὴ, Προκατάληψις, Αντεισαγωγὴ, dicitur, ab aliis Πρόληψις, ea, quae ab aduerſario uel ſunt obiecta, uel obiici poſſunt, occupat, ac refellit: in quo oratoris prudentia requiritur. Haec uel eſt perfecta, quae, ut Hermogenes docet, conſtat quattuor partibus, προτάσει, ὑποφορᾷ, ἀντιπροτάσει, καὶ ἀνθυποφορᾷ: propoſitione, obiectione, oppoſita propoſitione, ſolutione. Huius pulcherrimum eſt exemplum pro Archia: Quaeret quiſpiam, quid? illi ipſi ſummi uiri, quorum uirtutes litteris proditae ſunt, iſtane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile eſt hoc de omnibus confirmare: ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Ego multos homines excellenti animo, & uirtute fuiſſe, & ſine doctrina naturae ipſius habitu prope diuino, per ſe ipſos & moderatos, & graues exſtitiſſe fateor. Etiam illud adiungo: ſaepius ad laudem, atque uirtutem, naturam ſine doctrina, quam ſine natura ualuiſſe doctrinam, &c. Vel eſt imperfecta, quae partes non omnes habet, cuius uaria apud oratores exempla obſeruari, atque annotari poſſunt. Sunt omnes fere orationes hac figura plenae. Ad hoc genus referenda eſt, quam hoc in loco Subiectionem uocat, Graeci Απάντησιν appellant, & Ανθυποφορὰν, atque Αντεισαγωγὴν, Plutarchus de iocis oratoriis Αμειψιν uocat. De Ανθυποφορᾷ uide Vlpianum in 1. Olynth Eſt autem Subiectio Ανθυποφορὲ, rei, quam fieri oportuit, aut quae eſſe debet, interrogatio primum, deinde negatio. Partes habet tres, ἐρώτησιν γενικὴν, cuius loco ſaepe propoſitio ponitur; ἀπαρίθμησιν enumerationem; & συμπέρασμα, concluſionem. Απαρίθμησις duas habet partes: ἐρωτήσεις εἰδικὰς τῶν λημμάτων, percunctationes ſpeciales: & ἀφαιρέσεις, ἢ ἀποκρίσεις λυτικὰς, ſingularum interrogationum refutationes. Primum enim quaerimus, quid pro aduerſario, aut contra nos dici poſsit; deinde ſingulis interrogationibus ſubiicimus rationes, quibus id, quod dictum eſt, non ita eſſe oſtendimus. Sed eſt etiam haec generis non unius. Primum enim omnis ἀνθυποφορὰ uel eſt κατηγορικὴ, cum accuſamus, ut in primo exemplo: uel eſt ἀπολογητικὴ, cum aut nos, aut alios defendimus, ut in poſtremo exemplo. Deinde, omnis ἀντυποφορὰ uel eſt συμπερασικὴ, concluſionem habet, ut in primo exemplo: uel eſt ἀπέρασος, quae concluſione caret, ſed eius tamen loco propoſitionem habet, ut in ſecundo exemplo. uel habet utrumque, & propoſitionem, & concluſionem, cuius nullum hic exemplũ poſuit. uel neutrum habet, id quod rarum eſt, ut in tertio exemplo. Propoſitio igitur, & concluſio, uel actu, uel poteſtate adſunt. Tertio, omnis ἀνθυποφορὰ, uel fit in prima perſona, ut in poſtremo exemplo: uel in ſecunda, ut in tertio exemplo: uel in tertio, ut in primo, & ſecundo. MVLTVM *ineſt*] Vſum indicat. σχῆμα eſt δεινώσεως, grauitatis. acriter enim, atque uehementer concludit: quoniam auditorem non ſolum mouet, ſed etiam trahit, dum prudentiam oratoris oſtendit. Nemo enim hac figura recte utitur, niſi qui ingenioſus eſt, & omnes rei partes nouit enumerare. quod cum auditor animaduertit, & auctoritate oratoris, & diuiſione ſufficienti partium, earumq. remotione perſuaſus, concedit nihil potius, quam quod factum ſit, faciendum fuiſſe. Debebat autem hanc etiam, ut & ratiocinationem, & nonnullas alias, inter ſententiarum potius, quam uerborum, exornationes referre.

GRADATIO

GRADATIO eſt, in qua non ante ad conſequens uerbum deſcenditur, quam ad ſuperius conſcenſum eſt, hoc modo: Nam, quae reliqua ſpes manet libertatis, ſi illis, & quod libet, licet: &, quod licet, poſſunt: &, quod poſſunt, audent: &, quod audent, faciunt: &, quod faciunt, uobis moleſtum non eſt? Item: Non ſenſi hoc, & non ſuaſi: neque ſuaſi, & non ipſe ſtatim facere coepi: neque facere coepi, & non perfeci: neque perfeci, & non probaui. Item: Africano induſtria uirtutem, uirtus gloriam, gloriam aemulos comparauit. Item: Imperium Graeciae fuit penes Athenienſes, Athenienſium potiti ſunt Spartiatae, Spartiatas ſuperauere Thebani, Thebanos Macedones uicerũt, qui ad imperium Graeciae breui tempore adiunxerunt Aſiam bello ſubactã. Habet in ſe quendam leporẽ ſuperioris cuiuſque crebra repetitio uerbi, quae propria eſt huius exornationis.

EXPLANATIO

ΚΛΙΜΑΞ a Graecis dicitur, & Επιπλοκὴ. elegans figura eſt, quae poſtremum ſemper uerbum repetit, donec ad ſummum peruenitur: ut illud Virgilij,

Torua leaena lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella:
Te Coridon, o Alexi. trahit ſua quemque uoluptas.

Dicitur Gradatio, quod ueluti gradibus quibuſdam oratio ad extremum uerborum repetitione progrediatur. NAM, *quae*] ἐργασία. Primum, omnis gradatio uel eſt ἁπλῆ ſimplex, quae unum tantummodo uerbũ repetit, ut in tertio exemplo: uel eſt συμπεπλεγμένη cõiuncta, quae repetit plura, ut in primo exemplo, & in illo in Vatinium, Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quam maieſtatis; neque maieſtatis magis, quam Plautiae legis; neque Plautiae legis magis, quam ambitus neque ambitus magis, quam omnium legũ iudicia perierunt. Deinde, Gradatio uel eſt τὸν ῥημάτων in uerbis, ut in duobus primis exemplis: uel eſt τὸν ὀνομάτων, in nominibus, ut in poſtremis exemplis. Tertio, omnis gradatio uel eſt καταφατικὴ affirmatiua, ut in tertio exemplo: uel eſt ἀποφατικὴ negatiua, ut in ſecundo exemplo. Quarto, omnis gradatio uel eſt ἐνθυμηματικὴ, ut in primo exemplo: uel eſt ἐκθετικὴ, ἢ ἀφηγητικὴ, quae ſimplicem habet expoſitionem, ut in tertio exemplo,

de

de Africano, & in illo poetae Tragici apud Quinctilianum: Ioue propagatus eſt, ut perhibent, Tantalus, ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem ſatus Atreus, qui noſtrum porro propagat genus. Quincto, Omnis gradatio ἐνθυμηματικὴ, uel eſt κατασκευαστικὴ, ut in Roſciana: In urbe luxuries creatur, ex luxuria exſiſtat auaritia neceſſe eſt, ex auaritia erumpit audacia, inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur. uel eſt ἀνασκευαστικὸν, ut in XII Philippica: Quid enim, per deos immortales, poteſt reipub. prodeſſe noſtra legatio? prodeſſe, dico? quid, ſi etiam obfutura eſt? obfutura? quid, ſi etiam nocuit? Refellit enim legationis ad Antonium utilitatem. Sexto, omnis gradatio uel eſt pura, quae repetitionem ſolum habet, ut in poſtremis tribus exemplis. Vel eſt mixta, quae eſt figurata, aut ὑποθέσει, ut in primo exemplo: aut ἐπανορθώσει correctione, ut in proximo exemplo de miſſa legatione: aut συγκρίσει, ut in illo Virgilij:

Torua leaena lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella:
Te Corydon, o Alexi.

Septimo, Omnis gradatio uel habet concluſionem, ut hoc Virgilij, Trahit ſua quemque uoluptas: uel concluſione caret, ut in reliquis, niſi forte aliquis poſtremum illud, quod dicitur, concluſionem eſſe dixerit ſingularē. HABET *in ſe*] Vſus, ſuauitatis eſt figura, quia leporem habet: ideoq. in cauſsis ſeriis rarior eſſe debet: quoniam, ut Quinctilianus inquit, apertam habet artem, & magis affectatam.

DEFINITIO

DEFINITIO *eſt, quae rei alicuius proprias amplectitur poteſtates breuiter & abſolute, hoc modo: Maieſtas reip. eſt, in qua continetur dignitas, & amplitudo ciuitatis. Item: Iniuriae ſunt, quae aut pulſatione corpus, aut conuicio aures, aut aliqua turpitudine uitam cuiuſpiam uiolant. Item: Non eſt iſta diligentia, ſed auaritia. ideo quod diligentia eſt accurata conſeruatio ſuorum; auaritia iniurioſa appetitio alienorum. Item: Non eſt iſta fortitudo ſed temeritas: propterea quod fortitudo eſt contemptio laboris, & periculi cum ratione utilitatis, & compenſatione commodorum: temeritas eſt cum inconſiderata laborum perpeſſione gladiatoria periculorum ſuſceptio. Haec igitur commoda putatur exornatio, quod omnem rei cuiuſpiam uim, & poteſtatem ita dilucide proponit, & breuiter explicat, ut neque pluribus uerbis oportuiſſe dici uideatur, neque lucidius potuiſſe dici putetur.*

EXPLANATIO

DEFINITIO Ορισμὸς a Graecis dicitur, quae, quia hic inter σχήματα numeratur, inter διδακτικὰ, καὶ πισοτικὰ eſt ponenda. Haec amplectitur primum proprias poteſtates, ideſt διαφορὰς εἰδοποιοὺς, quas Ariſtoteles συςατικὰς appellauit: quoniam poteſtates proprias rerum indicant, ac conſtituunt. multae enim ſunt aliae differentiae, quae tamen ſingulae definitionem abſoluere non poſſunt. Deinde breuiter, hoc eſt genere, atque proprietate, de quibus dialectici praecipiunt diligenter. Tertio abſolute, tota ſcilicet rei natura comprehenſa. debet enim definitio eſſe perfecta, ut nihil in ea deſideretur, ſed cum definito conuertatur. Laudabitur igitur, ſi ſit breuis, & ſi ſit ἀντίςροφος. MAIESTAS *Reipublicae.*] ἐργασίαν oſtendit exemplis. Omnis oratoria definitio primum uel eſt ſimplex, quae ſeorſim ponitur, ut in duobus primis exemplis: Sub amplitudine opes, ac potentia, ſub dignitate auctoritas honorifica comprehenditur. uel eſt coniuncta, quae habet ἀνθορισμὸν, qui eſt rerum inter ſe differentium definitio, ac diſtinctio. Huius uenuſtiſsimum eſt exemplum in quarto Paradoxo M. T. Ciceronis, ubi copioſiſsime, longeq. aliter definit ciuitatem, atque Clodius, quem in ciuitate exſulem, ſe uero etiam in exſulio fuiſſe ciuem oſtendit. Habet autem definitio coniuncta. primum ἀφαίρεσιν τοῦ ὅρου definitionis aduerſarij: ut, Non eſt diligentia, non eſt fortitudo. deinde θέσιν τοῦ ἀνθορισμοῦ noſtrae definitionis, quae fit διακρίσει συγκριτικῇ comparatione ſimilium, ac diſtinctione differentium. Sunt enim ſimilia, diligentia, & auaritia; fortitudo, & temeritas; quia uitia uirtutum habent ſpeciem: differentia uero ſunt ea, quae in utriſque definitionibus ponuntur. Deinde, omnis coniuncta definitio uel eſt in re eadem, cum ad rem unam duae adhibentur definitiones: ut, Sacrilegium eſt, rei ſacrae ex loco ſacro ablatio. altera: Sacrilegium eſt, cum res ex loco ſacro etiam non ſacra aufertur. Vel eſt in diuerſis, cum ad res duas duae etiam finitiones adhibentur. ut in poſtremis duobus exemplis, in quibus definitiones diligentiae, atque fortitudinis, cum auaritiae, ac temeritatis definitionibus conferuntur. Vel eſt in rebus duabus, ad quas una adhibetur definitio: ut ex loco ſacro alicuius rei ablatio, & furtum eſt, & ſacrilegium. Hoc genus rarum eſt, & inuerſus ἀνθορισμὸς dicitur: Tertio, omnis definitio fit uel per ſuperiora, ut per genera, ac differentias: uel per inferiora, ut per ſpecies, atque enumerationem partium. HAEC *igitur*] Vſum indicat. διδακτικὴ eſt figura, ut ante dixi: quoniam rem ipſam, qualis ſit, ante oculos quaſi proponit, dum uim, atque poteſtatem eius breuiter explicat.

TRANSITIO

Transitio uocatur, quae, cum oſtendit breuiter quod dictum ſit, proponit item breui quod conſequatur, hoc modo: In patriam cuiuſmodi fuerit, habetis: nunc, in parentes qualis extiterit, conſiderate. Item: Mea in iſtum beneficia cognoſcitis: nunc, quo modo iſte mihi gratiam retulerit, accipite. Proficit haec aliquantum exornatio ad duas res: nam &, quid dixerit, commonet; & ad reliquum comparat auditorem.

EXPLANATIO

GRAECI Tranſitionem uocant Μετάβασιν, & Μετάστασιν, quae, quid ſit dictum, breuiter oſtendit: &, quid dicendum reſtet, proponit. Partes igitur habet duas, ἀνακεφαλαίωσιν, ἢ ἀνάμνησιν τῶν ῥηθέντων, repetitionem eorum, quae dicta ſunt, & κατάστασιν, ἢ ὑπόσχεσιν τῶν ῥηθησομένων, propoſitionem eorum, quae ſunt dicenda. Quamquam autem hoc σχῆμα ſimplex eſſe, nec magnam habere uarietatem uidetur, tamen non modo ab oratoribus, ſed a ſcriptoribus etiam artium uarie uſurpatur. Plures autem huius figurae formas me non memini legere, quam apud hoc auctorem. Itaque etiam huius figuaae diuiſiones recenſebimus. Primum igitur, omnis tranſitio uel eſt perfecta, ac plena, quae & ἀνακεφαλαίωσιν habet, & ὑπόσχεσιν, ut in his duobus exemplis. uel eſt imperfecta, quae uel ſolam repetitionem dictorum habet: ut, Hactenus igitur de prima officij oratorij parte dictum eſt. Eſt hoc genus rarum admodum, utuntur eo tamen aliquando oratores. Hermog. ταῦτα ὅσα τε μερισμῷ, καὶ μεσότητος: Atque hactenus de diſtinctionibus, & oratione plena. Vel habet tantum propoſitionem dicendorum: ut, Nunc ad confirmationem tranſeamus. Deinde, Tranſitio perfecta uel eſt continua, ubi nihil inter repetitionem, ac propoſitionem interponitur: qualia ſunt exempla auctoris. uel eſt interciſa, ut prooemium totum ſecundi ad Herennium libri, ubi poſt dictorum repetitionem numeroſam, multa interponit, deinde ad repetitionem redit. Tertio, omnis perfecta tranſitio uel eſt ſimplex: ut, In patriam cuiuſmodi fuerit, habetis; nunc, in parentes qualis extiterit, conſiderate. Et pro lege Manilia: Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. uel eſt figurata: ut in fine primi, & ſecundi de Inuentione ἐνθυμηματικὴ eſt. In fine primi ad Herennium repetitio praeceptorum habet σύστασιν, propoſitio uero ἀπόδειξιν reliquorum in librum ſequentem. Quarto, tranſitio perfecta uel eſt ſimplex, quae, quid ſit dictum, & quid dicendum reſtet, oſtendit, ac proponit breuiter: ut, Diximus de exordio, nunc ad narrationem tranſeamus. uel eſt numeroſa: qualis illa eſt in prooemio ſecundi libri, de qua ante dixi. Haec non ſolum numeroſe ea, quae ſunt dicta, repetit, ſed etiam, quae dicenda ſunt, copioſe proponit. Quincto, imperfecta tranſitio uel eſt ſolitaria, quae ſeparatim ponitur: ut, Nunc de concluſione dicemus. uel eſt coniuncta, quae cum perfecta nonnumquam copulatur: ut illa in libro tertio ad Herennium, Nunc, abſoluta nobis difficillima parte rhetoricae, hoc eſt, inuentione perpolita, atque ad omne cauſſae genus accommodata, tempus eſt ad ceteras partes proficiſci. Deinceps igitur de diſpoſitione dicemus. PROFICIT *haec*] Vſum huius figurae indicat breuiter quemadmodum etiam breuiter eandem tractauit. διδακτικὴ eſt, & renouatrix partitionis, quae docilitatis cauſſa adhibetur.

CORRECTIO

Correctio eſt, quae tollit id, quod dictum eſt, & pro eo id, quod magis idoneum uidetur, reponit, hoc pacto: Quod ſi iſte ſuos hoſpites rogaſſet, immo innuiſſet modo, hoc facile poſſet. Item: Nam, poſtquam iſti uicerunt, atque adeo uicti ſunt; eam quo modo uictoriam appellem, quae uictoribus plus calamitatis, quam boni dederit? O uirtutis comes inuidia, quae bonos inſequeris plerumque, atque adeo inſectaris. Commouetur hoc genere animus auditoris. res enim communi uerbo elata, tantum modo dicta uidetur: ea poſt ipſius oratoris correctionem magis idonea fit pronunciatione. Non igitur ſatius eſſet, dicet aliquis, ab initio; praeſertim cum ſcribas, ad optimum, & lectiſſimum uerbum deuenire? eſt, cum non eſt ſatius, ſi commutatio uerbi id erit demonſtratura, eiuſmodi rem eſſe, ut, cum eam communi uerbo appellaris, leuius dixiſſe uidearis; cum ad lectius uerbum accedas, inſigniorem facias. Quod ſi continuo ueniſſes ad id uerbum, nec rei, nec uerbi gratia animaduerſa eſſet.

EXPLANATIO

CORRECTIO Ἐπανόρθωσις, eſt uerbi collocati emendatio. Habet aliquam cum dubitatione ſimilitudinem. Nam, quod haec dubitat, illa emendat. QVOD *ſi iſte*] ἐργασία. Omnis correctio uel eſt ſimplex, ut in primo exemplo; uel coniuncta, quae correctionem habet geminatam: ut, Quas ille leges, ſi modo leges nominandae ſunt, ac non faces urbis, & peſtis reipub. Item illud in Philippicis: Quid enim, per deos immortales, poteſt reipub. prodeſſe noſtra legatio? prodeſſe, dico? quid, ſi etiã obfutura eſt? obfutura? quid, ſi etiam nocuit? Deinde, correctio uel fit ἐξουθενισμῷ, ἢ μειώσει extenuatione, ut in primo exemplo. plus enim eſt rogare, quam innuere. uel αὐξήσει amplificatione, ut in tertio exemplo, in quo minus eſt Inſequi, quam Inſectari. uel fit tantum μετανοίᾳ emendatione uerbi, cum uel idem emendatur, uel aliud ſubſtituitur, ut poſt dicetur. Tertio, omnis correctio uel eſt mentis, uel uerborum, uel rerum. Mentis, & ſententiae eſt, cum nos ipſos corrigimus, quaſi reprehendentes, ut in Oratore inquit. eſt enim ψεκτική: ut, Vna ſedent, ex accuſatorũ

ſubſelliis

ſubſelliis ſurgunt,non diſsimulant,non uerentur. De ſubſelliis queror? una ex domo prodeunt. Item: Eculeos argenteos nobiles,qui Q. Maximi fuerant,aufert. Imprudens huc incidi,iudices: emit enim, non abſtulit. nollem dixiſſe. Correctio uerborum fit, aut eodem uerbo, ἐπαναλήψει eiuſdem uerbi ὑποθετική: ut, Homo temerarius,ſi modo hominis nomine appellandus eſt is,qui nil cum ratione agat. aut diuerſo,ſiue differens ſit,ut in primo exemplo: ſiue contrarium,ut in Roſciana: Iſtius fide, ac potius perfidia decepti. aut utriſque: ut,Quas leges,ſi modo leges nominandae ſunt, ac non faces urbis,& peſtis reipub. primum enim leges repetit ὑποθετικῶς: deinde grauiora ponit, φθαρτικὰ τῆς πολιτείας,faces, atque peſtem. ἐπανόρθωσις τακτική fit duobus modis, ut in Oratore docet. primum,antequam dixeris,quam Aquila Romanus προδιόρθωσιν appellat: Statuit ille non inimicos,ſed hoſtes. item,Quamquam ſentio, quanta hoc cum offenſione dicam, dicendum tamen eſt. deinde,poſtquam dixeris,quae fortaſſe ἐπιδιόρθωσις non male dicetur: ut, Quamquam illa non poena,ſed prohibitio fuit. Rerum eſt correctio,cum aut in aduerſarium inuehentes,& noſtri, & audiẽtium habemus rationem: ut,Finem dicendi,P.C.faciam: ſaepe enim grauius uidi offendere animos auditorũ eos,qui aliena flagitia aperte dixerunt,quam eos,qui commiſerunt: incertus,in Salluſtium. aut,cum res ingratae,ac prolixae reiiciuntur: alio nomine ἀποδίωξις dicitur. Quarto,omnis correctio uel eſt pura,& aperta,ut in proximo exemplo: uel eſt figura aut interrogatione, aut gradatione, aut ὑποθέσει, aut εἰρωνίᾳ, aut ἀγανακτήσει,aut aliis figuris. Interrogatione: ut,Cuius autem,qui in eo numero fuiſſet,nomen occultatum? occultatum,dico? cuius non ſtatim diuulgatum? Gradatione, ut ſupra ex Philippicis de legatione: Quid enim, per deos immortales,poteſt reipub. prodeſſe noſtra legatio? prodeſſe, dico? quid ſi etiam obfutura eſt? obfutura? quid,ſi etiam nocuit? Poteſt enim exemplum unum pluribus nonnumquam diuiſionibus accommodari,id,quod etiam Hermog. de Ideis oſtendit. ὑποθέσει, ut: Quas ille leges, ſi modo leges nominandae ſunt, ac non faces,& peſtis reipub. εἰρωνίᾳ,ut pro Coelio: Quod quidem facerem uehementius, niſi intercederent mihi inimicitiae cum iſtius mulieris uiro; fratrem dicere uolui, ſemper hic erro. ἀγανακτήσει, ut in Quinctiana: Qui communi ſtudio,ſummis opibus,Sex. Naeuium defendunt: ſi id eſt defendere,cupiditati alterius obtẽperare,&c. Quincto,omnis correctio uel eſt perfecta,cum aliud uerbum ſeligitur,atque ſubſtituitur. uel eſt imperfecta, cum idem uerbum repetitur cum dubitatione ὑποθετικῶς: Quas ille leges, ſi modo leges nominandae ſunt: Homo temerarius,ſi modo homo appellandus eſt. Sexto, omnis correctio uel eſt αἰτιολογική, quae rationem habet additam, ut in 4. Philipp. Laudo uos, Quirites, cum gratis animis proſequimi nomen clariſs. adoleſcentis,uel pueri potius. ſunt enim facta eius immortalitatis,non aetatis, &c. uel eſt ἀναιτιολόγητος,quae ratione caret. Septimo,omnis correctio uel fit laudis gratia,ut in proximo exemplo: uel uituperationis cauſſa,ut Homo temerarius,ſi modo homo nominandus eſt. uel alterius rei cauſſa: Habeo, immo habui. Terent. COMMOVETVR] Vſum indicat. figura eſt προσεκτική,ideſt,auditorem excitat ad diſpiciendũ, quid ſit,in quo ſeipſum correxit orator,& quantum ſit inter illa diſcrimen. RES *enim*] Rationem reddit: Magnam in rebus ſeriis,& amplificationibus uim habet: quoniam tacita quaedam in illa σύγκρισις eſt, & ἐπιμονή. Habent tamen res etiam iocoſae ſuas correctiones,ſed non ſerias. NON *igitur*] προκατάληψις occupatio,qua non timere utitur. Quia enim dixit,correctionem eſſe,quae tollit id, quod dictum eſt, & pro eo id,quod magis idoneum uidetur,reponit,recte obiicere aliquis poſſet,cur non ab initio, praeſertim cum ſcribimus,ad optimum,& electiſsimum uerbum deueniamus? EST, *cum*] λύσις διακριτική. nam,tametſi negari non poteſt,quin aliquãdo ſit ſatius optimum,& electiſsimum uerbum ponere a principio: tamen etiam tempus eſt,cum primum communi uerbo rem efferre ſatius eſt,ut deinde ad electius accedatur. Id fit, ſi uerbi ſelectio rem facit inſigniorem: cuius gratia, ſi continuo ueniſſes ad id uerbum, animaduerſa non fuiſſet. quare uerbi commutatione, auditoris animus excitatur. Correctioni enim competit grauitas orationis, & moderatio: & ea omnia,per quae auctoritas uel paratur,uel conſeruatur.

OCCVPATIO

OCCVPATIO eſt,cum dicimus nos praeterire, aut non ſcire,aut nolle dicere id,quod tunc maxime dicimus, hoc modo: Nam de pueritia quidem tua,quam tu omni intemperantiae addixiſti, dicerem, ſi hoc tempus idoneum putarem: nunc conſulto relinquo. Et illud praetereo,quod rei militari te infrequentem tradidiſti. Deinde, quod iniuriarum ſatisfeciſti L. Labeoni, nihil ad rem pertinere puto. Horum nihil dico: reuertor ad illud, de quo iudicium eſt. Item: Non dico te ab ſocijs pecunias accepiſſe: non ſum in eo occupatus,quod ciuitates, regna, domos omnium depeculatus es: furta, rapinas omnes tuas omitto. Haec utilis eſt exornatio,ſi aut rem, quam non pertineat aliis oſtendere, occulte admonuiſſe prodeſt; aut, ſi longum eſt,aut ignobile, aut planum, aut non poteſt fieri,aut facile poteſt reprehendi, ut utilius ſit occulte feciſſe ſuſpicionem, quam huiuſmodi intendiſſe orationem, quae redarguatur.

EXPLANATIO

OCCVPATIONEM hoc in loco uocat, non Προκατάληψιν ſubiectionem: ſed Παράληψιν, aſſumptionem rei,quam aſſumere uideri nolumus. ab aliis recte appellatur repetitio: male autem Occupatio, de qua ſupra diximus. Et fortaſſe hinc etiam colligi poſſet, Ciceronem hos libros non ſcripſiſſe: cui opinioni plura alia adſtipulantur. Diſsimulationis enim eſt figura,& ab ἀποδιώξει, atque ἀποσιωπήσει differt: quod haec dolore,

lore,ira,indignatione,ſiue alio impedita affectu,orationem non perficit; illa uero aut tamquam indigna ſint, de quibus loquamur,reiicit,aut in aliud reſeruat tempus. At Praeteritio,id quod maxime dicimus praeterire nos,diſsimulat. Nam de] ἐργασίαν duobus indicat exemplis: cum tamen huius etiam figurae ſit uarietas. Primum enim omnis praeteritio uel eſt ſimplex,unius rei,ut contra Verrem: Omitto illam ueterem libidinis iniuriam. uel eſt numeroſa,ut contra Rullum: Non queror deminutionem uectigalium, nō flagitium huius iacturae,atque damni: praetermitto illa,quae,nemo eſt,quin grauiſsime,& ueriſsime conqueri poſsit: nos caput patrimonij pub. pulcherrimam pop.Rom.poſſeſsionem, ſubſidium annonae, horreum belli,ſub ſigno, clauſtrisq. reip. poſitum uectigal,ſeruare non potuiſſe: eum denique nos agrum P. Rullo cōceſsiſſe, qui ager ipſe per ſeſe & Sullanae dominationi,& Graecorum largitioni reſtitiſſet: non dico ſolum hoc in rep. uectigal eſſe,quod amiſsis aliis remaneat,intermiſsis non conquieſcat: in pace niteat,in bello non obſoleſcat: militem ſuſtentet,hoſtem non pertimeſcat. praetermitto omnem hanc orationem, & concioni reſeruo: de periculo ſalutis,ac libertatis loquor. Deinde,praeteritio uel fit uno uerbo,ſiue in re una: ut,Omitto illam ueterem libidinis iniuriam. ſiue in pluribus: ut,Praetereo illa,quae praetereunda non ſunt: nullum huius in priuatis rebus factum auarum,nulla in re pecuniaria contentionem, nullam in re familiari ſordem poſſe proferri. uel fit pluribus uerbis κατ' ἰσοδυναμίαν,ut in auctoris exemplis & in illo contra Rullum: Non queror,praetermitto, non dico,& concioni reſeruo. item: Praetereo,nihil ad rem pertinere puto,horum nihil dico. item: Non dico,non ſum in eo occupatus,omitto,&c. Tertio,praeteritio uel eſt ὡρισμένη,cum ea, quae a nobis praetereuntur,indicantur: ut in iam dictis exemplis. uel eſt ἀόριστος,cum indicamus quidem nos praeterire quaedam,ſed, quae ſint illa,non oſtendimus. ut in illa pro Quinctio: Verū his de rebus non neceſſe habeo dicere ea, quae me P. Quinctius cupit commemorare,tametſi cauſſa poſtulat: tamen,quia poſtulat,non flagitat,praeteribo. Non enim indicat,quae nam illa ſint,quae praeterit,quorū tamen generaliter meminit. Quarto,omnis praeterito uel fit ἀποφάσει affirmando: ut, Omitto illam primam libidinis iniuriam. item in primo huius auctoris exemplo. uel καταφάσει negando: ut in ſecundo exemplo. Quincto,omnis praeteritio uel eſt pura,ut in Verrem: In ſtupris uero,& flagitiis nefarias eius libidines commemorare pudore deterreor. & quaedam ſuperiora. uel eſt figuris aliis permixta. ἐρωτήσει: ut,Quid ego iſtius decreta,quid rapinas,quid hereditatum poſſeſsiones datas, quid receptas proferam? quod etiam ἐπαναφορὰν habet. ἀποστάσει,ἢ ἀποστροφῇ ad aduerſarium: ut in oratione pro domo,ad Clodium: Vides ne me non radicitus euellere omnes actiones tuas? neque illud agere,quod apertum eſt,te omnino nihil geſsiſſe iure,non fuiſſe tribunum plebis? Sexto,omnis praeteritio uel eſt ἀντιλογική, quae rationem habet adiunctam: ut illud in Verrem, In ſtupris uero, & flagitis nefarias eius libidines commemorare pudore deterreor; ſimul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos, coniugesq. ſuas integras ab iſtius petulantia conſeruare non licitum eſt. Vel eſt ἀναιτιολόγητος, quae nullam habet rationem,ut in ſuperioribus exemplis. Haec utilis] Vſum oſtendit,& ſex indicat tempora,quibus utiliter hac figura uti poſſumus. primum,ſi res eſt odioſa,quam ſatius eſt innuere,quam oſtendere: deinde,ſi longa,quae auditori parat faſtidium: tertio,ſi ignobilis,in qua contemptus eſt: quarto,ſi plana: quincto;ſi eſt ἀδυνάτος,de qua ſtultum eſſet dicere: poſtremo,ſi eſt λύσιμος,quam praeſtat ſuſpicioſe praeterire,quam,ut redarguatur,dicere. Poſſunt tamen ſex illa ad duo redigi,ſi aut odioſa res eſt; aut facile poteſt reprehendi,ſi directo dicatur.

DISIVNCTIO. CONIVNCTIO ADIVNCTIO

Disivnctio eſt, cum eorum,de quibus dicimus, aut utrumque, aut unumquodque certo concluditur uerbo, ſic: Populus R. Numantiam deleuit, Carthaginem ſuſtulit, Corinthum diſiecit, Fregellas euertit. Nihil Numantinis uires corporis auxiliatae ſunt, nihil Carthaginienſibus ſcientia rei militaris adiumento fuit, nihil Corinthijs erudita calliditas praeſidij tulit, nihil Fregellanis morum, & ſermonis ſocietas opitulata eſt. Item: Formae dignitas aut morbo defloreſcit, aut uetuſtate exſtinguitur. Hic utrumque, & in ſuperiore exemplo unumquamque rem certo uerbo concludi uidemus.

Conivnctio eſt, cum interpoſitione uerbi, & ſuperiores orationis partes comprehenduntur, & inferiores, hoc modo: Formae dignitas aut morbo defloreſcit, aut uetuſtate.

Adivnctio eſt, cum uerbum, quo res comprehenditur, non interponimus, ſed aut primum, aut poſtremum collocamus: primum, hoc pacto: Defloreſcit formae dignitas aut morbo, aut uetuſtate: poſtremum ſic: Aut morbo, aut uetuſtate formae dignitas defloreſcit: Ad feſtiuitatem diſiunctio eſt appoſita. quare rarius utemur ea, ne ſatietatem pariat. Ad breuitatem coniunctio. quare ſaepius adhibenda eſt. Hae tres exornationes de ſimplici genere manant.

EXPLANATIO

Tres figuras ſimiles coniungit, quarum differentia ἐν τῇ τάξει, in ipſa collocatione praecipue ſpectatur. Diſiunctio enim,quae a Graecis Ἄλυτον,Ἀπόζευγμα,Διάλυτον,Διάζευγμα,a Rufiniano Ἀπόζευξις,ab Aquila Diſiunctum,& Iniunctum uocatur,ſingula ſingulis concludit uerbis. ut, Formae dignitas aut morbo de-

floreſcit,aut uetuſtate exſtinguitur. Coniunctio Μεσόζευγμα, Διεζευγμένον, Ἐνεξαιρούμενον, atque Πολυσύνθετον appellata,uerbo in medio collocato,ſuperiores,& inferiores orationis partes coniungit,hoc modo: Formae dignitas aut morbo defloreſcit,aut uetuſtate. Adiuncti uero,qu. Graeci Συζευγμένον, Πρόζευγμα, καὶ Ἐπεζευγμένον dicunt,uerbum in extremis collocat,idq. uel in principio,quod Προτόζευγμα dicitur: ut,Defloreſcit formae dignitas aut morbo,aut uetuſtate. uel in fine,quod Ὑπόζευγμα uocant: ut, Aut morbo, aut uetuſtate formae dignitas defloreſcit. Diſiunctio igitur ſeparat uerbis pluribus ea, quae uerbo uno poterant coniungi: Coniunctio,& Adiunctio,quae una Coniunctionis uoce poterant comprehendi,contrarium faciunt. Pop. Rom.] ἐργασίαν oſtendit exemplis paucis: tametſi plura in oratoribus poſſunt obſeruari. nam & hae figurae uarie tractantur. Primum enim tres illae figurae aut in duabus fiũt rebus,aut in pluribus: quarum unaquaeque certo uerbo concluditur,ideſt abſoluitur, ac diſtinguitur. prioris exemplum eſt de forma defloreſcente, quod omnibus tribus figuris accommodatur. Plurium rerum eſt primum exemplum diſiunctionis: reliquarum non poſuit, ſed facile in oratoribus obſeruantur: ut in Catil. Nihil ne te nocturnum praeſidium palatij,nihil urbis uigiliae,nihil timor populi,nihil concurſus bonorum omnium,nihil hic munitiſsimus habendi ſenatus locus,nihil horum ora,uultusq. mouerunt? Deinde,diſiunctio uel fit in ἰσοδυναμούσαις idem ſignificantibus,ut in hoc exemplo: Pop. Rom. Numantiam deleuit,Carthaginem ſuſtulit,&c. uel in differentibus, diſtinctione propriorum: ut,Facinus eſt,uincire ciuem Romanum; ſcelus, uerberare; parricidium, necare; quid dicam,in crucem tollere? Tertio,diſiunctio uel eſt ſimplex,ſic: Formae dignitas aut morbo defloreſcit, aut uetuſtate exſtinguitur. uel eſt coniuncta,quae & propoſitionem habet,& redditionem ſubiunctam, quae hanc figuram facit illuſtriorem,ut Rutilius inquit: ut in primo exemplo,in quo ſingula ſingulis reddũtur ita, ut unumquodque proprio uerbo concludatur. Quarto,coniunctio omnis uel fit in principio,uel in fine,uel medio. Hanc auctor ad Herennium Coniunctionem uocat,Aquila Romanus Ἐπιβολὴν Iniectionem appellat: Adiunctionem autem uocabulo ſpeciali,quae fit in principio,atque fine. Poſſunt etiam hae figurae uel purae,uel mixtae eſſe,ut de aliis diximus,neque opus eſt exemplis. Ad *feſtiuitatem*] Vſum indicat praecedentium trium figurarum, quibus in rebus, & quomodo illis ſit utendum. Diſiunctionem dicit eſſe appoſitam feſtiuitati,ideſt concinnitati: coniunctionem breuitati. quare hac frequentius, illa uero rarius utendum eſſe cenſet, ne ſatietatem pariat. Sed hoc intelligendum eſt, ſi diſiunctio fit in rebus idem ſignificantibus. nam in differentibus eſt αὐξητική, & non modo ornatum,ſed etiam robur,atque uim habet, uerbis (ut inquit Aquila) maius ſemper,ac maius aliquid ſignificantibus,ut,facinus,ſcelus,parricidium,uincire, uerberare,necare,in crucem tollere,&c. In fine has figuras de ſimplici genere manaſſe dicit: ideſt,de grammaticorum praeceptis,qui περὶ ζευγμάτων diligenter praecipiunt.

CONDVPLICATIO

Condvplicatio eſt, cum ratione amplificationis, aut commiſerationis,eiuſdem unius,aut plurimum uerborum iteratio, hoc modo: Tumultus C. Gracchi tumultus domeſticos,& inteſtinos comparat. Item: commotus non es, cum tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus. Item: Nunc etiam audes in horum conſpectum uenire proditor patriae, proditor inquam patriae uenire audes in horum conſpectum? uehementer auditorem commouet eiuſdem redintegratio uerbi, & uulnus maius efficit in contrario cauſſae, quaſi aliquod telum ſaepius perueniat in eandem partem corporis.

EXPLANATIO

Condvplicationem uocat,quod Graeci Ἀναδίπλωσιν, Διακοπὴν, καὶ Παλιλογίαν appellant. Ea eſt uel unius, uel plurium uerborum iteratio. Eſt enim repetitionis ſpecies quaedam, & cum primis rectius coniungi poterat. Haec uel αὐξήσεως,uel τοῦ ἐλέου ἕνεκα fieri debet: idq. uel in eadem ſententia,uel in proxime annexa. Tvmvltvs *C. Gracchi,*] ἐργασία. Prima diuiſio: omnis conduplicatio uel unius uerbi iterationem habet,ut in primo exemplo: uel plurium,ut in ſecundo,& tertio exemplo. Altera: conduplicatio fit uel in eadem ſententia,uel in diuerſis,cum in prima ſententia uerbum ultimum, in ſequenti fit primum. ut

Addit ſe ſociam, timidisq. ſuperuenit Aegle,
Aegle Naiadum pulcherrima. — Et illud eiuſdem poetae,
Pierides uos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Hanc conduplicationis ſpeciem alij παλιλογίαν uocant, qua etiam Oratores utuntur: ut pro Cluentio: Quis huic rei teſtis eſt? idem,qui ſui laboris pater. Pater inquam illius,&c. Item in Catilinam: Senatus hoc intelligit,conſul uidet,hic tamen uiuit. uiuit? immo uero in ſenatum uenit,&c. Tertia: Conduplicatio,quae in eadem fit ſententia,uel continuatim repetit uerbum: ut,

O Corydon,Corydon,quae te dementia cepit? Item:
Me me,adſum,qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutili. —

Item illud in quarta Philipp. Laudo,laudo uos,Quirites,cum gratiſsimis animis proſequimini nomen cariſsimi adoleſcentis,uel pueri potius. Hanc Ἀναδίπλωσιν appellant,cuius hic nullum poſuit exemplum,uel repetit

uerbum

uerbum poſt ἐπένθεσιν ſiue unius : ut, Duc age duc ad nos. item : Scis Proteu, ſcis ipſe. item illud in prima contra Catilinam : Viuis,& uiuis non ad deponendam,ſed ad confirmandam audaciam. ſiue plurium uerborum,ut in primo exemplo. haec ab aliis Διακοπὴ dicitur. Vel κατὰ μετάθεσιν per tranſpoſitionem, quae fit in uerbis pluribus,ut in ſecundo,& tertio exemplo. & illud poetae:

Eripis,ut perdas ; perdis,ut eripias.

Vel repetitione principij in fine: ut,

Ante nouis rubeant,quam prata coloribus ante.

Item: Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.

Vtrumque Ἐπαναδίπλωσιν appellant,Hermogenes uero Κύκλον. Quarta,omnis conduplicatio uel eſt ſimplex, ut in ſuperioribus exemplis. uel eſt geminata, ſiue coniuncta, ut in illo pro Milone: Valeant, inquit, ualeant ciues mei, & equites Romani illi, illi tui. Nam & in principio repetit poſt ἐπένθεσιν idem uerbum: & in fine continenter. Quincta, omnis conduplicatio uel eſt ἡδὺς ſuauis, ut illae apud poetas : Scis Proteu, ſcis ipſe. Et,

Addit ſe ſociam,timidisq. ſuperuenit Aegle,
Aegle Naiadum pulcherrima. —

Vel eſt ἠθικὴ: ut,Laudo,laudo uos,Quirites,&c. uel eſt παθητικὴ,quae aut dolorem,aut commiſeratione͂, aut iram,aut indignationem, aut ſimiles affectus indicat. uel eſt αὐξητικὴ, qua amplificandi tantum gratia orator utitur. Vehementer] Vſum indicat καθ᾽ ὁμοίωσιν,ſimilitudine a re militari ſumpta. Grauius uulnerat telum,ſi eandem ſaepius corporis partem laedat: ſic etiam in oratione uerborum duplicatio uehementius auditorem commouet,dum rem altius in animum infigit.

INTERPRETATIO

Interpretatio eſt, quae non iterans idem redintegrat uerbum, ſed id commutat, quod poſitum eſt, alio uerbo, quod idem ualeat, hoc modo: Remp. radicitus euertiſti, ciuitatem funditus deieciſti. Item: Patrem nefarie uerberaſti, parenti manus ſcelerate intuliſti. Neceſſe eſt eius, qui audit animum commoueri, cum grauitas prioris dicti renouatur interpretatione uerborum.

EXPLANATIO

Latius Interpretatio patet, quam ab hoc auctore accipitur: quod ex oratorum exemplis intelligitur. Habent enim oratores figuram generalem Ἐπιμονὴν, immorationem in eadem re: quae, quia uerborum fit interpretatione, a Latinis Interpretatio, ut exempla indicant auctoris, appellatur: a Graecis Ἑρμήνεια, ac Συνωνυμία dicitur. Hermogenes etiam Ἰσοδυναμίαν uocat. Eſt autem Interpretatio, crebra eiuſdem rei uerbis idem ualentibus explicatio. Rempub. radicitus] ἐργασία. Tametſi autem duo tantummodo exempla ponat, tamen in oratoribus maior huius figurae diuerſitas obſeruatur. Primum igitur, omnis interpretatio uel fit nominibus, ut in Philipp. Quis tam barbarus umquam? tam immanis? tam ferus? Vel fit uerbis: ut, Abiit, exceſsit, euaſit, erupit. uel fit uerbis, & aduerbiis ſimul, ut in primo, & ſecundo exemplo. Deinde, interpretatio uel fit ſingulis uerbis: ut, Euaſit, erupit, exceſsit. uel pluribus, ut in auctoris exemplis. Tertio, interpretatio, quae fit uerbis pluribus, uel πρόσθεσιν habet, ut in ſecundo exemplo: uel προσθέσει caret, ut in primo. ſed hoc genus minus uehemens eſt, quam illud. Quarto, in omni interpretatione uel ſimplicia redduntur ſimplicibus, ut in primo exemplo: uel ſimplicibus circumducta, ut in ſecundo, Manus intuliſti. Eſt etiam hoc illo uehementius, quia numeroſus eſt, & uim maiorem habet uerbi dilatio, atque additio. Quincto, omnis interpretatio fit uel ἰσοδυναμούσαις λέξεσι, idem ſignificantibus, ut in primo, & ſecundo exemplo. uel diuerſa ſignificantibus, eodem tamen pertinentibus: ut in Philipp. Vitae ſuae periculo colligauit, a progreſſu arcuit, a reditu refrenauit. Sexto, omnis interpretatio uel eſt ſimplex, ut in ſuperioribus exemplis. uel eſt coniuncta, ut illud in tertia Philippica: Qui niſi in hac repub. natus eſſet, rempub. ſcelere Antonij nullam haberemus: ſic enim perſpicio, ſic iudico, niſi unus adoleſcens illius furentis impetus, crudeliſsimosq. conatus cohibuiſſet, remp. funditus interituram fuiſſe. inter primum enim, & ultimum alia interpretatio per διακοπὴν interponitur: ut, Sic enim perſpicio, ſic iudico. Septimo, omnis interpretatio uel eſt pura; ut in praecedentibus exemplis. uel eſt mixta: nam & haec figura multis aliis miſcetur. Cum interrogatione, pro Ligario: Quid enim, Tubero, tuus ille in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis erat ſenſus armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid quaerebas? quid optabas? Hoc genus Quinctilianus lib. IIX Congeriem uocat, non rerum, ſed uerborum, ac ſententiarum. Cum ſimiliter cadentibus, ut illud ſuperius: Vitae ſuae periculo colligauit, a progreſſu arcuit, a reditu refrenauit. Cum incremento, atque interrogatione iterata: ut, Si quis rex, ſi qua ciuitas exterarum gentium, ſi qua natio feciſſet aliquid in ciuem Romanum, nonne publice uindicaremus? nonne bello perſequeremur? poſſemus hanc iniuriam, ignominiamq. nominis Rom. inultam, impunitamq. dimittere? Commiſcetur etiam & cum aliis figuris, & cum diſtributione, atque expolitione: de quibus infra dicemus. Neceſſe eſt] Vtilem omnino eſſe figuram indicat, quia animum auditoris commouet, dum prioris uerbi grauitas interpretatione renouatur.

COMMVTATIO

Commvtatio eſt, cum duae ſententiae inter ſe diſcrepantes ex tranſiectione ita efferuntur, ut a priore poſterior contraria priori proficiſcatur, hoc modo: Eſſe oportet ut uiuas, non uiuere ut edas. Item: Ea re poemata non facio, quia, cuiuſmodi uolo, non poſſum; cuiuſmodi poſſum, nolo. Item: Quae de illo dicuntur, dici non poſſunt; quae dici poſſunt, non dicuntur. Item: Si poema, loquens pictura eſt: pictura, tacitum poema debet eſſe. Item: Quia ſtultus es, ea re taces: non tamen, quia taces, ea re ſtultus es. Non poteſt dici, quin commode fiat, cum contrariae ſententiae tranſlatione uerba quoque conuertantur. Plura ſubiecimus exempla, ut, quoniam difficile eſt hoc genus exornationis inuentu, dilucidum eſſet, ut, cum bene eſſet intellectum, facilius in dicendo inueniretur.

EXPLANATIO

Hanc figurã Graeci Ἀντιμεταβολὴν, Ἀντανάκλασιν, & generali uocabulo Μετάθεσιν appellant. Haec enim ſententiam per contrarium inuertit, & ita tranſponit ſententias, ut a priore poſterior contraria priori proficiſcatur. Tranſiectionem uocat uerborum μετάθεσιν, quae una cum ſententiis ſunt mutanda. Esse *oportet*] ἐργασία. Omnis commutatio uel fit manente eadem qualitate, affirmantibus utrimque: ut,

Eripis, ut perdas; perdis, ut eripias.

haec proprie Μετάθεσις ἀντιστροφὴ dicitur. Vel fit qualitate mutata per negantia, quae proprie Ἀντιμεταβολὴ dicitur. Deinde, omnis commutatio uel eſt ſimplex, quae κατάφασιν unius, alterius uero habet ἄρνησιν, ut in primo exemplo. uel eſt coniuncta, quae utriuſque ſententiae & κατάφασιν habet, & ἀπόφασιν, ſiue ἄρνησιν, ut in ſecundo, & tertio exemplo. Tertio, omnis mutatio uel fit affirmando & negando, ut in tribus primis exemplis; uel fit per aequipollentia, ut ſunt aduerſa, & priuantia, ut in quarto & quincto exemplo. item: Magiſtratus eſt lex loquens, lex eſt mutus magiſtratus. Quarto, omnis commutatio uel eſt καταφατικὴ aſſertoria, ſiue affirmando fiat, ſiue negãdo, ut in primis tribus exemplis: uel eſt ὑποθετικὴ, ut in quarto exemplo. Quincto, commutatio uel eſt αἰτιολογικὴ, quae rationem habet annexam, ut in poſterioribus exemplis: uel eſt ἀναιτιολόγητος, ratione carens, ut in primo exemplo. Sexto, commutatio uel fit in una periodo, ut in ſuperioribus exemplis: uel fit in duabus, ut in ſequenti exẽplo ex Philipp. de honore habito Ser. Sulpicio. Septimo, cõmutatio omnis uel eſt pura, ut in praecedentibus exemplis; uel eſt cum aliis figuris mixta. Cum dubitatione, ut in Philippicis: Quaeramus igitur, utrum melius fuerit, libertati populi Romani ſceleratorum arma, an libertatem noſtrã armis tuis cedere? Cum dilemmate, in Philippicis: Nam, ſi mors legati ſine caede, atque ferro nullum honorem deſiderat, cur decernit honorem ſepulturae, qui maximus haberi poteſt mortuo? Sin id tribuit Ser. Sulpicio, quod non eſt datum Cnaeo Octauio; cur, quod illi datum eſt, huic dandum non cenſes? Haec Ἀντιμεταβολὴ in duabus facta eſt periodis, quae etiam, praeter dilemma, comparationem habet maioris ad minus. Fit haec etiam nominibus ex diuerſo collocatis, de quo genere ſupra dixi. Non *poteſt &c.*] Primum uſum oſtendit, eam commode, hoc eſt, concinne fieri: habet enim elegantiam. quare etiam cum ſimiliter deſinentibus ſaepe mixta eſt, ut in illo pro Cluentio. Vt & ſine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia ponatur. διδακτικὴ eſt figura, atque ἠθικὴ: docet enim, & hominum mores exprimit. Deinde cauſſam indicat, cur exempla plura ſubiecerit, quod materia eius difficilis ſit inuentu.

PERMISSIO

Permissio eſt, cum oſtendimus in dicendo nos aliquam rem totam tradere & concedere alicuius uoluntati, ſic: Quoniam, omnibus rebus ereptis, ſolum mihi ſupereſt animus, & corpus; haec ipſa, quae mihi de multis ſola relicta ſunt, uobis, & ueſtrae condono poteſtati. uos me, quo pacto uobis uidetur, utamini, atque abutamini licebit impune: in me, quidquid libet, ſtatuite: dicite, atque obtemperabo. Hoc genus tametſi alias quoque nonnumquam tractandum eſt, tamen ad miſericordiam commouendam uehementiſſime eſt accommodatum.

EXPLANATIO

ΣΥΓΧΩΡΗΣΙΣ, & Ἐπιτροπὴ a rhetoribus Graecis dicitur Permiſsio, cum figurate concedimus ſiue iudicibus, ſiue aduerſariis, ut, quod uelint, faciant. Id fit, cum cauſſae noſtrae uehementer confidimus. Huius figurae eundem paene fontem eſſe inquit Quinctilianus, qui eſt communicationis: quae duae figurae inter ſe diſtinctae ſunt, tametſi quidam confundunt. Qvoniam, *omnibus*] ἐργασίαν oſtendit uno exemplo, ſed eſt uarietas in hac etiam figura. Primum permiſsio uel rei eſt, quam alij Ἀντεισαγογὴν, Ariſtoteles Ἀντικατάλλαξιν appellat: ut,

Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes.

Et: O formoſe puer, nimium ne crede colori:
Alba liguſtra cadunt, uaccinia nigra leguntur.

Et in Verrem: Verum eſto, eripe hereditatem propinquis, da palaeſtritis, praedare in bonis alienis nomine ciuitatis, euerte leges, teſtamenta, uoluntates mortuorum, iura uirorum, num etiam patriis Heraclium bonis exturbare

turbare oportuit? Hoc genus primum παρομολογίαν habet, deinde ἀντεισαγωγήν. uel eſt rei, & perſonae ſimul, ut in hoc auctoris exemplo: cum iudici poteſtatem facimus de nobis ſtatuendi quidquid uelit. Deinde permiſsio uel eſt σαφὴς ἢ ἀληθὴς, uera, atque aperta, ut in auctoris exemplo. uel eſt εἰρωνική, ut in Catilinam: Quid exſpectas? proficiſcere: nimium iam diu te imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderant. item: I, ſequere Italiam uentis, pete regna per undas. Tertio, permiſsio uel eſt pura, uel cum aliis mixta: ut ſuperius ex Virgilio,

O formoſe puer, nimium ne crede colori.

Hoc *genus*] Vſus huius figurae duplex eſt. Primum, generalis, in omnibus affectibus; deinde, ſpecialis, in ipſa miſericordiae tractatione, ad quam commouendam plurimum ualet, propter fiduciam, πεποίθησιν oratoriam.

DVBITATIO

Dvbitatio eſt, cum quaerere uidetur orator, utrum de duobus potius, aut quid de pluribus potiſſimum dicam, hoc modo: Obfuit eo tempore plurimum reip. conſulum, ſiue ſtultitiam, ſiue malitiam dicere oportet, ſiue utrumque. Item: Tu iſtud auſus es dicere, homo omnium mortalium? quaero, quonam te digno moribus tuis appellem nomine.

EXPLANATIO

Dvbitatio, Ἀπορία, ſiue Διαπόρησις a Graecis dicitur. Eſt autem dubitatio, cum ſimulamus quaerere nos, unde incipiendum, quid potiſsimum dicendum, an omnino dicendum, ut eandem dubitationem in animis quoque iudicum commoueamus. Haec figura, tametſi in reliquis etiam orationis partibus recte uſurpatur, tamen maxime apta eſt inſinuationibus. quare ſtatim a principio illa utitur Cicero in Ligariana: Itaque, quo me uertam, neſcio. Obfvit *eo temp.*] ἐργασία. Omnis dubitatio uel eſt de uerbo, de qua hoc in loco agit auctor: quoniam adhuc de uerborum exornationibus tractat. uel eſt de re ipſa: ut, Itaque, quo me uertam, neſcio. Haec diuiſio ex tertio etiam de Oratore intelligitur, ubi duplicem dubitationem facit. Deinde, quae fit de uerbo dubitatio, uel fit in delectu propter uerborum copiam, ut in primo exemplo. uel in uerbi deſtitutione propter inopiam, ut in ſecundo. Tertio, quae dubitatio fit in uerbi deſtitutione, uel poſt enumerationem uerbum inueſtigat dignum: Facinus eſt, uincire ciuem Romanum; ſcelus, uerberare; prope parricidium, necare; quid dicam, in crucem tollere? uel caret enumeratione, ut in ſecundo exemplo. Quarto, dubitatio, quae in re eſt, uel eſt ſimplex: Itaque, quo me uertam, neſcio, pro Ligario. uel habet ἐπιμονὴν immorationem, κατ᾽ ἐξάρτησιν, ut Hermogenes uocat, ἐν τῇ ἐμβολῇ, ut pro Cluentio: Equidem, quod ad me attinet, quo me uertam, neſcio. Negem rem illam agitatam in concionibus? Euellam ex animis hominum tantam opinionem? Item illud Terentij: Vbi quaeram, ubi inueſtigem, quem percuncter, qua inſiſtam uia? Et Cicero: Quid primum aut accuſem, aut queras, iudices? ſed hoc fit ἄνευ ἐξαρτήσεως. Quincto, dubitatio rei uel eſt praeteriti temporis, cum nos, ut inquit Quinctilianus, dubitaſſe fingimus. uel eſt futuri, ut in ſuperioribus exemplis. Sexto, omnis dubitatio uel eſt ἀληθής, uera, cum proper rei aut indignitatem, aut difficultatem, aut ſimile aliquid dubitamus, ut illud ſuperius pro Cluentio. uel eſt πλαστή ficta, cum nos dubitare fingimus, ut nobiſcum etiam iudex dubitet. Septimo, omnis dubitatio uel fit καταφάσει, aſſeueratione, uel ἐρωτήσει, interrogatione. Miſcetur haec figura etiam cum aliis figuris, cuius uariationem adoleſcentes in auctorum exemplis facile obſeruabunt. accommodatur πρὸς τὴν πίστιν: facile enim dubitanti iudex credit.

EXPEDITIO

Expeditio eſt, cum, rationibus complurибus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri, aut non fieri potuerit, ceterae tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus, hoc modo: Neceſſe eſt, cum conſtet iſtum noſtrum fundum fuiſſe, oſtendas te aut uacuum poſſediſſe, aut uſu tuum feciſſe, aut emiſſe, aut hereditate tibi ueniſſe. Vacuum, cum ego adeſſem, poſſidere non potuiſti: tuum uſu feciſſe etiamnum non potes: emptio nulla profertur: hereditate tibi, me uiuo, mea pecunia uenire non potuit. relinquitur ergo, ut me ui de meo fundo deieceris. haec exornatio plurimum iuuabit coniecturales argumentationes, ſed non erit tamquam in pleriſque, ut, cum uelimus, ea poſſimus uti. nam facere id non poterimus, niſi nobis ipſa negotij natura dabit facultatem.

EXPLANATIO

Hanc figuram alij Enumerationem uocant, Quinctilianus Remotionem Ἀφαίρεσιν: quoniam, pluribus enumeratis, ac remotis, tandem id, quod uolumus, neceſſario concludimus. Eſt autem expeditio συμπέρασμα δι᾽ ἀπαριθμήσεως, καὶ ἀφαιρέσεως, concluſio rerum plurium enumeratione, ac remotione facta. Partes igitur habet ἀπαρίθμησιν, ἀφαίρεσιν, καὶ συμπέρασμα. Ac, tametſi auctor noſter inter σχήματα τῆς λέξεων hanc figuram numeret, tamen reuera haec quoque rerum, non uerborum eſt. Quare & Quinctilianus illam in capite de Argumentis tractat, & Trapezuntius inter argumentationis ſpecies enumerat. Necesse *eſt, cum*

cum &c.] ἐργασίαν oſtendit, idq. exemplo uno. Refutatur duobus modis: aut cum aliquid dicitur praeteritum, quod concedere uelimus: aut cum aliquid eorum, quae dicta ſunt, ita infirmum eſt, ut contradici poſſit. ut in hoc exemplo, ceteris cõceſsis, quod ſequitur, ui de fundo deieciſſe, negari poterit, ſi aut dono ſe ab ipſo habuiſſe oſtendet, quod in enumeratione praeteritum eſt: aut ſi aliquam enumerationis partem negabit: ut ſi emiſſe ſe ab eo dicet, idq. oſtendere poterit. Sunt etiam huius figurae genera duo: nam aut ſimplex eſt, & pura, cum omnia breuiter enumerantur κατaφατικῶς, ut in hoc exemplo. aut eſt αὐξητική, quae interrogationibus crebris, obiectionibus, atque aliis figuris tractatur copioſe. cuius pulcherrimum eſt exemplum in oratione pro Deiotaro: ut, Is igitur non modo a te periculo liberatus, ſed etiam honore ampliſsimo ornatus, arguitur domi ſe tuae interficere uoluiſſe, quod tu, niſi eum furioſiſsimum iudicas, ſuſpicari profecto non potes. Hactenus propoſitio criminis numeroſa: ſequitur remotio, quae primum praeteritione ἠθικῇ, deinde ἐρωτήσει iterata, tum occupatione, correctione, teſtimonio primum Caeſaris, deinde omnium populorum de probitate, & uirtute regis, uarie & copioſe tractatur: Vt enim omittam, cuius tanti ſceleris fuerit, in conſpectu deorum penatinm necare hoſpitem: cuius tantae importunitatis, omnium gentium, atque omnis memoriae clariſsimum lumen exſtinguere: cuius tanta ferocitatis, uictorem orbis terrarum non extimeſcere: cuius tam inhumani, & ingrati animi, a quo rex appellatus eſſet, in eum tyrannum inueniri: ut haec omittam, cuius tanti furoris fuit? omnes reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes ſocios, omnes prouincias, omnia denique omnium arma contra ſe unum excitare? quo nam ille modo cum regno, cum domo, cum coniuge, cum cariſsimo filio diſtractus eſſet? tanto ſcelere non modo perfecto, ſed etiam cogitato? At credo, haec homo inconſultus, & temerarius non uidebat? quis conſideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio, & prudentia, quam fide, & religioni uitae defendendum puto. nota tibi eſt hominis probitas C. Caeſar, noti mores, nota conſtantia, cui porro, qui modo populi Romani nomen audiuit, Deiotari probitas, integritas, grauitas, uirtus, fides, non ſit audita? Sequitur iam concluſio, & figurata comparatione maioris ad minus, & rationibus confirmata, atque argumentoſa. Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere poſſet, propter metum praeſentis exitij: nec in facinoroſum, niſi eſſet, idem amentiſsimus: id uos & a uiro optimo, & ab homine minime ſtulto cogitatum eſſe confingitis. Hactenus Cicero. Altera diuiſio eſt, quod expeditio uel eſt κατηγορητική, ut in primo exemplo: uel eſt ἀπολογητική, ut hoc Ciceronis eſt. HAEC *exornatio*] Vſum indicat: & ſimul oſtendit, ea nos non poſſe uti, niſi cauſſa utendi dederit facultatem. Nam, tametſi magnus eius eſt in coniecturis uſus, tamen non omnes eiuſmodi habent partes, quae enumerando remoueri poſsint. eſt plane διδακτικὸν σχῆμα.

D I S S O L V T I O

DISSOLVTIO eſt, quae, coniunctionibus uerborum e medio ſublatis, partibus ſeparatis efferuntur, hoc modo: Gere morem parenti, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus. Item: Deſcende in integram defenſionem, noli quidquam recuſare, da ſeruos in quaeſtionem, ſtude uerum inuenire. Hoc genus & acrimoniam habet in ſe, & uehementiſſimum eſt, & ad breuitatem accommodatum.

E X P L A N A T I O

DISSOLVTIO a Graecis Διάλυτον, & Διάλυσις, & Ἀσύνδετον dicitur. eſt enim oratio λελυμμένη, diſſoluta, uel diſiuncta: quae fit inciſis, aut membris breuioribus. Coniunctiones uocat particulas coniunctionis, quibus oratio ipſa coniungitur: partes ſeparatas appellat, ſententias non connexas particulis. Poterat fortaſſe rectius cum ſuperioribus coniungi. GERE *morem*] ἐργασία. Omnis diſſolutio uel fit inciſis, uel membris breuioribus. Deinde, inciſa uel ſingulis fiunt uerbis: ut, Veni, uidi, uici. &, Abiit, exceſsit, euaſit, erupit. Et Cicero contra concionem Metelli: Qui indicabantur, eos uocari, cuſtodiri, ad ſenatum adduci iuſsit. uel pluribus: ut, Quid uis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? & cetera, pro Roſcio. Tertio, inciſa fiunt uel in iiſdem rebus, uerbis ἰσοδυναμοῦσι, ut in proximo exemplo: Quid uis amplius? quid inſequeris? &c. uel in diuerſis: ut, Veni, uidi, uici. &, Vos iſtaec intro auferte, abite, Soſia adeſdũ paucis te uolo. Vel in utriſque, ut in primo exemplo, in quo res diuerſae, uerba autem ἰσοδυναμοῦντα. Quarto, membra etiam uel in iiſdem fiunt rebus ut pro Sex. Roſcio: Verum, ſi a Chryſogono, iudices, non impetramus, ut pecunia noſtra contentus ſit, uitam ne petat: ſi ille adduci non poteſt, ut, cum ademerit nobis omnia, quae noſtra erant propria, ne lucem quoque hanc, quae communis eſt, eripere cupiat. ſi non ſatis habet auaritiam ſuam pecunia explere, niſi etiam crudelitate ſanguinis perlitus ſit: unum perfugium, iudices, &c. quamquam in hoc exemplo membra ſatis longa ſunt. Vel fiunt in diuerſis, uel in utriuſque. exempla paſsim obuia ſunt in oratoribus. HOC *genus*] Vſum indicat duplicem. Primum enim acrimoniam habet, deinde eſt accommodatum breuitati. Acrimonia fit uel concluſionibus ſimplicibus, in perſuadendo: uel concluſionibus uehementibus, in mouendo. Sunt enim duo ſyllogiſmorum genera: unum, quod docet, atque probat; alterum, quod eſt uehemens concludendo. quae duo coniuncta, acrimoniam efficiunt, ad quam diſſolutiones ſunt accommodatae. Breuitas duplex eſt. uel enim eſt ὑποκρίσεως pronunciationis, uel rei. Pronunciationis, ſiue uocis eſt, cum in commoratione per inciſa loquimur: ut, Abiit, exceſsit, euaſit, erupit. &, Quid uis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? Rei eſt, cum res diuerſae breuiter exprimuntur, & in unum accumulantur: ut, Quid igitur faciam?

non

non eam? ne nunc quidem? &c. ad utrumque autem breuitatis genus diſſolutio accommodata eſt. Eſt contraria huic exornationi, quam Polyſyndeton, hoc eſt, coniunctionibus abundans, uocant. ut, Tectumque, Laremque, Auraque, Amyclaeumq. canem, Creſſamq. pharetram.

P R A E C I S I O

PRAECISIO eſt, cum, dictis quibuſdam, reliquum quod coeptum eſt dici, relinquitur in audientium iudicio, ſic: mihi tecum par certatio non eſt: ideo quod populus R. me: nolo dicere, ne cui forte arrogans uidear: te autem ſaepe ignominia dignum putauit. Item: Tu iſta nunc audes dicere, qui nuper alienae domui? non auſim dicere, ne, cum te digna dixero, me indignum quippiam dixiſſe uidear. Hic atrocior tacita ſuſpicio, quam diſerta explanatio facta eſt.

E X P L A N A T I O

A GRAECIS Μετάνοια & multis aliis nominibus appellatur, uſitatius tamen eſt ἀποσιώπησις. a Latinis Praeciſio, & Reticentia, Obticentia, & Interruptio uocatur: quod reticeamus, aut praecidamus, aut interrumpamus id, quod, aut pudore, aut ira, alia ue cauſa moti, dicere non poſſumus. Quidam tamen, ſed male, Praeciſionem uocant Αποδίωξιν, a qua Reticentia differt, ut ſuperius etiã indicauimus: uel quod eius ſit ſpecies, uel quod in ἀποδιώξει eludimus aliquid propoſitum ab aduerſario, &c. at in reticentia, prae dolore, ira, indignatione, uerecundia, orationem non perficimus. Eſt enim haec figura cupientibus, dolentibus, indignantibus, uerecundis familiaris. Partes habet duas: praeciſionem, atque ἔλλειψιν, uerborum, ac ſententiae, & correctionem: quamobrem etiam Μετάνοια a nonnullis dicitur. MIHI *tecum*] ἐργασία. Vlpianus duo genera facit, Αποσιώπησιν, καὶ Υποσιώπησιν, id eſt, Subticentiam, & Reticentiam: & hanc quidem rem prorſus obticere inquit, illam obſcure aliquid indicare. Omnis reticentia, ſiue praeciſio uel eſt ἠθικὴ, quae aut ſolicitudinem, & quaſi religionem oſtendit. ut pro Milone: An huius ille legis, quam Clodius a ſe inuentam gloriatus eſt, mentionem facere auſus eſſet, uiuo Milone, ne dicam conſule? De noſtrum enim omnium, nõ audeo totum dicere. Et illud Demoſthenis pro Cteſiphone in prooemio: Αλλ᾽ ἐμοὶ μὲν, οὐ βούλομαι δὲ δυσχερὲς εἰπεῖν, οὐδὲν ἀρχόμενος τοῦ λόγου, οὗτος δ᾽ ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ. aut uerecundiam, ac pudorem: ut, Cuius etiam domi quiddam iam tum molitus eſt: quid dicam, ipſe intelligit: in Philippicis. aut iudicium, ac ſententiam oratoris, ut in XII Philippica: Quamquam, ſed hoc modo dicere, audire. uoluit enim dicere, omnino non audirem. Vel eſt παθητικὴ, quae aut iram indicat, ut in Philippicis: A me Caeſar pecuniam? deeſt enim Poſtulat. aut indignatio, ac dolorem: ut,

— Me ne incoepto deſiſtere uictam?
Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem? Et,
Quos ego: ſed motos praeſtat componere fluctus.

aut admirationem: ut, Tantam ne patientiam, dij boni, tantam moderationem, tantam in iniuria tranquillitatem, & modeſtiam? Vel eſt τεχνικὴ, quae μεταβάσεως ἕνεκα alio tranſeundi gratia fit, ut inquit Quinctilianus: ut, Communis autem, tametſi ignoſcite mihi, iudices. Obſcurum eſt exemplum, neque unde ſumptum inuenio. Altera diuiſio: Omnis praeciſio uel eſt perfecta, quando nihil exprimitur, unde intelligi id, quod omiſſum eſt, poſſit:

Quos ego: ſed motos praeſtat componere fluctus.

uel eſt imperfecta, cum quaedam ponuntur, quaedam uero omittuntur. In imperfectis autem, aut ex altero, quod omiſſum eſt, intelligitur alterum contrarium, ut in primo exemplo: eum eſſe honoratum a populo, quoniam numquam ignominia dignus ab eo ſit habitus: id quod omittit quidem, ſed collatione tamen alterius perſonae oſtendit. Aut omiſſione rei maioris, & poſitione minoris, maius aliquid intelligitur: ut, Populus enim Romanus ſaepe me, nolo aliquid de me dicere, quod ſit odioſum, amauit. intelligit enim, Honoribus me affecit: quod maius eſt, quam amauit. Tertia: Reticentia uel habet correctionem, ſiue ἀποδίωξιν: ut,

Quos ego: ſed motos praeſtat componere fluctus.

Variae autem ſunt particulae corrigendi in praeciſione: ut, Sed, ſed nolo, nolo plura dicere. non audeo totum dicere: quid dicam, ipſe intelligit, &c. quae particulae a ſtudioſis obſeruandae ſunt. Vel habet tantum ἔλλειψιν uerborum, cum oratio ante ſententiae abſolutionem praeciditur: ut, A me Caeſar pecuniam? ſcilicet, poſtulat. Quarta: Reticentia uel eſt pura, uel eſt mixta. Cum exclamatione, ut in illo ſuperiore ex Philippicis: Tantam ne patientiam, dij boni, tantam moderationem, &c. Cum interrogatione, quae iratis, aut admirantibus maxime familiaris eſt, ut in proximo, & illo Virgilij:

— Me ne incoepto deſiſtere uictam?
Nec poſſe Italia Teucrorum auertere regem?

Quincta: Reticentia uel eſt ſimplex, ut in ſuperioribus exemplis: uel eſt iterata, ut, Tantam ne patientiam, dij boni, tantam moderationem, tantam in iniuria tranquillitatem, & modeſtiam? Sexta: Reticentia uel eſt αἰτιολογικὴ, ut in primo, & ſecundo exemplo: Vtrumque enim αἰτιολογίαν habet ἠθικὴν. uel eſt ἀναιτιολόγητος: ut, Quamquam, ſed hoc malo dicere, audirem: & in aliis exemplis, quae ratione adiuncta carent.

rent. HIC *atrocior*] Vſus huius figurae maximus eſt in amplificatione, propter ratiocinationem. Plus enim uerborum omiſsione, propter ſuſpicionem, quam in animis iudicum commouemus, quam expoſitione indicamus.

CONCLVSIO

CONCLVSIO eſt, quae breui argumentatione ex iis, quae ante dicta ſunt, aut facta, conficit id, quod neceſſario conſequatur, hoc modo: Quod ſi Danais datum erat oraculum non poſſe capi Troiam ſine Philoctetae ſagittis: hae autem nihil aliud fecerunt, niſi Alexandrum perculerunt: hunc exſtinguere, id nimirum capi fuit Troiam.

EXPLANATIO

TAMETSI Concluſio, Επίλογος potius inter argumentationis partes numeranda ſit, tamen, quia uerbis fit non multis, & argumentatione breui, inter uerborum eam σχήματα non minus, quam expeditionem, potuit collocare. Sunt enim uaria concluſionum genera: ſed hoc in loco eam intelligit, quae ſecundo loco fieri ſolet, poſt argumentationem factam, a qua ſolum differt tempore. Repetuntur enim ſaepe res ante tractatae poſt interuallum: ideo fortaſſe non male συμπέρασμα ἐπιλεγόμενον dicetur: quoniam ex iis, quae ante dicta ſunt, aut facta, breui argumentatione conficit id, quod neceſſario cōſequatur. Habet igitur partes duas τῶν λεχθέντων, eorum, quae dicta ſunt, ἀνακαίνωσιν renouationem, & συμπέρασμα concluſionem. Vno igitur uerbo, breui argumentatione, id eſt, cum paucis argumenta repetuntur, ipſe indicauit cauſſam, quare concluſionem inter uerborum σχήματα numeret: quae ſi uerbis fiat pluribus, ſententiarum erit exornatio. QVOD *ſi*] Vnico exemplo tractationem indicat, quod ex poetarum fabulis ſumptum eſt. Scribunt autem multa fuiſſe Graecis oraculo prodita, ſine quibus capi Troia non poſſet: inter haec etiam erant Philoctete ſagittae, quas ab Hercule iam morituro acceperat. de qua re uide Homerum II Iliad. eiusq. commentarium, Ouidium libro XIII Metamorphoſeon, Calabrum libro IX, Seruium in tertio Aeneid. & Boccatium lib. XIII. συλλογιστικὴ igitur, & διδακτικὴ eſt figura, quae rem denuo oſtendens breuius, memoriam adiuuat.

DE. TROPIS

RESTANT etiam decem exornationes uerborum: quas iccirco non uage diſperſimus, ſed a ſuperioribus ſeparauimus, quod omnes in uno genere poſitae ſunt. nam earum omnium hoc proprium eſt, ut ab uſitata uerborum poteſtate recedatur, atque in aliam rationem cum quadam uenuſtate oratio conferatur.

EXPLANATIO

ΠΡΟΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ πρὸς τοὺς τρόπους διδακτική. ſupra enim exornationes uerborum in duas diuiſimus partes: quarum prior de iis figuris, quae uerborum tractatione fiunt, abſoluta eſt: ſequitur altera earum exornationum, quae in ſignificatione conſiſtunt. Hic igitur rationē oſtendit, quamobrem has decem ſequentes exornationes nō immiſcuerit, ſed a ſuperioribus ſeparauerit: quoniam omnes in uno genere poſitae ſunt, hoc eſt in tropis, ſiue modis uerborum, ut a Cicerone appellantur. Graeci enim τρόπους uocant, ἀπὸ τοῦ τρέπειν τὰς λέξεις, quod uerba ab uſitata, propriaq. ſignificatione, ad alienam immutant, atque transferunt. Quare etiam ab Ariſtotele, atque aliis μεταφοραί, καὶ λέξεις τετραμμέναι nuncupantur. Cicero, Graecam ſecutus uocem, Verba modificata uocat. Eſt autem Tropus, ut Quinctilianus definit, uerbi, uel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum uirtute mutatio. Hanc uirtutem auctor ad Herennium Venuſtatem appellat: quae niſi in formandis tropis nobis ſit propoſita, nullam habebunt gratiam. Omnis autem tropus aut fit in uerbis ſingulis, ut ὀνοματοποιΐα, & aliae; aut in coniunctis, ut περίφρασις, & aliae. Ariſtoteles, Quinctilianus, & alij Troporum appellatione plures exornationes comprehendunt: ſed hic auctor, dum ea, quae ſunt in arte praecipua, Herennio uoluit indicare, non modo non diſtinguit omnia ſubtilius, ſed multa etiam confundit. Meliorem ordinem alij habent, quorum praeceptiones cum his conferri poſſunt.

NOMINATIO

DE quibus exornationibus Nominatio eſt prima: quae nos admonet, ut, cui rei nomen aut non ſit, aut ſatis idoneum non ſit, eam noſmet idoneo uerbo nominemus, aut imitationis, aut ſignificationis cauſſa. Imitationis hoc modo, ut maiores rudere, & uagire, & mugire, & murmurare, & ſibilare appellauerunt. Significandae rei cauſſa, ſic: Poſtquam iſte in remp. fecit impetum, fragor ciuitatis in primis eſt auditus. Hoc genere raro utendum eſt, ne noui uerbi aſſiduitas odium pariat: ſed, ſi commode quis eo utatur & raro, non modo non offendet nouitate, ſed exornabit etiam orationem.

EXPLANATIO

PRIMVS modus ab hoc auctore Nominatio, a Graecis Ονοματοποιΐα dicitur, quae fit imitatione, cū non naturam, ſed habitum, geſtum, atque ſonum rerum in faciendo, ſiue modificando uerbo ſequimur: ut, Sullaturire, mugire, rudere, ſibilare, &c. Hanc Quinctilianus Graecis inter maximas uirtutes habitam fuiſſe, nobis autem uix permitti ſcribit, tametſi multa ſunt etiam noſtro ſaeculo huiuſmodi nata, & a doctis uſurpata. Omnis nominatio uel eſt antiqua, atque uſurpata, uel eſt noua. Haec diuiſio obſeruanda eſt propter uſum, de quo infra dicemus. Deinde, omnis nominatio uel fit παραγωγῇ, deductione, atque declinatione facta ex uocibus in uſum receptis: ut, Sullaturire, ſcripturire, laureati poſtes, &c. uel fit θέσει, inuentione, atque impoſitione hominum. Tertio, omnis nominatio, quae fit θέσει, bipartita eſt. uel enim fit μιμήσει, imitatione habitus, geſtus, atque ſoni rei. cuius cauſſa eſt neceſsitas, cum res ipſa nomen habet nullum: ut, Rudere, mugire, uagire, murmurare: & noſtri ſaeculi, Bombarda, Sclopus, Campana. Item:

Et ſecum ſola ſicca ſpatiatur arena.

eſt enim in ipſa παρηχήσει etiam ὀνοματοποιΐα, cum ſonum imitamur rerum, ut hic in arena ambulantium ſtrepitum poeta litterarum ſono expreſsit. uel fit ἐργασίᾳ tractatione, ſignificationis cauſſa, cum rei non eſt ſatis idoneum nomen: ut fragor proprie arborum, lignorum, ac ſaxorum eſt: tractatione autem fit ὀνοματοποιΐα, ut fragor ciuitatis, pro euerſione. Tametſi mihi potius uideatur eſſe metaphora. HOC *genere*] Oſtendit uſum huius figurae duplicem. Primum commode, deinde raro illa utendum eſſe. Id rectius intelligemus, ſi primam diuiſionem obſeruemus. Antiquis enim, in rebus praeſertim diuerſis, crebrius uti poterimus: nouis autem rarius, ſiue ab aliis illa uſurpata ſint, ſiue a nobis primum inuenta: cum id aut neceſsitas coget, aut uenuſtas permiſerit.

PRONOMINATIO

PRONOMINATIO eſt, quae ſicuti cognomine quodam extraneo demonſtrat id, quod ſuo nomine appellari non poteſt, ut ſi quis, cum loquatur de Gracchis, At non Africani nepotes, inquiet, iſtiuſmodi fuerunt. Item: ſi quis de aduerſario dicat: Videte nunc, inquit, iudices, quemadmodum me Plagioſippus iſte tractarit. Hoc pacto non inornate poterimus & in laudando, & in laedendo aut in corpore, aut in animo, aut in extraneis rebus dicere, ſicuti cognomen, quod pro certo nomine collocamus.

EXPLANATIO

LATINI Pronominationem, Graeci Ἀντονομασίαν uocarunt, quod ſit ὀνόματος, nominis permutatio quaedam. Eſt autem haec figura maxime perſonarum: & non proprio, ſed extraneo cognomine monſtrat id, quod ſuo nomine appellari non poteſt, ſiue orationis numerus, ſiue ornatus, ſiue emphaſis, ſiue carminis neceſsitas aliud poſtulet. Fit autem ſex modis. Primum πατρωνυμικοῖς ἀντὶ τῶν κυρίων, ut Aeacides pro Achille, Dardanidae pro Troianis, Iſacidae pro Iudaeis, ab Iſaco: Priameia uirgo pro Caſſandra, apud Maronem. Hic etiam illa poſſunt comprehendi, quae fiunt περιφράσει, ut Atrei filius pro Menelao: ponitur enim ἀντὶ τοῦ πατρωνυμικοῦ. Deinde ἐπιθέτοις, quae perſonarum habent notationem: ut,

— thalamo quae fixa reliquit Impius: pro Aenea, in 4. Aeneid. Senex pro Simone, apud Terentium. Tertio, κτητικοῖς, patriis poſſeſsiuis: ut, Tyrinthius pro Hercule, Cytherea pro Venere, Cynthius pro Apolline. Quarto, προσηγορικοῖς, ſubſtantiuis, aut appellatiuis pro propriis ſumptis, quae uel ſtudiū, uel artem, uel dignitatem, uel officium κατ᾽ ἐξοχὴν ſignificant: ut philoſophus pro Ariſtotele, poeta pro Virgilio aut Homero. Quincto, κυρίοις ἀντὶ τῶν προσηγορικῶν, cum propria pro appellatiuis ſumuntur, quibus illorum aut affectio, aut proprietas ineſt: ut, pro ſapiente Socrates, Thraſo pro glorioſo, Sardanapalus pro molli, Midas pro ſtulto, & auaro, Timon pro oſore hominum, Therſites pro deformi, Craſſus pro diuite, Verres pro fure. Sexto, ἐθνικοῖς, gentium, aut nationum attributis: ut, Poenus pro foedifrago, Cretenſis pro mendaci, Sybarita pro luxurioſo, &c. Sumuntur autem haec omnia uel ab internis bonis, quae ſunt animi, ut, cor ciuitatis pro Scipione; uel corporis, ut, Therſite pro deformi: uel externis, ut Craſſus pro diuite: quae omnia facile diiudicari poterunt. HOC *pacto non &c.*] Oſtendit uſum: tametſi autem poetarum magis, quam oratorum, eſſe uideatur, tamen etiam oratoribus eſt in uſu, uel cum laudant, uel cum uituperant, uel cum orationem ornant.

DENOMINATIO

DENOMINATIO eſt, quae a propinquis, & finitimis rebus trahit orationem, qua poſſit intelligi res, quae non ſuo uocabulo ſit appellata. Id aut ab inuentore conficitur, ut ſi quis, de Tarpeio loquens, eum Capitolium nominet: Aut ab inuento, ut ſi quis pro Libero uinum, pro Cerere frugem appellet: Aut ab inſtrumento dominum, ut ſi quis Macedonas appellarit hoc modo: Non tam cito Sariſſae Graecia potitae ſunt. Aut idem Gallos ſignificans dicat: Nec tam facile ex Italia materis tranſalpina depulſa eſt. Aut id, quod fit, ab eo, qui facit, ut ſi quis, cum bello uelit oſtendere aliquid quempiam feciſſe, dicat: Mars iſtud te facere neceſſario

rio coegit. Aut ſi quod facit, ab eo, quod fit, ut cum deſidioſam artem dicemus, quia deſidioſos facit, & frigus pigrum, quia pigros facit. Ab eo, quod continet, id quod continetur, hoc modo denominabitur: Armis Italia non poteſt uinci, nec Graecia diſciplinis: nam hic pro Graecis, & Italis, quae continent, notata ſunt. Ab eo, quod continetur, id, quod continet, ut ſi quis aurum, uel argentum, aut ebur nominet, cum diuitias uelit nominare. Harum omnium denominationum magis in praecipiendo diuiſio, quam in quaerendo difficilis inuentio eſt: ideo quod plena conſuetudo eſt non modo poetarum & oratorum, ſed etiam quotidiani ſermonis, huiuſmodi denominationum.

EXPLANATIO

DENOMINATIO a Graecis Μετωνυμία, & Ὑπαλλαγὴ dicitur: a Cicerone Immutatio uocatur, cum e rebus inter ſe propinquis, & cognatis, quaeq. aliquam habent relationem, quas finimitas appellat, uocabula ſumimus: ut ſunt cauſſae cum effectis. Differt a figura proxima uſu, & materia: illa enim rarius, hac uero ſaepius eſt utendum. deinde haec eſt rerum diuerſarum quidem, ſed tamen cognatarum, atque etiam perſonarum: illa autem perſonarum tantum. A Tranſlatione differt, quod haec in rebus fit remotis, ut eloquens, & arbor: a qua tamen Demoſthenem Athenis, Romae autem Ciceronem floru iſſe dicimus. Denominatio uero in rebus fit coniunctis, ac finitimis. ID *aut*] ἐργασία. Septem recenſet ſpecies huius figurae, tametſi plures ſunt, ut etiam ipſe indicat in fine: quae omnes uel a cauſsis, uel ab effectibus, uel ab eo, quod continet, id, quod continetur, aut contra, ducuntur. Cauſſae uel ſunt efficientes, uel organicae, efficientes perſonarum, & rerum. A perſonis igitur primum ſumimus inuentorem, aut praeſidem, pro re inuenta, ac ſubiecta: ut, Cererem pro frugibus, Bacchum pro uino, Martem pro bello. Deinde poſſeſſorem pro eo, quod poſsidetur, ut, De ſene guſtarit, ideſt, de pecunia ſenis: Horatius. Hunc tibi comedendum propino, ideſt, eius bona deuoranda: Terentius in Eunucho. Tertio, auctorem pro opere: ut, Cicero ſemper eſt in manibus habendus. Homerus tanti aeſtimatus ab Alexandro fuit, ut ſcriniolum pretioſiſsimum, in praeda Darij repertum, illius cuſtodiae dari iuſſerit. Quarto, ducem pro exercitu: ut, Hannibalem eſſe caeſum. Quincto, a rebus ipſis ſumitur cauſſa efficiens pro effectu, id, quod facit, pro eo, quod fit: ut, Mars iſtud facere neceſſario te coegit. Sexto, cum ipſum ὄργανον inſtrumentum pro domino ponitur. ut, Si quis Macedones appellarit, hoc modo: Non tam cito Sariſſae Graecia potitae ſunt. aut, Gallos ſignificans, idem dicat: Nec tam facile ex Italia armatura tranſalpina depulſa eſt. Ab affectibus contrario modo ſumimus ea, quae pro cauſsis ponuntur. Sunt hi modi illis ἀντίστροφοι, in quibus obſeruanda eſt loquendi conſuetudo, atque uſus. non enim omnia uſitate dicuntur, & abhorret forum a multis, quoniam duriora ſunt, quae apud poetas tamen habent gratiam. Primus igitur modus eſt, cum inuentum pro inuētore ponimus: ut, Vinum pro Baccho. alter, cum id, quod efficitur, pro eo, quod facit: quem quidam Μετάληψιν uocant. ut triſtis ſenectus, maeſtus timor, pallentes morbi, pallida mors. non enim id ſunt, ſed, quod eſſe dicuntur, id efficiunt. Tertius, cum facinus, ſiue actus, pro eo, qui deſignauit, ſumitur: ſcelus pro ſceleſto, apud Terent. Vbi iſtic ſcelus eſt, qui me perdidit? Item opus pro auctore, uirtutes, uitia, artes, pro iis, in quibus ſunt: ut, luxuria pro Antonio, auaritia pro Verre, philoſophia pro Ariſtotele, &c. Huc etiam pertinēt, quae ad perſonam, & rem poſſunt referri: ut audacia ad hominem, atque facinus. Ab eo uero, quod continet, id quod continetur, ὑπαλλαγῇ deducitur: ut, Armis Italia non poteſt uinci, nec Graecia diſciplinis, pro Graecis, & Italis: Saeculum felix, epotos cados, ſpumans patera, pro iis, quae in his continentur. Sic & Campus pro comitiis, Curia pro ſenatu, κατὰ περίστασιν τοῦ τόπου ἀντὶ τοῦ πράγματος, loci pro re, quae in loco fit, aut habetur. Ab eo autem, quod continetur, ad id, quod continet, durior fit ἀντιστροφὴ: ut, ſi quis aurum, argentum, aut ebur nominet, cum diuitias uelit nominare. Item apud poetas: Eamus ad nos, apud Terent. ideſt, ad noſtras aedes. Et, Iam proximus ardet Vcalegon: Et,

> Crateras magnos ſtatuunt, & uina coronant.

Sed haec poetis licent, oratoribus uero minus. Poſtremus modus eſt, cum aut ſignum pro re ſignata ponitur: ut,

> Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

pro pace Toga, pro belli gloria, & triumpho Laurea. Item.

> Et iam ſumma procul uillarum culmina fumant:

pro nocte imminente. Aut habitus pro perſona: ut Plato e repub. ſua eiecit poeticam. ideſt, poetas. HARVM *omnium*] Vſum indicat triplicem. primum enim poetae, deinde oratores, tertio etiam populus in ſermone quotidiano hac figura utitur: quamobrem non parum huiuſmodi uerborum immutationes orationem or nare ſolent. Hinc etiam fit, ut diuiſio ſufficiens difficilior ſit, quam inuentio, atque uſus.

CIRCVITIO

CIRCVITIO eſt, oratio rem ſimplicem aſſumptam circumſcribens elocutione, hoc pacto: Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit. Nam hic, niſi ornandi ratio quaedam eſſet habita, Scipio potuit & Carthago ſimpliciter appellari.

ŒXPLANATIO

DIXIMVS ante, cum in tradendis figuris non obſeruare aut numerum eum, quem debebat, aut ordinē: quod etiam hoc in loco facit. Eſt enim circuitio illis adiungenda tropis, quae in uerbis fiunt coniunctis. Alij Circuitum, alij uero Circumlocutionem appellant, Graeci Περίφρασιν. Omnes res aut ſimpliciter dicūtur, aut quadam circuitione. Quidquid igitur ſimpliciter non effertur, id Περίφρασις appellatur: quae nihil eſt aliud, quam orationis, quae uerbo uno, aut paucioribus efferri poterat, dilatatio, atque explicatio. ut, Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit: pro ipſo Scipione dicitur. Cauſſae huius figurae duae ſunt. prima eſt ipſa neceſſitas, cum aut turpitudo, & obſcenitas uerbis obſtat, aut nullum rei exſtat nomen. altera ornatus, & orationis copia, quem Fabius poetis frequentiſsimum, oratoribus non rarum, ſemper tamen adſtrictiorem eſſe dicit. quidquid autem ſignificari breuius poteſt, & cum ornatu latius oſtenditur, id περίφρασις dicitur, quae eſt uaria. Omnis enim περίφρασις, primum uel eſt perſonarum, ut Troiani belli ſcriptor; uel eſt rerum, ut Animal ratione praeditum. Deinde, omnis περίφρασις uel fit ἐπεκτάσει dilatatione, uel προσλήψει aſſumptione rerum exterarum. dilatatur oratio aut ἐτυμολογίᾳ explicatione nominis, ut Philoſophus ſapientiae ſtudioſus: aut ὅρῳ, definitione rei, ut Rhetorica dicendi doctrina. Aſſumptio uel eſt paucarum rerum, uel plurium. paucarum, cum aut patria, aut ſecta, aut facinus aliquod pro nomine proprio ponitur: ut Poeta Mantuanus pro Virgilio, Peripateticae ſcholae princeps pro Ariſtotele, Euerſor Carthaginis, & Numantiae pro Scipione. Plurium rerum aſſumptio, cum notis, & ſignis quibuſdam rerum fortuitarum, aut rem, aut perſonam aliquam deſcribimus: ut, Bilis efferueſcit, pallet uultus, ardent oculi, tremor membra occupat. pro irato. In perſonis ea eſt uarietas, ut uel ponantur perſonarum nomina cum ipſa re, atque accidentibus: ut, Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit, pro Scipione, & Carthagine: item apud Homerum:

> Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω Ἀχιλῆος
> Οὐλομένην, &c. eſt enim notus locus. uel perſonae nomen omittitur: ut,
> Arma uirumq. cano, &c.
> &, Troiani belli ſcriptorem, &c.

uterque enim poeta ita deſcribit perſonam, ut, quae ſit, facile poſsit iudicari. Atque huius figurae uſus maxime in ornando conſiſtit: quae cum in uitium incidit, Περισσολογία dicitur, id eſt ſuperfluitas nihil ad rem pertinens.

TRANSGRESSIO

TRANSGRESSIO eſt, quae uerborum perturbat ordinem peruerſione, aut tranſiectione. Peruerſione ſic: Hoc uobis deos immortales arbitror dediſſe uirtute pro ueſtra. Tranſiectione hoc modo: Inſtabilis in iſtum plurimum fortuna ualuit. Item: Omnes inuidioſe eripuit tibi bene uiuendi caſus facultates. Huiuſmodi tranſiectio, quae rem non reddit obſcuram, multum proderit ad continuationes, de quibus ante dictum eſt: in quibus oportet uerba ſicuti ad poeticum quendam exſtruere numerū, ut perfecte, & perpolitiſſime poſſint eſſe abſolutae.

EXPLANATIO

TRANSGRESSIO Ὑπέρβασις, ἢ Ὑπέρβατον eſt, quando uerba ὑπερβαίνονται, id eſt tranſgrediuntur ordinem grammaticum: quod frequenter ratio comparationis, & decor poſcit. fit enim ſaepe aſpera, & dura, & diſſoluta, & hians oratio, ſi ad neceſsitatem ordinis ſui uerba redigantur. quare, ut in ſtructuris lapidum impolitiorum, ſic etiam in uerborum collocatione, ordinis eſt habenda ratio: cuius mutatio, orationem maxime facit numeroſam. PERVERSIONE.] ἐργασίαν oſtendit, & duas tantum tranſgreſsionis facit ſpecies, peruerſionem, & tranſiectionem, ut etiam Quinctilianus. alij plures addunt. Omnis igitur tranſgreſsio fit uel in uerbis ſingulis, uel in coniunctis. Deinde in ſingulis aut fit τμήσει ſectione, ut, Quo me cumque rapit tempeſtas deferor hoſpes: aut ἀναστροφῇ, ἢ ἀντιστροφῇ peruerſione, idq. uel in uno uerbo, ut Mecum, Tecum, Secum: uel duobus, ut Virtute pro ueſtra, Quibus de rebus. In uerbis pluribus fit aut ὑπερβάτῳ, tranſgreſsione: cum decoris gratia contrahitur longius uerbum: ſic enim proprie ὑπερβάτου nomen tenet: ut, Animaduerti, iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. aut συγχύσει tranſiectione, ſiue confuſione: ut, Inſtabilis in iſtum plurimum fortuna ualuit: omnes inuidioſe eripuit tibi bene uiuendi caſus facultates. Huiuſmodi multa ſunt in poetis, ut illud in I. Aeneidos: Tres Notus abreptas, medijs quae in fluctibus, aras, Saxa uocāt Itali, &c. notus eſt locus. aut fit παρενθέσει interpoſitione, cum continuationi ſermonis medius aliquis ſenſus interuenit: ut, Ego cum te, mecum enim ſaepiſsime loquitur, patriae reddidiſſem, aut ἐπεμβολῇ interiectione alterius ſententiae, ut in epiſt. ad Brutum: Peto a te hoc diligentius, quam ſi mea res eſſet: quo eſt honeſtius de amicorum pecunia laborare, quam de ſua: ut negotium conficiendum cures, &c. Sunt exempla in orationibus plura. HVIVSMODI *tranſiectio*.] Vſum indicat eſſe huius tropi in periodis, ſi rem non reddat obſcuram. Sectione igitur non utemur, niſi uſitata ſit: ut, Per mihi gratus, apud Cicer. & ſimilia. Parentheſis orationem diuidit. Epembole continuat: haec ad rem pertinet, illa ſaepe a re aliena eſt: utraque orationem obſcuram reddit, ſi ſit prolixa. Confuſione uti poſſumus in aſperitate, cum uel ἀλληγορικῶς, uel αἰνιγματικῶς aliquid dicturi ſumus.

SVPERLATIO

SVPERLATIO eſt oratio ſuperans ueritatem, alicuius augendi, minuendi ue cauſſa. Haec ſumitur ſeparatim, aut cum comparatione. Separatim ſic; Quod ſi concordiam retinebimus in ciuitate, imperij magnitudinem ſolis ortu, atque occaſu metiemur. Cum comparatione, aut a ſimilitudine, aut a praeſtantia ſuperlatio ſumitur. A ſimilitudine ſic: Corpore niueum candorem, adſpectu igneum ardorem aſſequebatur. A praeſtantia hoc modo: Cuius ore ſermo melle dulcior profluebat. Eodem genere hoc eſt: Tantus erat in armis ſplendor, ut ſolis fulgor obſcurior uideretur.

EXPLANATIO

SVPERLATIO Ὑπερβολή, eſt oratio ſuperans ueritatem, alicuius augendi, minuendiue cauſſa. Cicero huiuſmodi uerba Superlata uocat. ſupra fidem enim eam rem, quam magnam, aut paruã uideri uolumus, uel amplificant, uel extenuant. Eam ob cauſſam Ariſtoteles hanc figuram μειρακιῶδην εἶναι dicit: quoniam adoleſcentes natura & augere nimium rem ipſam, & minuere ſolent. Poetis frequens eſt, oratoribus autem rara. HAEC SVMITVR] ἐργασία. Primum omnis ὑπερβολὴ aut eſt μειρακιώδης iuuenilis, quae uitanda eſt, praeſertim oratori, aut eſt ποιητικὴ poetarum, quibus ita loqui, quoniam ſunt magniloqui, & a quotidiani ſermonis conſuetudine remotum orationis genus habent, & ex profeſſo multa fingunt, licet. aut eſt oratoria, quae medium quid inter hanc poeticam, & illam iuuenilem ſeruat. Deinde, omnis ὑπερβολὴ uel eſt ἁπλῆ, nuda, atque ſolitaria, ut in primo exemplo. uel eſt συμπεπλεγμένη, ἢ σύνθετος, coniuncta. Tertio, coniuncta ſuperlatio aut fit μεταφορᾷ in tranſlatione, ut, Iugulare aliquem iudicio. huiuſmodi ſunt ea, quae per ſimplicem adhibentur denominationem: ut, cum rem uehementer ſuauem Mel, aut Nectar appellamus, acerbam Fel. Aut fit εἰκασμῷ imagine: ut, ſi quis crudeliſsimum hominem Atreum appellet. aut ὑπαλλαγῇ, ut cum ſcelus pro ſceleſto, ſenium pro admodũ ſene, Therſiten pro deformi. eſt enim huiuſmodi ὑπαλλαγὴ ὑπερβολική. Aut ἀντιπαραβολὴ comparatione, quae uel a ſimilitudine ὁμοιώσει qualitatis ſumitur: ut, Corpore niueum candorem, adſpectu igneum ardorem aſſequebatur, uel a praeſtantia imparium, ac diſsimilium rerum, ſiue maiorum, ac minorum: ut, Arma tua ſplendidiora ſole ſunt. ſiue plus, quam maiorum, ac minorum: ut, Tantus erat in armis ſplendor, ut ſolis fulgor obſcurior uideretur. Aut σημείῳ, cum res ſignis quibuſdam extollitur: ut,

> Illa uel intactae ſegetis per ſumma uolaret
> Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas.

Aut geminatione, cum alia etiam ὑπερβολὴ additur: ut, Quae Charybdis tam uorax? Charybdim, dico? quae ſi fuit, fuit animal uiuum. Oceanus mediusſidius uix uidetur tot res, tam diſsipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Quarto, omnis ὑπερβολὴ uel eſt αὐξητικὴ quæ augendi gratia fiunt: ut in ſuperioribus exemplis: uel eſt μειωτική, minuendi cauſſa facta: ut, Vix oſsibus haerent, Caecior talpa, Leuior folijs. Fit haec ijſdem rationibus, quibus αὐξητική. Vſum huius tropi duobus uerbis oſtendit, quod fiat augendi, minuendiue cauſſa: in quibus adhibendus eſt modus. de qua re uide etiam in tertio Rhetor. Ariſtot. & in ſecundo de Oratore Ciceronem.

INTELLECTIO

INTELLECTIO, eſt, cum res tota parua de parte cognoſcitur, aut de toto pars. De parte totum ſic intelligitur: Non illae te nuptiales tibiae eius matrimonij commonebant? Nam hic omnis ſanctimonia nuptiarum uno ſigno tibiarum intelligitur. De toto pars, ut ſi quis ei, qui ueſtitum, aut ornatum ſumptuoſum oſtentet, dicat, Oſtentas mihi diuitias, & locupletes copias iactas. Ab uno plura intelliguntur, hoc modo: Poeno fuit Hiſpanus auxilio, fuit immanis ille tranſalpinus, in Italia quoque idem non nemo togatus ſenſit. A pluribus unum ſic intelligitur: Atrox calamitas pectora maerore pulſabat: itaque anhelans ex imis pulmonibus prae cura ſpiritus ducebatur. Nam in ſuperioribus plures Hiſpani, & Galli, & togati, & hic unum pectus, & unus pulmo intelligitur: & erit illic deminutus numerus feſtiuitatis, hic adauctus grauitatis gratia.

EXPLANATIO

INTELLECTIO dicitur a Latinis, atque Comprehenſio, cum aliud ex alio quocumque modo intelligitur, Graeci Συνεκδοχὴν appellant, ἀπὸ τοῦ ἐνδέχεσθαι, quod eſt animo, atque cogitatione aliquid comprehendere. Id fit modis duobus. aut cum plus dicitur, quam intelligitur, aut contra, minus profertur, quam res, & ſententia requirit. CVM res] ἐργασίαν oſtendit, & quattuor huius figurae ſpecies facit: tametſi plures ſunt. Primum enim in Synecdoche aut plus dicitur, & minus intelligitur, aut contra. Plus dicitur, & minus intelligitur uariis modis. cum aut res tota parua, hoc eſt ipſum totum pro parte ſumitur, ut, ſi quis ei, qui ueſtitum, aut ornatum ſumptuoſum oſtentet, dicat: Oſtentas mihi diuitias, & locupletes copias iactas. aut pluralis pro ſingulari: ut Atrox calamitas pectora maerore pulſabat, itaque anhelans ex imis pulmonibus prae cura ſpiritus ducebatur. hic unum pectus, unusque intelligitur pulmo. Et in his obſeruandum eſt, ut uel ſint ἐπιστημονικά, cũ aut natura rerum conſideratur, ut in pulmonibus, qui duo eſſe uidentur in homine; aut imitatio, ut cum Pectora dicimus pro pectus, quoniam φρένες Homerus dixit, uel ſint ἠθικά, cum amicorum ſtudium, laborem, curam,

tam,ſtudia,labores,curas humanitatis gratia appellamus.Recipit etiam quotidiani ſermonis uſus,ut numerus pluralis pro ſingulari uſurpetur καὶ ἐναλλαγὴν, ἢ ἑτέρωσιν grauitatis gratia, cum de ſe quis loquitur: ut Populo impoſuimus,& oratores uiſi ſumus,Cic.ad Brutum,& ſaepe alias. Aut conſequens pro antecedente:ut, Trepidare pro timere.Minus etiam dicitur,& plus intelligitur,aut ex parte totum:ut,Nō illae te nuptiales tibiae eius matrimonii commonebant?nam hic omnis ſanctimonia nuptiarum uno ſigno tibiarum intelligitur, quod inter reliqua,quae multa ſunt in nuptiis,minimum eſt.Vult autem rem totam paruam eſſe,quoniam magna,quibus in amplificando utimur,minus figurata ſunt.Aut ex forma genus:ut,Iracundior Hadria, pro quouis mari.item,

Poculaq. inuentis Acheloia miſcuit uuis.

Aut ex materia res confecta:ut,Clam ferro incautum ſuperat,pro gladio. Aut ex antecedentibus conſequentia:Subdidit equo calcaria,pro cucurrit.Aut ex ſingulari pluralis:ut,Romanus proelio uictor.id ſuauitatis gratia fieri dicit.Aut ex ſenſu ipſo aliud,quam dictum eſt:ut,Vixerunt,pro mortui ſunt:&,Concutere muros,pro oppugnare. Deinde omnis Synechdoche aut eſt aperta,ut ſuperiores ſunt: aut eſt εἰρωνικὴ, in quibus plus ornatus,ac feſtiuitatis ineſt,ut,ſi quis plane ſordidus prodeat in forum,aut ſenatum,cum tamen domi habeat magnas opes,ad eum aliquis dicat:Iam incipis diuitias tuas populo oſtendere.Haec figura maxime orationem uariat:ſed liberius tamen hac poetae, quam oratores,utuntur,qui,quid uſus loquendi recipiat,obſeruabunt.

ABVSIO

ABVSIO eſt, quae uerbo ſimili, & propinquo pro certo, & proprio abutitur,hoc modo: Vires hominis breues ſunt, aut parua ſtatura, aut longum in homine conſilium, aut oratio magna, aut uti pauco ſermone. Nam hic facile eſt intellectu, finitima uerba rerum diſſimilium,ratione abuſionis eſſe traducta.

EXPLANATIO

ABVSIO Κατάχρησις eſt,quando uerbi proprietate abutimur. eſt enim neceſsitatis cauſſa inuenta,ut non habentibus nomen ſuum,quod in proximo eſt,accommodet. Differt a Tranſlatione:quod Abuſio eſt, ubi nomen defuit;Tranſlatio,ubi fuit:Ac ſemper ſunt tranſlatis duriores abuſiones, quae tamen a conſuetudine leniores fiunt.ut homo durus,pro moroſo. HOC *modo*] ἐργασία. Omnis abuſio rhetorica aut rerum eſt, aut uerborum.rerum eſt,quando una pro altera ponitur, aut κατὰ παραδιαστολὴν per diſtinctionem diuerſam, cum pro uirtutibus uicina ſumuntur uitia,aut contra:ut Virtus pro temeritate,Liberalitas pro luxuria, Seueritas pro crudelitate,Parcimonia pro auaritia,Sapiens pro aſtuto,&c. Solent enim ita iudicare homines, non ut res eſt,ſed ut illis uidetur. Aut κατ' εἰρωνείαν,contrariorū aſſumptione:ut,ſi quis prodigum,atque luxurioſum, parcum,& diligentem nominet. Verborū abuſio aut eſt neceſſaria,in ijs ſcilicet,quae propriū non habent: ut,

— Equum diuina Palladis arte Aedificant. — Item:

Vir gregis ipſe caper deerrauetat.

Huiuſmodi ſunt etiam illa: Vires hominis breues,parua ſtatura,longum conſilium,grandis oratio, ingens gratia,paucus ſermo. NAM *hic facile eſt intellectu.*] Quantitatis enim,& ſubſtantiae propria ſunt,& de magnitudine,ac corporibus dicta ad res alias,quibus nullum eſt nomen,accommodantur.Sic etiam Parricidam,quem proprie eum,qui patrem necauit,dicimus,pro matris, ſororis, alteriusue propinqui iuterfectore ſummus.

TRANSLATIO

TRANSLATIO eſt, cum uerbum in quandam rem transfertur ex alia re, quod propter ſimilitudinem recte uidetur poſſe transferri.ea utimur rei ante oculos ponendae cauſa, ſic: Hic Italiam tumultus expergefecit terrore ſubito. Breuitatis cauſſa, ſic: Recens aduentus exercitus ſubito ciuitatem extinxit. Obſcenitatis uitandae cauſſa, ſic: Cuius mater quotidianis nuptiis delectatur. Augendi cauſſa, ſic: Nullius maeror, & calamitas iſtius explere inimicitias, & nefariam ſaturare crudelitatem potuit. Minuendi cauſa, ſic: Magno ſe praedicat auxilio fuiſe, quia paullulum in rebus difficillimis adſpirauit. Ornandi cauſſa, ſic: Aliquando reip. rationes,quae malitia nocentum exaruerunt, uirtute optimatum reuireſcunt. Tranſlationem dicunt pudentem eſe oportere, ut cum ratione in conſimilem rem tranſeat, ne ſine deleſtu temere, & cupide uideatur in diſſimilem tranſcurriſſe.

EXPLANATI

INTER omnes tropos nullus eſt,qui ſit frequentior,ac uenuſtior in omnibus linguis, Tranſlatione, quam Graeci Μεταφορὰν uocant.Orationem enim tamquam ſtella illuſtrat:& ita nobis eſt conceſſa a natura, ut Fabius inquit, ut etiam indocti illa utantur. Eſt autem metaphora, uerbi proprii in locum alienum cum quadam ſimilitudine migratio. Haec ſimilitudo, ac proportio in proprijs ſpectatur, quam Ariſtoteles Αναλογίαν appellat. Metaphora aut uacantem occupabit locum, aut, ſi in alienum uenit, plus ualere debet eo, quod expellit.Huius pulchritudo partim ſono aeſtimatur, partim ſignificatione, partim uero ſenſu, maxime oculorum,

oculorum, qui omnium eſt acerrimus. Differt ab Imagine, ſiue ſimilitudine: utroque enim Fabius utitur: quod Metaphora breuior eſt, quam Similitudo. deinde, quod haec comparatur rei, quam uolumus exprimere: Sic Gemmare uices, Sitire agros, Luxuriem eſſe in herbis, Laetas ſegetes dicimus. Modi autem transferendi latiſsima patet ratio, quem neceſsitas genuit inopia coacta, & anguſtiis, poſt autem delectatio, iucunditasq. celebrauit. Eſt enim uerbi tranſlatio, inſtituta, ut Cicero ait, inopiae cauſſa, frequentata delectationis. Sic tranſlationes, quae non inopiam indicant, ſed nationi ſplendoris aliquid accerſunt, paullo audaciores uocat. Ea *utimur*] ἐργασίαν oſtendit a cauſsis finalibus. Alij uero diuidunt ſecundum materiam. De cauſsis paullo poſt. nunc quaedam nobis diuiſiones conſiderandae ſunt, quae a rebus, & materia ſumuntur. Primum igitur omnis tranſlatio uel eſt propinqua, quae a ſimili propiore ſumitur, deflexione ad rem proximam: ut, Sentire pro intelligere; & Horrere animũ, quod eſt corporis; & Canere, pro deſcribere, Arma uirumq. cano, &c. Vel eſt remota, quae ſumitur aut ab animali bruto, ad animal ratione praeditum: ut, Cato Scipionem allatrare ſolebat, pro conuiciari. & apud Terent. Quid ille gannit? id quod uulpium proprium eſt. & contra ab homine ad Brutum: ut Cygnus pro poeta, apud Horatium. & apud Virg. in Georg. de apibus:

Magnanimosq. duces, totiusq. ex ordine gentis
Mores, & ſtudia, & populos, & proelia dicam.

Aut ab animali ad animal, ut apes paſcere apud Maronem, cum ſit pecorum. Aut ab animali ad inanimum: ut,

Aut procul excelſo miratus uertice montis,

Hominis uerticem ad montem traduxit. Huius generis ſunt illae κατὰ προσωποποιίαν factae, cum rebus inanimis agendi uim quandam attribuimus: ut, Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? & quae ſequuntur. Item apud poetas,

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos. &,
Omnia nunc rident, nunc eſt laetiſsimus annus.

& contra ab inanimali ad animal:

— Si tantum pectore robur
Concipis. — Item in Bucolicis:
Ambo florentes aetatibus. —

Hic florem, qui eſt arboris, illic robur a ligno, cuius eſt proprium, ad hominem tranſtulit. Aut ab inanimato ad inanimum, ut ſi quis ſiluam ſcatere dicat, quod eſt fontium.

— Claſsiq. immittit habenas, hoc eſt anchoras. Ita ſuppullulaſcere odium, quod eſt fruticum. Deinde, omnes tranſlationes uel ſunt ἀκόλουθαι, ἢ ἀντίστροφοι, communes, ſiue conſequentes quae adiuuantur utrimque: ut, cum pro gubernatore aurigam, & pro auriga gubernatorem dicimus. uel ſunt ἀνακόλουθοι, quae ſunt unius tantum partis, neque in alteram retrorſum commeant: ut Horrere, quod eſt corporis, recte ad animum transfertur, ſed non contra Timere ad corpus. Atque haec rerum ἀναλογία proportio, atque cõparatio diligenter obſeruanda eſt. Tertio, omnis tranſlatio uel eſt in ſingulis ſimilibus, uel in continuatis. Singula fiunt aut in ſimplici, ſiue nomine, ut pecus pro homine uentri dedito: Epicuri de grege porcus, apud Horatium. ſiue uerbo: ut,

— Cito pede labitur aetas. Item,
— Tacitisq. ſeneſcimus annis.

aut κατ' ἐπίθετον, ut ſaxeus homo, aetas florida. Tranſlatio continuata, ac perpetua eſt, quoties tranſlationes plures continuae fluunt, quae ἀλληγορία dicitur, de qua infra. Quarto, omnis metaphora uel eſt ὀνομασμένη, quae proprium habet nomen: uel eſt ἀνώνυμος, ut ſtirpes florere dicuntur: at litterae, cum quo comparentur, non uidentur habere. Florent igitur arbores, coluntur litterae: quae tum etiam florere dicuntur, cum quaſi coli, & celebrari feruntur. Translationem] Vſum indicat: uerecundia, & pudor metaphorae in rebus eſt poſitus. Primum de cauſsis, tum de uſu, uirtutibus, atque uitiis hoc in loco pauca afferam. Cauſſae tranſlationum duae ſunt. una neceſsitas, cum, deficiente uerbo, quo res ſignificetur, adſciſcimus quam maxime aptum, aut uicinum, ſiue rei, ſiue nobis. altera commoditas, quae neceſsitatis quoddam genus eſt. ea duplex eſt: nam aut uitamus damnum, quod fit, quando effugitur turpitudo: ut cum pudenda dicimus pro teſticulis, & mulierem delectari quotidianis nuptiis. haec tranſlatio αἰδεία eſt, & plane ἠθική, cuius etiam poetae ſunt amantes. ut in Georg.

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes:
Sed rapiat ſitiens Venerem, interiusq. recondat.

Eſt enim hic poeta uerecundiae, & pudoris ubique ſtudioſiſsimus: ut clariſsime etiam ex 4. Aeneid. in mentione congreſſus Aeneae cum Didone apparet. Quare miror, qua temeritate illi Priapeia inſcribatur, cũ Romae appellatus ſit Parthenias. Aut facimus lucrum ſiue ſignificantiae, ſiue decoris. Significantia tranſlationis eſt, cum plus uirium eſt in ſignificatu, quod tribus modis fit: uel cum tranſlatio eſt σωύτομος, ut, Exſtinxit ciuitatem, telum manu fugit: uel αὐξητική, ut, Nullus maeror, & calamitas iſtius explere inimicitias, & nefariã ſaturare crudelitatem potuit. uel ἐνδιάσκδος quae rem ob oculos ponit: ut, Tumultu expergefacere Italiam, incendi ira, inflammari cupiditate, labi errore, &c. Differunt ἐνδιάσκδος, & αὐξητική, quod illa rem, ut eſt, oſtendit, ac demonſtrat; haec maiorem facit. Decor eſt, quando plus gratiae ineſt, cum uel ſic dicitur, ut rem, dicentem, audientem decet. uel cum gratiam conciliat orationi, & lumen: quod ex eo, quod dedecet, intelligitur, que magis notabilia ſunt, quam pulchra. Vt.n. in ueſte, quae primum, neceſsitatis cauſſa, cõtra frigus eſt

inuenta,

inuenta, deinde quaeſitus eſt ornatus: ſic etiam in uerbis tranſlatis factum eſt, quorum uſus ſi eſt modicus, atque opportunus, omnia illuſtrat, atque clariora reddit; ſi frequens, obſcurat, & taedio complet; ſi cōtinuus, in aenigma, atque allegoriam, quae perpetua eſt metaphora, tranſit. Sunt autem tranſlationibus etiam ſua uitia. Nam aut ſignificantia diluitur, cum uel procul petitur metaphora, ut Syrtis patrimonij, quod Scopulum Cicero dicere mauult: uel ab ignotis rebus petitur, ut Charybdis bonorum: notior autem eſſet Vorago. Facilius enim ad nota, atque uiſa, quam ad ignota, & audita mentis oculis feruntur. Vel cum ſunt captatae, ut, Voluptas hic praetorem agit, a quo non licet prouocare: apparet enim affectatio. Decor etiam perit, cum uel inde transferimus, quod minime decet, aut dicentem, ut ſi ſenator a luſione, uel ſcurrilitate ganearum ſumat metaphoras: aut audientem, ut ſi apud ruſticos e media philoſophia ſimilitudines ducamus, apud homines mediterraneos e nauigiis, & nauigatione: aut rem, ut ſi in ſacra concione de lupanari, de obſcenitate, de rebus ludicris ſumatur metaphora. Vel quando oratio non redditur uenuſtior: ut cum tranſlationes ſunt aut maiores, quam pro re, ut tempeſtas comeſſationis: aut minores, ut ſi poema muſarum clamorem uoces. eſt enim humile. aut cum ſunt durae, aſperae, inuite pertractae, ut ſi quis filium patris uocem nominet: aut nouae, quae periculoſae ſunt, & duriuſculae, priuſquam uſu molliantur, ut, In illis placitis ſuis confirmandis ingrediebatur per funem. quae tametſi apta eſt, tamen, quia eſt noua, non habet decorem. quamobrem uerbis quibuſdam durae, atque nouae praemolliendae ſunt: qualia ſunt Velut, Ceu, Quaſi, Vt ita dicam, Vt nunc loquuntur, & ſimilia. Hactenus de Metaphora, de qua diligenter in Rhetoricis, & Arte poetica Ariſtot. praecipit: in multis locis Cicero.

PERMVTATIO

PERMVTATIO eſt oratio aliud uerbis, aliud ſententia demonſtrans. Ea diuiditur in tres partes, ſimilitudinem, argumentum, contrarium. Per ſimilitudinem ſumitur, cum tranſlationes una, aut plures frequenter ponuntur a ſimplici ratione ductae, ſic: Nam, cum canes fungantur officiis luporum, cuinam praeſidio pecuaria credemus? Per argumentum tractatur, cum a perſona, aut a loco, aut a re aliqua ſimilitudo augendi, aut minuendi cauſſa dicitur: ut ſi quis Druſum, Gracchum, Numitorem obſoletum dicat. Ex contrario ducitur ſic, ut ſi quis hominem prodigum, & luxurioſum illudens, parcum, & diligentem appellet. Et in hoc poſtremo, quod ex contrario ſumitur; & ille primo, quod a ſimilitudine ducitur, per tranſlationem argumento poterimus uti. Per ſimilitudinem, ſic: Quid ait hic rex atque Agamemnon noſter, ſiue, ut crudelitas eſt, potius Atreus? Ex contrario, ſi quem impium, qui patrem uerberauerit, Aeneam uocemus: intemperantem, & adulterum, Hippolytum nominemus. Haec ſunt fere, quae dicenda uidebantur de uerborum exornationibus. Nunc res ipſa monet, ut deinceps ad ſententiarum exornationes tranſeamus.

EXPLANATIO

HOc genus, inquit in Oratore Cicero, Graeci appellant Ἀλληγορίαν, nomine quidem recte; genere melius ille, qui iſta omnia Tranſlationes uocat. Intelligit Ariſtotelem Cicero, qui hanc figuram tranſlationis ſpeciem facit libro tertio Rhetoricorum: eiusq. ſententiam probat. Eſt enim Ἀλληγορία, ut idem inquit Cicero, quoties plures continuae tranſlationes fluxerunt, ut alia plane oratio fiat. dicta eſt, ὡς ἄλλο ἀγορεύοντα: aliud enim dicit, aliud ſentit. Fabius Inuerſionem uertit. Species allegoriae a Rhetoribus enumerantur octo: Αἴνιγμα, Παροιμία, Εἰρωνεία, Σαρκασμὸς, Ἀστεϊσμὸς, Μυκτηρισμὸς, Ἀντίφρασις, καὶ Χαριεντισμὸς. Quibus a nonnullis additur Ὑπερβολὴ, de qua ſupra. EA *diuiditur*] ἐργασία: partes allegoriae uel a tractatione, atque uſu ſumuntur, uel a rebus. Primum igitur omnis allegoria uel eſt uulgaris, atque uſitata in ſermone quotidiano, in quibus iam amiſimus modum, & gratiam rei nimia captatione conſumpſimus. ut Iugulum petere, pedem referre, ſanguinem mittere, & ſimilia. talia ſunt etiam prouerbia uulgata: Similes habent labra lactucas, Luſciniae numquam deeſt cantus, &c. Vel eſt oratoria. Deinde omnis allegoria uel eſt pura, & perfecta, cum omnia ſunt allegorica: uel eſt mixta. Pura eſt apud Ciceronem pro Milone: Hoc miror enim, queror que, quemquam hominem ita peſſundare uerbis uelle, ut etiam nauem perforet, in qua ipſe nauiget. Item apud Horatium in Odis:

O nauis, referent in mare te noui
  Fluctus: o quod agis? fortiter occupa
  Portum: non ne uides, ut
  Nudum remigio latus?
Et malus celeri ſaucius Africo,
  Antennaeq gemant? ac ſine funibus
  Vix durare carinae
  Poſſunt imperioſius
Aequor? non tibi ſunt integra lintea,
  Non dij, quos iterum preſſa uoces malo.
  Quamuis pontica pinus
  Siluae filia nobilis,

Iactes,

Iactes & genus, & nomen inutile:
Nil pictis tumidus nauita puppibus
Fidit. tu, niſi uentis
Debes ludibrium, caue,
Nuper ſollicitum quae mihi taedium,
Nunc deſiderium, curaq. non leuis
Interfuſa nitentes
Vites aequora Cycladas.

Hanc Oden, quia uenuſtiſsima eſt, totaq. allegorica, integram huc adſcribere placuit: ut tractatio huius figu-
rae uaria noſcatur. Mixta eſt, quae uel aperta habet: ut, Equidem ceteras tempeſtates, & procellas, in illis
dumtaxat fluctibus concionum, ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas. Fluctibus concionum, quae uerba
ſunt aperta, allegoriam miſcuit. In hoc genere & ſpecies, ut inquit Fabius, ex accerſitis uerbis uenit; & intel-
lectus ex propriis. Vel ſimilitudinem, & tranſlationem habet permixtam: ut pro Murena: Quod fretum,
quem Euripum, tot motus, tantas, tam uarias habere creditis agitationes, cõmutationes, fluctus, quantas per-
turbationes, & quantos aeſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita, ſaepe &
perturbat omnia, & totam opinionem parua nonnumquam commutat aura rumoris. Hoc in genere duo ob-
ſeruanda ſunt: primum, quod, ut, quo in genere coeperis tranſlationem, hoc deſinas; deinde, ne allegoria ſit
obſcurior, quae aenigma dicitur. Eſt enim, praeſertim apud Oratores, uitioſum, quibus propoſitum eſt di-
lucide dicere. Quamobrem illi nonnumquam ad uitandam obſcuritatem ſimilitudinem explicant imagine,
ut in Quinctiana; Quo fit, ut ego, qui tela depellere, & uulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum
etiam telum aduerſarius nullum iecerit. Et ſi qua in re falſum crimen quaſi uenenatum aliquod telum iece-
rit, medicinae faciendae locus non erit. Tertio, omnis allegoria uel habet tranſlationem, ut ſuperiores: uel ſit
ſine tranſlatione, ut in Bucolicis,

Certe equidem audieram, qua ſe ſubducere colles
Incipiunt, molliq. iugum demittere cliuo,
Vſque ad aquam, & ueteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus ueſtrum ſeruaſſe Menalcam:

Hoc enim in loco, praeter nomen, cetera omnia propriis ſunt deciſa uerbis: uerum non paſtor Menalcas, ſed
Virgilius eſt intelligendus. Quarto, omnis tranſlatio aut aliud oſtendit, aut contrarium. quae aliud oſtendit,
tractatur uel ſimilitudine, uel argumento: ſimilitudine, cum tranſlationes una, aut plures frequenter ponun-
tur a ſimplici ratione ductae, ut, Nam, cum canes fungantur officio luporum, cui nam praeſidio pecuaria cre-
demus? per canes magiſtratus, per lupos tyrannos, per pecuaria plebem intelligit. Argumento καλὰ φείςασιν,
καὶ παράδειγμα, cum aliqua ſimilitudo augendi, aut minuendi cauſſa ducitur aut a perſona, aut loco, aut a re ge-
ſta. a perſona, ſi Scipionem, C. Caeſarem, aut alium aſtutum, Vlyiſem nominemus; ſeditioſum, Gracchum.
A perſona, loco, & re geſta. ut, Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit: Multos caeſos non ad
Thraſimenum lacum, ſed Seruilium uidimus. Quis ibi non eſt uulneratus ferro Phrygio? Non neceſſe eſt
omnes commemorare Curtios, Marios, denique Mamercos: quos iam aetas a proeliis auocabat. Poſtremo,
Priamum ipſum ſenem, Antiſtium: quem non modo aetas, ſed etiam leges pugnare prohibebant. pro Roſcio
Am. coniunguntur in hoc exemplo perſona, res, locus: orator, pugna, Cannae. Per pugnam uero Cannen-
ſem, bellũ ciuile intelligit, alludens ad clades pop. Ro. ſecundo bello Punico acceptas. Deinde ex poeta quo-
dam aliam admiſcet allegoriam de Bello Troiano ſumptam, quia Priami oratoris mentionem facit, ut in me-
taphora maneret. quod ſupra ex Quinctiliano obſeruandum eſſe dixi. Horum autem oratorum de Claris o-
ratoribus mentionem facit. Contrarium, ἐναντίον, ἢ εἰρονεία eſt inuerſum παράδειγμα, quando intelligitur con-
trarium: ut, ſi quis Verrem iuſtum, atque liberalem, aut prodigum, & luxurioſum parcum, atque diligentem
appellet. Haec fit duobus modis. aut ſimilitudine: ut, Quid ait hic rex, atque Agamemnon noſter, ſiue, ut
crudelitas eſt, potius Atreus, aut exemplo, ſi inuertas: ut, Infacundum Demoſthenem, impudicam Penelo-
pem, adulterum, & intemperantem Hippolytum, impium Aeneam. Quidam ἀντίφρασιν, & alias figuras ἀλλη-
γορίας ſpecies eſſe dicunt: ſed illi falluntur ſimilitudine. Frequens uſus eſt non modo apud poetas, uerumet-
iam apud oratores earum permutationum, quae cum apertis ſunt permixta, in quibus uerba accerſita ſpeciem,
propria intellectum indicant. Rarior eſt perfectae, atque purae allegoriae uſus. HAEC *ſunt*] ἐπίλογος προ-
καταστατική. De uerborum figuris, quae uel in tractatione, uel in uſu ſunt poſitae, ſatis dixit: nunc ad ſenten-
tiarum σχήματα accedit, quae in tractatione rerum conſiſtunt.

DE. FIGVRIS. SENTENTIARVM

DISTRIBVTIO

DISTRIBVTIO *eſt, cum in plures res, aut perſonas certas negotia quaedam diſpertiuntur, hoc modo: Qui ueſtrum, iudices, nomen ſenatus diligit, hunc oderit neceſſe eſt; petulantiſſime enim ſemper iſte oppugnauit ſenatum. Qui equeſtrem locum ſplendidiſſimum cupit eſſe in ciuitatis, is oportet iſtum maximas poenas dediſſe uelit, ne iſte ſua turpitudine ordini honeſtiſſimo maculae, atque dedecori ſit. Qui parentes habetis, oſtendite iſtius ſupplicio,*

ſupplicio uobis homines impios non placere. Quibus liberi ſunt, ſtatuite exemplum, quantae poenae in ciuitate ſint hominibus huiuſmodi comparatae. Item: Senatus officium eſt, conſilio ciuitatem iuuare. Magiſtratus officium eſt, opera, & diligentia conſequi ſenatus uoluntatem. Populi officium eſt, res optimas & homines idoneos maxime ſuis ſententiis eligere, & probare. Accuſatoris officium eſt, inferre crimina: Defenſoris, diluere, & propulſare. Teſtis eſt, dicere, quae ſcierit, aut audierit. Quaeſitoris eſt, unumquemque horum in officio ſuo continere. Quare, L. Caſſi, ſi teſtem, praeterquam quod ſciat, aut audierit, argumentari, & coniectura proſequi patieris ius accuſatoris cum iure teſtimonij commiſcebis, teſtis improbi cupiditatem confirmabis, reo duplicem defenſionem parabis. Eſt haec exornatio copioſa. comprehendit enim breui multa, & ſuum cuique tribuens, officium ſeparat, & res diuidit plures.

EXPLANATIO

Hactenus de tropis dictum eſt: nunc πρὸς τὴν διανοίας σχήματα, id eſt mentis, uel ſenſus uel ſententiarum figuras accedit. Harum primam facit diſtributionem, quae a Rhetoribus Μερισμὸς, Διαλλαγὴ, Διαίρεσις, & Ἀπαρίθμησις appellatur: a philoſophis ἀνάλυσις dicitur. Ea eſt, cum in plures res, aut perſonas negotia quaedam diſpertiuntur. Materia igitur huius figurae ſunt, res, & perſonae: quia orator cauſſas tractat finitas. quamobrem etiam euentorum conglobatio huc pertinet: cum rerum enumeramus exitus, & quid futurum ſit, oſtendimus. Naſcitur haec figura ex diuiſione dialectica, cuius hic demonſtratur uſus. Quae enim dialectica nude, ac conciſe agit, ea Rhetorica uerborum, ac ſentẽtiarum copia, & ſplendore illuſtrat: neque rebus, ſed elocutione tantum differunt. Quamobrem Ariſtoteles ῥητορικὴν τῇ διαλεκτικῇ ἀντίστροφον εἶναι dixit. Qui *ueſtrum,*] ἐργασία. Primum exemplum oratorium eſt, & a diſtributione incipiens, in ἀπαριθμήσει deſinit. Totum enim populum Romanum in partes tres diſtribuit, quarum poſtremam non nominat, ſed enumeratione oſtendit communi: nã & ſenatores, & equites, parentes ſunt, & liberos habent, non plebs ſolummodo. Alterum exemplum dialecticum eſt, quia habet διάκρισιν. Omnis autem diſtributio uel fit διαιρέσει, uel μερισμῷ, uel ἀπαριθμήσει. Διαίρεσις eſt diuiſio generis in ſuas ſpecies: ut, Si ſpongia neque herba eſt, neque frutex, neque arbor, haberi planta nullo modo poteſt. Μερισμὸς eſt, totius in partes diſtributio, ut illud Lycurgi, Rutilio interprete: Cuius omnes corporis partes ad nequitiam ſunt appoſitiſsimae, oculi ad petulantem laſciuiam, manus ad rapinam, uenter ad auiditatem, uirilis naturae membra, quae non poſſumus honeſte appellare, ad omne genus corruptellae, pes ad fugam, prorſus ut aut ex hoc uitia, aut ipſe ex uitijs ortus uideatur. Et Cic. pro Murena: Hic uero iudices, & fuit in Aſia, & uiro fortiſsimo parenti ſuo magno adiumento in periculis, ſolatio in laboribus gratulationi in uictoriam fuit. Et pro Sextio: Haec ego cum uiderem, ſenatum, ſine quo ciuitas ſtare non poſſet, omnino de ciuitate eſſe ſublatum, conſules, qui publici conſilii duces eſſe deberent, perfeciſſe, ut per ipſos publicum conſilium funditus tolleretur: eos, qui plurimum poſſent, opponi omnibus concionibus falſo, ſed formidoloſe tamen, auctores ad perniciem meam: conciones haberi quotidie contra me, uocem pro me, ac rep. neminem mittere: intẽta ſigna legionum exiſtimari ceruicibus, ac bonis ueſtris falſo, ſed putari tamen, &c. eſt enumeratio partium uenuſta in ſuperiore Horatij Oda. Ἀπαρίθμησις eſt, enumeratio, atque comprehẽſio totius diuiſionis, cum finitum in infinita explicatur, aut ſubiectum in ſua accidentia, ut in ſecundo exemplo. Haec totius eſt diuiſionis, cum omnia comprehenduntur: μερισμὸς eſt copioſa quidem, ſed non tamen plena partitio. Deinde, omnis diſtributio uel eſt αἰτιολογικὴ, cum ſingula annexas habent rationes; ut in primo exemplo. uel eſt ἀναιτιολόγητος, quae rationibus caret: ut in ſecundo exemplo, quod habet officiorum διάκρισιν. Tertio, omnis diſtributio uel eſt pura, atque ſimplex, ut in ſuperioribus exemplis: uel eſt mixta, atque uehemens interrogatione iterata, atque ironia huius numeroſum eſt exemplum in oratione pro domo, quod legem per uim tulerit Clodius: Quid, ſi per uim tuliſti? tamen ne lex erit? aut quidquam iure geſtum uideri poteſt, quod per uim geſtum eſſe conſtet? an ſi in ipſa latione tua, capta iam urbe lapides iacti, ſi manus collata non eſt, iccirco tu ad illam labem, atque illuuiem ciuitatis ſine ſumma ui peruenire potuiſti? cum in tribunali Aurelio conſcribebas palam non modo liberos, ſed etiam ſeruos ex omnibus uicis concitatos, uim tum uidelicet non parabas? cum edictis tuis tabernas claudi iubebas. non inde uim imperitae multitudinis, ſed hominum honeſtorum modeſtiã, prudentiamq. quaerebas? cum arma in aedem Caſtoris comportabas, nihil aliud, niſi tui ne quid per uim agi poſſet, machinabare? cum uero gradus Caſtoris conuelliſti, ac remouiſti, tum ut modeſte tibi agere liceret, homines audaces ab eius templi aditu, atque adſcenſu repuliſti? cum eos, qui conuentu uirorum bonorum uerba de ſalute mea fecerãt, adeſſe iuſsiſti, eorumq. aduocationem manibus, ferro, lapidibus diſcuſsiſti, tum profecto oſtendiſti uim tibi maxime diſplicere? Quarto, omnis diſtributio uel eſt perfecta quae conſtat propoſitione totius rei, enumeratione partium, & concluſione propoſitionis, cum repetitur ſumma rei, ſiue totum, paucis uerbis: ut in proximo Ciceronis exemplo, & ſuperiore Lycurgi. uel eſt imperfecta, cum aut propoſitio deeſt, ut in ſecundo auctoris exemplo, & illo de ſpongia: aut concluſio deeſt, aut utrumque, ut in primo exemplo. Quincto, omnis diſtributio uel eſt κατασκευαστικὴ, cum enumeratione partium aliquid tribuimus alicui, uel eſt ἀνασκευαστικὴ, cum aliquid ab aliquo partium diſtributione auferimus. in affirmando ergo, atque confirmando, & in negando, atque reprehendendo, hac figura utimur. Est *haec*] Vſum indicat huius figurae eſſe, in copia plurimarũ rerum. Eſt igitur ὀγκώδης περιβολικὴ, καὶ ἀξιωματικὴ, qua utimur in oratione ſplendida, atque circumducta. tametſi autem in medio etiam dicendi genere illam uſurpare poſſumus mediocriter: tamen in ſubtilitate, niſi ſimpliciſsime fieret, locum non habet.

LICENTIA

Licentia eſt, cum apud eos, quos aut uereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure noſtro dicemus, quod eos minime offendat, aut quos hi diligunt, cum in aliquo errato uere reprehendi poſſe uideantur, hoc modo: Miramini, Quirites, quod ab omnibus ueſtrae rationes deſerantur, quod cauſſam ueſtram nemo ſuſcipiat, quod ſe nemo ueſtri defenſorem profiteatur: id tribuite ueſtrae culpae, atque deſinite iſtud mirari. quid enim eſt, quare non omnes iſtam rem fugere, ac uitare debeant? Recordamini, quos habueritis defenſores, ſtudia eorum uobis ante oculos proponite, deinde exitus omnium co ſiderate: tum uobis ueniet in mentem, ut uere dicam, negligentia uſtra, ſiue ignania potius, illos omnes ante oculos ueſtros trucidatos eßе, inimicos eorum ueſtris ſuffragiis in ampliſſimum locum perueniſſe. Item: Nam, quid fuit, iudices, quare in ſententiis ferendis dubitaueritis, aut iſtum hominem nefarium ampliaueritis? non apertiſſimae res erant crimini datae? non omnes hae teſtibus comprobatae? non contra tenuiter, & nugatorie reſponſum? hic uos ueriti eſtis, ſi primo coetu condemnaſſetis, ne crudeles exiſtimaremini. Dum eam uitaſtis uituperationem, quae longe a uobis erat abſutura, eam inueniſtis, ut timidi, atque ignaui putaremini. Maximas & priuatas, & publicas calamitates accepiſtis: cum etiam maiores impendere uideantur, ſedetis, & oſcitamini. Luce noctem, nocte lucem exſpectatis. Aliquid quotidie acerbi, atque incommodi nunciatur, & eum, cuius opera uobis heec accidunt, remoramini diutius, & alitis, ac reip. perniciem retinetis quoad poteſtis in ciuitate. Eiuſmodi licentia ſi nimium uidebitur acrimoniae habere, multis mitigationibus lenietur: nam continuo aliquid huiuſmodi licebit inferre: Hic ego uirtutem ueſtram quaero, ſapientiam deſidero, ueterem conſuetudinem requiro, ut, quod erit commotum licentia, id laude mitigetur, ut altera res ab iracundia, & moleſtia remoueat, altera res ab errato deterreat. Haec res, ſicut in amicitia, ita in dicendo, ſi loco ſit, maxime facit, ut & illi, qui audient, a culpa abſint, & nos, qui dicimus, amici eorum, & ueritatis eſſe uideamur. Eſt autem quoddam genus licentiae in dicendo, quod aſtutiore ratione cõparatur: cum aut ita obiurgamus eos, qui audiunt, quo modo ipſi ſe cupiunt obiurgari: aut id, quod ſcimus facile omnes audituros, dicimus nos timere quo modo accipiãt; ſed tamen ueritate commoueri, ut nihilo ſecius dicamus. Horum amborum generum exempla ſubijciemus. Prioris, huiuſmodi: Nimiũ, Quirites, animis eſtis ſimplicibus, & manſuetis, nimium creditis unicuique: exiſtimatis unumquemque eniti, ut perficiat, quae uobis pollicitus ſit: erratis, & fruſtra falſa ſpe iam diu detinemini: ſtultitia ueſtra eſt, quia, quod erat in ueſtra poteſtate, ab alijs petere, quam ipſi ſumere maluiſtis. Poſterioris licentiae hoc erit exemplum: Mihi cum iſto, iudices, fuit amicitia, ſed iſta tamen amicitia, tametſi uereor quo modo accepturi ſitis, uos me priuaſtis. quid ita? quia, ut uobis eſſem probatus, eum, qui uos oppugnabat, inimicum, quam amicum habere malui. Ergo haec exornatio, cui licentiae nomen eſt, ſicuti demonſtrauimus, duplici ratione tractabitur: Acrimonia, quae ſi nimium fuerit aſpera, mitigabitur laude: & aſſimulatione, de qua ſuperius diximus: quae non indiget mitigationis: propterea quod imitatur licentiam, & ſua ſponte ad animum auditoris ſe accommodat.

EXPLANATIO

Licentia a Graecis Παῤῥησία dicitur, quaſi πάντων ῥησία, hoc eſt, explicatio rerum omnium libera. Tametſi autem etymologia eius late pateat, tamen poteſtatem, atque uſum habet adſtrictiorem. Eſt enim licentia, cum apud eos, quos aut uereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro iure noſtro dicimus, quod eos minime offendat, aut quos hi diligunt, cum in aliquo errato uere deprehendi poſſe uideantur. Sunt in hac figura & perſonae, & res ſpectandae, tamquam materia. Perſonae uel auctoritatem habent, uel potentiã, uel utrumque. Ratio igitur eſt habenda non ſolum eorum, quos aut uereri propter uirtutem, aut metuere propter potentiam debemus: ſed etiam eorum, quos hi diligunt, ne rebus illos aſperis, & ingratis offendamus. id quod praeceptis beneuolentiae maxime eſt aduerſum. Quomodo huiuſmodi perſonae ſint tractandae, ex Roſciana apparet, in qua ita contra Chryſogonum potentiſsimum hominem, & Sullae dictatori, cuius libertus erat, gratiſsimum, defendit Sex. Roſcium Cicero, ut neuter offenſus eſſe poſſet. Eſt deinde etiam finis obſeruandus, quem poſtea in tres partes diuidit. Hoc *modo:*] ἐργασία. Duo facit licentiae genera, & utriuſque exempla ponit copioſa. Primum eſt ἀληθινόν, fitq; acrimonia. Miramini,] Propoſitio τῆς παῤῥησίας, quae per totum ſparſa eſt exemplum. Qvod *ab om.*] Id quod male fit, ſtatim a principio ponit, κατ' ἐπιμονήν. Id *tribuite*] παῤῥησία figurata προστάξει ἀποτρεπτικῇ: Deſinite iſtud mirari. Qvid *enim,*] ἐρώτησις κατασκευαστική. Recordamini,] ἀπαρίθμησις coniuncta cum παῤῥησίᾳ apertiore, Vt *uere*] Oſtendit hoc uerbo, huius figurae ſpeciem, ueram eſſe licentiam. Sive *potius,*] Coerectio αὐξητική, qua licentiam facit magis apertam. Illos *omnes*] Rem, & peccatum eorum, quos reprehendit, in fine ponit, κατὰ σύγκρισιν ἐπιθυμητικὴν ἐκ τῶν ἐναντίων. Item; *nam,*] Alterum exemplum. Ponit autem primum ἐρώτησιν ἀντὶ τῆς προτάσεως. Non *apertiſſimae*] ἀπαρίθμησις προκαταληπτική, in qua iudiciorum obſeruatur ordo. Dvm *eam*] παῤῥησία poſtremo loco poſita. Eivsmodi *licentia,*] Exemplis ſubiungit κατάληψιν, qua ratione mitiganda ſit acrimonia. ſit enim acrimonia uel cum mitigatione, uel abſque mitigatione. Oſtendit autem, multis litigationibus, hoc eſt, mitigationum generibus poſſe leniri acrimoniam: & unum ſolummodo ponit, laudem eorum, qui reprehenduntur. de hac re nos plura paullo poſt dicemus. Hic *ego*] Ponit exemplum huius καταλήψεως, quod habet mitigationem, per congeriem. Vt *altera*] Mitigatio. Altera] παῤῥησία: uſum mitigationis oſtendit. Haec *res,*] Partitur iam finem huius figurae in tres partes. Primum enim peccantes ab errore reuocat: deinde eorum nos amicos; tertio ueritatis ſtudioſos eſſe oſtendit.

Eſt

Eſt igitur plane ἠθικὴ figura, ſi in loco fiat. Est *autem*] Alterum genus, quod eſt ſimulatum. aſtutiorem rationem uocat κολακίαν adulationem, quae fit gratificandi gratia: eſt enim παῤῥησία χαριζομένη. Cum *aut*] Huius duas ponit ſpecies. unam, quae mitigationem habet; alteram, quae mitigatione caret. Nos *timere,*] Id magis adulatorium eſt. Svltitia] Simplicitas, legendum eſſe, putat quidam. Tametsi *uereor,*] Mitigatio magis etiam adulatoria. Ergo *haec*] Concluſio τὴν ἐργασίας. Acrimonia,] abſque mitigatione, ut primum genus. Si *nimium*] Cum mitigatione tractabitur, ut ſecundum genus. Assimvlatione,] adulatione, quod non audet dicere. Imitatvr] Speciem habet. Omnis igitur παῤῥησία uel eſt ἀληθὴς, uera atque libera, uel eſt χαριζομένη. Vera eſt, quae fit cum acrimonia σφοδρότητι, quae (ut Hermogenes inquit) ἐννοίας ἔχει ἐπιτιμητικὰς καὶ ἐλεγκτικὰς προσώπων κατ' ἐλαττόνων, inferiorum perſonarum. Haec acrimonia uel mitigatione caret, ut in primo, & ſecundo exemplo; uel habet mitigationem, quae a Graecis oratoribus uarie appellatur. nam & παραμυθίαν, & προθεραπείαν, & ἐπιδιόρθωσιν appellant, cum nimia uerborum lenitur, ac mitigatur aſperitas, atque acrimonia: ut in tertio exemplo, & in prima Philippica: Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines ampliſsimis populi Romani beneficiis uſos, L. Piſonem ducem optimae ſententiae non ſecutos. Iccirco ne populus Romanus conſulares fecit, ut, in altiſsimo, ampliſsimoq. gradu diguitatis locati, rēpub. pro nihilo haberemus? non modo uoce nemo L. Piſoni conſularis, ſed ne uultu quidem aſſenſus eſt. Item in Philippica IX: Vos enim, patres conſcripti, graue dictu eſt, ſed dicendum tamen: uos, inquam, Ser. Sulpicium uita priuaſtis: quem cum uideretis ſe magis morbo, quam oratione, excuſantem, non uos quidem crudeles fuiſtis, quid enim minus in hunc ordinem conuenit? ſed cum ſperaretis, nihil eſſe, quod non illius auctoritate, & ſapientia effici poſſet, uehementius excuſationi obſtitiſtis: atque eum, qui ſemper ueſtrum conſenſum grauiſsimum iudicauiſſet, de ſententia deieciſtis. Omnis autem mitigatio uel fit ἐπαίνῳ, laude eorum, quos reprehēdimus, ut in tertio exemplo: Hic ego uirtutem ueſtram quaero, &c. uel ὀδυρμῷ querella, ut in priore ex Philipp. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, &c. uel fit κατηγορία κοινῇ, ut in eodem exemplo, cum inquit: Iccirco ne nos populus Rom. conſulares fecit, &c. non dicit Vos, ſed Nos: ut quaſi ſeipſum etiam caſtigans, hoc peccatum cum iudicibus ſibi faciat commune: quod apud oratores frequens eſt. Vel fit ἀντικαταλλάξει, ut in proximo exemplo: Graue dictu eſt, ſed dicendum tamen. uel fit ἀφαιρέσει τοῦ ἁμαρτήματος, καὶ ἀφηγήσει, hoc eſt, remotione, expoſitione, atque excuſatione criminis, ut in eodem exemplo: Non uos crudeles fuiſtis, quid enim minus in hunc ordinem conuenit? ſed cum ſperaretis, &c. Poteſt etiam παῤῥησία uel unam, uel plures habere mitigationes, ut exempla oſtendunt. παῤῥησία χαριζομένη tota eſt κολακευτικὴ, adulandi inſtituta gratia, cum peccatum nullum eſt. Haec fit aut obſequio, cum ita obiurgamus eos, qui audiunt, quomodo ipſi ſe cupiunt obiurgari. Aut fit mera adulatione, cum dicimus nos timere, quomodo id, quod ſcimus, facile omnes audituros accipiant. utriuſque exempla poſuit: & hoc genus mitigationis non indigere oſtendit, quoniam uera licentia non eſt, ſed auditorum gratia ſimulata. Vſus huius figurae ex iis, quae dicta ſunt, praeſertim de cauſſa finali, ſatis opinor manifeſtus eſt.

DEMINVTIO

Deminvtio *eſt, cum aliquid eſſe in nobis, aut in iis, quos defendimus, aut natura, aut fortuna, aut induſtria dicemus egregium: quod, ne qua ſignificetur arrogans oſtentatio, deminuitur, & attenuatur oratione, hoc modo: Nam hoc pro meo iure, iudices, dico, me labore, & induſtria curaſſe, ut diſciplinam militarem non in poſtremis tenerem. Hic ſi quis dixiſſet, ut optime tenerem, tametſi uere dixiſſet, tamen arrogans uiſus eſſet: nunc & ad inuidiam uitandam, & ad laudem comparandam ſatis dictum eſt. Item: Vtrum igitur auaritiae cauſſa, an egeſtatis acceſſit ad maleficium? Auaritiae? At largiſſimus fuit in amicos; quod ſignum liberalitatis eſt, quae contraria auaritiae eſt. Egeſtatis? at huic quidem pater, nolo nimium dicere, non tenuiſſimum patrimonium reliquit. Hic quoque uitatum eſt, ne magnum aut maximum diceretur. Hoc igitur in noſtris, aut eorum, quos defendemus, egreiis commodis proferendis obſeruabimus. nam eiuſmodi res & inuidiam contrahunt in uita, & odium in oratione, ſi inconſiderate tractes. Quare, quemadmodum ratione in uiuendo fugitur inuidia, ſic in dicendo conſilio uitatur odium.*

EXPLANATIO

Deminvtio uariis nominibus a Graecis Rhetoribus appellatur. alij enim Μείωσιν, alij Ταπείνωσιν, Αἰτότην, Λιτότητα, Ελάττωσιν, καὶ Εξουθενισμὸν uocant. Hanc Quinctilianus inter obſcurae, atque inornatae orationis uitia recenſet: σχῆμα tamen eſſe fatetur, cū a prudentibus uſurpatur. ἠθικὴ eſt figura, quae deminuit, atque attenuat oratione id, quod aut in nobis, aut in iis, quos defendimus, uel natura, uel fortuna, uel induſtria dicemus eſſe egregium, ut uitetur arrogantia, atque odium. neque enim ferre homines poſſunt, ſi quid ſuperbius aliquis de ſe iactet. Hoc *modo:*] ἐργασία. Omnis deminutio uel fit in uerbis, quae a Graecis Ὑποκορισμὸς & Ταπείνωσις proprie dicitur: ut, homuncio. de hoc genere a Grammaticis praecipitur. Vel eſt in ipſa ſententia, cum minus quidem dicimus, plus tamen intelligimus: ut utroque exemplo. Deinde, deminutio uel eſt uera ἀληθὴς, & aperta: uel eſt εἰρωνικὴ: haec in laude adhibetur, & ad feſtiuitatem pertinet. ut de natura deorum Vitellius: Epicurus, homo minime ſtultus, ideſt ſapientiſsimus: quod non auſus fuit dicere, propter riſum. Vera, & aperta eſt in primo, & ſecundo exemplo, & in Verrem: Non enim in furem, ſed raptorem; non

adulterum,ſed expugnatorem pudicitiae; non ſacrilegum,ſed hoſtem ſacrorum,religionumque. non ſicariũ, ſed crudeliſsimum carnificem ciuium,ſociorumq. in ueſtrum iudicium adducimus. item pro Caecina: Eieci ego te armatis hominibus,non deieci: ut tantum facinus non in aequitate iuris,ſed in una littera latuiſſe uideatur. Item Cato apud Athenienſes, Antiochus epiſtolis bellum gerit, calamo, & atramento militat. Item in Philipp. Vicitq. dolorem domeſticum patriae caritate, ideſt, necem C.Caeſaris. Tertio, omnis deminutio uel fit particulis negatiuis: ut,Munera non ſperno, &c. huiuſmodi multa ſunt in poetis. uel malorum habituum uerbis: ut, Inimicus tuus minime ſum, Epicurus minime malus. uel fit per uerba rebus minime apta: ut,epiſtolis bellum gerere,calamo,& atramento militare: dolor domeſticus,pro morte Caeſaris. Hoc *igitur*] Vtimur, cum eſt uera, in laude rerum noſtrarum,aut eorum, quos defendimus: & in uituperandis iis, quae ſunt aduerſariorum,ut & odium,atque inuidiam uitemus,& beneuolentiam iudicum retineamus, dum arrogantes uideri uolumus. In feſtiuitate autem εἰρωνικῶς,ut oſtendatur ἦθος noſtrum.

DESCRIPTIO

DESCRIPTIO nominatur,quae rerum conſeuentium continet perſpicuam,& dilucidam cum grauitate expoſitionem, hoc modo: Quod ſi iſtum,iudices,ueſtris ſententiis liberaueritis; ſtatim,ſicut e cauea leo miſſus,aut aliqua taeterrima bellua ſoluta ex cathenis, uolitabit,& uagabitur in foro, acuens dentes multos in cuiuſque fortunas,in omnes amicos,atque inimicos, notos,atque ignotos incurſans, aliorum famam depeculans, aliorum caput oppugnans, aliorum domum,ac omnem familiam perfringens, rempublicam funditus labefactans. Quare,iudices,eiicite eum de ciuitate,liberate omnes formidine, uobisq. ipſis conſulite. nam, ſi iſtum impunitum dimiſeritis; in uoſmetipſos, mihi credite, feram,& truculentam beſtiam,iudices,immiſeritis. Item: Nam, ſi de hoc iudices grauem ſententiam tuleritis;uno iudicio ſimul multos iugulaueritis. grandis natu parens, cuius ſpes ſenectutis omnis in huius adoleſcentia poſita eſt, quare uelit in uita manere,non habebit: filij parui priuati patris auxilio, ludibrio,& deſpectui paternis inimicis erunt oppoſiti: tota domus huius indigna concidet calamitate: at inimici ſtatim ſanguinolenta palma, crudeliſſima uictoria potiti inſultabunt,in horum miſerias ſuperbi re ſimul, & uerbis inuehentur. Item: Nam neminem ueſtrum fugit,Quirites,capta urbe quae miſeriae conſequi ſoleant: arma qui contra tulerint, ſtatim crudeliſſime trucidantur: ceteri,qui poſſunt per aetatem, & uires laborem ferre, rapiuntur in ſeruitutem: qui non poßunt,uita priuantur: uno denique, atque eodem tempore domus hoſtili flagrat incendio,&,quos natura, aut uoluntas neceſſitudine, aut beneuolentia cõiunxerit,diſtrahuntur: liberi partim e gremijs parentum diripiuntur, partim in ſinu iugulantur, partim ante pedes conſtuprantur. nemo,iudices, eſt, qui poſſit ſatis rem conſequi uerbis, nec referre oratione magnitudinem calamitatis. Hoc genere exornationis uel indignatio,uel miſericordia poteſt commoueri, cum res conſequentes comprehenſae uniuerſae perſpicua breuiter exprimuntur oratione.

EXPLANATIO

DESCRIPTIONEM alij Διορισμὸν, alij Ὑπογραφὴν, alij Διατύπωσιν, Hermogenes συναθροισμὸν τῶν ἐκβάντων, Cicero conſequentium conglobationem uocat. quidam eandem eſſe putant, quam infra Demonſtrationem appellat,ſed differunt. Haec enim rerum conſequentium tantum perſpicuam,& dilucidam cum grauitate expoſitionem continet: illa antecedentia,conſequentia,mediaq. comprehendit. Hanc uero conſequentium expoſitionem uult cum grauitate fieri,propter materiam. Eſt enim figura παθητικὴ, & in rebus aduerſis,atque fugiendis illa utimur. Quas cum ſit neceſſe intelligere,ſi mouere auditorum animos uelimus,genus dicendi perſpicuum,& apertum habere debet, ut ſit ἐνδιάσκελος, & res quaſi uideatur. Atque hac in re quandam cum demonſtratione habet affinitatem. QVOD *ſi*] ἐργασίαν tribus oſtendit exemplis: quorum primum iracundiam, ac ſaeuitiam iudicis habet propoſitam. Tractatur autem κύκλῳ. Primum enim ἀπὸ τῆς εἰκόνος ab imagine ſpeciali,quae a ſimilitudine ad rei magnitudinem oſtendendam ſumitur,incipit: Statim ſicut e cauea leo miſſus,&c. deinde in ipſa imagine μερισμὸν diſtributionem interponit,in qua & perſonarum, & rerum ordinem uenuſtum obſeruat: Acuens dentes multos in cuiuſque fortunas,&c tertio concludit, imagine eadem,ſed generaliter repetita, ITEM: *Nam, ſi*] Secundum exemplum ad mouendam miſericordiam eſt accommodatum. habet tamen odium adiunctum,ad ſaeuitiam iudicis in aduerſarium excitandam. neque enim miſereri poſſumus eius,cuius aduerſarium odio non habemus. Tractatur μερισμῷ κατ᾽ ἀντίθεσιν. contrariorum enim oppoſitione aliorum miſeriam,aliorum uero atrocitatem oſtendit. ITEM: *Nam*]. Tertium exemplum, quod ſimplex eſt,& μονόσχημον. habet tamen propoſitionem: Nam neminem ueſtrum fugit,Quirites, capta urbe, quae miſeriae conſequi ſoleant. Deinde enumerationem malorum, quae expugnationem urbis conſequuntur: Arma qui contra tulerint,& quae ſequuntur. Poſtremo repetitionem propoſitionis: Nemo,iudices,eſt,&c. Fit tamen haec repetitio ἀποφάσει. Omnis igitur deſcriptio uel eſt ſimplex, & pura, ut poſtremum exemplum: uel eſt mixta pluribus figuris,ut primum,& ſecundum. Deinde, uel miſericordiã propoſitam habet deſcriptio,ut ſecundum,& tertium exemplum: uel ſaeuitiam, ut primum. Tertio, deſcriptio uel ſolam miſericordiam mouere ſtudet, ut in tertio exemplo: uel alteri parti miſericordiam, alteri uero ſaeuitiam excitare, atque indignationem eorum, qui audiunt, ut in ſecundo exemplo. HOC *genere*] Vſus huius figurae maxime in epilogo eſt, cum aut miſericordiam innocentibus, aut indignationem impro-

bis malorum enumeratione commouere uolumus. Id autem perſpicua breuitate fieri debet, ut oratio clara ſit, & illuſtris.

D I V I S I O

*D*Ivisio *eſt, quae, rem ſemouens a re, utramque abſoluit ratione ſubiecta, hoc modo: Cur ego nunc tibi quidquam obijciam? ſi probus es, non meruiſti: ſin improbus, non cõmoueris. Item: Quid nunc ego de meis proprijs meritis praedicam? ſi meminiſtis, obtundam: ſin obliti eſtis, cum re nihil egerim, quid eſt, quod uerbis proficere poſſim? Item: Duae res ſunt, quae poßunt homines ad turpe compendium commouere, inopia, atque auaritia: te auarum in fraterna diuiſione cognouimus, inopem, atque egentem nunc uidemus: qui potes igitur oſtendere cauſſam maleficij non fuiſſe? Inter hanc diuiſionem, & illam, quae de partibus orationis tertia eſt, de qua in libro primo diximus ſecundum narrationem, hoc i tereſt: Illa diuidit per enumerationem, aut per expoſitionem, quibus de rebus in tota oratione diſputatio futura ſit: haec ſe ſtatim explicat, & breui duabus, aut pluribus partibus ſubijciens rationes, exornat orationem.*

E X P L A N A T I O

DIvisio a Graecis inter figuras non numeratur, quamobrem ab illis non eſt nominata. Vocarunt eam quidam Διαλυσιν, alij Διαίρεσιν, quamuis uoce generali quidam Complexionem: qui mihi uidentur ideo errare, quod haec non eſt complexio, ſed nonnumquam complexione tractatur: ut fit in primo exemplo. Eſt autem diuiſio, quae res inter ſe diuerſas ſeparat, & utramque abſoluit ratione ſubiecta. non fit enim enumerandi, ſed potius diſtinguendi cauſſa. Partes igitur habet πρόταςιν, ἀπαρίθμησιν duarum, aut plurium rerum: & abſolutionem, ſiue concluſionem, quae fit ratione ſubiecta. Cvr *ego*] ἐργασία tribus exemplis oſtenditur. primum tractatur κατὰ δίλημμα. Propoſitio eſt: Cur ergo nunc tibi quidquam obiiciam? ἀπαρίθμησις, & λῆμμα primum, Si probus es: ἀφαίρεσις, Non meruiſti. λῆμμα alterum, Sin improbus: ἀφαίρεσις, Non commoueris. Item: *quid*] Alterum exemplum eodem modo tractatur, quo ſuperius. Item: *duae*] Tertium exemplum tractatum διακρίσει, diſtinctione rerum. Propoſitio facta eſt κατὰ διαίρεσιν: Duae res ſunt, quae poſſunt, &c. enumeratio, Inopia, atque auaritia: diſtinctio, Te auarũ fraterna diuiſione, &c. concluſiuncula, Qui potes igitur oſtendere, &c. Huius exemplum uenuſtum eſt in principio Quinctianae: Quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram, C. Aquilli, uereor, alteram metuo. eloquentia Q. Hortenſij, &c. Inter *hanc*] διάκρισις. Oſtendit, quid inter hanc diuiſionem, quam ſententiarum σχῆμα eſſe dicit, & partitionẽ cauſſae interſit. Omnis diuiſio uel eſt ἀρετικὴ, quae ad rem conſtituendam pertinet, de qua in orationis partibus praecipitur. uel eſt φραςικὴ, hoc eſt elocutionis. Haec rurſus uel eſt ἀποδεικτικὴ, quae ad confirmandum aliquid, ſiue refutandũ adhibetur propter δίλημμα: ut primum, & ſecundũ exemplum. uel eſt ἀποφαντικὴ, quae ſimplicem habet enumerationem abſque argumentatione, & a generali ſententia inchoatur. Tale eſt tertium exemplum: & in principio de Natura deorum, amicos docendos, inimicos refutandos eſſe. Eſt igitur figura διδακτικὴ, quae orationem ornat non modo diſtinctione rerum, quae acumen habet, ſed rationibus etiam ſubiectis.

F R E Q V E N T A T I O

*F*Reqventatio *eſt, cum res in tota cauſſa diſperſae coguntur in unum, quo grauior, aut acrior, aut criminoſior oratio ſit, hoc pacto: A quo tandem abeſt iſte uitio? quid eſt, iudices, cur uelitis eum liberare? Suae pudicitiae proditor eſt, inſidiator alienae, cupidus, intemperans, petulans, ſuperbus, impius in parentes, ingratus in amicos, infeſtus in cognatos, in ſuperiores contumax, in aequos, & pares faſtidioſus, in inferiores crudelis, denique in omnes intolerabilis. Eiuſdem generis eſt illa frequentatio, quae plurimum coniecturalibus cauſſis opitulatur, cum ſuſpiciones, quae ſeparatim dictae, minutae, & infirmae erant, unum in locum coactae rem uidentur perſpicuam facere, non ſuſpicioſam, hoc pacto: Nolite igitur, nolite, iudices, ea, quae dixi, ſeparatim ſpectare: ſed omnia colligite, & conferte in unum. Si & commodnm ad iſtum ex illius morte ueniebat, & uita hominis eſt turpiſſima, animus auariſſimus, fortuna familiaris rei attenuatiſſima, & res iſta bono nemini praeter iſtum fuit: neque alius quiſquam atque commode, neque iſte commodioribus alijs rationibus facere potuit: neque praeteritum quidquam eſt ab iſto, quod opus fuerit ad maleficium: neque factũ, quod opus non fuerit: & cũ locus idoneus maxime quaeſitus, tum occaſio aggrediendi commoda, tempus adeundi opportuniſſimum, ſpatium conficiendi longiſſimũ ſumptum eſt, non ſine maxima occultandi, & perficiendi maleficij ſpe: & praeterea, ante, quam occiſus homo is eſt, iſte uiſus eſt in eo loco, in quo eſt occiſio facta, ſolus: paullo poſt in ipſo loco maleficij, uox illius, qui occidebatur, audita eſt: deinde poſt occiſionem, iſtum multa nocte domum rediſſe conſtat, poſtera die titubanter, & inconſtanter de occiſione illius locutum: (haec partim teſtimonijs, partim quaeſtionibus, & argumentis omnia comprobantur, & rumore populi; quem ex argumentis natum, neceſſe eſt eſſe uerum) Veſtrum, iudices, eſt, his in unum locum collatis, certam ſumere ſcientiam, non ſuſpicionem maleficij. Nam unum aliquid, aut alterum poteſt in iſtum caſu cecidiße ſuſpicioſe: ut omnia inter ſe a primo ad poſtremum conueniant maleficia, neceſſe eſt caſu non poſſe fieri. Vehemens eſt haec exornatio, & in coniecturali conſtitutione cauſſae ferme ſemper neceſſaria, & in ceteris generibus cauſſarum, & in omni oratione adhibenda nonnumquam.*

EX-

EXPLANATIO

FREQVENTATIO eſt conglobatio rerum, quae a Graecis Σωραϊσμὸς, Ἐπισωρευσμὸς Συναθροισμὸς, καὶ Ἀνακεφαλαίωσις a Graecis dicitur. Magnam habent inter ſe affinitatem frequentatio, deſcriptio, atque diſtributio: ſed in hoc differunt, quod diſtributio eſt earum rerum, quae ad unum caput pertinent, ſiue illud totum ſit, ſiue genus, ſiue ſubiectum. Deſcriptio τῆς ἐκβάντων, quae ſunt rerum diuerſarum, eſt expoſitio: frequentatio autem, eſt rerum ante tractatarum ἀνακεφαλαίωσις. Eſt enim duplex ἀνακεφαλαίωσις: una ῥητορικὴ, quae eſt perorationis; altera φραστικὴ, elocutionis, de qua hoc in loco. In definitione fines oſtendit tres, τὴν πίστιν, τὸ πάθος, καὶ τὴν κατηγορίαν, his uerbis: Quo grauior, aut acrior, aut criminoſior, &c. Res diuerſas uocat, argumenta, & rationes ſeorſim antea tractatas. A. QVO *tandem*] ἐργασία. Primum exemplum tractatur προσωπογραφία, quae fit enumeratione omnium qualitatum. A. QVO] Expoſitio, ſiue propoſitio informata interrogatione. TANDEM] igitur: eſt enim figura συμπερασματικὴ. SVAE *pudicit.*] Enumeratio, quae conſtat primum ἀντιθέσει, deinde enumeratione quattuor qualitatum ſimplici, tertio diſtinctione propriorum, poſtremo concluſiuncula. EIVSDEM] Alterum exemplum eſt στοχαστικὸν, ad rem probandam pertinens: quod fit conglobatione ſuſpicionum unum in locum: & uim magnam habet. Nam, quae non proſunt (ut Poeta inquit) ſingula, iuncta iuuant. Habet igitur frequentatio, τὰ ἀπ᾽ ἀρχῆς, ut Hermogenes appellat, ἄχρι τέλους: ideſt, σύλληψιν τῶν σημείων, comprehenſionem ſignorum omnium, principij, medij, atque finis. Suſpiciones appellat τὰ εἰκότα, rem perſpicuam τεκμηριώδη, ut ex oratione ueriſimili neceſſaria fiat. NOLITE] Propoſitio uehemens, primum repetitione eiuſdem uerbi, deinde immoratione in eadem re. SI &] Tractatur hoc exemplum omnibus fere coniecturae locis: quos quia diligenter ſuperioribus libris explicauit, hic breuitatis cauſſa omittimus. VESTRVM] Concluſio. Omnis igitur frequentatio uel ad accuſandum inſtituitur, enumeratione qualitatum animi malarum, ut in primo exemplo; uel ad probandum, ut in ſecũdo exemplo, quod fit locis στοχαστικοῖς. VEHEMENS] Vſum oſtendit duplicem: primum neceſſarium, ac perpetuum in cauſſa coniecturali; alterum contingentem in cauſsis ceteris, cum id res ipſa poſtulat, ad quam confirmandam adhibetur.

EXPOLITIO

EXPOLITIO *eſt, cum in eodem loco manemus, & aliud atque aliud dicere uidemur. ea dupliciter fit, ſi aut eandem plane dicimus rem, aut de eadem re. Eandem rem dicimus non eodem modo: nam id quidem obtundere auditorem eſt, non rem expolire, ſed commutare. commutabimus tripliciter, uerbis, pronunciando, tractando. Verbis commutabimus, cum, re ſemel dicta, iterum aut ſaepius aliis uerbis, quae idem ualeant, eadem res proferetur, hoc modo: Nullum tantum eſt periculum, quod ſapiens pro ſalute patriae uitandum arbitretur. Cum agetur incolumitas perpetua ciuitatis, qui bonis erit rationibus praeditus, profecto nullum uitae diſcrimen ſibi pro fortunis reip. fugiendum putabit; & erit in ea ſententia ſemper, ut pro patria ſtudioſe quamuis in magnam deſcendat uitae dimicationem. Pronunciando commutabimus, ſi tum in ſermone, tum in acrimonia, tum in alio atque alio genere uocis, atque geſtus, eadem uerbis commutando, pronunciatione quoque uehementius immutabimus. Hoc neque commodiſſime ſcribi poteſt, neque parum eſt apertum. quare non eget exempli. Tertium genus eſt commutationis, quod tractando conficitur, ſi ſententiam traijciemus, aut ad ſermocinationem, aut ad exſuſcitationem. Sermocinatio eſt, de qua planius paullo poſt ſuo loco dicemus. Nunc breuiter, ad hanc rem quod ſatis ſit, attingemus, in qua conſtituetur alicuius perſonae oratio accommodata ad dignitatem, hoc modo, ut, quo facilius res cognoſci poſſit, ne ab eadem ſententia recedamus: Sapiens, qui omnia reip. cauſſa ſuſcipienda pericula putabit, ſaepe ipſe ſecum loquitur: Non mihi ſoli, ſed etiam atque adeo multo potius, natus ſum patriae: uita, quae fato debetur, ſaluti patriae potiſſimum ſoluatur. Aluit haec me tute, atque honeſte, produxit uſque ad hanc aetatem, muniit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honeſtiſſimis diſciplinis. Quid eſt, quod a me ſatis ei perſolui poſſit, unde haec accepta ſunt? Quia haec loquitur ſecum ſapiens, ſaepe ego in periculis reip. nullum ipſe periculum fugi. Item mutatur res tractando, ſi traducitur ad exſuſcitationem, cum & nos commoti dicere uideamur, & auditoris animum commouemus, ſic: Quis eſt tam tenui cogitatione praeditus, cuius animus tantis anguſtiis inuidiae continetur, qui non hunc hominem ſtudioſiſſime laudet, & ſapientiſſimum iudicet? qui pro ſalute patriae, pro incolumitate ciuitatis, pro reip. fortunis quãuis magnũ, atque atrox periculum ſtudioſe ſuſcipiat, & libenter ſubeat. Equidem hunc hominem magis cupio ſatis laudare, quam poſſum; idemq. hoc certo ſcio, uobis omnibus uſu uenire. Eadem res igitur his tribus in dicendo commutabitur rebus, uerbis, pronunciando, tractando: ſed tractãdo dupliciter, ſermocinatione, & exſuſcitatione. Sed, de eadẽ re cum dicemus, pluribus utemur commutationibus. Nã, cum rem ſimiliter pronunciauerimus, rationẽ poterimus ſubiicere. Deinde duplicem, uel ſine rationibus, uel cum rationibus pronunciare ſententiam. Deinde afferre contrarium. de quibus omnibus diximus in uerborum exornationibus. Deinde ſimile & exemplum, de quo ſuo loco plura dicemus. Deinde concluſionem, de qua in ſecundo libro, quae opus fuerunt, diximus, demonſtrantes argumentationem quemadmodum concludere oporteat. in hoc libro docuimus, cuiuſmodi eſſet exornatio uerbi, cui concluſioni nomen eſt. Ergo huiuſmodi uehementer ornata poterit eſſe expolitio, quae cõſtabit ex frequentibus uerborum exornationibus, & ſentẽtiarum. Hoc modo igitur ſeptem partibus tractabitur: ſed ab eiuſdem ſententiae non recedamus exemplo, ut ſcire poſſis, quam facile praeceptione rhetorica res ſimplex multiplici ratione tractetur. Sapiens nullum pro rep. periculum uitabit: ideo quod ſaepe fit, ut, cũ pro rep. perire noluerit, neceſſario cum rep. pereat. Et, quoniã ſunt omnia cõmoda a patria accepta, nullũ*

incom-

incommodum pro patria graue putandum eſt. ergo, qui fugiunt id periculum, quod pro rep. ſubeundum eſt, ſtulte faciunt. nam neque effugere incommoda poßunt, & ingrati in ciuitatem reperiuntur. at, qui patriae pericula ſuo periculo expetunt, hi ſapientes putandi ſunt; cum & eum, quem debent, honorem reip. reddunt, & pro multis perire malunt, quam cum multis. Etenim uehementer eſt iniquum, uitam, quam a natura acceptam propter patriam conſeruaueris, naturae, cum cogat, reddere; patriae, cum roget, non dare: & cum poſſis cum ſumma uirtute, & honore pro patria interire, malle per dedecus, & ignauiam uiuere: & cum pro amicis, & parentibus, & ceteris neceſſariis adire periculum uelis, pro republica, in qua & hoc, & illud ſanctiſſimum nomen patriae continetur, nolle in diſcrimen uenire. Itaque, uti contemnendus eſt, qui in nauigando ſe, quam nauim, mauult incolumem: ita uituperandus, qui in reip. diſcrimine, ſuae plus quam communi ſaluti conſulit. Naue enim fracta multi incolumes fuerunt, ex naufragio patriae saluus nemo poteſt enatare: quod mihi bene uidetur Decius *intellexiſſe, qui ſe deuouiſſe dicitur, & pro legionibus in hoſtes immiſiſſe medios. amiſit uitam, at non perdidit: re enim uiliſſima, & parua maximam redemit: dedit uitam, accepit patriam: amiſit animam, potitus eſt gloria; quae cum ſumma laude prodita uetuſtati, quotidie magis eniteſcit. Quodſi, pro rep. debere accedere ad periculum, & ratione demonſtratum eſt, & exemplo comprobatum: ij ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute patriae periculum uitant. In his igitur generibus expolitio uerſatur: de qua producti ſumus ut plura diceremus, quod non modo, cum cauſſam dicimus, adiuuat, & exornat orationem, ſed multo maxime per eam exercemur ad elocutionis facultatem. Quare conueniet extra cauſſam in exercendo rationes adhibere expolitionis; in dicendo uti, cum exornabimus argumentationem; de qua diximus in libro ſecundo.*

EXPLANATIO

EXPOLITIO Ἐπεξεργασία frequens eſt omnino oratoribus bonis: ſaepius tamen illa Cicero, qua Demoſthenes utitur. Ariſtotles Προσοικοδόμησιν appellat: alij Κόσμησιν κατ' ἐξοχήν, propter effectum excellentem, quoniam ornatum habet uerum, non effeminatum, qui eſt inutilis. Eſt enim uaria ſententiae propoſitae repetitio, ſiue exornatio, & quaſi nouum quoddam aedificium. Ac fere aut maiorem, aut minorem ſyllogiſmi principalis propoſitionem habet. Differt a frequentatione, quod haec condenſat ſigna, atque argumenta leuiora diſperſe tractata. Expolitio autem grauiora a leuioribus ſeparat, & maxima cauſſae firmamenta urget, quibus comparatur uictoria. Hac oratores maxime inter ſeſe differunt, propter ornatum inſignem. EA *dup.*] διαίρεσις, qua tractationem oſtendit. Omnis expolitio fit in eadem re, idq. duobus modis: ſi aut eandem plane rem dicimus, τὰ αὐτά: aut de eadem re ſaepius, περὶ αὐτοῦ. Vtrumque fit in rebus grauibus, atque neceſſariis. Eandem rem dicimus ἀλλοιώσει, commutatione: eſt enim uitanda ταυτολογία. Commutamus tripliciter. primum, ταῖς λέξεσι, uerbis; deinde, ὑποκρίσει, pronunciatione; tertio, ἐργασίᾳ, tractatione. ἀλλοίωσις τῶν λέξεων eſt, quando in eadem re immoramus ἰσοδυναμίᾳ, quae fit uel in ſingulis uerbis: Abiit, euaſit, erupit, exceſsit. uel in coniunctis, idq. ſententiis aliquando binis, frequenter ternis, raro autem quaternis, hoc modo: Nullum tantum eſt periculum, &c. τῇ ὑποκρίσει pronunciando commutatur oratio, cum ſermo, hoc eſt oratio ſimplex, ſiue ἀπόφασις, cum acrimonia, id eſt affectu effertur, κατ' ἐρώτησιν: ut, Non ibi. ego ne ad eã, quae me? quae illum? quae non? mori malim: in Eunucho. facta eſt haec ἐπιμονὴ κατὰ πρόκρισιν ἐργασίᾳ tractatione fit, aut ſermocinatione, διαλογισμῷ, aut exſuſcitatione. Sermocinatio, de qua infra praecipit, hoc in loco tractatur ἠθοποιΐα, eſtq. plane ἠθικὸν exemplum, quod animi grati ſignificationem oſtendit. Partes autem habet, propoſitionem, ἠθοποιΐαν, & concluſionem. Exſuſcitatio, quae συμπάθεια dici poteſt, uel ad laudandũ, uel uituperandum adhibetur. Ea fit uariis modis, ut in exemplis facile obſeruari poteſt. Nam in laude προτροπὴν habet, in uituperatione ὀργὴν, ἀγανάκτησιν, νέμεσιν, atque ἔκπληξιν. QVIS *eſt*] Exemplum exſuſcitationis, quod partes habet propoſitionem, κατασκευὴν κατ' ἐπιμονὴν, & concluſionem. EADEM *res*] Concluſio primae rationis orationem expoliendae. SED *de eadem re*] Altera expolitionis ratio eſt, cum de eadem re dicimus προσλήψει aſſumptione. Haec autem partibus tractatur ſeptem, προτάσει, κατασκευῇ, ἐπικατασκευῇ, ἐναντίῳ, ὁμοιότητι, παραδείγματι, συμπεράσματι. eſt autem concluſio in exornatione nihil aliud, quam propoſitio confirmata. ERGO *huiuſmodi*] Oſtendit hanc ſeptem partium rationem, ut uehementer ſit ornata, ex frequentibus cum uerborum tum ſententiarum exornationibus debere conſtare. HOC *modo*] Iam exemplo prioris ſententiae tractationem indicat. VT *ſcire*] Cauſſam oſtendit, cur eadem utatur ſententia. SAPIENS] πρότασις ἢ θέσις, propoſitio. IDEO *quod*] Κατασκευὴ ratio, ἢ ἐπιχείρημα. ET, *quoniam*] Hactenus res abſoluta eſt propoſitione, atque ratione ſimpliciter, nunc eandem expolit. Eſt hic ſententia duplex, ſine ratione, ἐργασία, ἢ ἐπικατασκευὴ κατ' ἐνθύμημα. ERGO, *qui &c.*] Ἐναντίον. NAM, *neque*] ἐπεξεργασία, ratio duplex. AT, *qui patriae*] Repetitio contrarij αὐξητική: aliud enim contrarium additur. ITAQVE,] ὁμοίωσις explicata. NAVE *enim*] Explicatio ſimilitudinis. QVOD *mihi*] παράδειγμα. QVOD *ſi*] Συμπέρασμα, concluſio uehemens: eſt enim ἀποδεικτική, quae omnium repetitionem habet generalem. IN *his &c.*] Concluſio huius figurae αἰτιολογική. rationem enim oſtendit, cur prolixius eam tractauerit. Oſtendit autem uſum eſſe duplicem in rebus ſeriis, atque actionibus cauſſarum, & in declamationibus, quae exercitationis fiunt gratia. Efficit autem, primum, ut res bene intelligatur; deinde, ut memoretur; tertio, ut fides habeatur oratori; poſtremo, motum in animis auditorum excitat. Vrget enim firmamenta cauſſae uehementiſsima. Eſt igitur figura διδακτική, atque παθητική.

COM-

COMMORATIO

Commoratio eſt, cum in loco firmiſſimo, quo tota cauſſa continetur, manetur diutius, & eodem ſaepius redditur. hac uti maxime conuenit, & id eſt oratoris boni maxime proprium. non etim datur auditori poteſtas animum de re firmiſſima dimouendi. Huic exemplum ſatis idoneum ſubiici non potuit: propterea quod hic locus non eſt a tota cauſſa ſeparatus, ſicut membrum aliquod, ſed, tam quam ſanguis, perſuſus eſt per totum corpus orationis.

EXPLANATIO

Commoratio Ἐπιμονὴ, ἢ ἐπαναχαίνωσις, eſt ſententiae prius tractatae poſt interuallum, & res alias interpoſitas, repetitio. Differt ab Expolitione τάξει, καὶ τόπῳ, loco, atque collocatione. Haec enim in loco uno fieri ſolet, antequam ad rem aliam orator accedat; commoratio in diuerſis. & hac in grauiſsimis, illa uero in grauibus, atque grauioribus argumentis utimur. Non eſt haec illa ἐπιμονὴ, cum in eadem re ſententiis diuerſis immoramur: ſed, cum id, quod eſt firmiſsimum, & ante a nobis diutius tractatum, aliquoties renouamus. Huius cum in aliis Ciceronis orationibus, tum in Verrinis plura ſunt exempla. Eſt enim in illis orationibus maior ornatus, quam in aliis, quod domi ſcriptae ſunt, non in foro habitae. & oratoris ἐπιβουλὴ, ἢ μελέτη, hoc eſt, diligens, & accuratum ſtudium, non in abſcondenda arte, quae ſaepe eſt apertior, ſed in compoſitione illarum orationum manifeſtum eſt.

CONTENTIO

Contentio eſt, per quam contraria referuntur. ea eſt in uerborum exornationibus, ut ante docuimus, eiuſmodi. Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem praebes. In ſententiarum, huiuſmodi: Vos huius incommodis lugetis, iſte reip. calamitate laetatur. Vos ueſtris fortunis diffiditis, iſte ſolus ſuis eo magis confidit. Inter haec duo contentionum genera hoc intereſt: illud ex uerbis celeriter relatis conſtat; hic ſententiae contrariae ex comparatione referantur, oportet.

EXPLANATIO

Contentio Ἀντίθετον, Σύγκρσις, ἢ Ἐναντίωσις, ἢ Ἐναντιότης, eſt contrariorum oppoſitio. Domus deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? at egebas. &, In pace, ad uexandos ciues acerrimus; in bello, ad expugnandos hoſtes inertiſsimus. Ea *eſt*] ἐργασία. multae ſunt uerborum figurae, quae ſunt etiam rerũ: ſic eſt contentio quoque, & uerborum, & ſententiarum. haec Ἀντίθετον, illa Ἀντίθεσις appellatur, quae eſt ſimplex uerborum oppoſitio. Ac de illa ſupra dixit: ſententiarum contentio eſt, cum ſententia pugnantes inter ſeſe pares paribus opponuntur. ut in Pilipp. Neque enim Tarquinio expulſo, maioribus noſtris tam fuit optata libertas, quam eſt, repulſo Antonio, retinenda nobis: illi regibus parere iam a condita urbe didicerant, nos poſt reges exactos ſeruitutis obliuio ceperat. atque ille Tarquinius, quem maiores noſtri non tulerunt, non crudelis, non impius, ſed ſuperbus habitus eſt, & dictus: quod nos uitium in priuatis ſaepe tulimus, id maiores noſtri ne in regibus quidem ferre potuerunt. Iunius Brutus regem Superbum non tulit: D. Brutus ſceleratum, atque impium regnare patietur Antonium? Item pro Murena: Tu mihi id arripi, quod neceſſe eſt omnium uitiorum eſſe poſtremum; relinquis illa, quibus remotis, hoc uitium eſſe non poteſt. Et ibidem: Odit populos R. priuatam luxuriam, publicam magnificentiem diligit. Et in Catil. Honeſte uiuere cum non poſsint, perire turpiter malunt. Inter] διάκρισις. diſtinguit uerborum contentionem ab ea, quae eſt ſententiarum, quod illa γοργότητα celeritatem habet, propterea quod una, eaq. breui comprehenſione abſoluitur: haec uero συγκρίσει, ἢ ἀντεξετάσει, ſiue in una, ſiue in pluribus comprehenſionibus tractatur. Omne igitur ἀντίθετον, uel in una periodo abſoluitur, ut in proximo exemplo pro Murena; uel in pluribus, ut in altero ex Philippicis. Deinde, omne ἀντίθετον uel eſt purum, quod ſola contentione conſtat: uel eſt aliis figuris mixtum, ut, Domus deerat? at habebas; pecunia ſuperabat? at egebas? fit occupando. Tertio, omne ἀντίθετον uel eſt rerum, uel perſonarum, uel utrorumque. & perſonae uel ſunt generales, uel ſingulares; ut in exemplo ex Philippicis. Magnus eſt huius figurae uſus, cum in docendo, tum etiam in mouendo.

SIMILITVDO

Similitudo eſt oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Ea ſumitur aut ornandi cauſſa, aut probandi, aut apertius dicendi, aut ante oculos ponendi. Quo modo igitur quattuor de cauſſis ſumitur, ita quattuor modis dicitur: per contrarium, per negationem, per breuitatem, per collationem. Ad unamquamque ſumendae cauſſam ſimilitudinis accommodabimus ſingulos modos pronunciandi. Ornandi cauſſa ſumitur per contrarium, ſic; Non enim, quemadmodum in palaeſtra, qui taedas candentes accipit, celerior eſt in curſu continuo, quam ille qui tradit; ita melior Imperator nouus, qui accipit exercitum, quam ille qui decedit: propterea quod defatigatus curſor integro facem, hic peritus imperator imperito exercitum tradit; Hoc ſine ſimili ſatis

plane, & perſpicue, & probabiliter dici potuit, hoc modo: Dicitur, minus bonos imperatores a melioribus exercitum accipere ſolere. ſed ornandi cauſſa ſimile ſumptum eſt, ut orationi dignitas quaedam comparetur. Dictum eſt autem per contrarium. Nam tunc ſimilitudo ſumitur per contrarium, cum ei rei, quam nos probamus, aliquam rem negamus eſſe ſimilem, ut paullo ante, cum de curſoribus differebamus. Per negationem dicetur probandi cauſſa, hoc modo: Neque equus indomitus, quamuis natura bene compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas utilitates, & aptus, quae deſiderantur ab equo: neque homo indoctus, quamuis ſit ingenioſus, ad uirtutem poteſt peruenire. Hoc probabilius factum eſt, quod magis eſt ueriſimile, non poſſe uirtutem ſine doctrina comparari; quoniam nec equus quidem indomitus idoneus poſſit eſſe: ergo ſumptum eſt probandi cauſſa. Dictum eſt autem per negationem: id enim perſpicuum eſt de primo ſimilitudinis uerbo. Sumitur & apertius dicendi cauſsa ſimile per breuitatem, hoc modo: In amicitia gerenda, ſicut in certamine currendi, non ita conuenit exerceri, ut, quoad neceſſe ſit, peruenire poſſis; ſed ut productius ſtudio, & uiribus ultra facile procurras. Nam hoc ſimile eſt, ut apertius intelligatur, mala ratione facere qui reprehendant eos, qui uerbi cauſſa poſt mortem amici liberos eius cuſtodiant: propterea quod in curſore tantum uelocitatis eſſe oporteat, ut efferatur uſque ad finem; in amico tantum beneuolentiae ſtudium, ut ultra, quam amicus ſentire poſſit, procurrat amicitiae ſtudio. Dictum autem ſimile eſt per breuitatem. Non enim ita, ut in ceteris rebus, res ab re ſeparata eſt, ſed utraeque res coniuncte, & confuſe pronunciatae. Ante oculos ponendi negotij cauſsa, ſumetur ſimilitudo per collationem, ſic: Vti citharoedus, cum prodierit optime ueſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus uariis intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro, & ebore diſtinctam, ipſe praeterea forma, & ſpecie ſit, & ſtatura appoſita ad dignitatem, ſi, cum magnam populo commouerit his rebus exſpectationem, repente ſilentio facto, uocem emittat acerbiſſimam cum turpiſſimo corporis motu, quo melius ornatus, & magis fuerit exſpectatus, eo magis deriſus, & contemptus eijcitur: ita, ſi quis in excelſo loco, & in magnis, ac locupletibus copiis collocatus, fortunae muneribus, & naturae commodis omnibus abundauit, ſi uirtutis, & artium, quae uirtutis magiſtrae ſunt, egebit; quo magis ceteris rebus erit copioſus, & illuſtris, & exſpectatus, eo uehementius deriſus, & contemptus ex omni conuentu bonorum eiicietur. Hoc ſimile exornatione utriuſque rei, & alterius inſcitia artificij, alterius ſtultitia ſimili ratione collata, ſub adſpectu omnium rem ſubiecit. Dictum autem eſt per collationem, propterea quod, propoſita ſimilitudine, paria ſunt omnia relata. In ſimilibus obſeruare oportebit diligenter, ut, cum rem afferamus ſimilem, cuius rei cauſſa ſimilitudinem attulerimus, uerba quoque ad ſimilitudinem habeamus accommodata. id eſt huiuſmodi: Ita ut hirundines aeſtiuo tempore praeſto ſunt, frigore pulſae recedunt: ex eadem ſimilitudine nunc per tranſlationem uerba ſumimus: ita falſi amici ſereno uitae tempore praeſto ſunt; ſimulatque hiemem fortunae uiderint, deuolant omnes. Sed inuentio ſimilium facilis erit, ſi quis ſibi omnes res animatas, & inanimatas mutas, & loquentes, feras, & manſuetas, terreſtres, & caeleſtes, & maritimas, artificio, caſu, natura comparatas, uſitatas, atque inuiſitatas, frequenter ante oculos poterit ponere, & ex his aliquam uenari ſimilitudinem, quae aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ponere ante oculos poſſit. non enim res tota totae rei neceſſe eſt ſimilis ſit; ſed ad ipſum, ad quod conferetur, ſimilitudinem habeat, oportet.

EXPLANATIO

SIMILITVDO a Graecis Ὁμοίωσις, καὶ Παραβολὴ dicitur: quae figura apud oratores frequens, apud poetas frequentiſsima eſſe ſolet. Eandem uim habet, quam Inductio: quare Socrates ſaepiſsime ex ſimilibus concludit. Haec autem, ut lucem rebus infert, ad quas adhibetur, cum eſt apta, urbana, & ex notis, ac perſpectis rebus ſumpta: ſic etiam orationem humilem, obſcuram, atque uilem reddit, cum eſt uulgaris, ignota, uilis, ſordida. Eſt autem ſimilitudo, oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Orationem, quae genus eſt remotius, pro exornatione poſuit. Partes eius ſunt πρότασις, & προσαπόδοσις, propoſitio, ac redditio. Adhibentur tamen nonnumquam etiam humiles ſimilitudines, cum apud poetas, tum apud oratores. quod cum fit, aut ὑποθέσει emendantur, ut, Si parua licet componere magnis: aut αἰτιολογίᾳ, ut in Oratore: Parua enim magnis ſaepiſsime recte conferuntur, inquit Cicero. REM *quampiam*] poſitam in quaeſtione. SIMILE] extra quaeſtionem poſitum, affectum tamen ad id, quod eſt in quaeſtione. DISPARI] ſpecie differenti a re propoſita. SIMILE] quod adhibitum eſt ornatus gratia. EA *ſumitur*] ἐργασία. Omnis ſimilitudo uel eſt ὀγγώδης, uel πιστική, uel σαφὴς, uel ἐνδιάσκαλος: hoc eſt, aut ſumitur ornandi cauſſa, aut probandi, aut apertius dicendi, aut ante oculos ponendi. Haec diuiſio ex cauſsis finalibus ſumitur, αἰτίοις τελικοῖς. Altera diuiſio τῆς ἐργασίας eſt & ex cauſsis efficientibus ſumpta: omnis ſimilitudo tractatur aut per contrariũ, aut per negationem, aut per breuitatem, aut per collationem. Atque haec ab auctore exemplis illuſtrantur, ut noſtra explicatione non habeant opus. Hoc tantum dico, omnia illa etiam aliter poſſe tractari, quam aut contrario, aut negatione, aut breuitate, aut collatione: id, quod in oratorum exemplum annotandum eſt. Quinctilianus inquit, eam, quae rem ante oculos ponit, aut apertius indicat, proprie elocutionis eſſe: in qua obſeruandum, ne id, quod ſimilitudinis gratia adſciuimus, aut obſcurum ſit, aut ignotum, ſed clarius eo, quod illuminat. Poetis tamen eſt conceſſum, ut dicant:

Qualis ubi hibernam Lyciam, Xantiq. fluenta
Deſerit, aut Delon maternam inuiſit Apollo.

Ea, quae ad probandum aſſumuntur, ſimilia, uulgaria, & communia eſſe debent: ut ſunt ea, quae a rebus naturalibus, ab artibus, atque diſciplinis ducuntur. ORNANDI] Ornandi igitur cauſſa αὐξήσεως ἕνεκα per contrarium

rium tractatur ſimilitudo, cum ſimilia, atque diſsimilia ita inter ſe cõparantur, ut ſimilia negentur: quamobrẽ haec tractandi uia cõtrarium appellatur, & ab aliis ἀνομοιότης diſsimilitudo dicitur. Eſt enim in omni ſimili aliquid diſsimile, & nihil eſt tam diſsimile, quod non etiam aliquam habeat cum aliis ſimilitudinem. Tum autem ornatus cauſſa aliquid adhibitum eſſe iudicatur, cum res ipſa ſine ornatu tractari minime poteſt. quales ſunt aut res magnae, ut de Deo, de religione, de rep. & in hoc ſimili de imperatore, & exercitu. aut paruae, ut in 4. Georg. de apibus. Huiuſmodi ſimilitudo eſt in Roſciana, ubi Sullam excuſat Cicero, a Ioue ſimilitudine ducta, quam non per contrarium, ut hic fit, ſed καταφατικῶς tractauit: Placet igitur, iudices, aliquid imprudentia praeteriri? non placet, ſed neceſſe eſt. etenim, ſi Iuppiter opt. max. cuius nutu, & arbitrio caelum, terra, mariaq. reguntur, ſaepe uentis uehementioribus, aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes deleuit, fruges perdidit, quorum nihil pernicie cauſſa diuino conſilio, ſeu ui ipſa, & magnitudine rerum factum putamus: at contra, commoda, quibus utimur, lucẽque, qua fruimur, ſpiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari, atque impartiri uidemus: quid miramur L. Sullam, cum ſolus remp. regeret, orbemq. terrarum gubernaret, imperiiq. maieſtatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animaduertere non potuiſſe? niſi hoc mirum eſt, quod uis diuina aſſequi non poſsit, ſi id mens humana adepta non ſit. PLANE,] σαφῶς. PERSPICVE,] ἐνδιασκελῶς. PROBABILITER] ἀποδεικτικῶς. PAVLLO *ante*,] in propoſito exemplo. PER *negationem*.] Probandi cauſſa τῆς πίστεως ἕνεκα ſimilitudinem adhiberi per negationem dicit: id fit, cum propoſitiones negatiuae inter ſe conſociantur. Sed non modo negando, uerumetiam affirmando probandi cauſſa ſimilitudines ſumuntur, idq. a rebus uulgaribus, cõmunibus, maximeq. notis: ut, Quemadmodum terra cultu, ſic animus diſciplinis melior, uberiorq. fieri ſolet. Et κατ' ὑπόθεσιν, ut illa pro Murena: Quod ſi e portu ſoluentibus, ij, qui iam in portum ex alto inuehuntur, praecipere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & praedonum, & locorum: quod natura affert, ut ei faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem animo me eſſe oportet, prope iam ex magna iactatione terram uidentem, in hunc, cui uideo maximas reip. tẽpeſtates ſubeundas? Probare enim uoluit, boni eſſe conſulis, ut ipſe mox oſtendit, non ſolum uidere, quid agatur, uerumetiam prouidere, quid futurum ſit. Fit etiam probatio ſimilitudine poſt interuallum iterata, conglobatione effectorum interpoſita. ut in ſecunda Philippica: Vt igitur in ſeminibus, &c. APERTIVS *dicendi*] σαφηνείας ἕνεκα ſimilitudo dicitur per breuitatem συντομίαν, quando ſimilitudinis propoſitio, cum eiuſdem redditione coniungitur: ut, In hac fama tamquam flamma uerſatus eſt. Apud poetas crebra huius generis exempla ſunt:

— Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba uentris
Exegit caecos rabies, catuliq. relicti.

& illud in ſecundo:

In ſegetem ueluti cum flamma furentibus Auſtris
Incidit, aut rapidos montano flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata laeta, boumq. labores,
Praecipitesq. trahit ſiluas: ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de uertice paſtor.

RES ab] Simile ab ipſa re. CONIVNCTAE,] abſque redditione. ANTE *oculos*] Quae ſimilitudo ἐναργείας ἕνεκα ſumitur, tractatur κατ' ἀντιπαραβολὴν καταφατικῶς, ut paria paribus reſpondeant. Hoc genus perſpicuitatis eſt, breuitas orationis, negatio, & contrarium ex natura rei ſumuntur. Exemplum uenuſtum ponit, quod non ſolum ἀντιπαραβολὴν habet, ſed etiam ἐνάργειαν, quia utriuſque perſonae deſcriptionem habet illuſtrem. PARIA] ſimilia aſsimilatis. dicitur autem par in exornationibus, in quo idem eſt membrorum numerus, uel paene idem. IN *ſimilibus*] Docet, quid in ſimilitudinibus ſit ſpectandum. Primum igitur uidendum eſt, ut ſimilitudo ſit illuſtris, & apta, hoc eſt, rei praeſenti aequalis, ſiue dignitate, & ſplendore in laudãdo, atque ornando, ſiue humilitate, & contemptu in uituperando, quae ex rebus ſumuntur deterioribus. Sic in ſuperiore exemplo Sullam excuſans Cicero, non ab inferiore, ſiue pari, ſed a ſuperiore perſona, ab ipſo Ioue, ſimile duxit. Deinde, ut ſumantur a rebus notis non nobis modo, ſed illis etiam, apud quos dicimus. Neque enim intelliget agricola, quae ex re nautica transferuntur; nec Germanus, quae ab animantibus Indicis, aut Aegyptiacis ſumuntur. Tertio, ut uerba ſint ad ſimilitudinem accommodata, ut in hoc exemplo apparet. ACCOMMODATA] tranſlata. SED *inuentio*] Oſtendit εὕρεσιν ſimilium, qua ratione facile inueniri poſsint: nimirum, ſi quis rerum diuinarum, naturalium, atque humanarum cognitionem habeat. Eſt etiam tertia obſeruanda diuiſio, quod omnis ſimilitudo aut eſt perfecta, aut imperfecta. perfecta eſt, quae cum re connexa, πρότασιν habet, & ἀπόδοσιν, redditionem, qua ſimilitudo explicatur. ea enim rem utramque, quam comparat, pariter oſtendit, & oculis ſubiicit. imperfecta eſt, quae libera, atque ſeparata, redditione caret. Item quarta: omnis ſimilitudo uel praecedit rem, ut in illo ſuperiore ex 2. Aeneid.

— inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, &c.

Vel ſequitur, ut in 1. Georg.

Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigae,
Addunt ſe in ſpatia, & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas,

Et

Et quincta, omnis redditio uel eſt eadem utrique rei, ut, Amantibus idem contingit, quod aegris, ut ſalubribus cōſiliis inimici ſint: uel eſt diuerſa, ut, quales pecudes, tale eſt hominum uulgus. nam ut illae ſequuntur, quo priores ierint, ita homines receptos mores ſequuntur ſine iudicio. Omnium locorum, quibus argumenta ducuntur, nulli fere minus eſt uirium contra renitentem auditorem, quam ſimilitudini; ad eum uero, qui ſponte ſequitur, docendumq ſe praebet, accommodatior nullus eſt. Aperit enim rem, ſi recte adhibeatur, & quandam eius imaginem ſubiicit animo: ut, cū aſſentiendi neceſsitatem non afferat, afferat tacitum diſſentiendi pudorem. Quapropter ad probandum non ita crebro, ad explanandum, illuſtrandumq. ſaepe ab oratoribus, a poetis ſaepius adhibetur.

E X E M P L V M

Exemplum eſt alicuius facti, aut dicti praeteriti, cum certi auctoris nomine propoſitio: id ſumitur iiſdem de cauſſis, quibus ſimilitudo. Rem ornatiorem facit, cum nullius rei niſi dignitatis cauſſa ſumitur: Apertiorem, cum id, quod ſit obſcurius, magis dilucidum reddit: Probabiliorem, cum magis ueriſimilem facit; Ante oculos ponit, cum exprimit omnia perſpicue, ut res dicta prope manu tentari poſſit. Vniuſcuiuſque generis ſingula ſubiecissemus exempla, niſi, exemplum quod genus eſſet, in expolitione demonſtraſſemus, & cauſſas ſumendi in ſimilitudine aperuiſſemus: quare noluimus neque pauca, quo minus intelligeretur, neque, re intellecta, plura conſcribere.

E X P L A N A T I O

Exemplvm, Παράδειγμα eſt, alicuius facti, aut dicti praeteriti cum certi auctoris nomine propoſitio, atque explicatio. Refertur autem ab hoc auctore inter exornationes, quia non ſolum eſt ἀποδεικτικὸν, atque ἐπαγωγικὸν, ut alia quaedam σχήματα, quae inter argumentorum etiam genera recenſentur, uerumetiam ornatum habet. Tria autem in exemplis ſunt ſpectanda: Cauſſae, effectus, genera. Cauſſae efficientes ſunt uel humanae, ut uirorum, atque mulierum: uel naturales, & quaſi diuinae, ut tempeſtates, exundationes, peſtes, euerſiones urbium: quae diuinitus accidunt, & exemplorum loco adhibentur, ſiue ad uirtutem colēdam hortemur, ſiue ut a uitiis abſtineamus dehortemur. Cauſſa finalis quadripartita eſt: nam iiſdem de cauſsis adhibetur, quibus ſimilitudo, ut rem uel ornatiorem faciat, uel apertiorem, uel probabiliorem, uel ante oculos ponat. Quemadmodum autem cauſſae, ita & effecta uel humana ſunt, uel diuina, quae a Deo immittuntur. Genera duo ſunt. nam & diuina, & humana aut ab oratione proueniunt, ut dicta, pronunciata, iudicata, oracula, apophthegmata, prouerbia. aut geſta ſunt, quae aut uera ſunt, ut ſunt hiſtorica; aut ueriſimilia, ut fabula, apologus, & quae a poetis ſumuntur. In Topicis Cicero cum ſimilibus coniungit. Nam, & ſimile eſt exemplum, & exemplum ſimile: & utrumque παράδειγμα exemplum appellauit Fabius lib. 5. cap. 11. Sed hic auctor ſeparauit: quoniam ſimilitudo παραβολὴν ducit fere a rebus inanimis, & diſsimilibus genere, exemplū autem a rebus praeteritis. Rem ornatiorem] ἔκθεσις τῆς ἐργασίας, quae fere eadem eſt, quae ſimilium fuit, hanc autem ex cauſsis finalibus oſtendit, ut ante ſimilium. Diligenter de his Quinctilianus. Rem igitur ornat, cum dignitatis cauſſa ſumitur κατ' ἀνομοιότητα, per contrarium, ſiue diſsimilitudinem. Non ſi M. T. Cicero, qui patriae, qui reip. qui libertatis amantiſsimus fuit, recte a C. Iulio Caeſare defecit, etiam Q. Ligarius. Item καταφατικῶς: Laudatur M. Cato, & recte feciſſe dicitur, quod ſequi Caeſarem noluerit: ergo & Q. Ligarius laudabiliter egit, qui idem noluit. Rem apertiorem facit, cum id, quod ſit obſcurius, magis dilucidum reddit. ut pro L. Manil. Primum ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur: quam praedicant in fuga fratris ſui membra in his locis, qua ſe parens perſequeretur, diſsipauiſſe: ut eorum collectio diſperſa, maerorq. patrius celeritatem perſequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam uim auri, atque argenti, pulcherrimarumq. rerum omnium, quas & a maioribus acceperat, & ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas in ſuum regnum congeſſerat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum noſtri colligunt omnia diligentius, rex ipſe e manibus effugit: ita illum in perſequēdi ſtudio maeror, hos laetitia retardauit. Probabiliorem efficit, cum ueriſimilem facit. Huiuſmodi innumera ſunt apud oratores, maxime Ciceronem, ut pro Milone, de M. Horatio, de P. Africano, de Ahala Seruilio, P. Naſica, L. Opimio, C. Mario, de ſenatu ipſo: quibus omnibus probat, ſceleratos in rep. ciues licitum eſſe occidi. Ante oculos ponit, cum exprimit omnia perſpicue, ut res dicta prope manu tentari, hoc eſt, ſenſu aliquo percipi poſsit. huius generis exemplum difficulter dari poteſt: quoniam ἐνάργεια non in ſolis conſiſtit exemplis, ſed illis fit maior. nam, tametſi ſunt ἐναργητικὰ, καὶ ἀξιωματικὰ, tamen non ſunt cauſſae euidentiae abſolutae. Maximus igitur eſt & apud poetas, & apud oratores uſus exemplorū: quem Cicero in Philippicis his etiā uerbis indicat: Iccirco enim praeteritorū mentionē feci, ut ex illis futura praeuideremus, nō ut communes noſtras miſerias enumerarem, (quae utinam numquam accidiſſent) ſed ut, eorum commemoratione exemplorum, efficerem, ut, quae reſtant, poſſetis conſeruare. Hic etenim ſolus ex malorum commemoratione fructus percipi poteſt, ut caueamus in poſterum, ne in ea rurſum incidamus.

IMAGO

IMAGO eſt, formae cum forma cum quadam ſimilitudine collatio. haec ſumitur aut laudis, aut uituperationis cauſſa. Laudis cauſſa, ſic: Ibant in proelium corpore tauri ualidiſſimi, impetu leonis acerrimi ſimiles. Vituperationis, ut in odium, aut in inuidiam, aut in contemptionem adducat. Vt in odium, hoc modo: Iſte quotidie per forum medium tamquam iubatus draco ſerpit, adſpectu uenenato, ſpiritu rabido, circumſpectans huc & illuc, ſi quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus inſecare, lingua adſpergere poſſit. Vt in inuidiam adducat, hoc modo: Iſte, qui diuitias ſuas iactat, ſicut gallus e Phrygia, aut ariolus quiſpiam depreſſus, & oneratus auro clamat, & deierat. Vt in contemptione adducat, ſic: Iſte, qui tamquam cochlea abſcondens, retentat ſe ſe tacitus, quo ſit tutus, comeditur cum domo ſua, & aufertur.

EXPLANATIO

IMAGINEM, quam Graeci uocant Εἰκόνα, a ſimilitudine, & metaphora ſeparauit, cum qua eam Ariſtoteles coniunxit, atque inter tropos numerauit. Dicitur εἰκὼν ἀπὸ τοῦ εἰκάζειν, hoc eſt, uiuam imaginem exprimere. Formas hoc in loco uocat, res ſenſu praeditas. ad hominem enim plerumque ab animantibus imago ducitur. quamquam etiam eſt rerum ſenſu carentium. Collationem intelligit παραβολὴν, quae cum ſimilitudine illuſtri, & adhibita perſonis fieri debet. Imago eſt breuis, & expreſſa ſiue ſimilitudo, ſiue comparatio poetica, a qua uidetur habere originem. Res enim poetae pluribus explicant, perſonas paucioribus deſcribunt: at oratores contra faciunt, quoniam ἐν τῇ ὑποθέσει uerſantur. Breuiter igitur proponemus, mox ad perſonam tranſibimus, & uerba ſimilitudinis retinebimus. εἰκὼν ἐστὶ μεταφορά, διαφέρουσα προσθέσει: inquit Ariſt. διὸ ἧττον ἡδύ, ὅτι μακροτέρως. Differt autem a metaphora, ut idem Ariſtot. inquit: ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα, ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν — εἰκών ἐστιν· ὅταν δὲ, λέων ἐπόρουσε, μεταφορά. διὰ γὰρ τὸ ἄμφω ἀνδρείους εἶναι, προσηγόρευσε μετενέγκας λέοντα τὸν Ἀχιλλέα. Ita tranſlatio ſimpliciter, quod ſit, oſtendit abſque notis: imago uero aliquid tale, uel non tale eſſe, particulis comparandi annexis demonſtrat. A ſimilitudine differt, ſecundum maius, & minus. plus enim luminis habet imago illuſtris, apparens, & oculis ſubiecta ſimilitudo. In hac figura quattuor ſunt ſpectanda: primum res, deinde formae, tum tractatio, poſtremo uſus. Res duplex eſt: propoſita, & imaginis, ſiue ſimilitudinis cauſſa adhibita. res propoſita, plerumque eſt perſona: res uero, quae imaginis cauſſa adhibetur, non minus, quam ipſa ſimilitudo, nota, & ad rem praeſentem accommodata eſſe debet. Formae (quia ἀποδεικτικὴ eſt figura) duae ſunt: uel enim eſt ἐγκωμιαστικὴ, uel ψεκτική. Laudis cauſſa ſumitur: ut Antiſthenes Cephiſodotum, qui cognominatus eſt tenuis, thuri aſsimulabat, quod, cum atteritur, ſuauiter redolet: talis etiam eſt ſuperior de Achille ex Homero, qui inquit:

> Πηλεΐδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίος ὦρτο λέων ὥς,
> σίντης. &c.

Vituperationis gratia tribus de cauſsis, ut in odium, aut in inuidiam, aut in contemptum ducit. Exempla ſunt perſpicua, & huiuſmodi multa ſunt in Cicerone. Vt in Verrina tertia: Nam, ut iſte profectus eſt, non ut legatus pop. Rom. ſed ut quaedam calamitas peruadere uideretur. In Vatinium: Repente enim te tamquam ſerpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti. & pro domo: Et tu in hoc uulnere tamquam unguis exſiſteres? & in Philipp. At iſte operta lectica latus eſt per opidum ut mortuus. IBAT] Breue eſt exemplum, quod Homerus, aut Virgilius pluribus uerſibus dilataſſet. IN *odium*,] Odimus ſpurcos, ſuperbos, perfidioſos, crudeles, confidentes, flagitioſos: inuidemus potentibus, diuitibus, honoratioribus ſiue aequalibus, ſiue ſuperioribus. Contemnimus inertes, ignauos, ſtupidos, ſegnes. De his uide ſupra libro primo, & Ariſtotelem lib. 2. Rhetoricorum. Quale autem eſt diſcrimen inter aemulationem, atque imitationem, tale fere eſt inter odium, & inuidiam: quae tametſi uitio numquam caret, in liberalibus tamen ingeniis non raro etiam regnat. Quod ad tractationem attinet, in hac figura obſeruandum eſt, quod uel paucis tractantur uerbis, ut in praecedentibus duobus exemplis; uel pluribus, ut in ſuperiore ex Verrina tertia, & in primo auctoris. deinde uel purae ſunt imagines, uel ſunt mixtae, ut ſuperius ex Verrina, quod figuratum eſt ἄρσει, καὶ θέσει. Vſum Ariſtoteles in tertio Rhetoricorum indicat his uerbis: χρήσιμον δὲ ἡ εἰκὼν καὶ ἐν λόγῳ, ὀλιγάκις δὲ ποιητικὸν γάρ. οἰστέαι δὲ ὥσπερ αἱ μεταφοραί. Idem etiam Quinctilianus lib. V. admonet, rarius eſſe in oratione εἰκόνα, in quo genere exprimitur rerum, aut perſonarum imago.

EFFICTIO

EFFICTIO eſt, cum exprimitur, & effingitur uerbis corporis cuiuſpiam forma, quod ſatis ſit ad intelligendum, hoc modo: Hunc dico, iudices, rubrum, breuem, incuruum, canum, ſubcriſpum, caeſium, cui ſane magna eſt in mento cicatrix, ſi quo modo poteſt uobis in memoriā redire. Habet haec exornatio cum utilitatem, ſi quem uelis oſtendere; tum uenuſtatem, ſi breuiter, & dilucide facta eſt.

EXPLANATIO

EFFICTIONEM alij Εἰκασμὸν, alij Ἀπεικασμὸν, nonnulli Χαρακτηρισμὸν, Rutilius Χυσηρισμὸν appellat: &, quẽadmodum pictor, coloribus figuras deſcribit, ſic oratorem inquit hoc ſchemate aut uitas, aut uirtutes eorum, de quibus loquitur, deformare. Differt ab imagine, quod haec paucis uerbis, & coloribus alienis perſonam, aut rem depingit: effictio uero uerbis propriis, ac ſuis qualitatibus, quoad ſatis eſt, hoc eſt breuiter deſignat, atque exprimit. Miror a quibuſdam appellari Προσωποποιΐαν, de quo inferius: cum corporis cuiuſpiam forma exprimitur, ut in hoc etiam exemplo apparet. HOC *modo:*] ἐργασίαν uno oſtendit exemplo, quod eſt perfectum. Omnis enim effictio aut eſt perfecta, ut hoc loco, cuius prolixiſsimum exemplum habet Rutilius. aut eſt imperfecta, quae uel aduentu, uel interpellatione alicuius perſonae, ut in Dialogis, impeditur, ſiue abſcinditur. Tale eſt in Phormione, ubi Geta ancillam, quae intus erat, alloquens, inquit: Si quis me quaeret Rufus. D. praeſto eſt: deſine. Dauus enim, quem depingere uolebat, cum ſubito adueniens interpellat: Actu I. ſcena 2. HABET *haec*] Duplicem huius figurae uſum oſtendit, utilitatem, & uenuſtatem: ſed modum etiam indicat, ut breuis, & perſpicua ſit.

NOTATIO

NOTATIO *eſt, cum alicuius natura certis deſcribitur ſignis, quae, ſicuti notae quaedam, naturae ſunt attributa. Vt ſi uelis non diuitem, ſed oſtentatorem pecunioſum deſcribere, Iſte, inquies, iudices, qui, ſe dici diuitem, putat eſſe praeclarum, primum nunc uidete, quo uultu uos intueatur: non ne uobis uidetur dicere, Darem, ſi mihi moleſti nõ eſſetis? cum uero ſiniſtra mentum ſubleuat, exiſtimat ſe gemmae nitore, & auri ſplendore adſpectus omnium perſtringere. Cum puerum reſpicit hunc unum, quem ego noui, uos non arbitror nouiſſe, alio nomine appellat, deinde alio atque alio: Heus tu, inquit, ueni Sannio, ne quid iſti barbari perturbent: ut ignoti, qui audiunt, unum putent eligi de multis. ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli ſternantur, aut ab auunculo rogetur Aethiops, qui ad balneas ueniat, aut Aſturconi locus ante oſtium ſuum detur, aut aliquid fragile falſae choragium gloriae comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant: Videto, ut diligenter enumeretur, ſi poteſt ante noctem. Puer, qui iam bene hominis naturam nouit, Tu illo plures mittas oportet, inquit, ſi hodie uis tranſnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanum, & Soſiam. Sane. Deinde caſu ueniunt hoſpites hominis, qui iſtum ſplendide, dum peregrinaretur, receperunt. ex ea re homo hercle ſane conturbatur, ſed tamen a uitio naturae non recedit. Bene, inquit, facitis, cum uenitis: ſed rectius feciſſetis, ſi ad me domum recta abiiſſetis. Id feciſſemus, inquiunt illi, ſi domum nouiſſemus. At iſtud quidem facile fuit undelibet inuenire. uerum ite mecum. ſequuntur illi. ſermo interea huius conſumitur omnis in oſtentatione. quaerit, in agris cuiuſmodi frumenta ſint: negat ſe, quia uillae incenſae ſint, accedere poſſe, nec aedificare etiam nunc audere: tametſi in Tuſculano quidem coepi inſanire, & in iiſdem fundamentis aedificare. Dum haec loquitur, uenit in aedes quaſdam, in quibus ſodalicium erat eodem die futurum, quo iſte pro notitia domini aedium ingreditur cum hoſpitibus: Hic, inquit, habito: perſpicit argentum, quod erat expoſitum, uiſit triclinium ſtratum, probat. accedit ſeruulus, dicit homini clare, dominum iam uenturum, ſi uelit exire. Ita ne, inquit? Eamus hoſpites, frater uenit ex Salerno, ego illi obuiam pergam: uos huc decima uenitote. hoſpites deſcendunt. iſte ſe raptim domum conicit: illi decima, quo iuſſerat, ueniunt, quaerunt, hunc, reperiunt, domus cuia ſit. in diuerſorium deriſi conferunt ſeſe. uident hominem poſtera die, narrant, expoſtulant, accuſant. ait iſte eos ſimilitudine loci deceptos angiporto toto deerraſſe, contra ualetudinem ſuam ſe ad multam noctem exſpectaſſe. Sannioni puero negotium dederat, ut uaſa, ueſtimenta, pueros corrogaret: ſeruulus non inurbanus ſatis ſtrenue, & concinne comparat, iſte hoſpites domum deducit. Ait ſe aedes maximas cuidam amico ad nuptias accommodaſſe, nunciat interea puer argentum repeti: (pertimerat enim, qui commodarat) Apagete, inquit, aedes commodaui, familiam dedi: argentum quoque uult? tametſi hoſpites habeo, tamen utatur licet, nos Samiis delectabimur. Quid ego, quae deinde efficiat, narrem? eiuſmodi eſt hominis natura, ut, quae ſingulis diebus efficiat gloria, atque oſtentatione, ea uix annuo ſermone enarrare poſſim. Huiuſmodi notationes, quae deſcribunt quid conſentaneum ſit uniuſcuiuſque naturae, uehementer habent magnam delectationem: totam enim naturam cuiuſpiam ponunt ante oculos, aut glorioſi, ut nos exempli cauſſa coeperamus, aut inuidi, aut timidi, aut auari, ambitioſi, amatoris, luxurioſi, furis, quadruplatoris: denique cuiuſuis ſtudium protrahi poteſt in medium tali notatione.*

EXPLANATIO

NOTATIONEM Graeci & Ἠθοποιΐαν, & Ἠθολογίαν appellant: quidã ẽt Μίμησιν uocant. Rufinianus Figuratione, atque Expreſsionem interpretatur. Grammatici Προσωπογραφίαν, & Διαγραφὴν appellãt: quod ſi uocabulũ Latinũ reſpiciamus, Ἀποσημείωσις dicitur. Eſt aũt ἠθοποιΐα, cũ certae perſonae ficta tribuitur oratio: qua facta, affectus, mores, atque cogitationes animorũ exprimũtur. VT *ſi*] ἐργασία. omnis ἠθοποιΐα uel eſt noſtrae perſonae, ut in illo Lyſiae: Rure rediens, iudices, homo maior natu, magno calore, uix ſufferẽs uitae moleſtiã, tamẽ his uerbis egomet me cõſolor: Fer fortiter demũ laborẽ, iã breui domũ uenies exſpectatus: excipiet te defatigatũ diligens, atque amãs uxor: ea ſedulo, ac blande praeminiſtrando detrahet languorẽ, & ſimul ſeniles nutriẽdo recuperabit uires. Haec me itinere cogitatio prope confectũ confirmabat. Poſtea uero cũ domum ueni, nihil earũ rerum inueni: ſed potius bellũ inteſtinum ab uxore contra me comparatũ. Vel eſt perſonae alienae, ut in auctoris exẽplo, quod τοῦ φιλοδόξου πλουσίου προσωπογραφίαν habet. Et illud ꝓ Quinctio: Quia

ad haec

ad haec Naeuius? ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in uita ſua rationem ſummi officij deſideremus, & inſtitura bonorum uirorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia, ac diligentia? uiderint, inquit, iſta officia uiri boni, de me iſta conſiderent: non quid debeam, ſed; quibus rebus inuenerim, quaerant: &, quemadmodum natus, & quo pacto educatus ſim, memini. Vetus eſt de ſcurra: Multo facilius diuitem, quam patremfamilias, fieri poſſe. Haec ille, ſi uerbis non audet, re quidem palam loquitur. Prolixe autem cum in aliis locis, tum in L. Piſonem ἠθοποιίαν tractauit. Eſt autem compoſita figura. nam plerumque imagine, effictione, & ſermocinatione, aut aliquibus ex illis, & aliis etiam figuris tractatur. HVIVSMODI] Vſus huius figurae primum eſt in ſuauitate, deinde etiam in probando. hniuſmodi enim deſcriptionibus, cum res ita ante oculos ponitur, non poteſt non fieri fides auditori. Adhibetur fere in uituperando, quare ψεκτικὴ eſt figura. Cicero in orat. ad Quir. Non te illius unguentorum odor, non uini anhelitus, frons calamiſtri notata ueſtigiis, in eam cognitionem adducebat? Et pro P. Sextio: Praetor eos, qui ab illo peſtifero, ac perdito ciue iampridem reip. ſanguine ſaginantur.

S E R M O C I N A T I O

SERMOCINATIO eſt, cum alicui perſonae ſermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis, hoc pacto: Cum militibus urbs redundaret, & omnes timore oppreſſi domi continerentur, uenit iſte cum ſago, gladio ſuccinctus, tenens iaculum, quinque adoleſcentes hominem ſimili ornatu ſubſequuntur, irrumpit in aedes ſubito, deinde magna uoce, Vbi eſt iſte beatus, inquit, aedium dominus? quin mihi praeſto fit? quid tacetis? Hic alij omnes ſtupidi timore obmutuerunt. Vxor illius infeliciſſimi cum maximo fletu ad iſtius pedes abiecit ſeſe. Parce, inquit, & per quae tibi dulciſſima ſunt in uita, miſerere noſtri, noli exſtinguere exſtinctos. Fer manſuete fortunam. nos quoque fuimus beati: noſce te eſſe hominem, At ille: Quin illum mibi datis, ac uos auribus meis oplorare deſinitis? non abibit. Illi nunciatur interea, ueniſſe iſtum, & clamore maximo mortem minari. Quod ſimul ut audiuit, Heus, inquit, Gorgia pediſequa puerorum abſconde pueros, defende, fac ut incolumes ad adoleſcentiam perducas. Vix haec dixerat, cum ecce iſte praeſto, Sedes, inquit, audax? non uox mea tibi uitam ademit? exple inimicitias meas, & iracundiam ſatura tuo ſanguine. Ille cum magno ſpiritu, Metuebam, inquit, ne plane uictus eſſem: nunc uideo in iudicio mecum contendere non uis, ubi ſuperari turpiſſimum eſt, ſuperare pulcherrimum. interficere me uis: occidar equidem, ſed uictus non peribo. At ille, In extremo uitae tempore etiam ſententioſe loqueris, neque ei, quem uides dominari, uis ſupplicare? Tum mulier, Immo quidem iſte rogat & ſupplicat: ſed tu quaeſo commouere, & tu perdens, inquit, hunc amplexare. dominus eſt, uicit hic te, uince tu nunc animum. Cur non deſinis, inquit, uxor loqui, quae me digna non ſunt? tace, &, quae curanda ſunt, cura: tu ceſſas mihi uitam, tibi omnem bene uiuendi ſpem mea morte eripere? Iſte mulierem reppulit ab ſe lamentantem: illi neſcio quid incipienti dicere, quod dignum uidelicet illius uirtute eſſet, gladium in latere defixit. Puto in hoc exemplo datos eſſe unicuique ſermones ad dignitatem accommodatos, quod oportet in hoc genere obſeruare. Sunt item ſermocinationes conſequentes hoc genus: Nam quid putamus illos dicturos, ſi hoc iud caueritis? non ne hac omnes utentur oratione? deinde ſubiicere ſermonem.

E X P L A N A T I O

SERMOCINATIONEM duabus Graecis uocibus appellare licet, Διαλογισμῷ, καὶ Διαλόγῳ. Haec ſermonem attribuit perſonae uel abſenti, uel praeſenti, cum ratione dignitatis, ut obſeruetur condicio, ſtatus, uita, mores, aetas, ingenium, &c. propter τὸ πρέπον. Differt a ſuperioribus duabus, quod effictio corporis eſt, notatio animi, haec uero pronunciationis, atque uocis. item illae unam, haec perſonas habet plures. ſunt igitur inter ſe quidem diſtinctae, ſed tamen ſeſe mutuo adiuuant. Quamquam autem fere plurium perſonarum eſt ſermocinatio, tamen nonnumquam etiam eſt unius: ut in altercatione, de qua poſt agemus. HOC *pacto*:] ἐργασία. Omnis ſermocinatio uel eſt praeteritarum rerum, ut in primo exemplo, uel eſt futurarum, ut in ſecundo, in quo ἠθοποιία dominatur. Deinde, omnis ſermocinatio uel eſt μονοηθὲς, cum perſonae eiuſdem ſunt ingenij: quales multae ſunt in poetarum fabulis. uel eſt πολυηθὲς, cum ingenium, mores, ſtudia, cōdicio diuerſa ſunt: ut in fabulis poetarum, & hic primo exemplo. atque id genus longe eſt praeſtantius illo altero. Tertio, omnis ſermocinatio uel fit aperta interrogatione: ut, Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. & pro Murena: Quid enim ſenatus? num obuiam prodire crimen putat? non: ſed mercede conuince. Num ſectari multos? non: ſed conductos doce. Num locum ad ſpectandum dare, aut ad prandium inuitare? minime: ſed uulgo, paſſim. Quid eſt uulgo? uniuerſos. Vel fit interrogatione tacita, ſiue occupationibus crebris. ut pro Plancio: Male populus iudicauit: Non debuit: at potuit. Non fero: at multi clariſſimi, & ſapientiſſimi ciues tulerunt. Odioſa plane eſt in ſecunda Philippica, quae etiam ſarcaſmo eſt figurata: Primo reſpondiſti plane frociter. Habet haec figura uſum cum in ſubtilitate, tum in mediocritate, propter τραχύτητα, aſperitatem, quae obſcuritatem parit: ut ex Satyricis apparet. Nam etiam ex iis, quae ponenda eſſent, quaedam omittuntur. Adhibetur etiam in amplo dicendi genere ab oratoribus in altercando, ut pro Milone: At enim Cn. Pompeius rogatione ſua, & de re, & de cauſſa iudicauit. tulit enim de caede, quae in Appia uia facta eſſet, in qua Clodius occiſus fuit. Quid ergo tulit? nempe, ut quaereretur, quid

quid porro quaerendũ eſt, factumne ſit? at conſtat. a quo? at patet. Pro Q. Roſcio: Quamobrem, cum cetera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio amplius, quod erat in primis magnum, in aduerſariis relinquebas? nolebas ſciri, deberet ibi Roſcium, cur ſcribebas? rogatus eras, ne referres. Et in Piſonem: Cuius umquam recitauit? quis, ut recitarentur, poſtulauit? nihil enim mea refert, uerum tu conſcientia oppreſſus ſcelerum tuorum, nihil umquam auſus es ſcribere ad eum ordinem, quem deſpexeras, quem afflixeras, quem deleueras: an amici tui tabulas abdiderint, iidemq. ſilentio ſuo temeritatem, atque audaciam tuam condemnarint.

CONFORMATIO

Conformatio eſt, cum aliqua, quae non adeſt, perſona confingitur quaſi adſit, aut cum res muta, aut informis fit eloquens, & formata, & ei oratio attribuitur ad dignitatem accõmodata, aut actio quaedam, hoc pacto: Quod ſi nunc haec urbs inuictiſſima uocem emittat, non hoc pecto loquatur? Ego illa plurimis trophaeis ornata, triumphis ditata certiſſimis, clariſſimis locupletata uictoriis, nunc ueſtris ſeditionibus, o ciues, uexor. quam dolis malitioſa Carthago, uiribus probata Numantia, diſciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patiemini nunc ab homunculis deterrimis proteri, atque conculcari? Item: Quod ſi nunc L. ille Brutus reuiuiſcat, & hic ante pedes ueſtros adſit, non hac utetur oratione? Ego reges eieci, uos tyrannos introducitis: ego libertatem, quae non erat, peperi, uos partam ſeruare non uultis: ego capitis mei pericnlo patriam liberaui, uos liberi ſine periculo eſſe non curatis. Haec conformatio, licet in plures res mutas, atque inanimatas transferatur, proficit plurimum in amplificationis partibus, & commiſeratione.

EXPLANATIO

Est etiam haec figura affinis ſuperioribus, quam Graeci Προσωποποιΐαν, hic auctor Conformationem uocat. Et, quemadmodum in illis, ita in hac praecipue opus eſt ingenio, prudẽtiã, ac rerum plurimarum cognitione, atque uſu. Summa enim in his eſt uirtus, quae perſonis affingimus, τὸ πρέπον, ut condicio, ſexus, aetas, ingenium, mores, ſtudia, affectus, caſus, euenta, locus, tempus, & ſimilia animaduertãtur: in quo poetas uidemus eſſe principes. Huiuſmodi oratio, in qua haec non ſunt neglecta, ad dignitatem accommodata eſſe dicitur. Formam hoc in loco perſonam uocat, & Conformationem perſonae fictionem. Eſt autem hoc in loco obſeruandum, res magnas, & perſonas graues, in quibus ſit auctoritas, eſſe debere non mediocres, ut fit in ſermocinatione. Debent enim habere dicendi libertatem, quamobrem etiam oratores huiuſmodi figura utuntur, ut ex primo Coelianae exemplo apparet, in quo Cicero rationem reddit, cur Appij perſonam producat. Recte igitur Quinctilianus, & propter perſonam, & propter ipſas res difficillimam eſſe hanc figuram ſcripſit, & in ea magnam quandam uim eloquentiae deſiderari. Plures enim in hac uarietates eſſe inquit, quam in cauſſa, propter attributa perſonarum, atque rerum, de quibus ſupra dixi. Omnis autem conformatio uel habet perſonas ueras, uel fictas. Verae ſunt, cum uelut ab inferis perſonae notae excitantur, ac loquentes producuntur, quam alij εἰδωλοποιΐαν appellant. Huius generis uenuſtiſsima ſunt exempla in 4. de Finibus, & in Coeliana; Sed tamen ex ipſa quaeram prius, utrumme ſecum ſeuere, & grauiter, & priſce agere malit; an remiſſe, ac leniter, & urbane. ſin illo auſtero more, ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus eſt ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſte delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis, & imaginibus uidemus, qui obiurget mulierem, & pro me loquatur, ne iſta mihi forte ſuccenſeat. Exſiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſsimum caecus ille. minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non uidebit, qui profecto ſi exſtiterit, ſic aget, & ſic loquetur: Mulier, quid tibi cum Coelio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? quid aut tam familiaris huic fuiſti, ut aurum commodares? aut tam inimica, ut uenenũ timeres? non patrem tuum uideras? non patruum? non auum, proauum, atauum audieras conſules fuiſſe? non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas, clariſsimi, & fortiſsimi uiri, patriaeq. amantiſsimi? qui, ſimul ac pedem limine extulerat, omnes ciues uirtute, gloria, dignitate ſuperabat? cui cũ ex ampliſsimo genere in familiam clariſsimam nupſiſſes, cur tibi Coelius tam coniunctus fuit? cognatus? affinis? uiri tui familiaris? nihil horum. quid igitur fuit, niſi quaedam temeritas, ac libido? nonne te, ſi noſtrae imagines uiriles non commouebant, ne progenies quidem mea Q. illa Claudia, aemulam domeſticae laudis in gloria muliebri eſſe admonebat? non uirgo illa ueſtalis Claudia, quae patrem complexa triumphantem, ab inimico trib. pl. de curru detrahi paſſa non eſt? cur te fraterna uitia poti [illegible], quam bona paterna, & auita, & uſque a nobis cum in uiris, tum etiam in feminis repetita mouerunt? ideo ne pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpiſsimorũ quotidie fedeta ferires? ideo aquam adduxi, ut ea tu inceſte uterere? ideo uiam muniui, ut eam tu alienis uiris comitata celebrares? Perſonae fictae uel ſunt rerum mutarum, uel ſunt ἀλόγων: ut animantium in fabulis Aeſopicis, & alibi apud poetas. Res fictae aut ſunt corporeae, ut cum urbem aliquã, aut nationem loquentem producimus: ut, Pannoniam conquerentem de acceptis a Turca malis, & ueterum Germanorum uirtutem deſiderantem. Sic in Verrinis Siciliae loquitur. Aut ſunt corporum expertes. ut cum reipublicae, philoſophiae, uirtuti ſermonem tribuimus. Huiuſmodi multa ſunt apud poetas: ut, Somni, Famis, Diſcordiae, Ates, Eridis, Megaerae. illi enim ea, quae in terris accidunt, atque uſu ueniunt, quibuſ-

dam

dam ueluti numininibus illorum attribuunt. Secunda diuiſio: Omnis προσοποποιία uel eſt ſimplex, ut in ſuperioribus exemplis; uel eſt geminata, ut in iſto Coelianae: Redeo nunc ad te, Coeli, uiciſsim, ac mihi auctoritatem patriam, ſeueritatemq. ſuſcipio. Sed dubito, Sed quem patrem potiſsimum ſumam, Coelianumne aliquem, uehementem, atque durum? Nunc enim mihi demum ardet animus, nunc meum cor cumulatur ira; Aut illum, O infelix, o ſceleſte. ferrei ſunt iſti patres. ego ne quid dicam? ego ne quid uelim? ego ne? quae omnia tuis foedis factis facis, ut nequidquam uelim. uix ferenda diceret talis pater: cur te in iſtam uicinitatem meretriciam contuliſti? cur illecebris cognitis non refugiſti? cur alienam ullam mulierem noſti? dede te, ac diſiice, per me licebit. ſi egebis, tibi dolebit: mihi ſat eſt, qui aetatis quod reliquum eſt, oblectem meae. huic triſti, ac decrepito ſeni reſponderet Coelius: ſe nulla cupiditate inductum de uia deceſsiſſe. quid ſigni? nulli ſumptus, nulla iactura, nulla uerſura. at fuit fama. quotuſquiſque iſtam effugere poteſt in tam maledica ciuitate? uicinum eius mulieris miraris male audiſſe, cuius frater germanus ſermones inimicorum effugere non potuit? leni uero, & clementi patri, cuiuſmodi eſt ille: Fores effregit? reſtituentur. diſcidit ueſtem? reſarcietur. Coelij cauſſa eſt expeditiſsima. quid enim eſſet, in quo ſe non facile defenderet? nihil iam in iſtam mulierem dico. Habet hoc exemplum duplices perſonas, unde tertia naſcitur diuiſio, quod omnis προσοποποιία uel habet πρόσωπα ὁρισμένα, ut ſuperioribus exemplis: uel ἀόριστα, ut proximo Coelianae. non enim nominat patrem in priori parte: eſt enim προσοποποιία duplicata, ut antea Appium nominauit, & in eadem oratione. Dicet aliquis: Haec igitur tua diſciplina, ſic inſtituis adoleſcentes, ob hanc cauſſam tibi hunc puerum parens commendauit, & tradidit? ut in amore adoleſcentiam ſuam collocaret, & hanc tu uitam, atque haec ſtudia defenderes? Tractatur haec figura uarie. Primum exemplum enumerationem rerum praeterirarum habet, alterum figuratum eſt rerum plurium contentione. Coeliana uero, interrogationibus iteratis, & obiectionibus. Haec figurarum mixtio ubique obſeruanda eſt, ut animaduertamus, quo nam modo altera ab altera adiuuetur. Vſus eius eſt in ſuadendo, obiurgando, querendo, laudando, miſerando, ut ſingulis, quibus uocem accommodamus, ſuos demus mores. Confert autem plurimum, primum ad fidem, ut in libro quarto oſtendit Fabius; deinde ad motum, ut idem libro ſexto tradit. quare etiam patronis apta eſt, cum pro reis loquuntur: quoniam iudex aliena mala uidetur uidere, & eorum quaſi ſenſum, ac uocem auribus percipere. De hac figura diligenter etiam Aphthonius praecepit, qui cum his eſt conferendus.

SIGNIFICATIO

SIGNIFICATIO eſt, quae plus in ſuſpicione relinquit, quam poſitum eſt in oratione. ea fit per exſuperationem, ambiguum, conſequentiam, abſciſſionem, ſimilitudinem. Per exſuperationem, cum plus dictum eſt, quam patitur ueritas, augendae ſuſpicionis cauſſa, ſic: Hic de tanto patrimonio tam cito teſtam, qua ſibi petat ignem, non reliquit. Per ambiguum, cum uerbum poteſt in duas, pluresue ſententias accipi, ſed accipitur in eam partem, quam uult is, qui dixit: ut de eo ſi dicas, qui multas hereditates adierit, Proſpice tu, qui plurimum cernis. Ambigua quemadmodum uitanda ſunt, quae obſcuram reddunt orationem; ita haec conſequenda, quae conficiunt huiuſmodi ſignificationem. Ea reperiuntur facile, ſi nouerimus, & animaduerterimus uerborum ancipites, aut multiplices poteſtates. Per conſequentiam ſignificatio, cum res, quae ſequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in ſuſpicione, ut ſi ſalſamentarij filio dicas: Quieſce tu, cuius pater cubito ſe emungere ſolebat. Per abſciſſionem, ſi, cum incipimus aliquid dicere, praecidimus, & ex eo, quod iam diximus, ſatis relinquitur ſuſpicionis, ſic: Qui iſta forma, & aetate nuper alienae domui, nolo plura dicere. Per ſimilitudinem, cum aliqua re ſimili allata, nihil amplius dicimus, ſed ex ea ſignificamus quid ſentiamus, hoc modo: Noli, Saturnine, nimium populi frequentia fretus eſſe: ſtultitiam noſce, inulti iacent Gracchi. Haec exornatio plurimum feſtiuitatis habet, interdum & dignitatis. ſinit enim quiddam tacito oratore, ipſum auditorem ſuſpicari.

EXPLANATIO

SIGNIFICATIOMEM alij Εμφασιν, alij Συνεκδοχὴν appellant, quae ad uerbum Ενδειξις potuit nominari. Plus enim relinquit cogitandum auditori, quam dicitur: & indicatur res, non dicitur. Eſt enim bipartita ſignificatio: una uerborum, de qua ſupra dictum eſt; altera ſententiarum, quae uel abſcondit ſententias, uel omittit. EA *fit*] ἐργασία. Quinque modos oſtendit, quibus ſignificatio fieri ſolet: ὑπερβολὴν, ἀμφιβολίαν, ἑπόμενον, ἀποσιώπησιν, ὁμοίωσιν. Υπερβολὴ exſuperatio eſt, cum ex uerbo minimo res intelligitur ingens, ut in primo exemplo: Per teſtam, patrimonium ampliſsimum penitus eſſe conſumptum. Quamquam autem uidetur hic modus definitioni aduerſari, quia non minus, ſed plus dicitur, quam uerum eſt: tamen, quia ex re parua, magna intelligitur, recte ſub definitione comprehenditur. Quinctilianus libro IIX συλλογισμὸν ratiocinationem appellat. Tale eſt illud in ſecunda Philippica: Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum uini in Hippiae nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu uomere poſtridie. uerbum Temporis per ſe quidem uulgare, hoc autem in loco grauiſsimum, quo immenſam uini copiam ſignificat, etiam collocatione fecit grauius. Item illud:

Demiſſum lapſi per funem. —

ſic enim equi Troiani altitudo demonſtratur. & apud Homerum, cum Menelaus Graecos in equo ſediſſe dicit;

de Oratore, de Siculo, & oratore malo notus eſt locus. Oſtendit autem hoc in loco duplicia eſſe ambigua: quaedam, quae orationem reddunt obſcuram, quae uitanda ſunt: quod etiam Fabius monet. quaedam, quae habent ſignificationem ridiculi abſconditam, quae conſequenda eſſe monet, & quae id ratione fieri poſsit indicat. Tertius eſt, τὸ ἑπόμενον conſequentia, cum uel ex re conſequenti antecedens intelligitur. ut, cum, aliquem appellans, eum dicas multos fideiuſſores habere: id eſt, aere alieno eſſe obligatum. uel ex antecedenti conſequens, ut cum dicimus: Is eſt adoleſcens, cuius cauſſa parentes eius ſaepe timuerunt: id eſt, male frugi eſt. Quartus ἀποσιώπησις abſciſio, per quam non finita adhuc oratione, aliquod in ſuſpicione relinquitur. ut illud pro Ligario: Quod ſi in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non eſſet, quantam tu per te, per te inquam, obtines: intelligo, quod loquar. Tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deeſſe homines, qui ad crudelitatem eum impellerent. Quinctus eſt ὁμοίωσις, ſimilitudo, cum res uel ſimili explicatur. ut,

O formoſe puer, nimium ne crede colori,
Alba liguſtra cadunt, uaccinia nigra leguntur.

uel exemplo, ut in hoc loco: Mors Saturnino ſeditioſo minatur, exemplo eorum, qui impune Gracchos occiderunt. Haec exornatio plvrimvm &c.) Vſum oſtendit duplicem: feſtiuitatem, & dignitatem illam ſecundus, ac tertius modus faciunt, hanc autem reliqui: tametſi in omnibus & ἦθος, & ἀξίωμα eſſe uideatur.

C I C E R O

Brevitas eſt, res ipſis tantummodo uerbis neceſſarijs expedita, hoc modo: Demnum praeteriens cepit, inde Tharſi praeſidium reliquit, poſt urbem in Bithynia ſuſtulit: inde pulſus in Helleſpontum, ſtatim potitur Abydo. Item: Modo conſul, quondam tribunus, is deinde primus erat ciuitatis. item: Tum proficiſcitur in Aſiã, deinde exſul & hoſtis eſt dictus, poſt imperator, & poſtremo factus eſt conſul. Habet paucis comprehenſa breuitas, multarum rerum expeditionem. Quare adhibenda ſaepe eſt, cum aut res non egent longae orationis, aut tempus non ſinit commorari.

E X P L A N A T I O

Brevitas narrationis potius uidetur eſſe ſiue uirtus, ſiue genus, quam figura elocutionis. Verum refertur ab hoc auctore inter exornationes, quoniam nonnunquam in alijs etiam orationis partibus adhibetur, & a Graecis συντομία, ſiue βραχυλογία dicitur. Eſt autem breuitas rerum, ac ſententiarum tractatio concisa, atque unum in locum condenſata, quae fit uerbis tantummodo neceſſariis per inciſa. quo enim plura paucioribus complectimur, eo uidetur eſſe pulchrior. ut illud Salluſtij: Mithridates corpore ingenti, perinde armatus. Duo ſunt tempora quibus hac figura utimur: unum neceſſarium, alterum liberum, cum aut breuiter, aut prolixe aliquid tractare nobis licet. Neceſſarium duplex eſt: nam aut non eget res narratione longa, aut non patitur. Haec figura ſermonem reddit σφοδρόν: ut: Qui indicabantur, eos uocari, cuſtodiri, adſenatum adduci iuſsi. in ſenatu ſunt poſiti, &c. Fabius diſſolutionem copulatam uocat.

C I C E R O

Demonstratio eſt, cum ita uerbis res exprimitur, ut geri negotium, & res ante oculos eſſe uideatur. Id fieri poterit, ſi, quae ante, & poſt, & in ipſa re facta erunt, comprehendemus: aut a rebus conſequentibus, aut a circumſtantibus non recedemus, hoc modo: Quod ſimulatque Gracchus proſpexit, fluctuare populum, uerentẽ, ne ipſe aut auctoritate ſenatus commotus a ſententia deſideret, iubet aduocari concionem. Iſte interea, ſcelere, & malis cogitationibus redundans, euolat ex templo Iouis; & ſudans, oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga, cum pluribus alijs ire celerius coepit. Illi praeco faciebat audientiam: hic ſubſellium quoddam calce premens dextra pedem defringit, & alios hoc idem iubet facere. Cum Gracchus deos inciperet precari, curſim iſti impetum faciunt, ex alijs alij partibus conuolant, atque e populo unus: Fuge (inquit) Tiberi, fuge. Non uides? reſpice inquam. Deinde uaga multitudo ſubito timore perterrita fugere coepit. At iſte, ſpumam ex ore reijciens, anhelans ex infimo pectore crudelitatem, contorquet brachium: & dubitanti Graccho, quid eſſet, neque tamen locum, in quo conſtiterat, relinquenti, percutit tempus. Ille nullam uocem edens inſita uirtute, concidit tacitus. iſte uiri fortiſſimi miſerando ſanguine adſperſus, quaſi facinus praeclariſſimum feciſſet, circumſpectans, & hilare ſceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Iouis contulit ſeſe. Haec exornatio in amplificanda, & commiſeranda re plurimum prodeſt, & in huiuſmodi narrationibus: ſtatuit enim totam rem, & prope ponit ante oculos.

E X P L A N A T I O

Id, quod hic auctor Demonſtrationem uocat, Graecam uocem Ἐπίδειξιν reſpiciens, qua ſophiſtae utebantur: ali Διατύπωσιν, & Ὑποτύπωσιν, quaſi formam rei expreſſam, Quinctilianus euidentiae τὴν ἐνάργειαν

 ſpeciem

ſpeciem facit: quoniam quaſi rem ob oculos ponit. quamobrem Ariſtoteles libro 3. Rhetoricorum appellat πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν, ὅσα ἐνεργοῦντα σημαίνει, quae ſignificanter aliquid geri oſtendunt. Eſt enim, ut inquit Fabius, propoſita quaedam forma rerum ita expreſſa uerbis, ut cerni potius uideatur, quam audiri. Id tum fieri ſolet, cum res non geſta indicatur, ſed, ut ſit geſta, oſtenditur: nec uniuerſa, ſed per partes. Componitur ex ſuperioribus effictione, notatione, ſermocinatione: & plus, quam illae, habet uirium: quia totius rei geſtionem demonſtrat. Haec autem in antecedentia, coniuncta, atque conſequentia diuiditur: in quibus tota rerum imago quodammodo comprehenditur. Hoc *modo*.) ἐργασίαν indicat exemplo ſatis prolixo. Omnis demonſtratio uel eſt praeteritarum rerum, uel futurarum. In futuris uerecundia eſſe debet, ut fuit Ciceronis temporibus, qui pro Cluentio inquit: Haec, quae non uidiſtis oculis, animis cernere poteſtis. Mire tractat pro Milone, quae facturus fuerat Clodius, ſi praeturam adeptus inuaſiſſet: quem locum breuitatis cauſſa hic non adſcribo, cum in omnium manibus ſit ipſe Cicero. Eſt igitur in huiuſmodi quaedam quaſi praemunitio addenda: Credite uos intueri, &c. quod a ſui ſaeculi declamatoribus negligi, Fabius libro nono conqueritur. In praeteritis ordo obſeruatur: & ita, ut unumquodque geſtum eſt, exponitur. Huius generis cum apud poetas, tum apud Ciceronem quoque multa ſunt exempla. ut illud ex 7 Verrina: Ipſe, inflammatus ſcelere, ac furore, in forum uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat, &c. & ex eadem: Stetit ſoleatus praetor pop. Rom. cum pallio purpureo, tunicaq. talari, muliercula nixus in litore, &c. Et illud ex ſecunda Philippica: Ponite igitur ante oculos, P. C. miſeram quidem illam, & flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos ueſtros neceſſariam: nocturnum impetum in urbem Aſiae clariſsimam, irruptionem armatorum in Trebonij domum: cum ille miſer prius latronum gladios uideret, quam, quae res eſſet, audiſſet: furentis introitum Dolabellae, uocem impuram, atque os illud infame: uincula, uerbera, eculeum, carnificem, tortoremq. Samarium: quae tuliſſe illum fortiter, & patienter ferunt. Magna laus, meoq. iudicio omnium maxima. Eſt plena ὑποτύπωσις in Miloniana, ubi iter Milonis, Clodij apparatum deſcribit. item pro Roſcio: Nonne uobis haec, quae audiſtis, oculis cernere uidemini, iudices? non illum miſerum, ignarum caſus ſui, redeuntem a cena uidetis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? Non uerſatur uobis ante oculos in caede Glaucia? &c. Et illud: Videbar uidere alios intrantes, alios exeuntes, quoſdam ex uino uacillantes, quoſdam heſterna potione oſcitantes, humus erat immunda, lutulenta, uino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſciũ. Hoc ex Cicerone Quinctilianus, de quo dicit: Quid plus uideret, qui intraſſet? Atque haec exempla ſufficiant ad hanc figuram explicandam, quae propter ornatum reliquis omnibus eſt praeſtantior. Haec *exorn.*] Vt duo ſunt loci, in quibus hac figura utimur: ita etiam duplex eius eſt effectus, atque uſus. Sunt enim tria narrationum genera apud Hermogenem: unum ἁπλοῦν, in quo breuitas dominatur; alterum ἐγκατάσκευον, quod confirmationis habet ſemina; tertium ἐνδιάσκευον, quod habet orationem illuſtrem. ut in Miloniana, itineris, atque apparatus deſcriptio. In hoc genere haec figura dominatur primum: deinde in amplificando, cum rem uolumus illuſtrem reddere. Fidem igitur facit auditori, ſiue iudici, & motum in eorum animis efficit: quod etiam Cicero indicat in ſuperiori exemplo Philippicae 2: Ponite igitur ante oculos, P. C. miſeram quidem illam, & flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos ueſtros neceſſariam. Et generalius in tertio de Oratore: Nam & commoratio in una re permultum mouet, & illuſtris explanatio, rerumque, quaſi gerantur, ſub adſpectum paene ſubiectio: quae & in exponenda re plurimum ualet, & ad illuſtrandum id, quod exponitur, & ad amplificandum, ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum eſſe uideatur. Hactenus igitur ſatis dictum ſit de uerborum, ac ſententiarum exornationibus, quae omnes & ad puritatem, & ad cultum referri poſſe uidentur: de qua re uide Fabium libro IIX. de Ornatu. Puritas conſiſtit in perſpicuitate, quae ad intelligendum, & fidem faciendam neceſſaria eſt: cuius figurae ſunt, propoſitio, diuiſio, partitio, digeſtio, tranſitio, concluſio, &c. Cultus diuiditur in ornatum ſimplicem, & in euidentem. ſimplicem ornatum habent, repetitio, conuerſio, traductio, contentio, & ſimiles: euidentem, deſcriptio, notatio, effictio, conformatio, demonſtratio, &c. In his omnibus obſeruanda ſunt primum mixtio, deinde uſus, tertio etiam modus. Commiſcentur enim inter ſe figurae prope omnes: quod obſeruandum diligenter eſt a ſtudioſis, & eſt etiam in principio huius libri ab auctore indicatum. Figurarum uſus, ſiue utilitas, quae in uerbo ſunt, eſt duplex. nam & a uulgari dicendi genere nos defendit: & quotidiani, & ſemper eodem modo formati ſermonis faſtidium leuat. Quae uero ſententiarum ſunt, & ad docendum, & amplificandum, & ad mouendum neceſſariae ſunt. Defenduntur autem figurae auctoritate, uetuſtate, conſuetudine, ratione. Nam, ut Quinctilianus tradit, omne ſchema uitium eſſet, ſi non peteret, ſed accideret. Quamobrem etiam eſt adhibendus modus, qui in duobus conſiſtit. ne ſint nimis manifeſtae: quod fieri Quinctilianus docet, ſi ex uerbis dubiis, quaſiq. duplicibus, & compoſitionibus ambiguis petentur. & ne ſint denſatae, ac frequentes: quod etiam in ueris non admittitur. Denſitate enim figurae ipſae aperiuntur, & minus habent auctoritatis. Vt autem recte utamur exornationibus, ſciendum eſt in primis, quid quiſque in orando poſtulat locus, perſona, tempus. Etenim maxime obſeruanda aptitudo, de qua Craſſus in Oratore: Graeci τὸ πρέπον appellant.

EPILOGVS

OMNES rationes honeſtandae elocutionis ſtudioſe collegimus: in quibus, Herenni, ſi te diligenter exercueris, & grauitatem, & dignitatem, & ſuauitatem habere in dicendo poteris, ut oratorie plane loquaris; ne nuda atque inornata inuentio uulgari ſermone efferatur. Nunc identidem noſmet ipſi nobis inſtemus: res enim communis agitur, ut frequenter & aſſidue conſequamur artis rationem ſtudio, & exercitatione: quod alij cum moleſtia tribus de cauſſis maxime faciunt; aut ſi, cum quibus libenter exerceantur, non habent; aut ſi ſibi diffidunt; aut ſi neſciunt quam uitam ſequi debeant: quae a nobis abſunt omnes difficultates. nam & ſimul libenter exercemur propter amicitiam, cuius initium cognatio fecit, cetera philoſophiae ratio confirmauit: & nobis non diffidimus: propterea quod & aliquantulum proceſſimus, & alia meliora ſunt, quae multo intentius petimus in uita, ut, etiam ſi non peruenerimus in dicendo, quo uolumus, parua pars uitae perfectiſſimae deſideretur. & uiam, quam ſequamur, habemus: propterea quod in his libris nihil praeteritum eſt rhetoricae pracceptionis. Demonſtratum eſt enim, quo modo res in omnibus generibus cauſſarum inueniri oporteat. Dictum eſt, quo pacto eas diſponere conueniat. Traditum eſt, qua ratione eſſet pronunciandum. Praeteptum eſt, qua uia meminiſſe poſſemus. Demonſtratum eſt, quibus modis perfecta elocutio compararetur. Quae ſi ſequamur, acute & cito reperiemus, diſtincte & ordinate diſponemus, grauiter & uenuſte pronunciabimus, firme & perpetuo meminerimus, ornate & ſuauiter eloquemur. ergo in arte rhetorica nihil eſt amplius. haec omnia adipiſcemur, ſi rationes praeceptionis diligentia conſequemur & exercitatione.

EXPLANATIO

HACTENVS igitur abſolutum eſt quinquepartitum oratoris officium, inuentio, diſpoſitio, pronunciatio, memoria, atque elocutio: ſequitur & huius libri & totius Operis concluſio ἠθική, atque διδασκαλική. Duo enim in ea facit. Primum, quid ex his praeceptis Herennius conſecuturus ſit, oſtendit: deinde, quid ſit deinceps ei faciendum, docet. Pars prior confecta eſt primum ἐπιλόγῳ breuiſsimo, Omnes rationes honeſtandae elocutionis ſtudioſe collegimus: in quo obſeruanda eſt exornationum περίφρασις, quas honeſtandae elocutionis rationes uocat. deinde ὑποσχέσει ὑποθετικῇ. Promittit autem ei tria, quae ex his praeceptis in dicendo conſecuturus ſit: grauitatem, dignitatem, ſuauitatem: ut oratorie plane loquatur, ne nuda, atque inornata inuentio uulgari ſermone efferatur. De optimo genere oratorum Cic. docet, optimum eſſe oratorem, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permouet. Docere ait eſſe debitum, quod fit grauitate: delectare honorarium, quod ſuauitate paratur: permouere neceſſarium, quod efficitur dignitate. In primo eſt prudentia, in altero uoluptas, in proximo ornatus. Atque haec tria auctor promittit Herennio ſatis quidem magnifice, & fortaſſe etiam arroganter: ſed uitauit reprehenſionem ὑποθέσει, ſi ſe diligenter exercuerit, in quo omnis ſita eſt perfectio. quare ſecundam etiam partem de ſtudio, atque exercitatione mox ſubiungit. Pars igitur altera eſt προτρεπτική, in qua eum ad diligentem praeceptorum exercitationem adhortatur. Conſtat haec primum προτάσει ἠθικῇ, deinde tractatione cauſſarum difficultatis, poſtremo concluſione. Propoſitio primum habet προτροπήν: Nunc identidem noſmetipſi nobis inſtemus. Deinde αἰτιολογίαν κατ' ἐπιμονήν, qua ἦθος explicatur, quoniam ſe ei ſtudiorum fore ſocium pollicetur, his uerbis: Res enim communis agitur. Tertio σύγκρισιν, qua modus indicatur: ut frequenter, & aſsidue conſequamur artis rationem ſtudio, & exercitatione, quod alij cum moleſtia tribus de cauſsis maxime faciunt. Modus autem duplex eſt, ſtudium, & exercitatio. Studium eſt, aſsidua, ac uehemens ad aliquam rem applicata, magna cum uoluntate occupatio, quae fit legendo, atque meditando. Exercitatio autem eſt quaedam quaſi actio noſtrorum ſtudiorum, quae fit & ſcribendo, & declamando, & cauſsis tandem etiam agendis. De exercitatione oratoria praeter alios etiam Aphthonius poteſt conſuli, & Quinctilianus libro 2. Cauſſae ſunt duplices, quae inter ſe ſingulae ſingulis opponuntur: quaedam enim ſunt φορτικαί, quae difficultatem pariunt, & moleſtiam: ſociorum deſtitutio, ingenij diffidentia, & artis ignoratio. has a ſe, & Herennio remouet: quae a nobis abſunt omnes difficultates. Quaedam ſunt ποιητικαί, quae artem conſtituunt, & ſunt prioribus contrariae: συζήτησις, fiducia, & artis cognitio. Has adeſſe ſibi, & Herennio oſtendit: Nam & ſimul libenter exercemur, &c. συζήτησις eſt collatio ſtudiorum, quae fit inter ſocios: & duo nobis affert commoda. Primum taedium aufert diſcendi, & afficit uoluptate coniunctio, atque communicatio ſtudiorum, dum alter ab altero adiuuatur. Haec duplex eſt. Priuata, quae fit inter amicos, & quaſi pares: qualis fuit Socratis cum Aſpaſia, & ſuis diſcipulis. Altera publica, ut eiuſdem cum uulgo, & ſophiſtis aduerſariis. Maximam igitur habet utilitatem amicorum copia. Fiducia, & ſpes conſequendi artem tres utilitates habet. Primum enim ea diligentiam, & induſtriam parit, quae nos ad perfectionem excitat, cum ignaui etiam minima non aſſequantur. Cui igitur ingenium, ualetudo, facultas, praeceptor non deerunt, ut Fabius aſſerit, is ſumma ne deſperet, cum ſit pulchrum in ſecundis, tertiisq. conſiſtere. nihil ergo diffidentia pernicioſius, quae nos a forma rei optima abducit: ſiue omnino deſperemus, quod ignoratio ſequitur; ſiue mediocritate ſtatuamus eſſe contenti, quo uitio multo maxima pars hoc laborat ſaeculo. Deinde illud conſequimur, quod iam dixi, ut in ſecundis, aut tertiis conſiſtamus, ſi tranſire non liceat. quod is non aſſequitur, qui inferiora ſibi proponit: ut uidemus illis accidiſſe, qui ſuperiori ſaeculo in ſcribendo non Ciceronem, ſed Plinium, & hoc deteriorem Appuleium imitati ſunt. Tertio etiam illud uidemus uſuuenire, quod quaedam ingenia una cum aetate maiora fiunt: quae negligerentur,

tur,

tur, niſi a principio in optimis exercerentur. Cognitio praeceptorum, atque artis eſt cauſſa adiuuans, ſine qua non, ut etiam fiducia. prima enim illa συζήτησις ſaepe multis defuit. Hanc cauſſam non modo oſtendit ſibi adeſſe, ſed etiam probat ἀνακεφαλαιώσει eorum, quae in hiſce libris tradidit: Propterea quod in his libris nihil praeteritum eſt Rhetoricae praeceptionis. demonſtratum enim eſt, &c. Concluſio habet repetitionem ὑποσχέσεως ὑποθετικὴν: Quae ſi ſequamur, acute, & cito reperiemus, &c. Neceſſaria igitur eſt, cum in aliis officij oratorij partibus, tum praecipue in rationibus honeſtandae elocutionis, de qua omnium diligentiſsime praecipit in libris περὶ ἰδεῶν.

F I N I S

I N D E X
R E R V M . E T . V E R B O R V M
L O C V P L E T I S S I M V S,
Quae in Rhetoricorum libris ad C. Herennium continentur.

A.

A Brogare *fidem famae.* 48
Abſcondens ſe tanquam cochlea. 50
Abſoluere iniuriarum. 64
Abuſio quid. 44
Abydus. 52
Accius poeta. al. Attius. 39
Accumulatiſſime. 39
Acuere induſtriam. 146
Acuta exclamatio uocem, & fauces uulnerat. 134
Ad ſolarium idoneus. 155
Adducere aduerſarium in contentionem. 20
Admirabile delectat. 141
Aegyptus. 114
Aeneas. 44
Aeſopus. 141
Africanus. 40
Agamemnon. 141
Agamemnon, ſiue potius Atreus. 44
Agitur res communis. 52
Aiax gladio incubuit. 31
Albeſcens. 102
Alexander Macedo. 39
Ambiguum ſcriptum. 53
Ambigua, quae obſcuram reddunt orationem, uitanda ſunt. 56
Amici falſi ſereno tempore praeſto ſunt, & c. 49
Amphiboliarum cognitio al: amphilogiarum. 54
Ampla, & pulchra diu placere poſſunt; lepida, & continua cito ſatietate afficiunt, & c. 39
Amplificatio quid. 107. & 135
Amplificatio diuiditur in cohortationem, & conqueſtionem. 135
Animi bona quae. 123
Annibal ex Italia domum arceſſitur. 21.9
Annominatio quid. 39.7
Annominatio multis & uariis rationibus conficitur. 39.9
Antiquiorem mortem turpitudine haberi oportet. 118
Apertae dictio, id eſt Apollinis. 18
Approbatio. 45
Architectari ſitum loci. 140
Areſcunt ſiccitate. 148
Argentarius. 64
Argumentatio abſolutiſſima, & perfectiſſima quae. 81
Argumentationis perfectiſſimae partes quinque, propoſitio, ratio, rationis confirmatio, exornatio, complexio. 81
Argumentationes firmiſſimae in primis, & poſtremis partibus collocandae. 131
Argumentationes infirmae in medio debent collocari. 131
Argumentationes quomodo ornate, & abſolute tractare poſſimus. 76
Argumentum. 25
Argumentum quid. 45
Aridum, & exſangue genus orationis. 35
Ariolus. 50
Ars quid. 17
Ars ſine aſſiduitate non multum iuuat. 15
Artis praeceptio eſt infirma ſine multa aſſiduitate. 143
Artes uirtutis magiſtrae. 49
Arteria laeditur, ſi principio dicendi acri clamore compleatur. 134
Arteria leui uoce hermulſa. 134
Arteriae uulnerantur nimis acuta, & attenuata exclamatione. 134
Articulus quis dicatur. 38
Artificioſius eſt ipſum ex arte ſcribere, quam intelligere, quae ſunt ex arte ſcripta. 147
Aſſignare occupationibus debebis. 39
A[?]urco. 50
Atreus. 44
Atridae. 141
Attenti, docilis, beneuoli reddendi ſunt auditores in tota oratione, ſed maxime in exordio. 24
Attentos auditores quomodo habere poſſimus. 20
Attenuata dicendi figura. 149
Aucupari amphibolias — al. amphibol[?]gias. 54
Aucupari ſimilitudines ab alio. 32
Audientiam facere. 52

B

B Arbarismvs. 35
Bellum Italicum. 114
Benemerentibus gratiam referendam. 117
Beueuolentiam colligere ab auditorum perſona. 20
Beneuolum auditorem efficere a rebus ipſis. 22
Beneuolentiam captare ab aduerſariorum perſona. 20.
Beneuolentiam contrahere a noſtra perſona. 20
Beneuolos auditores quattuor modis facere poſſumus. 20
Boliſcus Sicyonius-- Al. Boiſcus. 147
Bono fuiße alicui. 44
Breuiter rem narrare quomodo poſſimus. 27
Breuitas quid. 52

C

C *Coelius Index.* 64
C. Gracchus. 171. & 178

Captare

I N D E X

Captare miſericordiam. 49
Caletur legibus. 32
Cauſſa generis demõſtratiui diuiditur in laudẽ, & uituperationem. 123
Cauſſa peccati ci in homine conferatur quid quaerendum. 75
Cauſsa peccati ſi in rem comferetur quid quaerendum. 75
Cauſsa--- in genere cauſsae dubio a beneuolentia principium conſtituendum. 19
Cauſſa---in genere cauſsae honeſto licebit uel uti, uel non uti principio. 20
Cauſſa-- in genere cauſſae humili attenti faciendi auditores. 19
Cauſſa-- in genere cauſſae turpi inſinuatione utendum. 19
Cauſſa cadere. 32
Cauſsarum diuiſio. 29
Cauſsarum tria genera. 41
Cernere, ambiguum. 208
Chares Lyſippi diſcipulus. 148
Choragium falſae gloriae. 205
Cimber ſubornat Iphigeniam. 292
Circuitio quid. 186
Ciſtas deiicit. 32
Ciſtellam detulit. 32
Cithara auro, & ebore diſtincta. 201
Cognitio uitioſorum argumentationum dupllcem utilitatem habet. 85
Cohortatio quid. 135
Collatio quid. 44
Commiſerationem breuem eſſe oportet. 111
Commoditas orationis. 15
Commoratio quid. 200
Commune exordium. 24
Commutatio quae. 180
Commutatur dictio eiuſdem rei tripliciter: uerbis, pronunciando, tractando. 198
Comparatio criminis. 35
Complexio. 81
Complexio, quae. 161
Complexione quando ſuperſedendum. 84
Compoſitio quid. 157
Conceſſio criminis quid. 34
Conceſſio criminis diuiditur in duas partes. 34
Conceſſio criminis diuiditur in purgationem, & deprecationem. 72
Concinnae uerborum elocutiones. 132
Concluſio quid. 18
Concluſio inter exornationes uerborum quid. 184
Concluſionis reprehenſio duplex. 93
Concluſiones in genere demonſtratiuo breues eſſe debent. 126
Concluſionibus quot locis uti poſſimus. 104
Concluſiones tripartitae ſunt. 105
Conduplicatio quid. 178
Confirmatio quid. 18
Confirmatio rationis accurata. 93
Confirmatio rationis uitioſa. 94
Conflare ſuſpicionem. 45
Confligendum. 27
Conformatio quid. 206
Confutatio quid. 18
Coniecturalis cauſsa omnium difficillima. 41
Coniecturalis conſtitutio. 31
Coniecturalis conſtitutio tractatu difficillima eſt. 47
Coniunctio exornatio uerborum quid. 177
Conqueſtio quid. 135
Conquiſite. 112
Conſecutio quid. 45
in Conſequenti tempore quid ſpectetur. 45
Conſtitutio quid. 30
Conſtitutio legitima quid. 32
Contaminet perſonam quamplurimis uitijs. 43
Contentio duplex: altera in ſententiarum exornationibus: altera in uerborum. 201
Contentio quid. 135. & 200
Contentio quae. 162
Contentio uocis diuiditur in continuationem, & diſtributionem. 135
Continuatio orationis quid. 135
Continuatione uti licet tripertito. 168
Contorte aliquid dicere. 27
Contrarium in uerborum exornationibus quid. 166
Controuerſa res. 204
Controuerſia ex ambiguo. 32
Controuerſia ex contrarijs legibus. 32. & 47.
Controuerſia, ſeu cauſsa ex definitione. 32
Controuerſia nominis ouando. 205
Controuerſia generis quando. 162
Controuerſia ex ratiocinatione. 32
Controuerſia ex ſcripto, & ſententia. 32
Controuerſia ex tranſlatione naſcitur. 32
Controuerſiam intendere. 102
Controuerſiam ſtruere. 102
Conuerſio quae. 161
Copia dicendi non parum in ſe fructus habet. 15
Corinthus diſciplinis erudita. 207
Correctio quid. 175
Cubito ſe emungere. 208

D

DAMNATVS de pecuniis repetundis. 32
Decimus, praenomẽ Romanum. 140
Decoloratum corpus tumore, aut liuore. 45
Decoloratus. 101
De errore ab eo, quod ceperimus exponere. 27
Deerraſſe angiportu toto. 205
Defenſor. 43
Definitio quid. 174
Definitiones uulgares. 97
Definitiones falſae. 97
Deliberationes partim eiuſmodi ſunt, ut quaeratur utrum potius ſit faciendum, partim, ut quid potiſſimum. 114
Deliberatiuum genus quod. 16
Demonſtratiuum genus quod. 16
Denominatio quid. 185
Deprecatio quid. 35
Deripi e gremio parentum. 196
Derogatio. 53
Deſcriptio quid. 196
Deſcriptio oſtẽtatoris pecuniae. 205
Deſtinari. 135
Dignitas orationis quae. 157
Dignitas ſermonis quid. 135
Diligentia quid. 174
Diminutio quid. 195
Diſciplinabilis ſcientia. 116
Diſiunctio, exornatio ſententiarum quae. 177
Diſpoſitio quid. 17
Diſpoſitio quid ſit, & eius uſus. 129
Diſpoſitio locorum, tamquam inſtructio militum. 131
Diſpoſitionis duo genera. 129
Diſpoſitione aliena a praeceptis quando utendum. 130
a Diſpoſitione artificioſa interdum recedendum. 130
Diſſipare confictam fabulam. 47
Diſsolutio quid. 181
Diſtributio quid. 199
Diſtributio in duas partes diuiditur. 30
Diſtributio orationis quid. 135
Diſtributione uti quando debeamus. 30
Diuiſio quid. 18
Dipiſio, exornatio quid. 196
Diuiſio --- quid interſit inter diuiſionem, quae tertia eſt de partibus orationis, & ea, quae eſt exornatio ſententiarum. 197
Diuiſione qua utendum in genere demonſtratiuo. 125
Dociles auditores quo modo habere poſſimus. 20

INDEX

Doctrina,& praeceptione natura niteſcit. 139
Domitius. 141
Domuitio. 113
Druſus. 171
Duae leges cum inter ſe diſcrepant, quid agendum. 51
Dubitatio quid. 181
Dubium genus cauſſae. 19
Duplicatur recti appetendi uoluntas, ſi laus conſequitur. 120

E

Effectio quid. 204
Elegantia. 157
Elicere rubores. 154
Eligere ex alienis ſcriptis quae ſunt praeclara, non eſt magni artificij. 147
Elocutio quid. 17
Elocutio commoda, & perfecta quas res habere debeat. 157
Ennius. 89.& 95
Enodare contrariae legis uoluntatem. 11.31
Enumeratio quid. 106
Enumerationis initium unde ſumendum. 106
Enumerationem nec minus, nec plus, quam trium partium eſſe non oportet. 30
Enumeratione quando utendum. 30
Ἐπίλογοι. 105
Euentus, ſeu effecta cauſſarum quae. 143
Eutipides. 64
Exaequabimus induſtria, quod noſtro negotio deminutum fuerit. 39
Ex aliorum laboribus ſuo nomini libare laudem. 147
Exclamatio quae. 163
inter Exemplum, & teſtimonium quid interſit. 147
Exemplum ſumitur iiſdem de cauſſis, atque ſimilitudo, neme ut rem faciat ornatiorem, apertiorem &c. 203
Exemplum, ut teſtimonium, rei confirmandae cauſſa ſumitur. 146
Exemplum ab Ennio, aut a Graccho ſumptum. 146
Exemplum expolitionis ſeptem partibus tractatae. 197
Exemplum figurae attenuatae. 154
Exemplum figurae grauis. 151
Exemplum figurae mediocris. 153
Exemplum uitioſum. 103
Exemplo unius utendum eſſe potius, quam multorum, ei, qui praecepta artis tradat. 148
Exempla a Catone, a Gracchis, a Laelio, a Scipione, Galba, Porcina, Craſſo, Antonio. 148
Exempla in praecipiendo ponere expreſſe conſcripta oportet. 148
Exempla teſtimoniorum locum obtinent. 146
Exemplis alienis, an ſuis ſit utendum ei, qui praeceptiones artis tradat. 145
Exercitatio quid. 17
in Exordienda cauſſa quid obſeruandum. 24
Exordiri ab aliqua re, quae riſum mouere poſſit. 22
Exordiri unde liceat in deliberatione. 121
Exordium uitioſum quod. 24
Exordio uitioſo ne utamur. 24
Exordiorum duo genera. 19
Exordiorum ratio ad genus cauſſae accommodanda. 19
Exornatio. 87
Exornatio quando praetermittenda. 84
Exornationes ſententiarum. 191
Exornationes uerborũ. 160.& 184
Expeditio quid. 181
Expenſum ferre. 64
Explanatio quae. 157
Explanatio duabus rebus comparatur. 157
Expolitio quid. 198
Expolitio fit dupliciter. 198
Expoſitio quid. 30
Expoſitiones uitioſae quando. 86
Exputando euoluere. 99
Exſules qui. 102
Extenuare unamquamque ſuſpicionem. 91

F

Fabula. 25
Fidem magnopere conſeruandam. 118
Fidem abrogare oratori, ſiue orationẽ. 30
Figura uocis quid. 133
Figurae dicendi tres: grauis, mediocris, extenuata. 149
Finis deliberationis utilitas. 114
Firmamentum, quod occaſionem continet. 38
Firmitudo uocis. 133
Fluctuans, & diſſoluta dicendi figura. 156
Folliculo lupino os obuolutum. 32
Fortitudo quid. 116
Fortitudo quo nomine ab aduerſario appellanda. 119
Fortitudinis retinendae cauſſa aliquid faciendum eſſe quomodo dicamus. 118
Fortitudini fortuna quoque adiumento eſſe ſolet. 121
Fortunae muneribus, & naturae commodis omnibus abundare. 201
Frequentatio quid. 197
Fretus innocentia. 45
Friuolus ſermo. 156
Fugiendae crebrae uocalium concurſiones. 157

G

Gallus e Phrygia. 204
Genera cauſſarum quot. 19
Generis demonſtratiui cauſſa ſeparatim minus ſaepe tractatur. 128
Genera uitioſarum argumentationum duo. 85
Gracchus. 210
Gracchi, aut Craſſi conſequi facultatem. 146
Gradatio. 173
Grauis dicendi figura quae. 149

H

Hermagoras. 30
Hippolytus. 191
Hiſtoria quid. 25
Honeſtam rationem qui tutae praeponet, quibus locis uti debeat. 126
Honeſtas diuiditur in rectum, & laudabile. 116
Honeſtum genus cauſſae. 19
Honeſtum nihil oportet exiſtimari, quod non ſalutem pariat. 121
Humile genus cauſſae. 19

I

Imago quid. 204
Imago laudis, an uituperationis cauſſa ſumitur. 104
Imagines ad memoriam artificioſam paratae, debent eſſe rerum, quas meminiſſe uolumus ſimiles. 111
Imagines ad memoriam comparatae. 140
Imagines aliae ſunt acres, & firmae, aliae imbecilles, & infirmae. 141
Imagines duplices, aliae rerum, aliae uerborum. 141
Imagines eſſe ſuo cuiuſq. arbitrio comparandas. 142
Imagines quales eſſe debeant, ut memoriam adiuuare poſſint. 141
Imaginum conformatio. 141
Imitatio quid. 17
Impedimenta relinquere. 35
Impedimenta amittere. 35
In Doctrina, & arte plus praeſtaij eſt,

eſt, quam in natura. 141

Infirma ratio quae. 90

Ingenij bonitas imitatur ſaepe doctrinam. 139

Initia inuentionis ab arte debent proficiſci: cetera comparabit exercitatio. 44

Iniuriae quae ſint. 45

Iniuriarum agere. 34

Inſanire coepi in Tuſculano. i. ſumptuoſe aedificare. 2‿5

Inſinuare ſe ad cauſſam: 22

Inſinuatio qualis eße debeat. 24

Inſtans tempus — in inſtanti tempore quae quaerantur. 45

Inſueti rerum maiorum. 147

Intellectio quid. 188

Interdictum aqua, & igne aliquibus. 1‿2

Inter exemplnm, & teſtimonium quid interſit. 147

Inter inſinuationem, & principium quid interſit. 24

Interrogatio quae. 164

Interpellatores moleſti alieni ſermonis. 54

Interpretatio quae. 179

Interualla uocem confirmant. 134

Inuentio quid. 17

Inuentio in ſex partes orationis conſumitur. 18

Inuentum expolite, & expedite pronunciare difficillimum. 76

Ioccatio quid 135

Iphigenia. 141

Iubatus draco. 204

Iudicatio. 38

Iudicatio ex intentione, & infitiatione conſtituitur. 38

Iudicationes qua uia iu omnibus conſtitutionibus, praeterquam in coniecturali reperiantur. 38

Iudicatum quid. 64

Iudiciale genus quid. 16

Ius aequabile. 118

Ius conſuetudine quid. 64

Ius ex aequo, & bono. 65

Ius ex pacto. 66

Ius in parentes, deos, patriam natura comparatum religioſe eße colendum. 118

Ius lege quid. 63

Ius natura quid. 62

Iuriſdicialis conſtitutio. 31

Iuridicialis conſtitutio quid. 34

Iuridicialis conſtitutio abſoluta quid. 34

Iuridicialis conſtitutio abſoluta. 61

Iuridicialis conſtitutio abſoluta quibus, & quot partibus conſtet. 62

Iuridicialis conſtitutio aſſumptiua quid. 34

Iuridicialis conſtitutionis aßumptiuae partes quattuor. 34

Iuridicialis conſtitutionis partes duae. 34

Iuſtitia quid. 116

Iuſtitia quo nomine appellanda ab aduerſario. 119

Iuſtitiae partibus quomodo utamur in dicendo. 117

K

KARTHAGO *dolis malitioſa.* 207

L

LACRYMA *nihil citius areſcit.* 112

Ladas Sicyonius. 147

Latinitas. 157

Laudabile quid. 120

Laudabile ex recto naſcitur. 120

Laus ab externis rebus. 126

Laus rer. externarum, corporis, & animi. 123

Legitima conſtitutio. 31

Legitima conſtitutio diuiditur in partes ſex. 52

Legitimae conſtitutionis partes. 48

Lex xij. tab. Qui parentem necaſſe iudicatus erit, &c. 32

Lex xij. Paterfamilias uti ſuper familia, &c. 32

Lex xij. tab. Si paterfamilias inteſtatus moritur. 32

Liber exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſeruit. 165

Liberos amici etiam poſt eius mortem eſſe cuſtodiendos. 201

Licentia quid. 14‿

Licentia duplici ratione tractari poteſt. 194

Licentia, quae nimium acrimoniae habet, mitiganda, & lenienda eſt. 194

Licentiae genus aſtutiore ratione conſtans. 194

Locus celebris, an deſertus: ſacer an profanus: publicus an priu. 44

Locus a ſententia, & uoluntate. 51

Locus, communis contra eum, qui ſcriptum oppugnet, cum fateatur ſe contra leges feciſſe. 49

Locus communis contra eum, qui ſcriptum recitet, & uoluntatem ſcriptoris non interpretetur. 51

Locus communis accuſatoris contra eum, qui plus cenſeat uim, quam indicia ualere oportere. 70

Locus communis accuſatoris contra eum, qui, cum ſe peccaße fateatur, oratione iudices demoretur. 72

Locus communis defenſoris, uoluntatem omnibus in rebus ſpectari conuenire. 72

Locus communis rumoribus credi non oportere, 43

Locus proprius accuſatoris in caußa coniecturali. 45

Locus proprius defenſoris in caußa coniecturali. 45

Loci communes approbationis. 45

Loci communes a quaeſtionibus, & contra quaeſtiones. 46

Loci communes a rumoribus, & contra rumores. 47

Loci a ſcripto contra uoluntatem. 49

Loci communes a teſtibus, & contra. 46

Loci communes ab argumentis, & contra argumenta. 47

Loci communes accuſatoris, & defenſoris. 45

Loci communes ex decem praeceptis commodiſſime ſumuntur. 1‿6

Loci ad memoriam comparati. 140

Loci memoriae artificioſae ordine ſunt digerendi. 140

Loci memoriae artificioſae tamquam cera remanere debent. 140

Loci memoriae artificioſae quibus in regionibus ſint comparandi. 140

Loci memoriae artificioſae quales eſſe debeant. 140

Loci cerae, aut chartae ſimillimi; imagines litteris in memoria artificioſa. 140

Loci proprij approbationis. 45

Locorum interualla, quanta eſſe debeant. 140

Lucilius poeta. 64

L. Accius, ſeu Attius porta. 64

L. Brutus. 207

L. Caſſius. 193

L. Saturninus. 32

Lyſippus. 148

M

MACEDONES *ad imperium Graeciae Aſiam adiunxerunt bello ſubactam.* 173

Maeſtus, & conturbatus uultus. 138

Magnitudo uocis a natura datur. 133

Maieſtatem minuere quid. 56

Malleolus iudicatus eſt matrem neceſſe. 32

M. Coponius. 133

M. Druſus praetor urbanus. 64

Materis tranſalpina. 185

Mediocris dicendi figura, quae. 149

Membrum orationi quid. 167

Memoria quid. 17

Memoria

Memoria aliqua eſt artificioſa. 139
Memoria artificioſa quae. 139
Memoria artificioſa ex locis, & imaginibus conſtet. 140
Memoria inuentorum theſaurus, & omnium partium rhetoricae cuſtos. 138
Memoria alia naturalis, alia artificioſa. 139
Memoria naturalis quae. 139
Memoria uerborum non eſt improbanda. 142
Memoriam rei totius licet ſaepe una nota, & imagine comprehendere. 141
Menelaus. 141
Mentitio. 114
Minuere maieſtatem. 32
Miſericordia quo modo animus auditoris commoueatur. 111
Miſericordiam captabimus. 111
Modeſtia quid. 116
Modeſtia quo nomine appellanda ab aduerſario. 119
Modeſtiae partibus quo modo utamur in dicendo. 118
Mollitudo uocis. 133
Mollitudo uocis diuiditur in ſermonem, contentionem, amplificationem. 32
Morem gerere alterius uoluntati. 112
Morem gerere uoluntati. 15
Mors dedecore, & infamia lenior. 121
Motus corporis quid. 138
Motus corporis, uultus, & geſtus ad ſermonem accommodandi. 138
Mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit. 165
Munus oratorium conficere. 30
Myro. 148

N

NARRATIO *quid.* 18. 135
Narratio a cauſſa ciuili remota. 25
Narratio in cauſſa coniecturali qualis eſſe debeat, tum accuſatoris, tum defenſoris. 41
Narratio in negotiorum expoſitione poſita tres habet partes. 25
Narratio in perſonis poſita quas res habere debeat. 25
Narratio non eſt neceſſaria in genere demonſtr. 125
Narratio quo breuior, eo dilucidior, & facilior. 27
Narratio tria habere debet. 27
Narratio ueriſimilis. 27
Narrationis a cauſſa ciuili remotae duo ſunt genera. 25
Narrationum tria ſunt genera. 25
Naturae bona quomodo in laudando tractanda. 126
Naturae bona quo modo in uituperatione tractanda. 126
Naturae rerum gratia quaedam debetur. 134
Negligentia diſſoluta. 119
Negotium ſuſcepimus. 15
Negotijs impediri. 15
Nihil attinebant. 15
Nomē -- omne nomē ex aliquibus, nō ex omnibus litteris ſcribitur. 41.
Nominatio exornatio uerborū. 184
Non omnia concedenda antiquitati. 147
Non omnia laborioſa ſunt, & praeclara. 147
Notatio quid. 205
Numantia uiribus robuſta. 207
Numitor. al. Munitor. 191
Nuperrime dictum facile memoria mandatur. 131

O

OBLIGATUS *culeo, ſeu corio.* 32
Obrogatio. 53
Occaſio quomodo quaeratur. 44
Occupatio quid. 176
Olympiacus curſus. 147
Opplorare auribus. 206
Opportunitates locorum. 27
Oratio non apparata in exordio. 24
Oratoris officium quod ſit. 15
Oratorem quas res habere oporteat. 16
Oratoria fides, grauitas, ſeueritas, minuitur quibuſdam exornationibus frequenter collocatis. 170
Ordo in uita demonſtranda quis adhibendus. 125
Oreſtes in matrem confert crimen. 35
Os — in ore eſſe omnibus. 47

P

PACTA, *quae ſine legibus obſeruantur ex conuentu.* 66
Pammenes rhetor uir eloquētiſſimus Brutum exercuit. 196
Particulatim narrare. 27
Peculatus accuſatur. 32
Perceptione tua laetabere. 112
Permiſſio quae. 180
Permutatio quid. 191
Perſequentiſſimus inimicitiarum. 83
Perſona auditorum ſi laudabimus, quo modo exordiamur. 124
a Perſona eius, de quo loquemur, ſi laudemus, quo modo exordium ſumamus. 124
a Perſona eius, de quo loquimur, ſi uituperabimus, quomodo exordium ſumamus. 124
a Perſona noſtra ſi laudabimus, quo modo exordium ſumamus. 124
a Perſona noſtra ſi uituperabimus, quomodo exordium ſumamus. 124
Pedetentim ad cauſſam accedere. 22
Philoctetae ſagittae. 184
Plangor femineus. 138
Polycletus. 148
Pontes diſturbat. 32
Poſitum in diſquiſitione. 97
Praecidere. 208
Praeſtringere omniū adſpectus gemmae nitore, et auri ſplendore. 204
in Praeterito tempore quae conſiderare oporteat. 45
Praxiteles. 148
Principium quid. 19
Principium quo modo ſumatur. 19
Principio quo modo ſuperſedendum. 130
Principio uti non poſſumus tribus temporibus. 22
Principia unde ducantur in genere demonſtratiuo. 124
Probabile quid. 43
Probabile diuiditur in cauſſam, & in uitam. 43
Producti ſumus, ut de orationis partibus loqueremur. 18
Proficiſci ad inſtituta. 113
Prometheus. 148
Pronominatio quid. 185
Pronunciatio quid. 17
Pronunciatio bona facit, ut res ex animo agi uideatur. 138
Pronunciatio diuiditur in uocis figuram, & corporis motum. 133
Pronunciatio maxime utilis oratori. 132
Prudentia quid. 116
Prudentia quo nomine appellanda ab aduerſario. 119
Prudentiae partibus quo modo utamur in dicendo. 116
Publicae quaeſtiones. 32
P. Mucius. 64
P. Sulpicius — P. Sulpicium ſe fateatur occidiſſe. 35
Purgatio quid. 34. 72
Purgatio diuiditur in fortunam, imprudentiam, neceſſitudinem. 34. 72
Pythius. 98

Q

QUADRUPLATOR. 97. 106
Quaeſtio iudicij naſcitur ex ratione defenſionis, & ex firmamento accuſationis. 38

Quaeſtor urbanus. 32
Qui res faciles ſine moleſtia meminiſſe nolunt, eos oportet in difficilioribus ante eſſe exercitatos. 142
Ca epia. 32.34

R

RAPERE aduerſarium in odium. 20
Ratio. 81
Ratio facti, quae cauſſam facit, & continet defenſionem. 38
Ratio me fugit. 96
Rationis confirmatio. 81
Rationes ſuas in tuto collocare. 121
Ratiocinatio quid. 164
Reapſe. 172
Recentior iu dolore alius alio. 46
Receperant, ſeu inuitarant ſplendide. 205
Rectum quid. 116
Rectum diuiditur in prudentiam, inſtit. fortitud. modeſtiam. 116
Rectum eſſe laudabile, quomodo oſtẽdamus. 120
Redundans ſcelere, & malis cogitationibus. 210
Redundat urbs militibus. 206
Remiſſio continui clamoris uocẽ conſeruat. 134
Remotio criminis quid. 35
Remouere crimen a nobis cum uolemus, peccati cauſſam aut in rem, aut in perſonam conferemus. 75
Repeteret ab ultimo. 27
Repetitio 157
Res externae, quae. 123
Res inſignes, & nouae manent in animo diutius. 141
Res iudicata quando uitioſe proferatur. 104
Rerum principia ab ingenio profecta ſunt, exitus diſciplina comparantur. 141
Res uſitatae facile memoria elabuntur. 141
Rigare omnium ingenia. 148

S

SALSAMENTARIAS. 208
Sanctlo plus ualet permiſſione. 53
Sariſſae. 185
Saturninus. 171
Scipio ſit ne ſoluendus legibus. 114
Scriptum ambiguum. 53
Scu rra exhauſto rubore. 154
Sententia quid. 165
Sentẽtiae dupliciter efferuntur: & ſine ratione, & cum ratione. 166
Sententiarum exornatio. 157
Sententias raro conuenit interponi. 166
Separatum exordium. 24
Sermo quid. 135
Sermo diuiditur in quatuor partes, dignitdtem, demoſtrationem. narrationem, iocationem. 135
Sermo lenis debet eſſe in exordio. 20
Sermocinatio quid. 198.206
Sex. Iulius praetor urb. 64
Significatio quid. 208
Significatio quot modis fiat. 208
Significatio per ambiguum. 208
Significatio per conſequentiam. 208
Significatio per exſuperationem. 208
Significatio per ſimilitudinem. 208
Signum quid. 44
Signum in partes ſex diuiditur. 44
Signa conſcientiae. 45
Simile per breuitatem. 201
Simile per collationem. 201
Simile uitioſum. 103
Similia — in ſimilibus quid obſeruare oporteat. 201
Similium inuentio quomodo facilis eſſe poſſet. 201
Similiter cadens quid. 169
Similiter deſinens quid. 170
Similitudo quid. 200
Similitudo ab equo indomito. 201
Similitudo per contrarium ornandi cauſſa. 200
Similitudo per negationem. 201
Similitudo quattuor de cauſſis ſumitur. 200
Similitudo a citharaedo beneueſtito. 201
Similitudo negotij ante oculos ponendi cauſſa. 201
in Similitudinibus non eſt neceſſe totam rem toti rei eſſe ſimilem. 201
Siniſtra mentem ſubleuat. 205
Sodalicium. 205
Solis eclipſis cur magis mirentur homines, quam lunae. 141
Solae ligneae pedibut inductae ſunt. al. inditae. al. induta ſunt. 32
Soloeciſmus. 157
Soluere legibus. 114
Spartiatae Athenienſium potiti. 173
Spatium quomodo conſideretur. 44
Spes celandi. 44
Spes iniecta eſt. 146
Spes perficiendi. 44
Sponſione uictus eſt. 172
Spumans ex ore ſcelus. 212
Statura appoſita ad dignitatem. 201
Stuprare ingenuam maius maleficiũ, quam ſacra legere. 111
Subiectio. 172
Succinctus gladio. 206
Sufflata dicendi figura. 155
Sulpicius. 102.171
Summatim narrare. 27
Superlatio quid. 187
Superſedenda. 75
Supploſio rara pedis dextri. 138
Suſpicionem afferre auditori praemeditationis. 30

T

TEMERITAS quid. 174
Temeritas gladiatoria, & iaconſiderata. 120
Tempus percutit. 212
Tempus quomodo quaeratur. 44
Tempora tria. 45
Teſtimonium debet cum re conuenire. 147
Teucer. 31
Thaius. 211
Ti. Grecchus. 171
Timore obmutuerunt. 206
Tota ſpes uincendi, ratioq. perſuadendi, poſita eſt in confirmatione, & confutatione. 30
Traductio quae. 161
Trahere ad ſuae cauſſae commodum. 53
Trahere aduerſarium in inuidiam. 20
Tranſgreſſio quid. 187
Tranſitio quid. 175
Tranſitio ad duas res proficit. 175
Tranſlatum exordium. 22
Tranſlatio criminis quid. 70
Tranſlatio criminis. 35
Tranſlatio quid. 189
Tranſlatio debet eſſe prudens. 189
Tranſlatione utimur interdum rei ante oculos ponendae cauſſa. 189
Tranſlationes. — in Tranſlationibus quae quaerantur. 58
Tria genera cauſſarum. 16
Tribus rebus aſſequimur oratoris offi cia. 17
Triclinium ſtratum. 205
Triptolemus. 148
Turnus. 204
Turpe genus cauſſae. 19
Tutam rationem qui ſequi ſuadeat, quibus locis uti debeat. 12
Tuto uiuit qui honeſte uiuit: non qu in praeſentia incolumis ſit. 1

INDEX

V

VANA ratio quae. 90
Veientani. 102
Venit in collocutionem cum hoſtium ducibus. 35
Verba imaginibus exprimere difficile eſt. 141
Verba propria. 157
Verba uſitata quae. 157
Verborum uſitata conſuetudo in exordio. 24
Virtutibus uti non poteſt, qui ſuas rationes in tuto non collocarit. 121
Vita hominis ex antefactis ſpectanda. 43
Vitioſa ratio quae. 90
Vitioſorum exempla. 93.94.95.96
Vitia duo in ſermone, quo minus Latinus ſit. 157
Vitia quae ſint uitanda in exordio. 24
Vitia ſimilium, exemplorum, amplificationum, rerum iudicatarum. 103
Vituperatio ab externis rebus. 126
Vlyſſes. 31
Voluntario facinori nullam eſſe excuſationem. 114
Vox firma quo modo conſeruetur. 134
Vox in tres partes diuiditur. 133
Vox ſedata ad firmitudinem uocis utilis eſt. 134
Vox ſpiritu recreatur. 134
Vox uarie tractanda, & commutanda pro ſermonis uarietate. 136
Vocis commutationes utiles. 134
Vocis ſplendor. 134
Vtilitas finis deliberationis. 119
Vtilitas in ciuili conſultatione alia tuta, alia honeſta. 114
Vtilitas tuta quae. 114
Vtilitas tuta in conſultatione diuiditur in uim, & dolum. 114
Vtinam ne in nemore Pelio. 89
Vulgare exordium. 24
Vultus pudorem, & acrimoniam habere debet. 138

Z

ZETHVS *cum Amphione.* 100

FINIS

INDEX
RERVM . ET . VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS,

Quae in Commentariis Rhetoricorum ad C. Herennium continentur.

A

ABIES arbor ad names conficiendas accõmodara. 89
Abuſio quando fiat,& cur inuenta. 189
Abuſio quomodo a tranſlatione differat. 133
Actio omnis conſiſtit in moderatione uocis,& corporis. 189
Actio, quid ſit. 17
ἄδοξον, ideſt Humile,quid ſit. 19
Aegiſthus. 44
Aequum, & bonum quomodo a Graecis dicatur. 65
Agnatio ex linea maſculina. 119
Agnominatio quotupliciter fiat. 171
αἰσχρὸν, ideſt Turpe,quid ſit. 19
Allegoriae exempla. 191
Allegoriae ſpecies octo. 191
Αλληγορία quid. 191
ἀληθής, ideſt Veriſimile, quid ſit. 29
Ambiguitas, in quo conſiſtat. 28
Ambiguum, quid ſit. 23
Amphibologiae triplex modus. 55
ἀμφίδοξον, ideſt Dubium, quid ſit. 19
ἀμφοτέρισον,ideſt Commune quid differat a uulgari. 24
Amplificatio,& contentio ſolo affectu differunt. 136
Amplificatio in quot partes diſtribuatur. 103
Amplificatio quid. 107. 126
Amplificatio quomodo conficiatur. 107
ἀνασκευὴ, ideſt Cõfutatio,quid ſit. 19
Amplificationis partes duce. 13
Animorum diſsimilitudo. 26
Aurumentatio quid. 76
Argumentatio ampliſsima quinquepartita. 81
Argumentatio breuiſsima tripartita. 81
Arriſio, quid ſit. 24
Argumentatio omnis uel eſt plena,uel non plena. 86
Argumentatio oratoria quae. 82
Argumẽtatione aliquid quattuor modis reprehendi poteſt. 86
Argumentationis quinquepartitae exemplum. 82
Argumentationis ſpecies quattuor. 76
Argumẽtationum uitioſarum genera duo. 85
Argumentum duplex. 47
Argumentum,quid ſit. 26. 76
Argumentum uel ad rẽ refertur, uel ad perſonam. 99
Ars, quomodo diſcatur. 17
ἄσκησις, ideſt Exercitatio, quid ſit, 18
Aſſumptio quid. 77
Aſyſtatorũ genera duodecim. 31
Attenuatum dicendi genus quid. 154
Auarus in malam partem ſemper accipitur. 44
Auctoritas uel eſt diuina, uel humana. 108
Auditores in honeſto genere beneuoli, in humili attenti,in obſcuro dociles ſunt faciendi. 20
Auidus in utramque partem accipitur. 44

B

BARBARISMVS in quo conſiſtat. 28
Barbariſmus ubi fiat. 158
βιαιὸν, ideſt Contrarium, quid ſit. 124
Bona non neceſſaria quotuplicia. 115
Bonorum genera tria. 124
βραχύτις, ideſt Contrarium, quid ſit. 24
Breuitas, quid ſit. 28
Breuitatis cauſſae duae. 128

C

CALAMITAS unde dicta. 112
Calumniator qui. 52
Cauſſa duplex. 44
Cauſſa efficiens uel eſt uoluntatis, uel imprudentiae. 119
Cauſſa, & ratio quomodo inter ſe differant. 91
Cauſſa ſi in hominem conferatur, quot modis conſiderari poſsit. 75
Cauſſae quae praeſtantiſsimae. 43
Cauſſarum diuiſio. 30
Cauſſarum genera, quot ſint. 16
Cauſſarum genus tertium, ſcilicet Demonſtratiuum. 123
Circuitio, & eius cauſſae. 187
Circuitio quotupliciter fiat. 187
Ciuitas quid. 57
Clemens qui. 112
Codex,quaſi Caudex,& cur ita appellatur. 64
Cognatio ex linea feminina. 118
Collaudatio in quo fiat. 53
Collocatio, quid ſit. 17
Collocatio differt a ſimilitudine. 23
Commiſeratio tertia pars Epilogi. 111
Commodum inſperatum. 27
Commoratio quid. 200
Cõmune quid differat uulgari 24
Cõmoratio quomodo ab Expolitione differat. 206
Commutatio fortunae. 27
Cõmutatio quotupliciter fiat. 180

Com

I N D E X

Compar in quot membris ſit. 169
Comparatio omnis uel differentium rerum, uel contrariorum. 102
Comparationis capita quattuor. 69
Cōparatio uitioſa quomodo fiat. 102
Complexio quid. 80. 105
Complexio quomodo Graece uocetur. 161
Complexio, ſiue Concluſio, pars poſtrema epicherematis. 105
Complexionis uita. 105
Compoſitio, & quae in ea ſint uitanda. 158
Conceſsio in quot partes diuidatur. 72
Conceſsio quid. 19. 72
Concluſio a Latinis Peroratio dicta. 106
Concluſio potiſsima pars in Peroratione. 19
Concluſio quae intelligatur ab auctore. 184
Conceſsio quomodo dicatur. 73
Concluſionis partes tres. 128
Conduplicatio quomodo a Graecis dicatur. 178
Conduplicatio quotuplex. 178
Confirmatio, quid ſit. 19
Conformatio: & quae in ea ſint conſideranda. 207
Cōformationis diuiſio multiplex. 207
Confutatio, quid ſit. 19. 30
Confutatio raro adhibenda in demonſtratiuo genere. 128
Coniectura perfecta, & imperfecta. 42
Conſiliorum rationes. 29
Conſtitutio iuridicialis. 62. 66
Conſtitutio legitima quid. 49
Conſtitutionis comparatiuæ loci quomodo poſsint tractari. 68
Conſtitutionis rationalis partes. 62
Conſuetudinis duplex ratio. 64
Contentio quid. 200
Contentio, & eius ſpecies. 162
Contētio. & rerum, & uerborum figura. 200
Contentio quomodo diuerſimode fiat. 162
Cōtentio quot modis abſoluatur. 200
Contentionis partis duae. 137
Contingentium tres ſunt auctores. 87
Continuatio quomodo Graece appellatur. 168
Continuatio uerborum. 159
Contrarium, quid ſit. 24
Contrarium quotuplex. 167
Controuerſia ex tranſlatione. 59
Controuerſia quomodo ex ambiguo naſcatur. 49
Conuerſio, & eius exempla. 101
Correctio quid. 175
Culpa quomodo in hominem cōferatur. 75
Culpa quomodo in rem conferatur. 75

D

Declamatio quid. 48
Definitio quotuplex. 174
Definitio quomodo a Graecis dicatur. 174
Definitionum genera duo. 56
Definitionum uitioſarum genera quae. 87
Deliberationis finis. 115
Deliberationis fundamentum, res futurae. 114
Deliberationis partis duae. 114
Deliberationis terminus. 114
Deliberatiuum cauſſarum genus. 16
Deminutio quot modis fiat. 193
Deminutio uariis nominibus appellata a Graecis Rhetoribus.
Demonſtratiui cauſſarum generis partes duae. 32
Demonſtratiui generis finis. 124
Demonſtratiui generis uſus duplex. 129
Demonſtratiuum cauſſarum genus. 16
Demonſtratiuum genus ſtatu nō caret. 123
Denominatio, & eius ſpecies. 186.
Deprauatio, quid ſit. 23
Deprecari, uerbi ſignificatio. 31
Deſcriptio, quotuplex. 196
Deſcriptio uariis nominibus appellata. 196
Deſiderium, quid ſit. 26
διαίρεσις, ideſt diuiſio, in oratore praecipua 19.
Dialectica quid. 55
διήγησις, ideſt narrratio, quid ſit. ſit. 18
Diſiunctio quomodo a Graecis dicatur. 117
Diſpoſitio duplex. 129
Diſpoſitio, quid ſit. 17
Diſsimulatio, quae ſit. 25
Diſſolutio quomodo a Graecis dicatur. 182
Diſſolutio quotupliciter fiat. 182
Diſtributio, quae ſit. 30
Diſtributio quotuplex. 193
Diſtributio ſententiarum figura 193
Diuiſio a Graecis inter figuras non numeratur. 197
Diuiſio quae. 197
Diuiſio in oratore praecipua. 19
Doli definitio. 58
δρᾶμα, ideſt argumentum, quid ſit. 26
Dubitatio quae. 181
Dubitatio quotuplex. 181
Dubiorum genera duo. 98
Dubium, quid ſit. 19
Dubium differt ab Obſcuro. 20

E

Effictio quomodo ab Imagine differat. 205
ἐγκατάσκευος, ideſt Veriſimile, quid ſit. 29
εἰδική, ideſt Narratio ſpecialis, quid ſit. 25
ἔκθεσις, ideſt Narratio, quid ſit. 18
Elegantia in quot partes diſtribuatur. 158
Elegantia quid. 158
Elocutio commoda, & perfecta quas res habere debeat. 150 & 158
Elocutio dat animum, & uitam reliquis partibus oratorii officij. 146
Elocutio duplex. 150
Elocutio, Graece φράσις, dicta. 149.
Elocutio in tribus generibus conſumitur. 150
Elocutio quid. 149
Elocutio, quid requirat. 17
Elocutionis uitioſae ſpecies. 150
ἔνδοξον, ideſt Honeſtum, quid ſit. 19
Enthymema quid. 77
Enthymematis exempla plura. 78
Enthymematis interpretatio ſecundum Quinctil. 77
Enthymematis ſpecies. 78
Enumeratio quid. 86. 106
Enumeratio quando adhibenda. 106
Enumerationis uitium. 80
Epicherema, & eius interpretatio. 76
Epilogo quot locis in oratione uti poſsimus. 106
Error, quid ſit. 27

εὕρεσις

ἔνρισις, ideſt intẽtio, quid ſit. 27
Exceptores qui dicantur. 52
Exclamatio quomodo Graece dicatur. 163
Exclamatio quot modis fiat. 163
Exclamatio quotuplex. 163
Excogitare quid ſignificet. 51
Exercitatio quid. 48
Exercitatio in quattuor rebus cõſiſtit. 18
In Exemplo quae ſint ſpectanda. 203
Exemplum quid. 79. 203
Exemplum uitioſum quod. 104
Exercitatio, quid ſit. 18
Exercitationis materia quotuplex. 48
Exordium ab auditorũ perſona quo modo ſumemus in genere demonſtratiuo. 125
Exordium, quod & Procemium dicitur, in iudiciali genere magis uſurpat. 18
Exordium quomodo ſumemus a noſtra perſona in demonſtratiuo genere. 125
Exordium quot partes habere debet. 24
Exornatio quarta argumentationis pars. 103
Expeditio quid. 181
Expeditio, ab aliis Enumeratio uocata. 181
Expolitio quo modo a Frequentatione differat. 199
Expoſitio omnis duplex. 99
Expoſitionis uitia. 86. 88. 89
Expoſitionis appellatione contineri poſſunt, quaecunque ante complexionem ſumuntur. 86
Exſpectatio, quid ſit. 23
Exſuperatio, quid ſit. 23

F

Fabvla, quae ſit. 25
Fabula ueriſimilis, quid ſit. 23
Factum, quid ſit. 31
Figurae cur miſcendae. 157
Figurae uerborum, & quae in eis conſideranda ſint. 160
Finis deliberationis. 114
Fortitudinis loci duo in perſuadendo. 119
Fortitudinis partibus quo modo utendum. 117
Fortunae commutatio. 27
Frequentatio quid. 198
Frequentatio, Deſcriptio, & Diſtributio quomodo inter ſe differant. 198
Frequentationis uſus duplex. 198
Furtum eſt, cum inuito domino res aufertur. 58
Futurum duplex. 116

G

Γενικὴ, ideſt Narratio generalis cauſſae. 25
Gradatio cur ita dicta. 173
Gradatio quotuplex. 173
Gratia quid. 47. 63
Grauitas, quid ſit. 26

H

Hermogenes quo modo cõiecturas diuiſerit. 42
Hiſtoria, quae ſit. 25
Hiſtoria, quid ſit. 23
Honeſtum, quid ſit. 19
Humile, quid ſit. 19
Hyperbaton, in quo conſiſtat. 28

I

Iason quo modo uellus aureum obtinuit. 89
Ignauia ad animum refertur. 120
Ignoratio quãdo excuſetur. 103
Imago quid. 204
Imagines quae. 132
Imagines duplices. 142
Imaginũ receptacula loci. 142
Imitatio, quid ſit. 18
Impotentia duplex. 52
Impulſio quid. 43
Incidere in praedones, & in inimicos qũo inter ſe differant. 88
Indicata quomodo uocentur a legiſlatoribus. 64
Inductio qũo Graece uocetur. 79
Inductionis exempla. 79
Inductionis ſpecies. 79
Inertia ad corpus refertur. 120
Inſinuatio, quid ſit. 22
Inſperatum commodum. 27
Intellectio quot modis fiat. 188
Interpellatio, quid ſit. 24
Interpretatio quid. 179
Interrogatio quo modo Graece dicatur. 164
Interpretatio quotupliciter fiat. 179
Inuentio officij oratorij pars potiſsima. 113
Inuentio, quid ſit. 17. 18
Inuentio, quot partes habeat. 18
Inuentio in ſex partes conſumitur. 113
Inuerſio, quid ſit. 23
Inuidia, in quo conſiſtat. 21
Irriſio, differt a Suſpicione. 23
Irriſio quid ſit. 23
Iucundus exitus rerum. 27
Iudicatum quia. 64
Iudiciale cauſſarum genus. 16
Ius naturale quid. 62
Ius omne quo modo a Iuſtiniano diuidatur. 64
Ius ſcriptum unde ortum habeat. 64
Iuſtitiae loci decem in perſuadendo. 118
Iuſtitiae partibus quo modo utẽdum in dicendo.

K

καινὸν, ideſt Vulgare, quid ſit. 24
καλὸν, ideſt, Honeſtum, quid ſit. 19
κατασκευὴ, ideſt Confirmatio, quid ſit. 19

L

Laetitia ſubita. 27
Latinus ſermo a quibus diſcatur. 150
Laudabile quid. 120
Laudabile ſecunda pars honeſti. 120
Laudandus nemo eſt ex ſolis extremis. 126
Laus triplex. 51
Legitima conſtitutio, quae ſit. 32
Legum inter ſe diſcrimen duplex. 53
Lenitas, quid ſit. 26
Lex, & Aequitas quo modo inter ſe differant. 65
Lex, & natura quomodo inter ſe differant. 63
Lex quo modo a Graecis dicatur. 63
λέξις, ideſt Elocutio, quid requirat. 17
Libertini qui ſint. 57
Licentia quid: & quae in ea ſint conſideranda. 194
Licentiae finis triplex. 194
Lingua uocem moderatur. 133
Loci communes amplificandi. 108
Loci communes in conceſsionis partibus. 73
Loci communes trifariam diuiduntur. 42
Loci duplices communes, & proprij. 42
Loci in ſententiae defenſione. 51

Loci,

INDEX

Loci, quibus utendum eſt in ſcripti defenſione. 45. & 50
Locorum opportunitates. 29
λογισμὸς, ideſt Conſiliorum rationes. 29

M

μελέτη, ideſt Exercitatio, quid ſit. 18
Membrum orationis. 168
Memoria, quid ſit. 17
Memoria artificioſa quae. 140
Memoria artificioſa ex quibus cõſtet. 132
Memoriae artificioſae cauſſa efficiens. 140
Memoria duplex naturalis, & artificioſa. 135
Memoriae organum. 139
Memoria omnium rerum theſaurus. 132 & 139
Memoria pars extrema oratorii officij. 139
Memoria quomodo exerceri poſſit. 143
Memoria naturalis quae. 139
Memoriae naturalis uirtus duplex. 132
Meretrices Nonariae: & cur ita dicerentur. 66
μεταφορὰ quid. 189
μέθοδος, ideſt Ars, quomodo diſcat. 17
Metus duplex. 88
Metus, quid ſit. 26
μίμησις, ideſt Imitatio, quid ſit. 18
Miſericordta, quid ſit. 27
μνήμη, ideſt Memoria, quid ſit. 57
Modeſtiae partibus, quomodo utendum. 117
Morbus ſonticus quid. 65
Mos, quid. 52
Motus corporis ad uocem accõmodandus. 139
Motus corporis: & quae in eo ſint conſideranda. 238
μῦθος, ideſt fabula, quae ſit. 25

N

NARRATIO ficta, quid ſit. 25
Narratio generalis cauſſae. 25
Narratio nulla ad cauſſam demõſtratiuam. 126
Narratio, quid ſit. 28
Narratio quot habere debet. 28
Narratio ſpecialis, quid ſit. 25
Narrationis genus duplex. 121 125
Narrationum triplex genus ex Hermogenis ſententia. 42
Natura. 29
Neceſsitas quid. 73
Negare quod factum uidetur, difficile eſt. 41
Locus quid. 42
νομικὴ, ideſt Legitima conſtitutio quae ſit. 32
Nihil uiolenti eſt perpetuum. 77
Nominatio quomodo fiat. 185
Nominatio quotuplex. 185
Notatio quomodo Graece appelletur. 205
Nouis, & inuſitatis rebus, non eſſe utendum, niſi ſint euidenti commendatione digna. 22
Nouitas, in quo conſiſtat. 28
Nouitas, quid ſit. 23

O

OBSCVRITAS orationis uitium. 138
Obſcuritas quot modis fiat. 105
Obſeruantia quid. 63
Occupatio quomodo fiat. 173
ὁδοποιία, ideſt, Ars quomodo diſcatur. 17
Oraculum, Ambiguum. 54
Oratio hominis comparatur. 155
Orationis aſperitas quomodo fiat. 158
Orationis ſonus titulus quomodo fiat. 158
Orationis uirtutes. 150
Orationis uitia. 155
Oratoris, ac Dialectici diſcrimẽ. 55
Oratoris officium, quid ſit. 16
Orator quid conſiderare debeat. 16
Ordo qui adhibendus in uita demonſtranda. 127

P

PACTVM quid. 66
παράδοξον, ideſt Turpe, quid ſit. 19
Pelio Iaſonis patruus. 80
Permiſsio quotuplex. 180
Perſonarum dignitates. 29
Pietas quid. 63
πιθανὸς, ideſt Veriſimile, quid ſit. 29
πίστις, ideſt Confirmatio, quid ſit 29
Praeciſio figura quibus familiaris. 183
Praeciſio multis nominibus appellatur. 183
Praeciſio quotuplex. 183
Prateritio quotuplex. 177
προκατασκευὴ, ideſt Cauſſarum diuiſio. 30
προυμνασικὴ, ideſt Narratio ficta, quid ſit. 25
Prolixitas quomodo ſit. 105
Pronominatio quot modis fiat. 185
Pronunciatio, quid ſit. 17
Propoſitionis exemplum. 82
Protagorae argumentum contra Euathlum. 94
Prudentia quid. 116
Prudentia unde dicta. 116
Prudentiae partibus quando utendum in dicendo. 117
Purgatio quae. 73
Pygmalion. 44
Pyrrhus quoſdam iuuenes, qui de ipſo mala locuti erant impunitos dimiſit. 74

Q

QVAESTIO finita. 151
Quaeſtio quid. 46
in Quaeſtione finita quid conſiderandum. 132

R

RATIOCINATIO Graece quomodo dicitur. 60
Ratiocinatio quid. 43. 60
Ratiocinatio quomodo Graece dicatur. 165
Ratiocinatio quotuplex. 165
Ratio perſuadendi. 30
Rationis infirmae exemplum. 91
Rationis uitia quinque. 90. 91. 92
Rationem tutam qui defendit, quattuor utetur ſententiis. 122
Rectum duplex. 117
Refutatio duobus modis fit. 182
Religio quid. 63

Religio

I N D E X

Religio unde dicatur. 57

Remotio inter ſtatus aſſumptiuos extremus. 75

Remotio quo modo a Purgatione differat. 75

Repetitio duplex uel rerum, uel uerborum. 60

Repetitio uitioſa quæ. 158

Repetitionis exempla. 160

Res iudicatae. 104

Res iudicatae uitioſae. 104

Rhetoricorum libri cuius ſint. i. & ſequentibus.

Romulus. 44

Rumor, & fama à Graecis φημὴ dici, & quomodo inter ſe differant. 47

S

SCRIPTIO, & quae in ea ſint conſideranda. 49

Senatuſcõſultum quo modo fiat, & cur ita uocetur, 65

Sentẽtia, & uariae diuiſiones eius. 166

Sermocinatio quotuplex. 206

Sermo cum dignitatem requirit, quae obſeruanda ſint. 137

Sermonis feſtiuitas, quae ſit. 26

Sero ſapiunt Phryges, prouerbiũ, unde ortum habuerit. 95

Significatio bipartita. 208

Signum duplex. 44

Similiter cadeus. 170

Similiter deſinens quotupliciter fiat. 170

Similitudo, quid ſit. 23. 201

Similitudo diuerſimode diuiſa. 202

Similitudo duplex extrinſeca, & intrinſeca 103

Similitudinis partes. 201

Simultas quid. 47

Socij qui uere dicantur. 118

Soloeciſmus ubi fiat. 158

Solon inſaniam ſimulauit. 121

Spatia temporum. 29

Spes, quid ſit. 26

Status definitionis quattuor praecipua capita. 56

Status definitimus, & quid in eo potiſsimum quaeratur. 57

Status quattuor. 57

Status tranſlationis a nõnullis negatus, & quo modo. 59

Stipulatio quid. 51

Stultitia, quid ſit. 23

Subita laetitia. 27

Superlatio poetis frequens. 158

Superlatio quid. 188

Superlatio quotuplex. 188

Suſpicio, quid ſit. 22. 26

Syllogiſmus quot partes conſtiatur. 77

T

TABVLAE, quae ſint. 29

ταπεινὸν, ideſt, Humile, quid ſit. 19

τάξις, ideſt, Diſpoſitio, quid ſit. 17.

Temeritatis, & Fortunae differentia. 91

Teſtes, & quae in iis ſpectanda, ſint. 46

Teſtimonia triplicia. 103

Traductio quando fiat, & quotuplex ſit. 162

Tranſgreſsio quotupliciter fiat. 187.

Tranſitio quae. 175

Traſitionis partes. 175

Tranſlata duriter quae. 155

Tranſlatio, a Graecis μεταφορὰ dicta, quid. 189

Tranſlatio diuerſimode diuiſa. 190

Tranſlatio quo modo a Graecis uocetur. 70

Tranſlatio uerbi cur inſtituta. 190

Tranſlatio, unde controuerſia naſcitur, circa quae uerſetur. 59

Tranſlationis capita quot. 76

Tranſlationis exempla diuerſa. 190

Trãſlationis imperfectae loci unde. 59

Trãſlationis loci praecipui unde ducantur. 59

Tranſlationis ſpecies diuerſae. 190

Tropus quid. 184

Tropus quotupliciter fiat. 184

Turpe quid ſit. 19

V

VERBA inuſitata duplicia. 159

Verbis tranſlatis quibus de cauſſis utendum. 152

Verborum diuiſio. 152

Veriſimile, quid ſit. 29

Vindicatio quid. 63

Violatio quid. 81

Virgilius uerecundiae ſtudioſiſsimus. 190

Virtus laudatur, nec uituperatur, uirtutis actio. 120

Vitellij & filij Bruti caeſi. 97

Vitia, quae ſermonem non Latinũ faciunt, quot, & quae. 158

Vocis continuatio. 136

Vocis dignitas. 136

Vocis firmitudo qualis eſſe debeat. 135

Vocis grauitas. 136

Vocis mollitudo & eius partes.

Vox quomodo conſeruetur. 134

Vocis remiſsio. 136

Vocis ſpecies tres. 133

Vtilitas quotuplex. 108

Vtilitas tuta, quae. 115

Vulgare, quid ſit. 24

Vulgare quid differat a communi. 24

ζῆλον, ideſt Imitatio, quid ſit. 18

φθόνος, ideſt Inuidia, in quo conſiſtat. 21

φράσις, ideſt Elocutio quid requirat. 17

ὑπόκρισις, ideſt Pronũciatio, quid ſit. 17

ὑπόθεσις, ideſt Argumentum, quid ſit. 26

F I N I S.

IN
M·TVLLII·CICERONIS
DE·INVENTIONE
LIBROS·II
Commentarius M. Fabij Victorini.

ORNATISSIMO
VIRO
CLAVDIO . PVTEO
IVRIS VTRIVSQ. SCIENTIA
PRAESTANTI
Caſale Maius.

QVI te, tuasq. uirtutes praedicant, uir doctiſsime, neque decipiunt, neque decipiuntur. quae enim de tuo iudicio, ingenio, prudentia, humanitateq. ego cognoui, cum, pro tuo erga me amore, atque mei uidendi deſiderio, Alexandriam, deinde Papiam te ſuperiore anno contuleris; maiora profecto ſunt, quam quae audiueram. Ego quammaximam ſemper fidem tribui Laelio Gauardo, D. Zeni Papiae Praepoſito, mihi multis de cauſſis cariſſimo, mecumq. antiquiſſima, ſingulariq. neceſsitudine coniuncto. ſed nunc certe multo magis laudo, ac laudabo ſemper eius prudentiſſimum iudicium; qui te excellenti non minus litterarum, & praecipue iuris ciuilis ſcientia, quam ſumma bonitate praeditum ſaepiſsime affirmat. Quocirca utrique noſtrum gratulor: mihi, qui fructum amoris, & ſtudij in me tui ex tua gloria uberrimum capiam; tibi, qui, maxima tui nomi-

nis laude, omnium uincis opiniones, & apud Ampliſſimum Senatum Mediolanenſem maiorem quotidie tibi comparas auctoritatem; dum te ſemper in adminiſtranda iuſtitia admirabilem praebes. maioriq. in dies dignitate te dignum oſtendis, dum, quod difficillimum eſt in rebus iudicandis, contrarijs etiam uoluntatibus quam ſaepiſſime ſatisfeceris. nulla umquam res, nulla perſonarum ratio, nulla uel maximae utilitatis certa ſpes, nihil denique ex ijs omnibus, quae iudicum mentes interdum fallere ſolent, animum tuum ab aequitate, & iuſto deflectere potuit. Veram profecto Patris tui, IOANNIS MARTINI PVTEI, legum ſcientia, uitae probitate, religionis obſeruantia uiri clariſſimi, perpetuaq. memoria digni, imaginem refers. Quamobrem laetari iure poteſt Patria tua Caſale Maius, inter Mediolanenſis ditionis opida antiquiſſimum, ac nobiliſſimum, opibus, & hominum ſingulari induſtria opulentiſſimum, nobiliſſimis, ac doctiſſimis uiris florentiſſimum, his temporibus ex tali Patre talem filium, te ſcilicet, habuiſſe. ex quo, ſi per aetatem, quod ſperare debemus, licuerit, eadem, atque etiam maiora beneficia, & utilitatem percipiet, quam in maximis, publicisq. rebus ex Patre umquam perceperit. qui, ut publica fides, omnesq. una & clariſſima uoce teſtantur, de Patria quammaxime meruit. Iamdiu idem de te praedicant, qui ſingularem doctrinam, ingenium, ſummam erga Patriam pietatem facillime, ubicumque opus fuit, cognoſcere potuerunt. nam in omni re, in grauiſſimis, ſiue publicis, ſiue priuatis negotijs grauitatem cum humanitate, ac pietate ſingulari coniunctam oſtendis. feliciſſimiq. exitus rerum a te geſtarum maximam admirationem ingenij tui uel prudentiſſimis, ſapientiſſimisq. uiris ſaepiſſime afferunt. Hoc iampridem de te, ut a Gauardo meo, & praeterea ex multis alijs intellexi, dum ipſum audires, auguratus eſt illuſtris uir, atque excellentiſſimus, & clariſſimus Iuriſconſultus, Nicolaus Gratianus, nunc in Ticinenſi nobiliſſimo gymnaſio ſingulari uerborum elegantia, ingenij in legum arduis, difficillimisq. interpretationibus ſubtilitate, morum ſuauitate praeſtantiſſimus. nec eum decepit ſuum de te iudicium. etenim maiora etiam praeſtitiſti, & in dies, quantum fieri poteſt, praeſtabis. Has laudes qui conſequuntur, ueras conſequi laudes, fateri neceſſe eſt. quae enim hinc emanant, ita ſemper florere gloria exiſtimaui, ut numquam deflorescant. Itaque, pro ſingulari meo erga te amore, uolui hoc tam nobile, tam illuſtre tuorum meritorum teſtimonium cum hoc Ciceronis libro, M. Fabij Victorini, rhetoris doctiſſimi, interpretatione illuſtrato, per manus hominum circumferri. atque hoc meum deſiderium non minus eſſe gratum tibi cupio, quam mihi, quod certe nominis tui cauſſa, eſt gratiſſimum. Horatium, fratrem tuum, cuius ingenium, & ſingularem induſtriam in philoſophiae ſtudio ualde probas, duos iam annos Bononiae audientem excellentiſſimum Pendaſium, diligentiſſime commendaui Iulio Iacobonio, uiro eruditiſſimo, antiquarum rerum noſtra aetate in primis peritiſſimo, qui uiuit apud Illuſtriſſimum Cardinalem Petrum Donatum Caeſium, Bononiae Legatum. Cognoſcet, opinor, & prorſus opinor frater tuus, (quod & ex eius humanitate,

nitate, & ex Iacobonij comitate conijcio) quantum tua, ne dicam mea ualeat auctoritas. Aliud quid? Etiam. Dum hac ſcriberem, Gauardus noſter, domeſticis negotijs domum ob paucos dies reuocatus, Papiam ſe conferet: inde certe Alexandriam. quo tu eum, qui haec mea, ſpero, tibi tradet, amplexabere. utinam in ueſtros iucundiſſimos amplexus & ego quoque. Sed ad ea me tempora reſeruo, & optata, & ſperata, quibus mihi ipſi, tuam ſuauiſſimam conſuetudinem reguſtare cupienti, ſatisfacere poſſim. Non ego tunc Craſſi diuitias praetulerim. Quid ni? Amico optimo quid umquam melius in terris? At te omnium optimum anteacta tua uita probat Vt, niſi tui prorſus diſſimilis eſſe uelis, (quem eſſe nec debes, nec uis, nec, ſi uelles, deberes ue, poſſes) cum ea uita, quam uicturos nos in animum induximus, nullam uitam conferri ullo modo poſſe, certo poſſimus affirmare. Exſpectatus igitur uenies, mihi crede. & eam, quam ſolitudinem eſſe intelligebamus, interdum noſtris collocutionibus frequentem reddemus, &, dum uiuimus, uere uiuemus. Vale. Venetijs, Kal. Quinct. CIↃ IↃ XXCIII.

Tibi, tuisq. uirtutibus addictus,

Aldus Mannuccius, Paulli F. Aldi N.

M. TVLLII. CICERONIS DE ARTE RHETORICA LIBER. I

M. Fabij Victorini Prolegomena.

OMNIS, quicumque incipit cuiuſcumque generis orationem, haec tria in principiis adhibere debet: ut auditores faciat attentos, beneuolos, dociles. Ergo hic Cicero facit dociles auditores: cum, quid ſit eloquentia, oſtendit. Attentos, cum dicit, ſe de eloquentia dicturum, re ſcilicet magna. Beneuolos, ſi quidem, quia oſtendit futurum ei commodum, qui his artibus fuerit edoctus. Eloquentia igitur qualis ſit, per ſe ipſa non oſtendit, ſed eſt capax qualitatis, quam non in ſe habet, ſed accipit ab agente. Nam, ut cuiuſcumque ingenium fuerit, eius, qui ea utitur, perinde qualis ſit, uel quid faciat, demonſtrat. Ergo, quoniam quiuis mediocriter ſapiens poteſt uidere, eloquentiam, ſi in homine ſtulto ſit, malam eſſe: ſi in ſapiente, bonam eſſe: propterea Cicero non, utrum bonum, an malum ſit eloquentia, quaerit, ſed utrum plus boni, an plus mali habeat, oſtendit. Tractat autem in principiis quattuor theſes, Vnam talem: Studendum eſſe ſapientiae, cum eloquentia. Aliam: Parum prodeſſe ſolam ſapientiam, tamen prodeſſe. Tertiam: Multum nocere eloquentiam, ſi ſine ſapientia ea ſit. Et quia poteſt dici, Ergo eloquentiae ſtudendum non eſt? nam ubique ſapientiam laudas. Reſpondetur: Studendum eſſe eloquentiae, quia per eloquentiam uim ſuam ſapientia exerit neceſſario. Quarta theſis: Studendum eſſe eloquentiae, ſed tamen, quae ſit miſta ſapientiae. Animaduertere tamen debemus in principiis, Deliberationis propoſitionem, Partes propoſitionis, Exſecutionem partium. Poſtremo uero ſententiam, quod diligenter attendenti facile cognitu eſt. Sed ante, quam ad id, unde coepit Cicero, ueniamus, dicendum primum uidetur, quid ſit ars: deinde quid interſit inter artem, & uirtutem. Ars eſt, quae ſignificantiam ſui plenam non habet, ſed intelligitur ad aliquid pertinere. non enim, uelut codice nominato, ſcimus ſtatim, quid ſit codex: ita mox ſcire poſſumus, quid ſit ars, niſi additum fuerit, cuius ars ſit: ut ars poeticae, grammaticae, eloquentiae. Virtus eſt animi habitus, in naturae modum rationi conſentaneus. & ideo, in naturae modum: duobus enim conſtamus, anima & corpore. Anima immortalis eſt. ſi immortalis eſt, a diuinis deſcendit: ſi a diuinis deſcendit, perfecta eſt. Sed acies quamuis perfectae animae quodam corporis craſſo tegmine iretitur, & circumfunditur: & ita fit, ut quandam obliuionem ſui capiat. Cum uero ſtudio, ac diſciplina ueluti detegi coeperit, atque nudari, tunc in naturae ſuae modum animi habitus reuertitur, atque reuocatur

uocatur

uocatur. Hanc uirtutem Plato dicit nunc arte fieri, nunc cum hominibus naſci, nunc exercitatione confici, nunc a Deo dari. Haec uirtus in Rhetoricis a Cicerone eadem ponitur, quae ſapientia. Alibi uero, ideſt in libris de republica, ab eodem Cicerone illa uirtus dicitur, quae prudentia. Virtus igitur habet partes quattuor, Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum per omne tempus ſcientia. Iuſtitia eſt animi habitus ita informatus, ut omnibus meritis tribuat dignitatem. Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſsio. Temperantia eſt animi circa res inutiles, atque inhoneſtas uictrix, ac pudica dominatio. Harum partium partes in conſequentibus cognoſcemus. Nunc ad id, quod oſtendere propoſuimus, reuertamur: ſcilicet, ut quid inter artem, & uirtutem interſit, uideamus. Harum quattuor partium, quas diximus ineſſe uirtuti, nulla omnino in artem cadit. Ars enim tantum praecepta tradit, non aliquid ſecundum ipſa praecepta faciendum. Ideo ars ſapientiae tradi non poteſt: per ſe autem tota conſtat, ac permanet, quae perfecta eſt, ſi haec quattuor teneat, Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Datur autem ars eloquentiae, & recte datur. etenim ſi conſtat quattuor rebus, natura, uſu, exercitatione, arte: neceſſario & artis praecepta in eloquẽtiam dantur. quae ſi deeſt, profecto tria illa multum interdum nocere, numquam prodeſſe poſſunt. Dicendum etiam uidetur, quae diſtantia ſit inter rhetorem, ſophiſtam, & oratorem. Rhetor eſt, qui docet litteras, atque artis traditor eſt eloquentiae. Sophiſta eſt, apud quem dicendi exercitium diſcitur. Orator eſt, qui in cauſsis priuatis, ac publicis plena, & perfecta utitur eloquentia. Et, ut ſciamus alium eſſe rhetorem, alium oratorem: hos libros artium, Rhetoricorum uocauit, ubi docet artem dicendi. Illos alios tres de oratore nominauit, ubi illa, quae orator habere debeat, oſtendit. Nunc ergo conſideras, quid & quantum ſit illud, de quo dicturus eſt, id eſt eloquentia, recte ſe inducit diu cogitaſſe, non utrum bona, an mala ſit eloquentia, ſed utrum plus boni, an plus mali habeat.

C I C E R O

S*aepe, & multum hoc mecum cogitaui, boni ne, an mali plus attulerit hominibus, & ciuitatibus copia dicendi, ac ſummum eloquentiae ſtudium.*

M · FABIVS · VICTORINVS

Saepe, *& multum hoc mecum cogitaui,*] Horum ſi unum ſit, non oſtendit ſatis diutinam cogitationem. Poſſumus enim frequenter aliquid cogitare, ſed ſtatim a cogitatione deſiſtere. Poſſumus itidem diu aliquid cogitare, ſed in una tantum die facere. Recte ergo utrumque coniunxit, Sepe, & multum hoc mecum cogitaui. Et, quia in publicum proferri res nõ debuit, niſi certa, & deliberata, recte ait, Hoc mecum cogitaui. Boni *ne, an mali plus*] Cauſſa deliberationis, non utrum bona an mala ſit eloquentia, ſed utrum plus boni, an plus mali habeat eloquentia. Non tamen uacat ratio ordinis: potuit autem dicere: mali ne, an boni plus. Sed Cicero naturam tenuit eloquentiae, quae cum primum agere coepit, profuit hominibus. nam compulit eos, & congregauit. Poſt autem deprauata ingenio malorum, multum nocuit reipublicae. Bene ergo ordinem tenuit ut diceret: *Boni ne, an mali plus attulerit hominibus, & ciuitatibus.* Reſpublica duobus conſtat, publico, & priuato: ideo hominibus, & ciuitatibus. hoc & in Verrinis animaduertere debemus, qualiter ubique Cicero aut homines defendat, aut ciuitates. Copia *dicendi,*] Quoniam nomine eloquentiae id ſibi obtinet, ac uindicat: ut, cum ad aures uenerit, non niſi optima accipiatur, ideo maluit definire eloquentiam. Nequis ergo audita eloquentia, quae quaſi ſono ipſa obtinuit, ut miſta uideatur eſſe ſapientiae, nequis inquam deliberandum non crederet, utrum plus boni, an plus mali habeat eloquentiam, ſed ipſam per ſe ſatis aeſtimaret bonam: propterea maluit definire eloquentiam dicendo Copiam dicendi. Quae quia poteſt ad utrumque flecti, cauſſam deliberationis induxit. Ac *ſummum eloquentiae ſtudium.*] Poſtquam docuit, quid eſſet eloquentia per definitionem: ſecutus poſtea, occupatis iam auditorum ſenſibus, eloquentiam nominauit. Sed recte ait, Ac ſummum eloquentiae ſtudium. non enim poteſt declarari, quid poſsit eloquentia, niſi in aliquo fuerit, ac plena fuerit.

C I C E R O

N*am, & cum noſtrae reip. detrimenta conſidero, & maximarum ciuitatum ueteres animo colligo calamitates, non minimam uideo per diſertiſſimos homines inuectam eſſe partem incommodorum.*

E X P L A N A T I O

Nam, *cum & noſtrae reip. detrimenta conſidero,*] Oſtenſurus, quantum boni aut mali poſsit eloquentia, de republ. loquitur. & recte. non enim in priuatis rebus eloquentia periclitanda eſt, ſed in publicis. ita ipſe in Verrinis cum de ſe, uel de eloquentia ſua optimam probationem afferret, publicas cauſſas commemorat, tacet priuatas: Me qui tot annis in cauſsis, iudiciiſq. publicis, ita ſim uerſatus. Nunc denique, ut bonum demonſtret eloquentiae, de reipublicae incommodis, uel commodis loquitur. Animaduertendum tamen, quod partes non eodem ordine exſequitur, quo propoſuit. Ait enim ſupra: Boni ne, an mali plus. nunc a malis eloquentiae incipit. Sed ſupra, naturam, ut diximus, ſecutus eſt: nunc cogitationis rationem ſeruat. illa enim prima cogitationi occurrunt, quae uicina ſunt a noſtra memoria. ideo & de recẽtibus, & quod eſſet magis propinquum, elegit; cum ait: *Noſtrae reipublicae detrimenta conſidero.* Conſideratio enim reipublicae praeſentis eſt. Ergo, quoniam hucuſque multa incommoda per ſolam eloquentiam reipublicae contigerunt, recte a malis eloquentiae coepit: poſt dicturus de antiquioribus bonis & malis. Et *maximarum ciuitatum ueteres animo colligo calamitates,*] Recedit paullatim a republica noſtra ad extraneas ciuitates, & recte poſt Romam maximas ciuitates nominat. Ergo, quoniam uetuſtiora ſunt harum exempla ciuitatum, animo ſe ait colligere. In republica autem noſtra quae ſint geſta, conſiderat. Recte itaque maximarum ciuitatum collegit calamitates. Illic enim aliquid operatur eloquentia, ubi populus maior eſt. Non *minimam uideo*] Quia

de modo hic agitur, ideſt utrum plus boni, an plus mali afferat eloquentia, ideo ait, Non minimam uideo. Pᴇʀ *diſertiſſimos homines inuectam eſſe partem incommodorum.*] Quod ſupra diſputauimus, noluit per eloquẽtiam dicere, ſed per diſertiſsimos homines, id eſt qui habeant copiam dicendi ſolam. Inuectam uero, per metaphoram nauis. Reſpublica enim dicitur gubernari.

CICERO

Cᴠᴍ autem res ab honeſta memoria propter uetuſtatem remotas ex litterarum monumentis repetere inſtituo, multas urbes conſtitutas, plurima bella reſtincta, firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias intelligo cum animi ratione, tum facilius eloquentia comparatas.

EXPLANATIO

Cᴠᴍ *autem res a noſtra memoria propter uetuſtatem remotas.*] Expoſitis malis, incipit dicere, quid boni habeat eloquentia. A noſtra memoria, inquit, remotas. Vt excuſet memoriam quaſi negligentem, addidit, propter uetuſtatem. Ergo illa, quae nimis a memoria noſtra remota ſunt, qui ſcire poſſumus? Ex *litterarum monumentis*, inquit, *repetere inſtituo,*] Haec monumēta dupliciter accipimus, aut annales, aut hiſtorias. primo enim annales fuerunt, poſt hiſtoriae factae ſunt. Mᴠʟᴛᴀs *urbes conſtitutas, plurima bella reſtincta,*] Dicendum eſt hoc loco, quid ſit ciuitas. Eſt autem ciuitas, collecta hominum multitudo ad iure uiuendum. Cum ergo fuerit ciuitas conſtituta, neceſſe eſt, ut primo bella patiatur, poſtea pacem agat. pax enim a pacto dicitur. pactum uero eſſe non poteſt, niſi cauſſa praecedat, id eſt bellum. Hoc & Salluſtius tenuit, cum de rebus Romanis loqueretur. dixit enim prius bella geſta, poſt pacem eſſe fundatam. Res, inquit, Romana plurimum imperio ualuit. Seruio Sulpicio, & M. Marcello conſulibus omni Gallia cis Rhenum, atque inter mare noſtrum, & Oceanum, niſi quae a paludibus fuit inuia, perdomita. Hic bellum geritur. deinde pacem memorat conſecutam. Optimis autem moribus, & maxima concordia egit reſpublica inter ſecundum, ac poſtremũ bellum Carthaginienſe. Quaeritur autem, utrum in bellis aliquid poſsit eloquentia. poteſt enim ſine dubio, & tantum quantum uirtus poteſt. Nam uirtute bella finiuntur, & eloquentia bella finiuntur. ideo ergo ait, *Plurima bella reſtincta*. Iam illud notum eſt, quod bella ardere dicantur, ut ait, Ardebat omnis Hiſpania citerior. Item, Quis tanti incendia belli. Fɪʀᴍɪssɪᴍᴀs *ſocietas, ſanctiſſimas amicitias*] Inter ſocium & amicum hoc intereſt. ſocius eſt, qui nobis aliquo pacto ad aliquid gerendum coniungitur. amicus eſt, qui mihi uſu uitae ſimilis, pio, ac fideli amore coniungitur. Et quia ſocius aliquid nobiſcum gerit, ideo, ait, *firmiſſimas ſocietates*. quia amicus pio nobis amore coniungitur: ideo ait, *ſanctiſſimas amicitias*. ergo interdum amicus eſt, & ſocius non eſt: ſi nihil mecum gerat. & rurſus, cum ſit ſocius, amicus non eſt, ſi aliquid mecum inuitus gerat. Propterea Cicero ubique duo haec iungit, ſocios populi Rom. amicos. ita & hic, *firmiſſimas ſocietates, & ſanctiſſimas amicitias*. Iɴᴛᴇʟʟɪɢᴏ] Recte Intelligo. ait enim ſupra, *Ex litterarum monumentis repetere inſtituo*. Ergo id quod legitur intelligendum eſt. Tᴠᴍ *animi ratione, tum facilius eloquentia comparatas.*] Vbique duo haec coniungit. ſed quando aliquid duae res agunt, triplici modo agunt. aut aequales ſunt. aut nunc iſta plus praeſtat, nunc illa. hic ſapientiae dat proprias agendi rationes. Sed, quia uirtus omnis, magnitudine ſui tarda eſt, iccirco ſubiunxit, Et tempus. ut illud, quod ſapientia inuenerit, facilius eloquentia compleatur. ergo ad aliquid cito faciendum, alterum alterius auxilij eget. Recte igitur reipub. commodum ex confectione utriuſque coniungit.

CICERO

Aᴄ me quidem diu cogitantem ratio ipſa in hanc potiſſimum ſententiam ducit, ut exiſtimem ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe ciuitatibus, eloquẽtiã uero ſine ſapientia nimiũ obeße plerumque, prodeſſe numquã.

EXPLANATIO

Aᴄ *me quidem*] Supra oſtendit, quantum obeſſet eloquentia, quantumq. prodeſſet, ſed miſta ſapientiae: nunc uero uult oſtendere ſigillatim, quantum ſapientia ſola proſit, quantum eloquentia ſola obſit. quod cum oſtenderit, quoniam & ſapientia ſola parum prodeſt, & eloquentia ſola multum obeſt: rurſus dicturus eſt, eloquentiam ſapientiae eſſe iungendam. Omnis res, aut nimium prodeſt, aut parum prodeſt; aut nimium obeſt, aut parum obeſt. Sapientiae unum dat: ut ſola, parum proſit reip. nihil tamen obſit. eloquentiam uero ſolam, ſaepe ait nimium obeſſe, & interdum ſatis obeſſe. illam uero aliam partem tollit ſoli eloquentiae: ut uel parum proſit reip. qua in re obeſſe ſemper oſtendat. Verum quod ait, *Ac me quidem diu cogitantem ratio ipſa*. *Ipſa*, inquit, *ratio*, ſapientiae ſcilicet, quam eloquentiae dicimus eſſe iungendam.

CICERO

Qᴠᴀʀᴇ, ſi quis, omiſſis rectiſſimis, atque honeſtiſſimis ſtudiis rationis, & officij, conſumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis ſibi, pernicioſus patriae ciuis alitur: qui uero ita ſe ſe armat

eloquentia,

eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, ſed pro his propugnare poſſit, is mihi uir & ſuis, & publicis rationibus utiliſſimus, atque amiciſſimus ciuis fore uidetur.

EXPLANATIO

QVARE, *ſi quis,*] Oſtendit, quid ſit plena ſapientia. Sapiens eſt enim, qui diuina, atque humana optime nouit. ergo ſtudium rectae rationis, ad diuina: ſtudium honeſti officij, ad humana referamus. Quod autem ait [*Studium*] rectius dixit, quam ſi dixiſſet, ſiquis omiſſa ratione, atque officio. In his enim nominibus perfecta philoſophia eſt. quā quia nullus orator plene poteſt aſſequi, ideo nobis horum uel ſtudium habendum eſſe demonſtrat. CONSVMIT *omnem operam in exercitatione dicendi,*] Conſumit, inquit. iam in iſto uerbo eſt inutilis labor. Quod autem ait [*in exercitatione dicendi*] timet eloquentiam nominare, ut ſupra diximus, ne ſenſum audientis offendat. Itaque haec definitio eſt eloquentiae, Eloquentia eſt exercitatio dicendi. IS *inutilis ſibi, pernicioſus patriae ciuis alitur:*] Omnis homo aut ſibi, aut patriae conſulit, aut plus ſibi quam patriae. recte ergo homines ad haec duo miſcenda ſapientiam, & eloquentiam, primo ab utilitatibus ſuis, deinde etiam publicis inuitantur. *Qui,* inquit, *fuerit in ſola dicendi exercitatione uerſatus, omiſsis ſtudiis rationis, & officij, & ſibi inutilis, & pernicioſus patriae ciuis alitur.* QVI *uero ita ſeſe armat eloquentia,*] Bene armat: quaſi ſapientia pro robore ſit, pro armis eloquentia. Attendamus tamen, ut cum ſupra, pro eloquentia, aut copiam dicendi, aut exercitationem, aut diſertitudinem nominauerint; nunc ubi & de ſapientia loquitur, ut ſecurus eloquentiam nominat. hic quoque duo illa ſeruat, quae ſupra diximus, Qui, inquit, ſapientiae miſcuerit eloquentiam. IS *& ſuis, & publicis rationibus utiliſſimus, atque amiciſſimus ciuis fore uidetur.*] Vtilem circa priuata, amicum circa publica accipiamus.

CICERO

AC, *ſi uolumus huius rei, quae uocatur eloquentia, ſiue artis, ſiue ſtudij, ſiue exercitationis cuiuſdam, ſiue facultatis a natura profectae conſiderare principium, reperiemus id, ex honeſtiſſimis cauſſis natum, atque optimis rationibus profectum.*

EXPLANATIO

AC, *ſi uolumus, &c.*] Primo rem quandam conſtituit, cui eloquentiae nomen impoſuit, & oſtendit, unde naſcatur eloquentia. SIVE *arte,* inquit, *ſiue ex ſtudio, ſiue exercitatione, ſiue a natura*] huius, inquit, *eloquentiae,* cuius incerta eſt origo, ſi uolumus conſiderare principium, *inuenimus,* inquit, *id ex honeſtiſſimis cauſſis natum, atque optimis rationibus profectum.* Cauſſa, eſt animi impulſus ad aliquid agendum. Ratio, eſt gerendorum ordo ex cauſſa uenientium: ut, quid quo loco facias, ac dicas, intelligas. *Ergo,* inquit, *ſi eloquentiae principium conſiderare uolumus, primum cauſſa attendenda eſt:* haec cauſſa honeſta eſt. deinde rationes, & eaſdem optimas inuenimus. Inter ſtudium autem, & exercitationem hoc intereſt: Studium, eſt animi ad aliquid agendum pertinacia. Exercitatio, eſt ſuſcepti actus continuatio. Ex his quoque ſupra diximus naſci eloquentiam poſſe.

CICERO

NAM *fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum more uagabantur, & ſibi uictu ferino uitam propagabant, nec ratione animi quidquam, ſed pleraq. uiribus corporis adminiſtrabant. nondum diuinae religionis, non humani officij ratio colebatur: nemo legitimas uiderat nuptias: non certos quiſquam inſpexerat liberos: non, ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. ita propter errorem, atque inſcitiam, caeca, ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad ſe explendam uiribus corporis abutebatur pernicioſiſſimis ſatellitibus.*

EXPLANATIO

NAM *fuit quoddam tempus,*] Incipit commemorare cauſſas fuiſſe honeſtas, quibus eloquentia non ad id ipſum, quod eſt, nata ſit, ſed circa agendum principium ſumpſerit. Vt ſupra diximus, aiunt philoſophi e duobus hominem conſtare, anima, & corpore. animam uero eſſe perfectam, ſed impediri craſſitudine corporis, quo minus ſe talem exerat, qualis eſt per naturam. Ergo mundo conſtituto erant homines nimis impediti corpore, & in quibus uis animae obrupta, atque oppreſſa eſſet. Tunc neceſſario rapto uiuebant, & malis moribus, oppreſſo animae bono, circa res omnes uiribus corporis abutebantur. Sed, quia natura non aequaliter ſemper omnes fundit, aliquando unus exſtitit, qui ſe bene intelligeret, & qui uideret, eſſe in hominibus animam illam diuinam, quae haberet in ſe multas utilitates, ſi tamen poſſet ab aliquo e latebris quibuſdam elici, atque proferri. Ergo his cauſsis eloquentia initium non naſcendi, ſed agendi ſumpſit. nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſsim beſtiarum modo uagabantur. ſicut Virgilius,

Haec nemora indigenae Fauni, nymphaeq. tenebant,
Genſq. uirum truncis, & duro robore nata:
Queis neque mos, neque occulta erat: nec iungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto.

E T *ſibi uictu fero uitam propagabant,*] Sapiens omnis memoriae ſtudet. illi, in quibus uis animi mole corporis oppreſſa delitеſcit, nõ memoriae ſtudent, ſed ferino ritu ſubſidia ſolis proſpiciunt diebus. Sic Salluſtius, Et, quoniam uita ipſa qua fruimur breuis eſt, memoriam noſtri quammaxime longam efficere conuenit, non pecorum more uiuere, quae natura prona, atque uentri oboedientia finxit. Vt iſti homines fuerunt, qui ſibi uictu fero uitam propagabant. N O N *diuinae religionis, &c.*] Plena philoſophia eſt, quae conſtat ex duobus: ex Phyſica, & Ethica. Phyſica eſt, quae de diuinis agit. Ethica, quae de humanis diſſerit. Sed, quia Cicero illud docet, quod oratori eſt neceſſarium, Ethicam proſequitur: quae ſi tunc ab hominibus ignorata eſt, multo magis Phyſica eſt ignorata. Ergo indicant ut illi uixerunt, qui, animae commodis ignoratis, corporis uiribus pleraque geſſerunt. N E M O *legitimas uiderat nuptias, non certos quiſquam inſpexerat liberos:*] Vtrumque enim uaga, atque incerta uenere conficiebatur: neque erant iura, quae id fieri prohiberent. N O N, *ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat.*] Illic enim nullius iniuria uiuitur, ubi eſt iuris aequalitas, aequa libertas, ubi aliquid, aut omnibus licet facere, aut omnibus non licet. P E R N I C I O S I S S I M I S *ſatellitibus.*] Vires corporis eſſe ait cupiditatis miniſtras, quae in animis hominum quandam obtinet tyrannidem.

C I C E R O

Q V O *tempore quidam, magnus uidelicet uir, & ſapiens, cognouit quae materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas in animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere, & praecipiendo meliorem reddere: qui diſperſos homines in agris, & in tectis ſilueſtribus abditos, ratione quadam compulit in unum locum, & congregauit, & eos in unamquamque rem inducẽs utilem, atque honeſtam, primo propter inſolentiam reclamãtes, deinde propter rationem, atque orationem ſtudioſius audientes, ex feris, & immanibus mites reddidit, & manſuetos.*

E X P L A N A T I O

Q V O *tempore quidam, magnus, &c.*] Vt facilius intelligentiam conſequamur, rerum ſimilitudo proferenda eſt. anima ita eſt, ut uinum. nam, quemadmodum uinum pro uaſe, in quo eſt habitum, aut retinet, aut amittit uiolentiam: perinde anima, ſi optimum, & caſtum corpus offenderit, ſeruat naturam. ſin alias, uelut amittit. Ita igitur cum mortale genus brutum, atque inſcium rerum omnium uagaretur, exſtitit quidam uir magnus, in quo anima ſuam retineret naturam, & qui intelligeret omnes homines habere in ſe quiddam diuinum, ſed id uitio corporis opprimi, atque deperire: quod ſi fuiſſet elicitum, maximas inde commoditates hominum poſſe contingere. C O G N O V I T, *quae materia, & quanta ad maximas res opportunitas in animis ineſſet hominum,*] Materia non ad hoc ipſum materia eſt, quod materia uocatur, ſed ad id, quod inde fieri habet, materia eſt. opportunitas uero non accidit, neque in altero eſt, ſed in eadem materia eſt. Poteſt autem in ligno eſſe materies ad aliquid faciendum: ſed, ſi putreſcit, opportunitas in materia non eſt. ſimilia & de reliquis materiis poſſumus dicere. Ergo non ſuffecerat inuenta in hominibus materia: etiam opportunitas fuiſſet ad maximas res. S I *quis eam poſſet elicere,*] Eſt ergo, qui poteſt elicere, & quod poteſt elici. Hoc deinde attendamus. Vnus poteſt uidere aliquid effici poſſe, non tamen etiam efficere. denique etiam iſtum ſapiẽtem, & magnum uirum Cicero ait uidiſſe materiam in hominibus, ſed dubitaſſe de effectu. ait enim, *Si quis eam poſſet elicere.* Vtrumque tamen dat huic uiro, & intelligere, & efficere. eſt enim, & ſapiens, & eloquens. E T *praecipiendo meliorem reddere:*] Erat ergo in hominibus animus: ſed ideo reddere, quia uidebatur amiſſus. erat bonus animus, & ideo ait, *Praecipiendo meliorem reddere.* His cauſsis igitur honeſtiſsimis, ut uideamus, iſte quidam compulſus eſt ad eloquentiam: hoc eſt ad id, unde naſci ad actus primum coepit eloquentia. quae enim cauſſa honeſtior, quam homines beſtiarum modo uiuentes praeceptis utilibus, atque honeſtis, ad humanam, atque diuinam cognitionem traducere? Ergo iſtum uirum magnum, atque ſapientem quemcumque accipiamus. multi enim Saturnum, Platonem, Ariſtotelem, atque alios uolunt intelligi, ſed errant. Q V I *diſperſos homines in agris, & in tectis ſilueſtribus abditos ratione quadam compulit unum in locum, & congregauit,*] Duas res ſupra poſuit, honeſtiſsimas fuiſſe cauſſas, optimaſq. rationes, ut ad actus eloquentia naſceretur. explicitis ergo honeſtiſsimis cauſsis, incipit oſtendere optimas eloquentiae ad actus fuiſſe rationes. Et ut intelligas iam de cauſsis eſſe dictum: *Ratione quadam,* inquit, *compulit unum in locum, & congregauit.* Diximus, rationem eſſe rei gerendae ordinem neceſſarium. utputa hoc primum debet fieri, hoc deinde, ac tertio: ut, nunc primo compelluntur homines, poſt congregantur, deinde in unamquamque rem inducuntur utilem, atque honeſtam. C O M P V L I T *unum in locum, & congregauit,*] Compulit, quaſi inuitorum eſt. iam uolentium, congregauit. Sed debemus ſcire, quod ſit compulit, & congregauit, quaſi ciuitatem fecit. nam, ut ſupra diximus: Ciuitas eſt collecta hominum multitudo ad iure uiuendum. ergo eloquentia plurimum prodeſt, nam facit ciuitatem: & quidquid utile, atque honeſtum eſt, inſinuat. E T *eos in unamquamque rem inducens utilem, atque honeſtam,*] Cicero, duplex eſſe honeſtum docet, unum, illud ſolum, atque purum. aliud, quod cum utili iunctum ſit. Sed ſolum illud apud paucos eſt, eos ſcilicet, qui ſoli gloriae ſtudent, nihilq. ad ſui utilitatem gerunt, quidquid ſanciunt, conſideratione boni, maliq. generatim ſanciunt, non gratia in eodem

uerſantium perſonarum. Honeſtum uero illud coniunctum cum utili, ideo honeſtum uocat, quia id, quod iunctum, ac duplex eſt, ab eo, quod maius eſt, nomen accipit. Verum illud honeſtum philoſophorum eo, hoc illorum ſapientium, qui reipublicae ſtudent, qui in ciuitate uerſantur. Quod quidem honeſtum utilitati ſemper adiunctum eſt, & utilitas honeſtati. hoc etiam Socrates ait, nihil eſſe utile, quod non honeſtum ſit: nihil honeſtum, quod non utile ſit. Sed, ut ipſum intelligamus, rerum exempla proferenda ſunt. Eſſe iudicem, honeſtum eſt. iuncta eſt tamen utilitas honeſtati. nam nemo ei iniuriam facit, nemo ſeruis eius. prodeſt poſteris. liberis eius prodeſt. Amicus ergo, ſiquid praeſtat, etiam utile eſt. Sed, quamquam haec duo iuncta ſunt, non tamen ita miſta ſunt, ut uino aqua miſcetur, ſcilicet ut ſecerni nullo modo poſsint: ſed ita miſta ſunt, ut ſecerni poſſe uideantur, quemadmodum ſi fiat aceruus ex tritico, & ordeo. quamquam ergo haec duo miſta ſunt, tamen aliquo modo & ſecerni poſſunt. Etenim, ſiquid alicui praeſto, nec gratiam repoſco, honeſtum eſt. At idipſum, quod praeſto, ſi gratiam repoſco, fit utile. Ergo primum ſit, illud ſolum honeſtum, quod per ſe placet, nulla adiuncta gratia. hoc medium, honeſtum utile, quod cum utilitate eſt. tertia ſit commoditas, quae ſolis lucris intenta eſt, abiecta omni honeſtate. Honeſtum uero philoſophicum ſoli gloriae ſtudet, abiecta etiam utilitate. Nunc ergo, quoniam, collectis hominibus, & congregatis ciuitas facta eſt, quid debet perſuaderi? quid hominibus inſinuari? non honeſtum illud ſolum, quod philoſophorum eſt: non commoditas, quae hominum perditorum eſt: ſed illud medium honeſtum, atque utile, quod in omni republica, quod in omni ciuitate uerſatur. PRIMO *propter inſolentiam reclamantes,*] Nihil egerat eloquentia, ſi ſtatim, ut inſinuare coepit quid eſſet honeſtum, atque utile, perſuaſiſſet. Sed oſtendit, magnas ineſſe uires eloquentiae, ſi ad id, quod erat optimum, traduxit inuitos. &, ne uideantur iccirco reclamaſſe, quod res optima non eſſet, ideo ait, *propter inſolentiam primo reclamaſſent.* Deinde, ne eloquentiae quibuſdam uenenis etiam ad malam rem traducti uideantur. PROPTER *rationem,* inquit, *atque orationem ſtudioſius audientes,*] Ergo ubi ratio eſt, & ſapientia, malitia ineſſe non poteſt. rationem ad ſententiarum grauitatem referendam ſciamus. orationem ad ornamenta uerborum. EX *feris, & immanibus mites reddidit, & manſuetos.*] Difficile eſt rem aliquam cuicumque tollere, difficilius aliam dare. Hic utrumque factum eſt, ſublata eſt hominibus feritas, atque immanitas, & data eſt humanitas, & conſuetudo.

CICERO

AC mihi quidem uidetur hoc, nec tacita, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe, ut homines a conſuetudine ſubito conuerteret, & ad diuerſas uitae rationes traduceret.

EXPLANATIO

AC *mihi quidem uidetur hoc, nec tacita, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe,*] Sunt multa, quae ſolo habitu ſui, perfecta ſunt. ſunt multa, quae, & habitu, & uſu: ut Athleta, ſi habeat corporis magnitudinem, non continuo perfectus eſt, niſi ei & uſus accedat. Vt orator, concepto totius ſcientiae habitu, non continuo perfectus eſt, niſi ei & uſus accedat. ſapientia uero habitu ſui perfecta eſt, nec indiget uocis, id eſt uſus. Sufficit ei autem intra animos contineri. Vſu ergo nihil conſequitur. & ſi quando concepta, uerbis uoluerit indicare, non ideo ſapiens ſapientior fit, quia indicat ſapienter: ſed perfecta, ac ſalua ſapientia, quiddam ei ad actus alios accedit. ergo homines ex immanibus, ac feris mites redditi, ac manſueti; paullatim quoque honeſtum, atque utile didicerunt. Sed, quia de exordio eloquentiae loquitur, uideamus utrum haec ſola ſapientia fecerit: an ſapientia, ſed cum eloquentia. Primo itaque cognoſcere debemus, quot modis quid perſuadeat ſapientia, & poſſumus intelligere, multum hic eloquentiam ualuiſſe. Sapientia igitur ſola duobus modis aliquid perſuadet: Aut tacet, & aliquid facit: & id, quod facit, quia bonum eſt, alter imitatur. ideſt, ut quidquid tacitus fecerit ſapiens, id alter, re, non uerbis doctus, imitetur. Aut, cum aliquid faciendum, uel inficiendum uerbis perſuadet. & hoc, duplici modo: nunc naturalibus uerbis: nunc per eloquentiam. Hoc loco negat tacitam ſapientiam hoc perficere potuiſſe, negat inopem dicendi, ideſt, quae uerbis naturalibus uteretur: ſed illam ſapientiam, quae iuncta eſſet eloquentiae. *Ac mihi quidem uidetur, hoc, nec tacita, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe:* Perficere, inquit. alioquin plenae ſapientiae officium eſt inuenire, ut ſupra. Quo tempore, inquit, quidam magnus, uidelicet, & ſapiens uir cognouit quae materies, & quanta ad maximas res opportunitas in animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere, & praecipiendo meliorem reddere. Ergo animum in hominibus eſſe, ſapientia cognouit. ut congregarentur, & in unamquamque rem utilem, atque honeſtam inducerentur, ſapientia quidem, ſed eloquentia opitulante, perfecit. A *conſuetudine ſubito conuerteret, & ad diuerſas uitae rationes traduceret.*] Magna uis eloquentiae: ſubito conuertit. & hoc eſt, quod non poteſt ſapientia. Alioqui & ſapentia perficit, ſed non ſubito. Et, quod ait, ad diuerſas uitae rationes traducere: ut ſupra diximus, difficile eſt, cuilibet rei conſuetudinem tollere: & hoc difficilius, alias etiam uiuendi perſuadere rationes.

CICERO

CICERO

AGE *uero, urbibus conſtitutis, ut fidem colere, & iuſtitiam retinere diſcerent, & aliis parere ſua uoluntate conſueſcerent, ac non modo labores excipiendos communis commodi cauſſa, ſed etiam uitam amittendam exiſtimarent, qui tandem fieri potuit, niſi homines ea, quae ratione inueniſſent, eloquentia perſuadere potuiſſent?*

EXPLANATIO

AGE *uero, urbibus conſtitutis,*] Vt ſupra, cum de commodis eloquentiae loqueretur, hunc ordinem fecit, multas urbes conſtitutas, plurima bella reſtincta, firmiſsimas ſocietates, ſanctiſsimas amicitias. & quamquam hinc homines ex immanibus, primo aequales facti, poſt etiam obſequi ultro coeperint: ſupra dictum tamen ordinem ſeruatum poſſumus inuenire. Primo itaque beneficiis eloquentiae ciuitates factae ſunt. ut ait ſupra, multas urbes conſtitutas. Ciuitas autem fieri dicitur, cum homines unum in locum congregantur ad iure uiuendum. VT *fidem colere,*] Hinc bella reſtinguuntur. Si enim cupiditas ad ſe explendam, uiribus corporis abutebatur, quaſi quaedam bella gerebantur. Cum ergo fides colitur, aut id agitur, ne ſint bella: aut reſtinguuntur illa, quae fuerunt. ET *iuſtitiam retinere diſcerent,*] Iuſtitia omnis a nobis circa alios eſt, ut unicuique meritum proprium tribuamus. poteſt tamen hic quaſi ſocietas cuſtodiri. Iuſtis enim condicionibus ſocietas facienda, uel conſeruanda eſt. ET *aliis parere ſua uoluntate conſueſcerent,*] Iuſtitia aequales homines eſſe facit: hic iam, & minores eſſe patiuntur ſua etiam uoluntate. Poſſunt tamen hic amicitiae copulari. noſtra enim uoluntate nulli obſequimur, niſi amici fuerimus. Antea autem ſi uiribus corporis cuncta agebantur, non ſua uoluntate quiſquam alteri paruit, nec potuit amicus eſſe, qui cogebatur. AC *non modo labores excipiendos communis commodi cauſſa,*] Perfecta ineſt, inquit, eloquentia, ut libenter omnes non modo laborem pro publica ſalute ſuſciperent, ſed etiam uitam amitterent. Multum ergo egit eloquentia, ut illi uitam paruipenderent, qui iam dudum ſibi uictu fero uitam propagabant. QVI *tandem fieri potuit?*] Quaeritur, utrum homines ad has rationes uiuendi, per naturam deducti ſint, an praeceptis uideantur adducti. Erat quidem in hominibus natura melior, ſed oppreſſa corporis uitio ad malum declinauerat. uerum, quia nihil uniformiter funditus exſiſtit, quin ſemper aliquid ſit, quo intelligamus, qui in ceteris deſit: iſte quidem magnus uir, ac ſapiens cognouit bonam in hominibus naturam, multumq. eſſe profuturam, ſi praeceptis melior eſſet effecta. ergo omne, quod perfectum eſt, natura, & diſciplina perfectum eſt. ſed, quia iſte primus uir diſciplinam accipere non potuit, perfectus fuit natura, & uſu. Cognouit enim habitum ſuum: &, diu ſecum pertractando, cognouit eſſe in hominibus bonam naturam, quae ut perfecta eſſe poſſet, praeceptorum adhibuit diſciplinam. Ergo in hominibus fuit materies, ideſt perfecta natura, quam perfectam praecepta fecerunt inuenta per ſapientiam, inſinuata per eloquentiam.

CICERO

PROFECTO *nemo niſi graui, ac ſuaui commotus oratione, cum uiribus plurimum poßet, ad ius uoluiſſet ſine ui deſcendere: ut, inter quos poſſet excellere, cum iis ſe pateretur aequari, & ſua uoluntate a iucundiſſima conſuetudine recederet, quae praeſertim iam naturae uim obtineret propter uetuſtatem.*

EXPLANATIO

PROFECTO *nemo, niſi graui, ac ſuaui, &c.*] Quamquam natura fuerit apta ad perfectam uitam, tamen ipſam naturam praeceptis ait ad has uiuendi rationes eſſe perductam. GRAVI, inquit, *ac ſuaui commotus oratione,*] Grauitatem ad ſapientiam, ſuauitatem ad eloquentiam referamus. Immo grauitatem ad ſententias, ſuauitatem ad eloquentiam referamus. CVM *uiribus plurimum poſſet, ad ius uoluiſſet ſine ui deſcendere:*] Omnis res a ſimili uincitur: utputa eloquens uincitur ab eo, qui eloquentior fuerit. fortis non uincitur, niſi ab eo, qui fortior fuerit. aſtutus non uincitur, niſi ab eo, qui aſtutior fuerit. Animaduertendum ergo acumen Ciceronis: Homines, inquit, fortiſsimi ad aequalitatem uiuendi non fortitudine, qua ſolet uinci inferior fortitudo, ſed eloquentia deducti ſunt. ergo ſupra omnes uires eloquentia eſt, ſed quae ſit miſta ſapientiae. VT, *inter quos poſſet excellere, cum iis ſe pateretur aequari,*] Excellere, uiribus ſcilicet. Cum his ſe pateretur aequari. ita ſupra, Non ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. ET *ſua uoluntate*] Non coacti uiribus corporis: ſed in his iam fecerat eloquentiae perſuaſio uoluntatem. AB *iucundiſſima conſuetudine recederet,*] Non dixit a conſuetudine recederet, ſed a iucundiſsima inquit. Omnium enim rerum etiam malarum apud gerentes iucundiſsima conſuetudo eſt. QVAE *praeſertim iam naturae uim obtineret propter uetuſtatem.*] Ergo hominum natura bona eſt: ſed malitia, per conſuetudinē, naturae uicē coeperat obtinere.

CICERO

AC *primo quidem ſic, & nata, & progreſſa longius eloquētia uidetur, & item poſtea maximis in rebus pacis, & belli cum ſummis hominum utilitatibus eſſe uerſata. poſtquam uero commoditas quaedam praua uirtutis imitatrix, ſine ratione officij dicendi copiam cōſecuta eſt: tum ingenio freta malitia, peruertere urbes, & uitas hominum labefactare aßueuit. atque huius quoque exordiū mali, quoniam principium boni diximus, explicemus.*

EXPLANATIO

AC *primo quidem ſic, & nata, &c.*] Satis fecit propoſitioni ſuae. Supra enim dixit, *Ac ſi uolumus eius rei, quae uocatur eloquentia, conſiderare principium, reperiemus id ex honeſtiſſimis cauſſis natum, atque optimis rationibus profectum*. Ita & hic: *Ac primo quidem ſic, & nata, & progreſſa longius eloquentia uidetur.* ET *item poſtea maximis in rebus pacis, & belli*] Oſtendit, diu eloquentiam profuiſſe. Verum quidem ait, maximis in rebus: ut ſupra, *Cognouit quae materies, & quanta ad maximas res opportunitas in animis ineßet hominum, ſi quis eam poſſet elicere*. Ergo maximae res pax, atque bellum. CVM *ſummis hominum utilitatibus*] Cum illa: ſcilicet utilitate, quae cum honeſtate eſt. POSTQVAM *uero, &c.*] Omne perfectum bonum, id eſt, quo natura humana res, nullo adiuncto incommodo, munerata eſt, duorum ad plenum conſtat: Re ipſa, & ſpecie, atque imagine ſui. utputa, mel habet rem, ſcilicet dulcedinem: habet ſpeciem, id eſt colorem, atque adſpectũ, quo quaſi facile, ita ut eſt, dulce credatur. ita uir fortis habet rem, uirtutem ſcilicet: habet ſpeciem, id eſt pulchritudinem corporis. in diſtorta enim membra, neque iuxta naturam ſui competerent appoſita, uirtus non poteſt cadere. ut Virg. Et ceteri quoſcumque fortes, & pulchros etiam fuiſſe dixerũt. Sic ueſtis etiam habet rem: utilitatem texturae. habet ſpeciem, gratiã ſcilicet circa adſpectum faciei. Ergo ille neſcio quis magnus uir & ſapiẽs, & hi qui poſtea conſecuti, accepta uitae praecepta tenuerunt: ut perfecti eſſent, habuerunt rem, ideſt ſapientiam: habuerunt ſpeciem, ideſt eloquentiam. Qui homines, quoniam ex merito uirtutis digniſsima praemia conſecuti ſunt, ideſt magiſtratus, aut alias utilitates: multi dum praemia ſibi paria exoptant, re ignorata, ſpeciem ſolam ſequi coeperunt: ideſt, praeterita ſapientia, ſolam dicendi copiam conſecuti ſunt. Praemiis itaque ſolis indita commoditas, re ignorata, ſpeciem coepit uirtutis imitari. atque ideo contigit, ut mali mores adepti copiam dicendi circa commoda reipublicae, ſola eloquentia, omiſſa ſapientia, ſint abuſi. commoditas autem, ideſt, praua uirtutis imitatrix, tertia illa eſt, honeſto illi ſoli contraria. PERVERTERE *urbes, & uitas hominum labefactare aſſueuit.*] Sic ſupra, *Boni ne an mali plus attulerit hominibus, & ciuitatibus*. his duobus enim reſpublica conflata eſt.

CICERO

VERISIMILLIMVM mihi uidetur, quodam tempore neque in publicis rebus infantes, & inſipientes homines ſolitos eſſe uerſari, nec uero ad priuatas caußas magnos, ac diſertos homines accedere: ſed cum a ſummis uiris maximae res adminiſtrarentur, arbitror alios fuiſſe non incallidos homines, qui ad paruas controuerſias priuatorum accederent. quibus in controuerſiis cum ſaepe a mendacio contra uerum homines ſtare conſueſcerent, dicendi aſſiduitas aluit audaciã, ut neceſſario ſuperiores illis propter iniurias ciuium reſiſtere audacibus, & opitulari ſuis quiſque neceſſariis cogeretur.

EXPLANATIO

VERISIMILLIMVM *mihi uidetur,*] Nunc de incommodis eloquentiae locus incipit. Quaeritur autẽ, qui fieri potuerit, ut eloquentia miſta ſapientiae, quae congregauit homines, quae perſuaſit utile, atque honeſtum, quae urbes conſtituit, iura docuit, quae multum hominibus profuit: ut eloquentia inquam miſta ſapientiae coeperit obeſſe hominibus, & ciuitatibus. Hoc ſcilicet fuit exordium malorum. primum, urbibus conſtitutis, neceſſe eſt creuiſſe eaſdem ciuitates propria doctrina, ſiue uicina multitudine. in his deinde non omnes ſapientes, atque eloquentes fuiſſe, ſed paucos: quamquam omnes hanc habendi materiam continerent. Neceſſe ergo erat, ut auctis, cumulatiſq. ciuitatibus, ſapiẽtes homines, atque eloquentes rempublicam gubernarent, ipſiuſq. tantum curam gererent. Occupatiſq. circa rempublicam ſapientibus, priuatorum negotia callidi homines, & dicaces agere, ac tractare coeperunt. Et primum paruarum controuerſiarum, poſtremum fortunarum patroni fieri coeperunt. Qui cum interdum contra iuſtitiam malas cauſſas defenderent, ſaepe etiam uincerent: coacti ſunt ſapientes illi reipublicae, intenti ciuibus, ac neceſſariis ſuis, reſiſtere contra illos callidos, ac diſertos, qui aſsiduitate dicendi notiſsimi populo, atque amiciſsimi eſſe coeperant. itaque iſti callidi cum contra illos ſapientes uiros dicerent, ſaepe pares, interdum ſuperiores fuiſſe, a populo iudicati ſunt, & digni haberi coeperunt, qui rempublicam gubernarent. Quibus poſtquam commiſſa reſpublica eſt, multa incommoda, multa naufragia contigerunt. ita ergo factum eſt, ut eloquentia, quae primum profuerat, ſed miſta ſapientiae: poſt ſola multum offecerit utilitatibus reipublicae. Ac cum per hos male eloquentes cuncta regerentur, ſapientes illi deturbati, ea, quae gerere conſueuerant, ſcribere coeperunt. hiq. habiti ſunt philoſophi: & per hos factum eſt, ut uſque ad noſtram memoriam rerum honeſtarum memoria, atque imitatio perueniret. *Veriſimillimum mihi uidetur quodam tempore*: Quoniã animo in praeteritis uerſatur, multaſq. in mentem reuocat facies reipublicae, confirmat opinionem ſuam: fuiſſe ſine dubio tempus, quo reſpublica a ſapientibus gubernata ſit, priuatorum negotia a callidiſsimis hominibus: qui poſtea pares ſapientibus, interdumq. meliores a multitudine iudicati, commiſſam ſibi rempublicã peſſumdederunt. NEC *uero ad priuatas cauſſas magnos, ac diuerſos homines accedere:*] Ideo quia publica fuere anteponenda priuatis, [*magnos*] ad ſapientiam, [*diſertos*] ad eloquentiam referamus. ARBITROR *alios fuiße non incallidos homines,*] Callidi ſunt, qui dolo, ac fraude exitum uirtutis imitantur. CVM *ſaepe a mendacio contra uerum homines ſtare conſueſcerent,*] Multo melius res ipſas nominauit, quam ſi has in negotiis poſitas nominaſſet. utputa cum ſaepe mendaci oratione contra ueram cauſſam ſtare conſueſcerent.

CICERO

ITAQVE, cum in dicendo ſaepe par, nonnumquam etiam ſuperior uiſus eßet is, qui, omiſſo ſtudio ſapientiae, nihil ſibi praeter eloquentiam comparaſſet, fiebat, ut & multitudinis, & ſuo iudicio dignus, qui remp. gereret, uideretur. hinc nimirum non in iniuria, cum ad gubernacula reip. temerarij, atque audaces homines acceßerant, maxima, ac miſerrima naufragia fiebant. quibus rebus tantum odij, atque inuidiae ſuſcepit eloquentia, ut homines ingenioſiſſimi, quaſi ex aliqua turbida tempeſtate in portum, ſic ex ſeditioſa, & tumultuoſa uita ſe in ſtudium aliquod traderent quietum.

EXPLANATIO

ITAQVE, *cum in dicendo ſaepe par,*] In dicendo, inquit. Ergo iam omiſſa eſt ſapientia, ſi de ſola dicendi copia iudicium eſt. NONNVMQVAM *etiam ſuperior uiſus eſſet*] Oſtendit, uerum iudicium non fuiſſe, ubi uincere aliquis uidetur potius, quam probatur. FIEBAT, *ut & multitudinis, & ſuo iudicio dignus, qui rempublicam gereret, uideretur.*] Multitudinis, inquit, iudicio. Iam in multitudine uarietas ipſa uilis eſt. Quod autem ait, ſuo iudicio, hoc quoque irritum eſt. quiſnam aut de ſe poteſt, aut debet habere iudicium? Ac poſtremum dignus uideretur, ut ſupra, *Itaque cum in dicendo ſaepe par; nonnumquam etiam ſuperior uiſus eſſet.* HINC *nimirum non iniuria, cum ad gubernacula reip. temerarij, atque audaces homines acceſſerant, maxima, ac miſerrima naufragia fiebant.*] In metaphora permanſit. gubernaculum, & naufragia, utrumque nauis. Negat ergo cuiquam debere mirum uideri, rempublicam peſſumdatam, cum ad eius regimẽ acceſſerint homines temerarij, atque audaces. Hoc autem intereſt inter audacem, & temerarium. audax poteſt interdum, & pro bono accipi. temerarius non niſi malus. Audacia ergo duplex eſt. nam & ille, qui in proſperis rebus temere aliquid aggreditur, audax eſt. & ille, qui, prouiſis rationibus, fortiter aliquid incipit, audax eſt. Quoniam ergo audacia duplicem frontem habet, hic praemiſit temerarium, ut intelligeremus audacem. Temeritas enim, & inconſiderantia cauſſae ſunt. harum euentus, audacia. QVIBVS *rebus tantum odij, atque inuidiae ſuſcepit eloquentia,*] Omnis cauſſa habet euentum ſuum, omniſq. euẽtus cauſſam. utputa ignis cum in lignum immiſſus fuerit, idem lignum incendatur neceſſe eſt. hic, ignis in lignum miſſus, cauſſa eſt. cauſſae uero euentus, incendium. ita ergo eloquentia. primo odium contraxit: iam ex odio, ideſt ex cauſſa, neceſſe eſt aliquis conſequatur euentus. Ergo inuidia conſecuta eſt: plerumque etiam ex odio inuidia naſcitur. plerumque inquam. nã alium habere poteſt euentum. ſi enim hoſtem oderis, non inuides, ſed inimicus es. ſi ſeruum oderis, non inuides, ſed iraſceris. non ergo ſemper odij eſt euentus inuidia. Sunt enim cauſſae, quae interdum non neceſſarios euentus habent. ut, ſi pugno percutias, & occidas. Sunt item cauſſae, quae neceſſarios habent euentus, ut ignis miſſus in ſtipulam, faciat incendium neceſſe eſt. *Quibus rebus tantum odij, atque inuidiae ſuſcepit eloquentia:* Poſtquam, inquit, reſpublica ab inſipientibus, & dicacibus adminiſtrari coepit, ſapientes illi eloquentiam odiſſe coeperunt: & omiſſo ſtudio reipublicae priuatim, atque otioſe ea, quae gerere in republica non licebat, litteris, ſcriptiſq. exercere caeperunt. Atque ideo factum eſt, ut uſque ad noſtram memoriam recti, atque honeſti memoria perueniret. VT *homines ingenioſiſſimi,*] Ingenium, eſt uis quaedam naturaliter animis inſita, ſuis uiribus praeualens. in ingenio itaque & ſapientia eſt, & eloquentia. ut in his eſt, quos ingenioſiſsimos uocauit. Et in ingenio eſt ſola eloquentia. ut ſupra, Tum ingenio freta malitia.

CICERO

QVARE mihi uidentur poſtea cetera ſtudia recta, atque honeſta per otium concelebrata ab optimis, enituiſſe; hoc uero a pleriſque eorum deſertum obſoleuiſſe eo tempore, quo multo uehementius erat retinendum, & ſtudioſius adaugẽdum. nam, quo indignius rem honeſtiſſimam, & rectiſſimam uiolabat ſtultorum, & improborum temeritas, & audacia ſummo cum reip. detrimento, eo ſtudioſius & illis reſiſtendum fuit, & reip. conſulendum. quod noſtrum illum non fugit Catonem, neque Laelium, neque horum, ut uere dicam, diſcipulum Africanum, neque Gracchos Africani nepotes, quibus in hominibus erat ſumma uirtus, & ſumma uirtute amplificata auctoritas, &, quae his rebus ornamento, & reip. praeſidio eſſet, eloquentia.

EXPLANATIO

HOC *uero a pleriſque eorum deſertum obſoleuiſſe*] Abſolute. hoc uero, ideſt ſtatus ille, quo in republica ſapientes, atque eloquentes homines uerſabantur, omiſſus eſt, atque in obliuionem redactus, illo praeſertim tempore, quo reipublicae periculi maxime fuerat ſuccurrendum. Et hoc quaſi per indignationem pronunciandum. Quod uero ait, A. PLERISQVE, recte dicit. Non enim omnes ſapientes a republica receſſerunt. Nam Athenienſibus Solon leges ſcripſit. & quia norat multos eſſe in republiea corruptiſsimos, in exſulium ultro profectus eſt. Scripſit iiſdem Athenienſibus leges & Dracon. duorumq. hominum legibus, utuntur. Lycurgus Lacedaemonius etiam leges ſcripſit. Non ergo omnes ſapientes a republica receſſerunt, ſed quia plerique receſſerunt. pauci reliqui facile aut ceſſerunt, aut oppreſsi ſunt. NAM *quo indignius rem honeſtiſſimam,*] Quando aliquid faciendum perſuademus, ab honeſto, ab utili, a poſsibili perſuademus. interdum & neceſſarium ponimus. Iiſdem praeceptis etiam illam rem, quae non ſit facta, reprehendimus. ut

hic Cicero conqueritur ſapientes a republica receſsiſſe. ſiquidem ut id non facerent, ſuberat honeſtas, *Nam quo indignius rem honeſtiſſimam, & rectiſſimam uiolabat*: Suberat utilitas, ſummo cum reipublicae detrimento. Vtique a republica periculum ſubmouere, utile eſt. Suberat poſsibilitas, *Stultorum*, inquit, *& improborum temeritas, & audacia*. Facile enim ſtulti, ac temerarij ſuperantur. E*o ſtudioſius, & illis reſiſtendum fuit, & reipublicae conſulendum.*] Hic quoque honeſtum, atque utile ſeruauit. honeſtum eſt enim improbis reſiſtere. utile rempublicam, in qua ſis habere defenſam. QVOD *noſtrum illum non fugit Catonem,*] Noſtrum, id eſt Romanum. Nam reprehenſio illa ſuperior ſapientium, atque eloquentium, de Graecorum principibus facta eſt, quod hi diſertis, ac dicacibus hominibus facilem rempublicam ceſſerint. Nunc uero uenit ad Romanos, quos oſtendit ita ſapientes, atque eloquentes fuiſſe, ut numquam rempublicam deſeruerint: neque quidquam illis tantum diſertis conceſsiſſe. Quod cum facit, praeponit Graecis Romanos, ſeq. per Romanos. Verum exempla cum proferimus, non unum aliquod, ſed quam multa poſſumus tamen cum decore proferre debemus. ut nunc Cicero commemorato Catone ſtatim alios ſubiicit, ſimul quod in Romanorum laude unius hominis quamuis egregij non ſufficit exemplum. QVIBVS *in hominibus erat ſumma uirtus, & ſumma uirtute amplificata auctoritas, &, quae his rebus ornamento, & reip. praeſidio eſset, eloquentia.*] Virtutem in artibus ſemper ſapientiam accipiamus. Verum ſapiens, atque eloquens habere debet illam, quae totam efficit, auctoritatem. Itaque, ſi accedat ſapientia, amplificatur auctoritas. Si his duobus acceſſerit eloquentia, erit, qui haec potuerit habere, perfectus. ut hic maioribus noſtri Catoni, Laelio, atque aliis tradidit ſapientiam, auctoritatem, eloquentiam.

C I C E R O

QVARE *meo quidem animo nihilo minus eloquentiae ſtudendum eſt, etſi ea quidam & priuatim, & publice peruerſe abutuntur, ſed eo quidem uehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimum poſſint, cum praeſertim hoc unum ſit, quod ad omnes res & priuatas, & publicas maxime pertineat; hoc tuta, hoc honeſta, hoc illuſtris, hoc eodem uita iucunda fiat. nam hinc ad rempublicam plurima commoda ueniunt, ſi moderatrix omnium rerum praeſto eſt ſapientia: hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas confluit: hinc amicis quoque eorum certiſſimum, ac tutiſſimum praeſidium comparatur. ac mihi quidem uidentur homines, cum multis rebus humiliores, & infirmiores ſint, hac re maxime beſtiis praeſtare, quod loqui poſſunt. quare praeclarum mihi quiddam uidetur adeptus is, qui, qua res homines beſtiis praeſtent, ea in re hominibus ipſis antecellat.*

E X P L A N A T I O

QVARE *meo quidem animo*] Meminimus in hac praefatione quattuor theſes eſſe. Principalem illam, eſſe iungendam eloquentiae ſapientiam. Secundam illam, non multum prodeſſe reipublicae ſolam ſapientiā, tamen prodeſſe. Tertiam illam, numquam omnino eloquentiam ſolam prodeſſe reipublicae, nimium obeſſe plerumque. Poſtea de origine eloquentiae diſſeruit, &, quae eius circa actus natura fuerit, diſputauit. Oſtenditque, primo eloquentiam profuiſſe, ſed quamdiu fuerit miſta ſapientiae. Poſt, eandē eloquentiam repudiata ſapientia maxima naufragia intuliſſe reipublicae, magnūq. exinde odium, atque inuidiam contraxiſſe. Ne quis ergo exiſtimet eloquentiā ſemper eſſe fugiendā, quippe multa incommoda per hanc contigiſſe mōſtrauit, neceſſario haec quarta theſis eſt, ſtudēdum eloquentiae, ſed quae miſta ſit ſapientia. Et eſt hic quaſi exhortatio. In exhortatione uero, deliberationis praecepta ſeruantur, Tractatur utilitas, tractatur honeſtas, tractatur poſſibile. Vtilitas porro duobus generibns comprehenditur, ſi mala repellamus, ſi proſpera conſequamur. Ergo hic tractat utilitatem ab utroque, & primo ut mala repellantur, *Sed eo uehemētius*, inquit, *ſtudendum eſt eloquentiae, ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimum poſſint*. Deinde quod bona conſequantur, *Cum praeſertim*, inquit, *hoc unum ſit, qued ad omnes res & publicas, & priuatas maxime pertineat*. Poſtremo etiam ad ſolam priuatam utilitatem deſcendit: & ibi utile, atque honeſtum ipſis nominibus ſignat, *Hoc tuta*, inquit: quod utile eſt. *Hoc honeſta, hoc illuſtris*: quod ex utili, atque honeſto eſt. *Hoc eodem*, inquit, *uita iucunda fiet*. Magna exhortatio eſt. ſi quidem inter ſtudia utilitatis, atque honeſtatis circa eloquentiā cōparādam (quae quidem ſtudia multum habent laboris) & iā uitā futurā dicit eſſe iucundā. Supereſt ergo poſſibile, ut oſtendat, eloquentiā poſſe conſequi, *Si*, inquit, *eloquentia nō ſolum natura, neque exercitatione, ſed etiam arte conſtat*. quoniā artem diſcere, in noſtra poteſtate eſt: *Poſſumus*, inquit, *eloquentiam conſequi*. In hac exhortatione eſt etiam auxeſis, auget enim laudes eloquentiae. Auxeſis porro duobus modis fit: ratione, & comparatione. Auxit eloquentiam ratione, ubi ait, per hanc & publicas, & priuatas res adminiſtrari poſſe. per hanc, uitā tutam, honeſtā, illuſtrē, iucundā futuram. per hanc unumquēque reipublicae, ſibi, atque amicis prodeſſe poſſe. Auget uero eloquentiam cōparatione, cum ait locutione ſola fieri, ut belluis antecellamus, cum alias inferiores belluis ſimus: praeclarumq. eſſe, ſi propter quod belluis praeſtas, hoc ipſis etiā hominibus antecellas. quod poterit fieri, ſi eloquens fueris. Nunc, quoniam exhortationis, atque auxeſis praecepta monſtrauimus, ad interpretationē in his poſitae orationis redeamus. *Quare meo quidem animo nihilo minus eloquentiae ſtudendū eſt,*] Quarta illa theſis: ſtudendum eſt eloquentiae, ſed quae ſit miſta ſapientiae. Et uerecunde, *Meo*, inquit, *animo, ne quid ſibi uſurpaſſe uideatur*. non dixit eloquentiae ſtudendum cenſeo. Sed quod ait, *Nihilo minus*: i. quāquam multa incōmoda attulerit reipublicae, tamen eloquentiae ſtudendum eſt, ſed ut ei ſapientiā cōiugamus.

Etsi *ea quidam & priuatim, & publice peruerſe abutuntur,*] Magna exhortatio, cum ait, Quidam: ut ſi pauci ſunt, facile opprimi poſſe uideantur. Priuatim, & publice. res enim publica his duobus conſtat, hominibus, & ciuitatibus. Perverse *abutuntur,*] Obeſt enim reipublicae, quod prodeſſe debebat. Magno *cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie*] Et hic optime exhortatur. nequis enim diceret, Quid mea, ſi boni periclitantur? recte addidit, *Et communi omnium pernicie*. Ergo ſtudendum eſt eloquentiae, ne opprimamur. Nam *hinc ad rempublicam plurima commoda ueniunt, ſi moderatrix omnium rerum praeſto eſt ſapientia:*] Bene perſuadet, ſapientiam iungendam eſſe eloquentiae: ſiquidem rerum omnium moderatrix eſt. Ergo multa, inquit, ad rempublicam commoda ueniunt ex eloquentia, uel ſapientia. Sed, quia multi propriis magis utilitatibus uolunt eſſe conſultum, recte ſubdidit, *Hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas confluit*. Quae omnia, & utilia ſunt, & honeſta. Hinc *amicis quoque eorum certiſſimum, ac tutiſſimum praeſidium comparatur,*] Oſtendit hic, quid agat orator: ſapiens enim cum eloquentia, negotia ſuſcepta non deſerit. Et inde fit, ut commodis amicorum deeſſe non poſsit. Vt ipſe Cicero in Verrinis: Et qui omne reliquum tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his ſtudiis, laboribuſq. conſumam. Ac *mihi quidem uidentur homines,*] Diximus ſupra, auxeſeis, & ratione, & comparatione fieri: hic comparatio eſt hominum, & belluarum, & inter ſe hominum.

CICERO

Hoc *ſi forte non natura modo, neque exercitatione conficitur, uerum etiam artificio quodam comparatur; non alienum eſt uidere quae dicant ii, qui quaedam eius rei praecepta nobis reliquerunt.*

EXPLANATIO

Hoc *ſi forte non natura modo, neque exercitatione conficitur, uerum etiam artificio quodam comparatur;*] Vt ſupra diximus, poſsibile hic tractatur, ideſt poſſe ab hominibus, per artem, eloquentiam comprehendi. Neceſſario ergo prius, quam eloquentiae praecepta traderet, exhortatus eſt ab honeſto, ab utili, a poſsibili, & debere ab hominibus, & poſſe eloquentiam comprehendi.

CICERO

Sed, *antequam de praeceptis oratoriis dicamus, uidetur dicendum de genere ipſius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. nam, his rebus cognitis, facilius, & expeditius uniuſcuiuſque animus ipſam rationem, ac uiam artis conſiderare poterit.*

EXPLANATIO

Sed, *ante quam de praeceptis oratoriis dicamus, uidetur dicendum de genere ipſius artis,*] Omnis ars duplex eſt, ideſt, duplicem faciem habet, ſecundum praeceptum, ſententiamq. Varronis, qui ait, eſſe artem extrinſecus unam, aliam intrinſecus. Ars extrinſecus eſt, quae nobis ſcientiam ſolam tradit. Intrinſecus, quae ita dat ſcientiam, ut illud ipſum, quod ſcientia dat, quibus rationibus faciamus, oſtendat. ita illa ad ſcientiam ſola proficit: haec ad ſciētiam, quae in actu ſit. utputa ſi dicam, Grammatica ars eſt gnara partium orationis, gnara ſyllabarum, gnara litterarum: per hanc diſcimus omnia uitia deuitare. haec cum dico, cumq. per hanc uitari uitia dico, non tamen quomodo uitentur oſtendo. artem illam extrinſecus doceo, per quam ſola ſcientia diſcitur. Si autem dicam, quae ſint partes orationis, quae ſyllabae, quae litterae, quibuſq. modis omnia illa conſtent, quo pacto uitia uitentur: tunc erit illa ars, cui eſt nomen intrinſecus: non quo ad ſcientiam noſtrā tantum proficit, ſed quae in actu ſit. Ergo rhetorica duplex eſt. nam extrinſecus, & intrinſecus. Intrinſecus autē illa eſt, quae nobis ad actus praecepta artis inſinuat. Extrinſecus porro, quae nobis, quid ſit rhetorica, demonſtrat. quam cum demonſtrauerit, ſcimus tantum, ſed exercere non poſſumus. Hanc itaque artem extrinſecus, quae ſolam ſcientiam parit, quinque rebus Tullius oſtendit, Genere artis, Officio, Fine, Materia, Partibus. Ipſe etiam oſtendit ſe de ea arte, quae eſt extrinſecus, eſſe dicturum. Intrinſecus uero artem, quae nobis ad actus praecepta dat, interim differre. ait enim, *Sed ante, quam de praeceptis oratoriis dicamus*. Videtvr *dicendum de genere ipſius artis,*] Quoniam primo artis generi ſatisfaciendum eſt, quale genus rhetoricae artis ſit, explicemus.

CICERO

Civilis *quaedam ratio eſt, quae multis, & magnis ex rebus conſtat. Eius quaedam magna, & ampla pars eſt artificioſa eloquentia, quam Rhetoricam uocant: nam neque cum iis ſentimus, qui ciuilem ſcientiā eloquentia nōn putant indigere: & ab iis, qui eam putant omnem rhetoris, ui, & artificio contineri, magnopere diſſētimus.*

EX-

EXPLANATIO

CIVILIS *quaedam ratio*] Vt ſupra promiſimus, de genere artis rhetoricae nobis dicendum eſt. Genus, hoc ipſum quod ſonat genus, uox eſt. haec uox generis, triplicem ſignificantiam habet. Eſt genus, ideſt patria, parentes, origo, ſanguis. Quo modo eſt illud, Vnde genus ducis? Eſt item genus, ſub quo multa ſimilia ex eodem deſcendentia continentur. Vt animal genus. etiam homo, equus, piſcis, animalia. ſed horum omnium genus animal. Eſt tertium illud genus, quo cuiuſlibet rei qualitas indicatur. ſi dicas cuius generis ueſtis, cuius generis factura. In hoc genere artem rhetoricam ponit, ideſt qualis, uel quanta ſit, demonſtrat. Eſt recte. ſi quidem ars genus eſt. Illud, ſub quo genere artis, ars grammatica, ars dialectica, ars rhetorica. ſed iſtae omnes artes in genere qualitatis ſunt ponendae, quo quales, uel quantae ſint, demonſtrantur. Ergo & rhetoricam in genere qualitatis ponit, quo qualis, uel quanta ſit, demonſtretur. Deinde debet attendere ubi ſit ars rhetorica, an ſola ſit, ſi par, ſi aequalis, minor maior ne ſit. Atque ideo, qui haec diligenter inſpexit, rhetoricam, ciuilis cuiuſdam rationis partem dicit eſſe maiorem. Et quia ad genus artis rhetoricae deſcendimus, quae ſit, uel ubi ſit, attendamus. Omnis patria quidquid agit, ciuilis ratio dicitur. Haec ciuilis ratio duplex eſt. Vna, quae res certas ſollemni curſu, & ſine ullo tumultu agit. & altera, quae in lite, ac diſceptatione uerſatur. ut, homo, quidquid agit, duobus modis agit, factis, & dictis. ita ciuilis ratio eſt una in factis, & dictis: ſed quae facta, & dicta in actu, atque opere conſtituta ſunt. Alia in factis, & dictis: ſed quae facta, & dicta in iudicio, uel quaeſtione uerſantur. Ita ut illa ratio in actu eſt, atque opere. hanc uero alteram ciuilem rationem, quae in quaeſtione uerſatur, ſcientiam nominauit. hic enim docetur quid iuſtum, quid utile, quid honeſtum ſit. Haec rurſus ciuilis ratio, ideſt ſcientia in duobus eſt; in rhetorica, ideſt artificioſa eloquentia; & in ſapientia, ideſt rerum conceptione ex natura ueniente. Sed, quia orator plus per eloquentiam gerit, iccirco rhetoricam ciuilis rationis partem eſſe diximus: ſed, quia duplex eſt, cuiuſdam rationis partem. nam & ſibi, & ſapientiae, ut genus exprimat, rhetoricam partem, amplam, magnamq. eſſe confirmat. *Ciuilis quaedam ratio eſt, quae multis, & magnis ex rebus conſtat. Eius quaedam magna, & ampla pars eſt artificioſa eloquentia*: Cum dicit, *quaedam ratio eſt*, oſtendit duplicem eſſe: unam, quae in opere conſtituta eſt; alteram, quae in quaeſtionibus. quam rationem ciuilem, in qua rhetoricam ponit, ut ſupra diximus, ſcientiam debemus intelligere. Et quod ait [*multis, & magnis ex rebus conſtat*]. Notum eſt enim, quam crebris, & de quam magnis rebus iudicia, uel quaeſtiones habeantur. Parum ergo fuerat dixiſſe [*multis ex rebus*,] niſi addidiſſet, [*& magnis*.] EIVS *quaedam magna, & ampla pars eſt artificioſa eloquentia*,] Cum ait [*quaedam pars*] oſtendit eloquentiam, & ſcientiam ex duplici conſtare, ideſt, ex ſapientia, & artificioſa eloquentia: ſed eloquentiam partem eſſe maiorem. *Et magna*, inquit, *& ampla pars*: Magnum eſt, quod in cumulum ſui, & magnitudinem creſcit. Amplum, quod late patet, & per multa diffunditur. & ita ſupra [*quae multis, & magnis*]. [*Magnum*] ita ibi, ut hic poſuit, [*multum*] uero ad amplitudinem referamus. *Magna, & ampla pars*, inquit, *artificioſa eloquentia*: Non eloquentia ſolum, ſed artificioſa eloquentia, quae rhetorica uocetur. NAM *neque cum iis ſentimus, qui ciuilem ſcientiam eloquentia non putant indigere*: Diximus ſupra partem illam ciuilis rationis, quae in iudiciis uerſetur, ſcientiam uocari, hancq. ex duplici conſtare, ſapientia ſcilicet, & artificioſa eloquentia. Quare nunc ſe ab illis diſſentire dicit, qui horum altero ſcientiam ciuilem conſtare dicunt. *Nam neque*, inquit, *cum iis ſentimus, qui ciuilem ſcientiam eloquentia non putant indigere*: Multi, inquit, dicunt, ciuilem ſcientiam ſine eloquentia ſtare poſſe. Cuncta enim per naturam, ideſt per ſapientiam facile poſſe cognoſci. Multi autem dicunt ciuilem ſcientiam ſola eloquentia conſtare poſſe: illudq. eſſe iuſtum, uel iniuſtum, quod eloquentia potuerit perſuadere. Sed ego, inquit, ab utriſque diſſentio. nam ciuilis ſcientia, & ex ſapientia conſtat, qua cuncta ſentimus; & ex eloquentia, qua id, quod ſentire poſſumus, explicamus. Sed, quia eloquentia poſita in republica facilius quod fuerit aggreſſa, perſuadet, iccirco eam in ciuili ſcientia partem dixit eſſe maiorem. ET *ab iis, qui eam putant omnem rhetoris ui, & artificio contineri*,] Si ergo omnis ſcientia ciuilis ſola rhetorica non poteſt contineri, rhetorica ciuilis ſcientiae pars eſt. Quod autem ait [*rhetoris ui, & artificio*] tale eſt, ac ſi dicatur, Grammatica eſt gnara litterarum, per hanc enim diſcimus omnia uitia uitare: non dico tamen quomodo uitentur. artem illam extrinſecus doceo, per quam ſolum uitentur, ſed non quomodo. Si autem dicam, quae ſint partes orationis, quae ſyllabae, quae litterae, quibus characteribus conſtent, quo pacto uitia uitentur: tunc erit illa ars, cui eſt nomen intrinſecus, non quae ad ſcientiam noſtram tantum proficit, ſed quae ad actus ſit. Ergo & ars rhetorica duplex eſt. nam eſt extrinſecus, & intrinſecus. intrinſecus autem illa eſt, quae nobis ad actus praecepta artis inſinuat. Extrinſecus porro, quae nobis quid ſit rhetorica, demonſtrat: quam cum demonſtrauerit, ſcimus tantum, ſed exercere non poſſumus. Haec itaque res, quae ſolam ſcientiam parit, ui, & artificio continetur. Artificium eſt, quo ad aliquid citius faciendum per praecepta formamur. Nam id, quod artificio conficitur, uis eſt. ergo hic rhetoris ui, inquit. Oſtenditq. unde uis illa deſcendit, Et artificio contineri.

CICERO

QVARE *hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam ciuilis ſcientiae partem eſſe dicamus.*

EXPLANATIO

QVARE *hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam ciuilis ſcientiae partem eſſe dicamus.*] Artificioſam eloquentiam, facultatem oratoriam uocauit. arte enim, uniuſcuiuſque rei facultatem conſequimur: & haec eadem uis eſt, quae, ut ſupra diximus, ex arte colligitur.

CICERO

OFFICIVM autem eius facultatis uidetur eſſe dicere apposite ad perſuaſionem: Finis, perſuadere dictione. Inter officium autem, & finem hoc intereſt, quod in officio, quid fieri, in fine, quid officio conueniat, conſideratur: ut medici officium dicimus eſſe, curare appoſite ad ſanandum; finem, curatione ſanare. Item, oratoris, quid officium, & quid finem eſſe dicamus, intelligemus, cum id, quod facere debet, officium eſſe dicemus, illud, cuius cauſſa facere debet, finem appellabimus.

EXPLANATIO

OFFICIVM *autem eius facultatis uidetur eſſe dicere appoſite ad perſuaſionem: Finis, perſuadere dictione.*] Officium eſt uniuſcuiuſque perſonae actus congruens, ſecundum mores ciuitatis. ergo officia pro perſonis diuerſa ſunt. Aliud enim eſt officium patris, aliud amici, aliud, ut ad rem redeamus, artis oratoriae. Officia uero omnia ad finem ſpectant. Finis quoque ad officia refertur. Nam neque officium recte definiri poteſt, ſine admiſtione finis: neque finis, ſine officij coniunctione; & hoc in omnibus perſonis, ac rebus. ut hic Cicero in definiendo oratoris officio finem nectit officio. ait enim, *Officium autem eius facultatis uidetur eſſe dicere appoſite, ad perſuaſionem*: Ergo officium oratoris eſt, dicere: ſed appoſite ad perſuaſionem: ubi iam finis admiſtio eſt, ideſt, perſuaſionis. Nam ſolum dicere, non bene officium definit oratoris: poteſt enim eſſe multorum: nam & poetae, & philoſophi dicunt. itaque oratoris officium pleniſsime, finis admiſtione declarauit. deinde finem oratoris officij ait eſſe perſuadere. Sed non ſatis plene finem oratoris oſtenderat, ſi ſolum perſuadere poſuiſſet. nam perſuadetur tabulis, tormentis, teſtibus, multiſq. aliis rebus. Ergo, ut finem proprium oratoris declararet, fini adiunxit officium. ait enim, *Finis eſt oratoris perſuadere dictione: dictione,* inquit, *quod eſt oratoris officium. Ita,* inquit, *& medici officium eſt curare*: ſed quia multi, & incantatione, & ligaturis curant: *curare,* inquit, *ſed appoſite ad ſanandum.* ergo ut euidentius officium medici demonſtraret, finem quoque iunxit officio, ideſt, curationi ſanitatem. Deinde finis eſt medicinalis officij, inquit. *ſanare*. ſed quia multi item ſanant, addidit ſanare curatione. ita ergo ſemper officium, & finis ſine altero exprimi nō poſſunt. Hanc tamen diſtantiam dicit eſſe inter officium, & finem; ut in officio, quid agendum ſit; in fine, quid complendum ſit, conſiderare debeamus. Hic Marcomannus errauit, qui dixit, finem oratoris officij non eſſe perſuadere, nec finem medicinalis officij, ſanare: etenim ſaepe non perſuadere oratorem, & medicum non ſanare contingit. ideo addidit, Quatenus rerum condicio, perſonarumq. patiatur. ſed nō intellexit Ciceronem, qui finem in rebus ipſis poſuit, non in euentu: ideſt, qui finem in officio conſtituit, & in his ipſis rebus, quae dū in officio ſunt, ad finem tendunt. quare & oratoris officij finem eſſe completum, ſi appoſite ad perſuaſionem dicat: & medicinalis officij finem eſſe completum, ſi quidquid ad ſanitatem ſpectare uidetur, adhibuerit. Marcomannus itaque finem non in rebus, ſed in euentu collocauit.

CICERO

MATERIAM artis eam dicimus, in qua omnis ars, & ea facultas, quae conficitur ex arte, uerſatur, ut, ſi medicinae materiam dicamus morbos, ac uulnera, quod in his omnis medicina uerſetur: item, quibus in rebus uerſatur ars, & facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoricae nominamus. Has autem res alij plures, alij pauciores exiſtimauerunt. nam Gorgias Leontinus, antiquiſſimus fere rhetor, omnibus de rebus oratorem optime poſſe dicere exiſtimauit. Hic infinitam, & immenſam huic artificio materiam ſubiicere uidetur. Ariſtotelem autem, qui huic arti plurima adiumenta, atque ornamenta ſubminiſtrauit, tribus in generibus rerum uerſari rhetoris officium putauit, demonſtratiuo, deliberatiuo, iudiciali. Demonſtratiuum eſt, quod tribuitur in alicuius certae perſonae laudem, aut uituperationem. Deliberatiuum eſt, quod poſitum in diſceptatione, & conſultatione ciuili, habet in ſe ſententiae dictionem. Iudiciale eſt, quod poſitum in iudicio, habet in ſe accuſationem, & defenſionem, aut petitionem, & recuſationem. &, quemadmodū noſtra quidem fert opinio, oratoris ars, & facultas in hac materia tripartita uerſari exiſtimanda eſt. Nam Hermagoras quidem nec, quid dicat, attendere, nec, quid polliceatur, intelligere uidetur, qui oratoris materiam in cauſſam, & in quaeſtionem diuidat.

EXPLANATIO

MATERIAM *artis eam dicimus, &c.*] Res interdum ſpecialiter definimus, cum quid ſint, ab eiſdem ipſis incipimus demonſtrare: ut paullo ante definiuit genus, officium, finem, in arte ſcilicet rhetorica. Interdum, quo clarius rem definiamus, a genere incipimus eius rei, quam definimus: ſed a genere, quod ſibi finitimum ſit, non ualde remotum, ut nunc Cicero cum materiam artis rhetoricae demonſtraturus ſit, non a materiae

teriae definitione coepit, ſed a materia artis. Primum autem genus eſt materia. Materia porro in duas ſpe-
cies diuiditur. eſt enim materia artis, eſt non artis. rurſus materia artis diuiditur in artes plurimas, grammati-
cam, dialecticam, rhetoricam, aliaſq. multas. Ergo a materia artis, quae medio ſupra eſt incipit, ut definiat ma-
teriam artis rhetoricae. [*materiam*, inquit, *artis*] ut genus eſſet, non addidit [*rhetoricae*.] Verum, quod ait,
[*eam dicimus*] oſtendit artis omnem materiam in duobus eſſe, ideſt in eo, ubi facit aliquid; & in eo, unde facit.
utputa fabri materia eſt in eo. ubi facit, ideſt ferrum, quod tundit. eſt item fabri materia in eo, unde facit, ideſt
malleus, quo tundit. ita & medici materia eſt, ubi facit, morbus, ac uulnera: item unde facit, inſtrumenta qui-
bus curat. Sic & materia rhetoricae artis poteſt in eo eſſe, ubi facit, ideſt in deliberatione, demonſtratione iu-
diciali. Poteſt & in eo eſſe, unde facit, ideſt in argumentis, quaeſtionibus, & in reliquis materiae neceſſariis.
Verum Cicero generaliter materiam artis illam dicit, in qua omnis ars, & ea facultas, quae conficitur ex arte,
uerſatur, ideſt, ubi fit; nō, unde fit: ut medici materia ſit morbus, ac uulnera: fabri ferrum quod tundit. Rur-
ſus rhetoricae artis materia ſit deliberatio, demonſtratio iudicialis, non argumenta, & illa omnia, quibus ma-
teria rhetoricae artis impletur. Vnde quod ait [*in qua omnis ars, & ea facultas, quae conficitur ex arte, uerſatur,*]
Cum accipimus alicuius rei artem, neceſſe eſt nos aliquid ex ea conſequi. Quare id, quod ex arte conficitur, ut
ſupra docuimus, facultas dicitur. Cuncta enim per artem facilius tranſiguntur. H A S *autem res alij plures,
alij pauciores exiſtimauerunt.*] Eas res, ſcilicet in quibus materia artis rhetoricae conſiſtit. ſunt autem, ut Ari-
ſtoteli, & Ciceroni placet, tres, ideſt triplex materia, demonſtratiua, deliberatiua, iudicialis. itaque, quantum ad
materiam rhetoricae artis exſpectat, hoc plenum eſt. Iam, quidquid plus eſt, a pleno plus intelligitur. Quid-
quid minus a pleno, plenus intelligitur. Verum, quod plus eſt, dupliciter plus eſt, aut in eo, ubi modus eſt, aut
in infinito. Et ideo addidit praeter illud, quod dixit [*alij plures exiſtimauerunt.*] N A M *Gorgias*, inquit,
*Leontinus, antiquiſſimus fere rhetor, omnibus de rebus oratorem optime poſſe dicere, exiſtimauit. Hic infinitam, &
immenſam huic artificio materiam ſubiicere uidetur.*] Ergo illi, qui in pluribus rhetoricam materiā conſtituunt,
exhortationem, & conſolationem in rerum generibus ponunt, ideſt, in materia rhetorica. ſed, quia orator in
ciuili ratione uerſatur, conſolatio porro priuatorum eſt, conſolari amici eſt potius, quam oratoris. Deinde,
quia officium oratoris eſt perſuadere dictione, exhortatio, ſiue dehortatio ad materiam non pertinent orato-
ris. cum enim exhortor, nihil perſuadeo, ſed uolentem aliquid, ut magis uelit, inſtigo: & cum dehortor, no-
lentem aliquid, non tunc primum perſuadeo, ut nolit, ſed, ut magis nolit, inſtigo. Ergo neceſſario exhortatio-
nem, & conſolationem Tullius a materia rhetoricae artis ſeparauit. Item illi, qui res pauciores rhetoricae ma-
teriae tribuunt, demonſtrationem tollunt. dicunt enim, in demonſtratione nihil perſuadere oratorem, cum
re uera perſuadeat, ſed falſo. Nam, cum aliquem uituperamus, ſiue laudamus, ut apud omnes talis habea-
tur, qualem demonſtramus, ſine dubio perſuademus. Ergo Cicero Ariſtotelem ſecutus, triplicem materiam
eſſe dicit oratoris officij, demonſtratiuam, deliberatiuam, iudicialem. ſed has materias in publicis cauſsis con
ſtituit, hiſq. perſonas certas tribuit. quare has tres res definiuit in ciuili negotio poſitas, cum certae ſignifica-
tione perſonae. Demonſtratio eſt, inquit, certae perſonae, aut laus, aut uituperatio. Deliberatio eſt, inquit,
quae, poſita in publicis cauſsis, aſſertionis ſuae ſententiam dicit. Iudicialis eſt, inquit, quae in iudicio ciuili po-
ſita duo agit, aut accuſat, aut petit: contra, aut defendit, aut negat. *Nam Gorgias Leontinus, antiquiſſimus fere
rhetor*: Hic oratorem dixit omnibus de rebus optime poſſe dicere: qui (ut uidemus) a plano exceſsit, non
in id, quod habet modum, ſed in infinitum: denique hoc ipſe Cicero oſtendit, *Hic infinitam*, inquit, *& immen-
ſam huic artificio materiam ſubiicere uidetur.* A R I S T O T E L E S *autem, qui huic arti plurima adiumenta,
atque ornamenta ſubminiſtrauit,*] Duo, quae oratori maxime ſunt neceſſaria, Ariſtoteles circa ſcribendam
artem dedit, inuentionem, & elocutionem. adiumentum enim de inuentione uenit: ornamentum de elocu-
tione. hic ergo Ariſtotelis ſententiam ſequitur. Nam rhetorica, materiam triplicem conſtituit, demonſtra-
tiuam, deliberatiuam, iudicialem. N A M *Hermagoras quidem, nec quid dicat attendere, nec quid pollicea-
tur intelligere uidetur,*] Scimus Ciceronem materiam rhetoricae artis triplicem conſtituere; Iudicialem,
deliberatiuam, demonſtratiuam, hocq. etiam Ariſtoteli placuiſſe. Quare ſuperius reprehendit eos, qui ora-
tori infinitam materiam conſtituerant: reprehendit eos, qui addiderant exhortationem, & conſolationem,
reprehendit & eos, qui ſubtraxerant demonſtrationem. Nunc Hermagoram, quaeq. artis ſcripſit, confu-
tat, ac lacerat, dicitq. hunc uehementer erraſſe, quod materiam oratoris in duas partes diuidat, in cauſſam,
& quaeſtionem. quorum unum dicit eſſe oratoris officij, cauſſam ſcilicet: aliud longe ab oratore remotiſ-
ſimum, & nec ab ipſis philoſophis diligenter comprehenſum, ſcilicet quaeſtionem. *Nam Hermagoras qui-
dem, nec quid dicat attendere, nec quid polliceatur, intelligere uidetur*: Duobus modis reprehendit Hermago-
ram, quod non perſpexerit rei illius uim, quae omnino longe remota eſt ab oratoris officio, ideſt quaeſtionē.
& quod uideatur de ſe polliceri ea, quae oratori attribuit ad dicendum. Hoc quoque duobus modis reprehen
dit. Nam errauit, inquit, ſi nō quod omnis oraror, ſed quod ipſe poſsit ad materiam rhetoricae artis applicuit.
deinde, inquit, nec ipſe potuit. nam numquam ex arte illum dixiſſe omnes uidemus. Ergo, quoniam duo dixi-
mus, in Hermagora reprehendiſſe Ciceronem: quod rem non attenderit, quod multum de ſe uideatur eſſe pol
licitus: primo eum demonſtrat rem, quam oratori attribuerit non uidiſſe. ſed ante, quam id oſtēdamus, quid
ſit cauſſa, quid quaeſtio, uideamus.

CICERO

CICERO

CAVSSAM *eſſe dicit rem, quae habeat in ſe controuerſiam in dicendo poſitam cum perſonarum certarum interpoſitione: quam nos quoque oratori dicimus eſſe attributam. nam ei tres partes, quas ante diximus, ſupponimus, iudicialem, deliberatiuam, demonſtratiuam.*

EXPLANATIO

CAVSSAM *eſſe dicit, rem, quae habeat in ſe controuerſiam in dicendo poſitam cum perſonarum certarum interpoſitione:*] Cauſſam, inquit, hanc eſſe dicit controuerſiam in dicendi contentione poſitam cum certis perſonis. Quam, inquit, cauſſam nos quoque oratori dicimus eſſe attributam. Nam huic, inquit, cauſſae tria genera ſupponimus, *Iudiciale, Deliberatiuum, Demonſtratiuum*. Quaeſtionem porro hanc eſſe dicit, controuerſiam quidem in dicendo poſitam, ſed ſine certis perſonis: quae ſcilicet rhetorica dictio uocatur. Theſis porro duplex eſt, Theorice, & Practice. Theorice eſt, quae diuina cognoſcit. Practice, quae in hominum negotiis, & ciuili diſceptatione uerſatur. Ergo primo aſſerit Hermagoram, uim rei, quam oratori attribuat, non uidiſſe. nam Theſin, oratoris materiam non eſſe, perſuadet. quae cum duplex ſit, Theoricen magis exaggerat: nec paruis, aut leuibus quaeſtionibus, ſed infinitis, Veri ne ſit ſenſus, quae ſit mundi forma, quae ſit ſolis magnitudo. Sed quare, & Practicen Theſin poſuit, ideſt Ecquid ſit bonum, praeter honeſtatem? Theſin quidem Cicero materiam oratoris eſſe non dicit, illamq. Theoricen omnino remouet. Practicen autem Theſin dicit ab oratore tractari: ſed ut argumenti locum teneat, non materiae. Ergo ita tollit oratori Practicen Theſin, ut materia eius non ſit: liceat autem ei pro argumento proferre.

CICERO

QVAESTIONEM *autem eam appellat, quae habeat in ſe controuerſiam in dicendo poſitam, ſine certarum perſonarum interpoſitione, ad hunc modum: Ecquid ſit bonum praeter honeſtatem: Veri ne ſit ſenſus: Quae ſit mundi forma: Quae ſit ſolis magnitudo. quas quaeſtiones procul ab oratoris officio remotas, facile omnes intelligere exiſtimamus. Nam, quibus in rebus ſumma ingenia philoſophorum, plurimo cum labore conſumpta intelligimus, eas ſicut aliquas paruas res oratori attribuere, magna amentia uidetur. Quod ſi magnam in his Hermagoras habuiſſet facultatem, ſtudio, & diſciplina comparatam; uideretur fretus ſua ſcientia falſum quoddam conſtituiſſe de oratoris officio, &, non quid ars, ſed quid ipſe poſſet, expoſuiſſe. nunc uero ea uis eſt in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philoſophiam conceſſerit. neque eo dico, quod eius ars, quam edidit, mihi mendoſiſſime ſcripta uideatur: (nam ſatis in ea uidetur ex antiquis artibus ingenioſe, & diligenter electas res collocaſſe, & nonnihil ipſe quoque noui protuliſſe) uerum oratori minimum eſt, de arte loqui; quod hic fecit; multo maximum, ex arte dicere; quod eum minime potuiſſe, omnes uideamus. Quare materia quidem nobis Rhetoricae uidetur artis ea, quam Ariſtoteli uiſam eſſe dicimus.*

EXPLANATIO

ECQVID *ſit bonum in uita, praeter honeſtatem:*] Stoici dicunt honeſtatem ſolam bonum eſſe. Iam multi diſputant, utrum & utilitas bonum ſit, utrum & dignitas bonum ſit. VERI *ne ſint ſenſus:*] Vt Lucretius negat eſſe ueros ſenſus odoris, uiſus, tactus, ſaporis, auditus. QVAE *ſit ſolis magnitudo.*] Vtrum tantus ſit quantus uidetur, an maior, uel multo minor. QVAE *ſit mundi forma:*] Multi enim dicunt mundum in modum ſpherae eſſe collectum, multi oblõga rotunditate eſſe formatum, multi plana facie, multi quadrata, multi in camerae modum, ſcilicet ut ſub terra non ſit ſimilis, ac ſupra caput, eſt mundi facies. QVAS *quaeſtiones procul ab oratoris officio remotas, facile omnes intelligere exiſtimamus.*] Bene ait, *ab oratoris officio remotas*. Oratoris enim officium eſt, negotium ciuile tractare. Non tamen dixit ab oratore remotas. Poteſt enim orator, poſtquam proprio officio ſatisfecerit, etiam philoſophiae operam dare. NAM, *quibus in rebus ſumma ingenia philoſophorum plurimo cum labore conſumpta intelligimus,*] Quando aliquid negamus, aut tollimus: quare id facimus, demonſtrare debemus. ut nunc Cicero ab oratoris materia tollit Theſin, & probat ſe recte tollere. Nam, inquit, res illas, in quibus philoſophi ingenioſiſsimi magno cum labore uerſati ſunt, has oratori quaſi paruas partes applicare, dementiae eſt ORATORI ſcilicet, qui aegre ſuum quoque implet officium. QVOD *ſi magnam in his Hermagoras habuiſset facultatem,*] Oſtendit iam, Hermagoram quod primũ fuit, uim rei illius non uidiſſe, quam ad oratoris materiam; quaſi parum aliquid applicuerat. Nunc illud aliud tractat, nec quid polliceatur, intelligere uidetur. & oſtendit, primo non recte eum feciſſe, ſi ex eo, quod ipſe poſſet, in ceteros praecepta conſtituerit. *Quod ſi*, inquit, *magnam in his Hermagoras habuiſſet facultatem, ſtudio, & diſciplina comparatam; uideretur fretus ſua ſcientia falſum quiddam conſtituiſse de oratoris officio.* Deinde illud nihil potuiſſe confirmat. Simulq. illi & rhetoricam, & philoſophiam tollit. Practice enim, rhetorice eſt: theorice, philoſophia. *Nunc uero*, inquit, *ea uis eſt in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philoſophiam conceſserit. Quod ſi magnam in his rebus Hermagoras habuiſset facultatem, ſtudio, & diſciplina comparatam;*] Oſtendit, quibus rebus facultatem totius ſcientiae conſequatur: *ſtudio*, inquit, *& diſciplina*. Studium eſt animi conſenſus ad aliquid. Diſciplina eſt praecepta, quibus acceptis, id, quod deſideramus,

mus,implemus. itaque ſtudium in nobis eſt,praeceptum extra nos,ſed ad nos. NEQVE *eo dico, quod eius ars, quam edidit,mihi mendoſiſſime ſcripta uideatur*: Ea uis eſt, inquit, in Hermagora, ut ei citius quiuis adimat rhetoricam, quam philoſophiam concedat. Sed non, inquit, ideo hoc dixi, quo mihi ars eius, quam edidit, mendoſiſsime ſcripta uideatur. Iam cum ait [*non mendoſiſſime*] non negat mendoſe. Et, quoniam dixit aliquid eſſe in eius artibus, quod ſit probandum, quippe quae non mendoſiſsime ſcriptae ſunt, ait cum multa ex antiquis artibus collegiſſe, ut ſi quid forte probabile eſt, alienum ſit. Deinde quam aſtute ibi Hermagorae dat ingenium, & diligentiam, ubi ſibi de alienis multa conquirit. Alioquin ubi propria eius inuenta perſcribit, nihil illi horum dat, quinimmo multa tollit, cum ait, *Et nonnihil ipſe quoque noui protuliſſe*. VERVM *oratori minimum eſt, de arte loqui; quod hic fecit; multo maximum, ex arte dicere; quod eum minime potuiſſe facere, omnes uidemus*.] Orator duo habere debet,ut artem tradat dicendi,ut ipſe ex arte dicat. ſed officium eius,hoc uerum eſt,ut ex arte dicat. Illud autem accidens, ut artem dicendi tradat, quod rhetoris officium ſolum eſt. Ergo non quidem mihi Hermagoras uidetur mendoſiſsime artes ſcripſiſſe: ſed oratori maximum illud eſt,non,ut artem tradat: quod rhetoris proprium eſt: ſed,ut ex arte dicat,quod oratori maxime eſt neceſſarium. Tollit ergo Hermagoram exercitationem ex arte dicendi, *Quod eum*, inquit, *minime potuiſſe,omnes uidemus*. *Minime*,inquit, *potuiße*. nec hoc illi dat,ut quomodocumque potuerit. Ergo,ſi nec ſapiens fuit,nec dicendi peritus: recte,nec quid dicat, attendere, nec quid polliceatur, intelligere uidetur. Orator enim uir bonus eſſe debet,& dicendi peritus. Deinde concluſio: quae coniuncta Hermagorae,& refutata ſententia. Supereſt,ut materiam rhetoricae illam, quae & Ariſtoteli placuit, conſtituamus, triplicem ſcilicet: Iudicialem,deliberatiuam, demonſtratiuam.

C I C E R O

PARTES autem hae ſunt, quas plerique dixerunt, inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio. Inuentio eſt, excogitatio rerum uerarum, aut ueriſimilium, quae cauſſam probabilem reddant. Diſpoſitio eſt, rerum inuentarum in ordinem diſtributio. Elocutio eſt, idoneorum uerborum ad ſententiarum inuentionem accommodatio. Memoria eſt, firma animi rerum, ac uerborum ad intentionem perceptio. Pronunciatio eſt, ex rerum, & uerborum dignitate,uocis, & corporis moderatio.

E X P L A N A T I O

PARTES *autem hae ſunt,quas plerique dixerunt,*] Meminimus de arte extrinſecus quinque res Ciceronē ſe ſpopondiſſe dicturus, *De genere artis rhetoricae,de officio,de fine,de materia,de partibus*. Itaque,quoniam quattuor res explicatae ſunt,hoc extremum eſt,ut de partibus diſſeramus. Partes ſunt hae, inquit, quas plerique dixerunt. multa Cicero ab alis recte in artibus poſita ſecutus eſt, ut paullo ante,Ariſtotelis ſententiā ſecutus,triplicem materiam rhetoricae artis eſſe dixit, Iudicialem, deliberatiuam, demonſtratiuam. itaque & nunc artes,inquit,quas plerique dixerunt. alij enim partes ſeptem, multi quattuor, ſed plerique quinque eſſe dixerunt. eorum & ſententiam Cicero ſecutus,quinque partes eſſe confirmat. *Inuentio, diſpoſitio,elocutio,memoria, pronunciatio*.] Inuentionem eſſe dicit ad negotij fidem,aut uerarum rerum, aut ueriſimilium excogitationem. ſed orator in ueriſimilibus maxime uerſatur. Duo enim ſunt genera argumentorum: neceſſarium, & probabile. neceſſarium ueris in rebus eſt,probabile in ueriſimilibus. Diſpoſitionem dicit eſſe, ut inuenta locis neceſſariis per ordinem diſponamus. Elocutionem porro in duobus ponit,in idoneis uerbis,& in ſentētiis,ſcilicet ne in uerbis ſingulis barbariſmus ſit,ne in pluribus ſoloeciſmus. deinde,ſiue uerba, ſiue ſententias, ut competenter inuentionibus diſpoſitis applicemus. Memoriam uero illam eſſe dicit, ut circa inuentiones retinendas argumenta,uel uerba firmiter concepta teneamus. ergo dicentis haec,memoria eſt, non legentis. Deinde *Pronunciatio eſt*,inquit,*eſt rerum, & uerborum dignitate, uocis, & corporis moderatio*. ideſt,ut rem magnam dicturus,pompam,& corporis,uociſq. perpendas,ut rem humilem dicturum, haec eadem moderatius oſtentes. Pronunciatio ergo,in duobus eſt: in uoce, & in corpore. Corpus uero duo habet, motum ſui, & multum. quo ſcilicet ad negotium compoſitum ſaepe rebus addimus,aut detrahimus dignitatem.

C I C E R O

NVNC, his rebus breuiter conſtitutis, eas rationes, quibus oſtendere poſſimus genus, & officium, & finem huius artis, aliud in tempus differemus. nam & multorum uerborum indigent, & non tantopere ad artis deſcriptionem, & praecepta tradenda pertinent. Eum autem, qui artem Rhetoricam ſcribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis, ac partibus, ſcribere oportere exiſtimamus. Ac mihi quidem uidetur coniuncte agendum de materia, ac partibus. quare inuentio, quae princeps eſt omnium partium, potiſſimum in omni cauſſarum genere, qualis debeat eße, conſideretur.

E X P L A N A T I O

NVNC *his rebus breuiter conſtitutis,eas rationes,quibus oſtendere poſſimus genus,& officium,& finem huiuſce artis rhetoricae,in aliud tempus deferemus*.] Iam quinque res, quas ſe de arte extrinſecus dicturum eſ-

ſe

ſe promiſerat, exſecutus eſt. oſtendit enim, quod eſſet genus artis rhetoricae, quod officium, qui finis, quae materia, quae partes. quibus omnibus cognitis, ſcimus tantum, quid ſint, nihil tamen nobis ad actus proſunt. harum tres res ſemper in ſola ſcientia ſunt, ideſt genus, officium, finis. & ideo ſe alio tempore de his dicturum eſſe promittit: ad praecepta enim artis rhetoricae minime pertinent, ut ipſe ait. nam & uerborum multorum indigent: quippe de his eſt longa diſputatio, & non tantopere ad artis deſcriptionem, & praecepta pertinent. Verum de duabus rebus dicturus eſt, de materia, ac partibus, quae iam dudum, tantū, ut ſciremus quid eſſent, edocuit. Nunc in his praecepta dat, ſcilicet ut harum rerum non ſolum ſcientiam, ſed etiam actus habeamus. Ergo oſtendit, eum, qui artē rhetoricam ſcribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis, ac partibus ſcribere oportere exiſtimamus. A C *mihi quidem uidetur coniunctim agendum de materia, ac partibus.*] Recte ait coniuncte agendum. partes enim ſine materia eſſe non poſſunt. niſi enim controuerſiam, aut deliberatiuam, aut demonſtratiuam, aut iudicialem dicamus, quae materiae ſunt: inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciatione, quae partes ſunt, uti non poſſumus. coniuncte ergo agendum eſt de materia, ac partibus. Ita oſtēdit primo quod eſſet genus artis rhetoricae, quod officium, qui finis, quae materia, quae partes. ex his tria in aliud tempus diſtulit, ideſt genus, officium, finem. atque ideo de duobus reliquis, quae ad praecepta pertinent, ſe ait eſſe dicturum, de materia ſcilicet, ac partibus. Partes porro quinque ſunt: inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio. harum ſolam inuentionem in duobus libris tractat, & in hanc praecepta tradit. Pauca etiam de elocutione commemorat. Reliqua uero ne contingit quidem, ideſt diſpoſitionem, memoriam, pronunciationem. Ergo, quoniam de ſola inuentione dicturus eſt, & quia in omni cauſſarum genere inuentio plurimum ualet, incipit de inuentione tractare.

C I C E R O

OMNIS *res, quae habet in ſe poſitam in dictione, aut diſceptatione aliquam controuerſiam, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis continet quaeſtionem.*

E X P L A N A T I O

OMNIS *res, quae habet, &c.*] Ut diximus, tractatus incipit inuentionis. & primum hoc debemus ſcire compendium, quod omnis inuentio quinque locis conſtat. Debemus enim primo cōſiderare, quae ſit conſtitutio. Deinde, ſimplex ne ſit cauſa, an duplex. Tertio, ſcripti, an rationis. Quarto, quae ſit cauſſae quaeſtio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamentum. Quincto, ut omnis cauſſae partes nobiſcum pertractemus. deinde partes orationis, principium, narratio, diuiſio, confirmatio, reprehenſio, confutatio, concluſio. Ergo, ut ſe ordo habet, primum de conſtitutione dicemus. Hoc tamen animaduertamus, quod Cicero hos quattuor ſtatus rationales, conſtitutiones uocet: atque hos ſemper in omnibus negotiis dicat eſſe principales, ideſt coniecturam, finem, qualitatem, tranſlationem. hos ergo, conſtitutiones appellauit. illos autem alios legales, non conſtitutiones, ſed ſtatus uocat: nec umquam horum aliquem principalem dicit eſſe poſſe. Sed, ut originem ſtatuum melius noſſe poſsimus, formam ſimilitudinis attendamus. Omnis conſtitutio ſic eſt, ut adſpectus. aut enim aliquid uidere uolumus, nec uidemus: & eſt cōiectura. aut cum uidemus aliquid, & quaerimus quid ſit: & eſt finis. aut cum uidemus quid ſit, & quaerimus quale ſit: & eſt qualitas. Tranſlatio porro ab hac ſimilitudine uidetur eſſe remota. Igitur conſtitutionem eſſe dicit, quaeſtionem, ex qua cauſſa naſcitur. Quaeſtio eſt uox intentionis, & negationis, ideſt feciſti, non feci, aut iure feci. in hac ergo quaeſtione ſemper ſit, neceſſe eſt, conſtitutio. cauſſa eſt uero quae naſcitur ex quaeſtione, ideſt an fecerit, an recte fecerit. Hoc tamen tenere debemus, quo a Cicerone & cauſſa, & quaeſtio ad eandem ſignificantiam profertur. ut nunc cauſſam pro quaeſtione, nunc quaeſtionem pro cauſſa ponat. Itaque conſtitutio facile inueniri poteſt, ſi extremam partem thematis attēdamus. in qua cum intentionem ex noſtra perſona propoſuerimus, debemus attendere, quid ad intentionem competenter reſponderi poſsit: tunc in reſponſione cōſtitutionem neceſſe eſt inueniri. *Omnis res, quae habet in ſe poſitam in dictione, ac diſceptatione aliquam controuerſiam:* Recte in dictione, ac diſceptatione. ſunt enim multae controuerſiae non dictione, ut opificum. Verum, quod ait, *Quae habet in ſe poſitam in dictione, aut diſceptatione aliquam controuerſiam:* dictio poteſt eſſe demonſtratiua materia. diſceptatio uero deliberatiua, & iudicialis. deinde dictio poteſt eſſe narratiouis, ut ipſe ait, Dicendo explananda ſunt omnia. Diſceptatio uero quaeſtionis. ibi enim totius controuerſiae pugna uerſatur. Ergo, quaecumque res poſita in dictione, ac diſceptatione facit alquam controuerſiam, neceſſe eſt habeat quaeſtionem, ideſt conſtitutionem, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis. & primum rebus indicat quaeſtiones, ſiue conſtitutiones. poſt his dabit nomina, partim ex rebus ſumpta, partim ex modo actionis. Itaque nūc rebus indicat cōſtitutionis, cum ait, In omni cōtrouerſia, aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis quaeſtionem eſſe oportere. de his enim rebus ſit quaecumque controuerſia, neceſſe eſt. Sed, ante quam nomina det conſtitutionibus, definit, quid ſit conſtitutio, uel unde naſcatur. Quaeſtionem, inquit, ex qua naſcitur cauſſa, hanc conſtitutionem uocare debemus. quaeſtionem porro eſſe diximus uocem utriuſque partis, ideſt Feciſti, non feci. uel recte feci. cauſſam uero illam, an iuſte fecerit. uel hoc etiam diximus, quod Cicero, idem uelit quaeſtionem eſſe, quod cauſſam, & quod his circa eandem ſignificantiam communiter utatur. Denique ſtatim demonſtrabit ſe his uti communiter.

CICERO

CICERO

EAM *igitur quaeſtionem, ex qua cauſſa naſcitur, conſtitutionem appellamus. Conſtitutio eſt prima conflictio cauſſarum, ex depulſione intentionis profecta, hoc modo: Feciſti, non feci, aut iure feci. Cum facti controuerſia eſt, quoniam coniecturis cauſſa firmatur, conſtitutio coniecturalis appellatur. Cum autem nominis, quia uis uocabuli definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua nominatur. Cum uero qualis ſit res, quaeritur, quia & de ui, & de genere negotij controuerſia eſt, conſtitutio generalis uocatur. At, cum cauſſa ex eo pendet, quod non aut is agere uidetur, quem oportet; aut non cum eo, qui cum oportet; aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet; tranſlatiua dicitur conſtitutio: quia actio tranſlationis, & commutationis indigere uidetur. Atque harum aliquam in omne cauſſae genus incidere neceſſe eſt. nam in quam non inciderit, in ea nihil eſſe poterit controuerſiae. quare eam nec cauſſam quidem conuenit putari.*

EXPLANATIO

EAM *igitur quaeſtionem, ex qua cauſſa naſcitur,*] Hic primam fecit quaeſtionem. Deinde ubi oſtendit quid ſit conſtitutio, ait, CONSTITVTIO *eſt prima conflictio cauſſarum,*] Incipit conſtitutionibus nomina dare. CVM *facti,* inquit, *controuerſia eſt,*] Idem debemus facta intelligere, quod dicta. Vt enim utrũ aliquid factum ſit, quaeritur: ita & utrum aliquid dictum ſit, poteſt quaeri. quare huic conſtitutioni quoniam incerta, & nõ apparẽtia cõiecturis, uel ſuſpicionibus indagantur, recte coniecturae nomen impoſuit. alij hanc cõſtitutionem realẽ uocauerunt, quod in ea, quaeratur utrũ res, de qua agitur, facta eſſe uideatur. alij *ςαδιακὸν* Graeco uocabulo quidẽ, quod in ea de incerto inueſtigãdo maximũ certamen habeatur. unde, & ſtadium dicitur, quod ibi exerceantur certamina. Sed Cicero conſtitutioni huic ex modo actionis nomen impoſuit. in hac autẽ conſtitutione modus actionis hic eſt, quod res coniecturis quaeritur. ideo ergo coniecturam uocauit. CVM *autem nominis, quia uis uocabuli definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua nominatur.*] Nominis, inquit, eſt, controuerſia, cum de facto conſtat, ſed quaeritur, quo id factum nomine appelletur. atque ideo quoniã facti uocabulum, pro neceſsitate ſuſcepti negotij, nobis appoſita definitione nudandum eſt, conſtitutio definitiua nominatur. huic quoque cõſtitutioni nõ ex re, ſed ex modo actionis nomẽ impoſuit. res eſt enim huius cõſtitutionis nominis ambiguitas. modus actionis eſt, nominis definitio. Recte ergo huic cõſtitutioni non ex re, ſed ex modo actionis nomen impoſuit. CVM *uero qualis res ſit, &c.*] Et ſupra oſtendimus, cum de genere artis rhetoricae diſputaremus, genus in triplici ſignificatione cõſiſtere: eſſe genus ſanguinẽ: eſſe genus, ſub quo ſimilia multa teneantur: eſſe genus qualitatẽ, id eſt quo unius cuiuſque rei qualitas indicetur. Ergo, inquit, cũ & de facto, & de nomine conuenit, ſed quaeritur, quale ſit id, quod in iudicio uerſatur, quoniã de genere negotij controuerſia eſt, conſtitutio generalis uocatur, qualitas ſcilicet. Verum huic conſtitutioni non ex modo actionis, ut ſuperioribus duabus, & poſt quartae: ſed ex re, id eſt negotio nomen impoſuit. hic enim res illa eſt, qnod de negorij genere, uel qualitate quaeritur. itaque ex re huic conſtitutioni nomen impoſuit, ut generalis uocetur, id eſt qualitas. AT *cum,* inquit, *cauſſa, ex eo pendet, &c.* Cum, inquit, talis fuerit cõtrouerſia, ut in hoc ſit tota contentio, cum aut ab alio nos accuſari debere dicimus: aut non nos, ſed, alios accuſari: aut non apud hos, ſed illos: non hac lege, ſed illa: non hoc crimine, ſed illo: non hac poena, ſed illa: quoniam in his omnibus de tranſlatione actionis controuerſia eſt, conſtitutio tranſlatiua nominatur. Huic quoque conſtitutioni ex modo actionis nomẽ impoſuit. agitur enim, ut actio transferatur. Verũ, quod ait, Non hoc crimine, ſed illo: nonne & in fine, cum quaeritur, utrũ fur an ſacrilegus ſit, id quaeritur, quonã magis crimine accuſandus ſit? Sed hoc intereſt, quod in fine crimina utraque iunguntur. Non. n. cũ ſacrilegũ dico, furẽ nego. in tranſlatione uero uno eſt accuſandus crimine, ſiue illo, quod intendimus, ſiue illo, ad quod reus transferri poſtulat actionem. ATQVE *harum aliquam in omne cauſſae genus*] Siue, inquit, in iudiciali, ſiue in deliberatiua, ſiue in demõſtratione neceſſe eſt, aut coniecturalẽ, aut finiriuã, aut generalẽ, aut tranſlatiuã incidere conſtitutionẽ. Vbi, inquit, harũ nulla fuerit inuẽta, ibi nulla eſt controuerſia. quare nec cauſſa eſſe iudicãda eſt. Si enim cõſtitutio nulla eſt, unum latus recedat oportet. id enim conſtat. qnod utrinque latere cõcurrente fulcitur. igitur, ſi conſtitutio non erit, nec cauſſa eſſe iudicanda eſt. eſt enim aſyſtata controuerſia.

CICERO

AC *facti quidem controuerſia in omnia tempora poteſt diſtribui. nã & quid factũ ſit, poteſt quaeri, hoc modo: Occiderit ne Aiacẽ Vlixes. Et quid fiat, hoc modo: Bono ue animo ſint erga populũ R. Fregellani quid futurũ ſit, hoc modo: Si Carthaginem reliquerimus incolumen, numquid ſit incommodi ad rempublicam peruenturum.*

EXPLANATIO

AC *facti quidem controuerſia in omnia tempora poteſt diſtribui.*] Nunc poſtquam conſtitutiones, & rebus, & nominibus indicauit, ut has manifeſtius cognoſcere poſsimus, iiſdem ſtatibus exempla ſupponit. Ac facti quidem cõtrouerſia, inquit, in omnia tempora diuiditur. Et ſupra diximus, cũ de facto ſit quaeſtio, coniecturam uocari. Ergo huic coniecturae tria tempora aſsignat, præteritum, praeſens, futurum. quod quidem exemplis docet. Sed hoc ſcire debemus, nullam rem in iudicium, id eſt in iudiciale genus, cadere poſſe, niſi de

praeterito. Omnia enim argumenta non de futuris, quae incerta ſunt, ſed de praeteritis colliguntur. itaque coniectura quamquam habeat tria tempora, tamen principalis eſſe non poteſt, niſi de praeterito ſit. de praeſenti uero, uel de futuro incidere poſſunt poſt ſtatum alium principalem. Ergo nec hanc coniecturā principalem eſſe poſſe credamus. BONO *ne animo ſint erga populum Romanum Fregellani*. In hoc themate demonſtratio continetur. nam deſcribendi nobis ſunt Fregellani, qui ſemper uidebantur aduerſi. Ita & quod ait, SI *Carthaginem reliquerimus incolumem, num quid ſit incommdi ad rempublicam peruenturum.*] Et hic deliberatiua poteſt eſſe. Deliberat ſenatus, an Carthagini parcat. ergo nihil in iudicium niſi de praeterito cadit.

CICERO

NOMINIS controuerſia eſt, cum de facto conuenit, & quaeritur id, quod factum eſt, quo nomine appelletur. Quo in genere neceſſe eſt ideo nominis eſſe controuerſiam, non quod de re ipſa non conueniat, non quod de facto non conſtet, ſed quod id, quod factum ſit, aliud alij uideatur eſſe, & iccirco alius alio nomine id appellet. Quare in huiuſmodi generibus definienda res erit uerbis, & breuiter deſcribenda, ut, ſi quis ſacrum ex priuato ſurripuerit, utrum fur, an ſacrilegus ſit iudicandus. Nam id cum quaeritur, neceſſe erit definire utrumque, quid ſit fur, quid ſacrilegus, & ſua deſcriptione oſtendere alio nomine illam rem, de qua agitur, appellari oportere, atque aduerſari dicunt.

CICERO

NOMINIS *controuerſia eſt, cum de facto conuenerit; & quaeritur id, quod factum ſit, quo nomine appelletur. Quo in genere neceſſe eſt, &c.*] Nunc de fine tractat. Cum nominis, inquit, eſt controuerſia, id eſt, cum quaeritur quo id factum eſt, nomine appelletur. uerum, cum de nomine ambigitur, & de re neceſſe eſt ambigatur. nomē enim rei eſt. res uero numquam ſine nomine eſt. quare, cum de nomine dubitatio eſt, de re quoque dubitetur neceſſe eſt. Ergo definitiuus ſtatus huiuſmodi eſt, cum de facto conſtat, & de re, uel nomine controuerſia eſt. Inter factum enim, & rem hoc intereſt: Res eſt certam ſui formam, & ſpeciem circa cognitionem retinens. Ergo, ſi ſpecies rei nota eſt, nomen quoque notum ſit neceſſe eſt. Factum eſt confuſum quiddam, & incertum, hoc ſolo certum, quod ſcitur, quid factum eſt. in Fine itaque factum conſtat, ſed res non conſtat. & quia rei nomen ſemper adiunctum eſt, ideo de nomine controuerſia eſt. Quod, inquit, nomen breuiter nobis definiendum eſt, & contra atque aduerſarius dicat, deſcribendum. Et dat exemplum, VT *ſi quis ſacrum ex priuato ſurripuerit, utrum fur, an ſacrilegus ſit iudicandus.*] Factum conſtat. nam ſacrū ex priuato conſtat eſſe ſublatum. de nomine incertum eſt, utrum ille fur, an ſacrilegus iudicetur. quare definitionibus noſtris nomen illi aliud, quam aduerſarij uolunt imponere debemus. DEFINIENDA *res erit uerbis, & breuiter deſcribenda,*] Ad unum quidem utrumque tendit. ſed, quia multimodae ſunt definitiones, uideamus interim, quid interſit inter definitionem, & deſcriptionem. Definitio talis eſt: homo eſt animal rationale, bipes, riſus capax. Deſcriptio uero talis eſt: homo eſt, qui rectum uerticem rotundo capite attollit, cuius ſunt ſub collo humeri, brachiaque demiſſa, & cetera, in hunc modum: ſed, ut ipſe ait, breuiter deſcribenda. Ergo, quoniam de fine tractauimus, nunc quoque, quid tractetur de Qualitate, uideamus.

CICERO

GENERIS eſt controuerſia, cum, & quid factum ſit conuenit, & quo id factum nomine appellari oporteat, conſtat, & tamen, quantum, & cuiuſmodi, omnino quale ſit, quaeritur, hoc modo: Iuſtum an iniuſtum, utile an inutile, & omnia, in quibus, quale ſit id, quod factum eſt, quaeritur, ſine ulla nominis controuerſia. Huic generi Hermagoras partes quattuor ſuppoſuit, deliberatiuam, demonſtratiuam, iuridicialem, negotialem. quod eius, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendum uidetur, uerum breui; ne aut, ſi taciti praeteriremus, ſine cauſſa non ſecuti eum putemur; aut, ſi diutius in hoc conſliterimus, moram, atque impedimentum reliquis praeceptis intuliſſe uideamur.

EXPLANATIO

GENERIS *eſt controuerſia, cum, & quid factum ſit, conuenit,*] Tulit coniecturam. deinde cum ait, ET *quo id factum nomine appellari oporteat, conſtat,*] Tulit finem. Ergo ſupereſt, ut quale, uel quantum ſit id, quod factum eſt, uideamus, & dat exemplum, Vtrum iuſtum, an iniuſtum ſit: utrum utile, an inutile ſit. Quod cum quaeritur, non nomen rei, ſed rei qualitas, quaeritur, & ideo qualitas appellata eſt. Incipit Hermagoram reprehendere, qui demonſtrationem, & deliberationem ſub qualitate conſtituerit. HVIC *generi Hermagoras partes quattuor ſuppoſuit,*] Reprehendit (ut diximus) Hermagoram, quod demonſtrationē, & deliberationē ſub qualitate poſuerit: cum ipſa qualitas, id eſt conſtitutio generalis, ſub deliberatiua, & demonſtratiua ſit. de qua re in conſequentibus latius diſputabitur. QVOD *eius, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendū uidetur,*] Ait Hermagorae peccatum ſe debere reprehendere, & id breuiter. Ne ſi, inquit, taceamus, quod primum eſt, Hermagorae artes approbare uideamur: & quare eiuſdem artes non ſimus ſecuti, cauſſas dare nequeamus.

nequeamus. Deinde, inquit, ne, ſi latiſsime Hermargorae peccatum perſequi uoluerimus, quod quidem eſt tertium, inquit, noſtris praeceptis moram uideamur afferre. ſed, quod medium eſt, de peccato Hermagorae breuiter diſputauimus,

CICERO

SI deliberatio, & demonſtratio genera ſunt cauſſarũ, non poſſunt recte partes alicuius generis cauſſae putari. eadem enim res alij genus eſſe, alij pars poteſt, eidem genus eſſe & pars non poteſt. Deliberatio autem & demonſtratio, genera ſunt cauſſarum. nam aut nullum cauſſae genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale, & demonſtratiuum, & deliberatiuum. nullum dicere cauſſae eſſe genus, & cum cauſſas eſſe multas dicat, & in eas praecepta det, amentia eſt. unum autem iudiciale ſolum eſſe qui poteſt? cum deliberatio, & demonſtratio neque ipſae ſimiles inter ſe ſint, & ab iudiciali genere plurimum diſſideant, & ſuũ quaeque finem habeat quo referri debeat. Relinquitur ergo, ut omnia tria genera ſint cauſſarum. Deliberatio igitur, & demonſtratio non poſſunt recte partes alicuis generis cauſſae putari. Male igitur eas generalis conſtitutionis partes eſſe dixit. Quod ſi generis cauſſae partes non poßunt recte putari, multo minus recte partis cauſſae partes putabuntur.

EXPLANATIO

SI *deliberatio, & demonſtratio*] Quaeſtio haec eſt, quod non recte Hermagoras deliberationem, & demonſtrationem ſub qualitate poſuerit. Cicero ergo ait non recte deliberationem, & demõſtrationem ſub qualitare poſitas, quia genera cauſſarum ſunt. quod ſi genera cauſſarum eſſe Hermagoras fuerit confeſſus, ſine dubio non haec debuit ſub qualitate ponere. ſin negauerit, docebit Cicero genera eſſe cauſſarum. igitur male Hermagoras demonſtrationem, & deliberationem ſub qualitate collocauit. Ac primo per condicionalem quaeſtionem, ideſt hypotheticam ingreditur propoſitionem. vbicumque enim [*ſi*] eſt ſub quadam condicione, propoſitio eſt. Si, inquit, hoc eſt: illud non eſt. hoc autem eſt: igitur illud non eſt. Ita & hic, Si deliberatio, inquit, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum, non poſſunt recte partes alicuius generis cauſſae putari. Genera autem cauſſarum ſunt. igitur generis cauſſae partes eſſe non poſſunt. Et docet genera eſſe cauſſarum. Primum igitur ponamus genus cauſſae. Secundum partes generis cauſſae, id eſt coniecturam, finem, qualitatem, tranſlationem. Tertium ſit illud quidquid qualitati ſubiicitur, ubi Hermagoras delibetationem, & demonſtrationem conſtituit. Ergo Cicero primum dicit deliberationem, demonſtrationem, quia prima ſunt, ſecunda eſſe non poſſe. quod ſi ſecunda non ſunt, multo minus tertia eſſe poſſe. quod Hermagoras conſtituiſſe conſpicitur. Itaque meminiſſe debemus, Ciceronem de duobus tractare, id eſt de primo, & ſecundo, ſcilicet de genere cauſſae, & partibus generis. Si, inquit, deliberatio, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum, non recte partes generis cauſſae putari, id eſt conſtitutiones. quod cum docet conſtitutiones eſſe non poſſe, multo magis uidentur partes conſtitutionis eſſe non poſſe. EADEM *enim res alij genus eße, alij pars poteſt: eidem genus eſſe, & pars non poteſt*. Ariſtoteles ait, res omnes, quae in dictis & factis, & in omni mundo aguntur, decem eſſe, quarum rerum nomina ponemus. Prima ſnbſtantia eſt: deinde quantitas, & qualitas, ad aliquid, ubi, quando, ſitus, habere, facere, pati. Graecis autem uocabulis ſic uocantur, οὐσία, ποσότης, ποιότης, πρός τι, ποῦ, πότε, θέσις, ἔχειν, ποιεῖν, πάσχειν. Harum prima, ut diximus, ſubſtantia uocatur. reliquae nouem in ſubſtantia ſunt, quae accidentes uocantur. utputa membrana, ſubſtantia eſt. accidunt autem ei crocum, ſcriptura, & cetera. cum interea, & ſubſtantia, res ſit; & ea, quae accidunt, res ſint. Nunc ad id, quo de nunc agitur, reuertamur. Eadem enim res, inquit, alij genus eſſe, alij pars poteſt. hic rem ſubſtantiam illam ponamus: quae dum ſola eſt, patet omnibus accidentibus. ſed, cum ab uno accidentī fuerit occupata, iam in ſe accidens, aliud non admittit. Vtputa lana alba, res eſt, ſubſtantia. haec res patet multis accidentibus. poteſt enim lana illa, aut roſea fieri, aut ueneta, aut nigra. Sed, ſi colorem unum in ſe ſuſceperit, iam in ſe colorem alium non admittit. Similiter, & homo ſubſtantia eſt. poteſt autem id, quod homo eſt, nunc ſeruus eſſe, nunc dominus. ſed, poſtquam dixeris dominum, in eo, quod dominus eſt, eſſe & ſeruus non poteſt. aut cum dixero ſeruum, in eo, quod ſeruus, & dominus eſſe non poteſt. ita ergo & hic, deliberatio, & demonſtratio res eſt, ſed illa ſubſtantia, quae quamdiu ſola eſt, patet accidentibus, id eſt generi cauſſae, & cauſſae partibus. Ita, quamdiu in incerto ſunt, genus alij, alij partes eſſe poſſunt. cum uero generis nomen acceperint, in eo, quod genus ſunt, & partes eſſe non poſſunt. Hoc eſt, quod ait. Eidem genus eſſe, & pars non poteſt. Ergo genus generis pars eſſe non poteſt, multo minus partis generis partes putabuntur. DELIBERATIO *autem, & demonſtratio genera ſunt caußarum.*] Id quod primo dubie propoſuit, aſſumpſit ſine dubitatione. neque enim dicit, ſi deliberatio: ſed, deliberatio autem, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum. Et id triplici argumentatione conuincit, ſcilicet demonſtrationem, & deliberationem genera eſſe cauſſarum. NAM *aut aullum, inquit, cauſſae genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale, & demonſtratiuum, & deliberatiuum.*] Id eſt, aut nullum cauſſae genus eſt, aut unum, aut tria. duo enim propterea non dixit, quoniam deliberatio, & demonſtratio quamquam inter ſe diuerſa ſunt, ſimul tamen, aut in generibus cauſſae ponuntur, & fiunt tria genera cauſſae: aut ſimul tolluntur, & remanet unum, id eſt iudiciale ſolũ. ergo tollit duo, id eſt nec unum eſſe, nec nullum, ut id, quod reliquũ eſt, approbetur. Nullum, inquit, cauſſae genus eſſe, non poteſt dicere. nam, qui artes ſcribit, multasq. dicit eſſe cauſſas, nullam non poteſt dicere. tulit rẽ unã, deinde unum iudiciale ſolum eſſe non poteſt dicere. propterea quod & deliberatio, & demõſtratio

genera ſunt cauſſarum. nam & inter ſe diuerſa ſunt, & ab iudiciali multum ſeparata. Id porro, quod diuerſum eſt, tunc omnino diuerſum eſt, ſi inter ſe & rebus, & exitu diſtet. Atque, ut rationes ex ſimilibus colligamus, res eſt lectio, exitus intellectus. Ergo haec tria genera cauſſarum re inter ſe diſtant. aliud enim agitur in demonſtratione, aliud in deliberatione, aliud in iudiciali. Rerum quoque exitus diſpar eſt. nam demonſtrationis finis eſt honeſtas, deliberationis utilitas, iudicialis aequitas. Quod ſi haec tria inter ſe & re, & exitu diſtant, profecto genera cauſſarum conſtitui debebunt. non ergo recte deliberationem qualitatis partes eſſe dixit. In his autem hucuſque diſputauimus, uideamus quinquepartitum ſyllogyſmum: ac primum quaeſtionem, de qua agitur conſtituamus. Haec autem eſt quaeſtio, quod non recte Hermagoras deliberationem, & demonſtrationem ſub qualitate poſuerit. Si deliberatio, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum, non poſſunt recte partes alicuius generis cauſſae putari. hoc primum eſt. Eadem enim res alij genus eſſe, alij pars poteſt: eidem genus eſſe, & pars non poteſt. hoc ſecundum eſt. Deliberatio autem & demonſtratio genera ſunt cauſſarum. hoc tertium eſt. Nam aut nullum cauſſae genus eſt, aut ſolum iudiciale, aut & iudiciale, & deliberatiuum, & demonſtratiuum. hoc quartum eſt. Relinquitur ergo, ut omnia tria genera ſint cauſſarum. haec cōcluſio eſt. Videamus ergo illum, quem promiſimus ſyllogiſmum quinquepartitum, Si deliberatio, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum, non poſſunt recte partes alicuius generis cauſſae putari. Haec, propoſitio eſt. & quia neceſſe eſt exprimi confeſsione, ſecundum quoque in confeſsionem uenire. Propoſitio nobis approbanda atque adiungenda eſt. atque ideo Cicero approbat propoſitionem. Eadem enim res, inquit, alij genus eſſe, alij pars poteſt: eidem genus eſſe, & pars non poteſt. Approbauit ergo propoſitionem. Rurſus poſt approbatam propoſitionem, illud, quod quaſi in propoſitione dubie propoſuerat, aſſumit hoc modo, Deliberatio autem, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum. Deinde approbat aſſumptionem, ut ſupra diximus, triplici argumentatione. Nam aut nullum cauſſae genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale, & demonſtratiuum, & deliberatiuum. Poſtremo tres adhibet concluſiones. vbicumque enim [*ergo*] vel [*igitur*] eſt, concluſio ſit neceſſe eſt. prima igitur concluſio approbationis de aſſumptione eſt. quid enim ait in aſſumptionis approbatione? nam aut nullum cauſſae genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale, & demonſtratiuum, & deliberatiuum. concludit ergo haec tria genera eſſe cauſſarum. Relinquitur ergo, inquit, ut omnia tria genera ſint cauſſarum. Secunda concluſio propoſitionis eſt, ſiue argumentationis eius. quid enim argumentatur in propoſitione? ſi deliberatio, & demonſtratio genera ſunt cauſſarum, non poſſunt recte partes alicuius generis cauſſae putari. Tertia autem concluſio quaeſtionis eſt. quae enim quaeſtio eſt? quod Hermagoras deliberationem, & demonſtrationem non recte ſub qualitate conſtituit. concludit itaque quaeſtionem. Male igitur eas generalis conſtitutionis partes eſſe dixit. Verum, cum in primo ſyllogiſmo de duabus tractauerit, de primo & ſecundo, ideſt de genere & partibus generis: cur hic in tertia concluſione partis partium mentionem fecit, quod ſcilicet tertium eſt? Hoc primum ſic excuſatur, quod haec concluſio praeter ſyllogiſmum ſit. eſt enim quaeſtionis, quae extra ſyllogiſmum eſt, ſed ex ea ſyllogiſmus. deinde quod per hanc extremam concluſionem ſenſim deſcendit ad alium ſyllogiſmum, ubi haec tractat, deliberationem, & demonſtrationem, cum partes generis eſſe non poſsint, multo magis partium partes eſſe non poſſe. Sed primum quam de eo ſyllogiſmo tractemus, ea, quae in eo obſcura ſunt, explicemus.

CICERO

*P*ARS *autem cauſſae conſtitutio eſt omnis. Non enim cauſſa ad conſtitutionē, ſed conſtitutio ad cauſſam accommodatur: ſed demonſtratio, & deliberatio generis cauſſae partes non poſſunt recte putari, quod ipſa ſunt genera. Multo igitur minus recte partis eius, quod hic dicit, partes putabuntur. Deinde ſi conſtitutio & ipſa, & pars conſtitutionis eius quaelibet, intentionis depulſio, eſt, quae intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. At ſi, quae intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt: demonſtratio, & deliberatio neque conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. Si igitur conſtitutio & ipſa & pars eius quaelibet intentionis depulſio eſt: deliberatio, & demonſtratio neque conſtitutio, neque pars conſtitutionis eſt. Placet autem ipſi conſtitutionem intentionis eſſe depulſionem. placeat igitur oportet, deliberationem, & demonſtrationem non eſſe conſtitutionem, nec partem conſtitutionis. Atque hoc eodem urgebitur, ſiue conſtitutionem primam cauſſae accuſatoris confirmationem dixerit, ſiue defenſoris primam deprecationem. nam eum eadem omnia omnia incommoda ſequentur.*

EXPLANATIO

PARS *autem cauſſae conſtitutio eſt omnis*] Diſputaſti quidem ſupra, o Cicero, deliberationem, & demonſtrationem, quia genera ſint, partes generis eſſe non poſſe, non tamen oſtendiſti utrum conſtitutio pars generis ſit, an ipſum genus. incertum eſt enim utrum deliberatio ſub qualitate ſit, an qualitas ſub deliberatione. Doceas itaque oportet utrum pars, an genus ſit conſtitutio. Haec ergo incidens quaeſtio eſt utrum conſtitutio pars, an genus ſit. Iam ſupra oſtendit deliberationem, & demonſtrationem genera eſſe cauſſarum, quod & inter ſe diſtent, & ab iudiciali plurimum diſsideant, & ſuum quaeque finem habeant, quo referri debeant. Nunc ei docendum eſt, utrum conſtitutiones cauſſarum partes ſint: & ſic argumentatur propoſito themate quid primum inuenias, genus an conſtitutionem. utique primum neceſſe eſt, agnoſcas, utrum deliberatiua, an demonſtratiua controuerſia ſit. tunc deinde quae ſit conſtitutio. Ergo pars cauſſae eſt conſtitutio.

NON

NON *enim cauſſa ad conſtitutionem, ſed conſtitutio ad cauſſam accommodatur:*] Prius enim cauſſa cognoſcatur neceſſe eſt, deinde conſtitutio. Plus autem cuaſſam, quam conſtitutionem, ſic etiam poſſemus cognoſcere, quod in ſingulis cauſſae generibus conſtitutiones uariantur. cauſſa enim omnium conſtitutionum capax eſt. uerum, cum cauſſa & conſtitutio iuncta ſibi eſſe uideantur, tamen unum alterl prius ſit. Omne enim, quod loquimur, ſiue quod mente concipimus, aut ſimplex eſt, aut coniunctum. Simplex eſt, quod ad aliud nō attendit, ut tabula, ſaxum, & reliqua huiuſmodi. Coniunctum uero, ut de duobus unum prius habeat, quattuor modis fit: aut tempore, aut loco, aut ordine, aut cauſſa. Aetas, cum in homine ſit, tempore in ordinem ſecernitur. ſi dicas [*iuuentus*] utique conſideratione temporis, iuuentus ante ſenectutem eſt. Deinde loco iuncta ſecernitur. cum enim dicis [*atrium*] ideo primum intelligis, quia conſideras interiorem locum eſſe, ubi triclinium. Ordine uero ſic, cum in eodem loco multi ſedeamus, pro ordine ſedentium nobis anteferamus. Cauſſa autem ſic, de his, quae iuncta ſunt, unum prius efficitur: vtputa pater filius iuncta ſibi ſunt: neque enim ante pater, quam filius naſcatur, aut ante filius quam illi ſit pater. ſed quia filio ad naſcendum pater cauſſa eſt, iccirco ex cauſſa pater filio praefertur. ita hic in themate, cauſſa & conſtitutio coniuncta ſunt: ſed ut prior cauſſa ſit, cauſſa efficit. ut conſtitutio enim naſcatur, cauſſa praecedit. Quod ipſe ait, *Non enim cauſſa ad conſtitutionem, ſed conſtitutio ad cauſſam accommodatur:*] Hic quoque aduertamus ſyllogiſmum quadripertitum. prima eſt enim propoſitio cum adiuncto, Quod ſi generis cauſſae partes non poſſunt recte putari, multo minus recte partis cauſſae partes putabuntur. Huic propoſitioni, approbatio non fuit ſubiicienda. manifeſtum eſt enim, ſi partes cauſſae non ſint, multo minus patris cauſſae partes putari. ergo incidit quaeſtio, utrum conſtitutio pars ſit: & (ut ſupra docuiuus) probat partem. ſed haec incidens quaeſtio non pertinet ad ſyllogiſmum. uerum quia neceſſaria fuit interiecta eſt. deinde aſſumit illud, quod propoſuerat. Sed & deliberatio, & demonſtratio generis cauſſae partes non poſſunt recte putari. Et approbat aſſumptionem, Quod ipſa ſunt genera, inquit. Poſtremo concludit propoſitionis ſecundam partem. Quid eſt enim in ſecunda parte propoſitionis? Multo minus partis cauſſae partes putabuntur. concludit hoc ipſum. MVLTO *igitur minus recte partis eius, quod hic dicit, partes putabuntur.*] Primae enim parti propoſitionis, per incidentem quaeſtionem ſatisfecit. quid eſt enim in prima parte propoſitionis? Quod ſi generis cauſſae partes non recte putari. itaque oſtendit generis cauſſae partem eſſe conſtitutionem. Quadripertitus ergo eſt ſyllogiſmus. eſt enim propoſitio aſſumptio, aſſumptio, approbatio, aſſumptiouis concluſio. quaeſtio uero incidens ad ſyllogiſmuuı minime pertinet. DEINDE *ſi conſtitutio & ipſa, & pars eius quaelibet, intentionis depulſio eſt: quae intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt.*] Onnis pars tunc plene pars eſt, ſi generis & nomen, & definitionem recipiat. utputa animal genus eſt. Iam ex animali Homo, Equus, Auis. deinde ex Aui, Coruus, Coruix, Aquila. itaque haec omnia generis ſui & nomen, & definitionem recipere debebunt. generis uero nomen quod eſt? animal. Ergo & Homo, & Equus, & Auis, & Coruus, & Cornix, & Aquila animalia dicuntur. Deinde generis definitio quae eſt, ideſt animalis? Animal eſt corpus animatum. itaque & Homo, & Equus, & Auis, & Coruus, & Cornix, & Aquila, corpus animarum eſt. uerum definitio genere tranſit in ſpecies. ſpecierum uero definitio in genus tranſire non poteſt: non enim cum hominem definio, homo eſt corpus animatum bipes. iam cum dico [*bipes*] ad generis definitionem pertinet: eſt enim animal & quadrupes. Itaque nunc, accepta ſimilitudine, ad argumentationem Ciceronis redeamus. & primo quaeſtionem, quae in contentione uerſatur, attendamus. Illa autem, ut ſupra diximus, quaeſtio eſt, quod deliberatio, & demonſtratio non recte ſub qualitate ſint poſitae. ſupra id iam duabus argumentationibus vicit. quarum prima illa fuit, deliberationem, & demonſtrationem, ſi genera ſint cauſſarum, partes generis eſſe non poſſe. & probauit genera eſſe cauſſarum. Secunda uero argumentatio talis fuit, quod, ſi generis partes eſſe non poſſunt, multo magis partes partium eſſe non poſſe. Nunc tertiam affert argumentationem, Si, inquit, conſtitutio & ipſa, & pars eius quaelibet intentionis depulſio eſt: quae intentionis depulſio nō eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. Vt ſupra diximus, Omnis pars generis ſui & nomen, & definitionem debet recipere: genus hic autem conſtitutio eſt: ſub conſtitutione quattuor cōſtitutiones: ſub qualitate demonſtratio, deliberatio, iuridicialis, negotialis. Itaque uideamus, an deliberatio, & demonſtratio generis nomen, & definitionem recipiant: generis nomen eſt conſtitutio, quod nomen tollit Cicero demonſtrationi, & deliberationi. ſed, ne dicat Hermagoras, conſtitutiones dici poſſe, oſtendit definionem generis cadere non poſſe in deliberationem, & demonſtrationem: quod ſi definitio non cadit, nomen quoque cadere non debebit. Conſtitutionem autem ſic definimus. Conſtitutio, eſt intentionis depulſio. quam ſcilicet definitionem in deliberatione, & demonſtratione uidemus eſſe non poſſe. quod ſi deliberatio, & demonſtratio, neque nomen conſtitutionis, neque definitionem recipiunt; nec conſtitutiones ſunt, nec partes conſtititutionis. ipſi autem placet, conſtitutionem intentionis depulſionem eſſe. Et concedit ei alias definitiones. Siue, inquit, conſtitutionem primam cauſſae accuſatoris confirmationem dicat, ſiue defenſoris primam deprecationem, neceſſe eſt deliberationem, & demonſtrationem, neque conſtitutionem eſſe, nec partem conſtitutionis. Hoc loco animaduertere debemus genus ſyllogiſmi, quod obſcuritate ſui, & artificio colligatum, ſyllogiſmis ferè omnibus antecellit. ſic itaque iſte colligitur ſyllogiſmus a primo ad ſecundum, a ſecundo ad tertium, a primo ad tertium. Primum enim & tertium ſimile eſſe: medium facit, quod utrique coniungitur. Sed, ut melius poſsit artificium Ciceronis intelligi, prius quaelibet ſimilitudo facienda eſt. Ponamus itaque haec tria. Victorinus docet, unum ſic, intelligis, aliud ſic. ſpem habes, tertium ſic. itaque faciamus ſyllogiſmum a primo ad ſecundum, Si Victorinus docet, intelligis. nunc a ſecundo ad tertium, Si intelligis, ſpē habes. deinde a primo ad tertium, Ergo ſi Victorinus docet, ſpem habes. Primum enim, & tertium, quod poteſt ueriſimile non uideri, me-

dio

dio illo, quaſi quadam approbatione, coniungitur. Hoc ergo & in Cicerone uideamus. Primum hoc eſt, Si conſtitutio, & ipſa, & pars eius quaelibet intentionis depulſio eſt. Secundum illud eſt, Quae intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. Tertium hoc, Si deliberatio, & demonſtratio, neque conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. Nunc uideamus ſyllogiſmum a primo ad ſecundum. ſi conſtitutio inquit, & ipſa, & pars eius quaelibet intentionis depulſio eſt: quae intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. deinde a ſecundo ad tertium, At ſiquae intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt: demonſtratio,& deliberatio, neque conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. Nunc a primo ad tertium, Si igitur conſtitutio, & ipſa, & pars eius quaelibet intentionis depulſio eſt: & deliberatio, & demonſtratio,neque conſtitutio, neque pars conſtitutionis eſt. Ergo a primo ad tertium concluſio eſt ſyllogiſmi. Denique Cicero, Si igitur, inquit, conſtitutio, vbicumque enim [*ergo*] uel [*igitur*] ponitur, concluſio eſt argumenti.

CICERO

DEINDE coniecturalis cauſſa non poteſt ſimul ex eadem parte eodem in genere & coniecturalis eſſe, & definitiua. Rurſus nec definitiua cauſſa poteſt ſimul ex eadem parte eodem in genere & definitiua eſſe, & tranſlatiua. Et omnino nulla conſtitutio, nec pars conſtitutionis poteſt ſimul & ſuam habere, & alterius in ſe uim continere: ideo quod unaquaeque ex ſe, & ex ſua natura ſimpliciter conſideratur. Altera aſſumpta, numerus conſtitutionum duplicatur, non uis conſtitutionis augetur.

EXPLANATIO

DEINDE *coniecturalis cauſſa non poteſt ſimul ex eadem parte eodem in genere, & coniecturalis eſſe, & definitiua.*] Aliud incipit argumentum, id eſt quartum ſyllogiſmum, quo oſtendit, non recte ſub qualitate deliberationem, & demonſtrationem poſitas, quem ſyllogiſmum prius quam oſtendamus, ea, quae in re ſunt, ante uideamus. Deinde, inquit, coniecturalis cauſſa. Si, inquit, coniecturam per id, quod eſt, attendamus, nihil aliud inueniemus, quam coniecturam ſolam: nec in eo, quod coniectura eſt, poſſumus finem intelligere. Rurſus, inquit, ſi finem per ſe ipſum conſideremus, nihil aliud quam finem inſpicimus. nec in eo, quod finis eſt, poſſumus tranſlationem intelligere. Ita ergo conſtitutiones ſingulae habent proprium ſuum; in quo poſitae genere, commixtionem conſtitutionis alterius non admittunt. Male igitur Hermagora deliberationem, & demonſtrationem partes conſtitutionis, id eſt qualitatis eſſe uoluiſti: cum deliberatio, ſiue demonſtratio per ſe conſideratae, non ſolae intelligi, ſed omnes in ſe conſtitutiones continere poſsint. SIMVL *ex eadem parte, eodem in genere*] Et ſupra legimus, Pars autem cauſſae eſt conſtitutio omnis. genus autem eſt conſtitutionis id quod ualet, quod & explet: id denique, quo unaquaeque conſtitutio ab aliis conſtitutionibus ſegregatur. pars autem communis poteſt eſſe cum multis. & omnino nulla conſtitutio, nec pars conſtitutionis, &c. Quoniam de deliberatione, & demonſtratione quaeſtio eſt, quae deliberatio, & demonſtratio partes conſtitutionis ab Hermagora ponuntur, recte, cum de ſolis conſtitutionibus loqueretur, partes etiam tetigit. ET *omnino, inquit, nulla conſtitutio, nec pars conſtitutionis poteſt ſimul, & ſuam habere, & alterius in ſe uim continere. Altera autem aſſumpta numerus conſtitutionum duplicatur, non uis conſtitutionis augetur.*] Sapienter dixit. multae enim conſtitutiones in cauſſa eſſe poſſunt. ſed, ſi plures ſint ad numerum conſtitutionum; non ad augendam uim alterius conſtitutionis, accedunt.

CICERO

AT deliberatiua cauſſa ſimul ex eadem parte, eodem in genere & coniecturalem, & generalem, & definitiuam, & tranſlatiuam ſolet habere conſtitutionem, & unam aliquam, & plures nonnumquam: ergo ipſa nec conſtitutio eſt, nec pars conſtitutionis. Idem in demonſtratione ſolet uſu euenire. Genera igitur, ut ante diximus, haec cauſſarum putanda ſunt, non partes alicuius conſtitutionis. Haec ergo conſtitrtio, quam generalem nominamus, partes nobis uidetur duas habere, iuridicialem, & negotialem.

EXPLANATIO

AT *deliberatiua cauſſa ſimul ex eadem parte eodem in genere & coniecturalem, & generalem, & definitiuam, & tranſlatiuam ſolet habere conſtitutionem, & unam aliquando, & plures nonumquam:*] Cum, inquit, conſtet unamquamque conſtitutionem alteram in ſe non admittere: deliberatiua ex eadem parte eodē in genere omnes ſolet recipere conſtitutiones. Ergo ipſa nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. *Simul ex eadem parte:* Deliberatio enim pars cauſſae eſt. Videamus nunc quadripertitum ſyllogiſmum. proponit ſic. primo ſpecialiter, deinde generaliter. ſpecialiter ſic, Deinde coniecturalis cauſſa non poteſt ſimul ex eadem parte eodem in genere & coniecturalis eſſe, & definitiua. ſpecialiter enim de coniectura propoſui. Rurſus nec definitiua cauſſa poteſt ex eadem parte eodem in genere, & definitiua eſſe, & tranſlatiua. & hic ſpecialiter de fine propoſuit. Nunc proponit generaliter de omnibus conſtitutionibus, & earum partibus, Et omnino, inquit, nulla conſtitutio, nec pars conſtitutionis poteſt ſimul & ſuam habere, & alterius in ſe uim continere.

tinere. Hucuſque propoſuit. deinde approbat propoſitionem, Ideo, inquit, quod unaquaeque ex ſe, & ex ſua natura ſimpliciter conſideratur: altera aſſumpta numerus conſtitutionum duplicatur, non uis conſtitutionis augetur. Poſt approbationem propoſitionis aſſumit, quod ſibi neceſſarium eſt, At deliberatiua, inquit, cauſſa ſimul ex eadem parte, eodem in genere, & coniecturalem, & generalem, & definitiuam, & tranſlatiuam continet conſtitutionem, & unam aliquam, & plures nonnumquam. quod quoniam manifeſtum eſt, & apertum omnibus, non fuit neceſſe approbare aſſumptionem. ſequitur ergo concluſio, quae duplex eſt. Prima ad id, quod aſſumptum eſt, At deliberatiua cauſſa ſimul ex eadem parte, eodem in genere, &c. Ergo ipſa nec conſtitutionis eſt. Secunda ad utrumque, quo de agitur. pariter enim deliberatione, & demonſtratione tractatur; Genera, inquit, ergo, ut ante diximus, haec cauſſarum putanda ſunt, non partes alicuius conſtitutionis. Haec *ergo conſtitutio, quam generalem nominamus, partes uidetur nobis duas habere,*] Poſtquam docuit, deliberationem, & demonſtrationem non partes qualitatis, ſed genera eſſe cauſſarum: ad ipſius qualitatis deſcendit diſputationem. Ac primo hanc in duas diuidit partes, in iuridicialem, & negotialem. quarum partium hoc compendium tenere debemus, quod iuridicialis ſemper de praeterito eſt: negotialis ſemper de futuro: quae tempora in ipſarum partium definitione uidetur Cicero non declaraſſe. ait enim,

CICERO

IVridicialis eſt, in qua aequi, & recti natura, aut praemij, aut poenae ratio quaeritur. Negotialis eſt, in qua, quid iuris ex ciuili more, & aequitate ſit, conſideratur: cui diligentiae praeeſſe apud nos iuriſconſulti exiſtimantur. Ac iuridicialis quidem ipſa in duas tribuitur partes, abſolutam, & aſſumptiuam. Abſoluta eſt, quae ipſa in ſe continet iuris, & iniuriae quaeſtionem. Aſſumptiua eſt, quae ipſa ex ſe nihil firmi dat ad recuſationem, foris autem aliquid defenſionis aſſumit. Eius partes ſunt quattuor, conceſſio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Conceſſio eſt, cum reus non id, quod factum eſt, defendit; ſed, ut ignoſcatur, poſtulat. haec in duas partes diuiditur, purgationem, & deprecationem. Purgatio eſt, cum factum conceditur, culpa remouetur. Haec partes habet tres, imprudentiam, caſum, neceſſitatem. Deprecatio eſt, cum & peccaſſe, & conſulto peccaſſe reus ſe confitetur, & tamen, ut ignoſcatur, poſtulat: quod genus perraro poteſt accidere. Remotio criminis eſt, cum id crimen, quod infertur, ab ſe, & ab ſua culpa ui, & poteſtate in alium reus remouere conatur. Id dupliciter fieri poterit, ſi aut cauſſa, aut factum in alium transferetur. Cauſſa transfertur, cum aliena dicitur ui, & poteſtate factum. Factum autem, cum alius aut debuiſſe, aut potuiſſe facere dicitur. Relatio criminis eſt, quod ideo iure factum dicitur, quod aliquis ante iniuria laceſſerit. Comparatio eſt, cum aliud aliquid factum rectum, aut utile contenditur: quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur eſſe commiſſum.

EXPLANATIO

IVridicialis *eſt, in qua aequi, & recti natura, aut praemij, aut poenae ratio quaeritur. Negotialis eſt, in qua, quid iuris ex ciuili more, & aequitate ſit, conſideratur: cui diligentiae praeeſſe apud nos iuriſconſulti exiſtimatur.*] Hic omnino tempus quaſi praeteritum non demonſtrat: niſi quod magis futurum tempus uidetur includere, cum ait Praemij, aut poena ratio quaeritur. Quo loco primum oſtendendum eſt, & poenam, & praemium de praeterito eſſe. nam & poſt ſupplicium de aliquo iniuſte ſumptum, poſſunt nonnulli in iudicium uocari: &, quod non recte praemio aliquem donauerint, poſsunt in iudicium uocari. Vt Verres, qui ſupplicium ſumpſit de ciuibus Romanis, & anulo aureo ſcribam in concione donauit. Ergo praemij, & poenae ratio poteſt de praeterito eſſe. Sed occurrit illud, Poteſt tamen praemij, & poenae ratio, & de futuro eſſe. ideoq. in iuridiciali qualitate tempus praeteritum non recte definiuit. cum iam huic loco ſic reſpondetur, quod dixerit [*ratio*]. Ratio enim ſemper de praeterito eſt facto. de futuro autem cum quaeritur, ratiocinatio dicitur. & eſt ibi tantum meriti ratio, quod meritum praeteritum eſt. atque ita, ratio numquam niſi de praeterito eſt. cũ enim dicis, petit praemium, neceſſe eſt afferat meritum. ita in eo, quod petit praemium, nulla ratio eſt. ſed, cum ais, eum mereri: tum ratio eſt, ex praeterito ueniens. Ergo, cum ait Cicero, Iuridicialis eſt, in qua aequi, & recti natura, aut praemij, aut poenae ratio quaeritur. in eo quod ait [*ratio*] praeteritum tempus includit. *Iuridicialis*: A iure. Aequi enim, & recti ratio, non niſi iure conſtat. Deinde, Negotialis *eſt*, inquit, *in qua quid iuris ex ciuili more, & aequitate ſit, conſideratur:*] Negotialis qualitas talis eſt, cum aliquid generatim iure cautum, ad ſpeciem deuocamus. utputa, Viro forti praemium detur. uir fortis petit inimici mortem. In eo, quod dicit, Viro forti praemium: dat quidem uiro forti praemium, ſed nõ etiam deſignat illud, fortis quod petit. Ergo in negotiali qualitate, ex aequitate praecedentis iuris, noua iura firmantur, ideſt, ut liceat id, quod in contentione uerſatur: & ideo de futuro eſt. quod etiam iuriſperiti faciunt: qui, ſi forte id, quo de agitur, iure non cautum eſt: per interpretationem ſtatuti iuris, id etiam, quod in eodem iure nominatim non continetur, affirmant. hoc eſt, quod ait, Cvi *diligentiae praeeſſe apud nos iuriſconſulti exiſtimantur.*] Hoc quoque tempus futurum demonſtrat, cum ait, quid iuris ſit, conſideratur. conſideratio enim de incerto eſt, & quia iuris conſideratio eſt, de futuro eſt. Ac *iuridicialis quidem ipſa in duas diſtribuitur partes, abſolutam, & aſſumptiuam.*] Negotialis qualitas ſtat, nec aliquas ex ſe partes fundit. iuridicialis uero in duas partes funditur. in abſolutam qualitatem, & aſſumptiuam. deinde hic quoque rerum compendium tenere debemus, quod in abſoluta qualitate factum ipſum iuſtum aſſerimus. in aſſumptiua uero qualitate, non factum iuſtum, ſed cauſſam

facti

facti iuſtam fuiſſe contendimus. itaque in abſoluta qualitate aequi,& recti natura quaeritur. in aſſumptiua uero praemij,& poena ratio quaeritur. quae aſſumptiua, quattuor locis diuiditur: Conceſsione, Remotione criminis, Relatione criminis, Comparatione. Verum hic, quattuor horum locorum Cicero ordinem cōuertit. nam a poſtremo, quod hic poſuit, retrorſum uerſus ordo eſt. Etenim uim ſingularum defenſionum conſiderare debemus. primo hoc eſt innocentis hominis, ut dicat non feci. deinde feci, ſed non ſic uocatur. tertio feci,& ſic uocatur, ſed iure feci. deinde hoc ipſum iure feci, aut licuiſſe ſibi, debebit oſtendere: quae eſt qualitas abſoluta: aut ſi non licuit, debet ſibi extrinſecus aſſumere aliquid, quo hic probet, quod iniuſte factum uidetur. Videamus nunc, quae ſit de his quattuor aſſumptionibus fortior aſſumptio. Primo debet dicere feci, ſed profui: & probare plus ſe profuiſſe, quam obfuiſſe, quae eſt qualitas compenſatiua, quam ideo Cicero comparationem uocat, quod comparetur id, quod in crimen uocatur, ad id, quod ſe reus profuiſſe dicit: quae comparatio ſemper in eodem facto eſt. utputa quidam muros ciuitatis diſsipauit, hoſtes fugerunt, reus ſit laeſae reipublicae. in eodem eſt comparatio, nam, quod muros deiecit, uidetur laeſiſſe rempublicam: &, quia muros deiecit, hoſtes fugerunt, uidetur profuiſſe reipublicae. Ergo hoc primum debet aſſumere, Feci, ſed profui. Deinde debet dicere, Feci quidem: ſed, ut hoc facerem, ante prouocatus ſum. ideſt feci, ſed meruit. quae eſt relatio criminis. Tertio debet dicere, Feci, ſed alter me impulit ut facerem. quae eſt remotio criminis. Poſtremo, ſi haec cuncta defecerint, ideſt, ſi ut hoc faceret, nec profuit, nec iniuriam reddidit, neque ab alio compulſus eſt: quoniam nihil eſt, quo ſe defendat, debebit factum fateri, ſed ueniam poſtulare. quae eſt qualitas uenialis, quam conceſsionem Cicero uocauit. Hic ergo ordinem Cicero hoc loco conuertit, quem in poſterioribus ſeruat. Itaque cōceſsio duas partes habet, purgationem,& deprecationem. in purgatione tria ſunt: imprudentia, caſus, neceſsitas. ſi haec non fuerint, deprecatio eſt: ſed haec, aut apud imperatorem, aut apud populum. Itaque in purgatione, factum conceditur, ſed facientis animus excuſatur. hoc eſt, quod ait, Cum factum conceditur, culpa remouetur. In deprecatione uero,& factum,& culpa conceditur, ſed tamen uenia deprecatur. hoc eſt, quod ait, Deprecatio eſt, cum & peccaſſe,& conſulto peccaſſe reus ſe confitetur, & tamē ut ignoſcatur, poſtulat. haec ergo deprecatio non niſi, aut apud imperatorem, aut apud populum ualet: apud iudices uacat. REMOTIO *criminis eſt, cum id crimen, quod infertur, ab ſe,& ab ſua culpa, ui, & poteſtate in alium reus remouere conatur.*] Remotionem criminis hanc eſſe dicit, cum reus id, quod ei intenditur, ab ſe remouet,& in alium transfert. atque id duobus modis facit. ſi in alium, aut cauſſam, aut factum transferat, ſeu, ut id faceret, dicat alium coegiſſe. Verum quod ait [*factum*] poteſt hic quaeſtio moueri. nā, cum omnis qualitas, facti confeſsionem teneat, cur hic factum non confitetur, ſed in alium transferre conatur? denique nullus artium ſcriptor in hac qualitate, facti tranſlationem nominauit? Sed ideo, quia nullus intellexit. nam factum ſic a ſe remouet, ſalua tamen confeſsione facti. ut in hoc themate, quod Cicero in ſecundo libro poſuit, Mancinus cum Numantinis foedus fecit iniuſſu populi, ac ſenatus, pulſo eodem in exſulium, atque hoſtibus dedito. petitur ad poenam etiam ille, qui porcam tenuit. contradicit. nam hic,& cauſſam, & factum in alium remouet. cauſſam ſic, Vt porcam tenerem, Mancinus ui, ac poteſtate coegit. deinde factum ſic foedus non ego feci, ſed Mancinus, qui aut debuit, aut potuit. manet tamen facti prima illa confeſsio, quod porcā tenuit. non enim poteſt negare a ſe porcam fuiſſe tentam. Ergo remotio criminis duobus modis conſtat: ſi aut cauſsam in alium transferamus, aut factum. RELATIO *criminis eſt, cum ideo iure factum dicitur, quod alius ante iniuria laceſſierit.*] Relatio criminis talis eſt, ſi in eo, quod fecimus, uicem nos reddidiſſe dicamus: utputa occidi, quia ille me uolebat occidere. hoc ego feci, ſed meruit. COMPARATIO *eſt, cum aliud aliquod alicuius factum rectum, aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur eſſe commiſſum.*] Inter comparationem,& conceſsionem hoc intereſt: quod in comparatione de eadem re comparatio eſt, ut ſupra diximus: Diſsipaſti muros, laeſiſti rempublicam. Contra ille, Diſsipaui quidem muros, ſed hoſtes fugerunt. in eodem comparatio eſt, ut ſupra diximus, Diſsipaſti muros, ideſt, quod muri diſsipati eſſe dicuntur. Ideo ait, Quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur eſſe commiſsum. alioquin, Verres, qui multa ſigna,& uaſa ex Sicilia ſuſtulit,& utitur hac defenſione, quod a bellis tutam Siciliam reddiderit, nō poterit dicere. Ideo ſigna ſuſtuli, ut defenderem prouinciam. neque enim propterea tulit ſigna, ut prouincia eſset defenſa. Itaque utitur ueniali ſtatu, ideſt conceſsione per deprecationem. Ergo in comparatione id, quod intenditur, ideo a nobis factum dicere debemus, ut ex eo ipſo bonum illud, quod contigit, fluxiſse dicamus.

C I C E R O

IN *quarta conſtitutione, quam tranſlatiuam nominamus, eius conſtitutionis eſt controuerſia, cum aut quē, aut quicum, aut quo modo, aut apud quos, aut quo iure, aut quo tempore agere oporteat, quaeritur, aut omnine aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. Huius conſtitutionis Hermagoras inuentor eſſe exiſtimatur, non quo non uſi ſint ea ueteres oratores ſaepe multi, ſed quia non animaduerterint artis ſcriptores eam ſuperiores, nec retulerint in numerum conſtitutionum. Poſt autem ab hoc inuentam multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus, (res enim perſpicua eſt) quam inuidia, atque obtrectatione quadam impediri. Et conſtitutiones quidem, & earum partes expoſuimus: exempla autem cuiuſque generis tum commodius expoſituri uidemur, cum in unumquodque eorum argumentorum copiam dabimus. Nam argumentandi ratio dilucidior erit, cum & ad genus, & ad exemplum cauſſae ſtatim poterit accommodari.*

EXPLANATIO

IN *quarta conſtitutione, quam tranſlatiuam nominamus*,] Et ſupra docuimus, quid in ſe tranſlatio contineret, ſcilicet, ut aut omnem actionem commutet, aut aliqua ex parte debilitet. hoc eſt, quod hic ait, Aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione actionis agitur. HVIVS *conſtitutionis Hermagoras inuentor eſſe exiſtimatur*,] Inueniendi duo genera ſunt. unum tale, cum in medium proferimus id, quod erat, ſed latebat. aliud quod quaſi non erat, ſed a nobis primis uidetur inuentum. itaque de his Cicero leuiorem inuentionem dedit, Hermagorae ſcilicet, ut id, quod latuerat, in medium protuliſſe uideatur. hoc eſt, quod ait, NON *quia non uſi ſi t ex ueteres oratores ſaepe multi, ſed quia non animaduerterint artis ſcriptores eam ſuperiores, nec retulerint in numerum conſtitutionum*.] Ideo autem tranſlationem multi ſcriptores inter conſtitutiones referre noluerunt, quod omnis conſtitututio actionem conſtituat: tranſlatio autem id uideatur agere, ne actio ſit. ſed Hermagoras recte hanc inter conſtitutiones poſuit. Nam hoc ipſum, quod actionem commutat, actio eſt. Itaque multi, inquit, Hermagoram reprehenderunt, quod tranſlationem inter conſtitutiones retulerit, ſed inuidia magis, quam ex uero. ET *conſtitutiones quidem, & earum partes expoſuimus*:] Poſtquam, quid eſſent ſingulae conſtitutiones, uel quid poſſent, docuit, & earum partes, ideſt qualitatis expoſuit: promittit, ſe his conſtitutionibus exempla ſubditurum. ſed, cum coeperint argumenta tractari, quae argumenta dilucidiora futura eſſe promittit, ſi iiſdem argumentis in tempore exempla ſupponat. hoc eſt, quod ait, NAM *argumentandi ratio dilucidior erit, cum ad genus, & ad exemplum cauſſae ſtatim poterit accommodari*.] Genera cauſſarum ſcimus tria eſſe: demonſtratiuum, deliberatiuum, iudiciale. exempla uero cauſſarum ſunt themata ſcilicet.

CICERO

*C*ONSTITVTIONE *cauſſae reperta, ſtatim placet conſiderare, utrum cauſſa ſit ſimplex, an coniuncta: & ſi coniuncta erit, utrum ſit ex pluribus quaeſtionibus iuncta, an ex aliqua comparatione. Simplex eſt, quae abſolutam in ſe continet unam quaeſtionem, hoc modo: Corinthijs bellum indicamus, an non? Coniuncta ex pluribus, quaeſtionibus, in qua plura quaeruntur, hoc pacto: Vtrum Carthago diruatur, an Carthaginienſibus reddatur, an eo colonia deducatur. Ex comparatione, in qua per contentionem, utrum potius, aut quid potiſſimum ſit, quaeritur, ad hunc modum: Vtrum exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur, qui ſocijs ſit auxilio, an teneatur in Italia, ut quam maximae contra Hannibalem copiae ſint.*

EXPLANATIO

CONSTITVTIONE *cauſſae reperta, ſtatim placet conſiderare utrum cauſſa ſit ſimplex, an coniuncta: & ſi coniuncta erit, utrum ſit ex pluribus quaeſtionibus iuncta, an ex aliqua comparatione.*] Quoniam in his duobus libris Cicero nihil niſi de inuentione tractat, iccirco per ordinē, quae ſint inuenienda demonſtrat. Poſtquam, inquit, conſtitutionē inueneris, cōſiderare debebis cauſſam, utum ſimplex ſit, an iuncta, ideſt utrum de una re agatur, an de pluribus. Conſtitutio ſic inuenitur: occidiſti, non occidi, aut iure occidi. cauſſa uero haec eſt, an occiderit, an iuſte occiderit. Ergo haec cauſſa ſimplex an iuncta ſit, conſiderare debemus. deinde, ſi iuncta, utrum ex pluribus quaeſtionibus, an ex aliqua comparatione. Ex pluribus quaeſtionibus, an ex aliqua comparatione. Ex pluribus quaeſtionibus cauſſa iuncta eſt, ut in Verrinis accuſatur Verres, quod multa furatus ſit, quod ciues Romanos necarit, quod peculatum comm.ſerit. Itaque quando ex pluribus quaeſtionibus cauſſa iūcta eſt, ipſae quaeſtiones inter ſe aduerſae ſunt. Ex comparatione autem cauſſa iuncta eſt, cum quid potiſsimum faciendum ſit, conſideratur. ut in diuinatione agitur, utrum Cicero accuſet, an Caecilius. ſed, quia comparandi duo modi ſunt, comparatiuus, & ſuperlatiuus, iccirco ait, EX *comparatione, in qua per contentionem, utrum potius, aut quid potiſſimum ſit, quaeritur,*] Verum qis locis, quae tractabimus, ipſe etiam Cicero perſpicua exempla ſupponit.

CICERO

*D*EINDE *conſiderandū eſt, in oratione, an in ſcripto ſit controuerſia. Nā ſcripti cōtrouerſia eſt ea, quae ex ſcriptionis genere naſcitur. Eius aūt genera, quae ſunt ſeparata a cōſtitutionibus, quinque ſunt. Nā tum uerba ipſa uidentur cū ſentētia ſcriptoris diſſidere, tū inter ſe duae leges, aut plures diſcrepare, tū id, quod ſcriptum eſt, duas aut plures res ſignificare: tum ex eo, quod ſcriptum eſt, aliud quoque, quod non ſcriptum eſt, inueniri: tum uis uerbi quaſi in definitiua conſtitutione, in quo poſita ſit, quaeri. Quare primum genus de ſcripto & ſententia, ſecundū ex contrarijs legibus, tertium ambiguum, quartum ratiocinatiuum, quinctum definitiuum nominamus. Ratio eſt autem, cum omnis quaeſtio non in ſcriptione, ſed aliqua argumentatione conſiſtit.*

EXPLANATIO

DEINDE *conſiderandum eſt, in oratione, an in ſcripto ſit controuerſia.*] Primo, inquit, conſtitutio inuenienda eſt. Secundo utrum cauſſa ſit ſimplex, an iuncta. Tertio in ratione, an ſcripto ſit controuer-

 ſia.

ſia. Scriptum non tantum leges accipiamus, ſed, & ſenatus conſultum, & teſtamentum, & uerba ſola, & multa huiuſmodi. huius ſcriptionis genera ſunt quinque, ut ipſe primum rebus, deinde nominibus indicauit, id eſt primum ſcriptum, & uoluntas, Secundum leges contrariae, Tertium ambiguitas, Quartum collectio, ſiue ratiocinatio. Quinctum definitio legalis, ut eſt Caeciniana. RATIO *autem eſt, cum omnis quaeſtio non in ſcriptione, ſed in aliqua argumentatione conſiſtit.*] Ideo ait, cum omnis oratio non in ſcriptione, ſed in aliqua argumentatione conſiſtit. quoniã & oratio ſcriptionem habet, & ſcriptio orationem, ſed cũ auctoritate: quippe ex ſcripto, id eſt ex teſtamento uel lege uenientem. Ergo, inquit, ratio eſt, cum res, quae in concione uerſatur, non in auctoritate legis, ſed in argumentatione uerſatur.

CICERO

AC tum conſiderato genere cauſſae, & cognita conſtitutione, cum, ſimplex ne, an coniuncta ſit, intellexeris, &, ſcripti an rationis habeat controuerſiam, uideris, deinceps erit uidendum, quae quaeſtio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamentum cauſſae ſit: quae omnia a conſtitutione proficiſcantur oportet. Quaeſtio eſt ea, quae ex conflictione cauſſarum gignitur controuerſia, hoc modo: Non iure feciſti, iure feci. Cauſſarum autem haec eſt conflictio, in qua conſtitutio conſtat. Ex ea igitur naſcitur controuerſia, quam quaeſtionem dicimus, hoc modo: Iure ne fecerit. Ratio eſt ea, quae continet cauſſam; quae ſi ſublata ſit, nihil in cauſſa controuerſiae relinquetur; hoc modo: ut docendi cauſſa in facili, & peruulgato exemplo conſiſtamus: Oreſtes ſi accuſetur matricidij, niſi hoc dicat, Iure feci, illa enim patrem meum occiderat, non habet defenſionem: qua ſublata, omnis quoque controuerſia ſublata ſit. ergo eius cauſſae ratio eſt, quod illa Agamemnonem occiderit. Iudicatio eſt, quae ex infirmatione, & confirmatione rationis naſcitur controuerſia. nam ſit ea nobis expoſita ratio, quam paullo ante expoſuimus: Illa enim, inquit, patrem occiderat. At non, inquit aduerſarius, abs te filio matrem necari oportuit. potuit enim ſine tuo ſcelere illius factum puniri. Ex hac deductione rationis, illa ſumma naſcitur controuerſia, quam iudicationem appellamus. Ea eſt huiuſmodi: Rectum ne fuerit ab Oreſte matrem occidi, cum illa Oreſtis patrem occidiſſet.

EXPLANATIO

AC *tum conſiderato genere cauſſae,*] Reperto, inquit, genere materiae, & conſtitutione, & cauſſa, utrum ſimplex an iuncta ſit, & ipſa cauſſa ſcripti, an rationis habeat controuerſiã. Deinde uidendũ eſt, quae ſit quaeſtio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamẽtũ. Verũ de his tria praecipue ſunt in omni cauſſae genere perquirẽda: firmamentũ uero perraro adhibetur. Et ſiquãdo adhibetur, neceſſe eſt, aut in themate ſit, aut in hiſtoria: alias lẽma dicitur, ideſt falſum argumentum. Ergo tria illa ſine intermiſſione ubique inſpiciẽda ſunt, id eſt quaeſtio, ratio, iudicatio. Quaeſtio eſt, quae naſcitur ex conſtitutione, ut eſt illud, Iure ne occiderit. Ratio eſt, quae facit cõtrouerſiã: utputa Occidi Clodiũ, propterea quod ille me uoluit occidere. Infirmatio rationis eſt, Etiam ſi te Clodius uoluit occidere, tu tamen iure non occidiſti. Iudicatio eſt, Vtrum cum Clodius uoluit occidere, iuſte tamen a Milone occiſus eſſe uideatur. Cicero de Oreſte exemplum dedit.

CICERO

FIRMAMENTVM eſt, firmiſſima argumentatio defenſoris, & aptiſſima ad iudicationem, ut, ſi uelit Oreſtes dicere, eiuſmodi animum matris ſuae fuiſſe in patrem ſuum, in ſe ipſum, in ſorores, in regnum, in famam generis, & familiae, ut ab ea poenas liberi ſui potiſſimum petere debuerint. Et in ceteris quidem conſtitutionibus ad hunc modum iudicationes reperiuntur: in coniecturali autem conſtitutione, quia ratio non eſt, (factum enim non conceditur) non poteſt ex deductione rationis naſci iudicatio. Quare neceſſe eſt eandem eſſe quaeſtionem, & iudicationem, ut factum eſt, non eſt, factum ne ſit. Quot autem in cauſſa conſtitutiones, aut eorum partes erunt, totidem neceſſe erit quaeſtiones, rationes, iudicationes, firmamenta reperiri.

EXPLANATIO

FIRMAMENTVM *eſt firmiſſima argumentatio defenſoris, & aptiſſima ad iudicationem,*] Firmamentum, ſi uerum ſit, ualde prodeſt, ſed ſoli defenſori. Accuſator enim pro firmamento aſſertionem habet. ſed hoc, ut diximus, raro in cauſſam cadit. cuiuſmodi autem ſit firmamentum, ipſum Cicero docet. SI *uelit Oreſtes dicere, eiuſmodi animum matri ſuae fuiſſe in patrem ſuum, in ſeipſum, ac ſorores, in regnum, &c. Et in ceteris quidem conſtitutionibus ad hunc modum iudicationes reperiuntur:*] Quoniam omnis de facto iam confeſsio eſt, iccirco in omnibus conſtitutionibus dicit iudicationem de infirmatione rationis fieri: praeterquam in coniectura: in coniectura enim facti nulla confeſsio eſt. Quare in coniectura eadem erit iudicatio, quae quaeſtio. factum eſt, non eſt factum: factumne ſit. QVOT *autem in cauſſa conſtitutiones, aut earum partes erunt,*] Qualitatis ſcilicet partes: reliquae enim conſtitutiones partes non habent. Ergo, quot in cauſſa conſtitutiones, uel partes erunt, tot neceſſe erit inueniri quaeſtiones, rationes, iudicationes, firmamenta.

CICERO

CICERO

HIs *omnibus in cauſſa repertis, tunc denique ſingulae partes totius cauſſae conſiderandae ſunt. nam non, ut quidque dicendum primum, ita primum animaduertendum uidetur: ideo quod illa, quae prima dicuntur, ſi uehementer uelit congruere, & cohaerere cum cauſſa, ex eis ducas oportet, quae poſt dicenda ſunt. Quare, cum iudicatio, & ea quae ad iudicationem oportet inueniri argumenta, diligenter erunt artificio reperta, cura & cogitatione pertractata, tum denique ordinandae ſunt ceterae partes orationis. Hae partes ſex omnino nobis uidentur, exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehenſio, concluſio. Nunc, quoniam exordium princeps omnium eſſe debet, nos quoque primum in ratione exordiendi praecepta dabimus.*

EXPLANATIO

HIs *omnibus in cauſſa repertis, tum denique ſingulae partes totius cauſſae conſiderandae ſunt.*] Sub diuerſa ſignificantia Cicero partes poſuit. Aliae enim ſunt partes oratoris officij, aliae partes qualitatis, aliae partes cauſſae, aliae partes orationis. Itaque partes cauſſae ſunt, ut, ſuſcepto negotio, per rerum ordinem ea, quae dicenda ſunt, diligenter inſpicias. Quod cum pertractaueris, ideſt cum cauſſae partes inſpexeris: tũ demum tibi ordinandae ſunt partes orationis: Non enim, inquit, quia primum exordium eſt, ſola primo erunt tibi conſideranda principia, & ſcribenda: ſed, conſiderato omni negotio, tunc appoſite ſumere exordium debebis. HAE *partes eſſe ſex omnino nobis uidentur,*] Multi enim quattuor eſſe dixerunt, ideſt exordium, narrationem, quaeſtionem, epilogum. Cicero autem ſex eſſe dicit, ideſt exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehenſionem, concluſionem. epilogum ſcilicet, & recte confirmationem, & reprehenſionem. hoc enim maximum eſt oratoris officium, ut argumenta ſua primum afferat, deinde aduerſariorum diſſoluat. Quare, inquit, quoniam primum exordium eſt, principio exordij praecepta trademus.

CICERO

EXORDIVM *eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem: quod eueniet, ſi eum beneuolum, attentum, docilem fecerit. Quare, qui bene exordiri cauſſam uolet, eum neceſſe eſt genus ſuae cauſſae diligenter ante cognoſcere.*

EXPLANATIO

EXORDIVM *eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem:*] Optima definitio eſt, quae a genere incipit: deinde deſcendit ad ſpeciem: poſtremo ita propria complectitur, ut excludat omnino id, quod cum aliis poteſt eſſe commune. ut hic, ſex partes orationis Cicero ponit. Orator porro duo agit, aut fidem facit, aut animos cõmouet. quare in quattuor illis mediis partibus fit, in narratione, in partitione, in confirmatione, in reprehenſione. In exordio uero, uel epilogis animi commouentur. itaque, ut definiat exordium, a genere incipit, Exordium, eſt oratio. omnis enim pars oratio eſt. Deinde ſic deſcendit ad ſpeciem, ita ut excludat quattuor illas partes medias, quibus fides fit, Animum, inquit, auditoris idonee comparans. Sed, quia & in epilogis animi comparantur, ita proprium complectitur, ut excludat etiam epilogos. Ad reliquam, inquit, dictionem. Ita ergo exordij plena definitio eſt, Exordium, eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem. Verum cum aliquid fieri uolumus, primum definire debemus, quid ſit illud, quod fieri uolumus. ut hic de exordio definiuit, quid eſſet. Exordium eſt, inquit, oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem. Deinde debemus definire, quid inde fiat, ut hic fecit, QVOD *eueniet*, inquit, *ſi eum beneuolum, attentum, docilem fecerit.*] Sed quia non bene aliquid facimus, niſi prius ſciamus ubi faciendum ſit, prius oſtendit ubi faciendum ſit. poſtremo quemadmodum faciendum ſit. ait ergo tunc nos optime exordiri, ſi cauſſarum genera cognoſcamus. hoc eſt, ubi faciendum ſit.

CICERO

GENERA *cauſſarum ſunt quinque, honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum. Honeſtum genus eſt, cui ſtatim ſine oratione noſtra auditoris fauet animus. Admirabile, a quo alienatus eſt animus eorum, qui audituri ſunt. Humile, quod negligitur ab auditore, & non magnopere attendendum uidetur. Anceps, in quo aut iudicatio dubia eſt, aut cauſſa, & honeſtatis, & turpitudinis particeps, ut beneuolentiam pariat, & offenſionem. Obſcurum, in quo aut tardi auditores ſunt, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotiis cauſſa implicita eſt. Quare, cum diuerſa ſint genera cauſßarum, exordiri quoque diſpari ratione in unoquoque genere neceſſe eſt.*

EXPLANATIO

GENERA *caußarum ſunt quinque: honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum.*] Hic quaeſtio naſcitur, cum ſupra dixerit genera cauſſarum tria eſſe, demonſtratiuum, deliberatiuũ, iudiciale; cur hic rurſus

genera cauſſarum quinque eſſe dixit. Verum haec quaeſtio occulta nimis ratione, ac difficili diſputatione diſſoluitur. animaduertere enim debemus, quid Cicero ſecutus ſit. Res multae ſunt: quarum una, ſubſtantia: reliquae, accidunt. itaque cum ſubſtantiae acciderit una qualitas, poteſt & alia accidere: ſed quae non ſit in eodē genere, in quo prima qualitas fuit: utputa ſi dicas, Foliorum genera duo ſunt, & de membrana, & de charta. hic folium ſubſtantia eſt. acceſsit ei una qualitas de membrana, & de charta. Poteſt tamen eidem ſubſtantiae, id eſt folio, alia qualitas accidere, quae non ſit in eodem genere, in quo prima qualitas: ſi dicas Foliorum genera ſunt tria: eſt oblongum, eſt latum, eſt quadratum. Quare, ſi circa primam qualitatem numerus definitionis uarietur, uitium eſt: ſin autem in eadem ſubſtantia circa alias qualitates numerus definitionis uarietur, non eſt uitium, ut hic ait, Primum cauſſarum genera tria ſunt: cauſſa hic ſubſtantia eſt. accidit ei una qualitas, ut ſit demonſtratiuum genus, deliberatiuum, iudiciale. deinde ait, cauſſarum genera quinque ſunt, licet eadem ſit ſubſtantia, alia tamen ei qualitas accidit. in iudiciali enim, ſiue alio genere cauſſae, inuenitur & honeſtum cauſſae genus, & admirabile, & humile, & anceps, & obſcurum. Ergo duplici hoc modo poſſumus intelligere, aut quod ſubſtantiae, multae ſaepe accidunt qualitates: aut quod multae qualitates ſubſtantiales ſunt: id eſt quod eis qualitatibus poſſunt aliae accidere qualitates. ut hic ſubſtantia eſt cauſſa, accidit cauſſae, ut ſit iudicialis. itaque iudicialis qualitas eſt. Rurſus haec ipſa qualitas ſubſtantialis eſt. nam accidit ei, ut habeat in ſe aut honeſtum cauſſae genus, aut admirabile, & humile, & anceps, aut obſcurum. Item in deliberatiuo genere cauſſae, uel demonſtratiuo, poteſt hoc ipſum euenire. Quare nullus hic error eſt generis cauſſarum circa definitionem numeri. ſiquidem ſubſtantiae nunc plures accidunt qualitates, ut ſupra docuimus: nunc multae ſunt qualitates ſubſtantiales, id eſt quibus poſſunt aliae incidere qualitates, quod ſimiliter ſupra docuimus. Ergo quinque genera dixit eſſe cauſſarum, honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurū. & definit genera ipſa. HONESTVM, inquit, *cauſſae genus eſt, cui ſtatim ſine oratione noſtra auditoris fauet animus.*] Definitio, nunc ex rebus ipſis, nunc ex euentu rerum colligitur. has itaque definitiones Cicero non ex rebus ipſis, ſed ex euentu rerum colligit. ſaepe enim honeſtis, uel non honeſtis rumorum opinionibus abutimur, & quia rumori facile creditur. Peruenit autem rumor uſque ad iudicem, orator porro apud iudicem agit: neceſſario non rei honeſtum ſequi debet, ſed opinionem, quae etiam iudici nota eſt. Ergo Cicero honeſtum cauſſae genus non ex rebus definiuit, ſed ex euentu rerum, qui notus eſt iudici. Honeſtum, inquit, cauſſae genus eſt, cui ſtatim ſine oratione noſtra fauet auditoris animus. Ergo, ſi & ſtatim, & ſine oratione noſtra fauet iudex, opinionem ſequitur, id eſt euentum rerm. ADMIRABILE *eſt, a quo eſt alienatus animus eorum, qui audituri ſunt.*] Et haec definitio de animis iudicum eſt. Admirabile eſt, inquit, cauſſae genus, cum is defenditur, quem ob magnitudinem criminis, defendi nullus poſſe credebat. itaque hic iudices beneuoli faciendi ſunt. HVMILE, *quod negligitur ab auditore, & non magnopere attendendum uidetur.* Humile cauſſae genus eſt, ſi de re abiecta ſit controuerſia. in hoc genere attenti auditores faciendi ſunt. haec quoque definitio de animis iudicum ſumpta eſt. ANCEPS, *in quo, aut iudicatio dubia eſt, aut cauſſa, & honeſtatis, & turpitudinis particeps,*] Haec definitio, & ab ipſis rebus ſumpta eſt. uerum Anceps, inquit, cauſſa duobus modis eſt, ſi aut iudicatio dubia ſit, aut in honeſtiſsima materia. ut in Oreſtis themate, quia non una ratio eſt, iudicatio quoque ſit dubia. Occidiſti. Iure occidi. nam illa, Patrem meum occidit. Etiam ſi patrem occidit, non iure a filio mater occiſa eſt. Iudicatio an cum illa patrem occiderit, iuſte a filio occiſa uideatur. deinde poteſt, & haec ratio eſſe, Iure occidi: nam, ut id facerem, Apollo reſpondit. Infirmatio rationis. Etiamſi id Apollo reſpondit, non iuſte a filio mater occiſa eſt. Iudicatio, An cum Apollo reſponderit, iuſte mater a filio uideatur occiſa. Ergo in hoc themate iudicatio dubia eſt. Deinde fit anceps cauſſae genus, ſi habeat in ſe cauſſam & honeſtatis, & turpitudinis. Si lenonis filius fortiter faciat, & praemium petat. honeſtum eſt, quod fortiter fecit: turpe, quod filius lenonis. in hoc quoque genere cauſſae beneuolentiam comparare debemus. OBSCVRVM, *in quo aut tardi auditores ſunt, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotijs cauſſa implicata eſt.*] Quod obſcurum eſt. Si aut is, qui enarrat, non intelligit. aut is, cui narratur, tardior eſt: aut ſi res ipſa perplexa eſt. Verum hic duo poſuit. ſuperfluum enim fuerat, cum de oratore hic perfecto loquatur, ſi aliquid de eius imprudentia diceret. Hic itaque iudices dociles facere debemus. Ergo oſtendit primum, quid eſſet exordium, Animorum, inquit, commotio. deinde oſtendit, quid inde fiat, aut attentus, aut docilis, aut beneuolus. deinde ubi fiat, ideſt in generibus quinque cauſſarū. Et oſtendit, quae eſſent genera. nunc per quid faciendum, id eſt per principium, & inſinuationem. Itaque breuiter, quid in hac lectione contineatur, explicabimus.

CICERO

IGITVR *exordium in duas partes diuiditur, in principium, & inſinuationem. Principium eſt oratio perſpicue & protinus perficiens auditorē beneuolum, aut docilem, aut attentum. Inſinuatio eſt oratio quadam diſſimulatione, & circuitione obſcure ſubiens auditoris animum. In admirabili genere cauſſae, ſi non omnino infeſti auditores erunt, principio beneuolentiam comparare licebit: ſin erunt uehementer abalienati, confugere neceſſe erit ad inſinuationem. nam ab iratis ſi perſpicue pax, & beneuolentia petitur, non modo ea non inuenitur, ſed augetur, atque inflammatur odium. In humili autem genere cauſſae contemptionis tollendae cauſſa, neceſſe erit attentum efficere auditorem. Anceps genus cauſſae ſi dubiam iudicationem habebit, ab ipſa iudicatione exordiendum eſt: ſin autem partem turpitudinis, & partem honeſtatis habebit, beneuolentiam captare oportebit, ut genus honeſtum cauſſa tranſlata uideatur. cum autem erit honeſtum cauſſae genus, uel praeterirī*

principium poterit; &, ſi commodum fuerit, aut a narratione incipiemus, aut a lege, aut ab aliqua firmiſſima ratione noſtrae dictionis: uel ſi de principio placebit, beneuolentiae partibus utendum eſt, ut id, quod eſt, augeatur. In obſcuro cauſſae genere, per principium dociles auditores efficere oportebit. Nunc, quoniam, quas res exordio conficere oporteat, dictum eſt; reliquum eſt, ut oſtēdatur, quibus quaeque res rationibus confici poſſit.

EXPLANATIO

EXORDIVM, inquit, *in duo diuiditur, in principium, & inſinuationem.*] Horum duorum hanc differentiam teneamus. In principio aperte & (ut ipſe ait) protinus iudices nobis aut attentos, aut dociles, aut beneuolos comparamus. In inſinuatione uero occulte, & quibuſdam circuitionibus. Hoc quoque compendiū tenere debemus, quod in omnibus cauſſae generibus principio nobis utendum eſt: in admirabili uero, nunc inſinuatione, nunc principio. Principio tunc auditores non omnino erunt alienati. inſinuatione tunc, ſi uehementer eruni alienati.

CICERO

BENEVOLENTIA *quattuor ex locis comparatur, ab noſtra, ab aduerſariorum, ab iudicum perſona, a cauſſa. Ab noſtra, ſi de noſtris factis, & officijs ſine arrogantia dicemus: ſi crimina illata, & aliquas minus honeſtas ſuſpiciones iniectas diluemus: ſi, quae incommoda acciderunt, aut quae inſtent difficultates, proferemus: ſi prece, & obſecratione humili, ac ſupplici utemur. Ab aduerſariorum autem, ſi eos aut in odium, aut inuidiam, aut in contemptionem adducemus. In odium adducentur, ſi quid eorum ſpurce, ſuperbe, crudeliter, malitioſe factum proferetur. In inuidiam, ſi uis eorum, potentia, diuitiae, cognatio, pecuniae proferentur, atque eorum uſum arrogans, & intolerabilis; ut his rebus magis uideantur quam cauſſae ſuae confidere. In contemptionem adducentur, ſi eorum inertia, negligentia, ignauia, deſidioſum ſtudium, & luxurioſum otium proferetur. Ab auditorem perſona beneuolentia captabitur, ſi res ab his fortiter, ſapienter, manſuete geſtae proferentur, ut ne qua aſſentatio nimia ſignificetur: & ſi, de his quam honeſta exiſtimatio, quantaq. eorum iudicij, & auctoritas exſpectatio ſit, oſtendetur. Ab ipſis rebus, ſi noſtram cauſſam laudando extollemus, aduerſariorum cauſſam per contemptionem deprimemus.*

EXPLANATIO

BENEVOLENTIA *quattuor locis comparatur. Ab noſtra, ab aduerſariorum, ab iudicum perſona, ab ipſa cauſſa.*] Beneuolos, inquit, iudices a quattuor locis facere debemus, uel poſſumus. a noſtra perſona, ab aduerſariorum, a iudicum, ab ipſa cauſſa. Rurſus a noſtra perſona quattuor ex locis beneuolentiam iudicis poſſumus comparare, Si de noſtris inquit, factis, & officiis ſine arrogantia dicemus. Plena enim gloria in his duobus eſt in factis, & officijs. Officium eſt, quod ex legibus, uel ex natura neceſſe eſt nos implere. Factum uero eſt, quod ſupra, quam debemus, praeſtamus. Ergo, ſi de noſtris factis, & officiis, ſed ſine arrogantia dicemus. Deinde, ſi crimina, inquit, illata, & aliquas minus honeſtas ſuſpiciones iniectas diluemus. Id eſt ſi ea, quae ad deformationem perſonae noſtrae praeter iudicialem quaeſtionem fuerint obiecta, diluemus. deinde ſi aliquid futurum mali praedicemus, quomodo ipſe Cicero, Moneo, praedico, ante denuncio. Poſtremo a noſtra beneuolentiam comparamus, Si, inquit, pro nobis ſupplici utamur oratione. Deinde ab aduerſariorum perſona, tribus ex locis, beneuolentiam iudicis comparamus, ſi eos aut in odium, aut in contemptionem, aut in inuidiam deduxerimus. In inuidiam ſic: Si eorum potentiam, gratiam, pecuniam proferamus. Et, quoniam haec interdum non modo non crimini, ſed etiam decori ſunt: recte addidit horum omnium uſum arrogantem. multae enim res per ſe malae ſunt, multae cum ſint mediae, ex euentu bonae, uel malae fiunt. deinde in contemptionem ſic aduerſarios adducimus, ſi eos contennendos eſſe dicamus, quod aut negligentes ſint, aut ignaui. Ab iudicum perſona uero duobus ex locis beneuoleutiam comparamus: ſi eorum bene geſta ſine adulatione proferamus: & ſi dicamus praeſentis iudicij magnam eſſe exſpectationem. Poſtremo ab ipſo negotio duobus ex locis beneuolentiam comparamus: ſi noſtram cauſſam laudando extollamus, aduetſariorum uituperando deprimamus.

CICERO

ATTENTOS *autē faciemus, ſi demonſtrabimus ea, quae dicturi erimus, magna, noua, incredibilia eſſe, aut ad omnes, aut ad aliquos illuſtres homines, aut ad deos immortales, aut ad ſummam reipub. pertinere: & ſi pollicebimur nos breui noſtram cauſam demonſtraturos, atque exponemus iudicationem, aut iudicationes, ſi plures erunt. Dociles auditores faciemus, ſi aperte, & breuiter ſummam cauſſae exponemus, hoc eſt, in quo conſiſtat controuerſia. nam &, cum docilem uelis facere, ſimul attentum facias oportet. nam is maxime docilis eſt, qui attentiſſime eſt paratus audire. Nunc, inſinuationes quemadmodum tractari conueniat, deinceps dicendum uidetur.*

EXPLA-

EXPLANATIO

ATTENTOS *autem faciemus, ſi demonſtrabimus ea, quae dicturi erimus, magna, noua,*] Nunc docet quemadmodum attentos iudices facere debeamus; Attentos, inquit, iudices faciemus, ſi nos magna promittamus dicturos eſſe, ut ait Virgilius, Maius opus moueo. Deinde ſi noua nos dicturos eſſe dicamus. Interdum etiam ſi magna, inquit, non ſit res, tamen noua, animos auditorum facit attentos. Poſtremo ſi incredibilia. neceſſario etenim attente audiendum eſt, quod uix poſſe credi promitto. Deinde, ſi haec, inquit, magna, noua, incredibilia, dicamus nunc [*ad omnes pertinere*] ut ſaepe Cicero ait, de quo agitur non ad ſolum reum, ſed ad omnium fortunas pertinere. nunc [*ad eos qui audiunt*] ut Cicero ſaepe ait, hoc ideo agi, ut a iudicibus iudicia transferantur. nunc [*ad aliquos illuſtres*] ſi dicamus rem iſtam ad ſacerdotes, ad ſenatores, uel alios huiuſmodi pertinere. nunc [*ad deos immortales*] ut Cicero de domo ſua dicit, Rem ad deos pertinere, ne ipſi Ciceronem domo expuliſſe uideantur. nunc [*ad ſummam rempublicam pertinere*]. ergo his omnibus attentos iudices facimus. Nec non, inquit, etiam tunc attentos iudices facimus, cum nos breuiter dicturos eſſe promittimus. Et, ne mentiri nos iudices putent, quod breuiter nos dicturos eſſe promittimus, exponere, inquit, debemus iudicationem, aut iudicationes, ſi plures erunt. Deinde oſtendit, quo pacto dociles auditores facere debeamus, Si, inquit, in principiis, ea, quae ſunt nobis dicenda, ponamus, ut nobis iudices ad cognoſcendũ negotium comparemus. Praeterea, inquit, cum dociles iudices facimus, ſimul attentos iudices facere debemus. Ita ipſe Cicero in Cluentiana facit dociles iudices, cum ait, Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Deinde facit attentos, cum ait, Quarum altera mihi niti, & magnopere confidere uidebatur inuidia inueterata iudicij Iuniani, &c. Tunc etenim, inquit, iudex melius docilis fiet, ſi & attentus fuerit effectus. Haec de principiis. nunc nobis de inſinuatione dicendum eſt.

CICERO

INSINVATIONE *igitur utendum eſt, cum admirabile genus cauſſae eſt, hoc eſt, ut ante diximus, cum animus auditoris infeſtus eſt. Id autem tribus ex cauſſis fit maxime: ſi aut ineſt in ipſa cauſſa quaedam turpitudo, aut ſi ab iis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori perſuaſum uidetur, aut eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi, quos audire oportet, defeſſi ſunt audiendo. nam ex hac quoque re non minus, quam ex primis duabus, in oratione nonnumquam animus auditoris offenditur. Si cauſſae turpitudo contrahet offenſionem; aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet; aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quae probatur; aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur; & diſſimulare id te defenſurum, quod exiſtimeris defenſurus. Deinde, cum iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defenſionem, & dicere, ea, quae indignantur aduerſarij, tibi quoque indigna uideri. Deinde, demonſtrare nihil eorum ad te pertinere, & negare te quidquam de aduerſariis eſſe dicturum, neque hoc, neque illud, ut neque aperte laedas eos, qui diliguntur, & tamen id obſcure faciens, quoad poſſis, alienes ab eis auditorum uoluntatem; & aliquorum iudicium ſimili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam. Deinde aut eandem, aut conſimilem, aut maiorem, aut minorem agi rem in praeſentia, demonſtrare. Sin oratio aduerſariorum fidem uidebitur auditoribus feciſſe, id quod ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu; oportet aut de eo, quod aduerſarij ſibi firmiſſimum putarint, & maxime ij, qui audierint, probarint, primum te dicturum polliceri: aut ab aduerſarij dicto exordiri, & ab eo potiſſimũ, quod ille nuperrime dixerit; aut dubitatione uti, quid primum dicas, aut cui potiſſimum loco reſpondeas cum admiratione. nam auditor cum eum, quem aduerſarij perturbatum putant oratione, uidet animo firmiſſimo contradicere paratum; plerumque ſe potius temere aſſenſiſſe, quam illum ſine cauſſa confidere arbitratur. Sin auditoris ſtudium defatigatio abalienauit a cauſſa; te breuius, quam paratus fueris, eſſe dicturum, commodum eſt polliceri; non imitaturum aduerſarium. Sin res dabit, non inutile eſt ab aliqua re noua, aut ridicula incipere, aut ex tempore, quae nata ſit, quod genus ſtrepitum, acclamationem; aut iam parata, quae uel apologum, uel fabulam, uel aliquam contineat irriſionem: aut, ſi rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triſte, nouum, horribile, ſtatim non incommodum eſt iniicere. nam, ut cibi ſatietas, & faſtidium, aut ſubamara aliqua re releuatur, aut dulci mitigatur: ſic animus defeſſus audiendo, aut admiratione integratur, aut riſu renouatur. Ac ſeparatim quidem, quae de principio, & inſinuatione dicenda uidebantur, haec fere ſunt: nunc quiddam breuiter, & communiter de utroque praecipiendum uidetur.*

EXPLANATIO

INSINVATIONE *igitur uidendum eſt, tum admirabile genus cauſſae eſt,*] Diximus, principiorum triplicem eſſe finem, ſcilicet ut aut beneuolos iudices, aut attentos, aut dociles faciamus. Idem nobis, & in inſinuatione faciendum eſt. ſed hoc intereſt: quod in principiis hoc aperte facimus: in inſinuatione occulte, & quibuſdam circuitionibus. nec in alio cauſſae genere, niſi in admirabili, tunc cum animi iudicum erunt uehementer offenſi. Ergo, inquit, inſinuatione tunc erit nobis utendum, cum animi iudicum fuerint offenſi. Et oſtendit quibus rebus offenſos iudicum animos poſsimus agnoſcere. prius enim uulnus inſpiciendum eſt: ſic apponenda medicina. Tribus, inquit, uel maxime cauſsis animi iudicum offenduntur. uerum cum ait [*maxime*], oſtendit & aliis cauſsis offendi iudices, ſed his plerumque, ſi aut in negotio ipſo ineſt aliqua turpitudo, ut res

ipſa praeter perſonas,aut iudicis,aut agetis pariat offenſionem. aut ſi iam aliquid iudicibus ab ijs, qui primum dixerunt,perſuaſum uidetur: & ideo is,qui poſt dicturus eſt,nō libenter auditur. aut,ſi illi,qui audituri ſunt, alios audiendo coeperint eſſe offenſi. Quare, cum haec animaduerteris, ſingula hac dicendi arte ſanabis. Si *cauſſae turpitudo contrahet offenſionem;*] Duobus modis cauſſa contrahit turpitudinem. aut enim res turpis eſt,aut perſona. Si,inquit,perſona turpis fuerit, aut alium hominem ſubiicies, qui ametur: aut rem pro perſona. Deinde,ſi res turpis fuerit,aut aliam rem,quae honeſta eſt,ſubiicies: aut pro re,hominem. ſi utrūque turpe fuerit,& res,& perſona: commodum erit cauſſam non ſuſcipere. tamen ſi quid leuiter turpe fuerit, poteſt ſuſcipi. Deinde,inquit,debebis diſsimulare defenſionem. poſtquā mitiores reddiderit auditores,paulatim ingredi in eandem defenſionem,& dicere ea,quae aduerſariis diſpliceant, tibi etiam diſplicere: ſed nihil horum ad tuum negotium pertinere. Deinde,inquit,occulte,& de aduerſariis detrahere debebis. Poſtremo, inquit, de ſimili negotio aliquorum iudicum afferri oportebit exemplum. Animaduertere tamen debemus, ut & in inſinuatione quattuor locis praeceperit beneuolentiam comparãdam,ideſt ab ipſa cauſſa, a noſtra perſona,ab aduerſariorum,a iudicum. A cauſſa dixit poſſe beneuolentiam comparari. ubi ait, Aut pro eo homine,in quo offenditur,alium hominem,qui diligitur,interponi oportet,&c. Deinde oſtendit quemadmodum a noſtra perſona beneuolentiam comparemus,cum ait, Et diſsimulare id te defenſurum,quod exiſtimeris defenſurus. Deinde cum iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetenim in defenſionem, & dicere ea, quae indignentur aduerſarij,tibi quoque indigna uideri. Ad aduerſariorum uero perſona, docet quemadmodum beneuolentiam comparemus,cum dicit, Et negare te quidquam de aduerſariis eſſe dicturum, neque hoc, neque illud,ut neque aperte laedas eos,qui diliguntur. & tamen id obſcure facies,quoad poſsis,alienes ab eis auditorum uoluntatem. Poſtremo docet,ut a iudicum perſona beneuolentia comparemus, cum ait, Et aliquorum iudicum ſimili de re,aut auctoritatem proferre imitatione dignam. Verum quod ait, Deinde, *aut eandem,aut conſimilem,aut maiorem,aut minorem agi rem in praeſentia demonſtrare.*] Etenim ſemper poſt exemplum facienda eſt comparatio. Comparatio porro nunc a pari,nunc a maiori, nunc a minori ſemper fiat neceſſe eſt. Sin *oratio aduerſariorum,&c.*] Oſtendit,quod primum fuit, ſi per cauſſae turpitudinem auditores offenſi exſtitiſſent,quibus modis ab iis poſſet beneuolentia comparari. Nunc,inquit, ſi oratio aduerſariorum dictis fidem fecerit,& ideo iudices uidentur abalienati,tribus modis beneuolentiam comparemus. ſi aut ab eo argumento,quod ſibi firmiſsimum crediderant aduerſarij,te dicturum eſſe promittas. aut, ſi ab eo dicto incipias,quod aduerſarius nuper dixerit. aut,ſi,inquit,cum admiratione dubites, cui potiſsimum reſpondeas quaeſtioni. Cum enim,inquit,te iudices uiderint paratum ad reſpondendum, exiſtimabunt ſibi non recte ab iis,qui ante dixerunt id,quod crediderant fuiſſe,perſuaſum. Sin *auditoris ſtudium, &c.*] Poſtremo docet,quo pacto beneuolentiam nobis a iudicibus comparemus,ſi forte ipſi iudices defatigati fuerint multos audiendo,Primo,inquit,oportebit polliceri breuius te,quam fueris,eſſe dicturum. Deinde ſi ita habebit negotium,utile erit,rebus nouis, uel ridiculis riſum iudicibus, aut iocum mouere. atque id,duplici modo. aut ex tempore,ſi forte clamor,aut ſtrepitus aliunde fuerit exortus: aut cogitatis,paratiſque, ut uel a fabula incipias,uel apologo ad praeſens negotium pertinentibus. Fabulae ſunt, quas fere uidemus exſtitiſſe ex Phedris, Medeis,Clytemneſtris,aliiſq. ſimilibus. Apologi ſunt ex rebus humilibus compoſitae quaedam formae, ac ſpecies ad uiuendum. ut exſtat illa de mure,& leone. Ergo,ſi,inquit,negotij dignitas patietur, riſum, uel iocum mouere oportebit. ſin autem tale negotium fuerit,ut iocandum non ſit, a re aliqua triſti, & ſeuera commodum erit incipere. Nam (ut inquit) cibi faſtidium nunc dulci re mitigatur,nunc ſubamara releuatur: ita, inquit,ſtudium audiendi apud iudices,nunc rebus ridiculis,nunc aſperioribus redintegratur. Ac *ſeparatim quidem,quae de principio, & inſinuatione dicenda uidebantur,haec fere ſunt:*] Supra,inquit,quid in principiis faciendum eſſet, quid in inſinuatione, ſeparatim diſputauimus. nunc, inquit, breuiter in utrumque praecepta dabimus.

CICERO

Exordium ſententiarum, & grauitatis plurimum debet habere, & omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, continere in ſe; propterea quod id optime faciendum eſt, quod oratorem auditori maxime commendat: ſplendoris, & feſtiuitatis, & concinnitudinis minimum; propterea quod ex his ſuſpicio quaedam apparitionis, atque artificioſae diligentiae naſcitur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem.

EXPLANATIO

Exordium *ſententiarum, & grauitatis plurimum debet habere, & omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in ſe continere;*] Sententiarum,inquit,non illarum,quae generaliter dicuntur. ut eſt illud, Obſequium amicos,ueritas odium parit. Praeceptum eſt autē,ne quid in principiis generaliter dicatur. ſed hic. Sententias accipiamus ſenſus,atque inuentiones plurimas. Atque eaſdem graues,propterea, inquit, ut commendati ſimus auditoribus. In exordio omnia illa habere debemus,quae nobis,& orationi noſtrae pariant dignitatem. Splendoris, *& feſtiuitatis, & concinnitudinis minimum;*] In exordio,inquit,nihil ſplendidum, nihil diligenter accuratum habere debemus,ne ipſa dicendi diligentia diffidentiam negotij demonſtremus. Docuit, quid in principiis,quid in inſinuatione,quid generaliter in utroque obſeruare debemus. quare, poſtquam oſtēdit, quid faciendum eſſet,praecipit rurſus,quid faciendum ſit.

CICERO

VITIA *uero haec ſunt certiſſima exordiorum, quae ſummopere uitare oportebit, uulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, tranſlatum, contra praecepta. Vulgare eſt, quod in plures cauſſas poteſt accommodari, ut conuenire uideatur. Commune eſt, quod nihilo minus in hanc, quam in contrariam partem cauſſae poteſt conuenire. Commutabile, quod ab aduerſario poteſt leuiter mutatum ex contraria parte dici. Longũ eſt, quod pluribus uerbis, aut ſententiis, ultra quam ſatis eſt, producitur. Separatum, quod non ex ipſa cauſſa ductum eſt; nec, ſicut aliquod membrum, annexum orationi. Tranſlatum eſt, quod aliud conficit, quam cauſae genus poſtulat: ut, ſi quis docilem faciat auditorem, cum beneuolentiam cauſſa deſiderat: aut, ſi principio utatur, cum inſinuationem res poſtulat. Contra praecepta eſt, quod nihil eorum efficit, quorum cauſſa de exordiis praecepta traduntur; hoc eſt, quod eum, qui audit, neque beneuolum, neque attentum, neque docilem efficit; aut, quo profecto nihil peius eſt, ut contra ſit, facit. Ac de exordio quidem ſatis dictum eſt.*

EXPLANATIO

VITIA *uero haec ſunt certiſſima exordiorum,*] Cum ait [*certiſſima*], oſtendit, & ſupra ſe nonnihil de uitiis exordij dixiſſe. ait enim, Splendoris, & feſtiuitatis, & concinnitudinis minimum, in exordio eſſe debebit. uerum haec maxima uitia exordiorum eſſe dicit, atque haec omnino uitanda eſſe praecipit: Vulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, tranſlatum, contra praecepta. VVLGARE *eſt, quod in plures cauſſas poteſt accommodari, ut conuenire uideatur.*] Ideſt, quod dicitur generale principium, & quod non unius, ſed omnium poteſt eſſe cauſſarum. ſic incipias, Iouem ego optimum maximum uellem, ſi fieri poſſet, iudices. COMMVNE *eſt, quod nihilo minus in hanc, quam in contrariam partem cauſſae poteſt conuenire.*] Inter uulgare, & commune hoc intereſt. Vulgare, omnium controuerſiarum eſt. Commune, in eadem controuerſia utriuſque partis. itaque Commune ſpecie includitur, Vulgare uero generale eſt. Quare commune erit, quod tam a nobis, quam ab aduerſariis dici poteſt. COMMVTABILE *eſt, quod ab aduerſario poteſt leuiter mutatum ex contraria parte dici.*] Commutabile eſt, inquit, quod non quidem ab aduerſariis dici pro ſe poſsit, ut ita a te probatum eſt: ſed commutato uerbo, uel addito poſsit in partem contrariam commutari. LONGVM *eſt, quod plurimis uerbis, aut ſententiis, ultra quam ſatis eſt, producitur.*] Meminimus in duobus eſſe orationem noſtram: nunc in uerbis ſingulis, nunc in coniunctis, quae ſententiae dicuntur. Itaque, inquit, longum eſt, quod nimis, aut in uerbis, aut in ſententiis inuolutum eſt. SEPARATVM *eſt, quod non ex ipſa cauſſa ductum eſt, nec ſicut aliquod membrum nexum orationi.*] Separatum eſt, quod non eſt proprij negotij, neque eius cauſſae, qua de agitur: Vt, ſi homicida tibi accuſandus ſit, & tu ab adulterij facinoribus exordium ſumas. TRANSLATVM *eſt, quod aliud conficit, quam cauſſae genus poſtulat, ut, ſi quis docilem faciat aoditorem, cum beneuolentiam cauſſa deſideret;*] Et ſupra dixit, Quare, cum tam diuerſa ſint genera cauſſarum, exordiri quoque diſpari ratione in unoquoque neceſſe eſt. Ergo tranſlatum eſt, inquit, cum ignoto genere cauſſae, aut dociles pro attentis, aut attentos pro beneuolis faciendos nobis iudices putamus. CONTRA *praeceptum eſt, quod nihil eorum efficit, quorum cauſſa de exordiis praecepta traduntur;*] Contra praeceptum eſt, inquit, quod iudicum animos ſibi non comparat, interdum etiam infeſtos facit. Quare finitis exordij praeceptis, nunc nobis de narratione dicendum eſt.

CICERO

NARRATIO *eſt, rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio. Narrationum tria ſunt genera. Vnum genus eſt, in quo ipſa cauſſa, & omnis ratio controuerſiae continetur. Alterum, in quo digreſſio aliqua extra cauſſam, aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis non alienae ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis cauſſa interponitur. Tertium genus eſt remotum a ciuilibus cauſſis, quod delectationis cauſſa non inutili cũ exercitatione dicitur, & ſcribitur. Eius partes ſunt duae, quarũ altera in negotiis, altera in perſonis maxime uerſatur. Ea, quae in negotiorum expoſitione poſita eſt, tres habet partes, fabulam, hiſtoriam, argumentum. Fabula eſt, in qua nec uerae, nec ueriſimiles res continentur. Cuiuſmodi eſt: Angues ingentes alites iuncti iugo. Hiſtoria eſt geſta res, ab aetatis noſtrae memoria remota. quod genus, Appius indixit Carthaginienſibus bellum. Argumentum eſt ficta res, quae tamen fieri potuit. huiuſmodi apud Terentium.*

Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis Soſia.

Illa autem narratio, quae uerſatur in perſonis, eiuſmodi eſt, ut in ea ſimul cum rebus ipſis perſonarum ſermones, & animi perſpici poſſint, hoc modo:

Venit ad me ſaepe clamitans, Quid agis Mitio?
Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus ſumptus ſuggeris?
Veſtitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipſe durus eſt, praeter aequum & bonum.

Hoc in genere narrationis multa ineſſe debet feſtiuitas, confecta ex rerum uarietate, animorum diſſimilitudine, grauitate, lenitate, ſpe, metu, ſuſpicione, deſiderio, diſſimulatione, errore, miſericordia, fortunae commutatione, inſperato incommodo, ſubita laetitia, iucundo exitu rerum. Verum haec ex iis, quae poſtea de elocutione praecipientur, ornamenta ſumuntur. Nunc de narratione ea, quae cauſſae continet expoſitionem, dicendum uidetur.

EXPLANATIO

NARRATIO *eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio.*] Definit, quid ſit narratio. In definitione uero, ut ſaepe iam diximus, omnia, quae ad rem aperiendam pertinent, colligi, atque includi debent. Quare, quoniam non tantum illa narrantur, quae uere geſta ſunt, ſed etiam illa, quae non ſunt geſta, ſed geri potuerũt, ideo ait, Narratio eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio. Geſtarum rerum expoſitio eſt, negotiorum ciuilium, & hiſtoriarum. Vt geſtarum rerum expoſitio eſt comoediarum, fabularum & thematum, quae in auditorio dicuntur. Ergo tria genera narrationis eſſe dicit. Vnum, quod ſit in cauſſae expoſitione, ut eſt illud, C. Quinctius frater huiuſce P. Quinctij fuit & huic ſimilia. Verum, quoniam narratio cauſſae non id ſolum agit, ut res geſtas explicet, uerum etiam multa futuris praeſtruit quaeſtionibns, animaduertamus, ut Cicero utrumque complexus ſit. IN *quo ipſa cauſſa,* inquit,] Hoc ad rerum expoſitionem. ET *omnis ratio controuerſiae continetur.*] Hoc ad quaeſtiones pertinet. Ergo unum narrationis genus eſt, in quo ipſa cauſſa, & omnis ratio cõtrouerſiae continetur. Aliud genus narrationis eſt, quod extra cauſſam eſt, ſed ad cauſſam facit: ut eſt illud, Agonis eſt quaedam Lilybetana liberta Veneris Erycinae. Haec narratio extra cauſſam eſt: agitur enim, qui magis debeat accuſare. ſed tamen ad cauſſam facit. locus enim introducitur, in quo ſe Caecilius iniuriam a Verre paſſum eſſe commemorat, qua ſe laeſum accuſare debere contendit. Verum haec narratio extra cauſſam quattuor modis fit: aut criminationis cauſſa, aut ſimilitudinis, aut delectationis, aut amplificationis. Criminationis cauſſa fit, ut Dio quidam fuit Aleſinus, P. Aſellius mortuus eſt, C. Sacerdote praetore. Similitudinis cauſſa fit. ut eſt illud, Sic iſte multo ſceleratior, & nequior, quã ille Hadrianus aliquanto etiam felicior fuit. Digreſsio & haec uideri poteſt; ſed non eſt: quia non interponitur narratio, quae cauſſa eſt deliberationis. Delectationis cauſſa fit non alienae ab eo negotio, quo de agitur. ut, ſi prata, ſi nemora, ſi fontes, riuoſq. deſcribas, & hanc ipſam deſcriptionem ad cauſſam applices. Amplificationis cauſſa fit, ut eſt illud de Eriphyla, quae uiſum ornamentum adamauit. Amplificat crimen Verris, quod cum illa rem uiſam adamauerit, Verres multa etiam non uiſa concupierit. Ergo ſecundum genus narrationis hoc eſt, quae digreſsio dicitur: quae fit aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis, aut amplificationis cauſſa. Tertium genus narrandi eſt, quod extra oratorem eſt. hoc eſt, quod ait, REMOTVM *a ciuilibus cauſſis,*] Eſt autem poetarum, uel hiſtoriographorum. dat tamen etiam curſim in hanc narrationem praecepta. Haec, inquit, narratio remota a ciuilibus cauſsis, duo membra habet. Nam aut propter negotia exponenda ſumitur: uel propter perſonas quod eſt comoediographorum, & tragoediographorum. Veridici uero in utroque uerſantur: nam Virgilius Aeneae & mores, & facta deſcribit. Ergo haec narratio extra oratorem in duo diuiditur, in negotia, & in perſonas. uerũ illa narratio, quae in negotiis eſt, tres habet partes: Fabulam, Hiſtoriam, Argumentũ. Fabulam dicit eſſe, quae nihil ueri, nec ueriſimile continet: & dat exemplum. CVIVSMODI *eſt: Angues ingentes alites iuncti iugo.*] Verum hic quaeſtio eſt. cum in definitione generali narrationis dixerit, Narratio eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio: cur in fabulae definitione, quae utique, quoniam & ipſa narratio eſt, generi ſimilis eſſe debuit, ait, Fabula eſt, in qua nec uerae, nec ueriſimiles res cõtinentur. Deinde Hiſtoria eſt, inquit quae res ueras continet, ſed a noſtra memoria remotas: & dat exemplum Quod genus eſt, Appius indixit Carthaginiẽſibus bellum. Argumentum eſt, quod quidem non eſt factum, ſed fieri potuiſſe creditur. ut in Terentio adoleſcentis uita narratur. Nam is, poſtquam exceſsit ex ephebis Soſia. A negotiis ergo narratio tres partes habet, fabulam, hiſtoriam, argumentum. Fabula nihil ueri, nec ueriſimile continet: Hiſtoria, geſta praeteritorum: Argumentum, non uerum, ſed ueriſimile. ILLA *autem narratio, quae uerſatur in perſonis,*] exprimendis, talis eſſe, inquit debet, ut in narratione rerum, uim perſonae agentis, & animos oſtendat. & dat exemplum de Terentio, ubi Demeae, & Mictionis ſenum perſona morum contrarietate ſecernitur. VENIT *ad me ſaepe clamitans, quid agis Mictio? cur perdis adoleſcentem nobis? &c.*] In his omnibus & rigor, & auſteritas perſonae obiurgantis oſtenditur. Verum, ne nos perturbet, quod & in illa narratione, quae in negotiis eſt, ſaepe etiam perſona deſcribitur. nam deſcribitur Catilina, deſcribitur Sertorius, & reliqui. & illa rurſus narratione, quae de perſonis eſt, geſta etiam narrantur. Non inquam nos perturbent, quia miſta ſunt: ſed animaduertere debemus, quid, propter quid dicatur. Saepe enim perſona deſcribitur, ut negotiũ pateſcat. ſaepe geſta narrantur, ut apertius qualis ſit perſona uitioſa uideatur. Sed ad praeceptum narrationis illius reuertitur, quae ipſam cauſſam continet, & totius controuerſiae narrationem.

CICERO

OPORTET *igitur eam tres habere res, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit.*

EXPLANATIO

OPORTET *igitur eam tres habere res, ut breuis, ut aperta, ut probabilis ſit.*] Tres uirtutes ſunt narrationis, ut breuis ſit narratio, ut aperta, ut probabilis. uerum, ut haec tria ſemper per omnia ſint, non unum aliquod ex tribus. Itaque iſtae uirtutes, licet & aliis partibus orationis conueniant, narrationis tamen ſunt proprie. aliarum autem partium orationis uirtutes narrationi conuenire non poſſunt. Quaelibet reprehenſio, quaelibet confirmatio, quaelibet criminatio poteſt habere haec tria, ſed quaſi aliena. ipſa autem quae habent, narrationi non conueniunt, ut inductiones, ut ratiocinationes, & reliqua huiuſmodi, quae fidei ſunt, non affectus. Igitur tres iſtae uirtutes narrationi oratoriae conuenire poſſunt, & illi narrationi, quae extra ciuiles cauſſas eſt. namque hiſtoria & breuis eſſe debet in expoſitione, & aperta, & probabilis. ut Salluſtius ſibi omnia in Catilina tribuit, Quam breuiſsime potero paucis abſoluam. cum aliis hiſtoriographis ſingula tradidiſſet, in libro primo hiſtoriarum, Catoni breuitatem, Romani generis diſertiſsimus paucis abſoluit, Fannio uero ue

ritatem. Sed, ante, quam dicamus, ut breuis narratio fiat, ut aperta, ut probabilis, principio dicendum uidetur quid ſit narratio oratoria, quid agat, uel quo diſtet a reliquis partibus orationis. Oratio, quae negotium explicat, atque inſinuat audienti, narratio dicitur: explicans, quid geſtum ſit, aut per uerum, aut per uериſimile, id eſt, aut per id, quod geſtum eſt, aut per id, quod geri potuit. quae oratio tametſi partibus narratione plenis inclinetur in actoris commodum, non tamen ad pugnam continuo eaſdem partes ducit. negotium enim iudici inſinuatur, non pars negotij. Agitur enim, ut cauſſam iudex norit. cauſſa uero duarum partium eſt. Sed ſubtilitas exponentis aliquid, quod ſuae parti proſit, inſinuat. nam iudex ſic ab uno audit quaſi extra partem. Sed uere is optimus patronus eſt in narrando, qui ita narrat, ut, & aduerſarius ita narrare potuiſſe cedatur. uerum talis oratio eſſe non poteſt, cum crimina proponuntur. quibus in propoſitionibus, & ſi dicatur, Illud fuit, illud conſecutum eſt, & cetera ſimilia: tamen narratio non eſt: quoniã haec omnia ad criminationem continuo ducuntur, & non id agitur in hac oratione, ut iudex ſciat cauſſam, ſed, ut audiat crimen admiſſum. At in narratione, cum cauſſa omnis fuerit explicata, tunc crimen aut ab accuſatore proponitur poſt narrationem, quaſi intentio: aut a defenſore, quaſi quaeſtio, ut purgetur. Sextus Roſcius occiſus eſt. accuſator dicit, a filio: Tullius negat. hinc eſſe criminatio poteſt, & defenſio. Inſinuatur iudici per narrationem totum negotium, ubi, quando, quomodo, Sex. Roſcius ſit occiſus. Hoc dicat utraque pars neceſſe eſt. huic ſinguli ſubtiliter interiiciunt id, quod parti ſuae prodeſſe poſsit, non pugnae modo: ſed adiuncta uериſimilitudine, ut ita narret quaſi, & aduerſarius eodem modo narrare poſsit. Explicito negotio, cauſſaque cognita, incipit aduerſarius dicere, quod Sex. Roſcium filius interemit. & haec criminatio. Si autem defenſor eſt, proponit crimen, quaſi quaeſtionem, Occidiſſe patrem Sex. Roſcius arguitur. & affert argumenta, quibus hoc poſsit diſſoluere. Ita in dictionibus aliis, criminationes intelliguntur, uel propoſitiones criminum: cum oratio exponentis quodammodo implicatam ſecum habet intentionem. ut occidiſti, aut tuliſti. At, ubi narratio eſt, poſt narrationem dicuntur: ſed tamen in narratione ſignificatur iudici, non aperte ab oratore dicuntur.

C I C E R O

*B*REVIS *erit, ſi, unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, & non ab ultimo repetetur: & ſi, cuius rei ſatis erit ſummam dixiſſe, eius partes non dicentur: nam ſaepe ſatis eſt, quod factum ſit, dicere, non ut enarres quemadmodum ſit factum: & ſi non longius, quam quod ſcitu opus eſt, in narrando procedetur: &, ſi nullam in rem aliam tranſibitur: & ſi ita dicetur, ut nonnumquam ex eo, quod dictum ſit, id, quod dictum non ſit, intelligatur: & ſi non modo id, quod obeſt, uerum etiam id, quod nec obeſt, nec adiiuuat, praeteribitur: & ſi ſemel unumquodque dicetur: & ſi non ab eo, in quo proxime deſitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio decipit breuitatis, ut, cũ ſe breues putent eſſe, longiſſimi ſint: cum dent operam, ut res multas breuiter dicant, non ut omnino paucas res dicant, & non plures, quam neceſſe ſit. nam pleriſque breuiter dicere uidetur, qui ita dicit: Acceſſi ad pedes, puerũ euocaui: reſpondit: Quaeſiui dominum, domi negauit eſſe. Hic tametſi tot res breuius non potuit dicere, tamen, quia ſatis fuit dixiſſe, Domi negauit eſſe, ſit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere uitanda eſt breuitatis imitatio, & non minus rerum non neceſſariarũ, quam uerborum multitudine ſuperſedendum.*

E X P L A N A T I O

BREVIS *erit, ſi, unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, & non ab ultimo repetetur,*] Dixit ſupra narrationem oratoriam tres uirtutes habere debere: ut breuit ſit, ut aperta, ut probabilis. Nunc docet, breuis narratio quemadmodum eſſe poſsit, & breuis pro qualitate negotij. Breuis, inquit, erit, ſi initium ſumas a rebus neceſſariis, non ab ultimo. utputa, ſi nobis bellum Troianum narrandum ſit, debemus a raptu Helenae incipere, non a Leda, quae Helenam genuit. Ergo praecepta dat in breuem narrationem: quae in initio narrationis, quae in fine, quae in medio ſeruare debeamus. Atque hoc praeceptum, de initio narrationis, eſt quod ait, Breuis erit, ſi, unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, & non ab ultimo repetetur. ET, *ſi cuius rei ſatis erit ſummam dixiſſe, eius partes non dicentur:*] Vtputa, cum ſufficiat, dicere, Occidit: nos dicamus, & uoluit, & potuit, & occidit. cum harum partium ſumma ſit Occidit: & hoc dixiſſe ſufficiat. uerum hoc praeceptum, de medio narrationis eſſe poteſt. ET *ſi non longius, quam quod ſcitu opus eſt, in narrando procedetur.*] Ideſt, ſi narres quouſque narrandum eſt, non etiam illa narrentur, quae iam in tractus cadunt. utputa. Quidam fortiter fecit. petit, praemij nomine, aerarij dimidium. contradicitur. Narrandum eſt, quemadmodum fortiter fecerit: non etiam quemadmodum ad ciuitatem regreſſus ſit, & quemadmodum praemiũ petierit, & quemadmodum ei contradictum ſit. uerum hoc praeceptum de fine narrationis eſt. ET *ſi nullam in rem aliam tranſibitur:*] Scilicet ut illa tantum narres, quae ad cauſſam pertinent: non etiã aliqua, quae extra ſunt, & quae ad negotium minime pertinent. ET *ſi ita dicetur, ut nonnumquã ex eo, quod dictum ſit id, quod dictũ non ſit, intelligatur:*] Vt poſita ſecunda, quae ſunt ſua prima, declarent. ſi dicas, Inde cum reuerſus eſſem: utique cum dicis [*reuerſus*] oſtendiſti, & profectum neſcio quo, & perueniſſe, poſtremo reuerſum. ET *ſi non modo id, quod obeſt, uerum etiam id, quod nec obeſt, nec adiuuat, praeteribitur:*] Etenim, qui breuitati ſtudet, non modo illa in narratione praeterire debet, quae obfutura ſunt: uerũ etiam illa, quae nihil profutura. ET *ſi ſemel unumquodque dicetur:*] Id eſt, ut non modo illa praetereantur, quae aut obfutura ſunt, aut nihil profutura, uerum etiam illa, quae proſunt, ut ſemel dicantur, non bis, aut amplius. ET *ſi non ab eo, in quo proxime deſitum erit, deinceps incipietur.*] Praeceptum omne duplex eſt. nunc enim oſtendit, quid faciendũ ſit:

nunc

nunc quid non faciendum. Ita hic Cicero, in ſuperioribus oſtendit, quid eſſet in narratione faciendum: nunc oſtendit, quid ſit non faciendum. Et ſi non ab eo, inquit, in quo proxime deſitum erit, deinceps incipietur, Id eſt ne a re illa, quam nuper diximus, ad aliam rem ſumamus exordium. Si dicas, profectus urbe ſum: & cum eſſem profectus, ad uillam ueni: & cum ueniſſem. Quare is, qui breuiter narraturus eſt, iterare nihil debet. A c *multos imitatio breuitatis decipit, ut, cum ſe breues putent eſſe, longiſſimi ſint:*] Saepe, inquit, etſi dictio in uerbis breuis eſt, tamen longa efficitur, cum non neceſſariae res in narratione ponuntur. Quod ut nos non praetereat, primo nobis dicendum eſt, quemadmodum poſsimus intelligere, quod, ubicumque dicta ſint ſingula uerba, ſignificant res ſuas ſingulas, ut ſedet, currit, eo, uenio: item copulatio rationabilis uerborum plnrimorum unam rem continet: maxime autem ſi in narratione ſit, cum praemiſſa uerba, tertia perſona concludit. ut, M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulſo, ſegnior neque minus grauis, & multiplex cura patres exercebat. Haec tertia perſona unam rem fecit omnium ſuperiorum. Itaque in oratione tot res erunt, quot erunt, tertiae. Ergo in hac oratione, Acceſsi ad aedes, puerum euocaui. reſpondit. quaeſiui dominum. domi negauit eſſe. tertia perſona eſt [*reſpondit.*] Iam igitur una res eſt. fit autem altera cum domi negauit eſſe. Quare cum ſufficeret [*domi negauit eſſe*] abundauit rebus ſuperfluis. quia dixit ante [*reſpondit.*] ergo multos imitatio breuitatis decipit, qui cum res breuiſsime dicant, tamen, quia plures, quam oportet, dicunt, incipiunt breues non eſſe. Quamobrem, inquit, ſi breues eſſe uolumus, non ſolum uerba non neceſſaria praeterire debemus, ſed etiam res.

C I C E R O

*A*PERTA *autem narratio poterit eſſe, ſi, ut quidque primum geſtum erit, ita primum exponetur, & rerum, ac temporum ordo ſeruabitur; ut ita narrentur, ut geſtae res erunt, aut potuiſſe geri uidebuntur. Hic conſiderandum erit, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem tranſeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rẽ pertineat, praetereatur: & oĩno, quae praecepta de breuitate ſunt, hoc quoque genere ſunt conſeruanda. nã ſaepe res parũ eſt intellecta longitudine magis, quã obſcuritate narrationis. Ac uerbis quoque dilucidis utendum eſt: quo genere dicendum eſt in praeceptis elocutionis.*

E X P L A N A T I O

APERTA *autem narratio poterit eſſe,*] Dixit quemadmodũ breuis narratio eſſe poſsit: nunc quemadmodum aperta eſſe poſsit exponit. Illud autem perſpicere debemus, quod & in apertam narrationẽ illa dat praecepta, quae & in breuem. Hic etiam, quid in principio apertae narrationis, quid in fine, quid in medio facere debeamus, oſtendit. Nunc itaque totam complectitur narrationẽ, cum ait, Aperta aũt narratio poterit eſſe, ſi, ut quidque primum geſtum erit, ita primum exponetur. Scilicet ut non peruerſo narrandi ordine fiat iudicibus in cognitione confuſio. E T *rerum, ac temporum ordo ſeruabitur:*] Scilicet ne id primum nares, quod poſtea factum eſt. Quod ſi feceris, & in rerum, & in temporis ordine deliquiſti. V T *ita narrentur, ut geſtae res erunt, aut ut potuiſſe geri uidebuntur.*] Hoc eſt, quod ait ſupra in definitione narrationis, Narratio, eſt rerum, geſtarum expoſitio, ideſt uera, & uериſimilis. H I C *erit conſiderandum, nequid perturbate.*] Vt in praeceptis breuis narrationis primum oſtendit, quid faciendum eſſet, deinde, quid non faciendum. Conſiderandum, inquit, erit, ne quid pertubate dicatur, ideſt ſi rerum, ac temporum in narratione ordo mutetur. Deinde, inquit, nequid contorte, ideſt, cum interdum non facilis tranſitus, ac directus eſt, ſed obſcurus. NEQVAM *in aliam rem tranſeatur,*] Ne, omiſsis rebus ad praeſens negotium pertinentibus, non narrãda, atque aliena narremus. Hoc praeceptum etiam de breui narratione dedit, Et ſi in nullam aliam rem tranſibitur. N E *ab ultimo repetatur,*] Ita, ut ſupra de breui narratione, Si unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, nec ab ultimo repetetur. Verum hoc praeceptum etiam hic de initio narrationis eſt. N E *ad extremum prodeatur,*] Ita ut ſupra de breui uarratione, Et ſi non non longius, quam quod ſcitu opus eſt, narrando procedatur. Verum hoc praeceptum etiam hic de fine narrationis eſt. NEQVID, *quod ad rem pertineat, praetereatur:*] Hoc uitium mediae narrationis. ita ut principij uitium eſt, ſi ab ultimo repetatur: finis autem, ſi ad extremum prodeatur. Deinde concludit, Illa, inquit, omnia de breui narratione praecepta, etiam in aperta nobis ſeruanda ſunt. Nam, ut aperta non poſsit eſſe narratio, non intelligitur, ideſt, aperta non eſt longitudine magis, quam obſcuritate. ergo, ut apperta ſit narratio, & intelligatur, minime longa, ideſt breuis eſſe debebit. Praeterea, inquit, ut apertam habeamus narrationem, uti dilucido ac de proximo petito ſermone debemus.

C I C E R O

*P*ROBABILIS *erit narratio, ſi in ea uidebuntur ineſſe ea, quae ſolent apparere in ueritate, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur, ſi cauſſae factorum exſtabunt, ſi fuiſſe facultates faciundi uidebuntur, ſi tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis, ſi locus opportuuns ad eandem rem, qua de re narrabitur, fuiſſe oſtendetur: ſi res, & ad eorum, qui vgent, naturam, & ad uulgi morem, & ad eorum, qui audiunt, opinionem accommodabitur. ac ueri quidem ſimilis ex his rationibus eſſe poterit.*

EXPLANATIO

PRobabilis *erit narratio, ſi in ea uidebuntur ineſſe ea, quae ſolent apparere in ueritate,*] Secundum ordinem diuiſionis ſuae, poſtquam de breui, & aperta narratione tractauit, nunc incipit de narratione probabili diſputare. Probabilis, inquit, erit narrtio, ſi in ea fuerint illa omnia, quibus ſolet ueritatis inueniri. nam, in his ſeptem, omnis ad fidem argumentatio continetur. Septem illa ſuperiora, quis, quid, cur, ubi, quando, quẽadmodum, quibus adminiculis, omnes artium ſcriptores tractarunt, & in praecepta ſuarum artium reliquerunt. Verum Cicero rerum, ac temporum, perſonarumque conſiderans naturam, addidit illis omnibus octauam opinionem. & recte. Res enim omnes non per ſe ſunt, nec ex natura ualent, ſed opinione. neque enim cum dicimus [*tunicam*] per ſeipſam intelligimus tunicam eſſe, qua ueſtimur: ſed quia noſtra nobis opinione perſuaſum eſt, cum audierimus tunicam, intelligimus rem eſſe, qua ueſtimur. Et reliqua ſimiliter colligere poſſumus. Ergo Cicero omnia dicit. Hanc uero opinionem in tribus plenam eſſe dicit, Si id quod dicimus, a noſtra natura non abhorreat, ideſt, ab eorum natura pro quibus agimus; ſcilicet ne de pudiciita agat leno, de caſtitate meretrix. quod ſi fiat, probabilis narratio non erit. Deinde ut id, quod agimus, a populi more non abhorreat: ſcilicet ne contra conſuetudinem audientium loquaris, Si apud Romanos narres contra iuſtitiam, & ſi apud Scythas mores barbaros reprehendas. Poſtremo, ſi id id, quod agimus, cum eorum, quicumque audiunt iudicaturi, opinione conſentiat. Itaque narrationem probabilem eſſe dicit, ſi in ea ſint ſeptem illa: quis, quid, cur, ubi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis. Sed, cum omnia hic poſuerit, unum non poſuit, id eſt modum, quod eſt quemadmodum. & recte modum inter praecepta probabilis narrationis non poſuit. Non enim in modo fides fit, ſed magis auxeſis criminis. Et, quoniam praecepta haec, & ad coniecturam accommodata erunt, ubi factum negatur, merito modus eſſe non debuit, quia modus non excutitur, niſi factum conceditur. Cum autem in coniectura, ubi factum negatur, omnino eſſe non poterit, multo magis alibi modus non erit. Si autem in reliquis ſtatibus fuerit, auxeſis facti erit, non probabilis narrationis expoſitio. Ergo hic uideamus ſeptem illa abſque ſolo modo. Perſona, ſi perſonarum dignitates ſeruabuntur. Cauſſa, ſi cauſſae factorum exſtabũt. Facultas, ſi fuiſſe facultates uidebuntur. Tempus, ſi tempus idoneum. Locus, ſi locus opportunus. Videamus & opinionem, quae his omnibus quoque a Cicerone addita eſt. Si res, ad eorum, qui agent naturam, & ad uulgi morem, & ad eorum, qui audient, opinionem, accommodabitur. Si perſonarum dignitates ſeruabuntur. non honores, ſed prout quaeque digna ſit. SI *tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis,*] Duo ſunt tempora, unum per ſpatium, ideſt per interuallum: alud per opportunitatem. Spatium eſt unus, alter, multi dies, menſis, anni. Opportunitas eſt occaſio ex hominum actibus facta, ut bellum, pax, ludi, ſeditio. Hoc eſt ergo, quod ait, Si tempus idoneum, ſi ſpatij ſatis. Iam cum ait [*ſi tempus idoneum*] oſtendit tempus eſſe per opportunitatem.

CICERO

ILlud autem praeterea conſiderare oportebit, ne, aut cum obſit, narratio, aut cum nihil proſit, tunc interponatur; aut non loco, aut non quemadmodum cauſſa poſtulat, narretur. Obeſt tum, cum ipſius rei geſtae expoſitio magnam excipit offenſionem: quam argumentando, & cauſſam agendo lenire oportebit. quod cum acciderit, membratim oportebit partes rei geſtae diſpergere in cauſſam, & ad unamquamque confeſtim rationem accommodare; ut uulneri praeſto medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget. Nihil prodeſt narratio tunc, cum, ab aduerſarijs re expoſita, noſtra nihil intereſt iterum, aut alio modo narrare; aut cum ab iis, qui audiunt, ita tenetur negotium, ut noſtra nihil interſit eos alio pacto docere: quod cum acciderit, omnino narratione ſuperſedendũ eſt. Non loco dicitur, cum non in ea parte orationis collocatur, in qua res poſtulat: quo de genere agemus tum, cum de diſpoſitione dicemus: nam hoc ad diſpoſitionẽ pertinet. Non quemadmodum cauſſa poſtulat, narratur, cũ aut id, quod aduerſario prodeſt, dilucide, & ornate exponitur; aut id, quod ipſum adiuuat, obſcure dicitur, & negligenter. Quare, ut hoc uitium uitetur, omnia torquenda ſunt ad commodum ſuae cauſſae, contraria, quae praeteriri poterunt, praetereundo; quae illius erunt, leuiter attingendo, ſua diligenter, & enodate narrando. Ac de narratione quidem ſatis dictum uidetur. deinceps ad partitionem tranſeamus.

EXPLANATIO

ILlud *autem praeterea conſiderare oportebit,*] Supra docuit, quae in narratione ſeruanda ſint, & quemadmodum facienda: nunc in ipſam narrationem quattuor praecepta dat. Quaeſtio eſt enim, An ubique narrandum ſit. Deinde, ſi narrandum, quo loco narrandũ. Poſtremo, ſi ita narretur quẽadmodũ cauſſa poſtulet. Non ubique narrandũ eſt, inquit. Etenim, cum obeſt narratio, praetereũda eſt. & cũ nihil prodeſt, praetereunda eſt. Deinde, inquit, uidendũ eſt, quo loco narrandũ ſit. Saepe enim poſt argumenta narrandum eſt, ut Cicero in Miloniana fecit. Poſtremo ſecundum cauſſae genus narrandum eſt, ut quod non eſt praetereundũ, non praetereas: quod praetereundum, praetereas. OBEST *tum, cum ipſius rei geſtae expoſitio magnam excipit offenſionem:*] Obeſt, inquit, narratio, ſi cum aperis, atque inſinuas rei geſtae qualitatẽ, neceſſe habes tibi auditorẽ reddere infenſum. Quod cum cõtingit, non cõtexte, inquit, narrare debebis, nec cauſſam omnem indicare: ſed ſingulas cauſſae partes proponere, & his ſtatim argumẽta ſupponere, ut res dubia fidẽ pro agẽtis accipiat uoluntate. Praeterea, inquit, cum nihil prodeſt, narratio praeteriri debet. Nihil autem prodeſt narratio,

cum

cum ita ab aduerſariis cauſſa iudicibus expoſita eſt, ut a nobis aliter narrandum non ſit. Denique iam ſupra diximus non interdum opportuno loco poni narrationem. Verum hoc genus praecepti differt in id tempus, quo de diſpoſitione dicturus eſt. Non *quemadmodum cauſſa poſtulat, narratur,*] Praeuaricatio duobus modis fit. Si utilia noſtrae cauſſae cum obſcuritate dicamus: aut utilia aduerſariorum manifeſte, atque aperte proferamus. Verum haec tunc uitia ſunt, ſi, cum id facimus, nihil nobis prodeſt. Saepe enim prodeſt, ut tali praeuaricatione aliud, quod uolumus obtinere, poſsimus. Nam, ut obtineat Dauus, ne Chremes det filiam Pamphilo, aperte narrat id, quod contra Pamphilum poterat uideri. illum peregrinam amare, & filium ex ea ſuſcepiſſe. Nunc ſecundum ordinem propoſitae narrationis ad partitionis praecepta ueniamus.

CICERO

Recte *habita in cauſſa partitio, illuſtrem, & perſpicuam totã efficit orationem. Eius partes duae ſunt, quarum utraque magno pere ad aperiendam cauſſã, & conſtituendã pertinet controuerſiam. Vna pars eſt, quae, quid cum aduerſariis conueniat, & quid in controuerſia relinquatur, oſtendit: ex qua certum quiddam deſignatur auditori, in quo animum debeat habere occupatũ. Altera eſt, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breuiter expoſitio ponitur diſtributa: ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor; quibus dictis, intelligat fore peroratum. Nunc, utroque genere partitionis quemadmodum conueniat uti, breuiter dicendum uidetur.*

EXPLANATIO

Recte *habita in cauſſa partitio illuſtrem, & perſpicuam totam efficit orationem.*] Antequam de praeceptis partitionis dicamus, dicendum uidetur, quid interſit inter partitionem, & diuiſionem. Partitio eſt totius cauſſae per partes conſtitutio. Diuiſio eſt rerum ſub partitione iacentium. Verum hic hoc animaduertendũ eſt, ut definitionem partitionis non ab eo, quid ſit, ſed quid faciat, collegerit. Recte, inquit, habita in cauſſa partitio illuſtrem, & perſpicuam totam efficit orationem. Narrationis porro definitionem ab eo, quid ſit, ſcimus eſſe collectam. Narratio eſt rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio. Dicit itaque partitionem duas habere partes: diſtributionem, & aliam, quae oſtendit, quid aduerſarij confiteantur, & quid in contentione uerſetur. Verum utrarumque harum partium duplex effectus eſt. Aperit cauſſam, & controuerſiam conſtituit: aliud eſt enim, quo aperitur cauſſa, aliud quo conſtituitur controuerſia. Namque aperitur cauſſa in narratione, in qua etiam ſi intelligitur quae ſit controuerſia, non tamen ab oratore conſtituitur. Conſtituere eſt enim proponere, & dicere, quid in controuerſia ſit. Ergo in narratione aperitur cauſſa, non conſtituitur controuerſia. At in partitione tametſi aperitur cauſſa, tamen & controuerſia, ut non unum ſit, ſed utrumque fiat. Nam aperit utique cauſſam, quia partitur. quamquam alio modo aperit, quam in narratione. Cum enim dicit: Dicturus ſum de illo: aperta eſt cauſſa partitione, hoc eſt diſtributione. Item in alia partitione, cum dicitur, Illud manifeſtum eſt, illud negatur: utique aperitur cauſſa, ſed partitione, ut diximus. in eo tamen conſtituitur controuerſia, cum, quid in confeſsione ſit, docetur, quid in negatione. Alia autem partitio, quae diſtributio nuncupatur, poteſt aperire tantum cauſſam, res enumerando. at cum, uel uerba iunguntur, uel oratio, quae dicat de his eſſe dicendum, tunc conſtituitur controuerſia. quaeſtor Verres fuit, legatus, praetor urbanus, praetor Sicilienſis. Haec ſolum dicere, aperire cauſſam eſt: ſed partitione, per diſtributionem. At uero illud adiungere, quare haec erit quadripertita diſtributio totius accuſationis meae: hoc eſt conſtituere controuerſiam. Itaque, ut diximus, partitio ſpecies habet duas: Vnam, quae, quid cum aduerſariis conueniat, docet, & quid in controuerſia ſit. Alteram, quae diſtributionem habet membrorum in reliquam orationem. Illa ſuperior ſpecies, cum propoſuerit, quid conueniat, id ipſum ad ſe inclinat, ut pro ſe faciat id, quod aduerſarius cõfitetur. poſtea uero ſubiungit id, quod ſit in controuerſia. Facit hoc Cicero pro M. Tullio, Dicam, inquit, uim factam a P. Fabij familia. aduerſarij non negant. Hic propoſuit, quod aduerſarij fateantur. Deinde ipſum pro ſe fecit, dicendo, Damnum datum eſſe M. Tullio concedis. uici unam rem. Item adiunxit alteram partem, in qua confeſsionem docet, cum docet, cum dicit, Vim hominibus armatis factam non negas. uici alteram. Poſt, quid in controuerſia ſit, proponit, cum dicit, Dolo malo factum negas. de hoc iudiciũ eſt. Sed, quoniam non in omni negotio aduerſarius fatetur, illa altera adhibenda partitio eſt, quae diſtributio nuncupatur, ubi totius cauſſae membra ponuntur. Verum haec membra, aut ea ſunt, quae uere in eodem negotio continentur, ut in Verrinis de quaeſtura, de legatione, de praetura urbana, de praetura Sicilienſi. quam quadripartitam diſtributionem totius accuſationis ſuae Tullius eſſe dixit. Item illa diſtributio de frumento, quam fecit, dicendo emptum, decumanum, aeſtimatum. Aut ſi partitio de ipſa cauſſa non ſumitur, ea membra ponit orator, quae ipſe ingenio inuenit, & ſibi dicenda conſtituit, non ex negotij factis ad cauſſam ſumptis, ſed argumentatione oratoris in cauſſa collocatis, ut in diuinatione, Ego ſic intelligo, Iudices, cum de pecuniis repetundis quaeſtio ſit, ſi nomen cuiuſpiam deferatur: haec duo in primis ſpectari oportere, quem maxime auctorem uelint, qui eas iniurias paſsi ſint, & quem minime uelint hi, qui eas iniurias feciſſe arguantur. Item pro Sex. Roſcio, cum unum crimen ſit parricidij, ac propterea unum negotium: partitur tamen Tullius non cauſſam, ſed orationem, dicendo in crimen, audaciam, & potentiam. criminis confictionem accuſator Erucius ſuſcepit: audaciae partes Roſcij ſibi popoſcerunt. Chryſogonus autem potentia pugnat. Altera *eſt, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breuiter expoſitio ponitur diſtributiua:*] Partitionis duae partes ſunt. Vna, quae, quid cum aduerſariis conueniat, indicat, & quid in controuerſia ſit, demonſtrat. Altera, quae dicitur diſtributio:

tio: haec eadem duplex. nam aut ea membra continet, quae in cauſſa ſunt; aut ea, quae ingenio fingit orator. QVIBVS *dictis, intelligat fore peroratum.*] Praecipit, ut partitione completa nihil amplius dicamus praeter concluſionem.

CICERO

QVAE *partitio, quid conueniat, aut quid non conueniat, oſtendit, haec debet illud, quod conuenit, inclinare ad ſuae cauſſae commodum, hoc modo: interfectam matrem eſſe a filio, conuenit mihi cum aduerſariis. Item contra: Interfectum eſſe a Clytemneſtra Agamemnonem, conuenit. Nam hic uterque & id poſuit, quod conueniebat; & tamen ſuae cauſae commodo conſuluit. Deinde, quid controuerſiae ſit, ponendum eſt in iudicationis expoſitione: quae quemadmodum inueniretur, ante dictum eſt.*

EXPLANATIO

QVAE *partitio, quid conueniat, aut quid non conueniat, oſtendit,*] In hac partitione, id, quod aduerſarius confitetur, ad cauſſae noſtrae commodum nos docet inclinare debere. Et dat exemplum, Si dicat accuſator, Matrem occiſam ab Oreſte filio, conſtat. Iam cum ait, Matrem a filio conſtat occiſam: id, quod aduerſarius confitetur, ad ſe inclinat. Conſideratione enim ſanguinis non uidetur debuiſſe a filio mater occidi. Deinde, ſi dicat Oreſtes, uel eius defenſor, Conſtat a Clytemneſtra Agamemnonem maritum occiſum, confeſsionem aduerſarij ſine dubio ad ſe inclinat. conſideratione enim iuris, occidi maritus ab uxore non debuit. Iam, quid in controuerſia ſit, ex iudicatione colligitur, ideſt, An recte Oreſtes matrem occiderit: cum illa patrem occiderit Oreſtis. Quare accuſatoris talis erit partitio, Interfectam matrem a filio, cum aduerſariis mihi conuenit, cum illa occiderit Agamemnonem. an a filio occidi debuerit, quaeſtio eſt. Rei uero, talis erit partitio, Interfectum a Clytemneſtra Agamemnonem conuenit. an a filio Clytemneſtra debuerit occidi, quaeſtio eſt.

CICERO

QVAE *autem partitio rerum diſtributam continet expoſitionem, haec habere debet breuitatem, abſolutionem, paucitatem. Breuitas eſt, cum niſi neceſſarium nullum aſſumitur uerbum. Haec in hoc genere iccirco utilis eſt, quod rebus ipſis, & partibus cauſae, non uerbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus eſt. Abſolutio eſt, per quam omnia, quae incidunt in cauſſam, genera, de quibus dicendum eſt, amplectimur. in qua partitione uidendum eſt, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut ſero extra partitionem, id, quod uitioſiſſimum eſt, inferatur. Paucitas in partitione ſeruatur, ſi genera ipſa rerum ponuntur, neque permiſte cum partibus implicantur. nam genus eſt, quod plures partes amplectitur, ut animal: pars eſt, quae ſubeſt generi, ut equus. Sed ſaepe eadem res alij genus, alij pars eſt. nam homo, animalis pars eſt; Thebani, aut Troiani, genus. Haec ideo diligentius inducitur praeſcriptio, ut, aperte intellecta generali partitione, paucitas generum in partitions ſeruari poſſit. nam, qui ita partitur, oſtendam propter cupiditatem, & audaciam, & auaritiam aduerſariorum omnia incommoda ad remp. perueniſſe; is non intellexit, in partitione, expoſito genere, partem ſe generis admiſcuiſſe. enam genus eſt omnium nimirum libidinum cupiditas: eius autem generis ſine dubio pars eſt auaritia. Hoc igitur uitandum eſt, ne, cuius genus poſueris, eius ſecum aliquam, diuerſam, ac diſſimilem partem ponas in eadem partitione.*

EXPLANATIO

QVAE *autem partitio rerum diſtributiuam continet expoſitionem, haec habere debet, breuitatem, abſolutionem, paucitatem:*] In omni diſtributione, ſiue quam habet orator in membris negotij, ſiue quam in mēbris, quae ipſe format, & fingit dicēda, ſeruare debet haec tria: breuitatem, abſolutionē, paucitatē. Breuitas, in uerbis eſt. Abſolutio, in toto. Paucitas, in generibus. BREVITAS *eſt, cum niſi neceſſarium, nullum aſſumitur uerbum.*] Vt ſi ſic partiamur, Dicemus de decumano frumēto, deinde de empto, poſtremo de aeſtimato. nunc dicemus de decumano frumēto. deinde, ubi maius eſt crimen, de eo, quod ſolet publicis pretiis comparari. poſtremo, ubi nihil auaritia Verris intactum reliquit, dicemus etiam de aeſtimato frumento. Haec itaque ſuperfluum uerborum in breuitate partitionis uitare debemus, ut animus auditoris non uerbis, ſed rebus potius occupetur. HAEC *in hoc genere iccirco eſt utilis,*] In hoc genere, Ideſt in diſtributione, breuitas utilis eſt ad animos auditorum, non uerbis, ſed rebus potius occupandos. ABSOLVTIO *eſt, per quam omnia, quae incidunt in cauſſam, genera, de quibus poſtea dicendum eſt, amplectimur.*] Abſolutionem tunc facimus, ſi omnia, quae incidunt in cauſſam, partientes ponamus. Haec, quae incidunt, omnia nunc ſpeciebus confici poſſunt, nunc generibus. Quoniam autem ſpecierum maior eſt multitudo, anguſtior generum uis, & natura (quippe cum genus multas in ſe ſpecies contineat) qui facit partitionem de ſpeciebus omnibus cauſſae incidentibus, abſolutionem quidem ſeruat, quod omnis ſpecies in partitione proponit: ſed peccat, quod ſpecierum latior diſtributio eſt, & in partitione amplius, quam quattuor partes omnino eſſe non debent. Ergo, ut abſolutio melius in diſtributione ſeruetur, ſpecies illae ad genera reſeruandae ſunt, ut paucis generibus, cum ſpecies omnes com-

plexi

plexi fuerimus, abſolutionem conficiamus, quod omnia: & paucitatem, quod genera, quae incidunt in cauſsã, in diſtributione collocamus: ne aut utile aliquod genus praetereamus: aut poſtea cauſſae (quod eſt uitioſus) inferamus. PAVCITAS *in partitione ſeruatur, ſi genera ipſa rerum ponuntur, neque permiſte cum partibus implicantur.*] Tunc, inquit, pauca in partitione collocamus, cum, quid ſit genus, quid ſit ſpecies, iam ſcimus, ne cũ generibus ſpecies implicemus. Itaque, ſi ſtudere uolumus paucitati, etiam genera pauca in partitione collocare debemus. NAM *genus eſt, quod plures partes amplectitur, ut animal; pars eſt, quae ſubeſt generi, ut aequus.*] Graeci, ſubſtantiae, & accidenti genus ponunt: ſed nõ bene. pars enim omnis generi ſuo ſimilis eſſe debet. Subſtantia porro res eſt, quae aliis rebus ſubeſt, capax accidentium qualitatum. Deinde accidens eſt id, quod in ſubſtantiam cadit. Quare, quoniam illud ſuperius ὄν, utrumque eſſe non poteſt, non recte ſubſtantiae, & accidenti genus factum eſt. Ergo, quoniam praecipimus, ut ſpecies generi ſemper ſimilis eſſe debeat: uideamus ubi hic Cicero quaſi uideatur erraſſe. nam poſuit hominem reſpectu duplici, ut ad inferiora genus ſit, ad ſuperiora ſpecies. Huic animal praepoſuit, ut ſpeciem faceret id, quod homo. cum id ipſum genus uellet oſtẽdere, quod homo eſt, ſubiecit huic ſpeciem, Romanum, Thebanum. Non ne uidetur eſſe uitioſum, quod, cum homo ſubſtantia ſit, Romanus, aut Thebanus accidens? Etenim parum recta ſubiectio eſt, ſub eo, quod ſubſtantia ſit, id, quod eſt accidens, collocari. nam rectum illud praeceptum eſt in faciendis generibus, & ſpeciebus, & indiuiduis, rem aut ſubſtantialem in omnibus eſſe ſeruandam, aut accidentalem: ut, cum in genere ſit ſubſtantia, & in genere, & in ſpecie, & indiuiduo ſit. Animal namque ſubſtantia eſt. huic cum ſuppono ſpeciẽ, ſubſtantia eſſe debet. ſuppono autem hominem. Item cum ſuppono homini Ciceronem, ſubſtantiam pono. ſic factum eſt, ut in omnibus ſubſtantia ſeruaretur. Pari ratione, ſi id, quod genus eſt, accidens fuerit, etiam ſpeciem accidentis debeo collocare, pariter & indiuiduum. Vt, genus ponam colorem. accidit enim color corpori. huic cum ſuppono ſpeciem, album, uel nigrum: intelligo & hoc quoque accidens eſſe. Eritq. etiam ſimilis ratio, cum ſub albo pono hoc album, quod eſt indiuiduum. Indiuiduum eſt enim, quod oculis, digitoq. monſtratur. Ergo & album, & color accidentia cuncta ſunt, corporis ſcilicet. quamobrem Romanus, & Thebanus accidentia ſunt. accidunt enim ſubſtantiae cuilibet, aut homini, aut equo. Cicero uero hominem ponit, ideſt ſubſtantiam: & recte facit, huic genus dando animal. namque animal ſubſtantia eſt. Non recte autẽ, cum homini ſpeciem ſupponeret, Thebanum, & Troianum ſuppoſuit. quoniam haec, ut diximus, accidentia ſunt. Sed hoc fruſtra in quaeſtionem uenit. licet enim id, quod eſt accidens, poni in ſubſtantiam cum eo ipſo ſibi copulato, cui ſupponitur. utputa homo (ut diximus) animalis ſpecies eſt: hominis uero ſpecies, eſt Thebanus, quod eſt accidens. hic non Thebanum ſolum audire debeo, ſed hominem Thebanum, ut ſimul cum Thebano, & hominem audiendo, faciam id, quod eſt accidens ſubſtantiale. Quare Cicero recte hominem, animalis ſpeciem poſuit: & genus Thebani, aut Troiani, hominem ſcilicet. Itaque, inquit, ideo diligentius genera, & ſpecies generum definire uolumus, ut, intellectis aperte generibus, quo breuior ſit partitio, etiam genera pauca in partitione eadem collocemus. NAM, *qui ita partitur, Oſtendam propter cupiditatem, & audaciam, & auaritiam aduerſariorum omnia incommoda ad rempublicam perueniſſe, &c.*] In partitione, quae dicitur diſtributio, tria ſemper dicit eſſe ſeruanda, breuitatem, abſolutionem, paucitatem. Breuitas, in uerbis eſt. Abſolutio, ut omnia genera, quae in cauſſam incidunt, in partitione ponamus. Paucitas, ut ſola rerum genera, quae partium ſunt, abſque partibus ſuis in partitione ponamus, & quae genera partes aliorum generum eſſe nõ poſſunt. Nunc itaque de paucitate tractatus eſt. & dat exemplum uitioſae diſtributionis, ideſt, in qua genus, & pars eius ſimul poſita ſunt. Nam, qui ita, inquit, partitur, Oſtendam propter cupiditatem, & audaciam, & auaritiam aduerſariorum: is, inquit, errauit. etenim paucitatem ſeruare neſciuit: ſi quidem non ſola rerum genera poſuit, ſed & genus, & partem generis. Cupiditas enim, genus eſt: pars cupiditatis, auaritia. Ergo in ſuperioribus, quid faciendum eſſet, oſtendit: nunc, quid non faciendum. Et haec fere bipartita praeceptorum omnium diſciplina eſt. HOC *igitur uitandum eſt, ne cuius genus poſueris, &c.*] Hoc igitur uitandum eſt, ut ſciamus nunc illud praecipi, quod faciendum non ſit.

CICERO

QVOD ſi quod in genus plures incident partes, id cum in prima partitione cauſſae erit ſimpliciter expoſitum, diſtribuetur eo tempore commodiſſime, cum ad ipſum uentum erit explicandum in cauſſae dictione poſt partitionem. Atque illud quoque pertinet, ad paucitatem, ne aut plura, quam ſatis eſt, demonſtraturos nos dicamus, hoc modo: Oſtendam aduerſarios, quod arguimus, & potuiſſe facere, & uoluiſſe, & feciſſe: nam, feciſſe, oſtendere ſatis eſt. Aut cum in cauſſa partitio nulla ſit, & cum ſimplex quiddam agatur, tamen utamur diſtributione, idq. perraro poteſt accidere. Ac ſunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc uſum oratorium non tantopere pertinent, quae uerſantur in philoſophia, ex quibus ea ipſa tranſtulimus, quae conuenire uidebantur, quorum nihil in ceteris artibus inueniebamus. Atque his de partitione praeceptis, in omni dictione meminiſſe oportebit, ut & prima quaeque pars, ut expoſita eſt in partitione, ſic ordine tranſigatur; &, omnibus explicatis, peroratum ſit, hoc modo, ut ne quid poſterius praeter concluſionem inferatur. Partitur apud Terentium breuiter, & commode ſenex in Andria, quae cognoſcere libertum uelit:

Eo pacto & gnati uitam, & conſilium meum
Cognoſces, & quid facere in hac re te uelim.

itaque, quemadmodum in partitione propoſuit, ita narrat primum gnati uitam:

Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis Soſia,
Liberius uiuendi fuit poteſtas.

Deinde ſuum conſilium,

Et nunc id operam do.

Deinde

Deinde quid Soſiam uelit facere, id quod poſtremum poſuit in partitione, poſtremum dicit:

Nunc tuum eſt officium.

Quemadmodum igitur hic, & ad primam quamque partem primum acceſſit, &, omnibus abſolutis, finem dicendi fecit: ſic nobis placet & ad ſingulas partes accedere, & omnibus abſolutis perorare. Nunc de confirmatione deinceps, ita ut ordo ipſe poſtulat, praecipiendum uidetur.

EXPLANATIO

QVOD *ſi quod in genus plures incident partes, id cum in prima partitione cauſſae erit ſimpliciter expoſitum, &c.*] Genera, inquit, ipſa rerum in partitione ponenda ſunt, ſed ſi cui generi partes ſuas fuerit neceſſe ſupponi. Poſtquam, inquit, partitionem coeperimus exequi: & ad id genus uenerimus, tunc nos partes eius conuenit explicare. In partitione tamen, partes generi iungere non debemus. In tractatibus quaeſtionum debemus de generis partibus diſputare. ATQVE *illud quoque pertinet ad paucitatem,*] Quoniam de paucitate tractatus eſt, Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, inquit: ne plura, quam ſatis eſt, nos demonſtraturos eſſe dicamus, hoc modo, inquit, Oſtendam aduerſarios, quod arguimus, & uoluiſſe, & potuiſſe, & feciſſe, cum in tertio cuncta ſint. Deinde inquit, Cum ſimplex quiddam in controuerſia ſit, nos tamen diſttibutione utamur. AC *ſunt alia quoque praecepta partitionum, quae ad hunc uſum oratorium non tantopere pertinent,*] Oſtendit partitionum multa eſſe alia praecepta: ſed tamen, quae ad philoſophiam, non, quae ad rhetoricam pertineant. Ad philoſophiam, inquit, de qua haec ipſa praecepta tranſtulimus. Ideo, inquit, quia nihil horum in ceteris artibus inueniebamus. Oſtendit haec de partitione praecepta Latinos numquam habuiſſe in artibus ſuis, ſe primum tranſtuliſſe de Graecis. ATQVE *his de partitione praeceptis, in omni dictione meminiſſe oportebit, &c.*] Ad extremum hoc dat in partitione praeceptum, Vt, quod primum in partitione ponimus, id primum aggrediamur, & explicemus: quod ſecundum ponimus, ut ſecundo aggrediamur loco: quod tertiũ, tertio: poſtremo, finitis per ordinem ſuum partibus, dictionem omnem extremis epilogis concludamus.

CICERO

CONFIRMATIO *eſt, per quam argumentando noſtrae cauſſae finem, & auctoritatem, & firmamentum adiungit oratio. Huius partis certa ſunt praecepta, quae in ſingula cauſſarum genera diuidentur. Verumtamen non incommodum uidetur, quandam ſiluam, atque materiam uniuerſam ante permiſtam, & confuſam exponere omnium argumentationum: poſt autem tradere quemadmodum unumquodque genus cauſae, hinc omnibus argumentandi rationibus tractis, confirmare oporteat.*

EXPLANATIO

CONFIRMATIO *eſt, per quam argumentando noſtrae cauſſae fidem, & auctoritatem, & firmamentum adiungit oratio.*] Definitio confirmationis, non per id, quod eſt, ſed per id, quod facit. Et quod ait, Noſtrae cauſſae, commune praeceptum eſt, tam defenſoris, quam accuſatoris. Vterque enim utroque ſemper utitur: id eſt, & confirmatione, & reprehenſione. Scire autem debemus exordium, narrationem, partitionem, & concluſionem in omnibus cauſſae generibus, uel conſtitutionibus, generali diſciplina eadem praecepta retinere: Confirmationem uero, & reprehenſionem, per ſingula cauſſarum genera, uel ſingulas conſtitutiones diuerſa, & propria ſemper habere praecepta. Nunc itaque iuxta ordinem partium, poſt partitionem tractat de confirmatione. Et, quoniam, ut ſupra diximus, in ſingulis cauſſarum generibus, uel conſtitutionibus diuerſa, & propria habet praecepta, quia mora eſt, ut per ſingulas ſpecies confirmationis praecepta dicantur, generaliter, & confuſe praecipit, quibus de locis, argumentandi rationibus tractis, in omni cauſſarnm genere, uel in omnibus ſimul conſtitutionibus confirmatio effici poſsit. Et hoc in primo libro agitur: ideſt, ut in omne genus, formamq. cauſſarum quaedam communitas argumentationum, uelut ſilua, ponatur. Secundus autem liber hoc continet, ut in ſingulis cauſſarum generibus, ac formis propria, ac certa, & diuerſa praecepta ſeparentur, de primo libro cunctis argumentandi rationibus tractis. PER *quam argumentando, &c.*] Hoc enim proprium eſt confirmationis. alioqui & narratio fidem facit: ſed non argumentando fidem, & auctoritatem, & firmamentum. Fides eſt argumentum, quo crimen probamus, ideſt, fidem crimini facimus. Auctoritas eſt argumentum ucrius, atque honeſtius, & cui quaſi neceſſe habeat credi. Firmamentum eſt celeberima argumentatio.

CICERO

OMNES *res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod perſonis, aut ex eo, quod negotiis eſt attributum. Ac perſonis has res attributas putamus, nomen, naturam, uictum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes.*

EXPLANATIO

OMNES *res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod perſonis, aut ex eo, quod negotiis eſt attributum.*] Omnis res argumentando confirmatur, ſed quaſi ὑποθέσει eſt, quae cauſſa dicitur. Cuius cauſſae iſta de-

finitio

finito eſt,lis, cum certa perſona. Haec quidem omnis res ex illis ſeptem locis argumenta contrahit, Quis, quid,cur,ubi,quando,quemadmodum,quibus adminiculis. Verum ex his duo prima omnem uim argumentationis continēt,quinque reliqua ſecundo ſubiacent. Itaque duo haec prima [*quis*] &[*quid*] apertioribus nominibus Cicero,& ad opus uicinioribus nuncupat, ideſt perſonā,& dictum,factumue, quod negotiū eſt. Itaque omnis res confirmatur, aut ex attributis perſonae argumentis ſumptis, aut ex attributis negotio. Perſonis autem attributa ſunt undecim, Nomen,natura,uictus,fortuna,habitus,affectio,ſtudium,conſilia,facta, caſus,orationes. Itaque,ſi haec omnia attributa perſonae ſunt,quae ſit ipſa perſona, uideamus. Nomen,eſſe nō poteſt: quia primum attributum perſonae eſt. Homo,eſſe non poteſt: quia naturae perſonae attributum eſt: & natura mortaliū in duo diuiditur,in homines,& in feras. Quae eſt ergo perſona? Illa ſcilicet,quae in pronominibus finitis eſt,ut Ego,tu,ille,hic,haec,hoc. Itaque ex perſona nulla argumētatio poteſt ſumi. Cum enim dixero [*hic*] quod argumentum feci? Ex attributis autem perſonae ſumitur omnis argumentatio, per quae ſe aperit,& quibus impletur ipſa perſona attributis ſuis. Igitur perſonarum omniū uis probatur nomine uniuſcuiuſque perſonae,

CICERO

Nomen *eſt, quod unicuique perſonae datur, quo ſuo quaeque proprio,& certo uocabulo appellatur.*

EXPLANATIO

Nomen *eſt, quod unicuique perſonae datur, quo ſuo quaeque proprio, & certo uocabulo appellatur.*] Antequam ad hoc nomen, quod definiendum eſt,ueniamus,prius de ſignificantia nominis dicamus. Nomen hoc, quod ſonat nomen,quattuor ſignificantias habet. Vna talis eſt, quae eſt in appellatione rerum omnium. Verba autem omnia, rerum nomina ſunt: ut ſalio, curro. Vtique his omnibus res ſignificantur. Vnde multi illum ſapientiſsimum,ac beatiſsimum eſſe dixerunt,qui rebus nomina impoſuit. certe,ut ſciamus omnes partes orationis, ideſt omne,quod loquimur,nomina eſſe rerum: cum de Sibyllae reſponſis ageretur, (in reſponſis autem omnes octo partes orationis fuerint neceſſe eſt) ait Virgilius, Foliisque notas, & nomina mandat. Ergo haec una ſignificantia nominis eſt, quae in omnium uerborum appellatione eſt. Alia nominis ſignificantia talis eſt, qua unam partem orationis de octo partibus orationis uidemus eſſe ſignatam, ut Nomen, pronomen, uerbum. Tertia, nominis proprij: ut hominis, ut deorum. Quarta autem haec, quadripertita eſt: qua unaquaeque perſona ſine alterius communione ſignatur. Et, ut ſciamus unam de quattuor hanc eſſe ſignificationem nominis, ſic propoſuit, ut oſtenderet, quod nomen eſſet definiturus. *Nomen eſt,* inquit, *quod unicuique perſonae datur. quo ſuo quaeque proprio, & certo uocabulo appellatur.* Ergo ut propriū perſonae hoc nomen,& certum ſit, per quattuor tenditur, Praenomen, nomen, cognomen, agnomen. Praenomen porro, interdum una, interdum duabus, interdum tribus litteris continetur: ut C. Caius, ut CN. Cnaeus,ut SEX. Sextus: fuitq. nonnulla apud maiores noſtros praenominis ratio. nam, & Quinctum ideo dixerūt, quod quincto fortaſsis loto natus eſſet: & Lucium ideo,quia fortaſſe eſſet initio lucis exortus. Verum,quoniam haec apud nos ratio nihil ualet, argumentum de praenomine non quaerimus. Cognomen porro,maiorum eſt tractum ex familia, uel ſanguine: ut Tullius Cornelius, ex Cornelijs. Nomen autem, proprium perſonae eſt, ut Cicero, ut Scipio. Iam agnomen extrinſecus uenit, & uenit tribus modis: aut ex animo, aut ex corpore, aut ex fortuna. Ex fortuna, ſicut Superbus,& Pius: Ex corpore, ſicut Craſſus, & Pulcher: Ex fortuna, ſicut Africanus,& Creticus. Quattuor his itaque partibus perſonae proprium,& certum nomen includitur, Praenomine, cognomine, agnomine. ut Publius praenomen, nomen Cornelius, Scipio cognomen, Africanus agnomen. Argumentum autem, ſi neceſſe fuerit, in tribus quaeremus, In nomine, cognomine, agnomine. Itaque definitionis iſtius haec eſt propoſitio, Nomen eſt cuique perſonae. Deinde hinc incipit definitio: quo ſuo quaeque,ideſt uocabulo. Sed quod ſuum eſt, poteſt eſſe commune,cū fratribus, cum propinquis: ut Tullius. Multi itaque Tullij. quia nomen ex ſanguine eſt. Deinde addit [*proprio*] Rurſus, & uocabulum proprium poteſt eſſe commune: ut Cicero, proprium uocabulum: ſed tamen multi poſſunt eſſe Cicerones. Itaque addidit [*certum*] ſcilicet, quod ex omnibus quattuor cōſtat: quo uniuſcuiuſque perſonam uerum, & niſi eius, poſsit nomen intelligi. & recte [*certum nomen*] interdum enim ex libidine, & quadam obtrectatione nomen imponitur. ut illud in Salluſtio, Tyrannumq. & Cinnam appellantes. Itaque huiuſmodi nomen certum eſſe non poteſt. Quotieſcumque autem ſpecialiter aliquid uolumus includere, his tribus includimus, ſuo, proprio, certo: ut Tullius, Eum ſuis, eum certis propriisq. criminibus accuſabo.

CICERO

Natvram *ipſam definire difficile eſt. partes autem eius enumerare eas, quarum indigemus ad hanc praeceptionem, facilius eſt. Hae autem partim diuino, partim mortali in genere uerſantur. Mortalium autem pars in hominum,pars in beſtiarum genere enumeratur. Atque hominū genus,& in ſexu conſideratur,uirile an muliebre ſit; & in natione, patria, cognatione,& aetate: natione, Graius an barbarus: patria, Atheniēſis an Lacedaemonius: cognatione, quibus maioribus, quibus cōſanguineis: aetate, puer an adoleſcens, natu grandior an ſenex. Praeterea cōmoda,& incōmoda conſiderantur ab natura data animo, aut corpori, hoc modo: ualens an imbecillis*

becillis, longus an breuis, formoſus an deformis, uelox an tardus ſit, acutus an hebetior, memor an obliuioſus, comis, officioſus, prudẽs, patiens, an cõtra. Ea omnino, quae a natura data animo, & corpori conſiderabuntur, in natura cõſideranda ſunt. Nam, quae induſtria comparãtur, ad habitum pertinent, de quo poſterius dicendum eſt.

EXPLANATIO

NATVRAM *ipſam definire difficile eſt. Partes autem eius enumerare eas, quarum indigemus ad hanc praeceptionem, facilius eſt.*] Haec ratio eſt, ut difficilis ſit naturae definitio. etenim apud ſapientes contentio eſt, quid prius ſit, Deus, an natura. Si natura prior eſt, ergo Deus natus eſt: atqui Deus naſci non potuit. Rurſus, Si Deus prior eſt, nata eſt natura: quod ſi naſci potuit natura, incipit eſſe natura. Itaque naturae difficilis definitio eſt. Difficilis definitio naturae ſecundum Platonem uel alios ſapientes inquit. alioqui oſtendit poſſe definiri. Denique ſapientes quidam ſic definiere naturam, Natura eſt ignis artifex quadam uia uadens in res ſenſibiles procreandas, etenim manifeſtum eſt omnia principe igne generari. Plato autem ſic definiuit, Natura eſt Dei uoluntas. Et inter ceteras haec magia probanda definitio. nam, ſi Deus, & natura ita ſunt, ut ex his alterum prius non ſit (neceſſe eſt autem ex primo naſci, quod ſecundum eſt) deinde ſi, quod naſcitur, nec Deus eſt, nec natura: recte naturam, Dei dixit eſſe uoluntatem. Deus enim ſemper uoluerit, & uelit, neceſſe eſt. Ita, quoniam naſci natura non potuit, ſi Dei uoluntas eſt: ut Deus naſci non potuit, nec natura. Illud autem ſcire debemus, naturam illud eſſe, quod mundum, ultra mundum naturam non eſſe, ſed Deum: uoluntatem autem Dei, qua mundus eſt, eandem eſſe naturam. Itaque hic Cicero naturae principalem definitionem omiſit: dixit autem eſſe difficilem. Partus autem eius enumerat, ſed quarum, inquit, indigemus. Itaque partem illam naturae reliquit, quae in animalia generat. neque enim eius indiget, qui rhetoricam ſcribit. Illius autem naturae partes exſequitur, quae motu ſuo in rebus agit aliquid, ideſt, quae uiuit. Etenim ille, qui rhetoricam ſcribit, praeceptis ſuis perſonam debet includere: perſona autem homo. huius itaque naturae indigemus, in qua homo. Haec igitur natura, quae motu ſuo in rebus aliquid agit, principaliter in duo ſcinditur: in diuinam naturam, & in mortalem. Ac diuina quidem natura ad rhetoricam non pertinet, & ideo hanc omiſit. Sciri tamen debet, qui loco argumenti ſaepe rerum diuinarum inducitur diſputatio. ut illud eſt, Quae res faciat ut uigeamus, quae ut occidamus. Sed hoc ad rhetortcam, non tamen ex rhetorica deſcendit. Itaque confert ſe ad mortalem naturam: rurſusque hanc in duo diuidit, in homines, & in beſtias. Omne quod extra hominem uiuit, cum anima, & corpore, beſtias nominauit. Remoueamus itaque, & naturam illã mortalem, quae beſtiarum eſt: hancque ſolam inſpiciamus, in qua homines ſunt: & de eadem natura circa certã perſonam inuenta dupliciter argumenta capiamus. Etenim ea, quae in hominis ſunt natura, nunc tantum naturae ſunt: nunc ita naturae, ut & induſtriae, uel artis eſſe credantur. Tripliciter autem debemus in homine inſpicere, atque explorare naturam: quae ſit animi, quae corporis, quae extrinſecus. Verum, quae in homine extrinſecus ſunt, tantũ naturae ſunt. quae autem in homine, animi, uel corporis ſunt, ea & naturae poſſunt eſſe, & diſciplinae. Itaque primum uideamus, quae natura in homine ſit. Extrinſecus: ut ſexus. Sexus enim tantum naturae eſt, nec ex diſciplina poteſt aliquando contingere. ita & natio, & patria, & cognatio, & aetas, tantum naturae ſunt. Natio eſt, inquit, ut cõſideres, utrum Graecus ſit an Barbarus. hoc ſecundũ ipſorum Graecorum ſententiam, qui abſque ſe reliquos, Barbaros appellabant. Patria eſt, inquit, ut conſideres Athenienſis, an Lacedaemonius, Aquielienſis, an Mediolanenſis ſit. Cognatio, inquit, eſt, ut conſideres quibus maioribus oriundus ſit, unde ſanguinem ducat. fitque hinc optimum argumentum, ut illud eſt in Virgilio, bellumue inferre paratis Laomedontiadae? Sed & hoc argumentum, quaſi ex nomine fieri uidetur, quod ait, Laomedontiadae: cum hic ex natura colligenda nobis inſinuet argumenta. Hoc itaque intereſt, quod in nomine, ex ſono ipſo nominis colligimus argumentum. ut ex Verre, quod euertat prouinciam. In natura autem, non ex nominis ſono, ſed ex eius actu, uel moribus, cuius nomen eſt, colligimus argumentum. Etenim, cum dicimus [*Laomedontiadae*] in ſono nominis nihil eſt: in actu autem Laomedontis, perfidiae poſitum eſt agumentum. Aetatem autem, inquit, inſpicere debemus, utrum puer ſit, an grandior, an ſenex: ut cuicumque aetati crimen, quod agitur, aut conuenire, aut non conuenire doceamus. Haec de his, quae extrinſecus ſunt, quae tantũ naturae ſunt. Nunc uenit ad ea, quae corporis, & animi ſunt, & quae tam naturae, quã diſciplinae eſſe poſſunt. Etenim interdum per ſe multũ ualet natura, interdũ tenuis, & infirma eſt: diſciplina enim uel uſu ſaepe mutatur. Enumerat itaque, quae iſta ſint ueluti communia, ut conſideremus, utrum aliquis ualens, an imbecillis, ſit longus, an breuis, formoſus, an deformis, uelox, an tardus. haec omnia corporis ſunt: quae facile uidemus ſaepe hominibus ex natura, ſaepe ex arte contingere. Deinde, inquit, debemus inſpicere memor an obliuioſus ſit, comis, officioſus, prudens, patiens, an contra. haec rurſus omnia, animi ſunt: quae ſimiliter uidemus tam ex natura nobis, quam ex arte prouentre. Verum cuncta iſta, inquit, quae animae, & corporis ſunt, quamquam ſaepe ex diſciplina, uel arte contingant, tamen, qualia, uel quanta ſint, non niſi in ſola natura conſiderare debemus. Ea autem, quae induſtria comparantur, in habitu rectius conſiderabimus.

CICERO

IN *uictu conſiderare oportet, apud quem, & quo more, & cuius arbitratu ſit educatus; quos habuerit artium liberalium magiſtros, quos uiuendi praeceptores; quibus amicis utatur; quo in negotio, quaeſtu, artificio ſit occupatus; quo modo rem familiarem adminiſtret; qua conſuetudine domeſtica ſit.*

EXPLA-

EXPLANATIO

IN *uictu conſiderare oportet apud quos, & quo more, & cuius arbitratu ſit educatus;*] Victus hominis eſt omne illud tempus a pueritta, uſque ad id, quod agit. itaque conſiderare debemus non apud quos natus ſit, (quod naturae eſt) ſed apud quos ſit educatus, unde incipit uictus. Apud quos, inquit. intereſt enim inſpicere illorum uitam, apud quos educatus ſit: ex his enim uiuendi potuit capere diſciplinam. Sed, quia homines interdum non, ut uolunt, educant, aliqua neceſsitate compulſi (quippe & ſeueriores ſaepe diſſolutius, & diſſolutiores ſaepe ſeuerius educant) recte quaerendum dicit non ſolum apud quos educatus ſit, ſed etiã quo more educatus ſit. Deinde, inquit, inſpicere debemus, ad cuius arbitrium ſit educatus, ideſt patris, patrui, cognati, an alienioris. Animaduertamus itaque, ut uictus a primis annis uſque ad aetates alias protendatur. ut dixit, primo quaerendum quemadmodum ſit educatus. hoc [*quemadmodum*] in tria diuiſit, apud quos, quo more, cuius arbitratu. Deinde educatus puer ſolet diſcendas literas ſortiri, eaſdemque liberales. Itaque, qui liberales litteras diſcit, duplices habere debet magiſtros, qui faciant uirum bonum, & qui faciant dicendi peritum, & his duobus plenum oratorem. Recte ergo etiam hoc quaerendum, quos habuit artium liberalium magiſtros, quos uiuendi praeceptores. Itaque non, utrum habuerit magiſtros, utrum uiuendi praeceptores, ſed quos habuit, quaerendum. Deinde etiam hic animaduertendus ordo eſt, poſtquam litteras quis didicerit, & certam uiuendi acceperit diſciplinam, tunc neceſſe eſt, ut habere incipiat amicos. ſed quaerendum eſt, qualibus amicis utatur: amicus enim mihi eſſe non poteſt, niſi ſimilis mei. Deinde quo negotio, quaeſtu, & artificio ſit occupatus, quaerẽdũ. neceſſe eſt enim, ut in uita noſtra aliquid agamus, quo nos occupemus. Et hic actus in uita aliquid agentium triplex eſt. nam aut negotium eſt, ut mercatura, ut militia, ut agricultura, & cetera. Aut quaeſtus eſt, ut praeco, ut paraſitus, ut ſcenicus, aut ſimilia. Aut artificium, ut artem ſcilicet aliquã plene cognitam aut exerceas, aut tradaas, ut orator, ut rhetor, & alia huiuſmodi. Alioqui ſcire aliquid perfecte, & exercere nolle, habitus eſt. deinde aliquid non plene ſcire, neque id quodcumque exercere, affectio eſt. uerum uniuſcuiuſque rei, & habitus, & affectus ſi exerceatur, & in actu ſit, uictus eſt. Animaduertendum, inquit, etiam, quomodo rem familiarem adminiſtret, qua conſuetudine domeſtica ſit: ex rebus enim priuatis, & domeſticis, quemadmodum quis in republica uiuat, facile poſſumus agnoſcere.

CICERO

IN fortuna quaeritur, ſeruus ſit, an liber; pecunioſus, an tenuis, priuatus, an cum poteſtate: ſi cum poteſtate, iure, an iniuria; felix, clarus, an contra; quales liberos habeat. Aut, ſi de non uiuo quaeretur, etiam quali morte ſit affectus, erit conſiderandum.

EXPLANATIO

IN *fortuna quaeritur, ſeruus ſit an liber,*] Hoc quaſi naturae eſſe magis uidetur, ut ſeruus, quis, an liber ſit: ſerui.n. ſaepe naſcuntur: ſed, ut taceamus, ut multi ſaepe ex fortuna ſerui ſint, etiã illos, qui naſcuntur, ex fortuna ſeruos eſſe manifeſtum eſt. Etenim ex captiuis primum ſerui facti ſunt: captiuitas bello. in bello, non niſi incerta fortuna. itaque ſeruum eſſe, fortunae eſt. Hoc etiam in fortuna conſiderandum, pecunioſus ſit, an tenuis: priuatus, an cum poteſtate. Sed, quia non uno modo capimus poteſtatem, recte addidit, ſi cum poteſtate, iure, an iniuria. Hoc etiam fortunae eſt, ut uideamus utrum felix, clarus, an contra ſit. Conſiderare ẽt debemus, non utrum liberos habeat, quod naturae eſt, ſed quales liberos habeat, ut eſt illud in Virgilio, Vade, ait, o felix nati pietate. Non nato felix, ſed nati pietate. itaque in eo fortunam inſpexit, quippe, Vade, ait, o felix, inquit. facit enim fortuna felicem. Quod ſi, inquit, is, cuius uictus quaeritur, mortuus erit, non de mortis eius genere quaeretur: alioqui mors naturae eſt.

CICERO

HABITVM *autem hunc appellamus, animi, aut corporis conſtantem, & abſolutam aliqua in re perfectionem, ut uirtutis, aut artis perceptionem alicuius, aut quamuis ſcientiam, & item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, ſed ſtudio & induſtria partam.*

EXPLANATIO

HABITVM *autem appellamus, animi, aut corporis conſtantem, & abſolutam aliqua in re perfectionem,*] Habitus, inquit, iſte eſt alicuius rei, ſiue in animo, ſiue in corporea natura coepta, ſed uſu corroborata, & plena perfectio. ſcire enim aliquid, habitus eſt. iam, ſi id uolueris exercere, uictus eſt. Videamus itaque habitum qualem eſſe dicat, Vt uirtutis, inquit, hic habitus animi. Virtus autem quadruplex, iuſtitia, temperantia, fortitudo, prudentia. Sed tunc habitus, ſi uirtutem ita teneamus acceptam, ut numquam a ſemel comparata recedamus. Nam, ſi frequenter ſua cuique reddamus, & aliquando rapiamus, iam iuſtitiae habitũ per intemperantiã nõ tenemus. ſimiliter & circa reliquas uirtutes: ita enim eſt habitus definitus, Habitum ap-

pellamus animi, aut corporis conſtantem, & abſolutam aliqua in re perfectionem. Abſoluta eſt, ut plena ſit: cōſtans, ut ſemper eadem ſit, neque aliquando a ſe recedat, & tunc eſt uere habitus. Deinde, Aut artis, inquit, alicuius perceptionem. utputa, Ego rhetoricam plene quidem noui, ſed exercere nolo. Itaque, licet non exerceam, in eo tamen, quod Rhetoricam plene noui, habeo oratoris habitum. ita & in ceteris artibus plena perceptio, habitus eſt. Avt *quamuis ſcientiam.*] Inter ſcientiam, & artem hoc intereſt. Ars, quidem duplex eſt, una in ſcientia, alia in actu. Verum ſcientia rurſus duplex eſt: eſt ſcientia artis, eſt non artis. neque enim aurum, gemmas probare, artis eſt, aut ſcire quot millia hominū in illo ſint populo, quanto ſpatio haec urbs ab illa diſtet. haec itaque ſcientia eſt, ſed non artis. Sed quoniam & artis eſt, quaelibet, inquit, ſcientia, ſi plena in nobis fuerit, habitus nuncupatur. Sed hucuſque de habitu animi. Dinde, inquit, & corporis aliqua commoditas ſtudio, & induſtria comparata, habitus dicitur. ut ſi corpus palaeſtra roboremus, ſi uelocitatem nobis exercendi ſtudio comparemus. Verum & animi, & corporis habitum Cicero in bonis collocauit: quippe habitum dixit eſſe uirtutem, aut artis perceptionem, deinde aliquam corporis commoditatem. Ita, & Ariſtoteles omnē habitum in bonis poſuit, cum ſecundum definitionem poſſit & in malis habitus eſſe. Nam, ſi demus ſemper operam, ut nihil intelligamus ſtudio, ſtulti ſumus: erit hic habitus induſtria comparatus. & rurſus, ſi exercitium corporis deuitemus ſtudio, imbecilles ſumus. erit aeque hic habitus corporis induſtria comparatus. Sed neſcio quo modo recte habitus malorum non eſt poſitus neque a Cicerone, neque ab Ariſtotele. nam, ſi hoc ipſum nomen inſpiciamus, & eius ſonum, uideamus habitum dictum eſſe ab eo, quod habere uoluerimus. Natura autem noſtra talis eſt, ut numquam mala uelimus: malorum ergo eſſe habitus non uidetur, eſt tamen. Nam & Catilina habitu malus fuit, ideſt malitiam induſtria ſibi comparauit.

CICERO

Affectio *eſt animi, aut corporis ex tempore aliqua de cauſſa commutatio, ut laetitia, cupiditas, metus, moleſtia, morbus, debilitas, & alia, quae genere in eodem reperiuntur.*

EXPLANATIO

Affectio *eſt animi, aut corporis ex tempore aliqua de cauſſa commutatio, ut laetitia, cupiditas, metus, moleſtia, morbus, debilitas, & alia, quae genere in eodem reperiuntur.*] Habitum eſſe diximus, ſiue in animo, ſiue in corpore, alicuius rei perfectionem. At contra, ſiue in animo, ſiue in corpore, alicuius rei inchoatio, eſt affectio: quae ſubito aliqua ratione naſcitur, mox receſſura: ut, ſiquid nobis boni nuntietur, & laeti eſſe incipiamus: ſiquid uideamus, & idipſum concupiſcamus: uel aliquid timere ſi incipiamus, & moleſte ferre: iſtae omnes animi ſunt affectiones. Deinde corporis, ſi ſubito in morbum incidamus: ſi aliquid in nobis debilitetur, ſed ad tempus: poſt autem ſanetur. Hae itaque erunt affectiones corporis, & reliquae eis ſimiles.

CICERO

Stvdivm *autem eſt, animi, aſſidua, & uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluntate occupatio, ut philoſophiae, poetriae, geometriae, litterarum.*

EXPLANATIO

Stvdivm *autem eſt, animi aſſidua, & uehemens &c.*] Studium eſt, inquit, ad aliquam rem aſsidua, & uehemens animi, cum magna uoluntate occupatio. Alioqui aſsidua, & uehemens eſſe nō poteſt, ſi in ipſo opere non habuerit uoluntatem. Et dat res non, quae ſtudium ſint, ſed quarum ſtudium ſit: ut philoſophiae, inquit, non philoſophia, aut poetriae, aut geometriae, litterarum: non poetria, aut geometria, littera. Itaque ſiquid uehementer, & cum magna uoluntate uolumus, aliqua ex parte conſequitur, affectio eſt. Sinautem, quod plenum, & perfectum eſt, tenemus, habitus eſt. Quod ſi hoc ipſum [*plenum*] agendo exercere uoluerimus, erit uictus. Ita unum, qualitate diuerſa in multa attributa conuertitur.

CICERO

Consilivm *eſt aliquid faciendi, aut non faciendi uere excogitata ratio.*

EXPLANATIO

Consilivm *eſt aliquid faciendi, aut non faciendi uera excogitata ratio.*] Duo ſemper ſunt, unde dubitamus, & unde conſilium eſt. Aut enim, ut faciamus aliquid, quaerimus, aut ut non faciamus. Ita & leges quae conſilio ſcribuntur, duo ſemper haec cōtinent: aut fieri iubent, aut fieri prohibent. Sed, quia, cum de re aliqua dubitamus, incerta quaedam ratio in ancipiti cogitatione uerſatur: poſtquam idipſum ſtatueris, erit excogitata, quia fuerat iam ante cogitata ratio, quod Conſilium eſt.

CICERO

*F*Acta *autem, & caſus, & orationes tribus ex temporibus conſiderabuntur. quid fecerit, aut quid ipſi acciderit, aut quid dixerit, aut quid faciat, quid ipſi accidat, quid dicat, aut quid facturus ſit, quid ipſi caſurum ſit, qua ſit uſus oratione.*

EXPLANATIO

FActa *autem, & caſus, & orationes tribus ex temporibus conſiderabuntur,*] Ex his quoque non minima colligamus argumenta, ut de factis perſonae argumenta capiamus, de dictis, de his, quae ei acciderunt: ut damnum, ut morbus, ut orbitas & reliqua ſimilia. Verum haec per tria, inquit, tempora debemus inſpicere. tunc enim de futuro argumentum poſſumus facere, ſi ita & ante fuiſſe, doceamus: utputa, Quia hoc fecit, hoc facit etiam, & hoc facturus eſt. Quia hoc paſſus eſt, hoc patitur, hoc etiam paſſurus eſt. Quia hoc dixit, hoc dicit, hoc etiam dicturus eſt. hucuſque autem attributa perſonae.

CICERO

*A*C *perſonis quidem haec uidentur eſſe attributa. Negotiis autem quae ſunt attributa, partim ſunt continentia cum ipſo negotio, partim in geſtione negotij conſiderantur, partim adiuncta negotio ſunt, partim geſtum negotium conſequuntur. Continentia cum ipſo negotio ſunt ea, quae ſemper affixa eſſe uidentur ad rem, neque ab ea poſſunt ſeparari. Ex his prima eſt breuis cōplexio totius negotij, quae ſummam continet facti, hoc modo: Parentis occiſio, patriae proditio. Deinde cauſſa eius ſummae, per quam, & quamobrem, & cuius rei cauſſa factum ſit, quaeritur. Deinde ante rem geſtam, quae facta ſunt, continenter uſque ad ipſum negotium. Deinde in ipſo gerendo negotio quid actum ſit. Deinde quid poſtea factum ſit.*

EXPLANATIO

AC *perſonis quidem haec uidentur eſſe attributa. Negotiis autem quae ſunt attributa, &c.*] Septem ſunt quidem, ut diximus, elementa, unde omnis argumentatio capitur ad quamcumque rē, Quis, quid, cur, quando, ubi, quemadmodum, quibus adminiculis. Horum duo prima omnia continent. Nihil autem aliud quaeritur, niſi quis fecerit, & quid factum ſit. Atque haec ipſa Cicero propriis, & apertioribus, & ad rem uicinioribus nominibus, appellauit. Quis enim, Perſonam dixit: Quid, Negotium uocauit. Ac perſonae quidem, quam in pronomine poſuimus, quae eſſent attributa, iam dictum eſt. nunc, antequam dicamus, quae negotio attributa ſint, quid ſit ipſum negotium, uideamus. Negotium, eſt factum, de quo quaeſtio eſt: uerum hoc factum, nunc in facto eſt, nunc in dicto, nunc in cogitatu. Omne hoc itaque factum, de quo quaeſtio eſt, negotium appellatur. Ac factorum quidem genera tria ſunt, Eſt factum illud, de quo quaeſtio eſt. Eſt factum, quod in negotio eſt, quo illud factum, de quo quaeſtio eſt, probatur. Atque hoc factum, tribus temporibus conſideratur, Ante, In, Poſt. Eſt & tertium genus facti, quod extra negotium eſt, ex quo, ad id factum, de quo quaeſtio eſt, trahitur argumentum: ut, Cluentij factum, eſt Iudiciale de ueneno, quod occiderit Oppianicum. deinde, extra hoc negotium, facta eius alia ad argumentum, quod proponitur, trahuntur, quod multos ante ueneno necarit. Hoc tertium factum in attributis perſonae accipimus, facta, caſus, & orationes. Tria itaque genera factorum ſunt, Factum, de quo quaeſtio eſt: Factum, quod id factum, unde quaeſtio eſt, probatur: Factum extra negotium, ſed ad negotium. Itaque factum illud, de quo quaeſtio eſt, negotium appellatur. Huic negotio quattuor principaliter attributa ſubiecit, Vnum, quod in ipſo negotio eſt, quae continentia cum ipſo negotio appellauit: ideſt, quibus illud factum, de quo quaeſtio eſt, probatur, & quae ab ipſo negotio uidentur nullo modo poſſe ſeparari. Secundum attributum eſt, in quo illa, quae in geſtione negotij ſint, neceſſe eſt uidere. Aliud eſt enim ipſum negotium, aliud illa, quae in geſtione negotij continentur: utputa, Occidit, negotium eſt. In ipſius autem negotij geſtione illa ſunt, Illo tempore occidit, In illo loco occidit, Fuit occaſio, ut occideret, & reliqua, quae in geſtione negotij continentur. Tertium attributum eſt, quod adiunctum negotio nominatur. Hoc, neque negotium, neque in geſtione negotij, ſed extra negotium eſt: hoc ab oratore ſumitur, cuius aſſumptione res illa, de qua quaeſtio eſt, aut ſimilis, aut diſſimilis demonſtrabitur. Itaque omnia exempla attributa negotio ſunt: ſed, quoniam extrinſecus ueniunt, adiuncta negotio nominantur. Quartum attributum eſt negotio, quod geſtum negotium conſequitur. Hoc quoque extrinſecus eſt. non enim in negotio, uel in geſtione negotij continetur, ſed an poſt negotium contigerit, conſideratur: utputa, factum Milonis hae res conſecutae ſunt, Vt de eodem facto legem nouam ſenatus tulit. caedem, quae in Appia uia facta eſſet, contra rempublicam factam eſſe iudicauit. Haec omnia non in negotio, neque in geſtione negotij ſunt, ſed geſtum negotium conſequuntur. Et, quoniam ſcimus, quot attributa negotio ſunt, nunc in ſingulis, quae nobis ſint ad argumentum ducenda, uideamus. Ac primo illa conſideremus, quae continentia cum ipſo negotio appellantur: ſine quibus negotium, & quae ſine negotio eſſe non poſſunt. Haec itaque quinque ſunt, Summa ipſius negotij, ſummae cauſſa, & facti tria tempora, ante, in, poſt: quod factum inter genera factorum ſecundum eſſe memorauimus. Summa negotij talis eſt, ut Parentis occiſio. Patrem enim occidit, negotium eſt:

eſt: negotij ſumma eſt, ut Parentis occiſio. In hoc de ipſis nominibus, de pronunciatione fiet argumentum, ſi cum quadam admiratione dicamus, Occidiſſe patrem Sextus Roſcius dicitur. Deinde cauſſa illa eſt: utputa Occidit, quia inimicus fuit: aut contra, Quia inimicus non fuit, non occidit. Iam poſt cauſſam facta conſiderare debemus, quibus illud factum, de quo quaeſtio eſt, aſſeramus. Haec facta per tria tempora (ut ſaepe iam dictum eſt) diuiduntur, ut conſideremus quid ante factum ſit, quid in re ipſa factum ſit, quid poſtea factum ſit: ut Milo, quid ante fecit, In ſenatu fuit: domum uenit: calceos, & ueſtimenta mutauit: profectus eſt. Deinde, quid fecit in re ipſa, ad Albanum peruenit: impetus in illum factus eſt: tum ille reiecit paenulam: de rheda deſiluit: ſe defendit: Clodius occiſus eſt. Poſtea, quid fecit, Profectus eſt Lauinium: flamines creauit: propter inuidiam Romam cito noluit reuerti. Ergo his factis factum probatur, aut defenditur illud, quod in quaeſtione eſt, ideſt, Milo Clodium occidit. Neceſſe eſt itaque haec quinque in eodem negotio, de quo quaeſtio eſt, contineri. Fruſtra enim aliquid factum obiicimus, immo nec factum eſt, niſi eius ſummam dicamus, niſi cauſſam eiuſdem facti doceamus, niſi quod ante, quid in re, quid poſtea factum ſit, demonſtremus. Recte ergo continentia cum ipſo negotio nominata ſunt. DEINDE *cauſſa eius ſummae, per quam, & quamobrem, & cuius rei cauſſa factum ſit, quaeritur.*] Multae quidem cauſſae ſunt, nam, ut omnia iſta naſcantur, quae in mundo ſunt, neceſſe eſt cauſſa praecedat: & hoc ipſum negotium, de quo quaeſtio eſt, cauſſa dicitur. Verũ haec cauſſa hominis circa factum, duplex eſt: aut enim propter rem aliquam iam ante animo prouiſam, quodcumque facimus: & erit cauſſa, quae ratiocinatio dicitur: aut ſubito neceſsitate aliqua praeſentis temporis in factum aliquod praecipitamur: & erit cauſſa, quae impulſio dicitur: &, quaecumque cauſſa ex confeſsione ueniam meretur, impulſio eſt. Harum nunc utramque cauſſam Cicero hic tetigit, Per quam, & quamobrem, inquit, & cuius rei cauſſa factum ſit, quaeritur. Quamobrem ratiocinatio eſt, cuius cauſſa impulſio eſt.

CICERO

IN geſtione autem negotij, qui locus ſecundus erat de iis, quae negotiis attributa ſunt, quaeretur locus, tempus, modus, occaſio, facultas.

EXPLANATIO

IN *geſtione autem negotij, qui locus ſecundus erat de iis, quae, &c.*] De ſeptem elementis, perſona iam dicta eſt: remanſerunt ſex, quae negotio attributa ſunt, Quid, cur, quando, ubi, quemadmodum, quibus adminiculis. ex his rurſus duo, Quid, & cur, ideſt factum illud triplex, & facti cauſſam continentia, cum ipſo negotio eſſe monſtrauimus. Reliqua quattuor in geſtione negotij ſunt, Vbi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis. Addidit Cicero quinctam occaſionem, de qua poſt dicemus. Quinque itaque res ſecundo attributo ſubdidit, locum, tempus, occaſionem, modum, facultatem: & recte haec in geſtione negotij eſſe dixit. Illa enim ſuperiora quinque, ſumma negotij, ſummae cauſſa, quid ante factum ſit, quid poſtea factum ſit, negotiũ, ideſt factum illud, de quo quaeſtio eſt, probant. Quod ſi negotium probant, in geſtione negotij non ſunt. Verum in geſtione negotij neceſſe eſt, ut haec rurſus quinque ſint, locus, tempus, occaſio, modus, facultas. Etenim, cum dicimus, Milo in ſenatu fuit: domum uenit: poſtea profectus eſt: geſtio negotij eſt quidem, ſed in ipſa negotij geſtione tempus oſtendimus: ideſt, Milonem hora undecima profectum. Deinde, cum dicimus, Venit ad Albanum: impetus in illum factus eſt: geſtio quidem negotij eſt, ſed in ipſa negotij geſtione & occaſionem oſtendimus, quod neceſſe habuerit illuc iter facere: & locum oſtendimus, quod de loco ſuperiore impetus in illus factus ſit: & facultates, quod Clodius habuit armatos. Ergo geſtio negotij ſine his quinque eſſe non poteſt, loco, tempore, occaſione, modo, facultatibus. Quod ſi ſine his quinque negotij geſtio eſſe non poteſt, recte haec in geſtione negotij conſiderare debemus.

CICERO

LOCVS conſideratur, in quo res geſta ſit, ex opportunitate, quam uideatur habuiſſe ad negotium adminiſtrandum. Ea autem opportunitas quaeritur ex magnitudine, interuallo, longinquitate, propinquitate, ſolitudine, celebritate, natura ipſius loci, & uicinitate totius regionis. Ex his etiam attributionibus, ſacer, an profanus; publicus, an priuatus; alienus, an ipſius, de quo agitur, locus ſit, an fuerit.

EXPLANATIO

LOCVS *conſideratur, in quo res geſta ſit, ex opportunitate, quam uideatur habuiſſe ad negotium adminiſtrandum.*] Vt ſciamus, quem locum conſiderandum praecipiat, qui ſint alij loci, uideamus: ac primo ſecundum Lucretij, ceterorumq. ſententiam, Inane totum, locus eſt: quod inane patet rebus, occupaturq. ab elementis, igni, aëre, aqua, terra. Ergo haec elementa in loco ſunt, ideſt in inani. Sed rurſus ipſa elementa loci ſunt: ut ignis, ſideribus locus eſt: aer, auibus: aqua, natantibus: terra, gradientibus, uel his omnibus, quae in eadem naſcuntur. Itaque & terra omnis, locus eſt: & rurſus in terra locus eſt, qui locus nobis non ex eo, quod locus eſt, conſiderandum eſt; ſed ex eo qualis ſit, ut ex opportunitate eius, aliquid in eo, aut fieri potuiſ-

ſe,

ſe, aut fieri non potuiſſe doceamus. Hoc itaque ſit praeceptum in loco, qualitatem eius, atque opportunitatem nos inſpicere, atque aeſtimare debere. neceſſe eſt enim nos ubicumque eſſe: ſed illud, ubi ſumus, quale ſit, conſiderandum eſt. Atque haec opportunitas loci permulta conſideranda eſt: nam & magnitudo loci inſpicienda eſt, utrum ibi tot millia hominum ceperit: deinde interuallum inſpiciendum eſt, ut in Quinctiana ſeptingenta millia paſſuum biduo eſſe decurſa. Et, quoniam interualli duo genera ſunt, longinquitate, inquit, & propinquitate: deinde conſiderandum ſemotus locus, an celebris ſit: deinde, natura ipſius loci uidenda, tumuloſus, decliuis, planus, ſaxoſus, paluſtris, ſilueſtris: quae ſit praeterea uicinitas eius loci, in qua natura ſit, ut ideo ibi aliquid fieri potuerit, uel non potuerit, quod uicinia talis ſit, uel omnis regio. Etiam hoc, inquit, in loco conſiderare debemus, ſacer, an profanus ſit; publicus, an priuatus; alienus, an ipſius, de quo agitur: quod ſi ipſius non erit, etiam hoc uidendum, an aliquando ipſius fuerit. Ex his igitur tot opportunitatibus loci, multa ad negotium colligere poſſumus argumenta.

CICERO

TEMPVS autem eſt id, quo nunc utimur, (nam ipſum quidem generaliter definire difficile eſt) pars quaedam aeternitatis cum alicuius annui, menſtrui, diurni, nocturni ue ſpatij certa ſignificatione. In hoc & quae praeterierunt, conſiderantur, & eorum ipſorum, quae propter uetuſtatem obſoluerunt, ut incredibilia uideantur, & iam in fabularum numero reponantur: &, quae iamdiu geſta, & a memoria noſtra remota, tamen faciant fidem, ue re tradita eſſe, quod eorum monumenta certa in litteris exſtent: &, quae nuper geſta ſint, quae ſcire plerique poſſint: & item, quae inſtent in praeſentia, & quae maxime fiant, & quae conſequantur. In quibus poteſt conſiderari, qui ocius, & quid ſerius futurum ſit. Et item communiter in tempore perſpiciendo longinquitas eius eſt conſideranda. nam ſaepe oportet commetiri cum tempore negotium, & uidere, potuerit ne aut magnitudo negotij, aut multitudo rerum in eo tranſigi tempore. Conſideratur autem tempus & anni, & menſis, & diei, & noctis, & uigiliae, & horae, & in aliqua parte alicuius horum.

EXPLANATIO

TEMPVS *autem eſt id, quod nunc utimur, &c.*] Tempus generaliter definire difficile eſt: quia tempus ſemper fuerit neceſſe eſt, ſiue ante mundum, ſiue cum mundo. multi enim natum mundum, multi natum non eſſe contendunt. Ergo hoc tempus generale, quia nec initium, nec finem habet, aeternitas eſt, quam Graeci αἰῶνα appellant. Verum, quoniam hoc tempus definiri difficile eſt, illud definit, quo nunc utimur. Tempus eſt, inquit pars quaedam aeternitatis aut annuum, aut diurnum, aut nocturnum ſpatium ſignificans. Ex curſu enim ſiderum certis temporibus certum nomen impoſitum eſt. Septem ſtellae, ſeptem circulis contra caelum uoluuntur: quae cum ſingulae ad id ſignum, unde profectae ſunt, fecerint reuerſae, certum tempus includunt. Quod ſi omnes ſeptem ſimul ad ea ſigna, unde profectae ſunt, reuertantur, tunc fit illud tempus, quod Annus magnus dicitur: & neceſſe eſt omnia rurſus per ordinem ſuum, quae ante nata ſunt, renaſci. Ergo, ſi ad exordium ſuum ſimul omnes ſtellae reuertantur, Annus magnus dicitur. Singularum autem curſus habet tempus ſuum: ſed omne tempus certis uocabulis non tenetur. Nam Saturni curſus habet tempus, ſed tempus ipſum non habet nomen. Item Iouis, Martis, Veneris atque Mercurij. Solis uero curſus, cum ſe expleuerit, annus eſt: Lunae, cum ſe impleuerit, menſis eſt. Iam uero & Sole ſupra terras poſito, diem uocabimus: & Sole ſub terris poſito, noctem. Horarum autem duodecim haec eſſe origo memoratur. Quodam tempore Trimegiſtus, cum eſſet in Aegypto, ſacrum quoddam animal Serapi dedicatum, quod in toto die duodecies urinam feciſſet, pari ſemper interpoſito tempore, per duodecim horas diem dimenſum eſſe coniecit: & exinde hic horarum numerus cuſtoditur. Deinde alij dicunt ex quadratura Caeli, quae ſecundum muſicam rationem in duodecim partes dicitur eſſe diuiſa, horas duodecim eſſe nominatas. Aquam enim per totum diem exceperūt tenuiſsima cauerna defluentem, & hanc maiores noſtri in duodecim partes diuiſerunt: ex his partibus, horis numerum impoſuerunt. Sed iam tempus eſt, ut ad rationem temporis reuertamur: quod tempus, ideſt hoc quo nunc utimur, ſpatium accipiamus, quod aut in multis annis ſit, aut in anno, aut in menſibus, aut in menſe, aut in diebus, uel die, aut in noctibus, uel nocte, aut in horis, uel hora, uel momento. Verum hoc tempus noſtrum Philoſophi in duo tempora diuiſerunt: in praeteritū, & futurum. Praeſens autem eſſe negauerūt: quod in eo, quod praeſens dicimus, ſi quid iam ex parte aliqua confectum eſt, praeteritum eſt: ſi quid mox perfici habeat, futurum ſit. Ita Virgilius, Tot iam uoluentibus annis. quod enim uoluitur, non ſtat: quod non ſtat, praeſens non habetur. Oratores autem tempus noſtrum in tria tempora diuidunt: praeteritum, praeſens, & futurum. Ac praeteritum tempus in tria tempora diuidunt: in illud tempus uetus, atque obſoletum, & perantiquum. deinde in illud, quod, licet uetus ſit, & a noſtra memoria remotum, tamē in litteris cōtinetur: poſtremo in illud, quod nuper geſtum eſt, & cuius de his, qui uiuunt, plerique meminerunt. Praeſens uero tempus in duo diuidunt: in praeſens, & magis praeſens. Magis praeſens tempus eſt, ut, Nunc inſurgite remis. Hoc eſt, quod ait, Et item quae inſtent in praeſentia, & cum maxime fiant. Inſtans enim tempus praeſens eſt, cum ait Iuno ad Iuturnam, cum iam fata Turnum tenerent, Atque inſtantibus eripe fatis. Denique, ut ſciamus illam praeſentia fata dixiſſe, addidit poſtea tempus, quod magis praeſens eſſet, Si quid praeſentius audes. Praeſens ergo tempus duo tempora habere dixerunt, praeſens, & magis praeſens. Futurum autem tempus in duo diuiſerunt. in ocius, & ſerius: ideſt in id, quod mox futurum eſt, & in id, quod tardius futurum eſt. At-

que

que hac tria tempora,cum partibus ſuis,hic in hoc attributo, quod de tempore eſt,continentur. E T *item communiter in tempore perſpiciendo longinquitas eius eſt conſideranda.*] Tempus eſſe diximus ſpatium, quod in annis, menſibus,diebus,noctibus,horiſq uerſetur. In hoc,inquit,communiter tempore longinquitatem eius debemus reſpicere: in qua longinquitate duo oportet attendere, Vtrum in illo ſpatio huius negotij magnitudo potuerit impleri, & utrum tot ſimul res potuerint effici. Quod enim in rebus difficile eſt, aut numero, aut magnitudine ſit,neceſſe eſt.

C I C E R O

*O*CCASIO *autem eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. quare cum tempore hoc differt:nam genere quidem utrumque idem eſſe intelligitur: uerum in tempore ſpatium quodam modo declaratur,quod in annis, aut in anno,aut in aliqua anni parte ſpectatur: in occaſione ad ſpatium temporis faciendi quaedam opportunitas intelligitur adiuncta. Quare,cum genere idem ſit,ſit aliud, quod parte quadam,& ſpecie,ut diximus,differat. Haec diſtribuitur in tria genera,publicum,commune,ſingulare. Publicum eſt, quod ciuitas uniuerſa aliqua de cauſſa frequentat,ut ludi,dies feſtus, bellum. Commune,quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut meſſis, uindemia, calor,frigus. Singulare autem eſt, quod aliqua de cauſſa priuatim ſolet alicui accidere,ut nuptiae, ſacrificium, funus,conuiuium, ſomnus.*

E X P L A N A T I O

OCCASIO *eſt autem pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi,aut non faciendi opportunitatem.*] In illa menſura temporis,ex motu caeli facta,ex actibus noſtris, uel ipſius mundi qualitas proueniens,occaſionem parit faciendi aliquid, uel non faciendi. In tempore enim menſura,ac ſpatium conſiderante: in occaſione qualitas temporis,ex qua opportunitas naſcitur faciendi aliquid,uel non faciendi. Hoc itaque inter ſe diſtant tempus, & occaſio: genere autem ſimilia ſunt. Verum haec occaſio,ut diximus,ex actibus noſtris,uel ipſius mundi, parit nobis ad aliquid opportunitatem. Verum haec occaſio, uel opportunitas in tria genera diſtribuitur, Publicum,commune, ſingulare. Publicum eſt, inquit, quod ad totam pertinet ciuitatem: ſi aut bellum ſit, aut ludi, aut aliquis dies feſtus. In hac itaque publica occaſione eſt opportunitas aliquid faciendi,uel non faciendi. Commune eſt,inquit,quod ex actibus mundi prouenit: ut ſi meſsis ſit, ſi uindemia, ſi calor,ſi frigus. Singulare autem eſt, inquit, quod unicuique poteſt prouenire priuatim: ut ſi nuptiae ſint,ſacrificium,funus, conuiuium, ſomnus. Et recte in priuata occaſione ſomnum etiam poſuit. Non enim ex neceſsitate temporis, ſed ex corporis, atque animi ratione dormitur. interdum enim laſsi aut maeſti, per diem dormimus: interdum ſoliciti,atque occupati,nocte uigilamus. Triplex itaque occaſio, Publica, communis, priuata. Ex his occaſionibus multa poſſumus argumenta colligere.

C I C E R O

*M*ODVS *autem eſt,in quo, quemadmodum, & quo animo factum ſit,quaeritur. Eius partes ſunt, prudentia,& imprudentia. Prudentiae autem ratio quaeritur ex ijs,quae clam,palam,ui, perſuaſione fecerit. Imprudentia autem in purgationem confertur; cuius partes ſunt,inſcientia,caſus,neceſſitas; & in affectionem animi, hoc eſt,moleſtiam,iracundiam, amorē, & cetera, quae in ſimili genere uerſantur.*

E X P L A N A T I O

MODVS *autem eſt,in quo,quemadmodum, & quo animo factum ſit,quaeritur.*] Modum Cicero diligenter inſpexit,atque ita definiuit,ut nemo umquam. Namque modum in duobus inſpiciendum docet, in modo facti,& in animo facientis: ut ſi dicas, Clam eſt quidem modus facti, quod quaſi res occulte geratur. Verum in eo eſt & animus facientis inſidioſus, latens, atque inſtructus dolis.Ita in eo,quod (clam) dicimus, & modus, & animus inuenitur. Similiter omnes modi,& modo facti, & ex animo inſpiciendi ſunt. Verum in ipſo animo duo rurſus debemus inſpicere,prudentiam, & imprudentiam. ideſt utrum aliquid conſilio, an animi impulſu fecerit. In his enim cauſſa facti quaeritur, quam duplicem eſſe ſupra diximus circa facientis uoluntatem: ratiocinationem ſcilicet,& impulſionem. Ita Ratiocinatio erit prudentia animi,Impulſio uero, imprudentia. Verum hi erunt ex prudentia modi, Clam,palam, ui, perſuaſione. Haec omnia prudenter admiſſa ſunt,id eſt,ut res fieret,conſilium ante praeceſsit. Imprudentia porro ad Purgationem iungitur: quae pars ueniae eſt. cuius Purgationis partes tres ſunt inſpiciendae, Inſcitia, caſus, neceſsitas. In his quoque modis factum quidem manifeſtum eſt, ſed animus inuenitur inuitus. Adiungitur ad Imprudentiae modos etiam Affectio, quam paullo ante perſonae diximus attributam: quam affectionem, eſſe diximus animi aut corporis repentina de cauſſa permutationem. Verum hic quoniam in modo animus attendendus eſt, animi ſolas circa affectionem poſuit commutationes: ideſt Moleſtiam,iracundiam, amorem. Itaque his affectionibus animi imprudentes: in factum impelluntur: & recte imprudentes: quippe affectio eſt repentina animi commutatio. Ergo,quod repentinum eſt,proſpici non poteſt: ſi proſpici non poteſt, imprudentia eſt.

CICERO

FACVLTATES *ſunt, aut quibus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt.*

EXPLANATIO

FACVLTATES *ſunt, aut quibus facilius fit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt.*] Facultates Cicero duplici qualitate definiuit, duaſq. illis potentias dedit: ut ſit primum genus facultatum, illud, ſine quo aliquid fieri non poteſt: aliud, quo aliquid facilius compleatur. Etenim haec duo prima proponamus, fit, non fit: iam ex eo, quod fit, rurſus duo deſcendunt, facile fit, difficile fit. Ita in duobus ponitur facultas: in genere, ideſt in toto, quod fit: & in ſpecie, ideſt in eo, quod facile fit. Illud autem, quod difficile fit, ita poteſt argumentis torqueri, ut illud uideatur eſſe, quod non fit: & iccirco in hoc non ſunt poſitae facultates. Dupliciter igitur facultates eſſe teneamus: primo illas, ſine quibus aliquid fieri non poteſt: deinde illas, quibus aliquid completur, & facile completur: ut ſi quis uelit Rhetoricam diſcere, prima erit ei ad diſcendum facultas, ſine qua effici non poteſt: ideſt animus, ingenium, inſtrumenta artis ipſius, & magiſter. Deinde erunt illae facultates, quibus facilius fit, ſi ſit doctus, & beneuolus magiſter. Ita & ad mortem facultas, ſine qua fieri non poteſt uenenum: qua facilius fit uenenum cum poculo. Si autem in pane detur uenenum, pars illa eſt, quae difficile fit: quae ita poteſt argumentis torqueri, ut pars illa uideatur eſſe, quae nō fit. quod quidem Cicero pro Cluentio diſputauit, cum negauit in pane dari uenena potuiſſe. Hoc autem ſcire, & tenere debemus, etiam tempus, & locum, & cetera, praeter modum, facultates eſſe poſſe, ſi generaliter conſiderentur, non ex ſpecie, uel ex opportunitatibus ſuis. Neceſſe eſt enim, & quodcumque tempus, & quaemcumque locum fuiſſe, cum aliquid factum eſt. Alioqui facultas prima non erit faciendi, niſi iſta ſint. Ita Cicero in Roſciana, Non potuit, inquit, occidere patrem Roſcius, quoniam abſens fuit. hic argumentum a loco fecit: deinde ait, Age nunc uideamus reliquas facultates. Ergo iam & locus facultas eſt: ſed facultas, ſi generaliter conſideretur: at, ſi opportunitas eius fuerit inſpecta, tunc ex loco argumenta ſumentur.

CICERO

ADIVNCTVM *autem negotio id intelligitur, quod maius, & quod minus, & quod ſimile erit ei negotio, quod de agitur, & quod aeque magnum, & quod contrarium, & quod diſparatum, & genus, & euentus. Maius, & minus, & aeque magnum, ex ui, & ex numero, & ex figura negotij, ſicut ex ſtatura corporis conſideratur.*

EXPLANATIO

ADIVNCTVM *autem negotio id intelligitur, quod maius, & quod minus, & quod ſimile erit, &c.*] Attributa negotio iam duo tranſacta ſunt: continentia cum ipſo negotio, & illa, quae in geſtione negotij continentur. Ac prima quidem, cum attributis ſuis perſona tranſacta eſt, ideſt quis: deinde quid, & cur continentia cum negotio demonſtrauimus: deinde ubi, quando, quemadmodum, quibus adminiculis, in geſtione negotij poſita docuimus. Item ſeptem prima illa elementa in duobus negotio attributis uidemus incluſa: nec iam amplius uidetur relictum, quod in aliis duobus negotio attributis ad argumentum conſiderare debeamus: id eſt in his, quae adiuncta negotio nominatur, & in his, quae geſtum negotium conſequuntur. Verum & in his, eadem ſeptem, quae & in ſuperioribus conſiderare debemus: nec aliquod negotium ſine his ſeptem elementis umquam poterit inueniri, ut quiuis homo ſine lineamentis ſuis. Itaque, cum in noſtro negotio ex omni circunſtantia argumenta ceperimus, & fides in aliquo claudicarit, ex alienis argumenta ſumenda ſunt: quae cum aſſumuntur, aut fidem faciunt, aut augent. Verum haec cum aliena ſint, ideſt extra noſtram cauſſam, uidendum eſt, qua noſtro negotio parte copulentur: quae copulatio reſpectus dicitur: quem reſpectum Graeci σχέσιν dicunt. Etenim, cum etiam iſta aliena a negotio, ſeptem illa elementa contineant, quae in noſtro negotio continentur, non poſſunt ſibi omnia conuenire. Sed quaedam in hoc, quaedam conſiderare debemus in alieno negotio, quae per σχέσιν noſtrum negotium reſpiciant: ut praeuiſo, & praecognito copulationis genere, ad argumentum noſtri negotij, facta collatione, copulentur. Verum huius reſpectus nouem modi ſunt: ſcilicet, ut ſit adiunctum negotio noſtro, & quod maius eſt, & quod minus, quod ſimile, quod aeque magnum, quod diſparatum, quod contrarium, & genus, & pars, & euentus. Haec itaque nouem omnia, toni, & puncta ſunt, ideſt aliquid. itaque quaſi ſemper in binis ſunt: & recte. niſi enim ad aliquid, nullius poteſt eſſe reſpectus. Itaque, cum dicimus (maius) tunc intelligimus maius, ſi minus conſideremus. Rurſus tunc intelligimus minus, ſi maius conſideremus. Ita & reliqua ex aliorum collatione cognoſcimus. Verum nunc uideamus quemadmodum hos reſpectus negotiorum conſiderare debemus. MAIVS *& minus, & aeque magnum, ex ui, & numero, & ex figura negotij, ſicut ex ſtatura corporis conſideratur.*] Haec tria, ideſt maius, & minus, & aeque magnum, tribus modis conſiderare debemus: ui, numero, figura. Vis eſt, quae ſingulis nominibus uerbiſq. conſtat, & perſona: omnis enim res, & omne dictum factumue habet uim ſuam. Etenim, ſi dicas (patricidium) ſtatim quantum hoc ſit, & in qua ui ſit, animo exiſtimamus: ita homicidium, adulterium, & reliqua, facile quid ſint, cum fuerint audita, cognoſcimus.

Similiter & perſonae habent uim ſuam. Etenim, cum dixeris [*Ciceronem*] ſtatim ex boni uiri conſideratione, quae in illo uis ſit, agnoſcimus. Deinde, cum dixeris [*Catilinam*] ex conſideratione peſsimi hominis, ſtatim, quae in illo uis ſit, agnoſcimus. Numerus eſt, cum minus, ac maius non ex ui, ſed ex rerum, uel ex perſonarum numero demonſtramus. Figura eſt, quae in toto negotio conſideratur, ideſt per omnia illa ſeptem elementa: ut conſideres, quid factum ſit, quis fecerit, quando fecerit, quemadmodum fecerit, & reliqua. quae, inqu it, figura totius negotij ita eſt, ut corporis ſtatura: in qua ſtatura omnia lineamenta corporis continentur. Itaque, ut melius intelligamus, notum proponamus exemplum: illud ſcilicet, quod Cicero negotio ſuo adiunxit. Nam, cum Catilinam diceret occidendum, ex adiuncto, quid maius, uel minus eſſet, argumenta collegit, quod utique maius, & minus, & aeque magnum ex ui, numero, figura, jamdudum diximus approbandum: ita & Cicero; An uero uir ampliſsimus P. Scipio pontifex maximus Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum reipublicae priuatus interfecit: Catilinam uero orbem terrae caede atque incendiis uaſtare cupientem nos conſules perferemus? Hic ex ui rerum intelligimus minus eſſe ſtatum reipublicae, quam orbem terrarum. deinde ſimiliter ex ui intelligimus minus eſſe labefactare, quam uaſtare. Ita ex ui perſonarum cum Gracchus, & Catilina nominantur, Catilina magis timendus agnoſcitur. Praeterea ex numero intelligimus maius eſſe duos conſules, quam Scipionem. Hic figuram non poſuit totius negotij: ideſt quemadmodum occiderit Gracchum Scipio, ubi occiderit, quando occider t. Verum haec, quia nihil proderant, praetermiſit: atque uno uerbo concluſit: quod ait [*interfeci*] cuius uerbi conſiderata ui, maius eſſe intelligimus interficere, quam ex urbe eijcere. Verum in aliis exemplis, & ex figura debet comparatio fieri: ut maius aliquid minusue demonſtres: ſi dicas, Illud tunc factum eſt, ibi factum eſt, ita factum eſt, propterea factum eſt, & reliqua, quae in elementis principalibus continentur.

C I C E R O

SIMILE *autem ex ſpecie comparabili, comparabile autem ex conferenda, atque diſſimilanda natura iudicatur.*

E X P L A N A T I O

SIMILE *autem ex ſpecie comparabili, comparabile autẽ ex conferenda, atque diſſimulanda natura iudicatur.*] Cũ facimus argumentum ex adiuncto negotio per ſimilitudinem, in ea ſimilitudine qualitas conſideranda eſt. Superiora enim maius, & minus, & aeque magnum, ex quantitate cognoſcimus. Nec putemus hoc eſſe par, quod ſimile. Etenim par ex menſura definita, & ex comparata utriuſque quantitate cognoſcimus: Simile autem non in eo, quantum ſit, ſed in eo quale ſit, attendimus. Ita non ex menſura fit ſimile, ſed ex uultu, & ſuperna quadbm facie declaratur. Simile itaque duobus modis conſiderare debemus: in ſpecie formatum, & natura rerum. & Scriptores, quidem artium ſimile genus ponunt ſub ſimilia tria, εἰκὼν, ideſt imaginem; παραβολὴν, ideſt collationem; παράδειγμα ideſt exemplum. Per imaginem ſimile fit, cum ex ſimili ſpecie uultus uultibus comparamus: ut, Os humeroſq. deo ſimilis. Per collationem ſimile facimus, cum rerum diuerſarum conferimus, & copulamus non ſpeciem, ſed naturam: ut,

> Qualis mugitus, fugit cum ſaucius aram
> Taurus. Aut,
> -Poenarum qualis in auris
> Saucius ille graui uenantum uulnere pectus,
> Tunc demum mouet arma Leo.

Hic enim Virgilius, ut probaret Turnum rebus omnibus factis non deiectum, ſed iratum magis, quia uix hoc creditur, negotio ſuo fidem fecit ex adiuncto, per ſimilitudinem, quae ſit in parte naturae. Sic, inquit, & leo magis iraſcitur, poſtquam fuerit uulneratus. Per exemplum autem tunc ſimilem facimus, ſi in exemplo ipſo qualitas oſtendatur. Saepe enim exemplum in quantitate urrſatur: ideſt in ui, uel numero, uel figura. Inuenitur tamen, & qualitas ſine exemplo. ut Cicero, cum circa bellum cauſſarum ſimilium comparat naturas, ait, ut Helena, inquit, Troianis, ſic tu Antoni huius belli ſemen fuiſti.

C I C E R O

CONTRARIVM *eſt, quod poſitum in genere diuerſo, ab eodem, cui contrarium eſſe dicatur, plurimum diſtat, ut frigus calori, uitae mors. Diſparatum autem eſt id, quod ab aliqua re per oppoſitionem negationis ſeparatur, hoc modo, ſapere, & non ſapere.*

E X P L A N A T I O

CONTRARIVM *eſt, quod poſitum in genere diuerſo, ab eodem, cui contrarium eſſe dicitur, plurimum diſtat, ut frigus calori, uitae mors.*] Ariſtoteles oppoſita genus poſuit: contrarium, diſparatum, ad aliquid, ſub oppoſitis.

oppoſitis. Contrarium porro Ariſtoteles ſic definiuit. Sub eodem genere ſpecies multum inter ſe diuerſae, hac ratione, ut omnia ad unum illud genus referantur, quod ſupra omnes res principales Graeci ponunt, ideſt τὸ ὄν, quod Latini ens uocant, ideſt, quod eſſe poſsit. Verum contraria tribus modis inueniri poſſunt: Cum aut ſub eodem genere ſpecies multum inter ſe diſtant: aut cum ſub ſingulis generibus diuerſis ſpecies etiam diuerſae ſunt: aut cum duo genera inter ſe diuerſa ſunt. Itaque hic Cicero in diuerſis generibus poſita contraria demonſtrauit frigus, & calorem. His autem genus [*qualitas*] ſed diuerſa. Deinde ſimiliter ſub diuerſis generibus ſpecies longe inter ſe diuerſas poſuit, ideſt uitam, & mortem. Vitae autem genus, bonum: mortis, malum. Itaque contraria ſunt, quae ſe e regione ſpectant, & quae ex diuerſo poſita plena ſunt. Sub diſparato autem Ariſtoteles duas ſpecies poſuit, Priuantia, & negantia. Priuantia ſunt, ut caecitas, infelicitas. uiſio, & felicitas, habitus ſunt. Caecitas, & infelicitas id agunt, ut prima id, quod habuerunt, non habeant. Numquam enim caecitas fiat, neceſſe eſt, niſi uiſio ante tollatur. nec eſt infelicitas, niſi prius felicitas excludatur. Iccirco ergo haec priuantia nominata ſunt, quod primorum priuationem ſecunda demonſtrent. Negantia porro ſunt, quae negatione ſeparantur: ut ſapit, non ſapit: ſedet, non ſedet. Negatio hic illud agit, ut primum neget, non tamen conſtituat ſecundum. Nam cum ait [*non ſedet*] ſolum, ſedere negat: non tamen conſtituit, utrum ſtet, an ambulet, ſed ſufficit ei negare, quod ſedeat. Hic autem Cicero in diſparato ſola negantia poſuit, ideſt ſapere, non ſapere: eſſe tamen inter diſparata, & priuantia, noſſe debemus.

CICERO

GENVS *eſt, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas. Pars eſt, quae ſubeſt generi, ut amor, auaritia.*

EXPLANATIO

GENVS *eſt, quod partes aliquas amplectitur, ut cupiditas.*] Notum eſt, quid ſit genus, ideſt, ſub quo multae ſunt partes. Partes autem ſunt ea, quae ſub genere ſunt. Verum, cum de his facimus argumentum, ex adiunctis negotio facimus argumentum. Quoties autem de genere quaeſtio eſt, ex ſpecie faciendum eſt argumentum: quoties de ſpecie quaeſtio eſt, ex genere faciendum eſt argumentum. ut Cicero, cum pro Roſcio ageret, id eſt ſpeciem ſuſcepiſſet. Roſcius enim ad filium ſpecies eſt. Argumentum fecit ex genere, cum dicit, tam feros mores in filium cadere non potuiſſe. [*filius*] enim genus: [*Roſcius*] ſpecies eſt. Ita, & cum de genere quaeſtio eſt, ex ſpecie colligendum eſt argumentum: ut ſi quaeratur, An omnes matres ament filios ſuos: & tu ex ſpecie facias argumentum, Adeo omnes matres nõ amant filios ſuos, ut Medea filios ſuos etiam occiderit. ita & in reliquis.

CICERO

EVENTVS *eſt, alicuius exitus negotij, in quo quaeri ſolet, quid ex quaque re euenerit, eueniat, euenturũq. ſit. Quare hoc in genere, ut commodius, quid euenturum ſit, ante animo colligi poſſit, quid quaque ex re ſolet euenire, conſiderandum hoc modo: Ex arrogantia odium, ex inſolentia arrogantia.*

EXPLANATIO

EVENTVS *eſt exitus alicuius negotij, in quo quaeri ſolet, quid ex quaque re euenerit, eueniat, euenturumq. ſit.*] Euentum illum accipimus, qui unicuique rei naturaliter uidentur adiunctus, qui rem ſuam, poſtquam res ipſa contigerit, neceſſe eſt conſequatur: & tunc uere de euentu facere poſſumus argumentum, ſi ipſe euentus certus ſit. Alioqui ſi euentum illum accipiamus, qui ex caſu uenit, fieri inde non poteſt argumentum, quod adiunctum negotio eſſe poſsit. Facis itaque de euentu argumentum, Si eum, quem probaueris inſolentem, futurum ſpondeas arrogantem. Ita inſolentiae euentum, arrogantiam doces: quam rurſus arrogantiam ad odiũ cauſſam eſſe demonſtras. QVARE *hoc in genere, ut commode quid euenturum ſit, ante animo concipi poſſit, quid quaque ex re ſoleat euenire, conſiderandum eſt*] Vt, inquit, ex euentu facile poſsimus argumenta colligere: primo ipſi nobiſcum pertractare, & cõſiderare debemus, quis uniuſcuiuſque rei eſſe ſoleat euentus. &, ut ſciamus naturalem euentum, non fortuitum, nobis conſiderandũ denique, quid quaque ex re ſoleat, inquit, euenire. Conſuetudo perpetua eſt: Quod perpetuum eſt, fortuitum eſſe non poteſt. Ergo conſiderandus nobis erit in rebus ſingulis certus, & naturalis euentus.

CICERO

QVARTA *autem pars eſt, ex iis, quas negotiis dicebamus eſſe attributas, conſecutio. In hac hae res quaeruntur, quae geſtum negotium conſequuntur. Primum, quod factum eſt, quo id nomine appellari conueniat. Deinde eius facti qui ſunt principes, & inuentores, qui denique auctoritatis eius, & inuentionis comprobatores, atque aemuli. Deinde ecquae de ea re, aut eius rei ſit lex, conſuetudo, actio, iudicium, ſcientia, artificium. Deinde natura eius euenire uulgo ſoleat, an inſolenter, ac raro. Poſtea, homines id ſua auctoritate comprobare, an offendi*

di in his conſueuerint, & cetera, quae factum aliquod ſimiliter confeſtim, aut ex interuallo ſolent conſequi. Deinde poſtremo attendendum eſt, num, quae res ex iis rebus, quae ſunt poſitae in partibus honeſtatis, aut utilitatis, conſequantur; de quibus in deliberatiuo genere cauſſae diſtinctius erit dicendum. Ac negotiis quidem fere res eae, quas commemorauimus, ſunt attributae.

EXPLANATIO

QVARTA *autem pars eſt ex iis, quas negotiis dicebamus eſſe attributas, conſecutio.*] Negotio quattuor eſſe diximus attributa. dictum iam de tribus attributis eſt. Oſtendimus, quae eſſent continentia cum ipſo negotio, in geſtione negotij, adiuncta negotio: nunc de his dicendum eſt, quae geſtum negotium conſequuntur. Quod quidem quartum attributum, uidetur cum ea parte pugnare, quae in primo attributo eſt poſt negotium. ſcimus enim quinque eſſe in primo attributo, Summam negotij, cauſſam ipſius ſummae. & factum triplex, Ante negotium, in negotio, poſt negotium. Hoc extremum factum, quod eſt poſt negotium, uidetur ſimile eſſe huic attributo, de quo nunc agimus, quod dicitur conſecutio. Nam utrumque poſt negotium eſt: ſed hoc diſtant, quod ſupra negotium, poſt negotium facta, illius conſideranda ſunt, de quo agitur, & qui aliquid feciſſe memoratur. Hic autem facta conſideranda ſunt, ſed extranea. Itaque conſideranda ſunt, quae geſtum negotium conſequantur. Haec in duobus ſemper debemus attendere, in perſonis, & in natura geſti negotij. In perſonis ſic, Si animaduertamus, quid de geſto negotio homines fecerint, aut ſenſerint, aut iudicauerint: ut de facto Milonis, ut de lege Clodij. In natura ipſius negotij ſic, Si res illa facta ſit, cui neceſſe ſit euentum aliquem eſſe coniunctum: ut parricidium furor neceſſe eſt conſequatur: & rurſus parricidam uerisimile non ſit dormiſſe. haec enim geſtum negotium conſequuntur: quae non in perſonis animaduerſa ſunt, ſed in natura geſti negotij. In his itaque duobus & Cicero animaduertenda dixit ea, quae geſtum negotium conſequuntur. Ac primo de perſonis. PRIMVM,, inquit, *quod factum eſt, quo id nomine appellari conueniat.*] Vtique hoc conſequitur. res enim prima eſt, deinde nomen. Homo autem neceſſe eſt nomen ponat: ita Cicero de nomine conſtituendo diſputat in Diuinatione. Non tam, inquit, haec accuſatio, quam defenſio eſt exiſtimanda. DEINDE, inquit, *eius facti, qui ſunt principes, & inuentores, qui denique auctoritatis eius, & inuentionis comprobatoris, atque aemuli.*] Haec quoque poſt rem ſint, neceſſe eſt. neque enim poteſt inueniri, niſi quod latet. Eſt porro, quod latet, animaduertendum: itaque, qui fuerint illi, qui primi illud fecerint, unde nũc agitur: qui deinde factum probauerint, ac ſecuti ſint. Si optimi ſunt, laudas factum: ſi peſsimi, reprehendis. Vt Cicero in Diuinatione dicit ſemper homines nobiles accuſaſſe, & eos cum magno commodo reipublicae magnam ſemper gloriam conſecutos. DEINDE, inquit, *& quae de ea re, aut eius rei ſit lex, &c.*] Lex etiam conſequitur. lex enim ſemper in re, quia res talis uiſa, conſtituitur. Verum, quod ait [*de ea re*] totũ eſt: quod ait [*eius rei*] pars eſt. Interdum enim totum factum, aliqua lege, aut damnatur, aut abſoluitur: interdum pars facti. Deinde, quod ait, Conſuetudo, actio, iudicium, ſcientia, artificium: & haec omnia geſtum negotium conſequuntur. Nam, & conſuetudo rei iam ante geſtae eſt: & rurſus rem geſtam ſolet aliqua actio cõſequi, uel iudicium, ut praeiudicium natum eſſe uideatur. Deinde neceſſe eſt ante aliquid fieri, ut ex eo ſcientia conſequatur, uel artificium. Verum haec omnia, & in perſonarum actibus prouidenda ſunt, & in negotij ipſius natura. Iccirco ait, DEINDE *quid ex natura eius euenire uulgo ſoleat, an inſolenter, ac raro.*] Ait negotij ipſius animaduertendam eſſe naturam, ideſt, qui ſoleat euentus factum iſtud conſequi. Sed hic euentus ab illo euentu, quem in adiunctis negotio demonſtrauimus, hoc diſtat: quod ille euentus naturaliter certis rebus affixus eſt, & rem ſuam quadam ui, ac neceſsitate conſequitur. Hic autem euentus interdum neceſſarius, & naturalis eſt: ut Parricidium furor neceſſe eſt, conſequatur. Interdum uarius, & commutabilis: ut, Amor noceat neceſſe eſt. Saepe enim malum euentum amor habet, ſaepe bonum. denique, ut oſtenderet Cicero euentum iſtum ex natura negotij ita eſſe conſiderandum, ut ſcias, & in contrarium poſſe conuerti. Deinde, inquit, quid ex natura eius euenire uulgo ſoleat, an inſolenter, & raro. Vulgo, ideſt paſsim, frequenter. Ergo firmius argumentum eſt, ſi de quo agimus, euentus frequentius conſequatur, ſi dicas, Amor magis nocet. Praeterea hoc ſciamus intereſſe inter iſtum euentum, & illum ſuperiorem: quod hic totius negotij euentus eſt, ille uero uniuſcuiuſque rei. Ait enim ſupra, Quare hoc in genere, ut commodius, quid euenturum ſit, ante animo colligi poſsit, quid quaque ex re ſoleat euenire, conſiderandum eſt. Poſtea homines id ſua auctoritate comprobare, an offendi in his conſueuerint. Et hic euentus, qui naturam negotij conſequitur, qualis apud homines habeatur, ideſt bonus, an malus, attendendum eſt. Ita & ſupra dixit, attendendum, qui homines primum fecerint, qui deinde comprobauerint. non enim ex eo, quia aliquid conſequitur, argumentum eſt: ſed, quia aut bonum, aut malum eſt, quod conſequitur: ideſt, non, quia eſt, quod conſequitur, ſed quia tale eſt. Ita ſemper nõ ex re, ſed ex qualitate fit argumentum. ET *cetera, quae factum aliquod ſimiliter confeſtim, aut ex interuallo ſolent conſequi.*] Interdum enim uicinus, interdum tardior eſt euentus: utputa, ſi quem uoluero occidere, uicinus eſt euentus, ut mox me oderit. deinde ſi trado alicui diſciplinam, tardior hic euentus: primo enim fortaſſis offenditur: deinde amat, ac diligit. DEINDE *poſtremo attendendum eſt, num quaedam res, &c.*] Dat poſtremum breue, & commune praeceptum, utrum aliquid honeſtum ſit, an utile, in his eſſe conſiderandũ, quae geſtum negotium conſequuntur. Verum, quae ſint pattes honeſtatis, atque utilitatis, in deliberatiui praeceptis ſe demonſtraturum, promittit.

CICERO

OMNIS autem argumentatio, quae ex ijs locis, quos commemorauimus, ſumetur, aut probabilis, aut neceſſaria debebit eſſe. Etenim, ut breuiter deſcribamus, argumentatio uidetur eſſe inuentum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſarie demonſtrans. Neceſſarie demonſtrantur ea, quae aliter, ac dicuntur, nec fieri, nec probari poſſunt, hoc modo: Si peperit, cum uiro concubuit. Hoc genus argumentandi, quod in neceſſaria demonſtratione uerſatur, maxime tractatur in dicendo, aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per ſimplicem concluſionem.

EXPLANATIO

OMNIS *autem argumentatio, quae ex ijs locis, quos commemorauimus, ſumetur, aut probabilis, aut neceſſaria debebit eſſe.*] Ait ſupra, cum de confirmatione loqueretur Huius, inquit, partis certa ſunt praecepta, quae in ſigula cauſſarum genera diuidentur. Vetumtammen non incommodnm uidetur: quandam ſiluam, atque materiam uniuerſam ante permiſtam, & confuſam exponere omnium argumentationum. Tria nobis in confirmatione traduntur, Materia argumentum, argumentatio. Materiam nobis iam tradidit: ideſt locos de quibus argumenta caperemus: quos locos diuiſit in attributa perſonae, & in attributa negotio. Attributa perſonae undecim eſſe dixit: Negotio, quattuor: atque horum omnium partes enumerauit, ac tradidit. Nunc itaque dicturus eſt de argumento. Nec nos confundat, quod pro argumento argumentarionem ponit. Antiqui genus ponebant argumentationem: ſub argumentatione vero argumentum & argumentationem. Itaque hoc uerbo communiter utebantur, ut pro argumento recte argumentatio diceretur. Verum, antequam dicamus quae genera ſint argumentorum, dicamus prius quid conſiderare & conferre debemus, ut argumenta faciamus. Secundum Ariſtotelem, decem categoriae ſunt: ideſt decem res, in quibus omnia, quae in mundo ſunt, continentur. Harum rerum una, Subſtantia eſt: reliquae nouem, Qualitates: ideſt quae Subſtantiae accidant. Itaque cum res nuda eſt, nihil aliud, quam res eſt. Tunc autem ex ea poſſumus facere argumentum, ſi eius qualitatem inſpiciamus. Itaque omnia uerba uel nomina habent res ſuas: habent & qualitates: quae qualitates cum ſibi conueniunt, faciunt argumentum: cum non conueniunt, non faciunt argumentum. utputa ponamus (occidit). (Occidit) res eſt: huius rei quae ſit qualitas, attendamus ideſt quaedam aſperitas, quaedam immanitas. Deinde ponamus (inimicum). Rurſus (inimicus) res eſt: eius rei porro qualitas ſimiliter aſpera, atque crudelis. Itaque quoniam utraque ſibi haec qualitas conuenit, factum eſt argumentum. Ita duae ſimiles qualitates cum fuerint copulatae, faciunt aliam qualitatem: ideſt Occidit, quia inimicus fuit: quae qualitas eſt, vt argumentum probabile eſſe uideatur. Ita ſi dicamus, Occidit, quia gladio percuſsit: argumentum eſt: quia utriuſque rei qualitas eſt ſimilis. Alioqui cum in eo, quod eſt Occidit, iam nota ſit & res, & qualitas rei. Deinde ponas uirgam, cuius res & qualitas nota eſt. quoniam ſimiles ſibi non ſunt iſtae qualitates, coniunctae in unum, non faciunt argumentum: ſi dicas percuſsit uirga & occidit. Semper itaque non res, ſed qualitates rerum debemus attendere, atque conferre, ut argumenta faciamus. Argumentorum porro genera duo ſunt, Probabile & neceſſarium. Probabile eſt, quod uериſimilitudine fidem facit: ut puta Quia inimicus fuit, occidit. uerum de probabili poſt dicemus Nuoc autem de argumento neceſſario diſputabimus.

NECESSARIE *demonſtrantur ea, quae aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari poſſunt, hoc modo, Si peperit, cum uiro concubuit.*] Neceſſarium eſt inqnit, quod aliter ac dictum eſt, nec fieri, nec probari poteſt: neceſſarium argumentum ad fidem cogit, ac trahit. probabile autem irrepit, atque perſuadet. Neceſſarium porro tale eſt argumentum, ſi ea proferas, quorum talis ſit natura, ut ſic fieri neceſſe ſit: ſi dicas, Si natus eſt morietur. Si peperit, cum uiro concubuit. Haec neceſſe eſt, ut ſe conſequantur: quod ſi neceſſe habes credere, neceſſarium factum eſt argumentum. Illud tamen ſcire debemus, argumentum neceſſarium paene non eſſe, ſolumq́ eſſe inter homines probabile. Nempe nobis neceſſarium uidetur ex uero conſtare. Nam ſi probabile ex uerisimili, ex uero neceſſe eſt neceſſarium. Inter homines autem uerum latet, totumq. ſuſpicionibus geritur. Ergo neceſſarium non poteſt eſſe argumentum. Sed tantum inter homines poteſt neceſſarium, quantum ſecundum opinionem humanam ualet. Alioqui ſecundum Chriſtianorum opinionem, non eſt neceſſarium argumentum, Si peperit cum uiro concubuit. Neque hoc rurſus, Si natus eſt, morietur. Nam apud eos manifeſtum eſt ſine uiro natum, & non mortuum. Ergo neceſſarium illud argumentum eſt, quod iam opinione perſuaſum eſt Atque, ut ſcias hoc neceſſarium non eſſe omnino neceſſarium, oſtendit Cicero etiã hoc in hominibus perſuaderi, dum ait, Neceſſarie demonſtrantur ea, quæ aliter ac dicuntur nec fieri, nec probari poſſunt. Ergo ſi probantur, iam non erunt neceſſaria. quidquid enim probatur, potuit & non credi. Itaque neceſſarium argumentum teneamus illud, quo facile populo perſuadet orator. Hoc neceſſarium tribus modis fieri docet: quos modos in genere dictionis ponit. hic enim iam dictio eſt. Superius in materia locos poſuit, de quibus conducta ad argumentationem dictio naſceretur. Fieri itaque neceſſarium argumẽtum docet, aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per ſimplicem concluſionem.

EXPLANATIO

COMPLEXIO *eſt, in qua utrum conceſſeris, reprehenditur,*] Complexio, forma dictionis eſt, poſita in rationibus neceſſarijs. Verum complexio duplici latere conſtat: unde, quidquid fuerit electum, neceſſe eſt, ut contrarium ſit. In complexione itaque duo ſunt genera proponendi. Nunc per ſimplex, nunc per neceſſarium. Simplex hoc modo, Si hoc eſt, cur illud facis? Si illud eſt, cur hoc facis? deinde per neceſſarium ſic, Aut hoc concedas neceſſe eſt, aut illud. Ita hoc exemplum complexionis conſiderare debemus factum per ſimplex, Si improbus eſt, inquit, cur uteris? ſin probus, cur accuſas? Ita, & in Verrinis Cicero, Aut amicos, inquit, confitere Siculos neceſſe eſt, aut inimicos: ſi amici ſunt, credamus teſtibus: ſi inimici ſunt, inuiti pecunias contulerunt.

CICERO

ENVMERATIO eſt, in qua, pluribus rebus expoſitis, & ceteris infirmatis, una reliqua neceſſario confirmatur, hoc pacto: Neceſſe eſt, aut inimicitiarum cauſſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicuius amici gratia; aut, ſi horum nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum. nam ſine cauſſa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt. Sed neque inimicitiae fuerunt, nec metus ullus, nec ſpes ex morte illius alicuius commodi, neque ad amicum huius aliquem mors eius pertinebat: relinquitur igitur, ut ab hoc non ſit occiſus.

EXPLANATIO

ENVMERATIO *eſt, in qua, pluribus rebus expoſitis, & ceteris infirmatis, una reliqua neceſſario confirmatur,*] Enumeratio quoque forma dictionis eſt, poſita in rationibus neceſſarijs: uerũ in enumeratione multa ponuntur: & excluſis multis, unum, quod reliquum eſt, confirmatur. utputa, Si hoc non eſt, ſi illud, & illud non eſt: reſtat igitur, ut iſtud ſit. Ita in Verrinis, Si neque Carbo attigit, neque Sulla uidit, neque in aerarium relatum eſt: reſtat igitur, ut tu Verres pecuniam ſuſtuleris. Verum enumeratio duobus modis fit: Cum, aut multis rei rebus excluſis unam, quae reliqua eſt, confirmas: aut, cũ, rei rebus excluſis, contrarium confirmas. Multis rei rebus excluſis una, quae reliqua eſt, confirmatur: ut ſupra ipſe Cicero Hermagoram, Nam, aut nullum cauſſae genus eſt, aut iudiciale ſolum, aut & iudiciale, & demonſtratiuum, & deliberatiuum. Hic multa enumerauit. Sed excluſis duabus rebus, reliquam tertiam confirmauit. Nullum, inquit, cauſſae genus eſſe, non poteſt dicere, qui artis praecepta dat: unum eſſe non poteſt dicere, quia hoc & hoc. Relinquitur, ergo, inquit, ut omnia tria genera cauſſarum ſint. Ergo hic multis rei rebus ſublatis, poſtrema eſt confirmata. Deinde omnibus rei rebus excluſis, contrarium ſic concluditur, ut hic exemplum poſitum eſt. Neceſſe eſt, inquit, aut inimicitiarum cauſſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicuius amici gratia: aut ſi horũ nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum. Itaque hic res eſt [*occiſio*] huius rei omnes res ſuſtulit: ideſt cauſſa occidendi. poſtremo contrarium concludit, Si igitur horum nihil eſt, non occidit.

CICERO

SIMPLEX autem concluſio ex neceſſaria conſecutione conficitur, hoc modo: ſi uos me iſtud eo tempore feciſſe dicitis, ego autem eo ipſo tempore trans mare fui; relinquitur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, ſed ne potuerim quidem facere. Atque hoc diligenter uidere oportebit, ne quo pacto genus hoc refelli poſſit; & ne confirmatio modum in ſe argumentationis ſolum habeat, & quandam ſimilitudinem neceſſariae concluſionis; uerum ipſa argumentatio ex neceſſaria ratione conſiſtat.

EXPLANATIO

SIMPLEX *autem concluſio ex neceſſaria conſecutione conficitur,*] Et in hoc neceſſarium eſt argumentum, ſed in una re poſitum: & ideo ſimplex concluſio nominatutur. Vtputa, Si illo tempore, quo uos me iſtud feciſſe dicitis, ego trans mare fui: relinquitur, ut id ego non fecerim, ſed nec potuerim facere. Hic itaque ſimplex res eſt. In ſuperioribus uero duplex, in complexione ſcilicet, & enumeratione. Et complexio quidem a parte duas res continet. Aut hoc eſt, inquit, aut illud: ſi illud eſt, cur facis? ſi hoc eſt, cur non facis? Enumeratio etiam quamquam multas in ſe res habeat collocatas, duplex tamen eſt. Ea enim omnia, quae tollis, quãuis multa ſint, in una tamen parte ponuntur: in altera id, quod concludis, ſiue aliquid de rebus ſit, ſiue contrarium rei: ut ſupra docuimus. *Atque hoc diligenter uidere oporiebit, ne quo pacto &c.*] Praeceptum dat, ut neceſſaria argumenta non ſola dicendi ſpecie faciamus, ideſt ne complexio, uel enumeratio in ſolo genere dicendi poſita eſſe uideantur, ſed ut rationes ipſae, & res neceſſariae ſint: & hoc genere dicendi proferantur triplici: ſcilicet aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per ſimplicem concluſionem. Dictum itaque de neceſſario argumeuto, & quale ſit, & quot modis dictionis proferatur. Nunc de probabili incipit diſputatio. Quod ut melius intelligamus, propter uim expoſitionis haec prius nobis etiam pictura cernatur.

- Argumentum
  - Neceſſarium
    - Complexio.
    - Enumeratio.
    - Simplex concluſio.
  - Probabile, aut id
    - Quo fere fieri ſolet,
    - Quod in opinione poſitum eſt.
    - Quod in ſe habet ad haec quandam ſimilitudinem, uel per
      - Contrariū.
      - Par.
      - Ad aliquid.

CICERO

*P*ROBABILE *autem eſt id, quod fere fieri ſolet; aut quod in opinione poſitum eſt; aut quod habet in ſe ad haec quandam ſimilitudinem, ſiue id falſum eſt, ſiue uerum. Verum in eo genere, quod fere ſolet fieri, probabile huiuſmodi eſt: Si mater eſt, diligit filium: ſi auarus eſt, negligit iuſiurandum. In eo autem, quod in opinione poſitum eſt, huiuſmodi ſunt probabilia: Impijs apud inferos poenas eſſe praeparatas: Eos, qui philoſophiae dent operam, non arbitrari deos eſſe. Similitudo autem in contrarijs, & partibus, & in iis rebus, quae ſub eandem cadunt rationem, maxime ſpectatur. In contrariis hoc modo: Nam, ſi iis, qui imprudentes laeſerunt, ignoſci conuenit; iis, qui neceſſario profuerunt, haberi gratiam non oportet. Ex pari, ſic: Nam, ut locus ſine portu nauibus eſſe non poteſt tutus; ſic animus ſine fide, ſtabilis amicis non poteſt eſſe. In iis rebus, quae ſub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile conſideratur: Nā ſi Rhodiis turpe non eſt portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe eſt conducere. Haec tum uera ſunt hoc pacto: Quoniam cicatrix eſt, fuit uulnus. Tum ueriſimilia, hoc modo: ſi multus erat in calceis puluis, ex itinere eum uenire oportebat.*

EXPLANATIO

PROBABILE *autem eſt id, quod fere fieri ſolet, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad haec quandam ſimilitudinem, ſiue id falſum eſt, ſiue uerum.*] Dictum eſt de neceſſario argumento, & de eius modis, ſcilicet tribus: nunc de probabili argumento dicamus, in quo ſolo uirtus omnis fidei continetur. Vt ſupra enim diximus, Neceſſarium inter homines non eſt, praeſertim cum etiam ipſum probetur. Probabili itaque ſolo omnis fides nititur, adeo, ut Graeci officium, & finem oratoris ſic definierint, πιθανῶς πρὸς πίςιν λέγειν: ideſt probabiliter ad fidem dicere. Probabile autem per ſeipſum non poteſt definiri, neque in praeceptum quoddam exprimi: ſed probabile, erit argumentum pro moribus patriae, populi, temporis. Neque enim omnibus unum, atque idem probabile eſt. aliud enim iuſtum Romanis, aliud Barbaris uidetur. itaque, ut probabilia argumenta faciamus, Primum nobis patria inſpicienda eſt, in qua ſumus, & eius patriae inſpiciendi mores. Deinde inſpicienda eſt ciuitas, quae pars patriae eſt. omnis enim ciuitas habet proprios mores. Deinde inſpiciendum eſt tempus. tempora enim ſaepe mutantur. Poſtremo etiam eius, apud quem dicimus, cognoſcenda natura eſt: ut ſecundum mores eius, probabilia argumenta faciamus. Itaque haec praecedunt, antequam probabilia argumenta proferamus. Verum ipſum probabile argumentum primo in tria diuiditur: ideſt in id, quod fere ſolet fieri: & in id, quod in opinione poſitum eſt: & in id, quod habet ad haec quandam ſimilitudinem. Deinde in quattuor, ſignum, credibile, iudicatum, comparabile. Verum illa tria res ſunt, quibus probabile conficitur argumentum: illa autem quattuor, quae ſequuntur, rerum harum trium effectus ſunt. Primo itaque illa tria uideamus, in quae probabile diuiditur argumentum. per id, quod fere ſolet fieri, probabile argumentum ſic fit: ſi ea ad fidem colligas, quae in actus conſuetudine uerſantur. utputa, Si mater eſt, diligit filium: ſi auarus eſt, negligit iuſiurandū. Ita & Terentius, meretrices malas, auaros lenones, triſtes ſenes, edaces paraſitos eſſe commemorauit. Haec itaque ad fidem dicta ſunt, per id, quod fere ſolet fieri. Deinde per id, quod in opinione poſitum eſt, probabile argumentum ſic fit: ſi ad fidem non ea, quae in uſu ſunt agendi, ſed ea, quae in opinione ſunt poſita, colligamus. Si dicas inferos eſſe, & impiis apud inferos poenas: ſi dicas omnes, qui philoſophātur, contra deos facere. Multi enim credunt, quod philoſophi contra Deos faciant. etenim ſi Deos aſſerunt. & me forte ſtultum eſſe dicunt, quonia n me talem Deus eſſe uoluit, contra Deos faciunt, cum me reprehendunt. Deinde in republica, cum bella, aut pax ex Dei uoluntate contingant, ipſi autem multa cupiunt perſuadere, contra Deos faciunt, ſi id no 1 aſſerunt agendum, quod Deorum uoluntate contingit. Ergo, ut diximus, ex his, quae in opinione ſunt poſita, probabile colligitur argumentum. ſi dicas inferos eſſe, uel non eſſe: Deos eſſe, uel non eſſe: mundum natum, mundum non eſſe natum. Iſtae opiniones δόγματα dicuntur. δόγμα enim Graece opinio. Adeo manifeſtum eſt omnia, quae in mundo aguntur, argumentis probabilibus perſuaderi, quādo etiam philoſophoru n perſuaſionibus ex opinione nomen impoſitum eſt, ut δόγματα dicantur. Tertium illud eſt, ut doceamus quemadmodum probabile fiat argumentum ex eo, quod habet ad haec quandam ſimilitudinem, id eſt p r ſimilitudinem. utputa Si is, qui patriam prodit, poenam meretur: Ille, qui patriam defendit, praemium meretur. Verum hic ex altero alteri fides fit, & ſic quaſi fuerat nominandum: ſed Cicero non quemadmodum fieret argumentum, ſed unde fieret, indicauit: cum ait, Aut, quod habet ad haec quandam ſimilitudinem. Ad haec, ideſt ad ſuperiora, ad id, quod fere ſolet fieri, & ad id, quod in opinione poſitum eſt. Etenim hoc argumentum tertium, ubi ex altero alterum probamus, nunc tale poteſt eſſe, ut fere ſoleat fieri: nunc tale, ut in

opinione

opinione poſitum eſſe uideatur. Vt fere ſoleat fieri, Si is qui patriam prodit, poenam meretur: Illi qui patriam defendit, praemium meretur. Vt in opinione: ſic, Si impijs apud inferos tormenta praeparata ſunt, innocentibus quies parata eſt. Itaque hoc quod habet ad haec quandam ſimilitudinem, ideſt ſimilitudo, tribus modis probabile efficit argumentum: aut per contraria, aut per paria, aut per eas res, quae ſub eandem rationem cadunt. Per contraria ſic, Nam ſi ijs qui imprudenter laeſerunt, ignoſci conuenit: ijs qui neceſſario profuerunt, haberi gratiam non oportet. Hic contraria ſunt prodeſſe & nocere: ſed ipſa contraria non faciunt argumentum, niſi habeant inter ſe aliquam ſimilitudinem: hic itaque animorum ſimilitudo eſt. Nam ſi ille imprudenter obfuit, hic neceſsitate profuit: neque ille uoluit obeſſe, neque hic uoluit prodeſſe. Ergo ſi ignoſcitur ei, qui non uoluntate, ſed imprudentia laeſit. Et illi gratia non habenda eſt, qui non uoluntate profuit, ſed neceſsitate profuit: neque ille uoluit obeſſe, neque hic uoluit prodeſſe. Ergo ſi ig. oſcitur ei, qui non uoluntate, ſed imprudentia læſit. Et illi gratia non habenda eſt, qui non uoluntate profuit, ſed neceſsitate. Per paria ſic, cum non ex contrarijs rebus, ſed ex ſimilibus per naturam probabile colligimus argumentum: utputa, Nam ut locus in mari ſine portu nauibus intutus eſt: ſic animus qui ſine fide eſt, amicis non poteſt eſſe portuoſus. Ex his autem, quæ ſub eandem rationem cadunt, probabile facimus argumentum: cum ea ſibi conferimus, quae ad aliquid ſunt. utputa Locare, concedere, conducere, emere, uendere. Haec uerba ad ſe inuicem ſpectant. itaque ex unius rei ratione, alterius rei rationem probare debemus. utputa, Neſcio quis, qui patre uendente emit filium, iniquam rem dicitur feciſſe. Hic facis argumentum probabile. nam ſi is, qui uendidit, rem iniquam fecit: & hic qui emit, rem iniquam fecit: & hic qui emit, rem iniquam fecit. Deinde quod Cicero poſuit exemplum apud Rhodios Portorium res uilis, utilis erat, & Hermocreon uir ampliſsimus id conduxit portorium: defenditur quod rem turpem non fecerit. Facis itaque argumentum per eas res, quae ſub eandem rationem cadunt. Nam ſi Rhodiis turpe non fuit locare, nec Hermocreonti quidem turpe eſt conducere. Siue autem, inquit, uera ſint, ſiue falſa ea, unde facimus argumentum, nihil ad nos, dummodo ad fidem faciendam probabilia eſſe uideantur. Falſum eſt ſiue uериſimile, ſi dicar, Non occidit Medea filios: quippe mater filios nunquam potuiſſet occidere. Hoc falſum eſt quod aſſeris: tamen feciſti argumentum probabile per id, quod fere ſolet fieri, ut Medea filios non occidiſſe credatur. Aut ſi dicas, Quia multus in calceis puluis fuit, ex itinere regreſſus eſt. Verum eſt autem argumentum probabile, ſi dicas, Quoniam cicatrix eſt, uulnus fuerit neceſſe eſt. Nunc autem, ut probabilis argumenti omnes partes ſcire poſsimus, haec nobis quoque animaduertenda pictura eſt.

- PROBABILE
  - Signum
    - Ante negotium.
    - In negotio.
    - Poſt negotium.
  - Credibile
  - Iudicatum
    - Religioſum.
    - Commune.
    - Approbatum.
  - Comparabile
    - Imago.
    - Collatio.
    - Exemplum.

C I C E R O

OMNE *autem, ut certas quaſdam in partes diſtribuamus, probabile quod ſumitur ad argumentationem, aut ſignum eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile.*

E X P L A N A T I O

OMNE *autem, ut certas quaſdam in partes diſtribuamus, probabile quod ſumitur ad argumentationem, aut ſignum eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile.*] Supra diximus probabile argumentum in tres partes diuidi: in id, quod fere ſolet fieri: in id, quod in opinione poſitũ eſt: & in id, quod habet ad haec quandam ſimilitudinem: ſed has tres partes, ipſas res eſſe diximus, de quibus probabile fit argumentum. Verum in his tribus rebus, haec rurſus quattuor collata ſunt: id eſt quod ex illis rebus conficitur, aut ſignum dicitur, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. Atque, ut ſciamus haec quattuor illis tribus eſſe connexa, id, quod fere ſolet fieri, nihil aliud habet in ſe niſi aut ſignum, aut credibile. Deinde id, quod in opinione poſitum eſt, nihil in ſe habet niſi iudicatum. Poſtremo id, quod habet ad haec quandam ſimilitudinem, nihil aliud habet, niſi comparabile. Videamus itaque haec quattuor in illis tribus eſſe: nec haec tantum ſibi copulata ſunt, ſed omnia, quae in argumento ſunt probabili, etiam argumentis attributis perſonae, & attributis negotio conſtat eſſe connexa. Nam quattuor negotio diximus eſſe attributa, Continentia cum ipſo negotio, & in geſtione negotij, adiuncta negotio, quae geſtum negotium conſequuntur. Itaque in continentibus cum ipſo negotio,

gotio, & in geſtione negotij, ſignum eſt. In his, quae geſtum negotium conſequuntur, iudicatum eſt. In his autem, quae adiuncta ſunt negotio, comparabile eſt. In attributis uero perſonae, credibile eſt. Ita uidemus & locos argumentorum, & res, & exitus certis rationibus ſibi eſſe copulata. Nulla itaque uideatur eſſe confuſio, quod probabile argumentum iamdudum in tria diuiſimus: nunc in quattuor. quia id, quod fere ſolet fieri, duo in ſe continet, ſignum, & credibile. quod in opinione poſitum eſt, unum habet in ſe: id eſt iudicatum. quod habet ad haec quandã ſimilitudinem, ſimiliter in ſe unũ continet: id eſt comparabile. Itaque probabile argumentum in quattuor partes nunc diuiditur. nam aut ſignum eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile.

CICERO

Signvm *eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quiddam ſignificat: quod ex ipſo profectum uidetur, quod aut ante fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum; & tamen indiget teſtimonij, & grauioris confirmationis, ut cruor, fuga, pallor, puluis, & quae his ſunt ſimila.*

EXPLANATIO

Signvm *eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quiddam, &c.*] Quinque ſenſus ſunt in homine, Viſus, auditus, odoratio, ſapor, & tactus. Itaque, quidquid ſub hos ſenſus cadit, cum argumentũ fuerit attractum, ſignum eſt. quod ſignum per ſe non ad ſe ualet, ſed ex eo aliud proficiſcitur: ideſt aliud aſſeritur: utputa ſi agatur, an neſcio quis ex itinere uenerit, & aſſeras eum ueniſſe. nam in calceis eius multus puluis eſt. Puluis, hic ſignum eſt: & ſignum, quod ſub ſenſum oculorum cadit. aut ſi dicas, Quia cruentus eſt, hominẽ occidit. deinde ſi dicas, Seditio facta eſt: nam tumultus auditus eſt. Hic [*tumultus*] ſignũ eſt: ſed ſignum, quod ſub aurium ſenſum cadit. ita & reliqua ſimilia. Verum hoc argumenti genus, ideſt ſignum, non ſatis ad fidem ualet: ſed alterius firmioris argumenti indiget approbatione. Ita probabile quidem eſt argumentum, ſed non ualidum: ſemperq. hoc argumento coniectura tractatur. & ideo, aut aliud firmius argumentum, aut teſtimonium requirit. Sed paullo ante dixi, ſignum eſſe in eo, quod fere ſolet fieri: uti que cum dico, ex itinere uenit: nam multus in calceis puluis eſt: &, Hominem occidit: nam cruentus eſt: argumentum facio ex his, quae fere ſolent fieri. Nam, & qui ex itinere uenit, ſolet fieri, ut puluerulentus ſit: qui hominem occcidit, ſolet fieri, ut cruentus ſit. Ex ſigno uero in omnia tempora circa factum facere poſſumus argumentum: utputa Occidiſti hominem: quia cruentus es. & hic [*cruor*] ſignum eſt. [*Occidiſti autem hominem*] tempus praeteritum. deinde Occidis hominem: nam uulnus infigis: ſignum eſt. [*Occidis hominem*] tempus praeſens. deinde Occidere uis hominem: nam armatus incedis. hic [*armatus incedis*] ſignum eſt; [*occidere uis hominem*] tempus futurum. Ita ſignum ad omne tempus argumentum eſt.

CICERO

Credibile *eſt, quod ſine ullo teſte auditoris opinione firmatur, hoc modo: Nemo eſt, qui non liberos ſuos incolumes, & beatos eſſe cupiat.*

EXPLANATIO

Credibile *eſt, quod ſine ullo teſte auditoris opinione firmatur,*] Credibile eſt, inquit, argumentum, quod per ſeipſum fidem facit, neque ad probandum deſiderat teſtem: ſed facile, cum prolatũ fuerit, apud opinionem, & ſententiam iudicis perſuadetur. Hoc credibile in eo eſſe diximus, quod fere ſolet fieri: & rurſus in attributis perſonae. Ita in exemplo, quod ſubdidit Cicero, utrumque uideamus. Nemo eſt, inquit, qui non liberos ſuos incolumes, & beatos eſſe cupiat. Vtique & ſolet fieri, ut nemo ſit, qui non amet liberos ſuos: & attributum perſonae eſt, ideſt fortunae, quod liberi nominantur: & quod ait Nemo eſt.

CICERO

Ivdicatvm *eſt, res aſſenſione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata. Id tribus in generibus ſpectatur, religioſo, communi, approbato. Religioſum eſt, quod iurati legibus iudicarunt. Commune eſt, quod omnes uulgo probarunt, & ſecuti ſunt, huiuſmodi: ut maioribus natu aſſurgatur, ut ſupplicum miſereatur. Approbatum eſt, quod homines, cum dubium eſſet, quale haberi oporteret, ſua conſtituerunt auctoritate, uelut Gracchi patris factum, quem populus R. ob id factum, quod inſciente collega in cenſura nihil geſſi, poſt cenſuram conſulem fecit.*

EXPLANATIO

IVDICATVM *eſt res aßenſione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata.*] Iã & hic in tria diuiſit iudicatum, Nam aſſenſio in religione eſt: auctoritas in communi: iudicium in approbato. in tria enim iudicatum diuiſit, in religioſum, in commune, in approbatum. Religioſum eſt, inquit, ſiquid de re aliqua iurati iudices iudicarunt: & ideo religioſum, quia iurati iudicarunt, quod aſſentiri nos neceſſe eſt. Animaduertamus tamen, ut iudicium, geſtum ſemper negotium conſequatur. COMMVNE *eſt, quod omnes uulgo probarunt,*] Commune eſt, inquit, quod ex more uulgi iuſti auctoritatem tenet: ut neceſſe ſit maioribus natu aſſurgi, ut ſupplicũ miſereri: haec ut ſequamur, habemus uulgi auctoritatem. Deinde hoc etiã animaduertamus, quod conſuetudo quaecumque, rem ſemper aliquam conſequatur. Inter id, quod fere ſolet fieri, & commune, hoc intereſt, Id quod fere ſolet fieri, ex quadam natura eſt: Commune iudicato ſtringitur. APPROBATVM *eſt, quod homines, cũ dubiũ eſſet, quale haberi oporteret, ſua, &c.* Approbatum eſt, inquit, quod, cũ dubiũ eſſet circa qualitatem bonam malamue, ad unam partem homines inclinauerunt. Vt, inquit, Cum ſororem Horatius occidiſſet, & de facto eius populus eſſet incertus, tamen abſolutus eſt. Deinde: ut Tiberius Gracchus, cum cenſor inſciente collega quoſdam in ſenatu mouiſſet, & de eius facto dubitaretur: poſtea tamen eius factum populus approbauit. Nam eum conſulem fecit. Ita religioſum, & commmune, & approbatum, quia in iudicato ſunt, geſtum ſemper negotium conſequuntur.

CICERO

COMPARABILE autem eſt, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem continet. Eius ſunt partes tres, imago, collatio, exemplum. Imago eſt oratio demonſtrans corporum, aut naturarum ſimilitudinem. Collatio eſt oratio rem cum re ex ſimilitudine conferens. Exemplum eſt, quod rem auctoritate, aut caſu alicuius hominis, aut negotij confirmat, aut infirmat. Horum exempla, & deſcriptiones in praeceptis elocutionis cognoſcetur. Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus eſt, nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, demonſtratus eſt. Quemadmodum autem quaeque conſtitutio, & pars conſtitutionis, & omnis controuerſia, ſiue in ratione, ſiue in ſcripto uerſetur, tractari debeat, & quae in quaſque argumentationes conueniant, ſigillatim in ſecundo libro de unoquoque genere dicemus.

EXPLANATIO

COMPARABILE *autem eſt, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem continet.*] Dictum eſt iam de ſigno, de credibili, de iudicato; reſtat extremum, ut de comparabili dicat. Comparabile eſt, quod res inter ſe diuerſas aliqua aliqua ratione coniungit. Haec comparatio, ideſt ſimilitudo, partes habet tres: Imaginem, quam Graeci εἰκόνα appellant. Collationem, quam Graeci παραβολὴν appellant. Exemplum, quod Graeci παράδειγμα appellant. Imago, eſt oratio circa res diuerſas, aut corporum, aut naturarum comparans ſimilitudinem: ut Os humeroſq. deo ſimilis: ut

Qualis mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus.

Collatio, eſt oratio quae res in ſe diuerſas ex ſimili comparatione coniungit: ut eſt iſtud,

Ac ueluti magno in populo, cum ſaepe coorta eſt
Seditio.

Exemplum eſt, quo rem aliquam alicuius hominis, aut negotij auctoritate, uel caſu, aut hortamur, aut dehortamur. Hortamur ſic: ut,

Antenor potuit mediis elapſus Achiuis
Illyricos penetrare ſinus. Dehortamur ſic,
-at non uiderunt moenia Troiae
Neptuni fabricata manu conſidere in ignes.

Haec quidẽ nos exempla grammaticalibus artibus ſuppoſuimus. Cicero autem ſe exempla his, quae ſunt in comparabili, ſuppoſiturum eſſe promittit, cum coeperit de elocutione tractare. Nunc autem de inuentione tractatus eſt. AC *fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus eſt: nec minus dilucide, quam rei natura ferebat, demonſtratus eſt.*] Ea omnia, quae ad confirmationem pertinebant, demonſtrata ſunt: Ita, inquit, ut rei ipſius natura flagitabat. Sed hic confuſe omnia prolata: ſigillatim ſe autem circa ſingulas cauſſas traditurum eſſe praecepta in ſecundo libro promittit.

CICERO

IN praeſentia tantũmodo numeros, & modos, & partes argumentandi confuſe, & permiſte diſperſimus: poſt deſcripte, et electe in genus quodque cauſſae, quid cuiq. cõueniat, ex hac copia digeremus. Atque inueniri quidem omnis ex his locis argumẽtatio poterit: inuentã exornari, & certas in partes diſtingui, & ſuauiſſimum eſt, &

ſumme neceſſerium, & ab artis ſcriptoribus maxime neglectum. Quare & de ea praeceptione nobis, & in hoc loco dicendum uiſum eſt, ut ad inuentionem argumenti abſolutio quoque argumentandi adiungeretur. Et magna cum cura, & diligentia locus hic omnis conſiderandus eſt: quod non rei ſolom magna utilitas eſt, ſed praecipiendi quoque ſumma difficultas.

EXPLANATIO

IN *praeſentia tantummodo numeros, & modos, & partes, &c.*] Numerum accipimus attributa perſonae undecim, negotio quattuor. Deinde genera argumentorum duo: Neceſſarium, probabile. Modos autem accipiamus, ideſt neceſſario argumento Complexionem, enumerationem, ſimplicem concluſionē. Deinde in probabili arguměto, id, quod fere ſolet fieri, quod in opinione poſitum eſt, quod habet ad haec quandam ſimilitudinem. Partes autem accipiamus, Signum, credibile, iudicatum, comparabile, & ea, quae ſub his ſunt. ATQVE *inueniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit.*] Poſſunt quidem omnia iam argumenta ex his locis, quos praecipimus, inueniri: ſed haec ipſa argumenta debemus, inquit, artificioſa dictione diſtinguere: quia & ſuaue, & neceſſarium eſt. Itaque nunc pauca de Dialectica ad Rhetoricam tranſlaturus eſt: habebitq. locum de ſyllogiſmis, ad quos capiendos, & tenendos, lectorem uehementer hortatur: ut ipſe ait, Quod non rei ſolum magna utilitas eſt, ſed praecipiendi quoque ſuuma difficultas. Diximus itaque argumētum probabile in quattuor diuidi, Signū, credibile, iudicatū, comparabile. Credibile eſſe diximus in attributis perſonae. Signum eſſe diximus in negotio duobus attributis, in cōtinentibus, cum ipſo negotio, & in geſtione negotij. Comparabile eſſe diximus in adiunctis negotio. Iudicatū uero in his, quae geſtum negotium conſequuntur. Itaque omne argumentum factum ex attributis perſonae credibile dicetur. Deinde omne argumentum factum ex continentibus cum ipſo negotio, & ex his, quae in geſtione negotij ſunt, ſignum dicetur. Deinde omne argumentum factum ex his, quae negotio adiuncta ſunt, comparabile dicetur. Poſtremo omne argumentum factum ex his, quae negotio adiuncta ſunt, & negotium conſequuntur, iudicatū dicetur, ſed cum probabile fuerit. Alioqui in omnibus attributis tam perſonae, quam negotio, & neceſſarium eſſe poterit argumentum, cuius tres partes eſſe diximus, Complexionem, enumerationem, ſimplicem concluſionem.

CICERO

OMNIS *igitur argumentatio aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem.*

EXPLANATIO

OMNIS *igitur argumentatio, aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem.*] De materia, & argumento iam dictum eſt. Nunc tertium illud eſt, ut de argumentaione dicamus, quae pertinet ad elocutionem, & quam Cicero ex dialectica ſumptam, in Rhetoricam poſuit laxiorem. Argumentatio eſt itaque artificium non inueniendi. ſed dicendi. Haec duobus modis fit: aut per inductionem, aut per ratiocinationem. Ita, & Ariſtoteles in argumentatione duo eſſe dixit, Iſagogen, & ſyllogiſmum. Atque Ariſtoteles breuiter, ac ſtrictim omne exemplum inductionem eſſe dicit: quod animus auditoris ab eo, quod non dubium eſt, ad credendum id, quod dubium eſt, inducatur. Duo itaque ſunt genera argumentandi, Inductio, & ratiocinatio. Verum inductione philoſopi utuntur: & hic nunc ad exemplum inductio philoſophica inducitur ad hoc, ut intelligamus, quid ſit inductio, uel quemadmodum fiat. Poſt autem praecipiet, qualis inductio poſsit eſſe oratoris.

CICERO

INDVCTIO *eſt oratio, quae rebus non dubiis captat aſſenſionem eius, quicum inſtituta eſt: quibus aſſēſionibus facit, ut illi dubia quaedā res, propter ſimilitudinē earum rerum, quibus aſſenſit, probetur: uelut apud Socraticum Aeſchinem demonſtrat Socrates, cum Xenophontis uxore, & cū ipſo Xenophonte Aſpaſiam locutā. Dic mihi, quaeſo, Xenophontis uxor, ſi uicina tua melius habeat aurum, quam tu habes; utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quod ſi ueſtem, & ceterū ornatū muliebrem pretij maioris habeat, quam tu habes; tuum ne, an illius malis? Illius uero, reſpondit. Age, inquit, ſi uirum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrum ne ne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit. Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit. Quaeſo, inquit, Xenophon, ſi uicinus tuus meliorem equum habeat, quam tuus eſt; tuū ne equū malis, an illius? Illius, inquit. Quod ſi fundū meliorē habeat, quā tu habes; utrū tandē fundū habere malis? Illū, inquit, meliorē. ſ. Quod ſi uxorem meliorē habeat, quam tu habes; utrum malis? Atque hic Xenophon quoque ipſe tacuit. Poſt Aſpaſia: Quoniam uterque ueſtrum, inquit, id mihi ſolum non reſpondit, quod ego ſolum audire uolueram; egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam & tu mulier optimum uirum mauis habere, & tu Xenophon uxorem habere lectiſſimam maxime uis. Quare, niſi hoc perfeceritis, ut neque uir melior, neque femina lectior in terris ſit; profecto id ſemper, quod optimum putabitis eſſe, multo maxime requiretis, & tu ut maritus ſis quam optimae mulieris, & haec quam optimo uiro nupta ſit. Hic cum rebus non dubiis eſſet aſſenſum, factum eſt propter ſimilitudinem, ut etiam illud, quod dubium uidebatur, ſi quis ſeparatim quaereret, id pro certo propter rationem rogandi concederetur. Hoc modo ſermonis plurimum Socrates uſus eſt, propterea quod nihil ipſe afferre ad perſuadendum uolebat, ſed ex eo, quod ſibi ille dederat, quicū diſputabat, aliquid cōficere malebat; quod ille ex eo, quod iam conceſſiſſet, neceſſario approbare deberet.*

EXPLANATIO

INDVCTIO *eſt oratio, quae rebus non dubiis captat aſſenſionem eius, quicum inſtituta eſt:*] Generaliter hic inductionem definiuit: qua definitione oſtendit ubique nos inductione uti poſſe, & in philoſophica, & in oratoria, & in quacumque contentione uerborum: etiam in fabulis. Nam ubique neceſſe eſt perſuadere: & ideo perſonam certam hic non poſuit, ſed hoc ait, Inductio eſt oratio, quae rebus non dubiis captat aſſenſionem eius, quicum inſtituta eſt. Eius, inquit, ideſt, ſiue ille philoſophus ſit, ſiue iudex, ſiue orator, ſiue amicus, ſiue inimicus. Inductio itaque ſic facienda eſt, ut primo proponamus illa, qua extra negotium ſunt, ſed tamen, quae ad negotium per ſimilitudinem ſpectant: & talia, inquit, illa eſſe debent, quae proponimus, ut neceſſario is, cum quo agis, ita eſſe fateatur, atque conſentiat. Quod cum conſenſerit, tunc paullatim ad id, unde dubitabatur, deſcendis: & his, quae ſupra conceſſa ſunt, ſimile eſſe confirmas. Dat ergo nunc exemplum philoſophicum: Aeſchines, Socraticus fuit: ideſt diſcipulus Socratis. Is multa ſcripſit: quodam etiam loco inducit Socratem referentem. nam is erat mos diſcipulis, ut ingenio proprio reperta, ad magiſtros referrẽt, & quaſi ab eis inuenta ponerent. Inducit inquam, Aeſchines Socratem referentem, quid eſſet, uel quemadmodum eſſet locuta Aſpaſia, cum uxore Xenophontis, uel cum ipſo Xenophonte. nam Xenophon, & eius uxor frequẽter diſcordabant. Perſuadet ergo Aſpaſia, ut in gratiam reuertantur. Aſpaſia autem peritiſsima fuit philoſophiae. Hac itaque inductione uſam inducit Aſpaſiam apud Aeſchinem Socrates. Interrogauit, inquit, Aſpaſia Xenophontis uxorem, Si, inquit, uicina tua aurum melius habeat, quam tu habes, illuſne, an tuum malis? reſpondit illa, inquit, Illius. Deinde, inquit, Si uirum illa meliorem habeat, quam tu habes, uirumne tuum mauis, an illius? Tum, inquit, Xenophontis uxor inducta ſimilitudine ſuperiorum, quoniam ſententiam mutare non poterat, tacita erubuit. Poſtea, inquit, Aſpaſia conuertit ſe ad Xenophontem ipſum, & ſimiliter, cũ illo inſtituit inductionem, Dic mihi, inquit, Xenophon, ſi uicinus tuus equum, aut fundum meliorem habeat quam tu habes, tuumne malis, an illius? Illius, inquit. Quid ſi, inquit, uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utrum illius malis? Tacuit, inquit, Xenophon. Tunc, inquit, Aſpaſia, Quoniam id mihi ſolum uterque ueſtrum reſpondere noluit, quod ſolum uolueram reſponderi, egomet dicam, quid uterque cogitet. Nam, & tu, inquit, Xenophon uxorem optimam cupis, & tu uirum optimum. Quare, niſi & tu uir optimus fueris, & tu femina lectiſsima: ideſt niſi in gratiam regreſsi fueritis, ſemper & tibi uxor lectiſsima, & tibi uir optimus deerit. Haec itaque inductio hoc egit, ut Xenophon, & uxor eius ab his, quae uelle ſe negare non poterant, ad id etiam, quod dubium habebant, per ſimilitudinem deducerentur. HOC *modo ſermonis plurimum Socrates uſus eſt,*] Socrates, inquit, in diſputationibus ſuis inductione frequenter utebatur: propterea, inquit, quod optimum ducebat, ut non a ſe rebus prolatis, ſed confeſsionibus ſuis uinceretur.

CICERO

HOC in genere praecipiendum nobis uidetur. Primum, ut illud, quod inducemus per ſimilitudinem, eiuſmodi ſit, ut ſit neceſſe concedi. nam, ex quo poſtulabimus nobis illud, quod dubium ſit, concedi; dubium eſſe id ipſum, non oportebit. Deinde illud, cuius confirmandi cauſſa fiet inductio, uidendum eſt, ut ſimile iis rebus ſit, quas res quaſi non dubias ante induxerimus. nam ante aliquid nobis conceſſum eſſe nihil proderit, ſi ei diſſimile erit id, cuius cauſſa illud concedi primum uoluerimus. Deinde non intelligatur, quo ſpectent illae primae inductiones, & ad quem ſint exitum peruenturae. nam, qui uidet, ſi ei rei, quae primo rogetur, recte aſſenſerit; illam quoque rem, quae ſibi diſpliceat, eſſe neceſſario concedendam, plerumque aut non reſpondendo, aut male reſpondendo longius procedere rogationem non ſinit. quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod conceſſit, ad id, quod non uult concedere, deducendus eſt. Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut oſtendenda eſt ſimilitudo earum rerum, quae ante conceſſae ſunt; aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda eſt argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda eſt reſponſio; aut, quoniam taciturnitas imitatur confeſſionem, pro eo, ac ſi conceſſum ſit, concludere oportebit argumentationem. ita fit hoc genus argumentaadi tripertitum. Prima pars conſtat ex ſimilitudine una, pluribus ue. Altera ex eo, quod concedi uolumus, cuius cauſſa ſimilitudines adhibitae ſunt. Tertia ex concluſione, quae aut confirmat conceſſionem, aut, quod ex ea conficiatur, oſtendit.

EXPLANATIO

HOC *in genere praecipiendum nobis uidetur, primum, ut illud, quod inducemus per ſimilitudinem, eiuſmodi ſit, ut ſit nececeſſe concedi.*] In inductione, inquit, tria ſemper ſpectare debemus. Primo, ut ſimilitudines tales proponamus, ut eas ſit neceſſe concedi. nam illud dubium eſſe non debet, unde alteri fidem uolumus facere. Deinde, illud, quod confirmamus, ei rei, quã propoſuimus, ſimile eſſe debet: ne nihil egerit propoſitio, ſi illud diſsimile eſt, cuius cauſſa propoſuimus. Tertio, inquit, id agere debemus, ut nemo intelligat, quo ſpectet ſimilitudinis propoſitio, ne, cum quiſpiam intellexerit ſe ex confeſsione propoſitionis etiam illi rei fidem facere, quam negauit, aut non reſpondeat, aut male praueq. reſpondeat. Si autem neſciat quo tendat ſimilitudinis propoſitio, ſecurus confitetur: qua confeſsione etiam illud, quod negabat ante, ita ut tu uis, concedit eſſe. Cum autem, inquit, haec diligenter in facienda inductione ſeruaueris, ut & propoſitio ſimilitudinis

dinis

dinis cõcedatur,& illud propoſitioni ſimile ſit,ſi cuius cauſſa ſimilitudo propoſita eſt,& nemo uideat quo propoſitio illa contendat: officio tuo per iſta diligenter impleto, rurſus debebis reſponſionem contendentis attẽdere. vnum autem de tribus faciat neceſſe eſt. nam aut tacebit, aut confitebit, aut negabit. Ad haec ſingula dat praecepta, quid in his ſingulis tu facere debeas: & primo a difficiliore parte incipit. Si, inquit, negabit ita eſſe illud, unde contentio eſt: atque illud, quod in propoſitis, conceſsisq. ſimilitudinibus continetur, duo, inquit, facere debemus: Aut illas res, quas ante conceſsit, ſimiles docere huic rei eſſe, de qua contentio eſt: aut ſi pernegabit, alias inducere ſimilitudines. Sin autem, inquit, confitebitur, habita argumentatio concludenda eſt. Deinde, inquit, ſi tacebit, duo facies: aut reſponſionem de eo flicies: aut, ſi reſpõdere uoluerit, quia genus confeſsionis eſt taciturnitas, concludenda eſt argumentatio. Ita, inquit, hoc genus argumentandi tripartitum ſemper eſt. Prima, inquit, pars conſtat ex una ſimilitudine pluribſue. Altera ex ea re, quae in contentione uerſatur, & quam nobis concedi uolumus. Tertia ex concluſione, quae aut confirmat confeſsionem, aut quid ex ipſa confeſsione conficiatur oſtendit, ut in hoc ipſo exemplo confeſsionẽ tacentium confirmat Aſpaſia, Et tu, inquit, mulier uirũ optimũ uis habere, & tu Xenophon uxorẽ habere lectiſsimã maxime cupis. Deinde ex hac confeſsione, quid conficiatur oſtendit. Quare, inquit, niſi hoc perfeceritis, ut neque uir melior, neque femina lectior in terris ſit: profecto id ſemper, quod optimũ putabitis eſſe, multo maxime requiretis, & tu, ut maritus ſis quamoptimae, & haec, ut quamoptimo uiro nupta ſit.

C I C E R O

SED, quia non ſatis uidebitur alicui dilucide demonſtratum, niſi quod ex ciuili cauſſarum genere exemplum ſubiecerimus; uidetur huiuſmodi quoque utendum exemplo; non quo praeceptio differat, aut aliter hoc in ſermone, atque in dicendo ſit utendum; ſed ut eorum uoluntati ſatisfat, qui, quod aliquo in loco uiderint, alio in loco, niſi demonſtratum eſt, nequeunt agnoſcere. Ergo in hac cauſſa, quae apud Graecos eſt peruagata, quod Epaminondas Thebanorum imperator ei, qui ſibi ex lege praetor ſucceſſerat, exercitum non tradidit, & , cum paucos ipſe dies contra legem exercitum tenuiſſet, Lacedaemonios funditus uicit, poterit accuſator argumentatione uti per inductionem, cum ſcriptum legis contra ſententiam defendat, ad hunc modum: Si iudices, id quod Epaminondas ait legis ſcriptorem ſenſiſſe, adſcribat ad legem, & addat exceptionem hanc, extra quam ſi quis reip. cauſa exercitum non tradiderit, patiemini? non opinor. Quod ſi uoſmet ipſi, quod a ueſtra religione, & ſapientia remotiſſimum eſt, iſtius honoris cauſſa hanc eandem exceptionem, iniuſſu populi ad legem adſcribi iubeatis, populus Thebanus patietur ne id fieri? profecto non patietur. Quod ergo adſcribi ad legem nefas eſt; id ſequi, quaſi adſcriptum ſit, rectum uobis uideatur? Noui ueſtram intelligentiam. non poteſt ita uideri, iudices. Quod ſi litteris corrigi neque ab illo, neque a uobis ſcriptoribus uoluntas poteſt; uidete, ne multo indignius ſit id re & iudicio ueſtro mutari, quod ne uerbo quidem cõmutari poteſt. Ac de inductione quidẽ ſatis in praeſentia dictum uidetur. Nunc deinceps ratiocinationis uim, & naturam conſideremus.

E X P L A N A T I O

SED, *quia non ſatis uidetur alicui dilucide demonſtratum, niſi, &c.*] Dedit ſupra philoſophicae inductionis exemplum: dat nunc in rhetorica, Non quo, inquit, diuerſa praecepta ſint, ſed ne quis forte praeceptum in philoſophia datum, in rhetorica uidere non poſsit. Exemplum autem nunc ponit apud Graecos peruagatum: cuius exempli huiuſmodi thema eſt, Epaminondas imperator, cum ei ſucceſſum fuiſſet, retinuit apud ſe exercitum aliquot amplius diebus, quam ex lege oportebat: illis ipſis diebus Lacedaemonios funditus euertit, ac uicit. Accuſatur, quod contra legem exercitum retinuerit. Proponitur autem hic tacita exceptione lex illa, Qui ſucceſſori ex lege exercitum ſtatim non tradiderit, poenas ſoluat. In hoc themate poteſt quidem eſſe compenſatiuus ſtatus principalis, Feci, ſed profui: uerum ſecunda conflictio in ſcripto, & uoluntate conſiſtit. Scripto utitur accuſator, qui dicit a uerbis legis recedi non oportere. Voluntate utitur Epaminondas, qui dicit legem iubere quidem exercitum tradi, ſed ſi nihil urgeat. Alioqui ſi reipublicae cauſſa paucis diebus retineatur, nullam poenam ſubeſſe retinenti. Itaque hic inductionem poteſt facere accuſator ille, qui contra ſententiam legis ſcripta defendit: & ſimilitudinem non extra cauſſam, ſed ex eadem cauſſa facit. Si, inquit, Epaminondas id, quod ait legis ſcriptorem ſenſiſſe, ad legem ſuis uerbis addat, ideſt damnandum eſſe, qui exercitum non tradat, praeter eum, qui reipublicae cauſſa retinuerit. Hoc ſi addat, numquid pati poteſtis? non opinor. Deinde, ſi hoc idem legi additum uos auctoritate ad populum feratis, numquid id populus patietur? non patietur. Ergo, inquit, quod addi ad legem per uerba non poteſt, id tamquam additum ſit, ſequi non debetis. Quod ſi, inquit, ſententiam ſcriptoris neque Epaminondae, neque ueſtris litteris uidemus colligi poſſe, multo magis illud reipſa, & iudicio ueſtro mutari non poteſt, quod ne uerbo quidem mutari poteſt. Verum hoc ſcire debemus, in dialogis ſermonem eſſe, non dictionem: dictionem autem eſſe oratoris in ciuilibus cauſsis. Iccirco autem ait, Aut aliter hoc in ſermone atque in dicendo ſit utendum. Sermo philoſophi: Dictio oratoris: Oratio autem poteſt, & ad dialogum conuenire, ſi ſit ſplendidior elocutio: proprium tamen oratoris eſt. Deinde notare debemus omnes magiſtratus Praetores appellatos: ut hic, Quod Epaminondas Thebanorum imperator ei, qui ſibi ex lege praetor ſucceſſerat, cum imperatori ſuccedere debeat imperator.

CICERO

RATIOCINATIO *eſt oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum & per ſe cognitum ſua ſe ui, & ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentius conſiderandum putauerunt, cum idem uſu dicendi ſequerentur, paullum in praecipiendi ratione diſſenſerunt. nam partim quinque eius partes eſſe dixerunt; partim non plus quam in tres partes poſſe diſtribui putauerunt. eorum cōtrouerſium non incommodum uidetur cum utrorumque ratione exponere. nam & breuis eſt, & non eiuſmodi, ut alteri prorſus nihil dicere putentur; & locus hic nobis in dicendo minime negligendus uidetur. Qui putant in quinque diſtribui partes oportere, aiunt primum conuenire exponere ſummam argumentationis, ad hunc modū: Melius accurantur, quae conſilio geruntur, quam quae ſine conſilio adminiſtrantur. Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus uariis, & quam copioſiſſimis uerbis approbari putant oportere, hoc modo: Domus ea, quae ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior, quam ea, quae temere, & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui praepoſitus eſt ſapiens, & callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam ls, qui ſtultitia, & temeritate alicuius adminiſtratur. Eadem nauigij ratio eſt. nam nauis optime curſum conficit ea, quae ſcientiſſimo gubernatore utitur. Cum propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duae partes tranſierint ratiocinationis; tertia in parte aiunt, quod oſtendere uelis, id ex ui propoſitionis oportere aſſumere, hoc pacto: Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mūdus, adminiſtratur. Huius aſſumptionis quarto in loco aliam porro inducunt approbationem, hoc modo: Nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quendam ordinem ſeruant; & annuae commutationes non modo quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt, uerum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatae; & diurnae, nocturnaeq. uiciſſitudines nulla in re umquam mutuatae quidquam nocuerunt. quae ſigno ſunt omnia, non mediocri quodam conſilio naturam mundi adminiſtrari. Quinto inducunt loco complexionem eam, & quae aut id infert ſolum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: Conſilio igitur mundus adminiſtratur: aut unum in locum cum conduxerit breuiter propoſitionem, & aſſumptionē, id adiungit, quod ex his cōficiatur, ad hunc modum: Quod ſi melius geruntur ea, quae conſilio, quam quae ſine conſilio adminiſtrantur: nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, adminiſtratur: conſilio igitur mundus adminiſtratur. Quinquepartitam igitur hoc pacto putant eſſe argumentationem. Qui autem tripertitam eſſe dicunt, ij non aliter putant tractari oportere argumentationem, ſed partitionem horum reprehendunt. negant enim neque a propoſitione, neque ab aſſumptione approbationes earum ſeparari oportere; neque propoſitionem abſolutam, neque aſſumptionem ſibi perfectam uideri, quae approbatione confirmata nō ſit. quare, quas illi duas partes numerant, propoſitionem, & approbationem, ſibi unam partem uideri propoſitionem: quae, ſi approbata non ſit, propoſitio non ſit argumentationis. item, quae ab illis aſſumptio, & aſſumptionis approbatio dicitur, eādem ſibi aſſumptionem ſolam uideri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, aliis tripertita, aliis quinquepartita uideatur. Quare euenit, ut res non tam ad uſum dicendi pertineat, quam ad rationem praeceptionis. Nobis autem commodior illa partitio uidetur eſſe, quae in quinque partes diſtributa eſt, quam omnes ab Ariſtotele, & Theophraſto profecti, maxime ſecuti ſunt. nam, quēadmodum illud ſuperius genus argumentandi, quod per inductionem ſumitur, maxime Socrates, & Socratici tractauerunt; ſi hoc, quod per ratiocinationem expolitur, ſumme eſt ab Ariſtotele, atque Peripateticis, & Theophraſto frequentatum, deinde a rhetoribus iis, qui elegantiſſimi, atque artificioſiſſimi putati ſunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum uidetur, ne temere ſecuti putemur: & breuiter dicendum, ne in huiuſmodi rebus diutius, quam ratio praecipiendi poſtulat, commoremur. Si quadam in argumentatione ſatis eſt uti propoſitione, & non oportet adiungere approbationem propoſitioni; quadam autem in argumentatione infirma eſt propoſitio, niſi adiuncta ſit approbatio: ſeparatum quiddā eſt a propoſitione approbatio. quod enim adiungi, & ſeparari ab aliquo poteſt, id non poteſt idem eſſe, quod eſt id, ad quod adiungitur, & a quo ſeparatur. Eſt autem quaedam argumentatio, in qua propoſitio non indiget approbatione, ut oſtendemus. ſeparata eſt igitur a propoſitione approbatio. Oſtendemus autem id, quod polliciti ſumus, hoc modo: Quae propoſitio in ſe quiddam continet perſpicuum, & quod conſtare inter omnes neceſſe eſt, hanc uelle approbare, & firmare nihil attinet. Ea eſt huiuſmodi: Si, quo die iſta caedes Romae facta eſt, ego Athenis eo die fui, intereſſe in caede non potui. Hoc quia perſpicue uerum eſt, nihil attinet approbari. Quare aſſumi ſtatim oportet, hoc modo: Fui autem Athenis eo die. hoc ſi non conſtat, indiget approbationis; qua inducta, complexio conſequetur: igitur in caede intereſſe non potui. Eſt igitur quaedam propoſitio, quae non indiget approbatione: nam eſſe quidem quandam, quae indigeat, qui attinet oſtendere, quod cuiuis facile perſpicuum eſt? Quod ſi ita eſt; ex hoc, & ex eo, quod propoſueramus, hoc conficitur, ſeparatum eſſe quiddam a propoſitione approbationem. Si autem ita eſt; falſum eſt non eſſe plus, quam tripartitam argumentationem. Simili modo liquet, alteram quoque approbationem ſeparatam eſſe ab aſſumptione. nam, ſi quadam in argumentatione ſatis eſt uti aſſumptione, & non oportet adiungere approbationem aſſumptioni; quadam autem in argumentatione infirma eſt aſſumptio, niſi adiuncta ſit approbatio: ſeparatum quiddam eſt extra aſſumptionem approbatio. eſt autem argumentatio quaedam, in qua aſſumptio non indiget approbationis; quaedam autē, in qua nihil ualet ſine approbatione, ut oſtendemus. ſeparata eſt igitur ab aſſumptione approbatio. Oſtendemus autem, quod polliciti ſumus, hoc modo. Quae perſpicuam omnibus ueritatem continet aſſumptio, nihil indiget approbationis. ea eſt huiuſmodi. Si oportet ſapere, dare operam philoſophiae conuenit. haec propoſitio indiget approbationis. non enim perſpicua eſt, neque conſtat inter omnes: propterea quod multi nihil prodeſſe philoſophiam, plerique etiam obeſſe arbitrantur. Aſſumptio perſpicua eſt haec: Oportet autem ſapere. hoc autem quia ipſum ex re perſpicitur, & uerum eſſe intelligitur, nihil attinet approbari. Quare ſtatim concludenda eſt argumentatio: Igitur dare operam philoſophiae conuenit. Eſt ergo aſſumptio quaedam, quae approbationis non indiget: nam*

quandam

quandam indigere, perſpicuum eſt. ſeparata eſt igitur ab aſſumptione approbatio. Falſum ergo eſt, non eſſe plus quam tripartitam argumentationem. Atque ex his illud iam perſpicuum eſt, eſſe quandam argumentationem, in qua neque propoſitio, neque aſſumptio indigeat approbationis huiuſmodi ut certum quiddam, & breue exempli cauſſa ponamus: Summo ſi opere ſapientia petenda eſt; ſrmmo etiam opere ſtultitia uitanda eſt: ſummopere autem ſapientia petenda eſt; igitur ſummopere ſtultitia uitanda eſt. Hic & aſſumptio, & propoſitio perſpicua eſt: quare neutra quoque indiget approbatione. Ex his omnibus illud perſpicuum eſt, approbationem tum adiungi, tum non adiungi. Ex quo cognoſcitur, neque in propoſitione, neque in aſſumptione contineri approbationem; ſed utramque, ſuo loco poſitam, uiam ſuam tamquam certam, & propriam obtinere. Quod ſi ita eſt, commode partiti ſunt illi, qui in quinque partes diſtribuerunt argumentationem.

EXPLANATIO

RATIOCINATIO *eſt oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum, ſua ſe ui, & ratione confirmet.*] Argumentationum duae partes ſunt, Inductio, & Ratiocinatio. De inductione iã dictum eſt. nunc de ratiocinatione tractatus eſt: ideſt, de ſyllogiſmis. Verum ut ad genus ſpeciẽ referamus, ſyllogiſmus non argumenti nomen eſt, ſed argumentationi: ita ut inductio non inueniendi modus eſt, ſed forma dicendi. Quamobrem ſic definiuit ratiocinationem, ideſt ſyllogiſmum. Ratiocinatio eſt, inquit, oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum, ſua ſe ui, & ratione confirmet. Et in hac definitione multa communia eſſe poſſunt cum inductione. Nam, quod ait, Oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, tam ratiocinationis eſt, quam inductionis. Hoc autem proprium ratiocinationis, quod ait, Quod expoſitum & per ſe cognitum, ſua ſe ui, & ratione confirmet. Inductio enim non per ſe cognoſcitur, neque ſua ſe ui, & ratione confirmat: ſed ut fidem faciat probandae rei, ſimilitudines ante praecedunt. Recte itaque ratiocinatio definita eſt, ideſt ratio, quae ex confeſsio argumentum continens, non ſimilitudine, ſed per ſe cognoſcitur, & ſua ſe ui, & ratione confirmat. Verum, quod diximus ex confeſſo argumentum continens, non ſimilitudine. niſi enim quis confiteatur, quia inimicus fuit, non erit argumentum, Si inimicus fuit, occidit. ſed, ſi confiteatur inimicum, argumentum probabile fit, Si igitur inimicus fuit, occidit. HOC *de genere qui diligentius conſiderandum putauerunt, cum idem, &c.*] Ratiocinatio eſt igitur oratio per ſe cognita ac ſua ui, & ratione firmata, ex re confeſſa ſumptum ad fidem proferens argumentum. Verum, ut diximus, haec oratio eſt pertinens ad ſyllogiſmos. Syllogiſmorum autem multi quinque, multi plurimas partes, multi, inquit, tres eſſe dixerunt: ſed utrorumque, inquit, rationes debemus inſpicere: quia & breuis inſpectio eſt, & oratori res neceſſaria. Opus quidem, inquit, utrorumque conſimile eſt. nam alteruter & propoſitionem habet, & approbationem propoſitionis. & rurſus aſſumptionem, & approbationem aſſumptionis, & concluſionem. Verum, inquit, qui ſyllogiſmum in quinque partes diuidunt, has ſingulas partes numerant: ut propoſitio una pars ſit, approbatio propoſitionis altera, ita & in aſſumptione, & approbatione aſſumptionis, ut quincta pars ſit concluſio. Illi autem, qui tres partes in ſyllogiſmis eſſe contendunt, Propoſitionem, & approbationem propoſitionis, unam partem numerant. Rurſus aſſumptionem, & approbationem aſſumptionis, alteram partem numerant: tertiam uero concluſionem. Ita utrorumque opus ſimile: ſed in membris operis numerus diuerſus. Iam uero quinquepartiti ſyllogiſmi, ſiue tripartiti, in ipſis libris exempla poterimus agnoſcere. Verum quaedam praecepta in his partibus poſita intelligamus. Propoſitio, inquit, generalis in ſuo eſſe debet, & id, quod aſſumendum in ſe eſt neceſſario continens. Approbatio eius multis uerbis, & diuerſis rationibus facienda eſt. Aſſumptio uero ex ui propoſitionis capienda eſt: ut haec aſſumptio eſt, Nihil autem melius conſilio, quam omnis mundus adminiſtratur. Haec aſſumptio ex ui propoſitionis aſſumpta eſt: quae eſt enim propoſitio, Melius accurantur, quae conſilio geruntur, quam quae ſine conſilio adminiſtrantur. Deinde, inquit, etiam aſſumptionis approbatio multis rationibus facienda eſt. Extrema concluſio eſt, quae quattuor modis fit: quos modos alio in loco oſtendemus, cum de bipartito ſyllogiſmo coeperimus habere tractatum. QVINQVEPARTITAM *igitur hoc pacto putant eſſe argumentationem.*] Qui, inquit, quinquepartitam dicunt eſſe argumentationem, hoc afferunt, quod ſupra oſtendimus: ideſt parari propoſitionem ab approbatione ſua: & rurſus aſſumptionem ab approbatione ſua. QVI *autem tripartitam eße dicunt,*] Illi, inquit, qui tripartitam argumentationem eſſe contendunt, eodem modo quidem tractant argumentationem. nam & propoſitiones habent, & approbationes, & rurſus aſſumptiones cum approbationibus ſuis: ſed haec bina connectunt, & reddunt ſingula: ut propoſitionem cum approbatione ſua ſimul iungant, & rurſum aſſumptionem, & approbationẽ eius, unum efficiant. Negant autem recte, neque propoſitionem, neque aſſumptionem dici, niſi fuerint approbata: tuncq. eſſe aiunt propoſitionem argumentationis, ſi approbata ſit. Sin autem appobata non ſit, eſſe quidem propoſitionem, ſed argumenti, non argumentationis: in qua argumentatione latior, & expolitior elocutio eſt. Itaque, qui hoc contendunt, negant eſſe amplius, quam tripartitam argumentationem. Ab his Cicero diſſentit, & contra diſputat: probatq. illorum ſententiam, qui dicunt quinquepartitam argumentationem. Itaque hoc Cicero ſecundum artem teſtibus, & argumentis probat. Teſtibus ſic, Quam omnes, inquit, ab Ariſtotele, & Theophraſto profecti maxime ſecuti ſunt. Nam, quemadmodum inquit, ſuperius argumentationis genus, ideſt inductionis Socrates maxime, & omnes Socratici tractauerunt, ita hoc genus argumentationis, id eſt ratiocinatio quinquepartita, ab Ariſtotele, & Theophraſto, uel Peripateticis frequentatum, atque tractatũ eſt. Sed, quia orator rhetoricam ſcribens, importune paene philoſophos ad teſtimonium uocat, quia de dialectica iſtc tractatus eſt, recte philoſophos ſibi adhibet, qui rhetoricam ſcribit. Adiungit & multos oratores etiam

iam elegantiſsimos,atque artificioſiſsimos iudicatos,qui uſi ſunt hac argumentatione quinquepartita: Deinde, inquit, a rhetoribus iis,qui elegantiſsimi, atque artificioſiſsimi putati ſunt. Itaque teſtibus probauit non errare illos, qui aſſerant quinquepartitam argumentationem: ſed,quia poterat dici Ciceroni, Etiam illi, quos commemoras,errauerunt: oſtendit ſe exemplum illorum non temere ſecutum,probatq. argumentis ſuis, nō errare eos,qui quinquepartitam argumentationem; errare autem eos, qui tripartitam eſſe contendant. Itaque haec eſt quaeſtio, Vtrum tripartita, an quadripartita, an quinquepartita ſit argumentatio. Cicero multis ſyllogiſmis ſuis,nunc quinquepartitis,nunc tripartitis,probat quinquepartitam eſſe argumentationem. Et primo aſſerit propoſitionem,& approbationem inter ſe eſſe diuerſa: in qua aſſertione primo argumenti, deinde exempli eſt ſyllogiſmus. Dehinc ſimili ratione aſſerit aſſumptionem,& approbationem eius inter ſe eſſe diuerſas: in qua rurſus aſſertione primo argumenti,deinde exempli eſt ſyllogiſmus. Itaque,poſtquam probauit propoſitionem, & aſſumptionem ab approbationibus ſuis longe eſſe ſeparatas, concludit commode partitos eſſe eos,qui quinquepartitam dixerunt argumentationem.

CICERO

*Q*VINQVE *ſunt igitur partes eius argumentationis, quae per ratiocinationem tractatur: Propoſitio, per quam breuiter locus is exponitur, ex quo omnis uis oportet emanet ratiocinationis. Propoſitionis approbatio, per quam id, quod breuiter expoſitum eſt, rationibus affirmatum, probabilius, & apertius fit. Aſſumptio, per quam id, quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumptionis approbatio, per quam id, quod aſumptum eſt, rationibus firmatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breuiter exponitur. Quae plurimas habet argumentatio partes, ea conſtat ex his quinque partibus. Secunda eſt quadripartita. Tertia tripertita. Dein bipertita, quod in controuerſia eſt. De unaquaque parte poteſt alicui uideri poſſe argumentationem conſiſtere. Eorum igitur, quae conſiſtant, exempla ponemus: horum, quae dubia ſunt, rationes afferemus. Quinquepartita argumentatio eſt huiuſmodi.*

EXPLANATIO

QVINQVE *igitur partes ſunt eius argumentationis, quae per ratiocinationem tractatur:*] Illius autem argumentationis,quae per inductionem tractatur,tripartita eſt argumentatio. Verum hoc in primis tenere debemus,argumentum nunc uicinum eſſe quaeſtioni,nunc a quaeſtione longinquum. argumentū enim prolatum nunc ipſi quaeſtioni prodeſt,nunc ei rei,quae uicina eſt quaeſtioni. Itaque argumentum nunc uicinum eſt quaeſtioni,nunc loco tertio,nunc quarto, nunc quincto naſcitur. Ariſtoteles autem dicit etiam loco decimo poſſe fieri argumentum. Sed,cum ſaepe argumentum tam longe a quaeſtione ſit, hoc tantum ſyllogiſmi eſt,ut id,quod longe a quaeſtione eſt, eidem quaeſtioni dicendi ratiocinatione coniungat. ac uicinum argumentum tale eſt, Quoniam hic inimicus fuit,occidit: longe a quaeſtione argumentum tale eſt, Inimicus occidit. Hoc quia generale eſt,primo differendum eſt, utrum inimicus ſemper occidat: quod poſtquam aſſerueris,non ſtatim probas hunc occidiſſe: ſed ad hoc proficit, ut rurſus doceas hunc inimicum fuiſſe: quod poſtquam aſſeruerit,hūc inimicum fuiſſe,tunc demum redis ad quaeſtionem. Ergo hic,quia inimicus fuit,occidit. Deinde longe petitum argumentum etiam illic licet animaduertere,ubi Cicero redarguit Hermagorā non recte ſub qualitate poſuiſſe deliberationem,& demonſtrationem,ubi primum docet genera eſſe cauſſarū: quod ſi genera ſunt cauſſarum,partes generis cauſſae eſſe non poſſe: ut ſi partes generis cauſſae eſſe non poſſint,multo magis partes partium eſſe non poſſe. Poſtremo redit ad quaeſtionem, Male igitur deliberatio, & demonſtratio ſub qualitate ponuntur. Itaque argumentum nunc longe a quaeſtione eſt, nunc uicinum eſt quaeſtioni. Deinde debemus hoc animaduertere,argumentum quodcumque ſumimus,utrum in genere ſit, an in ſpecie: ſi in genere, ſine dubitatione proponere debemus: deinde approbare eandem propoſitionem: tertio loco ſpeciem aſſumere. Quarto loco aſſumptionem ſpeciei multis rationibus approbare: poſtremo concludere. Huius ſyllogiſmi ſubiiciamus exemplum illud ipſum Epaminondae.

CICERO

*O*MNES *leges iudices ad commodum reip. referri oportet,& eas ex utilitate communi, non ex ſcriptione, quae in litteris eſt, interpretari. ea enim uirtute, & ſapientia maiores noſtri fuerunt, ut in legibus ſcribendis, niſi ſalutem, atque utilitatem reip. ſibi aliud nihil proponerent. neque enim ipſi, quod obeſſet, ſcribere uolebant, &, ſi ſcripſiſſent, cum eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. nemo enim leges legum cauſſa ſaluas eſſe uult, ſed reip. quod ex legibus omnes reſpublicas optime putant adminiſtrari. Quam ob rem igitur leges ſeruari oportet, ad eam cauſſam ſcripta omnia interpretari conuenit: hoc eſt, quoniam reip. ſeruimus, ex reip. commodo, atque utilitate leges interpretemur. Nam, ut ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis utilitatem ſpectat, quoniam eius cauſſa eſt inſtituta: ſic a legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod reip. conducat, proficiſci, quoniam eius cauſa ſunt comparatae. Ergo in hoc quoque iudicio deſinite litteras legis perſcrutari, & legem, ut aequum eſt, ex utilitate reip. conſiderate, quod hic fecit. Quid enim magis utile Thebanis fuit, quam Lacedaemonios opprimi? Quid magis Epaminondam Thebanorum imperatorem, quam uictoriae Thebanorum conſulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro, atque exornato trophaeo carius, atque*

antiquius habere conuenit? Scripto uidelicet legis omiſſo, ſcriptoris ſententiam conſiderare debebat. Atque hoc quidem ſatis conſideratum eſt, nullam eſſe legem, niſi reip. cauſſa ſcriptam. Summam igitur amentiam eſſe exiſtimabat, quod ſcriptum eſſet reip. ſalutis cauſſa, id non ex reipub. ſalute interpretari. Quod ſi leges omnes ad utilitatem reip. referri conuenit, hic autem ſaluti reipub. profuit, profecto non poteſt eodem facto & communibus fortunis conſuluiſſe, & legibus non obtemperaſſe. Quattuor autem partibus conſtat argumentatio: cum aut proponimus, aut aſſumimus ſine approbatione. Id facere oportet, cum aut propoſitio ex ſe intelligitur, aut aſſumptio perſpicua eſt, & nullius approbationis indiget. Propoſitionis approbatione praeterita, quattuor ex partibus argumentatio tractatur ad hunc modum: Iudices, qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis. Obtemperare autem legibus nō poteſtis, niſi, quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini. quod enim certius legis ſcriptor teſtimonium uoluntatis ſuae relinquere potuit, quam quod ipſe magna cum cura, atque diligentia ſcripſit? Quod ſi litterae non exſtarent, magnopere eas requireremus, ut ex his ſcriptoris uoluntas cognoſceretur: nec tamen Epaminondae permitteremus, ne ſi extra iudicium quidem eſſet, ut is nobis ſententiam legis interpretaretur: nedum nunc iſtud patiamur, cum praeſto lex ſit, non ex eo, quod apertiſſime ſcriptum eſt, ſed ex eo, quod ſuae cauſſae conuenit, ſcriptoris uoluntatem interpretari. Quod ſi uos iudices legibus obtemperare debetis, & id facere non poteſtis, niſi quod ſcriptum eſt in lege ſequamini: quid cauſſae eſt, quin iſtum contra legem feciſſe iudicetis? Aſſumptionis autem approbatione praeterita, quadripartita ſic fiet argumentatio:

EXPLANATIO

OMNES *leges iudices ad commoda reipublicae referre oportet, &c.*] Haec propoſitio eſt generalis ſine ulla dubitatione. Deinde approbat eandem propoſitionem. Ea enim uirtute, & ſapientia maiores noſtri fuerunt, &c. Tertio loco ſpecies aſſumitur, Ergo in hoc quoque iudicio definite litteras legis perſcrutari, &c. Quarto loco approbat aſſumptionem, Conſiderate quid magis utile fuit Thebanis, quam Lacedaemonios opprimi, &c. Poſtremo concludit, *Quod ſi leges omnes, &c.* Hoc autem argumentum longe a quaeſtione petitum cognoſcimus facile: argumentum uero, quod in ſpecie eſt, ſemper cum dubitatione proponitur, Si hoc eſt, illud igitur non eſt: Aut hoc faciamus, aut illud faciamus. Verum, cum in propoſitione [*Si eſt*] dicitur, propoſitio hypothetica dicitur. Argumentum igitur, quod in ſpecie eſt, debet ſemper cum dubitatione proponi: huius propoſitionis facienda eſt approbatio: deinde aſſumptio eiuſdem ſpeciei facienda eſt per eandem ſpeciem, ſed per confirmationem: cuius aſſumptionis facienda eſt approbatio. tunc erit poſtrema concluſio. Talis in Miloniana oratione ſyllogiſmus eſt, Si, inquit, doceo, cauſſas fuiſſe Clodio, ut occideret Milonem, probo inſidiatorem. Hanc propoſitionem approbauit, Et ſi boni ne magno quidem emolumento impelluntur ad fraudem, improbi ſaepe paruo. Deinde ipſam ſpeciem aſſumit per confirmationem, Habuit autem cauſſas Clodius. Hanc rurſus aſſumptionem multis rationibus approbat: poſtremo concludit, Quare, ſi habuit cauſſas Clodius, ut occideret Milonem, conſtat inſidiatorem fuiſſe. Ergo, quoties argumentum in genere fuerit, ſpecies aſſumenda eſt: quoties argumentum in ſpecie fuerit, ipſa ſpecies aſsumenda eſt, ſed per confirmationem. Hoc autem tenere debemus in propoſitione uim totius argumentationis conſiſtere. Siue autem in genere, ſiue in ſpecie ſit propoſitio, ex ipſa tamen ſemper generatur aſſumptio. Docuit itaque quinquepartitam argumentationem per exemplum Epaminondae. Deinde docuit quadripartitam argumentationem duobus modis: nunc propoſitionis approbatione, nunc aſsumptionis approbatione ſublata. Deinde docuit tripartitam argumentationem, utraque approbatione ſublata. Nunc quaeſtio eſt, an ſit bipartita argumentatio, Si peperit, uirgo non eſt: peperit autem. Multi dicunt eſſe bipartitam argumentationem hac ratione, Si, inquiunt, approbationes ſaepe, quia manifeſtae ſunt, ſubtrahuntur, cur non & concluſio, cum manifeſta eſt, ſubtrahatur? ut ſit bipartita argumentatio per propoſitionem, & aſſumptionem, Si peperit, uirgo non eſt, peperit autem. Cicero hanc illorum ſententiam reprehendit, dicitq. ſemper argumentationem concludendam eſse: nec umquam tamen utendum eſse manifeſta concluſione. Tunc autem hoc fieri poſse, ſi concluſionum genera cognoſcamus. Sunt autem quattuor: quarum concluſionum una talis cum breuiter ἀνακεφαλέωσιν facimus propoſitionis, & aſsumptionis: & poſt adiungimus id, quod ex omni argumentatione conficitur. Dat autem ipſe exemplum, Quod ſi leges omnes ad utilitatem reipublicae referri conuenit, hic autem ſaluti reip. profuit: profecto non poteſt eodem facto, & ſaluti communi conſuluiſse, & legibus non obtemperaſse. Secunda autem concluſio talis eſt, ut argumentatio ex contrario concludatur: & dat exemplum, Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis. Propoſitio enim huiuſmodi talis eſt.

CICERO

QVI *ſaepenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationis fidem habere non debemus. Si quid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit praeter noſmetipſos, quem iure accuſare poſſimus. Ac primum quidem decipi incommodum eſt, iterum ſtultum, tertium turpe. Carthaginienſes autem perſaepe iam nos fefellerunt. Summa igitur amentia eſt in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis. Vtraque approbatione praeterita, tripertita fit hoc pacto: Aut metuamus Carthaginienſes oportet, ſi incolumes eos reliquerimus: aut eorum urbem diruamus. ac metuere quidem non oportet. reſtat igitur, ut urbem diruamus. Sunt autem, qui putant nonnumquam poſſe complexione, & oportere ſuperſederi, cum id perſpicuum*

ſit, quod conficiatur ex ratiocinatione. Quod ſi fiat, bipertitam quoque fieri argumentationem, hoc modo: Si peperit, uirgo non eſt: peperit autem, hic ſatis eſſe dicunt proponere, & aſſumere; quoniam perſpicuum ſit, quod conficiatur: complexionis rem non indigere. Nobis autem uidetur & omnis ratiocinatio concludenda eſſe: & illud uitium, quod illis diſplicet, magnopere uitandum eſt, ne, quod perſpicuum ſit, in id complexionem inferamus. Hoc autem fieri poterit, ſi complexionum genera intelligantur. Nam aut ita complectemur, ut in unum conducamus propoſitionem, & aſſumptionem, hoc modo: Quod ſi leges omnes ad utilitatem reip. referri conuenit, hic autem ſaluti reip. profuit: profecto non poteſt eodem facto, & ſaluti communi conſuluiſſe, & legibus non obtemperaſſe: Aut ita, ut ex cõtrario ſententia conficiatur, hoc modo: Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis: Aut ita, ut id ſolum, quod conficitur, inferatur, ad hunc modum: Vrbem igitur diruamus: Aut ut id, quod eam rem, quae conficitur, ſequatur neceſſe eſt: ideſt huiuſmodi: Si peperit, cum uiro concubuit: peperit autem. Conficitur hoc: Concubuit igitur cum uiro. Hoc ſi nolis inferre, & inferas id, quod ſequitur, Fecit igitur inceſtum, & concluſeris argumentationem, & perſpicuam fugeris complexionem.

EXPLANATIO

QVI *ſaepenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus.*] Hoc poſtquã probatum eſt, ita concludi oportuit, Igitur Carthaginienſibus fidem non habere debemus: ſed contrarium potius in concluſione conſtituit, Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſit. Tertia concluſio talis eſt, ut id ſolum, quod ex omni argumentatione conficitur, inferamus: & dat exemplum, Vrbem igitur diruamus. Quarta concluſio talis eſt, cum non id, quod conficitur, in concluſione ponimus; ſed id, quod eam rem, quae conficitur, conſequatur: & dat exemplum, Si peperit, cum uiro concubuit: peperit autem. hic conficitur, Cum uiro igitur concubuit. Sed hoc in concluſione, quia manifeſtum eſt, non ponit: ſed illud ponit, quod manifeſtum ipſam concluſionem conſequitur, Igitur fecit inceſtũ. Etenim, ſi cum uiro concubuit, id conſequitur, ut fecerit inceſtum. Antiqui autem quemcumque hominum coitum, inceſtum appellabant.

CICERO

QVARE *in longis argumentationibus, ex conductionibus, aut ex contrario complecti oportet: in breuibus id ſolum, quod conficitur, exponere: in iis, in quibus exitus perſpicuus eſt, conſecutione uti. Si qui autem ex una quoque parte putabunt conſtare argumentationem, poterunt dicere, ſaepe ſatis eſſe hoc modo argumentationem facere: Quoniam peperit, cum uiro concubuit: nam hoc nullius neque approbationis, neque complexionis indigere, ſed nobis ambiguitate nominis uidentur errare. Nam argumentatio nomine uno res duas ſignificat, ideo quod & inuentum aliquam in re probabile, aut neceſſarium argumentatio uocatur, & eius inuenti artificioſa expolitio. quando igitur proferent aliquid huiuſmodi: Quoniam peperit, cum uiro concubuit: inuentum proferent, non expolitionem. nos autem de expolitionis partibus loquimur: nihil igitur ad hanc rem ratio illa pertinebit. atque hac diſtinctione alia quoque, quae uidebuntur officere huic partitioni, propulſabimus, ſi qui aut aſſumptionem aliquando tolli poſſe putent, aut propoſitionem. quae ſi quid habet probabile, aut neceſſarium, quoquo modo commoueat auditorem neceſſe eſt. quod ſi ſolum ſpectaretur, id, quod inuentum eſt, ac nihil, quo pacto tractaretur id, quod eſſet excogitatum, referret, nequaquam tantum inter ſummos oratores, & mediocres intereſſe exiſtimaretur. Variare autem oratione magnopere oportebit. nam omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. Id fieri poterit, ſi non ſimiliter ſemper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipſis diſtinguere conuenit oratorem, hoc eſt tum inductione uti, tum ratiocinatione. Deinde in ipſa argumentatione non ſemper a propoſitione incipere, nec ſemper quinque partibus abuti, neque eadem ratione expolire partitiones, ſed tum ab aſſumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo genere complexionis uti. Id ut perſpiciatur, aut ſcribamus ipſi, aut in quolibet exemplo de iis, quae propoſita ſunt, hoc idem exerceamus, ut quam facile ſit factu. Ac de partibus quidem argumentationis ſatis nobis dictum uidetur. Illud autem uolumus intelligi, nos probe tenere, aliis quoque rationibus tractari argumentationes in philoſophia multis & obſcuris, de quibus certum eſt artificium conſtitutum. Verum illa nobis abhorrere ab uſu oratorio uidentur. Quae pertinere autem ad dicendum putamus, ea nos commodius, quam ceteros, attendiſſe non affirmamus, ſed perquiſitius, & diligentius conſcripſiſſe pollicemur. Nunc, ut inſtituimus, proficiſci ordine ad reliqua pergemus.*

EXPLANATIO

QVARE *in longis argumentationibus, &c.*] Dat praeceptum, ut ſciamus, qua concluſione unaquaeque argumentatio concludenda ſit. Quoties, inquit, longa fuerit argumentatio, aut propter memoriam ἀνακεφαλέωσιν facere in concluſione debemus: aut, ſi erunt in memoria, quae ſupradicta ſunt, argumentatio nobis ex contrario concludenda eſt. Verum longa argumentatio non partibus, ſed menſura partiũ conſtat: ideſt non quinquepartita, aut quadripartita argumentatio longa eſt: ſed in quacumque argumentatione quoties latiores fuerint approbationes, tunc longae erunt argumentationes. Ita & quinquepartita argumentatio, ex modo approbationum breuis poterit inueniri. Quare, inquit, quaecumque longa argumentatio fuerit,

fuerit, duobus modis concludenda eſt: aut per conductionem, ideſt ἀνακεφαλέωσιν: aut per contrarium. Quoties autem breuis fuerit argumentatio, hoc ſolo, quod conficitur, concludenda eſt. In illis uero argumentationibus, quae exitum manifeſtum habent, conſecutionem ponere in concluſione debemus. SI QVI *autem ex una quoque parte putabunt conſtare argumentationem, poterunt, &c.*] Reprehendit etiam illos, qui ex una parte dicunt fieri poſse argumentationem. Hi, inquit, errant de nominis ambiguitate. Nam argumentatio duas ſignificationes habet, & argumenti, & argumentationis. Quare, cum dicunt, Si peperit, cum uiro concubuit: inuentum profertur, non expolitionem: ideſt argumentum proferunt, non argumentationem. Sed talis argumentatio eſse non poteſt, niſi cum expolita profertur oratio. Eodem modo, inquit, & illi errant, qui dicunt aliquando ſubtrahi poſse, nunc propoſitionem, nunc aſsumptionem. nam, quoniam utraque harum mouet auditorem, neutra neceſse eſt ſubtrahatur expolitioni. Itaque magnopere ſtudendum eſt: quia inuentio cunctis oratoribus communis eſt. Sed ipſi oratores dicendi modo, aut optimi ſunt, aut mediocres, aut infimi. VARIARE *autem orationem magnopere oportebit.*] Propter faſtidia, uaria, inquit, uti oratione debemus: ut nunc per inductionem argumentationem argumentemur, nunc per ratiocinationem. Deinde in ratiocinationibus, ut nunc quinquepartitam, nunc quadripartitam, nunc tripartitam faciamus argumẽtationem. Deinde, ut non ſemper prima ſit propoſitio, ſed aliquando aſsumptio prima ſit. Haec, inquit, ut melius inſpiciamus, aut inſcribamus ipſi, & nos exerceamus: aut ſi id piget facere, ea, quae ſupra poſita ſunt exẽpla, uideamus, & in ipſis hanc exerceamus uarietatem. Illud autem praecipit ſyllogiſmos omnes in dialectica contineri, hos paucos inde deriuatos, qui oratori conuenire uidebantur. Denique iſti non ſyllogiſmi, ſed epicheremata dicuntur.

CICERO

REPREHENSIO eſt, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut aleuatur. Haec fonte inuentionis eodem utetur, quo utitur confirmatio: propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari poteſt, iiſdem poteſt ex locis infirmari. nihil enim conſiderandum eſt in his omnibus inuentionibus, niſi id, quod perſonis, aut negotiis attributum eſt. Quare inuentionem, & argumentationum expolitionem ex illis, quae ante praecepta ſunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut quaedam praeceptio detur huius quoque partis, exponemus modos reprehenſionis: quos qui obſeruabunt, facilius ea, quae contra dicentur, diluere, aut infirmare poterunt. Omnis argumentatio reprehenditur, ſi aut ex iis, quae ſumpta ſunt, non conceditur aliquod unum plurave: aut, his conceſſis, complexio confici ex his negatur: aut ſi genus ipſum argumentationis uitioſum oſtenditur: aut ſi contra firmam argumentationem alia aeque firma, aut firmior ponitur. Ex iis, quae ſumuntur, aliquid non conceditur, cum aut id, quod credibile dicunt, negatur eſſe eiuſmodi: aut, quod cõparabile putant, diſſimile oſtenditur: aut iudicatum aliam in partem traducitur: aut omnino iudicatũ improbatur: aut, quod ſignum eſſe aduerſarij dixerunt, id eiuſmodi negatur eſſe: aut ſi complexio aut una, aut ex utraque parte reprehenditur: aut ſi enumeratio falſa oſtenditur: aut ſi ſimplex concluſio falſi aliquid continere demonſtratur. Nam omne, quod ſumitur ad argumentandum, ſiue pro probabili, ſiue pro neceſſario, neceſſe eſt ſumatur ex his locis, ut ante oſtendimus.

EXPLANATIO

REPREHENSIO *eſt, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut leuatur.*] Iam de quattuor partibus orationis dictum eſt: ideſt exordio, de narratione, de partitione, de confirmatione. Nunc ſecundum ordinem de reprehenſione tractandum eſt. Reprehenſio eſt oratio, quae poſt noſtrã confirmationem, aduerſariorum confirmationem reprehendit. Haec duo agit, aut omnino tollit, quod aduerſarius dixit, aut infirmat, ac leuius reddit. Verum ipſa reprehenſio ex illis locis argumentorum capitur, ex quibus confirmatio: ideſt ex attributis perſonae, & attributis negotio. materia enim argumentorum communis eſt, tam confirmanti, quam reprehendenti: & cum tria ſint data confirmationi, Materia, argumentum, argumẽtatio: materiam nõ reprehendimus, quae uera, nuda, atque communis eſt: ſed argumentum, aut argumentationem reprehendimus. Et, quoniam in confirmationem, uel reprehenſionem communiter hactenus praecepta tradidimus, debemus ſcire certos modos reprehenſionis. Sunt autem quattuor principales modi, Si aut ſumpta reprehendamus, aut concluſionem, aut genus argumentationis. Aut ſi haec tria nullo modo reprehendi poterunt, quod extremum eſt, facere debemus: ut aliud contra argumentum firmum, aut firmius proferamus. Sumpta ſunt quaecumque nobis ad fidem ſumimus. Ad fidem autem ſumimus argumentum. Ergo argumenta ſumpta ſunt. Et quoniam argumentum non niſi ex confeſso fit, recte ea, quae ex confeſsis argumenta ſumimus, ſumpta dicuntur. Sunt autem ſumpta ſemper quattuor probabilia, tria neceſsaria. Probabile etenim argumentum in quattuor diuiditur: Credibile, ſignum, comparabile, iudicatum. Neceſsarium in tria diuiditur, Complexionem, enumerationem, ſimplicem concluſionem. Itaque, quia ſeptem argumenta, ſeptem ſumpta ſunt: de quibus argumentis, cum aduerſarius quodcumque ſibi ad fidem ſumpſerit, tu continuo certis modis poteris reprehendere: quos modos a Cicerone traditos, in ſingula ſumpta reprehendenda, diligenter debemus attendere, atque retinere.

CICERO

QVOD pro credibili ſumptum erit, id infirmabitur, ſi aut perſpicue falſum erit, hoc modo: Nemo eſt, qui non pecuniam, quam ſapientiam malit. aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo: Quis eſt, qui non officij cupidior ſit, quã pecuniae? Aut erit omnino incredibile, ut ſi quis, quẽ cõſtet eſſe auarũ, dicat alicuius mediocris officij cauſſa ſe maximã pecuniã neglexiſſe. Aut ſi, quod in quibuſdã rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur uſu euenire, hoc pacto: Qui pauperes ſunt, iis antiquior officio pecunia eſt. Qui locus deſertus eſt, in eo caedem factam eſſe oportet. In loco celebri homo occidi qui potuit? Aut ſi id, quod raro fit, fieri omnino negatur: ut Curio pro Fuluio: Nemo poteſt uno adſpectu neque praeteriens in amorem incidere.

EXPLANATIO

QVOD *pro credibili ſumptum erit, id infirmabitur, ſi aut perſpicue falſum erit, hoc modo, Nemo eſt, &c.*] Enumerauit ſeptem eſſe ſumpta. Nunc docet unumquodque ſumptum quot modis reprehendi poſſit: Ita probabili argumento incipit, in quo quattuor continetur, Credibile, ſignum, comparabile, iudicatum. Itaque, inquit, ſi aliquid ab aduerſario pro credibili argumento fuerit prolatum, quinque id modis poſſumus reprehendere, Si aut, inquit, quod ſolidum, ac primum eſt argumentum, ipſum falſum eſſe doceamur: Aut ſi ex contraria quoque parte credibile eſſe monſtremus: Aut ſi omnino erit incredibile: Aut ſi in eo id, quod paucorum eſt, omnium eſſe dicatur: Aut ſi id, quod raro cõtingit, fieri omnino denegetur. Falſum eſt, quod in re falſum eſt: & quod omnino aliter eſſ contendimus: ſicut ipſe ait, Nemo eſt, qui non pecuniam quam ſapientiam malit. Hoc itaque falſum eſt: ut etiam ſi unus fuerit inuentus, qui ſapientiam malit, argumentum aduerſarij falſum eſſe dicatur. Ex contrario quoque credibile erit, ſi quid ab aduerſarijs pro credibili prolatum, nihilominus credibile ſit, ſi conuertatur: utputa, Quis eſt, qui non officij cupidior ſit, quam pecuniae? Hoc utique ab aduerſario pro credibili prolatum eſt: quod conuerſum nihilominus credibile eſt: ſi dicas, Quis eſt, qui non pecuniae cupidior ſit, quam officij? Ergo credibile reprehenditur, quod ex contraria parte conuerſum, nihilominus credibile poteſt uideri. Incredibile autem dicetur, quod ab hominum opinione diſſentit. Et hoc intererit inter falſum, & incredibile: quod falſum in ipſa re eſt; incredibile uero in opinione. Itaque, inquit, incredibile eſt, utputa ſi auarus dicatur, mediocris officij cauſſa, maximam pecuniam contempſiſſe. hoc itaque apud opinionem hominum credi non poteſt. Quando enim auarus maximam pecuniam contemneret mediocris officij cauſſa, qui ob paruam pecuniam ſaepe officia magna contemnit? Inter falſum, & incredibile hoc intereſt: quod falſum, & credibile eſſe poteſt & incredibile: deinde, quod incredibile eſt, uerum eſſe poteſt & falſum. Sed uerum duplex eſt, nunc id, quod uere geſtum eſt: nunc id, quod uere geſtum eſſe quibuſdam rationibus approbatur. Itaque ſaepe, quod uerum eſt, quia falſum eſſe non poteſt, incredibile eſt. Verum eſt enim, quod Simon uolauit: ſed tamen incredibile eſt. Deinde ſi dicas, Vno die duas controuerſias perſcripſi, cum non perſcripſeris: in re quidem falſum: ſed tamen, quia fieri potuit, credibile eſt. Rurſus credibile argumentum reprehendi poteſt, ſi, quod paucorum eſt, omnium eſſe dicatur: utputa, Qui pauperes ſunt, his non officium magis, quam pecunia cordi eſt. Hoc quia generaliter dictum eſt, reprehendi poteſt. nam poſſunt aliqui pauperes inueniri, quibus officium magis cordi ſit, quã pecunia. Nec nos moueat, quod in argumento credibili, quod quidẽ ex perſonis fieri diximus, exemplum de loco poſuerit: credibile enim argumentum, ideſt probabile, maxime quidem perſonarum eſt: ſed fit etiam ex attributis negotio: ideſt ex loco, tempore, uel reliquis. Itaque ſub hoc modo reprehenſionis, duo exempla poſuit: unum a perſona, aliud a loco. Illud autẽ, quod tertium uidetur, exemplo illi, quod ſub extremo modo poſitũ eſt congruum, non tertiũ eſt exemplum, ſed ſecundi concluſio: ut primum exemplum a perſonis ſit, Qui pauperes ſunt, iis antiquior officio pecunia. Secũdum exemplum a loco ſit, Qui locus deſertus eſt, in eo caedem factam eſſe oportet. In loco celebri homo occidi qui potuit? Itaque hoc praeceptũ tenere debemus, quod ex attributis perſonae, maxime credibile argumentum conficitur: eſſe tamen & in factis credibile. ſignum autem non niſi ex factis confici. Scire tamen debemus, ex attributis perſonae fieri & neceſſarium argumentum: ſi dicas Pedibus aeger quinquaginta millia qui potuit ambulare? Poſtremo credibile argumentum poteſt reprehendi, ſi id, quod raro fit, numquam fieri poſſe dicatur; utputa, Nemo eſt, qui puellam praeteriens adamet. Hoc rurſus, quia generaliter dictum eſt, poteſt reprehendi. Nam frequenter, & ſemel uiſa puella, poteſt adamari: ut in Eunucho adamat Chaerea: & in Virgilio, Vt uidi, ut perij, ut me malus abſtulit error. His itaque quinque modis credibile poterit reprehendi, Si aut perſpicue falſum eſſe oſtẽdatur, aut conuerſum ex contraria parte nihilominus credibile ſit, aut ſi incredibile demonſtretur. aut ſi, quod paucorum eſt, omnium dicatur. aut ſi, quod raro fit, id numquam fieri poſſe dicatur.

CICERO

QVOD autem pro ſigno ſumetur, id ex iiſdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur. Nã in ſigno, primum uerum eſſe oſtendi oportet. Deinde eius eſſe rei ſignum proprium, qua de re agitur, ut cruorem caedis. Deinde factum eſſe, quod non oportuerit: aut non factum, quod oportuerit.

EXPLANATIO

QVOD *autem pro ſigno ſumetur, id eiſdem ex locis, quibus confirmatur, infirmabitur.*] Dixit, quot modis credibile poſsit reprehendi, nunc tranſit ad ſignum. Si, inquit, ab aduerſario aliquid pro ſigno proferetur, id eiſdem locis reprehendi poteſt, quibus confirmatur. Verum, quoniam in definitione ſignum eſſe dixit, quidquid in ſenſus cadit, maxima ſigna ſunt: & quae in controuerſiis frequentius neceſſe eſt inueniri oculorũ, & auriũ. Oculorũ, pallet, puluerulẽtus eſt, cruẽtus eſt. Auriũ uero, hoc dixit, hoc locutus eſt. Itaque praeter haec ſigna, quae oculis digitoq. monſtrantur, omne factum ac dictum ſignum eſt: quae facta & dicta, negotio attributa ſunt: ideſt continentia cum ipſo negotio. Quae facta & dicta tripliciter conſiderantur: Ante negotiũ, in negotio, poſt negotium. Itaque, cum ex his, quae negotio attributa ſunt, argumenta ſumpſerimus, ſignum eſt: ideſt ex his, quae continentia cum ipſo negotio ſunt, & quae in geſtione negotij continentur. Deinde ſi ex his fecerimus argumentũ quae perſonis attributa ſunt, credibile erit: & hoc ideo argumentũ dicetur, ut quaſi argumentum a perſonis fiat, ſignum a negotiis: & ideo Cicero in Caeciliana, Argumentis agemus, ſignis luce omni clarioribus crimina refellemus. Igitur ſi aduerſarius, inquit, aliquid pro ſigno protulerit, eiſdẽ ex locis reprehendere debemus, quibus confirmatur. Et quoniam ignoratur quibus ex locis ſignum confirmari debeat, idipſum docet: confirmatur autem quattuor modis. Primo, inquit, ſignum ipſum manifeſtum eſſe debet: ideſt, ut cum dixeris pallet, uere palleat. Deinde ut poſtquam conſtiterit eſſe ſignum, conſtet rurſus eius rei eſſe ſignum de qua agitur: ut ſi dicas Occidit, nam cruentus eſt. Et quoniam diximus factum omne, ſignum eſſe: in facto autem, & facta & dicta ſunt. Confirmamus, inquit, ſignum, ſi aut dicamus quod non oportuerit: aut non factum, quod oportuerit. Sed, quia interdum per ignorantiam prouenit, ut aut id non faciamus, quod oportet: aut id faciamus, quod non oportet: tunc autem grauius delictum eſt, ſi faciamus, quae non facienda ſunt, aut non faciamus, quae facienda: quia in eo, quod facimus faciendum, uel non faciẽdum, ineſt ſcientia delinquentis. ſcit enim, quia aut faciendum eſt, aut non faciendum. Iccirco poſtremum illud addidit ad confirmationem ſigni, ut non modo aliquid fecerit, aut non fecerit: ſed etiam ſcierit faciendum eſſe, aut non eſſe faciendum.

CICERO

*P*OSTREMO *ſciſſe eum, de qua quaeritur, eius rei legem, & conſuetudinem. nam eae res ſunt ſigno attributae, quas diligentius aperiemus, cum ſeparatim de ipſa coniecturali conſtitutione dicemus. Ergo horum unumquodque in reprehenſione aut non eſſe ſigno, aut parum magno eſſe, aut a ſe potius, quam ab aduerſarijs ſtare, aut omnino falſo dici, aut in aliam quoque ſuſpicionem duci poſſe, demonſtrabitur. Cum autem pro comparabili aliquid inducetur, quoniam id per ſimilitudinem maxime tractatur, in reprehendendo conueniet, ſimile id negare eſſe quod conferetur ei, quicum conferetur.*

EXPLANATIO

POSTREMO, *inquit, ſciſſe eum, de qua quaeritũr, eius rei legem, & conſuetudinem.*] Itaque quattuor modis ſignum confirmamus. Primum, ut uerum ſit: deinde, ut eius rei, de qua agimus, ſignum ſit: deinde, ut doceamus, aut id factum eſſe, quod non oportuerit, aut id non factum, quod oportuerit: poſtremo etiam ſciſſe eum, utrum fuerit faciendũ uel non faciendum. Haec quattuor confirmando ſigno attributa ſunt: quorum ſi aduerſarius quodlibet ad confirmandum protulerit, tu id quinque modis reprehendes. Dicere enim debebis, inquit, Aut non eſſe ſignum: ideſt ſi dicatur, Homicidium fecit, nã puluerulentus eſt, utique ad homicidium puluis ſignum eſſe non poteſt, Aut parum magnum eſſe ſignum. Etenim non modo ſignum proferẽdum eſt, ſed & plenum ſignum: unde illud in Terentio, Iam ſcio magnum ſignum. Aut a ſe potius, quam ab aduerſariis ſtare. Si dicatur, Scelus fecit, nam erubuit: cum tu contra poſsis dicere, Immo ſcelus non potuit facere, quia erubuit. Aut omnino falſo dici. Si dicatur, Neſcio quem pallere, cum non palleat. Aut in aliam quoque ſuſpicionem duci poſſe demonſtrabitur. Si dicatur, quia pallet, occidit hominem: cum ſit pallor & aegritudinis. Itaque ſiquid ad confirmandum ſignum fuerit prolatum, his quinque modis reprehendi oportebit. Quod quidem ſe in ſecundo libro de coniecturali cauſſa ſignatius tractaturum eſſe promittit. Comparabile argumentum ex ſimilitudine conſiſtit: quod ut reprehendas, id quod aduerſarius ſimile eſſe uult, tu contra diſsimile debebis aſſerere. Diſsimile autem aliquid, aut ſimile ſit, octo rebus oſtenditur,

CICERO

ID *fieri poterit, ſi demonſtrabitur diuerſum eſſe genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione: ac ſi quo in numero illud, quod per ſimilitudinem afferetur, & quo in loco hoc genus, cuius cauſſa afferetur, haberi conueniat, oſtendetur. Deinde, quid res, cum re differat, demonſtrabitur, ex quo docebimus aliud de eo quod comparabitur, & de eo quicum comparabitur, exiſtimari oportere. Huius facultatis maxime indigemus, cum ea ipſa argumentatio, quae per inductionem tractatur, erit reprehendenda.*

EXPLANATIO

GENERE, *natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione*:] Verum in his animaduertere debemus, quid aduerſarius comparet, ac ſimile eſſe perſuadeat: quod poſtquam perſpexerimus, illud ipſum nos diſsimile debemus oſtendere, quod aduerſarius ſimile eſſe contendit. Alioqui ſtultum eſt, ut, cum aduerſarius res inter ſe dicat ſimiles per naturam, nos eas, aut magnitudine eſſe dicamus diſsimiles, aut genere, aut loco, uel ceteris. Sed id, quod ſimile eſſe dicitur in natura, nos contra in eadem natura, diſsimile debemus oſtendere. Quod rurſus dicitur ſimile eſſe in perſona, nos in eadem perſona diſsimile eſſe doceamus. Octo itaque modis diſsimile aliquid neceſſe eſt comprobari, Genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione. Generis triplicem ſignificationem ſcimus eſſe. Eſt autem genus, ideſt ſanguis, aut patria: eſt genus, ſub quo plures partes continentur: eſt genus rerum qualitas. Hic itaque genus duo illa ſignificat. ſub quo ſunt ſpecies, & illud, quod qualitatem deſignat. Genus illud, ſub quo ſpecies ſunt, ita ad ſimilitudinem ducitur: ut in hoc exemplo, Si iis, qui imprudentes laeſerunt, ignoſci oportet: iis, qui neceſſario profuerunt, gratiam haberi non oportet. In his enim ambobus, unum genus eſt uoluntas abſens: cuius ſpecies ſunt imprudentia & neceſsitas. Itaque haec ſpecie diuerſa, genere ad ſimilitudinem referuntur: ideſt, quia in utroque abſens uoluntas. Illud autem genus, quod qualitatem ſignificat, confertur, cum utile utili, honeſtum honeſto conferimus: utputa, Tam hoc utile, quam illud, Tam hoc honeſtum, quam illud. Tertium illud genus, quod aut ſanguinem oſtendit, aut patriam, ad locum referri oportebit. Natura autem confertur, ita, ut in hoc exemplo, in quo populi natura cum maris comparatur. Vt mare, inquit, quod ſua natura tranquillum ſit, uentorum ui agitari, atque turbari: ſic P. R. ſua ſponte eſſe placatũ hominum ſeditioſorum uocibus, ut uiolentiſsimis tempeſtatibus, concitari. Vim ſaepe eſſe diximus ſingulorum uerborum ſimplicem ſignificationem: hoc eſt illud neſcio quid, quod intelligimus, cum dictum fuerit ſacrilegium. Iam Magnitudo erit ipſius uis exaggeratio: utputa Sacrilegium atrox. In Loco illam, quae iam abunde tractata eſt, qualitatem loci inſpiciamus. Tempus itidem ſuis inſpectum ſemper partibus conferamus: ut Si opportunitas eſt, opportunitatem: ſi ſpatium, ſpatium conferamus. Perſona autem omnino manifeſta eſt. Opinio uero eſt iudicium populi. Haec ita conferetur, ſi dicamus, Sic de illa re iudicatus eſt, ſic de hac iudicatum, aut iudicandum eſt. aut Aliter de illa re iudicatum, aliter de hac iudicatum, aut iudicandum eſt: ut ſi pro nobis eſt, confirmetur: ſi contra, mutetur opiuio. AC, *ſi quo in numero illud, quod per ſimilitudinem affertur, & quo, &c.*] Hoc non quaſi alius aliquis modus conferendi eſt, (ne forte quis credat) ſed opinionis expoſitio: quae quidem unam partem tenet ſolam, ideſt illam, cum ab aduerſariis coniuncta diſſoluimus.

CICERO

SI *iudicatum aliquod inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur, laude eorum, qui iudicarunt, ſimilitudine eius rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de iudicatum eſt, commemorando non modo non eſſe reprehenſum iudicium, ſed ab omnibus approbatum; & demonſtrando difficilius, & maius fuiſſe id iudicatum, quod afferatur, quam id, quod inſtet. Ex contrariis locis, ſi res aut uera, aut ueriſimilis permittet, infirmari oportebit: atque erit obſeruandum diligenter, ne nihil ad id, quod agatur, pertineat id, quod iudicatum ſit: & uidendum eſt, ne ea res proferatur, in qua ſit offenſum, ut de ipſo, qui iudicarit, iudicium fieri uideatur. Oportet autem animaduertere, ne, cum aliter multa ſint iudicata, ſolitarium aliquod, aut rarum iudicatum, afferatur. nam his rebus auctoritas iudicati maxime poteſt infirmari. Atque ea quidem argumenta, quae quaſi probabilia ſumuntur, ad hunc modum tentari oportebit. Quae uero ſicuti neceſsaria inducentur, ea ſi forte imitabuntur modo neceſſariam argumentationem, neque erunt eiuſmodi, ſic reprehendentur. Primum complexio, quae, utrum conceſſeris, debet tollere, ſi uera eſt, numquam reprehendetur; ſin falſa, duobus modis, aut conuerſione, aut alterius partis infirmatione. Conuerſione, hoc modo:*

> *Nam ſi ueretur, quid eum accuſes, qui eſt probus?*
> *Sin inuerecundum animi ingenium poſſidet,*
> *Quid eum accuſes, qui id parui auditu aeſtimet?*

Hic ſiue uereri dixeris, ſiue non uereri, concludendum hoc puta, ut neges eſſe accuſandum. Quod conuerſione ſic reprehendetur: Immo uero accuſandus eſt. Nam ſi ueretur, accuſes: non enim parui auditu aeſtimabit. Sin inuerecundum animi ingenium poſſidet, tamen accuſes: non enim probus eſt. Alterius autem partis infirmatione, hoc modo reprehendetur. Verum, ſi ueretur, accuſatione tua correctus, ab errato recedet.

EXPLANATIO

SI *iudicatum aliquod inferetur, quoniam id ex his locis maxime firmatur laude, &c.*] Et ad hoc nihilominus confirmandum, ipſe nobis indicat confirmationem. nam quattuor modis dicit confirmandum nobis eſſe iudicatum: quibus utique ſublatis infirmari poſſe declarat: hoc eſt laude eorum, qui iudicarunt: ſimilitudine eius rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de iudicatum eſt: commemorando non modo, non eſſe reprehenſum iudicium, ſed ab omnibus approbatum: & demonſtrando fuiſſe id difficilius, & maius eſſe iudi-

catum

catum, quod afferatur, quam id quod inſtet. Cum enim afferimus iudicatum, ut id noſtrae cauſſae proſit, neceſſe eſt primo a laude eodem, qui iudicarunt id quod iudicatum proferimus, ordiamur. per iudicantium enim authoritatem, iudicati auctoritas confirmatur. Deinde, ut id, quod iudicatum proferimus, ſimile ei, quo de agatur, eſſe monſtremus. tum enim nos iudicatum adiuuabit, ſi huic ſimile demonſtretur. Verum hæc ſimilitudo, octo illis ſimiliter partibus facienda eſt: hoc eſt Genere, natura, ui, magnitudine, loco, perſona, tempore, opinione: & omnino hoc iam tenere debemus, quamcumque ſimilitudinem his nobis partibus eſſe faciendam. Deinde tertio modo iudicatum confirmamus, ſi oſtendamus ipſum iudicatum non modo eſſe reprehenſum, & non modo non reprehenſum, ſed etiam ab omnibus approbatum: ut hi iudices de hoc negotio ſimilia ſperare cogantur. Extremum illud, ſi difficilius, & maius iudicatum, quam id, quo de agitur, eſſe doceamus. numquam enim iudex in minore negotio facere dubitabit id, quod iam iudicatum in maiore perſpexerit. His itaque locis iudicatum confirmatur: iiſdem conuerſis infirmatur: id eſt, ut iudices uituperes: ut negotiorum diſsimilitudinem doceas: ut reprehenſum iudicium illud demonſtres: & ut illud iudicium minus ac facile, hoc uero difficile, ac maius oſtendas: deinde doceas, quae uitia in aduerſario perſcrutari, atque inuenire debeamus: id eſt ne forte illud iudicatum, quod affertur, huic negotio nihil proſit: & ne illud proferatur iudicium, in quo iudices contraxiſſe conſtet offenſam. Tertio illud conſiderandum, ne, cum pro nobis ſimilia ſint multa iudicia, ab aduerſario unum aliquod diſsimile proferatur: ſtatimq. frangetur, quod quaſi probabile pro probabili profertur. Nam id, quod uere probabile eſt, nullo modo aut difficillime poterit infirmari. Hoc eſt quod ait, Ex contrariis locis, ſi res aut uera, aut uerisimilis permittet, infirmari oportebit.

Qᴠᴀᴇ *uero ſicuti neceſſaria inducentur, ea ſi forte, &c.*] Tranſit a probabili ad neceſſarium argumentum: quod neceſſarium argumentum ſi neceſſarium rebus ipſis fuerit, nulla ratione poterit reprehendi: ſinautem non rem, ſed modum, ac formam neceſſariae argumentationis habuerit, reprehendetur. Nouimus itaque tribus modis fieri neceſſariam argumentationem, per complexionem, per enumerationem, per ſimplicem concluſionem. Complexio eſt, in qua utrum conceſſeris, id contra te futurum eſt. Haec, ita ut diximus, ſi omnino neceſſaria eſt, non poterit reprehendi. ſinautem ſolam formam neceſſariae argumentationis tenebit, duobus modis reprehendetur: aut per conuerſionem, aut per alterius partis infirmationem. quos modos facile poterimus agnoſcere, ſi ipſa neceſſariae argumentationis forma ponatur, Si ueretur, quid eum accuſes, qui probus eſt? Si non ueretur, quid accuſes, qui id parui auditu aeſtimet? Hoc per conuerſionem ſic reprehendimus, ut cancellato ueluti reſpectu, primam propoſitionem ad ſecundae propoſitionis dimittamus euentum: deinde ſecundam propoſitionem ad primae propoſitionis ſubrigamus euentum: ita tamen, ut euentibus negatio adiuncta copuletur, hoc modo, Si ueretur, accuſes: quia id non parui auditu aeſtimat. deinde, Si non ueretur, accuſes: quia non probus eſt. Ita conuerſio-ne euentuum, accuſandum eſſe aſſerunt, quem aduerſarius dixerat non accuſandum. Accuſatio autem hic non publica eſt, ſed priuata obiurgatio. Vnius uerò partis huiuſmodi reprehenſio eſt: cum ex propoſitis duobus unumquodque frangitur. Altero enim infirmato uacillat alterum, Si ueretur, accuſa: facile enim uerecundus ab errore flectetur.

C I C E R O

*E*NVMERATIO *uitioſa intelligitur, ſi aut praeteritum quiddam dicemus, quod uelimus concedere; aut infirmum aliquid annumeratum, quod aut contra dici poſſit, aut cauſſa non ſit, quare non honeſte poſſimus concedere. Praeteritur quiddam in eiuſmodi enumerationibus: Quoniam habes iſtum equum, aut emeris oportet, aut hereditate poſsideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus ſit: aut, ſi horum nihil eſt, ſurripueris neceſſe eſt. ſed neque emiſti, neque hereditate uenit, neque domi natus eſt, neque donatus eſt: neceſſe eſt ergo ſurripueris. Hoc commode reprehenditur, ſi dici poſſit ex hoſtibus equus eſſe captus: cuius praedae ſectione uenierit. quo illato, infirmatur enumeratio; quoniam id ſit inductum, quod praeteritum ſit in enumeratione. Altero autem modo reprehendetur, ſi aut contra aliquid dicetur: hoc eſt, ſi exempli cauſſa, ut in eodem uerſemur, poterit oſtendi hereditateueniſſe: aut ſi extremum illud non erit turpe concedere: ut ſi quis, cum dixerint aduerſarij, Aut inſidias facere uoluiſti, aut amico morem geſſiſti, aut cupiditate elatus es, amico ſe morem geſſiſſe fateatur.*

E X P L A N A T I O

ENVMERATIO *uitioſa intelligitur, ſi aut praeteritum quiddam dicemus, quod uelimus concedere, aut infirmum aliquid annumeratum, quod &c.*] Enumeratio pars neceſſariae argumentationis eſt: haec cuiuſmodi ſit, ſupra diximus. Verum cum ab aduerſario proponetut, duobus modis poterit reprehendi, Si aut aliquid praetermiſſum eſſe in enumeratione doceamus, quod pro nobis ſit: aut ſi omnina quidem enumerata ſunt, ſed in his aut contrarium ponimus, & falſum eſſe monſtremus: aut confitemur aliquid ita eſſe, & oſtendamus eſſe pro nobis. Primus itaque modus eſt, ubi aliquid preteritum demonſtramus, quod prolatum, noſtrae cauſae proficit: ut eſt illud de equo, quem poſt aduerſarij enumerationem, ex hoſtibus captum eſſe memorauit: id eſt ex praeda, quae propria cuique, non quae confuſis omnibus fuerit communiter diſtributa. Alter eſt modus reprehenſionis in enumeratione: in quo duo reſpicimus, Vtrum aliquid contrarium poni poſsit: an aliquid confiteamur ex his quae aduerſarius enumerauit, propterea quod honeſtum eſt. Contrarium ponimus, ſi cum aduerſarius equum neget hereditate ueniſſe, nos hereditate ueniſſe doceamus. Confitemur autem aliquid, quod honeſtum ſit: ut ſi aduerſarius dicat, Aut inſidias facere uoluiſti, aut amico morem geſsiſti, aut cupidi-

tate elatus es : nos dicamus amico morem geſsiſse : quod utique in conceſsione turpe non eſt : maxime ſi ca, quibuſcumque hoc poſitum eſt, conſideremus. Ita in reprehenſione enumerationis, aut praetermiſsum aliquid oſtendimus : quod tamen illatum pro nobis ſit : aut ex omnibus, quae poſita ſunt, nunc aliquid per contrarium refutamus, nunc, quia pro nobis eſt, confitemur.

C I C E R O

*S*IMPLEX *autem concluſio reprehenditur, ſi id, quod ſequitur, non uideatur neceſſario cum eo, quod anteceſſit, cohaerere. Nam hoc quidem, ſi ſpiritum ducit, uiuit : ſi dies eſt, lucet : eiuſmodi eſt, ut cum priore neceſſario poſterius cohaerere uideatur. Hoc autem, ſi mater eſt, diligit : ſi aliquando peccauit, numquam corrigetur : ſic conueniat reprehendi, ut demonſtretur non neceſſario cum priore poſterius cohaerere. hoc genus & cetera neceſsaria, & omnino omnis argumentatio, & eius reprehenſio maiorem quandam uim continet, & latius patet, quam hic exponitur : ſed eius artificij cognitio huiuſmodi eſt, ut non ad huius artis partem aliquam adiungi poſſit, ſed ipſa ſeparatim longi temporis, & magnae, atque arduae cognitionis indigeat. Quare illa nobis alio tempore, atque ad aliud inſtitutum, ſi facultas erit, explicabuntur. nunc his praeceptionibus rhetorum ad uſum oratorium contentos nos eſse oportebit.*

E X P L A N A T I O

SIMPLEX *autem concluſio reprehenditur, ſi id, quod ſequitur, non uideatur neceſſario cum eo, quod anteceſſit, cohaerere.*] Haec quoque ſi ex utroque quo conſtat, ideſt ſi ex propoſito, & adiuncto erit neceſſaria, reprehendi omnino non poterit. Eſt autem huiuſmodi, Si dies eſt, lucet. Si natus eſt, morietur. Vtique hoc ita neceſsarium eſt, ut frangi omnino non poſsit. Tunc autem ſimplex concluſio poterit reprehendi, ſi oſtenderis adiunctũ non cohaerere propoſito : utputa, Si mater eſt, diligit. Si aliquando peccauit, numquam corrigetur. Vtique hoc cum adiunctum conſideras neceſſario cohaerere non poſſe, neceſſarium eſſe non poterit: eritq. potius probabile. Ita neceſſarium per ſe conſtat : probabile multis aſſeritur argumentis. Hoc autem, Si aliquando peccauit, numquam corrigetur : multis aſſerendum eſt argumentis. Quod uero multis aſſeritur argumentis, neceſſarium non eſt. Recte igitur huiuſmodi reprehenſa concluſio eſt, ſi formam neceſſariam, rem uero probabilem continere monſtretur. Verum haec cuncta praecepta de dialectica traxit: quae magna, & difficilis eſt. De qua, ſi facultas fuerit, poſtea tractaturum ſe eſſe promittit.

C I C E R O

*C*VM *igitur ex iis, quae ſumuntur, aliquid non conceditur, ſic infirmabitur; cum autem, his conceſſis, complexio ex his non conficitur, haec erunt conſideranda, num aliud conficiatur, aliud dicatur, hoc modo : Si cum aliquis dicat ſe profectum eſſe ad exercitum, contraq. eum quis uelit hac argumentatione uti : Si ueniſſes ad exercitum, a tribunis militaribus uiſus eſſes : non es autem uiſus ab his, non es igitur profectus ad exercitum. Hic cum conceſſeris propoſitionem, & aſſumptionem, complexio eſt infirmanda : aliud enim, quam cogebatur, illatum eſt. Ac nunc quidem, quo facilius res cognoſceretur, perſpicuo, & grandi uitio praeditum poſuimus exemplum : ſed ſaepe obſcurius poſitum uitium pro uero probatur, cum aut parum memineris, quod conceſſeris, aut ambiguum aliquod pro certo conceſſeris. Ambiguum ſi conceſſeris, ex ea parte, quam ipſe intellexeris, eam partem ſi aduerſarius ad aliam partem per complexionem uelit accommodare, demonſtrare oportebit non ex eo, quod ipſe conceſſeris, ſed ex eo, quod ille ſumpſerit, confici complexionem, ad hunc modum : Si pecuniae indigetis, pecuniam non habetis : Si pecuniam non habetis, pauperes eſtis. Indigetis autem pecuniae: mercaturae enim, niſi ita eſſet, operam non daretis : pauperes igitur eſtis. Hoc ſic reprehenditur : Cum dicebas, Si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis. hoc intelligebam, Si propter inopiam in egeſtate eſtis, pecuniam non habetis : & iccirco concedebam. Cum autem hoc ſumebas, Indigetis autem pecuniae : illud accipiebam, Vultis autem pecuniae plus habere. Ex quibus conceſſionibus non conficitur hoc, Pauperes igitur eſtis : conficeretur autem, ſi tibi primo quoque hoc conceſſiſſem, Qui pecuniã maiorem uellet habere, eum pecuniam non habere. Saepe autem oblitum putant quid conceſſeris, & iccirco id, quod non conficitur, quaſi conficiatur, in concluſione infertur, hoc modo : Si ad illum hereditas ueniebat, ueriſimile eſt ab illo eſſe necatum. Deinde hoc approbant plurimis uerbis, poſt aſſumunt, Ad illum autem hereditas ueniebat : deinde infertur, Ille igitur occidit. Id ex iis, quae ſumpſerant, non conficitur. Quare obſeruare diligenter oportet, & quid ſumatur, & quid ex his conficiatur.*

E X P L A N A T I O

CVM *igitur ex iis, quae ſumuntur, aliquid non conceditur, ſic infirmabitur;*] Omnem argumentationem quattuor modis dixit poſſe reprehendi : Si aut ſumpta reprehendamus, aut concluſionem, aut ſi genus ipſum argumentationis uitioſum eſſe monſtremus, aut ſi contra firmum argumentum, aliud noſtrum aeque firmum, aut firmius opponamus. Itaque iam ſumptorum dicta reprehenſio eſt. Si autem, inquit, repre-

hendi ſumpta non poterunt, tunc erit reprehendenda concluſio. In concluſione itaque hoc animaduertendum eſt principaliter, ne, cum in propoſitione aliud ſit, aut eſſe poſsit, aliud concludatur: hoc itaque uitium erit dicentis. Vitium porro aut apertum, aut obſcurum. Atque apertum in concluſione uitium erit, ſi, cum res alia in propoſitione teneatur, alia omnino res in concluſione ponatur: utputa ſi agitur, An neſcio quis ad exercitum ſit profectus: & contra eum quis ſic uelit argumentari, Si ueniſſes ad exercitum, a tribunis militaribus uiſus eſſes: non es autem uiſus ab his, non es igitur ad exercitum profectus. Hic utique apertum uitium eſt. nam propoſitio tenet, Si ueniſſes ad exercitum. Concluſio, Non es igitur ad exercitum profectus: cum iuxta propoſitionem debuerat concludi, Non igitur ad exercitum ueniſti. Hoc itaque apertum uitium. In obſcuro autem duo nobis attendenda ſunt: Ne aut ambiguitate propoſitionis, aut obliuione fallamur. Ambiguitas in propoſitione talis eſt, Si pecuniae indigetis, pecuniam non habetis. Nam omnino, qui pecuniam non habet, indiget pecuniae: & ille, qui habet, ſed maiorem habere deſiderat, indiget pecuniae. indigere enim uoluntatis eſt. Haec itaque propoſitio ambigua eſt, Si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis. Huius propoſitionis quamcumque ab aduerſario propoſitam concluſionem, alterius rei interpretatione poteris reprehendere: ut ſi in concluſione [*mendicos*] poſuerit, tu dicas eos, qui pecuniae indigeant, non te mendicos intellexiſſe: ſed eos, qui, cum haberent, maiorem tamen pecuniam uellent. Deinde, ſi ille huiuſmodi homines in concluſione poſuerit: tu contra, in propoſitione dicas te intellexiſſe mendicos. Ita aduerſarij concluſionem, propoſitionis uiſa ambiguitate, ſubuertes. Deinde aliud obſcurum uitium eſt, cum obliuiſcimur, quid in propoſitione ſit poſitum, & aliud in concluſione conficitur: utputa, Si ad illum hereditas ueniebat, ueriſimile eſt ab illo necatum. Hic uerisimilitudo poſita eſt. Deinde hanc propoſitionem pluribus uerbis approbant: ſcilicet ut memoria propoſitionis ex animis auferatur. Poſt aſſumunt, Ad illum autem hereditas ueniebat. Poſtremo inferunt concluſionem, Ille igitur occidit. Vtique in hac concluſione obliuio noſtra tentatur. Supra enim poſitum eſt, Veriſimile eſt ab illo necatum: hic poſt approbationem longiſsimam propoſitionis, non concludit, Veriſimile eſt igitur ab illo necatum, quod probabile eſt: ſed Ille igitur occidit: quod neceſſarium eſt, quodq. a probabili propoſitione diſſentit. Itaque diligenter debemus attendere, ut concluſionem aduerſarij, aut ambiguitate propoſitionis conuertamus: aut quia meminimus, quid in propoſitione ſit poſitum, eandem concluſionem falſam eſſe doceamus.

CICERO

IPSVM *autem genus argumentationis uitioſum his de cauſſis oſtendetur, ſi aut in ipſo uitium erit, aut ſi non ad id, quod inſtituitur, accommodabitur. Atque in ipſo uitium erit, ſi omnino falſum erit, ſi commune, ſi uulgare, ſi leue, ſi remotum, ſi mala definitio, ſi controuerſum, ſi perſpicuum, ſi non conceſſum, ſi turpe, ſi offenſum, ſi contrarium, ſi inconſtans, ſi aduerſum. Falſum eſt, in quo perſpicue mendacium eſt, hoc modo: Non poteſt eſſe ſapiens, qui pecuniam negligit: Socrates autem pecuniam negligebat, non igitur ſapiens erat. Commune eſt, quod nihilo magis ab aduerſariis, quam a nobis facit, hoc modo: Iccirco, iudices, quia ueram cauſſam habebam, breui peroraui. Vulgare eſt, quod in aliam quoque rem non probabilem, ſi nunc conceſſum ſit, transferri poſſit, hoc modo: Si ueram cauſſam non haberet, uobis ſe iudices non commiſiſſet. Leue eſt, quod aut poſt tempus dicitur, hoc modo: Si in mentem ueniſſet, non commiſiſſet: aut perſpicue rem turpem leui tegere uult defenſione, hoc modo:*

Cum te expetebant omnes, florentiſſimo
Regno, reliqui: nunc deſertum ab omnibus,
Summo periclo ſola ut reſtituam paro.

Remotum eſt, quod, ultra quam ſatis eſt, petitur, hoc modo. Quod ſi nō P. Scipio Corneliam filiam Tiberio Graccho collocaſſet, atque ex ea duos Gracchos procreaſſet, tantae ſeditiones natae non eſſent. quare hoc incommodum Scipioni adſcribendum uidetur. Huiuſmodi eſt illa quoque conqueſtio:

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Caeſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

longius enim repetita eſt, quam poſtulabat. Mala definitio eſt, cum aut communia deſcribit, hoc modo: Seditioſus eſt is, qui malus, atque inutilis eſt ciuis. Nam hoc non magis ſeditioſi, quam ambitioſi, quam calumniatoris, quam alicuius improbi hominis uim deſcribit. Aut falſum quiddam dicit, hoc pacto: Sapientia eſt pecuniae acquirendae intelligentia. Aut aliquid non graue, nec magnum continens, ſic: Stultitia eſt immenſae gloriae cupiditas. eſt haec quidem ſtultitia, ſed ex parte quadam, non ex omni genere definita. Controuerſum eſt, in quo ad dubium demonſtrandum dubia cauſſa affertur, hoc modo:

Eho tu, dij, quibus eſt poteſtas motus ſuperum, atque inferum,
Pacem inter ſeſe conciliant, conferunt concordiam.

Perſpicuum eſt, de quo non eſt controuerſia: ut, ſi quis, cum Oreſtem accuſet, planum faciat ab eo matrem eſſe occiſam. Non conceſſum eſt, cum id, quod augetur, in controuerſia eſt, ut ſi quis, cum Vlyſſem accuſet, in hoc maxime commoretur: Indignum eſſe ab homine ignauiſſimo uirum fortiſſimum Aiacem necatum. Turpe eſt, quod aut eo loco, in quo dicitur, aut eo homine, qui dicat, aut eo tempore, quo dicitur, aut iis, qui audiunt, aut ea re, de qua agitur, indignum propter inhoneſtam rem uidetur. Offenſum eſt, quod eorum, qui audiunt, uoluntatem laedit: ut, ſi quis apud equites Romanos cupidos iudicandi Caepionis legem iudiciariam laudet. Contrarium eſt, quod contra ea dicitur, quae ij, qui audiunt, fecerunt, ut, ſi quis apud Alexandrum Macedonem contra aliquem urbis expugnatorem diceret nihil eſſe crudelius, quam urbes diruere, cum ipſe Alexander Thebas diruiſſet. Inconſtans eſt, quod ab eo-

dem de eadem re diuerſe dicitur: ut ſi quis, cum dixerit, qui uirtutem habeat, eum nullius rei ad bene uiuendum indigere, neget poſtea ſine bona ualetudine poſſe bene ui uere. Aut ſe amico adeſſe propter beneuolentiam: ſperare enim aliquid commodi ad ſe peruenturum. Aduerſum eſt, quod ipſi cauſſae aliqua ex parte officit, ut, ſi quis hoſtium uim, & copias, & felicitatem augeat, cum ad pugnam milites hortetur. Si non ad id, quod inſtruitur, accommodabitur aliqua pars argumentationis, horum aliquo in uitio reperietur. Si plura pollicitus, pauciora demonſtrabit: aut ſi, cum totum debebit oſtendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo: Mulierum genus auarum eſt: nam Eriphyle auro uiri uitam uendidit. Aut ſi non id, quod accuſabitur, defendet: ut, ſi quis, cum ambitus accuſabitur, manu ſe fortem eſſe defendet, ut Amphion apud Euripidem. item apud Pacuuium, qui, uituperata muſica, ſapientiam laudat. Aut ſi res ex hominis uitio uituperabitur, ut, ſi quis doctrinam ex alicuius dicti uitiis reprehendat. Aut ſi quis, cum aliquem uolet laudare, de felicitate eius, non de uirtute dicat. Aut ſi quis rem cum re ita comparabit, ut alteram ſe non putet laudare, niſi alteram uituperarit: aut ſi alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem: ut, ſi quis, cum aliqui deliberent, bellum geratur, an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile eſſe demonſtret. Aut ſi, cum de certa re quaeretur, de communi inſtituetur oratio. Aut ſi ratio alicuius rei reddetur falſa, hoc modo: Pecunia bonum eſt, propterea quod ea maxime uitam beatam efficiat. Aut ſi infirma, ut Plautus:

Amicum caſtigare ob meritam noxiam,
Immane eſt facinus, uerum in aetate utile,
Et conducibile: nam ego amicum hodie meum
Concaſtigabo pro commerita noxia.

Aut eadem, hoc modo. Maximum malum eſt auaritia: multos enim magnis incommodis afficit pecuniae cupiditas. Aut parum idonea, hoc modo: Maximum bonum eſt amicitia: plurimae enim delectationes ſunt in amicitia.

EXPLANATIO

IPSVM *autem genus argumentationis uitioſum his de cauſſis oſtendetur, ſi aut, &c.*] Tertius reprehenſionis modus eſt, cum ipſum genus argumentationis uitioſum eſſe monſtratur. Verum hoc tenere debemus, quod ſumpta ſola nuda, & generaliter patentia modis ſuis reprehenduntur. Genus autem argumentationis in cauſſa, & in ſpecie poſitum conſiderare debemus: quod quidem ſumptis ſuis, & forma dictionis, quantum in ſe eſt, integrum eſt: ſed cum cauſſa poſitum, quid operetur attendimus, tunc in eo uitia poſſumus inuenire. Itaque ipſum genus argumentationis duobus modis uitioſum eſt: Cum aut in ipſo uitium erit, aut cũ ad id, quod inſtituit, non accommodabitur. In ipſo uitiũ eſſe quattuordecim modis poſſumus inuenire. Deinde non accommodari ad id, quod inſtituit, duodecim modis poſſumus deprehendere: quae omnia Cicero, partim quia aperta ſunt, ſolis propoſitionibus, partim quia obſcuriora ſunt, etiam exemplis propoſuit, & explicauit. Nos eadem perſequi, immo repetere, longum, ac ſuperfluum eſt.

CICERO

QVARTVS *modus erit reprehenſionis, per quem contra firmam argumentationem aeque firma, aut firmior ponebatur. Hoc genus in deliberationibus maxime uerſatur, cum aliquid, quod contra dicatur, aequum eſſe concedimus; ſed id, quod nos defendimus, neceſſarium eſſe demonſtramus. Aut cum id, quod illi defendant, utile eſſe fateantur: quod nos dicamus, demonſtremus eſſe honeſtum. Ac de reprehenſione haec quidem exiſtimauimus eſſe dicenda. Deinceps nunc de concluſione ponemus. Hermagoras digreſſionem deinde, tum poſtremam concluſionem ponit. In hac autem digreſſione ille putat oportere quandam inferri orationem a cauſſa, atque a iudicatione ipſa remotam, quae aut ſui laudem, aut aduerſarij uituperationem contineat, aut in aliam cauſſam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis, aut reprehenſionis, non argumentando, ſed augendo per quandam amplificationem. Hanc ſi quis partem putarit orationis, ſequatur licebit. nam & augendi, & laudandi, & uituperandi praecepta a nobis partim data ſunt, partim ſuo loco dabuntur. nobis autem non placet hanc partem numero reponi: quod de cauſſa digredi, niſi per locum communem, diſplicet: quo de genere poſterius eſt dicendum. Laudes autem, & uituperationes non ſeparatim placet tractari, ſed in ipſis argumentationibus eſſe implicitas. Nunc de concluſione dicemus.*

EXPLANATIO

QVARTVS *modus erat reprehenſionis, per quem contra firmam aduerſarij argumentationem aeque firma, aut firmior ponebatur.*] Quarta reprehenſio pertenuis eſt, & defectis omnibus, extrema neceſsitate ponenda. nam & ſumpta uera eſſe concedimus, & concluſionem recte habitam fatemur, & ipſum genus argumentationis uitioſum non eſſe concedimus; ſed contra firmam aduerſarij argumentationem, nos quoniam nihil poſſumus reprehendere; aliam argumentationem aeque firmam, aut

firmiorem

firmiorem proponimus. Verum hoc in deliberatiuo genere cauſſae uſu prouenit: cum aut utile aliquid aduerſario concedimus: ſed nos aut utilius, aut honeſtius aliquid demonſtramus: aut honeſtum aliquid aduerſario concedimns: ſed nos honeſtius aliquid, aut neceſſarium eſſe monſtramus. Verum nunc tranſit ad concluſionem, ideſt ſextam, eandemq. extremam partem totius orationis. Quo loco Hermagoras digreſsionem ſupponit, ideſt orationem, in qua, praeter controuerſiam cauſſae, aut laus noſtra, aut aduerſarij uituperatio contineatur: aut quae ad aliam tranſitum faciat, non per argumentationem, ſed per amplificationem. Hanc Tullius non partem orationis uult eſſe, ſed in omnibus orationis partibus inſertari, ac ſubiici poſſe, declarat: ut certis locis poſt rem aliquam probatam, aut amplificationem aliquam ſubiicias, aut laudem, aut uituperationem. Itaque non digreſsionem ſexto loco, ſed concluſionem Tullius ponit.

C I C E R O

*C*ONCLVSIO, *eſt exitus, & determinatio totius orationis. Haec habet partes tres, enumerationem, indignationem, conqueſtionem. Enumeratio eſt, per quam res diſperſe, & diffuſe dictae, unum in locum coguntur, & reminiſccendi cauſſa unum ſub adſpectum ſubiiciuntur. Haec ſi ſemper eodem modo tractabitur, perſpicue ab omnibus artificio quodam tractari intelligitur: ſin uarie fiet, & hanc ſuſpicionem & ſatietatem uitare poterit. Quare tum oportebit ita facere, ut plerique faciunt propter facilitatem, ſigillatim unamquamque rem attingere, & ita omnes breuiter argumentationes: tum autem, id quod difficilius eſt, dicere quas partes expoſueris in partitione, de quibus te pollicitus ſis dicturum, & reducere in memoriam, quibus rationibus unamquamque partem confirmaris, tum ab iis, qui audiunt, quaerere quid ſit, quod ſibi uelle debeant demonſtrari, hoc modo: Docuimus hoc, illed planum fecimus: ita ſimul, & in memoriam redibit auditor, & putabit nihil eſſe praeterea, quod debeat deſiderare. Atque in his generibus, ut ante dictum eſt, tum tuas argumentationes tranſire ſeparatim, tum, id quod artificioſius eſt, cum tuis contrarias coniurgere: & cum tuam argumentationem dixeris, tum, contra eam, quod afferebatur, quemadmodum dilueris, oſtendere. Ita per breuem comparationem, auditoris memoria, & de confirmatione, & de reprehenſione redintegrabitur. Atquae haec aliis actionis quoque modis uariare oportebit. Nam tum ex tua perſona enumerare poſſis: ut, quid, & quo quidque loco dixeris, admoneas; tum uero perſonam, aut rem aliquam inducere, & enumerationem ei totam attribuere. Perſonam, hoc modo: Nã, ſi legis ſcriptor exſiſtat, & quaerat a uobis, quid dubitetis, quid poſſitis dicere, cum uobis hoc, & hoc ſi demõſtratum. Atque hic item, ut in noſtra perſona licebit, alias ſigillatim tranſire omnes argumẽtationes, alias ad partitionis ſingula genera referre, alias ab auditore, quid deſideret quaerere, alias haec facere per comparationem ſuarum, & contrariarum argumentationum.*

E X P L A N A T I O

*C*ONCLVSIO, *eſt exitus, & determlnatio totius orationis.*] Concluſio eſt, inquit, finis, ac terminus orationis: ſed totius orationis. Nos epilogos accipiamus. Huius concluſionis partes ſunt tres, Enumeratio, indignatio, conqueſtio. Verum hoc diſtant: quod indignatio, & conqueſtio tantum animos mouent, diuerſo tamen exitu: nunc uero iracundia contra aduerſarios commouetur, nunc miſericordia circa nos. Enumeratio uero, & animos mouet, & fidem facit. nam, cum repetit, quae dicta ſunt, fidem: cnm uero omnia coaceruat & colligit, animos mouet. Haec enim enumeratio non ſemper uniformiter ea, quae dicta ſunt, colligere debebit: ne cum odioſum, tum etiam (quod maxime contrarium eſt) fieri ex arte uideatur. Itaque ſupradictorum repetitio uarianda eſt. Variatur autem modis tribus, Si aut eas res, quas ante dixiſti, breuiter perſtringas, & colligas, quod quidem facile eſt: aut ſi in memoriam audientium reuoces, quas partes in partitione propoſueris, & quibus rationibus unamquamque partem confirmaris: aut ſi interroges iudices, quid amplius uelint cognoſcere, cum hoc, & hoc docuerimus, cum hoc & hoc planum fecerimus. Atque haec nunc per noſtrarum argumentationum repetionem, uel confirmationem: nunc etiam per aduerſariorum argumentationum reprehenſionem. Deinde haec ipſa enumerationum genera non ſemper a noſtra perſona facienda: ſed ſunt nunc a noſtra, nunc a ſuppoſita, nunc a re. A noſtra perſona quemadmodum accipiat orationem, in promptu eſt. Suppoſitae autem perſonae accommodatur oratio, ſi dicas, Nam quid ſi legis ſcriptor aſsiſtat, & quaerat a uobis, quid dubitetis, quid poſsitis dicere, cum uobis hoc & hoc ſit demonſtraum? Rei etiam ſic accommodatur oratio, ſi aut lex, aut locus, aut urbs, aut monumentum aliquod accipiat orationem.

C I C E R O

*R*ES *autem inducetur, ſi alicui rei huiuſmodi, legi, loco, urbi, monumento attribuetur oratio per enumerationem, hoc modo: Quid, ſi leges loqui poſſent, non ne haec apud uos quaererentur?*

Quidnam amplius deſideratis, iudices, cum uobis hoc planum factum ſit? In hoc quoque genere omnibus eiſdem modis uti licebit. Commune autem praeceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non poteſt, id eligatur, quod erit grauiſſimum, & unumquodque quam breuiſſime tranſeatur, ut me memoria, non oratio renouata uideatur.

EXPLANATIO

PER *enumerationem hoc modo, Quid ſi leges loqui poſſent, nonne haec apud quos quaerentur? &c.*] Verumetiam in his enumerationibus, quae aut ſuppoſitae perſonae, aut rei dantur, ita ut in noſtra perſona, illa omnia enumerationum genera uarianda ſunt, Vt nunc ſigillatim ſingula noſtra argumenta percurrantur. nunc partitionis promiſsio ſuis rationibus exaequanda ſit, nunc interrogatio ad iudices facienda, nunc & noſtrarum, & aduerſariorum argumentationum copulanda collatio. Commune autem hoc erit in enumeratione praeceptum, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota non poteſt recenſeri, unumquodque, quod ualidum eſt, deligatur, ut memoria renouetur, non omnis repetatur oratio.

CICERO

INDIGNATIO eſt oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem grauis offenſio concitetur. In hoc genere illud primum intelligere uolumus, poſse omnibus ex locis iis, quos in confirmandi praeceptis poſuimus, tractari indignationem. nam ex iis rebus, quae perſonis, atque negotiis attributae ſuut, quaeuis amplificationes, & indignationes naſci poſsunt: ſed tamen ea, quae ſeparatim de indignatione praecipi poſſun, conſideremus. Primus locus ſumitur ab auctoritate, cum commemoramus, quantae curae res ea fuerit eis, quorum auctoritas grauiſſima debeat eſſe, Diis immortalibus: qui locus ſumetur ex ſortibus, ex oraculis, uatibus, oſtentis, prodigijs, reſponſis, ſimilibus rebus: item maioribus noſtris, regibus, ciuitatibus, gentibus, hominibus ſapientiſſimus, ſenatu, populo, legum ſcriptoribus. Secundus locus eſt, per quem illa res, ad quos pertineat, cum amplificatione per indignationem oſtenditur, an ad omnes, an ad maiorem partem, quod atrociſſimum eſt; an ad ſuperiores, quales ſunt ij, quorum ex auctoritate indignatio ſumitur, quod indigniſſimum eſt; an ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquiſſimum eſt; an ad inferiores, quod ſuperbiſſimum eſt. Tertius locus eſt, per quem quaerimus quidnam ſit euenturum, ſi idem ceteri faciunt: & ſimul oſtendimus, huic ſi conceſſum ſit, multos aemulos eiuſdem audaciae futuros: ex quo quid mali ſit euenturum, demonſtrabimus. Quartus locus eſt, per quem demonſtramus multos alacres exſpectare quid ſtatuatur, ut ex eo, quod uni conceſſum ſit, ſibi quoque tali de re quid liceat, intelligere poſſint. Quinctus locus eſt, per quem oſtendimus ceteras res perperam conſtitutas, intellecta ueritate commutatas corrigi poſſe: hanc eſſe rem, quae ſi ſit ſemel iudicata, neque alio commutari iudicio, neque ulla poteſtate corrigi poſſit. Sextus locus eſt, per quem conſulto, & de induſtria factum eſſe demonſtratur, & illud adiungitur, uoluntario maleficio ueniam dari non oportere, imprudentiae concedi nonnumquam conuenire. Septimus locus eſt, per quem indignamur, quod taetrum, crudele, nefarium, tyrannicum factum eſſe dicamus, per uim, manum, opulentiam, quae res ab legibus, ab aequabili iure remotiſſima ſit. Octauus locus eſt, per quem demonſtramus non uulgare, neque factitatum eſſe; ne ab audaciſſimis quidem hominibus, id maleficium, de quo agitur; atque id a feris quoque hominibus, & a barbaris gentibus, & immanibus beſtiis remotum eſse. Haec erunt, quae in parentes, liberos, coniuges, conſanguineos, ſupplices crudeliter facta uidentur: & deinceps, ſi qua proferantur in maiores natu, in hoſpites, in uicinos, in amicos; in eos, quibuſcum uitam egeris; in eos, apud quos educatus ſis; in eos, a quibus eruditus; in mortuos, in miſeros, & miſericordia dignos, in homines claros, nobiles, & honore uſos; in eos, qui neque laedere alium, nec ſe defendere potuerunt, ut in pueros, ſenes, mulieres: quibus omnibus acriter excitata indignatio ſummum in eum, qui uiolarit horum aliquid, odium commouere poterit. Nonus locus eſt, per quem cum aliis, quae conſtat eſſe peccata, hoc, quo de quaeſtio eſt, comparatur: & ita per contentionem, quanto atrocius, & indignius ſit illud, de quo agitur, oſtenditur. Decimus locus eſt, per quem omnia, quae in negotio gerendo acta ſunt, quaeq. poſt negotium conſecuta ſunt, cum uniuſcuiuſque indignatione, & criminatione colligimus, & rem uerbis, quammaxime apud oculos eius, apud quem dicitur, ponimus, ut id, quod indignum eſt, perinde illi uideatur indignum, ac ſi ipſe interfuerit, ac praeſens uiderit. Vndecimus locus eſt, per quem oſtendimus ab eo factum, a quo minime oportuerit, & a quo, ſi alius faceret, prohiberi conueniret. Duodecimus locus eſt, per quem indignamur, quod nobis hoc primis acciderit, nec alicui umquam uſu euenerit. Tertiuſdecimus locus eſt, ſi cum iniuria contumelia iuncta demonſtratur, per quem locum in ſuperbiam, & arrogantiam odium concitatur. Quartuſdecimus locus eſt, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut ad ſuas res noſtras iniurias referant; ſi ad pueros pertinebit, de liberis ſuis cogitent; ſi ad mulieres, de uxoribus; ſi ad ſenes, de parentibus. Quinctuſdecimus eſt locus, per quem dicimus inimicis quoque, & hoſtibus ea, quae nobis acciderint, indigna uideri ſolere. Et indignatio quidem his fere de locis grauiſſime ſumetur. Conqueſtionis autem huiuſmodi de rebus partes petere oportebit.

EXPLA-

EXPLANATIO

INDIGNATIO *eſt oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem grauis offenſio concitetur.*] Indignatio, & conqueſtio tantummodo motus excitant ad iracundiam, uel odium. Indignatio ad iram, ad miſericordiam conqueſtio: quae utraque iiſdem locis ſumi poterit, quibus argumentatio cuncta conſiſtit: ideſt, ex attributis perſonae, & attributis negotio. ex his enim & fides comparatur, & cumulus. Verum indignatio propria ueluti accuſatoris eſt, ut iram in reum concitet. Conqueſtio autem, uelut propria defenſoris eſt, ut in reum ſuſcitet miſerationem. Sed, cum indignatio, uel conqueſtio apud perſonas, agentium proprietate praeualeant: utrumque tamen ab utroque faciendum. nam & accuſator iram in reum, miſerationem uero pro ſe ſuſcitare debet: & rurſus defenſor miſerationem pro ſe, iram uero in accuſatorem ſuſcitare debebit. Hoc ita faciendum, quemadmodum etiam ab utroque, & propriae argumentationes confirmantur, & aduerſariorum reprehenduntur. Verum, cum indignationi, & conqueſtioni iam dederit generale, atque commune praeceptum, quod ex attributis perſonae, uel negotio ſumi poſſunt, dat tamen ſingulis proprios locos: Indignationi quindecim, Conqueſtioni ſexdecim. Nec nos locorum ipſorum ordo moueat, quod in quoſdam numeros ordinantur. nulla etenim in ipſo ordine rerū auxeſis eſt: nullus gradus aut ad maius, aut ad minus: ſed iccirco locis ipſis numerus datus eſt, quia melius & tenentur ſaepe praecepta, nullamq. recipiunt confuſionem, ſi ad memoriam numeris collocentur. Quamquam indignationis primum locum recte ſumpſerit, quod ex rebus omnibus a nominibus traxit exordium: ſed, ut diximus, in hoc locorum numero, rerum ordinem nolo quaeramus, ſed ex more manifeſtioris praecepti factum eſſe meminerimus. Iam ipſi loci diligenter inſpicientibus manifeſti ſunt: ideſt res, quae praecipiuntur, facile perſpici poſſunt. Illud tamen praeceptum tenere debemus, ſiue in indignatione, ſiue in conqueſtione nos locis omnibus uti non oportere, ſed his, quos cauſſa ſuggerat: neque his omnibus, ſed quoad iudicantium animi moueantur. Quod ſi etiam uno aliquo loco factum uiderimus, orationem continuo finire debemus. ira enim, uel lacrymae, dum incipiunt, ac recentes ſunt, plurimum ualent.

CICERO

CONQVESTIO *eſt oratio auditorum miſericordiam captans. hac primum animum auditoris mitem, & miſericordem conficere oportet, quo facilius conqueſtione commoueri poſſit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos fortunae uis in omnes, & hominum infirmitas oſtenditur. qua ratione habita grauiter, & ſententioſe, maxime demittitur animus hominum, & ad miſericordiam comparatur, cum in alieno malo ſuam infirmitatem conſiderabit. Deinde primus locus eſt miſericordiae, per quem, quibus in bonis fuerint, & nunc quibus in malis ſint, oſtenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem, quibus in malis fuerint, & ſint, & futuri ſint, demonſtratur. Tertius, per quem unumquodque deploratur incommodum, ut in morte filij, pueritiae delectatio, amor, ſpes, ſolatium, educatio, & ſi qua ſimili in genere quolibet de incommodo per conqueſtionem dici poterunt. Quartus, per quem res turpes, & humiles, & illiberales proferentur, & indignae aetate, genere, fortuna, priſtino honore, beneficiis, quas paſſi perpeſſuri ue ſint. Quinctus eſt, per quem omnia ante oculos ſigillatim incommoda ponentur, ut uideatur is, qui audit, uidere, & re quoque ipſa, quaſi adſit, non uerbis ſolum ad miſericordiam ducatur. Sextus, per quem praeter ſpem in miſeriis demonſtratur eſſe, & cum aliquid exſpectaret, non modo id non adeptum eſſe, ſed in ſummas miſerias incidiſſe. Septimus, per quem ad ipſos, qui audiunt, ſimilem caſum conuertimus, & petimus, ut de ſuis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illi carus debeat eſſe, nos cum uideant, recordentur. Octauus, per quem aliquid dicitur eſſe factum, quod non oportuerit; aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: Non affui, non uidi, non poſtremam eius uocem audiui, non extremum eius ſpiritum excepi. Item: Inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter iacuit inſepultus; a feris diu uexatus, communi quoque honore in morte caruit. Nonus, per quem oratio ad mutas, & expertes animi res refertur: ut ſi ad equum, domum, ueſtem, ſermonem alicuius accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt, & aliquem dilexerunt, uehementer commouetur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, ſolitudo demonſtratur. Vndecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut ſui corporis ſepeliendi, aut alicuius eiuſmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem diſiunctio deploratur ab aliquo, cum deducaris ab eo, qui cum libentiſſime uixeris, ut a parente, filio, fratre, familiari. Tertius decimus, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab iis, a quibus minime conueniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus bene fecerimus, quos adiutores fore putauerimus, aut a quibus indignum eſt, ut ſeruis, libertis, clientibus, ſupplicibus. Quartus decimus, qui per obſecrationem ſumitur: in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili, & ſupplici oratione, ut miſereantur. Quinctus decimus, per quem non noſtras, ſed eorum, qui cari nobis debent eſſe, fortunas conqueri nos demonſtramus. Sextuſdecimus eſt, per quem animum noſtrum in alios miſericordem eſſe oſtendimus, & tamen amplum, & excelſum, & patientem incommodorum eſſe, & futurum, ſi quid acciderit, demonſtramus. nam ſaepe uirtus, & magnificentia, in qua grauitas, & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commouendam, quam humilitas, & obſecratio. Commotis autem animis, diutius in conqueſtione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, Lacryma nihil citius areſcit. Sed, quoniam & ſatis, ut uidemus, de omnibus partibus orationis diximus, & huius uoluminis magnitudo longius proceſſit, quae ſequuntur deinceps, in ſecundo libro dicemus.*

EXPLANATIO

CONQVESTIO *eſt oratio, auditorum miſericordiam captans*.] Diximus, conqueſtionis opus hoc eſſe, ut animos iudicantium ad miſericordiam moueat. Huic autem dat proprios locos ſexdecim: in quibus (ut diximus) non erit nobis ordo quaerendus, ſed quicumque locus ad miſericordiam conficiendam, pro negotij qualitate ſumendus. Hoc autem ſcire debemus, multos eſſe communes locos & indignationi, & conqueſtioni: & recte. neque enim iudex poteſt nobis praebere miſericor diam, niſi ira in aduerſarium conſequatur: aut iraſci poterit aduerſario, niſi in hoc ipſo nobis animum praebeat miſericordem.

IN M · TVLLII · CICERONIS DE · INVENTIONE LIBRVM · II

Commentarius

M. Fabij Victorini.

CICERO

CROTONIATAE *quondam, cum florerent omnibus copiis, & in Italiam cum in primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religioſiſſime colebant, egregiis picturis locupletare uoluerunt. itaque Heracleoten Zeuſim, qui tum longe ceteris excellere pictoribus exiſtimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. is & ceteras tabulas complures pinxit; (quarum non nulla pars uſque ad noſtram memoriam propter fani religionem remanſit) &, ut excellentem muliebris formae pulchritudinem muta in ſeſe imago contineret, Helenae ſe pingere ſimulacrum uelle dixit. quod Crotoniatae, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praeſtare ſaepe accepiſſent, libenter audierunt. putaueruut enim eum, ſi, quo in genere plurimum poſſet, in eo magnopere elaboraſſet, egregium ſibi opus illo in fano relicturum. neque tamen eos illa opinio fefellit. nam Zeuſis illico quaeſiuit ab eis, quaſnam uirgines formoſas haberent. illi autem ſtatim hominem deduxerunt in palaeſtram, atque ei pueros oſtenderunt multos magna praeditos dignitate. etenim quodam tempore Crotoniatae multum omnibus corporum uiribus, & dignitatibus anteſteterunt, atque honeſtiſſimas ex gymnico certamine uictorias domum cum maxima laude retulerunt. Cum puerorum igitur formas, & corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt illi, ſorores ſunt apud nos uirgines. quare, quae ſint illae dignitate, potes ex his ſuſpicari. Praebete igitur mihi quaeſo, inquit, ex iſtis uirginibus formoſiſſimas, dum pingo id, quod pollicitus ſum uobis, ut mutum in ſimulacrum ex animali exemplo ueritas transferatur. Tunc Crotoniatae publico de conſilio uirgines unum in locum conduxerūt, & pictori quas uellet eligendi poteſtatem dederunt. ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetae memoriae tradiderunt, quod eius eſſent iudicio probatae, qui uериſſimum pulchritudinis habere iudicium debuiſſet. neque enim putauit omnia, quae quaereret ad uenuſtatem, uno in corpore ſe reperire poſſe, ideo quod nihil ſimplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expoliuit. itaque, tamquam ceteris non ſit habitura quod largiatur, ſi uni cuncta conceſſerit, aliud alij commodi aliquo adiuncto incommodo muneratur. quod quoniam nobis quoque uoluntatis accidit, ut artem dicendi perſcriberemus; non unum aliquod propoſuimus exemplum, cuius omnes partes, quocumque eſſent in genere, exprimendae nobis neceſſario uiderentur; ſed, omnibus unum in locum coactis ſcriptoribus, quod quiſque commodiſſime praecipere uidebantur, excerpſimus, & ex uariis ingeniis excellētiſſima quaeque libauimus. ex iis enim, qui noĩe, & memoria digni ſunt, nec nihil optime, nec omnia praeclariſſime quiſquam dicere nobis uidebatur. quapropter ſtultitia nobis uiſa eſt, aut a bene inuentis alicuius recedere, ſi quo in uitio eius offenderemur; aut ad uitia quoque eius accedere, cuius aliquo bene praecepto duceremur. Quod ſi in ceteris quoque ſtudiis a multis eligere homines commodiſſimum quodque, quam ſeſe uni alicui certo uellent adiicere; minus in arrogantiam offenderent, non tantopere in uitiis perſeuerarent, aliquanto ex inſcitia leuius laborarent.*

EXPLA-

EXPLANATIO

CRotoniatae *quondam cum florerent omnibus copijs, & in Italia cum in primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religioſiſſime colebant, egregijs picturis locupletare uoluerunt.*] Omnis praefatio quaſi ſimilitudo eſt ante id, quod dicturi ſumus. Ita in ea ſemper ſimilitudo captanda eſt: quamquam ſaepe ad hoc deducitur, ut ſimilitudo tollatur. Vnde, ſiue ſimilitudo futura eſt, ſiue non, in eo, ad quod praefatio praeparatur, animaduertendum ſemper eſt, utrum in toto ſimilitudo praefationis paretur, an in partibus, an in parte. frequenter enim cuncta conueniunt: frequenter diuerſis in præfatione poſitis, cum ea re, ad quam praefatio ducitur, quaedam in praefatione ſimilitudo confertur. Hic ad quod ducitur praefatio illud eſt, Ex multis artium ſcriptoribus electa multa, & ad unam quam ſcripſit artem, quo pulchrior redderetur, praecepta ex multis multa collecta. Huic igitur rei praefatio illa eſt, Zeuxim pictorem nobilem, Helenae ſimulacrum pinxiſſe: ſed eum, conductis, & in unum uocatis quinque uirginibus, quidquid eſſet pulcherrimum, delegiſſe. Hoc ut perſpici licet, in ſumma conuenit: quia hic & ille multa de multis. Verum praefert Tullius opus ſuum, quod magis multa ipſe. ſiquidem praeteriti temporis ſcriptores, & praeſentis, in iudicio habuit: & non unius ciuitatis, nec unius linguae: quippe cum & Graecos & Latinos. At uero Zeuxis ex una ciuitate & ipſius temporis eligendi habuit facultatem. *Crotoniatae quondam cum florerent*: Si partibus conductis tota conueniunt, pulchra ſemper, & praecipua dicetur eſſe praefatio. Crotoniatae, Romani ſunt. Cum florerent omnibus copiis, Romanis conuenit. Item conuenit, Et in Italia cum in primis beati numerarentur. Iunonis uero templum quod locupletare egregiis picturis uoluerunt: ſic & eloquentiae, uel facundiae templum. Zeuxis, & Tullius. Cum multa dicendi genera ſint, ut inter picturas multas Helena, ita inter ceteras dictiones eminet ſemper oratoria: &, ut Zeuxis in pingendis femineis uultibus ſummus, ita in orationibus Tullius. Pinxit Zeuxis multa, quae uſque ad noſtram memoriam manent: ſaecula poſteriora tenent, quidquid pinxit oratio Tulliana. Zeuxis Helenae ſe ſimulacrum pingere uelle dixit: non enim Helenam, ſed ſimulacrum fuerat traditurus: ita Tullius ſcribendo artes, non orationes, non ipſam eloquentiam, ſed ſimulacrum eloquentiae fuerat traditurus: hoc conuenit: & illa ſententia, Quod ex animali exemplo mutum in ſimulacrum ueritas transferebatur. Mutum ſimulacrum eloquentiae, ars eius: ipſa autem eloquentia quaſi animal. Ita pro parte poterit ei rei, ad quam confertur praefatio, conuenire, relicto eo, quod poſtea praeponitur. Quod cum Tullius ex omnibus multa quaeſierit, & omni tempore, Zeuxis ex una ciuitate, & uno tempore comparauit.

C I C E R O

AC, ſi par in nobis huius artis, atque in illo picturae, ſcientia fuiſſet; fortaſſe magis hoc ſuo in genere opus noſtrum, quam ille in ſua pictura nobilis eniteret. ex maiore enim copia nobis, quam illi, fuit exemplorum eligendi poteſtas. ille una ex urbe, & ex eo numero uirginum, quae tum erant, eligere potuit: nobis omnium, quicumque fuerunt ab ultimo principio huius praeceptionis uſque ad hoc tempus, expoſitis copijs quodcumque placeret, eligendi poteſtas fuit. Ac ueteres quidem ſcriptores artis, uſque ab principe illo, atque inuentore Tiſia repetitos, unum in locum conduxit Ariſtoteles, & nominatim cuiuſque praecepta magna conquiſita cura perſpicue ſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit; ac tantum inuentoribus ipſis ſuauitate & breuitate dicendi praeſtitit, ut nemo illorum praecepta ex ipſorum libris cognoſcat; ſed omnes, qui, quod illi praecipiant, uelint intelligere, ad hunc, quaſi ad quendam multo commodiorem explicatorem reuertantur. Atque hic quidem ipſe & ſeſe ipſum nobis, & eos, qui ante ſe fuerant, in medio poſuit, ut ceteros, & ſe ipſum per ſe cognoſceremus. Ab hoc autem qui profecti ſunt, quamquam in maximis philoſophiae partibus operae plurimum conſumpſerunt, ſicut & ipſe, cuius inſtituta ſequebantur, fecerat: tamen permulta nobis praecepta dicendi reliquerunt. Atque alij quoque alio ex fonte praeceptores dicendi emanauerunt, qui item permultum ad dicendum, ſi quid ars proficit, opitulati ſunt. nam fuit tempore eodem, quo Ariſtoteles, magnus & nobilis rhetor Iſocrates: cuius ipſius quam conſtet eſſe artem, non inuenimus. Diſcipulorum autem, atque eorum, qui protinus ab hac ſunt diſciplina profecti, multa de arte praecepta reperimus. Ex his duabus diuerſis, ſicuti familiis, quarum altera cum uerſaretur in philoſophia, non nullam rhetoricae quoque artis ſibi curam aſſumebat, altera uero omnis in dicendi erat ſtudio, & praeceptione occupata; unum quoddam eſt conflatum genus a poſterioribas, qui ab utriſque ea, quae commode dici uidebantur, in ſuas artes contulerunt: quos ipſos ſimul atque illos ſuperiores nos nobis omnes, quoad facultas tulit, propoſuimus, & ex noſtro quoque nonnihil in commune contulimus. Quod ſi ea, quae in his libris exponuntur, tantopere eligenda fuerunt, quanto ſtudio electa ſunt: profecto neque nos, neque alios induſtriae noſtrae paenitebit. ſin autem temere aliquid alicuius praeteriiße, aut non ſatis eleganter ſecuti uidebimur, docti ab aliquo, facile, & libenter ſententiam commutabimus. non enim parum cognoſſe, ſed in parum cognito ſtulte, & diu perſeueraſſe turpe eſt: propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum ſingulari unicuiuſque uitio eſt attributum. Quare nos quidem ſine ulla affirmatione ſimul quaerentes dubitanter unumquodque dicemus, ne, dum paruulum hoc conſequimur, ut ſatis commode haec perſcripſiſſe uideamur, illud amittamus, quod maximum eſt, ut ne cui rei temere, atque arroganter aſſenſerimus. Verum hoc quidem nos & in hoc tempore, & in omni uita ſtudioſe, quoad facultas feret, conſequemur: nunc autem, ne longius oratio progreſſa uideatur, de reliquis, quae praecipienda uidentur eſſe, dicemus.

EXPLANATIO

AC *ſi par in nobis, &c.*] Finito praefationis uno genere, ſimilitudinis ſcilicet: nunc praelationem, quae etiam ipſa in praefatione facienda eſt, incipit dicere. EXEMPLORVM *eligendi poteſtas*.] Ideo hoc opus eſſe poſſe melius. PRINCIPE *illo, atque inuentore Tyſia*.] Corax, & Tyſia artes primi oratorias apud Graecos ſcripſiſſe dicuntur. SICVT *& ipſe, cuius inſtituta ſequebantur, fecerat*.] Gloria Xenocratis philoſophi motus Ariſtoteles, philoſophiam exercuit: gloria Iſocratis motus, rhetoricae praecepta conſcripſit. ARTIS *ſibi curam aſſumebat*.] Voluit enim Ariſtoteles propter Iſocratem, cum philoſopus eſſet, etiã praecepta dicendi tradere. ALTERVM *communi hominum infirmitati, alterum ſingulari*.] Non intelligere, omnium poteſt eſſe, & eſt uitium commune. Singulare uitium eſt, ut cum non intelligat, in eo, quaſi intelligat, perſeueret. HAEC *commode perſcripſiſſe uideamur*.] Ideſt, ut praecepta commode tradidiſſe uideamur. ARROGANTER *aſſenſerimus*.] Hoc enim magnum uitium, temere aſſenſiſſe.

CICERO

IGITVR *primus liber, expoſito genere huius artis, & officio, & fine, & materia, & partibus, genera controuerſiarum, & inuentiones, & conſtitutiones continebat; deinde partes orationis, & in eas omnes omnia praecepta. Quare, cum in eo ceteris de rebus diſtinctius dictũ ſit, diſperſe autem de confirmatione, & de reprehenſione: nunc certos confirmandi, & reprehendendi in ſingula cauſſarum genera locos tradendos arbitramur. Et, quia, quo pacto tractari conueniret argumentationes, in libro primo non diligenter expoſitum eſt; hic tantum ipſa inuenta unamquamque in rem exponentur ſimpliciter ſine ulla exornatione, ut ex hoc inuenta ipſa, ex ſuperiore autem expolitio inuentorum petatur. Quare haec, quae nunc praecipientur, ad confirmationis, & reprehenſionis partes referre oportebit.*

OMNIS *& demonſtratiua, & deliberatiua, & iudicialis cauſſa neceſſe eſt in aliquo eorum, quae ante expoſita ſunt, conſtitutionis genere, uno, pluribus ue uerſetur. Hoc quamquam ita eſt, tamen, cum communiter quaedam de omnibus praecipi poſſint, ſeparatim quoque aliae ſunt cuiuſque generis, & diuerſae praeceptiones. aliud enim laus, aut uituperatio, aliud ſententiae dictio, aliud accuſatio, aut recuſatio conficere debet. In iudiciis, quid aequum ſit, quaeritur. In demonſtrationibus, quid honeſtum. In deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honeſtum ſit, & quid utile. Nam ceteri utilitatis modo finem in ſuadendo, & in diſſuadẽdo exponi oportere arbitrati ſunt. Quorum igitur generum fines, & exitus diuerſi ſunt, eorum praecepta eadem eſſe non poſſunt. Neque nunc hoc dicimus, non eaſdem incidere conſtitutiones: uerumtamen oratio quaedam ex ipſo fine & genere cauſſae naſcitur, quae pertineat ad uitae alicuius demõſtrationem, aut ad ſententiae dictionem. Quare nunc in exponendis controuerſiis in iudiciali genere cauſſarum, & praeceptorum uerſabimur. Ex quo pleraque in cetera quoque cauſſarum genera ſimili implicita controuerſia nulla difficultate transferentur: poſt autem ſeparatim de reliquis dicemus.*

EXPLANATIO

IGITVR *primus liber, expoſito genere huius artis, & officio, & fine, & materia, & partibus, genera controuerſiarum, & inuentiones, & conſtitutiones, & iudicationes continebat*.] Propoſiturus, quid dicendum ſit in ſecundo libro, prius enumerat, quid in primo dixerit de genere artis, officio, de fine, de materia, de partibus, de inuentione, & eius conſtitutionibus, ceteriſq. rebus. Item de partibus orationis: quas cum pleno praeceptorum genere compleuerit, confirmationem, & reprehenſionem non ad cauſſarum ſpecies, ſicut oportuerat, applicauit. dedit enim praeceptum quomodo in omni cauſſarum genere argumentandum ſit. ergo nunc ad ſpecies applicata argumentatione, dicturum ſe pollicetur: ita tamen, ut non de expolitione argumentationis, quae in primo pleniſsime tractata eſt, ſed de argumentis loquatur in unoquoque genere cauſſarum: ideſt in coniectura, fine, qualitate, tranſlatione, & ceteris his incidentibus. Et potuit quidem hoc eſſe contentus, ut ſpecialiter de conſtitutionibus diceret in quocumque genere cauſſarum, quae eſſent confirmandi praecepta, quae reprehendendi. Verum, quoniam ipſa quoque genera cauſſarum, propter ſuos fines diuerſos, diuerſa praecepta deſiderant, cum iudicialis habeat aequitatẽ, demonſtratio honeſtatem, deliberatio honeſtatem, & utilitatem: confirmandi, & reprehendendi praecepta, quae ſint in conſtitutiones ſingulas, diuiſit in iudiciali genere cauſſarum: in poſtrema libri parte de deliberatione, & demonſtratione, propter fines proprios aliqua tractaturus. Expoſito genere, Quod eloquentia, magna & ampla pars eſt ciuilis cuiuſdam quaeſtionis. Officium eius artis, eſt dicere appoſite ad perſuadendum. Finis, Perſuadere, dictione. Materia, quod ὑπόθεσις ſit. Non autem omnia, ut omnia, ut uoluit Gorgias Leontinus: aut etiam θέσις, ut uoluit Hermagoras. Partibus, Inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio. Genera controuerſiarum: ideſt genera cauſſarum, Iudiciale, deliberatiuum, demonſtratiuum. Inuentiones: nam de quinque partibus orationis, ſolam inuentionem tractat: deinde partes orationis, Exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehenſionem, concluſionem: quo pacto tractari conueniret argumentationes, ſyllogiſmum, & inductionem. Hic tantum ipſa inuenta, ideſt argumenta ipſa, non expolitionem, aut ſententiae dictionem. Conſtitutiones omnes iudiciali in genere cauſſarum tractabuntur.

CICERO

NVNC a coniecturali conſtitutione proficiſcemur, cuius exemplum ſit hoc expoſitum. In itinere quidam proficiſcentem ad mercatum quendam, & ſecum aliquantum nummorum ferentem, eſt comitatus: cum hoc, ut fere fit, in uia ſermonem contulit: ex quo factum eſt, ut illud iter familiariter facere uellent. Quare, cum in quandam tabernam diuertiſſent, ſimul cenare, & in eodem loco ſomnum capere uoluerunt. Cenati diſcubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur poſt inuentum, cum in alio maleficio deprehenſus eſſet) cum illum alterum, uidelicet qui nummos haberet, animaduertiſset, noctu, poſtquam illos arctius, ut fit, iam ex laſſitudine dormire ſenſit, acceſſit, & alterius eorum, qui ſine nummis erat, gladium propter appoſitum e uagina eduxit, & illum alterum occidit, nummos abſtulit, gladium cruentum in uaginam recondidit, ipſe ſeſe in lectum ſuum recepit. Ille autem, cuius gladio occiſio erat facta, multo ante lucem ſurrexit, comitem illum ſuum inclamauit ſemel & ſaepius: illum ſomno impeditum non reſpondere exiſtimauit: ipſe gladium, & cetera, quae ſecum attulerat, ſuſtulit: ſolus profectus eſt. Caupo non multo poſt conclamauit hominem eſſe occiſum, & cum quibuſdam diuerſoribus illum, qui ante exierat, conſequitur: in itinere hominem comprehendit, gladium eius e uagina educit, reperit cruentum, homo in urbem ab illis deducitur, ac reus fit. In hac intentio eſt criminis, occidiſti. Depulſio, Non occidi. Ex quibus conſtitutio eſt. Quaeſtio eadẽ in coniecturali, quae iudicatio, Occiderit ne. Nunc exponemus locos, quorũ pars aliqua in omnem coniecturalem incidit controuerſiã. Hoc autem & in horũ locorũ expoſitione, & in ceterorũ oportebit attendere non omnes in omnẽ cauſſam conuenire. ut enim omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus litteris ſcribitur: ſic omnem in cauſſam non omnis argumentorum copia, ſed eorum neceſſaria pars aliqua conueniet.

EXPLANATIO

NVNC a coniecturali exemplo proficiſcemur, cuius exemplum ſit hoc expoſitum.] Secundus liber confirmationem, & reprehenſionem ipſis conſtitutionibus applicauit: cum primus liber generaliter omnem materiã omnibus dederit. Ac primo de coniectura proponit exemplũ, non ipſum exemplũ tractaturus: quoniam in exemplo nõ omnia ineſſe poſſunt, quae cadunt in coniecturam. Omnia enim exempla, quae in coniecturam ueniunt, uel uenire poſſunt, praecipienda fuerant. In argumentis ergo de coniectura erit praeceptio: quia exinde in thema quodlibet coniecturale, quod neceſſarium fuerit, facile poterit deuocari. Hoc autem fieri a Tullio intelligamus, etiam in omnibus conſtitutionibus, ut exemplum cuiuſlibet conſtitutionis det: non tamen ipſum tractet exemplum. Propoſito itaque exemplo coniecturali ſecundum praecepta primi libri, docet quae ſit intentio, quae depulſio: ex quibus duobus, quae ſit conſtitutio: deinde admonet quod in coniectura non conceditur, eademque quae quaeſtio eſt, ipſa iudicatio, Occideritne. In coniectura enim factum non conceditur: unde non poteſt ex deductione rationis, & refutatione naſci poſt quaeſtionem primam alia quaeſtio, quae dicitur iudicatio. Subiungit poſt admonitionem, dare ſe praecepta huic conſtitutioni, & argumentorum locos omnes coniecturae conuenientes: ex quibus in quamlibet coniecturam, qui neceſſarij fuerint, deuocabuntur. Sunt igitur coniecturae loci hi principales, A cauſſa, a perſona, a facto. A cauſſa eſt quamobrem fiat aliquid, & quae parit uoluntatem. de cauſſa enim loquitur hominis, non rei: qua cauſſa uolumus probare, quod uoluit facere is, cui intenditur factum. Perſona autem omnis illa eſt, quae feciſſe dicitur: hoc eſt ſola ex omni uita per attributa perſonis ſumpta approbatio ad id, quod intenditur factum. At uero a facto probationes habebunt facta illa omnia, quae probant factum illud, unde iudicium eſt. nam factum tria ſignificat: Eſt factum uitae praeteritae, quod perſonam probat: Eſt factum & illlud, quod intenditur, ipſum illud, quod dicitur: igitur occidiſti: Eſt factum tertium, hoc quod tribuit argnmentum ad factum illud, unde iudicium eſt: ut Tranſiſti, clamaſti: quibus probatur Occidiſti. Hoc ergo ultimum eſt, quod dixit A facto: quod ipſum perſpicietur in tribus illis, Ante negotium, in negotio, poſt negotium: ſimul, cum ſuis, per quae ſe explicant facta: Loco, tempore, modo, occaſione, facultate. Ergo haec tria ſunt, quae coniecturae ſuggerunt argumenta, Cauſſa, perſona, factum.

CICERO

OMNIS *igitur ex cauſſa, ex perſona, ex facto ipſo coniectura capienda eſt.*

EXPLANATIO

OMNIS *igitur ex cauſſa, ex perſona, ex facto ipſo coniectura capienda eſt.*] Omnis hic locus a cauſſa, ſiue impulſionis, ſiue ratiocinationis, coniecturae maximum eſt fundamentum: non, quod cum cauſſa ſit, continuo & facinus comprobetur: ſed, quoniam facinus nullum eſt, quod non ante cauſſa praeceſſerit. Supponit deinde locos, quibus accuſator utitur, cum aſſerit impulſione aliquid eſſe factum. Ex quibus primus eſt amplificatio eius rei, quae impulſionem pariat. Deinde approbatio, quid ex ea fiat, per exempla: ut Amore ſe interfecit. Tertio loco comparationem facimus: & declarata impulſione, euentum eius cauſſae fuiſſe concludimus. His tribus locis accuſator utitur in impulſione. In ratiocinatione uero hi ſunt, quos nunc dicam, Demonſtratione, quid petierit, quid fugerit. Augmento, quanta res ſit, quam appetierit, aut fugerit. Praeter haec duo, immo in his duobus etiam illud accuſator conſiderare debebit, Ne forte iſta, quae ſecutus fuerit, aut fugerit, in opinione tantum habuerit reus; neque conſecutus ſit commoditatem, neque illum malum

fugerit:

fugerit: ſed dicendum eſt ei ita fuiſſe uiſum, quia arguitur, & ſit ſua opinione deceptus. Opinio autem dupliciter decipit, Modo dum rem aliter putat, atque eſt eadem res. Modo dum aliter euenit, quam putauit. Res fallit, ſi mala creditur, cum bona ſit: uel contra, uel neutrum, uel utrumque. Ergo, cum hoc intelligi poſsit, quod opinio fallit homines, tum in re, tum in euentu, cum in re reus uti hac coeperit forte defenſione, Non ſibi antiquiorem fuiſſe pecuniam uita, aut fratris, aut amici: accuſator debet uerum argumentum concedere: eſt enim credibile: ſed confirmare debebit, hoc ei, qui arguitur, non ita uiſum fuiſſe: & hoc approbare ex attributis perſonae, non hanc illum habuiſſe opinionem, ſed illam potius habuiſſe quod talis eſt, quod ſcilicet perſonae eſt. Sic argumentabitur accuſator de eo, cuius opinio falſa eſt in re. Cum autem euentus fallit, quod accidit: exempli modo, Cum aliquis miſſo telo alterum interficit: ut in ſcholae controuerſiis. Vt uero in cauſsis forenſibus, Cum quis eum dicatur necaſſe, cuius heres non ſit, ſed tamen ſperarit haeredem: accuſatoris locus eſt, cogitationem ſpectari debere, non euentum. Et haec de ratiocinatione. In cauſſa autem omni, ſiue impulſione, ſiue in ratiocinatione laborandum eſt, fuiſſe illis poteſtatem, aut facultatem, aut uoluntatem. Poteſtas eſt, qua poſſe oſtenditur. Facultas eſt, qua adiutores, & cetera demonſtratur. Voluntas eſt, qua uelle, uel uoluiſſe aliquid declaratur. Ita aliud erit uoluntas, aliud cauſſa, ſiue impulſione, ſiue ratiocinatione: illae enim efficiuut uoluntatem, non autem, quod efficitur, hoc eſſe debet quod eſt illud, quod efficit. Nam ſaepe & cauſſae ſunt, & deeſt uoluntas: quae probari poteſt, uel fuiſſe, uel nō fuiſſe: tametſi cauſſa praeceſsit. Hoc ex perſonae potius attributis confirmabitur: quibus talis doceatur, ut potuerit cauſsis commoueri. Haec igitur accuſator dicet, & cum uolet alios defendere, quibus fuiſſe cauſſa faciendi declarabitur. Deinde adiunget etiam alios locos, quos defenſori Tullius dabit ad ſe purgandum: quibus locis utetur (ſicuti diximus) accuſator, cum defendet alios: ſed hoc breui faciet. illlorum enim defenſione alterum alius uult accuſare, non ipſos oſtendere innocentes. Ita in maiore eſſe actu non poteſt, quod alteri proficit. Omnis igitur ex cauſſa, ex perſona, ex facto ipſo coniectura capienda eſt, quae parit uoluntatem uelle, uel uoluiſſe: ideſt cauſſa, qua quid ortum ſit, oſtendimus. Attributum perſonae, ideſt perſona. Attributa autem negotio, ideſt, quod ait, Facto. Cauſſa tribuitur in impulſionem, & in ratiocinationem. Ratio ſcilicet non ratiocinationem illam, ut ſupra legimus, ſyllogiſmi: ut amor, iracundia, aegritudo. Inter iracūdiam, & iram hoc intereſt: Quod iracundia perpetua eſt, ira ad tempus ſucipitur. Atque hoc fit, ut iracundia ſit impulſio: ira, ratiocinatio: ut Odio quis iratus, uel metu occidiſſe dicatur: quod eſt ratiocinationis. Ceterum iracundum eſſe, quia ſemper ad impulſionem eſt, dicimus, quae propter talem naturam admiſſum facinus poſsit oſtendere. Aegritudinem uero morbum animi poſuit, non corporalem. In *quibus aut commodi aliquid maioris adipiſcendi cauſſa, aut maioris uitandi incommodi ſuſcipitur.*] Vt aliquid commodi ſuſcipiatur propter duas res, uel ut maius aliquod commodum conſequamur, uel ut maius incommodum deuitemus. Hic *locus ſit aliquod, &c.*] Ideſt cauſſa, niſi aliquid quare factum ſit, oſtenditur: quid ſit cauſſa, quae parit uoluntatem ſiue per impulſionem, ſiue per ratiocinationem. Ergo *accuſator, cum aliquid impulſione factum eſſe dicet,*] Locis confirmationis a cauſſa per impulſionem primo datis, redit ad reprehenſionis modos. Qui *ſimili impulſu aliquid commiſerint, & ſimilitudinum collatione.*] Vt applices exemplum, & doceas ſimile comparando. Et *ipſius animi affectionis explicatione curandum eſt.*] Vt ipſius affectionis, hoc eſt rei, ſit explicatio. Vt *non mirum uideatur, ſi quod ad facinus tali perturbatione commotus animus acceſſerit.*] Ideſt, ut ueriſimile probet, & per exemplum, & per explicationem animi. Vt *quoad eius fieri poſſit.*] Quantum in hac re fieri poſſet. Quid *in opinione eius, quem arguet, fuerit.*] Vt non ſolum, quid conſecutus ſit, uerum etiam quid ſperauerit. Si *oſtendi poteſt ei uiſum eſſe, qui arguatur,*] Vt uoluntatem criminetur, etiam ſi effectus defuit: ut ex eo cauſſam habuerit, quia timuit, quia ſperauit, etiam ſi nihil aut commodi, aut incommodi acceperit.

C I C E R O

Caussa *diſtribuitur in impulſionem, & in ratiocinationem. Impulſio eſt, quae ſine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, aegritudo, uinolentia, & omnino omnia; in quibus animi ita uidetur affectus fuiſſe, ut rem perſpicere cum conſilio, & cura non potuerit; & id, quod fecit, impetu quodam animi potius, quam cogitatione fecerit. Ratiocinatio autem eſt diligens, & conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur tum interfuiſſe, cum aliquid faciendum, aut non faciendum certa de cauſſa uitaſſe, aut ſecutus eſſe animus uidetur, ut, ſi amicitiae quid cauſſa factum dicetur, ſi inimici ulciſcendi, ſi metus, ſi gloriae, ſi pecuniae, ſi denique, ut omnia generatim amplectamur, alicuius retinendi, augendi, adipiſcendi ue commodi, aut contra reiiciendi, deminuendi, deuitandi ue incommodi cauſſa. Nam horum in genus alterutrum illa quoque incident, in quibus aut incommodum aliquod, maioris uitandi incommodi cauſſa, aut maioris adipiſcendi commodi, ſuſcipitur: aut commodum aliquod, maioris adipiſcendi commodi, aut maioris uitandi incommodi, praeteritur. Hic locus ſicut aliquod fundamentum eſt huius conſtitutionis: nam nihil factum eſſe cuiquam probatur, niſi aliquid, quare factum ſit, oſtenditur. Ergo accuſator, cum aliquid impulſione factum eſſe dicet, illum impetum, & quandam commotionem animi, affectionemq. uerbis, & ſententiis amplificare debebit, & oſtendere quanta uis amoris ſit, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat, aut ex aliqua cauſſa earum, qua impulſum aliquid feciſſe dicet. Hic & exemplorum commemoratione, qui ſimili impulſu aliquid commiſerint, & ſimilitudinum collatione, & ipſius animi affectionis explicatione curandum eſt, ut non mirum uideatur, ſi quod ad facinus tali perturbatione commotus animus acceſſerit. Cum autem non impulſio-*

ne, uerum ratiocinatione aliquem commiſiſſe, quid dicet, quid commodi ſit ſecutus, aut quid incommodi fugerit, demonſtrabit, & id augebit quammaxime poterit, ut, quoad eius fieri poſſit, idonea quammaxime cauſſa ad peccandum hortata uideatur. Si gloriae cauſſa, quantam gloriam conſecuturam exiſtimarit. Item ſi dominationis, ſi pecuniae, ſi amicitiae, ſi inimicitiarum, & omnino quidquid erit, quod cauſſae fuiſſe dicet, id ſummae augere debebit. Et hoc eum magnopere conſiderare oportebit, non quid in ueritate modo, uerum etiam uehementius, quid in opinione eius, quem arguet, fuerit. nihil enim refert non fuiſſe, aut non eſſe aliquid commodi, aut incommodi, ſi oſtendi poteſt ei uiſum eſſe, qui arguatur.

EXPLANATIO

CAVSSA *diſtribuitur in impulſionem, & ratiocinationem.*] Impulſio motum habet repentinum, non uoluntarium, ut amor, uinolentia: & omnino omnia huiuſmodi, quae ueniam merentur, ſi confiteatur idipſum, quod feciſſe arguitur. nam, ſi negat, argumenta ſunt a cauſſa: ut ſit, Feciſti, quia uinolentus fuiſti. Feciſti, quia amore feciſti. Feciſti, quia iracūdus es. quibus cauſsis probatur facere potuiſſe, quod negat. Ratiocinatio autem cauſſa eſt etiam ipſa uoluntatis: haec ratione, faciendi fuiſſe oſtendit uoluntatem, aut nō faciendi: quae ſumitur ex ratiocinatione, uel boni, uel mali, ſiue iam praeteriti boni, ſiue futuri pariter mali, uel praeteriti, uel futuri. Quod nos diximus malum, uel bonum, ideſt, ut gloriae cauſſa, ut amicitiarum, ut inimicitiarum ulciſcendarum, & metus, & pecuniae. His igitur commodis, uel incōmodis, hos gradus dat primos. Commodi retinendi, utique quod haberet augendi, deinde adipiſcendi id, utique eſt, quod non habebat. Contra incommodi reiiciendi pariter, & id, quod habebat imminuendi, deuitandi utique, quod futurum erat. Ita tria haec tribus ſuperioribus reſpondent, Commodis incommoda, illic retinendi, hic reiiciendi: illic augendi, hic minuendi: illis adipiſcendi, hic deuitandi: quibus etiam illa accident, Vt aliquid commodi ſumamus, uel ut maius commodum conſequamur, uel ut maius incommodum uitemus: aut rurſum, Vt commodum aliquod praetereamus, uel ut maius commodum adipiſcamur, uel ut maius incommodum deuitemus. Nam & ſuſcipi commodum paruum poteſt, ut maius aliquod commodum conſequamur, uel incommodum maius uitetur: & rurſus commodum contemni poteſt, uel ut maius aliquod commodum conſequatur, uel ut maius incommodum uitetur: & rurſus rerum commodum contemni poteſt: ut Leno contentus fuit ſine lucro meretricem dare, ne ab Aeſchino uerberaretur. & uelut in Verrinis accipi poteſt, Malo non habere, quam rogare. Rurſus contempto commodo, ſuſcipi maius incommodum poteſt: ut Terentianum illud eſt in ſuaſione, Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum. Quaeſtio uero eadem coniecturalis eſt, quae & iudicatio: quia ratio deeſt: non enim factum in confeſsione eſt. Ideo eadem erit iudicatio, quae quaeſtio. ET *in horum locorum,*] Quae coniecturalia ſunt. Et in ceterorum, ideſt ceterarum conſtitutionum. Conuenire, ſcilicet locos.

CICERO

NAM opinio dupliciter fallit homines; cum aut res aliuſmodi eſt, ac putatur; aut non is euentus eſt, quem arbitrati ſunt. Res aliuſmodi eſt tum, cum aut id, quod bonum eſt, malum putant: aut contra, quod malum eſt, bonum: aut quod nec malum eſt, nec bonum, malum, aut bonum: aut quod malum, aut bonum eſt, nec malum, nec bonum. Hoc intelligo, ſi quis negabit ullam eſſe pecuniam fratris, aut amici uita, aut denique officio ſuo antiquiorem, aut ſuauiorem, non erit hoc accuſatori negandum. nam in eum culpa, & ſummum odium transferetur, qui id, quod tam uere & pie dicetur, negabit, Verum illud dicendum erit, illi non eſse ita uiſum: quod ſumi oportet ex iis, quae ad perſonam pertinent: de quo poſt dicendum eſt. Euentus autem tum fallit, cum aliter accidit, atque ij, qui arguuntur, arbitrati eſſe dicuntur: ut, ſi quis dicatur alium occidiſſe, ac uoluerit; quod aut ſimilitudine, aut ſuſpicione, aut demonſtratione falſa deceptus ſit: aut eum necaſſe, cuius teſtamento non ſit heres; quod eius teſtamento ſe heredem arbitratus ſit. non enim ex euentu cogitationem ſpectari oportere, ſed, qua cogitatione, & ſpe ad maleficium profectus ſit, conſiderare: &, quo animo quid quiſque faciat, non quo caſu utatur, ad rem pertinere. In hoc autem loco, caput illud erit accuſatori, ſi demonſtrare poterit, alij nemini cauſſam fuiſſe faciendi. Secundarium, ſi tantam, aut tam idoneam nemini. Sin fuiſſe alij quoque cauſſa faciendi uidebitur: aut poteſtas aliis defuiſſe demonſtranda eſt, aut facultas, aut uoluntas. Poteſtas, ſi aut neſciſſe, aut non affuiſſe, aut conficere aliquid non potuiſſe dicitur. Facultas, ſi ratio, adiutores, adiumenta, & cetera, quae ad rem pertinebunt, defuiſſe alicui demonſtrabuntur. Voluntas, ſi animus a talibus factis uacuus, & integer eſſe dicetur. Poſtremo, quas ad defenſionem rationes reo dabimus, iis accuſator ad alios ex culpa eximendos abutetur. Verum id breui faciendum eſt, & in unum multa ſunt conducenda, ut ne, alterius defendendi cauſſa, hunc accuſare, ſed huius accuſandi cauſſa defendere alterum uideatur. Atque accuſatori quidem haec fere ſunt in cauſſa facienda, & conſideranda.

EXPLANATIO

NAM *opinio dupliciter fallit homines.*] Opinio fallit in re, cum opinio uera non eſt, & errat ab eo, quod in uero eſt: ut cum res mala ſit, bona credatur, uel contra. Euentus fallit opinionem, cum opinio quidem uera eſt, ſed eam interueniens caſus decipit: ut cum res bona eſt, & bona creditur, ſed aliquo caſu in malum uertitur. Iam in cauſſa ipſa hoc modo poſſumus dicere, ideſt ut dicamus, Ideo occidiſti, quia te heredem

fore

fore putaſti : licet ille alium heredem fecerit. Ita ſemper in opinione eſt: & euentus fallit,& res,cum aut aliuſmodi eſt,quam creditur : aut aliter creditur,quam putatur prouenire habuiſſe. AVT *non is euentus eſt, quē arbitrati ſunt.*] Cum aut ipſa res qualis ſit ignoratur : aut cum res certa fuerit, aliter eueniat, quam putatum eſt. Aut id,quod bonum eſt,malum putant,& reliqua. HOC *intellecto,*] Quod homines impellantur non ſola ratiocinatione uera rerum,uerum etiam falſa : hoc intellecto, quod fefellit illum res. ILLI *non eſſe ita ita uiſum.*] Vt,quamuis uerum ſit,quod dicatur,ipſi tamen non fuerit iſta ſententia. EX *iis, quae ad perſonam pertinent.*] Attributa perſonae,quae probant perſonam. VT *ſi quis dicatur alium occidiſſe, ac uoluerit.*] Exemplum ad euentum falſum probandum poſuit, non ad probationem cauſſae per coniecturam. AVT *eum necaſſe,cuius teſtamento non ſit heres.*] Exemplum in cauſſa. NON *quo caſu utatur, ad rem pertinere.*] ἔκβασις, ideſt euentus,accidentia, effectus, caſus. POTESTAS, *ſi aut neſciſſe, aut non affuiſſe, & reliqua.*] Non fuit neceſſe facere,etiam ſi cauſſa uendendi propter aes alienum,non tamen neceſsitas, ut deos patrios uenderet.

CICERO

DEFENSOR autem ex contrario primum impulſionem aut nullam fuiſſe dicet,aut, ſi fuiſſe concedet, extenuabit, & paruulam quondam fuiſſe demonſtrabit, aut non ex ea ſolere huiuſmodi facta naſci docebit. Quo erit in loco demonſtrandum, quae uis,& natura eius ſit affectionis,qua impulſu aliquid reus commiſiſſe dicetur : in quo & exempla, & ſimilitudines erunt proferendae, & ipſa diligenter natura eius affectionis, quam leuiſſime quietiſſimam ad partem explicanda,ut & res ipſa a facto crudeli,& turbulento ad quoddam mitius,& tranquillius traducatur,& oratio tamen ad animum eius, qui audiet, & ad animi quendam intimum ſenſum accommodetur. Ratiocinationis autem ſuſpiciones infirmabit, ſi aut commodum nullum fuiſſe,aut paruum,aut aliis magis fauiſſe,aut nihilo ſibi magis,quam aliis,aut incommodum ſibi maius, quam commodum dicet, ut nequaquam fuerit illius commodi,quod expetitum dicatur, magnitudo aut cum eo incommodo,quod acciderit,aut cum illo periculo,quod ſubeatur, comparanda : qui omnes loci ſimiliter incommodi quoque uitatione tractabuntur.

EXPLANATIO

DEFENSOR *autem ex contrario primum impulſionem,aut nullam fuiſſe dicet aut ſi fuiſſe concedet extenuabit.*] Dati ſunt loci accuſatori, quibus uti debeat ad probationem cauſſae per impulſionem. Item alij dati ſunt,quibus uti debeat ad probationem cauſſae per ratiocinationem. Nunc ſupponit defenſoris locos in infirmanda impulſione,& infirmanda ratiocinatione. Infirmandae impulſionis loci ſunt quattuor : Negare,minuere eius effectum,qui intenditur.impulſionis ipſius naturam docere,confirmare exemplis,& ſimilitudinum propoſitione. Ratiocinationes loci ſunt quattuor, quoniam ratiocinatio,aut in re eſt,aut in opinione. in re commodi,uel incommodi,loci eius erunt necare,commodum minnere;dicere aliis magis fauiſſe,aut tantum & ſibi quantum,& aliis,aut incommodum maius,quam commodum. Pariter & de incommodis iſta dicentur, Quod dicitur euitatum nullum fuiſſe incommodum,non tantum fuiſſe commodum, quam incommodum,aliis magis fuiſſe incnmmodum, aut & aliis tantum quantum ſibi, ant maius commodum, quam incommodum.

CICERO

SIN accuſator dixerit, eum id eſſe ſecutum,quod ei uiſum ſit commodum,aut id fugiſſe, quod putarit eſſe incommodum,quamquam in falſa fuerit opinione: demonſtrandum erit defenſori, neminem tantae eſſe ſtultitiae, qui tali in re poſſit ueritatem ignorare. Quod ſi id concedatur, illud non conceſſum iri,nec dubitaſſe quidem hunc, quid eius iuris eſſet, ſed id, quod falſum fuerit, ſine ulla dubitatione pro falſo, quod uerum pro uero probaſſe, Quod ſi dubitauerit, ſummae fuiſſe amentiae, dubia ſpe impulſum certum in periculum ſe committere. Quemadmodum autem accuſator, cum ab aliis culpam dimouebit, defenſoris locis utetur : ſic iis locis, qui accuſatori dati ſunt, utetur, reus, cum in alios ab ſe crimen uolet transferre.

EXPLANATIO

SIN *accuſator dixerit, &c.*] Si in ratiocinatione opinio ponetur, infirmitatis loci ſuot quattuor, Non tale eſſe uel commodum uel incommodum,ut poſsit aliquem fallere,maxime ſe non potuiſſe : quod firmabitur perſona. Poſt haec omnia, defenſor uti poterit omnibus locis accuſatoris,ſi in alios crimen transferre uoluerit. Quemadmodum enim accuſator,cum conuincat,defendit alios,& utitur partibus,ac locis defenſoris: ita & defenſor, ut ſe purget,accuſabit alios, & in hoc utetur partibus, ac locis accuſatoris : aut, ſi fuiſſe concedat,extenuabit: quia auget accuſator.

CICERO

EX perſona autem coniectura capietur, ſi eae res, quae perſonis attributae ſunt, diligenter conſiderabuntur : quas omnis in primo libro expoſuimus. nam & de nomine nonnumquam aliquid ſuſpicionis naſcitur.

nomen

nomen autem cum dicimus, cognomen quoque intelligatur oportet. de hominis enim certo, & proprio uocabulo agitur, ut, ſi dicamus iccirco aliquem caldum uocari, quod temerario, & repentino conſilio ſit: aut ſi de ea re hominibus Graecos imperitis uerba dediſſe, quod Clodius, aut Caecilius, aut Mucius uocarentur. Et de natura licet aliquantulum ducere ſuſpicionis. omnia enim haec, uir an mulier, huius an illius ciuitatis ſit, quibus ſit maioribus, quibus conſanguineis, qua aetate, quo animo, quo corpore, quae natura ſunt attributa, ad aliquam coniecturam faciendam pertinebunt. Et ex uictu multae trahuntur ſuſpiciones, cum, quemadmodum: & apud quos, & a quibus educatus, & eruditus ſit, quaeritur, & quibuſcum uiuat, qua ratione uitae, quo more domeſtico uiuat. Et ex fortuna ſaepe argumentatio naſcitur, cum, ſeruus, an liber; pernicioſus, an pauper; nobilis, an bilis, an ignobilis; felix, an infelix; priuatus, an cum poteſtate ſit; aut fuerit, aut futurus ſit, conſideratur: aut denique aliquid eorum quaeritur, quae fortunae eſſe attributa intelliguntur. Habitus autem, quoniam in aliqua perfecta, & conſtanti animi, aut corporis abſolutione conſiſtit, quo in genere eſt uirtus, ſcientia, & quae contraria ſunt, res ipſa cauſſa poſita docebit, ecquid hic quoque locus ſuſpicionis oſtendat. Nam affectionis quidem ratio perſpicuam ſolet prae ſe gerere coniecturam, ut amor, iracundia, moleſtia: propterea quod & ipſorum uis intelligitur, & quae res harum aliquam rem conſequantur, faciles cognitu ſunt. Studium autem, quoniam eſt aſſidua, & uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluntate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio, quam res ipſa deſiderabit in cauſſa. Item ex conſilio ſumetur aliquid ſuſpicionis. nam conſilium eſt aliquid faciendi, non faciendi ue excogitata ratio. Item facta, & caſus, & orationes, quae ſunt omnia, ut in confirmationis praeceptis dictum eſt, in tria tempora diſtributa, facile erit uidere, ecquid afferant ad coniecturam confirmandam ſuſpicionis.

EXPLANATIO

EX *perſona autem coniectura capietur, ſi eae res, quae perſonis attributae ſunt, diligenter conſiderabuntur.*] Explicitis praeceptis omnibus ad cauſſam pertinentibus, ſubiunguntur praecepta perſonae attributa: & quemadmodum his uti poſsit accuſator, quemadmodum etiam defenſor in coniecturali conſtitutione. Et haec quidem perſonae attributa, in primo libro quamquam ſingula expoſuerit, & explicarit: hic tamen nunc breuiter repetit, quae ipſa ſint, & quid ſint: poſt praecepturus quemadmodum his uti poſsit accuſator, quemadmodum defenſor. QVO *in genere eſt uirtus, ſcientia.*] Ideſt, ſtultitiae contraria. AMOR, *iracundia,*] Affectio enim facile euentum ſuum declarat: ſignoq. ipſa eſt eius rei, quam ex ſe parit. ET *ipſorum uis,*] Quid ipſa poſsint, non quid ex ſe gignant. ET *quae res harum aliquam rem conſequantur,*] Quid ex ſe gignunt, non quid ex ſe ipſae poſsint.

CICERO

AC *perſonis quidem res eae ſunt attributae, ex quibus omnibus unum in locum coactis, accuſatoris erit improbatione hominis uti. Nam cauſſa facti parum firmitudinis habet, niſi animus eius, qui inſimulatur, in eam ſuſpicionem adducetur, ut a tali culpa non uideatur abhorruiſſe. Vt enim animum alicuius improbare nihil attinet, cum cauſſa, quare peccauerit, non interceſſerit: ſic cauſſam peccati intercedere leue eſt, ſi animus nulli minus honeſtae rationi affinis oſtenditur. Quare uitam eius, quem arguit, ex ante factis accuſator improbare debebit, & oſtendere, ſi quo in pari ante peccato conuictus ſit. Si id non poterit, ſi quam in ſimilem ante ſuſpicionem uenerit, ac maxime ſi fieri poteri, ſimili aliquo in genere eiuſmodi cauſſa aliqua commotum peccaſſe, aut in aeque magna re, aut in maiore, aut in minore: ut, ſi quis pecunia dicat inductum feciſſe, poſſit demonſtrare, aliqua in re eius aliquod factum auarum. Item in omni cauſſa naturam, aut uictum, aut ſtudium, aut fortunam, aut aliquid eorum, quae perſonis attributa ſunt, ad eam cauſſam, qua commotum peccaſſe dicet, adiungere, atque ex diſpari quoque genere culparum, ſi ex pari ſumendi facultas non erit, improbare animum aduerſarij oportebit: ſi auaritia inductum arguas feciſſe, & auarum eum, quem accuſes, demonſtrare non poſſis, aliis affinem eſſe uitiis doceas; & ex ea re non eſſe mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re eum deliquiſſe. Quantum enim de honeſtate, & auctoritate eius, qui arguitur, detractum eſt, tantum de facultate ipſius eſt defenſionis deminutum. Si nulli affinis poterit uitio reus ante admiſſo demonſtrari, locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut ueterem famam hominis nihil ad rem putent pertinere: nam eum ante celaſſe, nunc manifeſto teneri: quare non oportere hanc rem ex ſuperiori uita ſpectari, ſed ſuperiorem uitam ex hac re improbari, & aut poteſtatem ante peccandi non fuiſſe, aut cauſſam. Aut, ſi haec dici non poterunt, dicendum erit illud extremum, non eſſe mirum, ſi nunc primum deliquerit. nam neceſſe eſt eum, qui uelit peccare, aliquando primum delinquere. Sin uita ante acta ignorabitur, hoc loco praeterito, & cur praetereatur demonſtrato, argumentis accuſationem ſtatim confirmare oportebit.*

EXPLANATIO

AC *perſonis quidem res eae ſunt attributae, ex quibus omnibus unum in locum coactis, accuſatoris erit improbatione hominis uti.*] Expoſitis breuiter attributis perſonae, quia ita res repetita poſcebat, dat accuſatori ex his praeceptum, ut excutiat uitam praeteritam. Parum eſt enim cauſſam commendaſſe ſolam, ſi nō, quae ab hac impelli poſſet, perſona conſentiat. Ergo accuſator ex uita praeterita proferre debet ſimilia peccata, ſimiles cauſſas, in rebus uel paribus, uel minoribus, uel maioribus: uel ſi ſimiles proferre non poterit, diſpares

res

res proferat. Atque haec nocentis uitae ſunt. Si innocens uita praeterita eſt illius, qui reus eſt, locus cõmunis inducitur, Vitam praeteritam ſpectari non oportere: quod ea poterit eſſe occulta: aut fortaſſe ad peccandum, cum animus fuerit, defuerit cauſſa, uel poteſtas, uel occaſio. Deinde alius locus communis, Non ex uita praeterita praeſens iudicium, ſed ex praeſenti iudicio uitam ſpectari oportere Sinautem uita alicuius ignorabitur, praetereũdus ab accuſatore hic locus eſt, dicendumq. cur praetereatur, quod ignoretur uita: ſtatimq. ad alia argumenta properandum, quae ſunt ex ipſo negotio in factis dictiſq. eius, qui reus eſt, collocata.

C I C E R O

DEFENSOR autem primum, ſi poterit, debebit uitam eius, qui inſimulabitur, quam honeſtiſſimam demonſtrare. Id faciet, ſi oſtendet aliqua eius nota, & communia officia: quod genus in parentes, cognatos, amicos, affines, neceſſarios: etiam quae magnis rara, & eximia ſunt, ſi ab eo cum magno aliquo labore, aut periculo, aut utraque re, cum neceſſe non eſſet, officij cauſſa, aut in remp. aut in parentes, aut in aliquos eorum, qui modo expoſiti ſunt, facta eße dicet. Deinde ſe nihil deliquiſſe, nulla cupiditate impeditum ab officio receſſiße. Quod eo confirmatius erit, ſi, cum poteſtas impune aliquid faciendi minus honeſte fuiſſe dicetur, uoluntas ei faciendi demonſtrabitur abfuiſſe. Hoc autem ipſum genus erit eo firmius, ſi eo ipſo in genere, quo arguetur, integer antea fuiſſe demonſtrabitur: ut, ſi, cum auaritiae cauſſa feciſſe arguatur, minime omni in uita pecuniae cupidus fuiſſe doceatur. Hic illa magna cum grauitate inducetur indignatio, iuncta conqueſtioni, per quam miſerum facinus eſſe, & indignum demonſtrabitur, cũ animus omni in uita fuerit a uitiis remotiſſimus, eam cauſſam putare, quae homines audaces in fraudem rapere ſoleat, caſtiſſimum quoque hominem ad peccandum potuiſſe impellere: aut iniquum eße, & optimo cuique pernicioſiſſimum, non uitam honeſte actam tali in tempore quamplurimum prodeße, ſed ſubita ex criminatione, quae confingi facile poſſit, non ex anteacta uita, quae neque ad tempus fingi, neque nullo modo immutari poſſit, facere iudicium. Si autem in anteacta uita aliquae turpitudines erũt, aut falſo ueniſſe in eam exiſtimationem dicetur, aut ex aliquorum inuidia, aut obtrectatione, aut falſa opinione, aut imprudentiae, neceſſitudini, aut perſuaſioni, adoleſcentiae, aut alicui non malitioſae animi affectioni attribuentur, aut diſſimili in genere uitiorum, ut animus non omnino integer, ſed a tali culpa remotus eße uideatur. Ac, ſi nullo modo uitae turpitudo, aut infamia leniri poterit oratione, negare oportebit de uita eius, & moribus quaeri, ſed de eo crimine, quo de arguatur: quare, ante factis omiſſis, illud, quod inſtet, agi oportere.

E X P L A N A T I O

DEFENSOR *autem primum, ſi poterit, debebit uitam eius, qui inſimulabitur, quam honeſtimam demonſtrare.*] Qui defenſori a perſona contrarij loci ſunt. Nam primum laborare debet, ut honeſtam rei uitam demonſtret: quae declarabitur officiis, uel communibus, & notis, uel maximis, & raris, ant cum periculo, aut cũ labore praeſtitis, officij cauſſa, non neceſsitatis: & praeſtitis, in parentes, cognatos, amicos, rempublicam. Sed iſta beneficiorũ cõmemoratio parua eſt: quia multorum uita exemplo eſt, naturam poſſe mutari. ut morum inſtituta perſeuerauerint, declarandum eſt: Nihil aliquando deliquiſſe, numquam ab officio receſsiſſe: fuiſſe & cauſſas, & facultatem: numquam tamen uoluiſſe peccare. Atque in his oſtendendis occaſionibus laborandũ eſt: earum rerum namque copiam fuiſſe in faciendo, & facere noluiſſe: quarum rerum nunc crimen in iudicio eſt: ut ſi auaritiae, cupiditatis. Deinde locus cõmunis inducẽdus eſt: quo indignum eſſe conqueſtione declarandũ eſt, Vt qua cauſſa impelluntur ad peccãdũ uitiis omnibus pleni, hac cuius uita praeterita purgata ſit, impulſus eſſe dicatur. Deinde alius locus communis, Vitam honeſte actam, reo debere prodeſſe: ipſam eſſe certiſsimam teſtem morum, & uoluntatum: criminationem inimicorũ inuidia facile poſſe componi. Haec ſi honeſta uita eſt. At ſi inerunt aliquae turpitudines, laborandum eſt, ut falſa eſſe dicamus inimicorũ criminatione collecta: uel eo uitio mentis admiſſae, quo facilius ueniam promeremur, Neglig ẽtia, neceſsitate, adoleſcentia: quolibet alio affectu animi non pernicioſo, Amore, uel aliquo huius generis. Poſtremo laborandũ eſt, ut turpitudines uitae praeteritae, uel in diſsimili genere uitiorum eſſe doceantur: ut, quoniam innocentem probare non poſſumus, ab hoc tantũ facinore, quod in iudicio eſt, remotum eſſe doceamus. Sin uero eſt uita turpiſsima, nullo genere defenſionis ſuprapoſito purganda: locus communis induci debet, Vitam praeteritam ſpectari non debere: neque de moribus hoc crimen, quod intenditur, comprobari.

C I C E R O

EX facto autem ipſo ſuſpiciones ducentur, ſi totius adminiſtratio negotij ex omnibus partibus pertentabitur: atque hae ſuſpiciones partim ex negotio ſeparatim, partim communiter ex perſonis, atque ex negotio proficiſcentur. Ex negotio duci poterunt, ſi eas res, quae negotiis attributae ſunt, diligenter conſiderabimus. Ex iis igitur in hanc conſtitutionem conuenire uidentur genera eorum omnia, partes generum pleraeque. Videre igitur primum oportebit, quae ſint continentia cum ipſo negotio, hoc eſt, quae ab re ſeparari non poßunt. Quo in loco ſatis erit diligenter conſiderare, quid ſit ante rem factum: ex quo ſpes perficiendi nata, & faciendi facultas quaeſita uideatur: quid in ipſa re gerenda, quid poſtea conſecutum ſit. Deinde ipſius eſt negotij geſtio pertractanda. nam hoc genus earum rerum, quae negotio attributae ſunt, ſecundo in loco nobis eſt expoſitum. Hoc ergo in genere ſpectabitur locus, tempus, occaſio, facultas: quorum uniuſcuiuſque uis diligenter in confirmationis

praeceptis

praeceptis explicata eſt. Quare, ne aut id non admonuiſſe, aut ne eadem iterum dixiſſe uideamur, breuiter demonſtrabimus, quid quaque in parte conſiderari oporteat. In loco igitur opportunitas, in tempore longinquitas, in occaſione commoditas ad faciendum idonea, in facultate copia, & poteſtas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit, aut ſine quibus omnino confici non poteſt, conſideranda eſt. Deinde uidendum eſt, quid adiunctum ſit negotio, hoc eſt, quid maius, quid minus, quid aeque magnum ſit, quid ſimile: ex quibus coniectura quaedam ducitur, ſi, quemadmodum res maiores, minores, aeque magnae, ſimileſq. agi ſoleant, diligenter conſiderabitur. Quo in genere euentus quoque uidendus erit: hoc eſt, quid ex unaquaque re ſoleat euenire, magnopere conſiderandum eſt, ut metus, laetitia, titubatio. Quarta autem pars erat ex iis, quas negotiis dicebamus eſſe attributas, conſecutio. in ea quaeruntur ea, quae geſtum negotium cõſeſtim, aut ex interuallo conſequuntur. in qua uidebimus ecquae conſuetudo ſit, ecquae lex, ecquae actio, ecquod eius rei artificium ſit, aut uſus; aut exercitatio hominum, aut approbatio, aut offenſio: ex quibus nonnumquam elicitur aliquid ſuſpicionis.

EXPLANATIO

EX *facto autem ipſo ſuſpiciones ducentur, ſi totius adminiſtratio negotij ex omnibus partibus pertentabitur:*] Reſtat tertia pars probationis in coniectura ex negotio. huius partes quattuor ſunt, ut in libro primo expoſitum eſt. Etenim attributa negotio quattuor ſunt: Continentia, cum negotio, in geſtione negotij, adiuncta negotio, quae geſtum negotium conſequuntur. Haec breuiter hic repetit, quoniam iam in libro primo tractata ſunt; ac dicit in coniecturam omnia genera incidere, non omnes partes: ut in continentia negotij, ante negotium, in negotio, poſt negotium, facta omnia in ſuſpicionẽ uocemus. Item in geſtione negotij, locũ, tempus, occaſionem, facultates. De modo conticeſcens, quod rei manifeſtae, & in confeſsione habitae modus ſemper eſt. Item adiuncta negotio, uel maiora, uel minora, uel paria, uel ſimilia, maximeq. euentus coniecturae prodeſt. Quarta etiam pars, quae geſtum negotium conſequitur, ad coniecturam tribuet argumenta: ubi quaeritur, Lex, conſuetudo, pactio, uſus, exercitatio. Atque haec ſunt attributa negotio: ex quibus cũ ducitur argumẽtum, impletur argumentatio ex negotio. Inuenitur autem argumentatio, praeterea quae cómuniter ſumatur ex attributis negotio, ex attributis perſonae: ut attributa perſonae non mihi perſonam, hoc eſt uiam praeteritam hominis declarent, ſed hoc facinus approbent, quod intenditur: ſiut declarabũt, quae ſupponuntur exemplo. Suſpiciones ducentur, ideſt coniectura capietur ex ipſis omnibus partibus. Ex omnibus partibus pertentabitur, Vt non mixta ſint attributa perſonae, ſed tantum ſola ſint facta in ipſo negotio, uel actione totius negotii impleta. Hoc *ergo in genere ſpectabitur locus, tempus, occaſio, facultas:*] Modum in coniectura non poſuit: quia in facinore confeſsio ſemper inſpicitur.

CICERO

SVNT *autem aliquae ſuſpiciones, quae communiter & ex negotiorum, & ex perſonarum attributionibus ſumuntur. Nã ex fortuna, & ex natura, & ex uictu, ſtudio, factis, caſu, orationibus, conſilio, & ex habitu animi, aut corporis pleraque pertinent ad eaſdem res, quae rem credibilem, aut incredibilem facere poßunt, & cum facti ſuſpicione iunguntur. Maxime enim quaeri oportet in hac conſtitutione, Primum potuerit ne aliquid fieri. Deinde ecquo ab alio potuerit. Deinde facultas, de qua ante diximus. Deinde utrum id facinus ſit, quod paenitere fuerit neceſſe. Item, quod ſpem celandi haberet. Deinde neceſſitudo, in qua, num neceſſe fuerit id, aut fieri, aut ita fieri, quaeritur. Quorum pars ad conſilium pertinet, quod perſonis attributum eſt, ut in ea cauſſa, quam expoſuimus. Ante rem erit, quod in itinere ſe tam familiariter applicauerit, quod ſermonis cauſſam quaeſiuerit, quod ſimul diuerterit, dehinc cenarit. In re, nox, ſomnus. Poſt rem, quod ſolus exierit, quod illum iam familiarem comitatum tam aequo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit. Horum pars ad conſilium pertinet.*

EXPLANATIO

SVNT *autem aliquae ſuſpiciones, quae communiter, & ex negotiorum, & ex perſonarum attributionibus ſumuntur.*] Coniecturae argumenta ſuggerunt, Cauſſa, perſona, factum: utique ideo tria, quia ſingula. Suis igitur rationibus cauſſa, ſuis perſona etiam approbatur. Eodem modo factum: quod, cum ſingula ſuis rationibus per ſe in coniectura fidem praeſtent, merito ad probationem coniecturae triplex materia collocatur. Monet tamen ratio, duo, perſonam ſcilicet, atque factum, ad unam fidem poſſe conſociari: ut ex utroque materiae genere, negotiorum, ideſt factorum, & perſonarum, fides coniecturae quaeſtionibus afferatur. Hoc ut facilius fiat, intellectuq. capiatur, meminiſſe debemus attributa perſonis, quae utique cum ſunt, ipſam uidẽtur approbare perſonam: quam cum probauerint, iam coniecturae locus eſt. A tali uiro id, quod intenditur facinus, non potuiſſe committi. Ergo attributum perſonae facit perſonae fidem: facto autem prodeſt approbata perſona. quod cum ita ſit, nouum praeceptum dedit, Poſſe quoque ex perſonae attributis, & negotiorũ, probari factum, hoc eſt negotium. Iccirco Tullius praeceptum dedit poſſe quoque ex attributis perſonae, & negotiorum approbationes naſci ex utraque ſuſpicione communes. Inter attributa perſonae accipimus fortunam, naturam, uictum, ſtudia, facta, caſus, orationes, conſilia, habitum. Haec utique ſi attributa perſonae accipimus, ſicut ſupra diximus, perſonam probabunt: verum perſpiciente ratione, & negotium probare poterunt. In fortuna, inquit, ſpectatur dignitas, diuitiae, condictio. haec licet perſonae attributa ſint, tamen cum

dico, Diues eſt, Affectat tyrannidem, Seruus potuit occidere, Conſul non prodidit patriam: argumentum a factis perſonae attributis facio. Pari modo de conſilio: ſi quibus conſiliis aliquando uſus ſit dicam, perſona eſt approbata: ſi quo nunc uſus ſit conſilio perſonae attributo; factum probabo. Ergo ſatis clarum eſt, in cōſtitutione coniecturali argumēta fieri poſſe communiter, & de perſonae attributis, & negotiorum, ut factum probetur. Praecipit praeterea in hanc conſtitutione conſiderandum principaliter, quod in quaeſtione eſt, an fieri potuerit: deinde an ab alio potuerit: deinde an facultas fuerit. Inter poſſe & facultatem hoc intereſt, Cum ſubſtantia efficiendae rei ineſt, aut deeſt, de facultate tractatur: ut ſunt uires, miniſteria, pecunia. At ſi aut per naturam res negatur, aut per locum, aut per tempus, de eo quaeritur an potuerit. Si dicatur Tullius interfeciſſe Romulum, quod utique fieri non potuerit, per tempus, nec haberet poſſe. Item loco fit: ſi alicuius, qui arguitur caedis ab eo loco, ubi caedes facta eſt, abſentia declaratur. Tertio quaeritur, utrum id facinus ſit, quod paenitere fuerit neceſſe. Item, quod ſpem celandi non haberet. Deinde quaeritur, an neceſſe fuerit id fieri. In quibus omnibus ſpectatur ſemper conſilium. quod ſi in his cōſilium cernitur, & factum probatur: conſilium autem attributum perſonae eſt: ergo attributo perſonae factum probatur. Huius rei docendae cauſſa, ſupra poſitum thema tractando excutit habere argumenta ante rem, Quod in itinere ſe tam familiariter applicarit, quod ſermonis cauſſam quaeſierit, quod ſimul diuerterit, cenarit. Item in re, Nox, ſomnus. Poſt rem, Quod ſolus exierit, quod ille tam familiarem comitatum aequo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit. Haec ante rem, in re, poſt rem attributa negotio ſunt, quae faciunt fidem negotio. Sed, quoniam in his omnibus etiam conſilium ſpectatur, fiet, ut cum conſilium perſonae ſit attributum, & haec omnia negotio ſunt attributa, efficiatur negotij ex attributis perſonae, & negotij communiter approbatio.

C I C E R O

*Q*VAERITVR *enim, utrum uideatur diligenter ratio faciendi eſſe habita, & excogitata; an ita temere, ut non uériſimile ſit quemquam tam temere ad maleficium acceſſiſſe. In quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri, uel a fortuna adminiſtrari. Nam ſaepe, ſi pecuniae adiumenta, ſi adiutores deſint, facultas fuiſſe faciendi non uidetur. Hoc modo ſi diligenter attendamus, apta inter ſe eſſe intelligimus haec, quae negotiis, & illa, quae perſonis ſunt attributa. Hic neque facile eſt, neque neceſſarium diſtinguere, ut in ſuperioribus partibus, quo pacto quidque accuſatorem, & quo modo defenſorem tractare oporteat. Non neceſſarium, propterea quod cauſſa poſita, quid in quamque conueniat, res ipſa docebit eos, qui non omnia hic ſe inuenturos putabunt, ſed ad ea, quae praecepta ſunt, comparationis modo quandam in commune mediocrem intelligentiam conferent. Non facile autem, quod & infinitum eſt tot de rebus utramque in partem ſigillatim de unaquaque explicare, & alias aliter hae in utramque partem cauſſae ſolent conuenire. Quare conſiderare haec, quae expoſuimus, oportebit. Facilius autem ad inuentionem animis incedet, ſi geſti negotij & ſuam, & aduerſarij narrationem ſaepe, & diligenter pertractabit, & quid quaeque pars ſuſpicionis habebit, eliciens conſiderabit. Quare, quo conſilio, qua ſpe perficiendi quidque factum ſit: cur hoc modo potius, quam illo: cur ab hoc potius, quam ab illo: cur nullo adiutore, aut cur hoc: cur nemo ſit conſcius, aut cur ſit, aut cur hic ſit: cur hoc ante factum ſit, cur hoc ante factum non ſit: cur hoc in ipſo negotio, cur hoc poſt negotium: aut quid factum de induſtria, aut quid rem ipſam conſecutum ſit: conſtet ne oratio aut cum re, aut ipſa ſecum: hoc huius ne rei ſit ſignum, an illius, an huius & illius, & utrius potius: quid factum ſit, quod non oportuerit; aut non factum, quod oportuerit. Cum animus hac intentione omnes totius negotij partes conſiderabit, tum illi ipſi in medium conſeruati loci procedent, de quibus ante dictum eſt: & cum ex ſingulis, tum ex coniunctis argumenta certa naſcentur. Quorum argumentorum pars probabili, pars neceſſario in genere uerſabitur.*

E X P L A N A T I O

*Q*VAERITVR *enim, utrum uideatur diligenter ratio faciendi eſſe habita, & excogitata; an ita temere, ut non uériſimile ſit quemquam tam temere ad maleficium acceſſiſſe. In quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri, uel a fortuna adminiſtrari.*] Frequenter enim ſi pecunia, ſi adiutoris adiumenta deſint, uidetur facultas faciendi defuiſſe: quod utique impugnari non poteſt, niſi per conſilium, ut alio modo fieri potuerit: ut fieri a fortuna. Ergo ad expugnandas facultates, quae deſunt, ſi ſubueniat ſaepe conſilium, cum dicitur, aut alio modo fieri potuiſſe, aut per fortunam, conſilio, quod perſonae eſt attributum, res probatur. Ex hoc, & ex ſuperioribus illa concluſio eſt, Naſci poſſe communiter argumēta, & ex perſonae attributis, & ex negotiorum. Hanc igitur rationem ſi diligenter uoluerimus attendere, iſta attributa inter ſe apta, iuncta, & copulata cernemus negotiorum, & perſonarum. Subiungit, non oportere his omnibus praeceptis ſubiici exempla, ut doceat, quemadmodum his uti accuſator debeat, quemadmodum defenſor, ut in ſuperioribus docuit: & dicit non neceſſarium eſſe, non facile. Non neceſſarium eſt, ita quod ſi quis aliquid diligentiae afferre uoluerit ad iſta praecepta, iſta omnia pro materiae genere facili cognitione retinebit. Non enim praeceptor omnia tribuit, ſed ex dictis ad ſimilitudinem non dicta intelligenda ſupponit. Non facile autem, ideo dixit, quod infinitum ſit illis omnibus praeceptis exempla ſupponere: quomodo ante rem dicat accuſator, quomodo defenſor, quomodo in re, quomodo poſt rem: item alia, quae multa ſunt. Huc accedit, quo maior difficultas ſit, quod omnia illa per partium, id eſt accuſatoris, & defenſoris locos uerſa, utilitate tractantur: nec enim inutiliter conueniunt. Vnde illud melius eſt, conſiderare cuncta ex propoſito themate

negotij, & ſuam, & aduerſarij rationem diligenter attendere: & ſic ſuſpiciones, atque argumenta colligere. Quare, quid factum ſit, quo conſilio, qua ſpe perficiendi, cur hoc modo factum, cur ab hoc factum, cur nullo adiutore, cur hoc, cur nemo ſit conſcius, cur ſit, cur hic ſit: cur hoc ante factum ſit, cur hoc ante factum nõ ſit: cur hoc in ipſo negotio, cur hoc poſt negotium: cur de induſtria factum, aut rem ita ſit conſecutum: an conſtet oratio uel cum re, uel ipſa ſecum: hoc huiuſne rei ſit ſignum, an illius, an huius & illius, & utriuſque potius: quid factum ſit, quod non oportuerit; aut non factum, quod oportuerit. Hac adhibita animi intentione, cum cõiecturam omne negotij corpus intrauerit, tum facilius uidebitur eſſe praeceptio, ut locos omniũ argumentorum ſeſe quodammodo offerentes uidere poſsimus. ex quibus, ut ſupra diximus, modo ex ſingulis attributis, modo ex coniunctis argumenta naſcentur, quae aut probabilia erunt, aut neceſſaria ad eas res, quae rem credibilem aut incredibilem facere poſſunt. Quae rem, inquit, non perſonam, cuius ſcilicet attributum eſt. Et *cum facti ſuſpicione iunguntur,*] Et hic rei eius, unde iudicium eſt, non perſonae, cuius attributum eſt. Deinde *utrum id facinus ſit, quod paenitere fuerit neceſſe.*] Annotanda noua locutio, Paenitet me non illius rei, ſed Paenitet me hanc rem. Cvm *ex ſingulis, tum ex coniecturis argumenta, &c.*] Aut a cauſſa, aut a perſona, aut a factis, aut ex coniunctis argumenta certa naſcentur, ut attributa perſonae, attributa facto uideantur.

CICERO

*A*Ccedvnt *autem ad coniecturam ſaepe quaeſtiones, teſtimonia, rumores, quae contra omnia uterque ſimili uia praeceptorum torquere ad ſuae cauſsae commodum debebit.*

EXPLANATIO

Accedvnt *autem ad coniecturam ſaepe quaeſtiones, teſtimonia, rumores, quae contra, &c.*] Praeter hanc materiam, qua coniecturae argumenta tribuuntur, A cauſſa, a perſona, a facto, accedunt aliae probationes ſoli coniecturae ſemper adiunctae: Tormenta, teſtimonia, rumores. haec enim in aliis conſtitutionibus non ualent, quia non adhibentur iſta, niſi cum res negatur: quae omnia iſta ad partis commoda retorquenda ſunt. Hoc probationis genus Graeci πίςις ἄτεχνος uocant: quod cum his orator utitur, fidem quidem iudici facit, ſed non oratione. Hoc Tullio minime placet. dicit enim etiam haec probationum genera indigere arte, & pari modo, ut ex cauſſa, & perſona, & facto argumenta duci, cum de tormentis teſtibus, rumoribus diſputatur, ex illis ſcilicet attributionibus, quae aut negotio, aut perſonis uidentur eſſe ſubiunctae. namque, cum contra teſtes dicitur, aut pro teſtibus, utique attributa perſonae contingenda ſunt per naturam, uictum, & cetera: ut, Fides ſit data teſti, ſic, ut aut poſsit, aut non poſsit adhiberi. Hoc & in tormentis. nam eius, qui torquetur, excutienda perſona eſt. Ergo omnia argumentis probanda ſunt: quorum argumentorum genera duo ſunt: unum proprium, commune aliud. Proprium eſt, quod ipſius cauſſae, & negotij eſt: ut Sex. Roſcius, cum caedes facta eſt, Romae non fuit: non ergo patrem interfecit. Commune eſt, quod transferri in ſimiles cauſſas poteſt, Filius patrem interfecit. Reclamat iſtiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura.

CICERO

*N*Am, *& ex quaeſtione ſuſpicionem, & ex teſtimonio, & ex rumore aliquo pari ratione, ut ex cauſsa, & ex perſona, & ex facto duci oportebit. Quare nobis & ij uidentur errare, qui hoc genus ſuſpicionum artificij non putant indigere, & ij, qui aliter hoc de genere, ac de omni coniectura praecipiendum putant. Omnis enim iisdem ex locis coniectura ſumenda eſt. Nam & eius, qui in quaeſtione aliquid dixerit, & eius, qui in teſtimonio, & ipſius rumoris cauſſa, & ueritas ex iiſdem attributionibus reperietur. Omni autem in cauſsa pars argumẽtorum eſt adiuncta ei cauſſae ſolum, quae dicitur, & ab ipſa ita ducta, ut ab ea ſeparatim in omnes eiuſdem generis cauſſas transferri nõ ſatis commode poſſit. Pars autem eſt peruagatior, & aut in omnes eiuſdem generis, aut in pleraſque cauſſas accõmodata. Haec ergo argumenta, quae transferri in multas cauſſas poſſunt, locos communes nominamus. Nam locus communis, aut certae rei quandam continet amplificationem; ut, ſi quis hoc uelit oſtendere, eum, qui parentem necarit, maximo ſupplicio eſſe dignum; quo loco, niſi perorata, & probata cauſsa, non eſt utendum: aut dubiae, quae ex contrario quoque habeat probabiles rationes argumentandi: ut ſuſpicionibus credi oportere, & contra, ſuſpicionibus credi non oportere. Ac pars locorum communium aut per indignationem, aut per conqueſtionem inducitur, de quibus ante dictum eſt: pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem. Diſtinguitur autem oratio, atque illuſtratur maxime raro inducendis locis communibus, & aliquo loco, iam certioribus illis argumentis confirmatis. Nam & tum conceditur commune quiddam dicere, cum diligenter aliquid proprius cauſſae locus tractatus, & auditoris animus aut renouatur ad ea, quae reſtant, aut omnibus iam dictis exſuſcitetur. Omnia enim ornamenta elocutionis, in quibus & ſuauitatis, & grauitatis plurimum conſiſtit, & omnia, quae in inuentione uerborum, & ſententiarum aliquid habent dignitatis, in communes locos conferuntur. Quare non, ut cauſſarum, ſic oratorum quoque multorum communes loci ſunt. Nam, niſi ab iis, qui multa exercitatione magnam ſibi & uerborum, & ſententiarum copiam comparauerint, tractari non poterunt ornate, & grauiter, quemadmodum natura ipſorum deſiderat. Atque hoc ſit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium.*

EXPLA-

EXPLANATIO

HOC *argumenti genus, quia transferri in ſimiles cauſſas poteſt, communis locus dicitur.*] Locorum autem communium genera duo ſunt, Vnum, cum certae rei certa eſt amplificatio, Aliud, cum rei dubiae eſt diſputatio. Amplificatio rei certae eſt, ut in parricidam, in ſacrilegum. Dubiae uero rei communis locus eſt, qui a Graecis dicitur θέσις, quae habet partes duas. Quae iccirco locus communis dicitur, quod ex materiae genere non certum quid deſignat, ſed habet tractatum ex generalitate communi: ut Suſpicionibus credi oportere, uel non oportere. Sed hanc θέσιν ciuilem, moralem ne teneamus, non illam, quae apud philoſophos naturalis eſt. Quilibet autem horum locorũ, cum interponitur, (interponi autem raro debet) ornat orationem. Neque interponendus locus, niſi cum aliquid iam probatum eſt. etenim, ſi locus cõmunis generalia loquitur, quaſi cauſſam tenens, deſcendit ad cauſſam. Ius iudicem tenet: quia iureiuratus ſedens audire deſiderat, unde ſententiam prolaturus eſt. Ergo, aut parte cauſſae probata utendum eſt, aut in peroratione, aut in epilogis: ut aut renouetur, aut ſuſcitetur auditor. Omnis enim locus communis locutionum cuncta ornameuta deſiderat: quae aut uerborum ſunt, aut ſententiarum. Quae dum apte, ac neceſſario dicuntur, oratorem ab oratore diſcernunt. etenim, cum loci communes cauſſarum ſint communes oratoribus, ſimilitudine dictionis eſſe non poſſunt. QVAESTIONES, *teſtimonia, rumores, &c.*] Haec autem omnia, quae non oratione argumentorum fidem faciunt, a Graecis πίστις ἄτεχνος nominantur, non quidem recte. VTERQVE *ſimili uia praeceptorum, &c.*] Et accuſator, & defenſor. NAM *& ex quaeſtione ſuſpiciones, & ex teſtimonio, & ex rumore aliquo pari ratione, &c.*] Ideo fit, ut arte egeat huiuſmodi diſputatio. quoniam & contra haec, & pro his ſaepe dicendum eſt. VT *ex cauſſa, & ex perſona, & ex facto duci oportebit.*] Quae ex confeſsione argumentis materiam tribuunt, ut ex facto, inquit, duci oportebit. Ecce iam non eſt πίστις ἄτεχνος ideſt fides, ſine arte. Hoc ceterum, Artificij non putant indigere, cum appellant πίστεις ἀτέχνους. ALITER *hoc de genere, ac de omni coniectura praecipiendum putant.*] Vt dicant alias diuiſiones eſſe ad probationem coniecturae, non quas ſupra diximus, cauſſam, perſonam, factum. NAM *& eius, qui in quaeſtione aliquid dixerit, & eius, qui in teſtimonio, & ipſius rumoris cauſsa,*] Vt eam, quae materiam argumentis praebent, & illa, quae quaſi habere artem negantur, iiſdem attributionibus tribuant tractatum, probatio ex iiſdem attributionibus reperietur, quae ſemel praecepta ſunt de coniectura. OMNI *autem in cauſſa pars argumentorum eſt adiuncta ei cauſſae*] Et locus communis argumentum eſt: argumentorum autem duo genera. Vnum, quod ipſius cauſſae proprium eſt. Aliud, quod & ipſius, & ſimilium. hoc, quod ſecundum eſt, locus communis appellatur. Verum locorum communium genera ſunt duo, ut & ipſe declarat. IN *omnes eiuſdem generis cauſsas transferri non ſatis commode poſſit.*] Hoc argumentum eſt ſolum non argumentum per locum communem. QVAE *ex contrario quoque habeat probabiles rationes*] Credendum, non credendum. SVSPICIONIBVS *credi non oportere, aut oportere,*] Id eſt theſis. PER *conqueſtionem*] Quod eſt proprium epilogorum. DE *quibus ante dictum eſt.*] In libro primo, hoc eſt in epilogis, ideſt in concluſione. ALIQVAM *probabilem utraque ex parte rationem.*] Haec θέσις eſt, Credendum, non credendum. CERTIORIBVS *illis*] Auditoribus ſcilicet. NAM, *& tum ei conceditur commune quiddam dicere,*] Non debet euim locus communis induci, cum adhuc nihil probatum eſt. ET *auditoris animus renouatur ad ea, quae reſtant,*] Poſt probationem per locum communem. AVT *omnibus iam dictis exſuſcitetur.*] Quia & in epilogis ſunt loci ſaepe communes. OMNIA *enim ornamenta elocutionis,*] Id eſt figurae: quae ſunt, aut ſchemata διανοίας, aut ſchemata λέξεως, aut ſchemata λόγου, ut quidam uolunt. SIC *oratorum quoque multorum communes loci ſunt.*] Nam, cum loci communes idso dicantur, quod in ſimiles cauſſas conueniant: cum ab oratoribus tamen dicantur, diuerſitate dicendi uix poſſunt eſſe communes. VERBORVM, *& ſententiarum*] λέξεως, & διανοίας ſchemata. ATQVE *hoc ſit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium.*] Vt & genera duo dixerit communium locorum: ideſt certae rei, & incertae: & quemadmodum ſint dicenda praeceperit, ſed hoc generaliter in omnibus conſtitutionibus. Nunc autem in hanc conſtitutionem proprios coniecturae locos communes dabit.

CICERO

NVNC exponemus, in coniecturalem conſtitutionem qui loci communes incidere ſoleant. Suſpicionibus credi oportere, & non oportere. Rumoribus credi oportere, & non oportere. Teſtibus credi oportere, & non oportere. Quaeſtionibus credi oportere, & non oportere. Vitam ante actam ſpectare oportere, & non oportere. Eiuſdem eſſe, qui in illa re peccarit, & hoc quoque admiſiſſe, & non eſſe eiuſdem. Maxime ſpectari cauſſam oportere, & non oportere. Atque hi quidem, & ſi qui eiuſmodi ex proprio argumento communes loci naſcentur, in contrarias partes diducentur. Certus autem locus eſt accuſatoris, per quem auget facti atrocitatem; & alter, per quem negat malorum misereri oportere. Defenſoris, per quem calumnia accuſatorum cum indignatione oſtenditur, & per quem cum conqueſtione miſericordia captatur. Hi, & ceteri omnes loci communes ex iiſdem praeceptis ſumuntur, quibus ceterae argumentationes: ſed illae tenuius, & acutius, & ſubtilius tractantur, hi autem grauius, & ornatius, & cum uerbis, tum etiam ſententiis excellentibus. in illis enim finis eſt, ut id, quod dicitur, uerum eſſe uideatur: in his tametſi hoc quoque uideri oportet, tamen finis eſt amplitudo. Nunc ad aliam conſtitutionem tranſeamus.

EXPLANATIO

NVNC *exponemus, in coniecturalem conſtitutionem qui loci communes incidere ſoleant.*] Locorum communium genera dicta ſunt: quemadmodum dicantur, praeceptumeſt. Ita omnia, quae de locis communibus praecipienda uidebantur, expoſita etiam ſunt. Nunc ſubiungit certos coniecturae locos, qui in aliam conſtitutionem non cadnnt: ſunt enim coniecturae tantum, & in quamlibet coniecturam dicta ſimilitudine transferentur. SVSPICIONIBVS *credi oportere, & non oportere.*] Et reliqui uel ſuppoſiti ſunt, uel qui eſſe poſſunt. Qui omnes ex thetico genere orti, in contrarium argumenta ſumunt: & non tam loci communes, quam locorum communium loci ſunt. Sunt alij proprij in coniectura accuſatoris, & proprij defenſoris. Atque accuſatoris duo, Vnus, qui atrocitatem facti cumulat; alter, per quem negat malorum miſereri oportere. Defenſoris etiam ſimiliter duo ſunt: Vnus, declaratio calumniae accuſatorum; alter, conqueſtio captandae miſericordiae. Diſtant autem a theticis hoc modo: quod illi habent ex utraque parte tractatus, & in contrarium ſuggerunt argumenta: hi unius tantummodo partis ſunt, & aut indignationem ſolam, aut ſolam exprimunt conqueſtionem. Ita duo genera locorum communium eſſe, manifeſtum eſt: Vnum, quod ex duplici tractatu generaliter conſtat, quod theticum dicitur: aliud, quod generali quidem, ſed unius partis aut indignatione ſola, aut conqueſtione tractatur. Sciamus autem hos omnes locos, ideſt iſta duo genera, ex iiſdem attributionibus tractari, ex quibus argumentationes: ideſt ex attributis perſonae, & attributis negotio. Illa tantum diſtantia, & dicendi diuerſitate: Vt argumentationes ſubtilius, tenuis, acutius explicentur: loci uero communes, grauius, ornatius, uerbis, & ſententiis excellentibus. Nam in argumentationibus ſola quaeritur ueritas: in locis autem communibus, quamquam & ueritas aſſeratur, tamen, quod eſt illorum proprium, rei probatae amplitudo captanda eſt. Vnde ſatis clarum eſt, etiam locos, argumentationum uim tenere: ita tamen, ut amplius aliquid agere uideantur: cum, praeter fidem, rei cumulum uideantur implere. Qui in contrarias partes deducentur, thetici ſunt: Credi oportere, & non oportere, & multa talia. CERTVS *autem locus eſt accuſatoris, per quem auget facti atrocitatem;*] Superiores loci in contrarias partes deduci poſſunt: iſti uero loci proprij dantur, aut accuſatori, aut defenſori ſuo. CETERAE *argumentationes:*] Aut a perſonae, aut negotijs attributis. VT *id, quod dicitur, uerum eſſe uideatur:*] Quod eſt proprium argumentationis ſumptum. TAMETSI *hoc quoque uideri oportet.*] Vt & in locis communibus ueritas quaeratur, ſed orationis modo diſtet ab argumentatione.

CICERO

CVM eſt nominis controuerſia, quia uis uocabuli definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua dicitur. Eius generis exemplo nobis poſita ſit haec cauſſa. C. Flaminius, is, qui conſul remp. male geſſit bello Punico ſecundo, cum tribunus pl. eſſet, inuito ſenatu, & omnino contra uoluntatem omnium optimatum per ſeditionem ad populum legem agrariam ferebat. hũc pater ſuus concilium plebis habentem de templo deduxit. accerſitur maieſtatis. Intentio eſt, Maieſtatem minuiſti, quod tribunum pl. de templo deduxiſti. Depulſio eſt, Non minui maieſtatem. Quaeſtio eſt, Maieſtatem ne minuerit. Ratio; In filium enim, quam habebam poteſtatem, ea uſus ſum. Rationis infirmatio, At enim, qui patria poteſtate, hoc eſt priuata quadam, tribuniciam poteſtatem, hoc eſt populi poteſtatem infirmat, minuit is maieſtatem. Iudicatio eſt, Minuat ne is maieſtatem, qui in tribuniciam poteſtatem patria poteſtate utatur.

EXPLANATIO

CVM *eſt nominis controuerſia, quia uis uocabuli definienda uerbis eſt, conſtitutio definitiua dicitur.*] Sequitur definitiua conſtitutio, quia coniectura praeceptis ſuperioribus terminata eſt. Haec definitiua, quia tunc exoritur, cum nominis controuerſia eſt; & quia uis nominis definienda uerbis eſt, definitiua dicitur conſtitututio. Huic ſupponit exemplum, Cum reus ſit pater maieſtatis, qui filium prohibuit ſeditioſe concionantem, ideſt filium tribunum plebis. Eſt in hoc themate etiam alia conſtitutio, uel relatiua, uel compenſatiua, uel abſoluta. Nam licuit mihi, Pater ſum, abſoluta eſt: Meruit, relatiua eſt: Profui, compenſatiua. Verum hoc in themate, non quid ſit, conſiderari Tullius uoluit, ſed interim monuit id percipi: atque hoc exemplum ideo dedit, ut finem tantum conſideremus: quia nunc propter finem ſubiecit exemplum. Praecipit autem in omni hoc libro, conſiderationem adhibendam eſſe circa omnes conſtitutiones, & earum partes, & controuerſias: ideſt legales quaeſtiones. Praeceptis omnibus in omni cauſſa, in qualibet materia omnia, quae inuenta fuerint genera quaeſtionum poſſunt tractari, ſumptis ſuae partis praeceptis: ut, cum in themate coniectura fuerit, eius diuiſionibus utamur: itemq. & alterius, uel aliarum, ſi quae inciderint conſtitutiones. Subiungit igitur in definitione locos a parte accuſatoris. Sunt autem quattuor: Definitio, approbatio definitionis, deductio definitionis in ipſam certam ſpeciem, de qua agitur, deſtructio definitionis aduerſae partis, quae conſtat ex locis quattuor. Si demonſtretur falſa, ſi turpis, ſi inutilis, ſi collatio utriuſque definitionis fiat. Falſa demõſtrabitur ex opinione hominum, ſi docebimus de eo, unde quaeritur, quemadmodum aeſtimet populus, quemadmodum in conſuetudine locutionis utatur eo uerbo, quod definimus. Turpis autem, & inutilis demõſtratur aduerſariorũ definitio, ex honeſtatis partibus, & utilitatis: de quibus in deliberatiuo genere, hoc

eſt in

eſt in poſtrema huius libri parte, tractabit. Exprimemus igitur, quae incōmoda futura ſint, ſi ita accipietur, quode definitum eſt ab aduerſario. Collatio uero definitionum, qui quartus in reprehenſione locus eſt, hoc aget, ut noſtram definitionem oſtendat ueram, honeſtam, utilem: quod aduerſarij oſtendimus falſam, turpem, inutilem. Afferemus praeterea ad definitionis noſtrae confirmationem, res aut maiori, aut minori, aut pari negotio ſimiles: ut & ad definitionem noſtram ſimilium comparatione collecta, oſtendamus quanto uerior, honeſtior, utilior ſit noſtra deſcriptio. Haec in ſimplici definitione. Sed, ſi duae res pluresue definiendae ſunt, iſta omnia pro definiendarum numero duplicantur. Quaeritur enim ſaepe, fur ſit, an ſacrilegus, qui uaſa ex priuato ſacra ſurripuit, uel de ſacro priuata. Quoniam a parte accuſatoris, & quid ſit ſacrilegium, & quid ſit furtum, definiendum eſt, in ſingulis definitionibus illa ſupra poſita praecepta complebit: definiet, approbabit, deducet, infirmabit: quae cum fecerit in definiendo ſacrilegio, faciet rurſus eadem in definiendo furto, mutata tantum tertia parte praecepti. Accuſator enim, qui ſacrilegium uult probare, negare uult furtum. Ita definitione ſacrilegij, quod probare nititur, utetur illis ſupra poſitis praeceptis: In definitione uero furti, quia furtum negabit, utetur praeceptis defenſori datis: ideſt, ut poſt definitionem, & eius approbationem, ſeparationem ſpeciei faciat a definitione: fietq. in hoc themate, & in eiuſmodi complexione, ut definitionum uertat ſimiliter praecepta etiam defenſor. Nam, quoniam furtum probare uult illa, qui ſe defendit, poſt definitionem, & eius approbationem deductionem faciet ad ſpeciem: contra, cum ſacrilegium definierit, qui hoc admiſiſſe ſe non uult, illic faciet loco tertio ſeparationem ſpeciei a definitione. Ergo his modis, & partibus definitionem ſuam accuſator implebit. Habebit autem communem locum, ex ipſa definitiua conſtitutione ſumptum, in malitiam eius, qui non modo rerum, uerum etiam uerborum poteſtatem ſibi arrogare conetur: & faciat, quod uelit, & quod fecerit, id quo uoluerit nomine appellet. EIVS *generis.*] Ideſt finitiui. FLAMINIVS *is, qui Conſul rempub.*] Hiſtoriam a poſt ſequentibus dedit.

CICERO

AD hanc iudicationem argumentationes omnes afferri oportebit. Ac, ne quis forte arbitretur nos non intelligere aliam quoque incidere conſtitutionem in hanc cauſſam, eam nos partem ſolum ſumimus, in qua praecepta nobis danda ſunt. omnibus autem partibus hoc in libro explicatis, quiuis omni in cauſſa, ſi diligenter attendet, omnes uidebit conſtitutiones, & earum partes, & controuerſias, ſi quae forte in eas incident. nam de omnibus perſcribemus. Primus ergo accuſatoris locus eſt, eius nominis, cuius de ui quaeritur, breuis, & aperta, & ex hominū opinione definitio, hoc modo: Maieſtatem minuere, eſt de dignitate, aut amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum, quibus populus poteſtatem dedit, aliquid derogare. hoc ſi breuiter expoſitum pluribus uerbis eſt, & rationibus confirmandum, & ita eſſe, ut deſcripſeris, oſtendendum. Poſtea ad id, quod definieris, factum eius, qui accuſabitur, adiungere oportebit, & ex eo, quod oſtenderis eſſe, uerbi cauſſa ad Maieſtatem minuere, docere aduerſarium maieſtatem minuiſſe, & hunc locum totum communi loco confirmare, per quem ipſius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur. Poſt erit infirmanda aduerſariorum deſcriptio. Ea autem infirmabitur, ſi falſa demonſtrabitur. hoc ex opinione hominum ſumetur. cum, quemadmodum, & quibus in rebus homines in conſuetudine ſcribendi, aut ſermocinandi eo uerbo uti ſoleant, conſiderabitur. Item infirmabitur, ſi turpis, aut inutilis eſſe oſtendetur eius deſcriptionis approbatio; &, ſi, quae incommoda conſecutura ſint eo conceſſo, oſtendetur. id autem ex honeſtatis, & utilitatis partibus ſumetur, de quibus in deliberationis praeceptis exponemus. & ſi cum definitione noſtra aduerſariorum definitionem conferemus, & noſtram ueram, honeſtam, utilem eſſe demonſtrabimus, illorum contra. Quaeremus autem res aut maiori, aut minori, aut pari in negotio ſimiles, ex quibus affirmetur noſtra deſcriptio. Iam, ſi res plures erunt definiendae, ut ſi quaeratur, fur ſit, an ſacrilegus, qui uaſa ex priuato ſacra ſurripuerit, erit utendum pluribus definitionibus. Deinde ſimili ratione cauſſa tractanda. Locus autē communis in eius malitiam, qui non modo rerum, uerum etiam uerborum poteſtatem ſibi arrogare conetur, ut & faciat, quod uelit, & id, quod fecerit, quo uelit nomine appellet.

EXPLANATIO

IVDICATIO, eſt ex ratione, & refuta-tione rationis controuerſia.

AD *hanc iudicationem argumentationes omnes afferre oportebit.*] Ad hanc iudicationem, ideſt definitiuam, ne, aliam cum feceris conſtitutionem, hic aliam facias iudicationem, & non conueniat. Haec praecepta, quae nunc finitiui ſtatus ponimus, & earum partes propter qualitatem, quae partes plures habet, & controuerſias legales ſtatus dicit. MAIESTATEM *minuere, eſt de dignitate, &c.*] Definitio eſt rei, de qua quaeritur. PLVRIBVS *uerbis, & rationibus confirmandum,*] Superior definitio eſt: haec confirmatio definitionis. POSTEA *ad id, quod definieris,*] Deductio definitionis ad ſpeciem. HOC *ex opinione hominum ſumetur.*] Quomodo deſtruatur deſcriptio aduerſae partis. VERAM, *honeſtam, utilem eſſe demonſtrabimus.*] Cum tria dederit defenſori uitia definitionis, ideſt falſam, turpem, inutilem: tria dat accuſatori contra ornamenta finitionis, ideſt ueram, honeſtam, utilem: ut etiam ex collatione melior accuſatoris definitio probetur. DEINDE *ſimili ratione cauſſa eſt tractanda.*] Vt definias, approbes, deducas ad ſpeciem, infirmes definitionē aduerſae partis, docendo falſam, turpem, inutilem. Cōpares etiam, quae utilior eſt: uel reliqua aut a maiore, aut a minore, aut a pari. ſed in tot definitionibus omnia haec erunt obſeruanda, quot res definiendae ſunt.

CICERO

*D*EINDE *defenſoris primus locus eſt, item nominis breuis, & aperta, & ex opinione hominum deſcriptio, hoc modo: Maieſtatem minuere, eſt aliquid de rep. cum poteſtatem non habeas, adminiſtrare. Deinde huius confirmatio eſt ſimilibus & exemplis, & rationibus. Poſtea ſui facti ab illa definitione ſeparatio. Deinde locus communis, per quem facti utilitas, aut honeſtas adaugetur. Deinde ſequitur aduerſariorum definitionis reprehenſio, quae iiſdem ex locis omnibus, quos accuſatori praeſcripſimus, conficitur: & cetera poſt eadem praeter communem locum iuducentur. Locus autem communis erit defenſoris is, per quem indignabitur, accuſatorem ſui periculi cauſſa non res ſolum conuertere, uerum etiam uerba commutare conari. Nam illi quidem communes loci, qui aut calumniae accuſatorum demonſtrandae, aut miſericordiae captandne, aut facti indignandi, aut a miſericordia deterrendi cauſſa ſumuntur, ex periculi magnitudine, non ex cauſſae genere ducuntur. quare non in omnẽ cauſſam, ſed in omne cauſſae genus incidunt. eorum mentionem in coniiecturali conſtitutione fecimus. Inductione autem eorum, cum cauſſa poſtulabit, utemur.*

EXPLANATIO

DEINDE *defenſoris primus eſt locus, item nominis breuis, & aperta, & ex opinione hominum deſcriptio,*] Et huic dat quattuor ad actionem definitionis locos: ſed in quibuſdam partibus, ideſt in tertio loco diſcrepabit. Supra enim, ideſt in parte accuſatoris, haec quattuor ſunt: definitio, approbatio propriae definitionis, deductio in ſpeciem propriae definitionis, deſtructio definitionis alienae. At hic in parte defenſoris, eſt ſimiliter definitio, ſiue approbatio eius: &, quod mutat, ſeparatio definitionis a ſpecie, de qua quaeritur, deſtructio definitionis aduerſae partis. DEFENSORIS *deinde primus locus eſt, & actio*: Datis omnibus locis accuſatori ad ſuam definitionem, defenſori quoque ad definitionem eiuſdem proprios locos tradit. ex quibus primus eſt definitio, & ipſa breuis: deinde eius affirmatio: tertio loco a definitione ſua ſeparatio eius ſpeciei, de qua quaeritur, ideſt quaeſtio eſt. poſt locum locus communis infertur: per quem facti utilitas, aut honeſtas augetur: quem quidem locum habet etiam accuſator, ſed ex contrario. ille enim indignitatem rei auget, hic utilitatem. Quarto loco ſequitur aduerſariorum definitionis reprehenſio, eadem illa omnia retinens, quae definitionis reprehenſio includit: ideſt, ut falſa, ut turpis, ut inutilis doceatur: fiatq. utriuſque definitionis etiam a defenſore ſimiliter comparatio. omnia enim defenſor facere, ac dicere poterit, quae accuſator, praeter locum communem eiuſdem accuſatoris. Habebit autem defenſor locum communem, per quem indignabitur accuſatorem ſui periculi cauſſa, non ſolum conuertere, uerum etiam uerba mutare conari. Hic ſimiliter locus defenſoris ex ipſa definitiua conſtitutione ſuſceptus eſt: unde proprius hic locus conſtitutionis defenſoris. Nam eſſe quidem poſſunt alij communes loci ex cauſſa, & ex negotio nati, non ex conſtitutione: ut in calumniatorum, ut conquaeſtio miſericordiae, ut indignatio facti, & cetera huiuſmodi, quae ex periculi magnitudine genita non conſtitutionis definitiuae, ut diximus, ſed ex compoſitione circumſtantiae, quam περίστασιν nominamus, procreantur. Sed hi communes loci non in omni cauſſa ſunt, ſed in omne genus cauſſae incidunt: hoc eſt in omnes conſtitutiones incidunt: non in omnes cauſſas, quas unaquaeque habere poterit conſtitutio. Hac de his locis communibus periculi magnitudine procreatis, in coniecturali conſtitutione fecimus mentionem: qui qualesq. ſint explicantes. Vtemur autem his, & eos inducemus in orationem, cum cauſſae ipſius neceſsitas flagitabit, ſimilibus & exemplis, & rationibus, quae ad definitionem ſuam poterunt pertinere. AB *illa definitione ſeparatio,*] Vt ſeparet factum ſuum ab ea definitione, quam habuit aduerſarius. PER *quem facti utilitas, aut honeſtas adaugetur.*] Quo modo accuſator deſcendit ad ſpeciem, ut iungat definitionem ſuam cum ſpecie, ſic defenſor deſcendit ad ſpeciem, ut ſeparet definitionem ſuam a ſpecie, ideſt a facto, unde quaeſtio eſt. Et uterque utetur loco communi: ſed accuſator ut augeat factum per indignationem, reus utile eſſe doceat, & honeſtum. LOCIS *omnibus, quos accuſatori praeſcripſimus,*] Vt & hic rurſus conuertat in definitionem aduerſarij praecepta ſuperiora, & dicat eam falſam, turpem, inutilem: compararet ex maiore, minore, pari, quae habet ſcilicet accuſator. Nam & hic proprium locum communem de fine habebit. nam & extra finem, quem poteſt cauſſa ſuggerere, habere poteſt uterque alium locum communem. POST *eadem praeter communem locum inducentur.*] Id eſt collatio ipſarum definitionum per maiora, minora, paria. NAM *illi quidem communes loci,*] Qui in quacumque parte eſſe poſſunt cauſſa ſuggerente. EX *periculi magnitudine, non ex cauſſae genere ducuntur,*] Vt non proprius ſit locus communis ex fine natus, ſed ex negotii genere, cuius circumſtantia pro qualitate, uel quantitate periculi locos communes dabit. NON *in omnem cauſſam, ſed in omne cauſsae genus incidunt.*] Hi loci communes, qui ex compoſitione negotiorum naſcuntur, non in omnibus cauſsis ſunt, quia non omnis cauſſa ſimiliter componitur: ſed cadunt in omnia genera cauſſarum, ideſt in omnes conſtitutiones: quia quaelibet conſtitutio modo atroci negotiorum compoſitione fingitur, modo ſimpliciter componitur.

CICERO

CVM autem actio tranſlationis, aut commutationis indigere uidetur, quod non aut is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege, qua poena, quo crimine, quo tempore oportet, conſtitutio tranſlatiua appellatur. Huius nobis exempla permulta opus ſunt, ſi ſingula trãſlationum genera quaeramus: ſed quia ratio praeceptorum ſimilis eſt, exemplorum multitudine ſuperſedendum eſt. Atque in noſtra quidem conſuetudine multis de cauſſis fit, ut rarius incidant tranſlationes. Nam & praetorijs exceptionibus multae excluduntur actiones, & ita ius ciuile habemus conſtitutum, ut cauſſa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. quare in iure plerumque uerſantur. ibi enim & exceptiones poſtulantur, & quodammodo agendi poteſtas datur, & omnis conceptio priuatorum iudiciorum conſtituitur. In ipſis autem iudiciis rarius incidunt, & tamen, ſi quando incidunt, eiuſmodi ſunt, ut per ſe minus habeant firmitudinis, confirmentur autem aſſumpta alia aliqua conſtitutione. Vt in quodam iudicio, cum uenefici cuiuſdam nomen eſſet delatum, &, quia parricidij cauſſa ſubſcripta eſſet, extra ordinem eßet acceptum, cum in accuſatione alia quaedam crimina teſtibus, & argumentis confirmarentur, parricidij autem ſolum mentio facta eſſet, defenſor in hoc ipſo multum oportet, & diu conſiſtat, cum de nece parentis nihil demonſtratum ſit, indignum facinus eſſe ea poena afficere eum, qua parricidae afficiuntur. Id autem, ſi damnaretur, fieri neceſſe eßet, quoniam & id cauſſae ſubſcriptum, & ex ea re nomen extra ordinem ſit acceptum. Ea igitur poena ſi affici reum non oporteat, damnari quoque non oportere, quoniam ea poena damnationem neceßario conſequatur. Hic defenſor poenae commutationem ex tranſlatiuo genere inducendo, totam infirmabit accuſationem. Verumtamen ceteris quoque criminibus defendendis coniecturali conſtitutione tranſlationem confirmabit.

EXPLANATIO

CVM *autem actio tranſlationis, aut commutationis indigere uidetur,*] Tertia eſt conſtitutio, quae tranſlatio eſt: quia ita Tullius ordinem dedit. Haec commutationem iudicij cum actione tenet, cum perſona, locus, lex, crimen, poena mutatur, uel cetera, quae ſimlia ſunt. His ſingulis ſupponere exempla, & infinitum, & ſuperuacuum eſt: uel quia multis modis efficitur, uel quia omnibus modis ad dicendum una praeceptio eſt. Omnis autem tranſlatio apud antiquos temporibus Tullianis, in ipſa cauſſarum actione, aut non erat, aut rarior inueniebatur. Praetores etenim, qui ius dicebant, & iudices dabant, & controuerſiae, uel agendi genus inſtituta actione formabant: ita ſibi praeſcribebat Praetor, qua accuſator, qua reus deberet actione uti, praeſcribẽdo quid fieret, excipiendoq. quid non fieret, tranſlationis controuerſiam actionibus auferebat. Erat praeterea inſtitutum, ut a cauſſa caderet is, qui non quemadmodum oportebat egiſſet. Ergo etiam propter haec, formata lite ad iudicium ueniebat. Apud ipſum uero praetorem, cum litis ipſius forma componeretur, illic partes aut excipiebant aliquid, aut ſimplicem actionem accipiebant. Vnde in ipſo (ut dixi) inre, hoc eſt apud praetorem, de modo agendi cum quaereretur, tractabatur exceptio, atque tranſlatio. Cum autem iam litis forma eſſet accepta, in iudicio nulla iam poterat eſſe tranſlatio. Ergo in iudiciis tranſlatio rarius inuenitur: &, ſi quando inuenta fuerit, ipſa per ſe parum firmitudinis tenet, aſſumitq. uires alia conſtitutione. hoc namque praeceptum Tullianum eſt, tranſlationem ex alia conſtitutione firmari: ad quod praeceptum exemplum ſubiungit: non ut tranſlationem doceat, ſed ut oſtendat tranſlationem alia conſtitutione firmari. Reus parricidij factus, probatis aliis criminibus, an damnandus ſit, quaeſtio eſt. Vtitur tranſlatione reus, cum dicit ſe non parricidij damnandum eſſe, quia nihil inde ſit approbatum, ſed aliorum criminum, quae probata ſint, affici oportere ſupplicio: ac ne eo quidem, quod non inde iudicium conſtitutum ſit. Ita, ſi neque probatorum criminum poena eſſe debet, quia non inde iudicium conſtitutum eſt: neque parricidij, quia nihil probatum, confirmat non eſſe damnandum. Verumtamen purgandis aliis criminibus per coniecturam, opera danda eſt, ut reus non opera tantum tranſlationis utatur. Ergo probatum illud eſt, tranſlationem alia conſtitutione firmari. Subiungit uerum exemplum tranſlationis, cum agit iniuriarum cui praeciſa manus eſt: & is, qui praecidit, exceptionẽ poſtulat: ut in hoc iudicio, de maleficio non fiat praeiudicium. In hoc genere conſtitutionis praecepta haec ſunt, quae utrique parti dentur: ut explicent quid fieri ſoleat, a quo, per quos, quomodo, quo tempore, quemadmodum agi, quemadmodum iudicari, quemadmodum ſtatui: quod utique ex partibus iuris agnoſcitur: de quibus partibus in qualitate eſt tractaturus. Debet etiam tractari, quid in ſimilibus rebus fieri ſoleat. aut enim in iure cautum eſt id, de quo quaeritur, aut ſolet ſic fieri, aut non ſolet, aut ad id, quod in iure ſolitum eſt, id quod ſimile eſt, applicatur. Deinde per coniecturam tractandum, utrũ malitia quid aliud agatur: cum aliud ſimiliter, an ſtultitia, an neceſsitate. Locus autem communis unus eſt contra tranſlationem, fugere iudicium, & poenam, eum ſcilicet, qui tranſlatione utatur. A tranſlatione unus locus eſt commnnis, perturbari omnia, ſi non eo pacto agãtur, quo oportet. Hae ſunt tres conſtitutiones, quae ſpecies non habent: Coniectura, finis, tranſlatio. Tranſlationem autem non intelligamus formam eſſe ſtatus, ſcilicet legalis: praeſcriptionem uero eandem appellari poſſe, & eandem exceptionem, ſed ab oratoribus. In iure antem praeſcriptionem dici ipſum propoſitum ius: exceptionem autem, cum ius ipſum propoſitum aduerſus ſe actor alius excipit, interpoſita aliqua condicione. Sit nobis praeſcriptio, iniuriarum: exceptio, ſi praeiudicium facias de caede, ſi ſingula tranſlationum genera quaeramus, ut exemplum quemadmodum alia lege, quemadmodum alio crimine, & ad ſingula,

quibus

quibus tranſlatio uidetur impleri. Sed, *quia ratio praeceptorum ſimilis eſt, exemplorum multitudine ſuperſedendum eſt.*] Cum enim praecepta in omni genere tranſlationis eadem ſint, ad diuerſitatem fruſtra exempla quaererentur. Eadem enim praeceptorum ratio in omnibus tranſlationis partibus, & ubique ſeruabitur. Mvltis *de cauſſis fit, ut rarius incidant tranſlationes.*] Quoniam per praetoris formulas actionibus integritas datur, neque in iudiciis ulla poteſt eſſe praeſcriptio. Qvi *non, quemadmodum oportet, egerit.*] Apud praetorem. Qvare *in iure plerumque uerſantur.*] Tranſlationes. Ibi *enim & exceptiones poſtulantur.*] In cauſsis autem, aut raro, aut numquam. Privatorvm *iudiciorum conſtituitur.*] Ideo non poteſt in iudiciis eſſe tranſlatio, ſed apud praetorem. Hic *defenſor poenae commutationem.*] Quoniam, cum dicit non hac poena afficiendus eſt aliorum criminum probatorum, cumq. tali non oportebat, quia eius crimen non probatum eſt: ita ne alia quidem poena affici oportere dicit, quae ſit aliorum criminum: unde commutatione poenae uis accuſationis tota tolletur. Ceteris *quoque criminibus defendendis.*] Quae probata dicuntur. Coniectvrali *conſtitutione tranſlationem confirmabit.*] Vt infirmitatis etiam in criminibus illis, quae paobata dicuntur, rei poſsit releuare perſonam.

C I C E R O

*E*Xemplvm *autem tranſlationis in cauſſa nobis poſitum ſit huiuſmodi: Cum ad uim faciendam quidam armati ueniſſent, armati contra praeſto fuerunt, & cuidam equiti Romano quidam ex armatis reſiſtenti gladio manum praecidit. Agit is, cui manus praeciſa eſt, iniuriarum: poſtulat is, quicum agitur, a praetore exceptionem, extra quam in reum capitis praeiudicium fiat. Hic is, qui agit, iudicium purum poſtulat: ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere. Quaeſtio eſt, excipiendum ſit, an non. Ratio, Non enim oportet in recuperatorio iudicio eius maleficij, de quo inter ſicarios quaeritur, praeiudicium fieri. Infirmatio rationis, Eiuſmodi ſunt iniuriae, ut de his indignum ſit non primo quoque tempore iudicari. Iudicatio atrocitas iniuriarum ſatis ne cauſſae ſit. quare, dum de ea iudicetur, atque maiore maleficio, de quo iudicium comparatum ſit, praeiudicetur. atque exemplum quidem hoc eſt. in omni autem cauſſa ab utroque quaeri oportebit, a quo, & per quos, & quo modo, & quo tempore, aut agi, aut iudicari, aut quid ſtatui de ea re conueniat. Id ex partibus iuris, de quibus poſt dicendum eſt, ſumi oportebit: & ratiocinari quid in ſimilibus rebus fieri ſoleat: & uidere, utrum malitia quid aliud agatur, aliud ſimuletur, an ſtultitia, an neceſſitudine, quod alio modo agi non poſſit, an occaſione agendi ſic ſit iudicium, aut actio conſtituta, an recte ſine ulla re eiuſmodi res agatur. Locus autem communis contra eum, qui tranſlationem inducet, fugere iudiciū ac poenam, quia cauſſae diffidat. A tranſlatione autem, omnium fore perturbationem, ſi non ita res agatur, & in iudicium ueniat, quo pacto oporteat: hoc eſt, ſi aut cum eo agatur, quicum non oporteat, aut alia poena, alio crimine, alio tempore: atque hanc rationem ad perturbationem iudiciorum omnium pertinere. Tres igitur eae conſtitutiones, quae partes non habent, ad hunc modum tractabuntur. Nunc generalem conſtitutionem & partes eius conſideremus.*

E X P L A N A T I O

EXemplvm *autem tranſlationis in cauſſa poſitum nobis ſit huiuſmodi:*] Illud exemplum, quod ſupra datum eſt, ad hoc datum eſt, ut probaretur tranſlationem alia conſtitutione neceſſario confirmari: nunc dat exēplum tranſlationis. Postvlat *is, quicum agitur, a praetore exceptionem,*] Ne praeiudicium fiat in hac iniuriarum damnatione futuri criminis, quod de capite eſt, ideſt caedis. Indignvm *ſit non primo quoque tempore iudicari.*] Vt etiam in iudicio iniuriarum, indignum ſit non etiam de caede iudicari. Id *ex partibus iuris, de quibus poſt dicendum eſt,*] In qualitate abſoluta. Contra *eum, qui tranſlationem inducit.*] Qui accuſatur iniuriarum. A *tranſlatione autem omnium fore perturbationem,*] Hoc eſt a parte ea, quae utitur ttanſlatione, nam illa ſuperior contra tranſlationem eſt.

C I C E R O

*C*Vm *& facto, & facti nomine conceſſo, neque ulla actionis illata controuerſia, uis, & natura, & genus negotij ipſius quaeritur, conſtitutionem generalem appellamus. Huius primas eſſe partes duas nobis uideri diximus, negotialem, & iuridicialem. Negotialis eſt, quae in ipſo negotio iuris ciuilis habet implicitam controuerſiam. ea eſt huiuſmodi: Quidam pupillum heredem fecit: pupillus autem ante mortuus eſt, quam in ſuam tutelam ueniret. de hereditate ea, quae pupillo uenit, inter eos, qui patris pupilli heredes ſecundi ſunt, & inter agnatos pupilli controuerſia eſt. poſſeſſio heredum ſecundorum eſt. Intentio eſt agnatorum, Noſtra pecunia eſt, de qua is, cuius agnati ſumus, teſtatus non eſt. Depulſio eſt, Immo noſtra, qui heredes ſecundi teſtamento patris ſumus. Quaeſtio eſt, Vtrorum ſit. Ratio eſt, Pater enim & ſibi, & filio teſtamentum ſcripſit, dum is pupillus eſſet. Quare, quae filij fuerunt, teſtamento patris noſtra fiant, neceſſe eſt. Infirmatio eſt rationibus, Immo pater ſibi ſcripſit, & ſecundum heredem non filio, ſed ſibi iuſſit eſſe. Quare, praeterquam quod ipſius fuit in teſtamento, ullius ueſtrum eſſe non poteſt. Iudicatio, Poſſit ne quiſquam de filij pupilli re teſtari: An heredes ſecundi ipſius patrisfamilias, non filij quoque eius pupilli heredes ſint. Atque hoc non alienum eſt, quod ad multa pertineat, ne aut nuſquam, aut uſquequaque dicatur, hic admonere. Sunt cauſſae, quae plures habent ratio-*

nes

nes in ſimplici conſtitutione: quod ſit, cum id, quod factū eſt, aut quod defenditur, pluribus de cauſſis rectum, aut probabile uideri poteſt, ut in hac ipſa cauſſa. Supponatur enim ab heredibus haec ratio, Vnius enim pecuniae plures diſſimilibus de cauſſis heredes eſſe nō poßunt: nec umquam factum eſt, ut eiuſdem pecuniae alius teſtamento, alius lege heres eſſet. Infirmatio autem haec erit, Non eſt una pecunia, propterea quod altera iam erat pupilli aduenticia, cuius heres non illo in tempore in teſtamento quiſquam ſcriptus erat, ſi quid pupillo accidißet: & de altera, patris etiam nunc mortui uoluntas plurimum ualebat, quae iam mortuo pupillo ſuis heredibus concedebat. Iudicatio eſt, Vna ne pecunia fuerit: ac, ſi hac erunt uſi infirmatione, Poſſe plures eſſe unius heredes pecuniae diſſimilibus de cauſſis; de eo ipſo iudicatio naſcitur, Poſſint ne eiuſdem pecuniae plures diſſimilibus generibus eſſe heredes. Ergo una in conſtitutione intellectum eſt, quo modo & rationes, & rationum infirmationes, & praeterea iudicationes plures fiant.

EXPLANATIO

C*VM & facto, & facti nomine conceßo, neque ulla actionis illata controuerſia, uis, & natura, & genus negotij ipſius quaeritur, conſtitutionem generalem appellamus.*] Generalis, hoc eſt qualitatis conſtitutionis praecepta ſupponit, cuius ſpecies eſſe duas dicit, Iuridicialem, & negotialem. Duas enim, deliberatiuam, & demōſtratiuam in priori libro ſuſtulit. Ac nunc prius de negotiali tractat. quoniam ſimplex eſſe noſcitur. iuridicialis in ſpecies eſt diſtributa. Haec negotialis habet litem, cum quaeſtio eſt, quid eſſe debeat, quod colligitur ex iure iam conſtituto, quomodo id ſit habendum, unde controuerſia eſt. Supponit exemplum, quod ſecundi heredes ſibi eam hereditatem uindicent, quae uenerit pupillo: quam ſibi uindicant agnati. Facit intentionem agnatorum, deinde depulſionem heredum ſecundorum. Tunc quaeſtionem, quorum ſit hereditas. Affertur ratio a ſecundis heredibus, Quod unius pecuniae heredes diuerſi eſſe non poſſunt. Fit refutatio, Sed non eſt una pecunia. Erit iudicatio, An una pecunia ſit. Hic admonet poſſe in una, & ſimplici conſtitutione inueniri plurimas rationes, refutationeſq. rationum: & item iudications, ut in hac cauſſa. Nam, cum ratio ſit, Non poſſe plurimis de cauſsis unius pecuniae heredes eſſe diuerſos: cumq. in ſuperioribus refutatio facta ſit, Non eſt una pecunia. Omiſſa hac refutatione, alia refutatio ſupponi poteſt: uti dicatur eſſe poſſe unius pecuniae heredes plures, diuerſis de cauſsis. Et aperte in ipſo Tullio poſitum eſt, quae rationes ſint, quae refutationes. Dat autem huic conſtitutioni locos ad argumenta communiter utique parti, uel omnibus partibus, ſi plures exſiſtant: ut ius unde conſtet, conſiderent. Conſtat autem ex tribus duci, natura, conſuetudine ſequente, deinde lege. Poſtremo naturam eius diuidit in ſex partes, quas ipſe partitus eſt, & definiuit. Item conſuetudinis certas ſpecies a praetoribus poſitas dereliquit. Res firmiſsimas ſubiecit, pactum, par, iudicatum: legitimi autem iuris ſcientiam ediſcendis legibus reliquit. Vis, & natura, & genus ipſius negotij quaeritur. Quale ſit negotium in tribus his quaeritur, Vi, natura, genere: iuſtum, an iniuſtum: utile, an inutile. ANTE *mortuus eſt, quam in ſuam tutelam ueniret.*] Vt non poſſet facere teſtamentum, quia minor eſſet. CVIVS *agnati,*] Id eſt, petitores. DE *quais, cuius agnati ſumus, teſtatus non eſt.*] Ideſt, pater pupilli, uel pupillus ipſe. RATIO *eſt,*] Ratio quaeſtionis eorum, qui poſſeſſores ſunt. PATER *enim, & ſibi, & filio teſtamentum ſcripſit,*] Quamdiu non licebat filio ſcribere teſtamentum. INFIRMATIO *eſt rationis,*] A parte petitoris. NON *filio.*] Si extrinſecus aliud aliunde filius haberet. SED *ſibi iuſſit eſſe,*] Ideſt, rebus ſuis ſubſtituit. IVDICATIO,] Ex ratione, & refutatione rationis. POSSIT *ne quiſquam de fily pupilli re teſtari,*] Quam non ipſe haberet, & quam pupillus aliunde quaeſiſſet. AN *ſecundi ipſius patrisfamilias, non filius quoque eius pupilli heres ſint.*] Quia ſecundus heres cum dicitur, eius eſt ſecundus, qui hereditatem remiſit. Vnde heres eſſe non poteſt, niſi eius, cui ſecundus heres eſt. Eius autem heres non poteſt eſſe, cui non eſt ſecundus. IVDICATIO *eſt, una ne pecunia fuerit. Ac ſi hac erunt uſi infirmatione,*] Duas infirmationes ex parte poſuit petitorum, aut agnatorum, contra unam rationem poſſeſſorum: hoc eſt, heredum ſecūdorum, quod dicerent unius pecuniae plures heredes diſsimilibus de cauſsis eſſe non poſſe: erit una infirmatio, Non eſt una pecunia. Itē alia eſſe poſſunt, Vnius pecuniae diſsimilibus de cauſsis diuerſi heredes diſsimilibus generibus heredes eſſe, ut alius teſtamento, alius lege, alius agnatione.

CICERO

N*VNC huius generis praecepta uideamus. Vtriſque, aut etiam omnibus, ſi plures ambigent, ius, ex quibus rebus conſtet, eſt conſiderādum. Initium ergo eius ab natura ductum uidetur: quaedam autem ex utilitatis ratione, aut perſpicua nobis, aut obſcurū in conſuetudinem ueniſſet poſt autem approbata, quaedam aut a conſuetudine, aut uero utilia uiſa, legibus eſſe firmata. Ac naturae quidem ius eſt, quod nobis non opinio, ſed quaedam innata uis afferat, ut religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem. Religionem, eam, quae in metu, & caerimonia deorum ſit, appellant. Pietatem, quae erga patriam, aut parentes, aut alios ſanguine coniunctos officium conſeruare moneat. Gratiam, quae in memoria, & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum obſeruantiam teneat. Vindicationem, per quam uim, & contumeliam defendendo, aut ulciſcendo propulſamus a nobis, & a noſtris, qui nobis eſſe cari debent, & per quam peccata punimus. Obſeruantiam, per quā aetate, aut ſapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reueremur, & colimus. Veritatem, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmauerimus, fiat, aut factum, aut futurum ſit. Ac naturae quidem iura minus ipſa quaeruntur ad hanc controuerſiam, quod neque in hoc ciuili iure uerſantur, & a uulgari intelligentia remotiora ſunt: ad ſimilitudinem uero aliquam, aut ad rem amplificandam ſaepe ſunt inferenda.*

EXPLANATIO

NVNC *huius generis praecepta uideamus*,] Exemplum dedit qualitatis,& negotialis: dedit & praeceptum, quomodo rationes multae eſſe poſſent. Nunc ſubiungit in hanc negotialem qualitatem, quemadmodum & unde argumenta ſocianda ſunt. VTRISQVE,] ideſt, petitori, & poſſeſſori. AVT *etiam omnibus, ſi plures ambigent*,] Si plures contra unum poſsidentem petant, ut non duae partes ſint, ſed plures. INITIVM *ergo eius ab natura ductum uidetur*.] Vt conſtet ius natura, uſu, lege. Omnium autem trium ſupponit partes. QVAEDAM *autem ex utilitatis ratione, aut perſpicua nobis, aut obſcura*.] Interdum enim ſequimur conſuetudinem: hoc eſt, quia conſuetudo, non quia ſcimus utile eſſe, quod ſequimur. POST *autem approbata quaedam, aut a conſuetudine, aut a uero*.] *A conſuetudine*: quoniam conſuetudo eſt. *Aut a uero*: quoniam ratio eius perſpecta eſt, & utilitas uiſa. VINDICATIONEM,] Pro uindicta, pro ulttione. AD *hanc controuerſiam*,] Id eſt cauſſae genus iudiciale.

CICERO

CONSVETVDINIS ius autem ius eſſe putatur id, quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit. In ea autem iura ſunt quedam ipſa iam certa propter uetuſtatem. quo in genere & alia ſunt multa, & eorum multo maxima pars, quae praetores edicere conſueuerunt. Quaedam autem genera iuris iam certa conſuetudine facta ſunt. quod genus, pactum, par, iudicatum, Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit: quod iam ita iuſtum putatur, ut iuri praeſtare dicatur. Par, quod in omnes aequabile eſt. Iudicatum, de quo iam ante ſententia alicuius, aut aliquorum conſtitutum eſt. Iam iura legitima ex legibus cognoſci oportebit. His ergo ex partibus iuris quidquid aut ex ipſa re, aut ex ſimili, aut ex maiore, aut ex minore naſci uidebitur, quemque attendere, atque elicere pertentando unamquamque partem iuris oportebit. Locorum autem communium quoniam, ut ante dictum eſt, duo ſunt genera, quorum alterum dubiae rei, alterum certae continet amplificationem, quid ipſa cauſſa det, & quid augeri per communem locum poſſit, & oporteat, cõſiderabitur. nam certi, qui in omnes incidant, loci praeſcribi non poſſunt: in pleriſque fortaße ab auctoritate iuriſconſultorum, & contra auctoritatem dici oportebit. Attendendum eſt autem in hac, & in omnibus, num quos locos communes, praeter eos, quos expoſuimus, ipſa res oſtendat. Nunc iuridiciale genus, & partes eius conſideremus.

IVRIDICIALIS eſt, in qua aequi, & iniqui natura, & praemij, aut poenae ratio quaeritur. Huius partes ſunt duae, quarum alteram abſolutam, alteram aſſumptiuam nominamus.

EXPLANATIO

CONSVETVDINIS *autem ius eſſe putatur id, quod uoluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit*.] Finitis partibus iuri naturali ſuppoſitis, nunc conſuetudinis iuri partes ſubiicit. *Voluntate omnium ſine lege uetuſtas comprobarit*: Vt prudentium ratio, auctoritate data conſuetudini, de conſuetudine in poſteros miſerit legem. IVRA *ſunt quaedam certa propter uetuſtatem*.] Vtputa, ut maioribus aſſurgatur: ius eſt hoc, ſed conſuetudinis. MVLTO *maxima pars, quam praetores edicere conſueuerunt*.] Non ex legum praeceptis, & iuſſionis, ſed ex conſuetudine, quae proponatur a praetoribus ex bono, & aequo. PAR, *quod in omne aequabile eſt*.] Vt, qui proponit aliquid, tale proponat, ut quo iure alium teneat, hoc ſe alliget. IAM *iura legitima ex legibus cognoſci oportebit*.] Haec, quae ſupra dicta ſunt, de conſuetudine tractata ſunt: nunc, cum ſupereſſet ius legitimum, cognitionem eius ad eos tranſtulit, qui legitima iura fecerunt. HIS *ergo ex partibns iuris, quidquid aut ex ipſa re, aut ex ſimili, aut ex maiore, aut ex minore naſci uidebitur, attendere, atque elicere pertentando unamquamque partem iuris debebit*.] Diuiſo iure omni in naturam, conſuetudinem, leges: dat praeceptum, ut argumenta ſumamus, uel quae ex ipſa re ſumuntur, uel quae ex ſimili, aut maiore, aut minore. Locos autem communes dare ſe negat poſſe certos in ſingulas conſtitutiones. Etenim, cum duo genera ſint, quorum alterum rei dubiae approbationem ducendo generalem tractatum habet; alterum rei certae continet amplificationem, neceſſario cauſſae ipſius facultas ſuggerit, ſiquid amplificationis, aut indignationis, conqueſtioniſq. naſcitur. Sed, quoniam in negotiali qualitate de iure tractatus eſt, erunt loci communes, uel ab auctoritate iuriſperitorum, uel contra eorum auctoritatem. Haec de negotiali. Subiungitur iuridicialis. Quae ipſa, cum genus ſit, in duo diuiditur; in abſolutam, & aſſumptiuam. Abſolutae ſupponit exemplum, quod trophaeum Aeneum contra morem poſt uictoriam Graij de Graiis ſtatuernnt. Facit intentionem, & depulſionem; ſupponitq. poſtea rationem, ſed abſolutae conſtitutionis, ut naſcatur iudicatio, Iuſte fecimus: quia aeternum uirtutis noſtrae monumentum relinquere uoluimus. Sin autem dicatur, ideo Aeneum, quia meruiſtis; erit ratio de relatiua qualitate. Vnde intelligimus in unam cauſſam conſtitutiones incidere poſſe plurimas principales. Verumetiam abſoluta qualitas eoſdem habebit locos argumentorum, quos negotialis, ex partibus iuris, naturae, conſuetudinis, legum. Sed in abſoluta ipſa iura proferimus; ut factum defendas uel lege, uel conſuetudine, uel natura: in negotiali autem haec iura proferuntur, ut poſsit conſtitui, quo iure eſſe debeat id, de quo negotium eſt: quia eius conſtitutionis ad futurum ſpectat intentio, aut ex ipſa re, aut ſimili, maiore, minore ue naſci uidebitur. Aut enim in iure poſita eſt haec ſpecies, quae quaeritur, litis, aut ex eo, quod in iure eſt, ad hoc negotium ſimilitudo traducitur. DVBIAE *rei*,] Theſis ſcilicet. ALTERVM *certae continet amplificationem*] Locis communibus iam re probata augmentum facies. Illud enim adhuc in quaeſtione eſt,

QVID

QVID *augeri per communem locum poſſit, & oporteat, conſiderabitur.*] De re probata locum communem per argumentum, non theſis. NAM *certi, qui in omnes incidunt loci, perſcribi non poſſunt.*] In ſingulas conſtitutiones certi loci, & proprij dari non poſſunt. Merito ergo & in negotiali. Quoniam tamen in negotiali de iure tractatur, loci communes hi eſſe poſſunt, Contra auctoritatem iuriſperitorum, Ab auctoritate iuriſperitorum. NVNC *iuridiciale genus, & partes eius conſideremus.*] Ipſa enim eſt, quae diuiditur.

CICERO

ABSOLVTA eſt, quae ipſa in ſe, non, ut negotialis, implicite, & abſcondite, ſed patentius, & expeditius recti, & non recti quaeſtionem continet. Ea eſt huiuſmodi: Cum Thebani Lacedaemonios bello ſuperauiſſent, & fere mos eſſet Graiis, cum inter ſe bellum geſſiſſent, ut ij, qui uiciſſent, trophaeum aliquod in finibus ſtatuerent uictoriae modo in praeſentia declarandae cauſſa, non ut in perpetuum belli memoria maneret, aeneum ſtatuerunt trophaeum. Accuſantur apud Amphyctionas, ideſt, apud commune Graeciae concilium. Intẽtio eſt, Non oportuit. Depulſio eſt, Oportuit. Quaeſtio eſt, Oportuerit ne. Ratio eſt, Eam enim ex bello gloriam uirtute peperimus, ut eis aeterna inſignia poſteris noſtris relinquere uellemus. Infirmatio eſt, Attamen aeternum inimicitiarum monumentum Graios de Graiis ſtatuere non oportet. Iudicatio eſt, Cum ſummae uirtutis celebrandae cauſſa Graij de Graiis aeternum inimicitiarum monumentum ſtatuerint, recte ne, an contra fecerint. Hanc ideo rationem ſubiecimus, ut hoc cauſſae genus ipſum, de quo agimus, cognoſceretur. Nam, ſi eam ſuppoſuiſſemus, qua fortaſſe uſi ſunt: Non enim iuſte, neque pie bellum geſſiſtis; in relationem criminis dilaberemur, de qua poſt loquemur. Vtrumque autem cauſſae genus in hanc cauſſam incidere perſpicuum eſt.

EXPLANATIO

ABSOLVTA *eſt, quae ipſa in ſe, non, ut negotialis, implicite, & abſcondite, ſed patentius, & expeditius recti, & non recti quaeſtionem continet.*] In negotiali quaeritur, quid eſſe debeat. In abſoluta, quid eſt iuris. *Non ut negotialis*: Negotialis enim non habet ius certum, ſed quaeritur de eo iure, quod eſſe debeat, in negotio praeſenti. *Abſoluta eſt, quae ipſa in ſe, non ut negotialis*: In negotiali qualitate ius efficitur ſententia iudicis: in abſoluta, quod poſitum ius, & notum eſt, ab oratore ſumitur. *Implicite, & abſcondite*: Quia adhuc incertum eſt, & quaeritur, quid eſſe debeat.

CICERO

IN hanc argumentationes ex iiſdem locis ſumendae ſunt, atque in cauſſam negotialem, de qua ante dictum eſt. Locos autem communes & ex cauſſa ipſa, ſi quid inerit indignationis, aut conqueſtionis, & ex iuris utilitate, & natura multos, & graues ſumere licebit, & oportebit, ſi cauſſae dignitas uidebitur poſtulare. Nunc aſſumptiuam partem iuridicialis conſideremus.

EXPLANATIO

IN *hanc argumentationes ex iiſdem locis ſumendae ſunt, atque in cauſſam negotialem, de qua ante dictum eſt.*] Vt ex partibus iuris, naturae, conſuetudinis, legum, argumenta ſumamus. Hoc tamen, cum & in negotiali haec ſint, diſtat abſoluta ab negotiali, quod illa latius aſſumit, ut probet quemadmodum nouum ius eſſe poſſit, de quo quaeritur. Abſoluta autem ipſa iura aſſumit, ut probet factum.

CICERO

ASSVMPTIVA igitur tunc dicitur, cum ipſum ex ſe factum probari non poteſt, aliquo autem foris adiuncto argumento defenditur. Eius partes ſunt quattuor, comparatio, relatio criminis, remotio criminis, conceſſio. Comparatio eſt, cum aliquod factum, quod per ſe ipſum non ſit probandum, ex eo, cuius id cauſſa factum eſt, defenditur. ea eſt huiuſmodi: Quidam imperator, cum ab hoſtibus circumſideretur, neque effugere ullo modo poſſet, depactus eſt cum eis, ut arma, & impedimenta relinqueret, milites educeret: itaq. fecit: armis & impedimentis amiſſis, praeter ſpem milites conſeruauit. accuſatur maieſtatis. Incurrit huc definitio, quid ſit laedere maieſtatẽ: ſed nos hunc locum, de quo agimus, conſideremus. Intentio eſt, Non oportuit arma, & impedimenta relinquere. Depulſio eſt, Oportuit. Quaeſtio eſt, Oportuerit ne. Ratio eſt, Milites enim omnes periiſſent. Infirmatio eſt, aut coniecturalis, Non periiſſent: aut altera coniecturalis, Non ideo feciſti. Ex quibus ſunt iudicationes, Periiſſent ne: &, Ideo ne fecerit. aut haec comparatiua, cuius nunc indigemus, At enim ſatius fuit amittere milites, quam arma, & impedimenta hoſtibus concedere. Ex qua iudicatio naſcitur: Cum omnes perituri milites eſſent, niſi ad hanc pactionem ueniſſent, utrum ſatius fuerit amittere milites, an ad hanc condicionem uenire.

EXPLANATIO

Assvmptiva *igitur tunc dicitur, cum ipſum ex ſe factum probari non poteſt.*] Aſſumptiuae qualitatis praecepta tractaturus, docet quid ipſa ſit, & eius partes quattuor ſupponit. Ac primam compenſationem, quam & comparationem appellat: huius exemplum ſubiicit imperatoris eius, qui impedimenta, & arma tradiderit, ut exercitum ab obſidione hoſtium liberaret. Hic, quoniam finitiuus ſtatus eſſe potuit, Quid ſit laedere maieſtatem. certi enim nominis reus eſt: huius conſtitutionis idem finitiuae tractatu omiſſo, ipſam conſiderat compenſationem: ac praecepta haec conſtituit, ut, ſi quid per coniecturam tractandum, ſi prima parte tractetur, uel hoc non obfuiſſe, uel hoc non futurum fuiſſe, propter quod iſtud, unde reus ſit, dicatur eſſe commiſſum: iſta coniecturalia ſunt. Item ſi definitio fuerit, cum alioqui certi nominis reus eſt, transferenda huc ſunt omnia, quae ſunt definitionis: monetq. nunc alteram, nunc utramque conſtitutionem, ideſt & finem, & coniecturam in prima parte tractari: & item alias, tractis ſcilicet huc rationibus ſingularum, & cõfirmationis, & infirmationis. Ipſius autem compenſationis praecepta haec ſunt, ut comparemus id, quod amiſſum eſt: & propter quod admiſſum eſt, ex partibus honeſtatis, utilitatis, neceſsitatis, ut neque fuiſſe aut honeſtum, aut utile, aut neceſſarium: ubi & gradus tangi poteſt non tam utile, non tam honeſtum, non tam neceſſarium: quae partes, ideſt utilis honeſti neceſſarij plenius intelligentur in praeceptis deliberatiuae. Sic facta ſeparatione, & eius beneficij, quod praeſtitiſſe ſe dicit, & eius maleficij, quod admiſit, actio poſtrema deducẽda eſt ad formam deliberatiuae: ut ita agatur, quaſi ſuadeat, aut diſſuadeat orator faciendum, aut non faciendum: quoniam accuſatoris pars eſt utique, ut diſſuadeat. Defenſor uero haec omnia contraria actione conuertet: cum ille coniectura uſus fuerit, coniecturaliter reſpondeat. Item contra perſuaſionem accuſatoris fidem aſſumat, argumenta officij. Ipſius autem compenſationis contrarias partes tenebit, ut doceat utile, honeſtum, neceſſarium fuiſſe, quod fecerit: aut tantopere per gradum utile fuiſſe, honeſtum, neceſſarium. Loci communes ab accuſatore erunt duo: In eum, qui de turpi facinore confiteatur, & quaerat aliquam defenſionem: & alter ipſius inutilitatis, & turpitudinis expreſsio cum indignatione. A defenſore tres ſunt: Nihil per ſe turpe, aut inhoneſtum putari, niſi animo facientis conſideretur. Alter amplificatio beneficij praeſtiti. Tertius expoſitio ipſius, & periculi, & beneficij. Ex *quibus ſunt iudicationes,*] Duae ſcilicet iudicationes coniecturales. Avt *haec comparatiua, cuius nunc indigemus,*] Haec iudicatio propria eſt ipſius compenſatiuae conſtitutionis.

CICERO

Hoc cauſſae genus ex his locis tractari conueniet. Oportebit adhibere ceterarum quoque conſtitutionum rationem, atque praecepta, ac maxime coniecturis faciendis infirmare illud, quod cum eo, quod crimini dabitur, ij, qui accuſabuntur, comparabunt. Id fiet, ſi aut id, quod dicent defenſores futurum fuiße, niſi id factum eſſet, quo de facto iudicium eſt, futurum fuiſſe negabitur: aut ſi alia ratione, & aliam ob caußam, ac dicet ſe reus feciſſe, demonſtrabitur eſſe factum. Eius rei confirmatio, & item contraria de parte infirmatio ex coniecturali conſtitutione ſumetur. Sin autem certo nomine maleficij uocabitur in iudicium, ſicut in hac cauſſa, (nam maieſtatis accerſitur) definitione, & definitionis praeceptis uti oportebit. Atque haec quidem plerumque in hoc genere incidunt, ut coniectura, & definitione utendum ſit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet, eius generis praecepta licebit huc pari ratione transferre. Nam accuſatori maxime eſt in hoc elaborandum, ut id ipſum factum, propter quod ſibi reus concedi putat oportere, quamplurimis infirmet rationibus. Quod facile eſt, ſi quamplurimis conſtitutionibus aggrediatur id improbare. Ipſa autem comparatio ſeparata a ceteris generibus controuerſiarum ſic ex ſua ui conſiderabitur, ſi illud, quod comparabitur, aut non honeſtum, aut non utile, aut non neceſſarium fuiſſe, aut non tantopere utile, aut non tantopere honeſtum, aut non tantopere neceſſarium fuiſſe demonſtrabitur.

EXPLANATIO

Hoc *cauſſae genus*] Compenſatiuum ſcilicet. Oportebit *adhibere ceterarum quoque conſtitutionum rationem, atque praecepta,*] Si tamen incidant ceterae conſtitutiones. Iſtae enim conſtitutiones, quae in aſſumptiua ſunt qualitate, poſſunt praecedentes omnes conſtitutiones recipere: ut haec nũc, quae compenſationis eſt, habet & finem, & coniecturam. Ide, o quaecumque genera ſunt quaeſtionum, ſuis conſtitutionibus tractanda ſunt. Ac *maxime coniecturis faciendis*] Vt per coniecturã, quae quaſi incidens eſt, compenſatio illa tollatur, qua is, qui accuſatur maieſtatis, utitur, dicens, periturum fuiſſe exercitum, niſi arma concederet. Ii, *qui accuſabuntur, comparabunt.*] Vt periturum fuiſſe exercitum negemus, quod ſumit hic, qui arma prodidit, & inſtrumenta. Avt *ſi alia ratione,*] Quoniam ſuperius duas rationes, & duas iudicationes poſuit coniecturales: Non futurum fuiſſe, ut periret exercitus, & Non hoc animo factum. Iccirco hic eandem rationem repetit, ut coniecturam dicat in hanc conſtitutionem tractandam. Ex *coniecturali conſtitutione ſumetur.*] Quia partibus ſuis ipſa tractanda eſt. Sin *autem certo nomine maleficij*] Vt nunc certo nomine reus eſt maieſtatis. Poteſt enim ſine certo nomine reus eſſe, & non ſtatim ad definitionẽ adſtringitur, cum criminis nomen nullum uidetur adiectum. *Sin autem certo nomine maleficij uocabitur in iudicium:* Iam hic incipit incidentis ad hoc thema alterius ſtatus, ideſt finis, quem ſtatum, finem, & ſupra poſuit dicẽdo, Quid ſit maieſtatem minuere, praecepta tractare. Sin *aliud quoque aliquod genus*] Quarumlibet conſtitutionum,

tionum, uel praecedentium, uel ſequentium. QVAMPLVRIMIS *infirmet rationibus.*] Vt dicat non futurum fuiſſe, ut periret exercitus: aut aliter, Non hoc animo feciſti, ſed ut perderes feciſti.

CICERO

DEINDE *oportet accuſatorem illud, quod ipſe arguat, ab eo, quod defenſor comparat, ſeparare. Id autem faciet, ſi demonſtrabit non ita fieri ſolere, neque oportere, neque eſſe rationem, quare hoc propter hoc fiat, ut propter ſalutem militum ea, quae ſalutis cauſſa comparata ſunt, hoſtibus tradantur. Poſtea comparare oportebit cum beneficio maleficium, & omnino id, quod arguitur, cum eo, quod factum ab defenſore laudatur, aut faciendum fuiſſe demonſtratur, contendere, & hoc extenuãdo, maleficij magnitudinem ſimul adaugere. Id fieri poterit, ſi demonſtrabitur, honeſtius, utilius, magis neceſſariũ fuiſſe illud, quod uitarit reus, quam illud, quod fecerit. Honeſti autem, & utilis, & neceſſarij uis, et natura in deliberationis praeceptis cognoſcetur. Deinde oportebit ipſam illam comparatiuam iudicationem exponere tamquam cauſſam deliberatiuam, & de ea ex deliberationis praeceptis deinceps dicere. Sit enim haec iudicatio, quam ante expoſuimus: Cum omnes perituri milites eſſent, niſi ad hanc pactionem ueniſſet, utrum ſatius fuerit perire milites, an ad hanc pactionem uenire. Hoc ex locis deliberationis, quaſi aliquam in conſultationem res ueniat, tractari oportebit.*

EXPLANATIO

DEINDE *oportet accuſatorem illud, quod ipſe arguat, ab eo quod defenſor comparat, ſeparare.*] Poſt illa ſuperiora, etiam hoc dicere oportebit, accuſatorem contendere, comparare. ET *hoc extenuando maleficij magnitudinem ſimul adaugere.*] Vt extenues, quod praeſtitiſſe ſe dicit augeas, quod admiſit. DEINDE *oportebit ipſam illam comparatiuam iudicationem exponere tamquam cauſſam deliberatiuam,*] In omnibus aſſumptiuis qualitatibus poſt omnia argumenta ex conſtitutioue, quae ſunt propria, locus extremus interponitur quaſi deliberatiuae cauſſae: in qua quaeritur, quid faciendum ſit, ut ex hoc probetur, quid faciendum fuerit. TAMQVAM *cauſſam deliberatiuam,*] Vt non iudicialis cauſſa ſit, ſed deliberatiua, & eodem genere agatur: quaſi ſola ipſa eſſet, id eſt cauſſa deliberatiua. ALIQVAM *inconſultationem*] Vt deliberatiua, non iudicialis cauſſa ſit: hoc eſt enim conſultio.

CICERO

DEFENSOR *autem, quibus in locis ab accuſatore aliae conſtitutiones erunt inductae, in iis ipſe quoque ex iiſdem conſtitutionibus defenſionem comparabit: ceteros autem omnes locos, qui ad ipſam comparationem pertinebunt, ex contrario tractabit. Loci autem communes erunt accuſatoris, in eum, qui, cum de pacto turpi aliquo aut inutili, aut utroque fateatur, quaerat tamen aliquam defenſionem, & facti inutilitatem, aut turpitudinẽ cum indignatione proferre. Defenſoris eſt, uullum factum inutile, neque turpe, neque item utile, neque honeſtum putari oportere, niſi quo animo, quo tempore, qua de cauſſa factum ſit intelligatur. Qui locus ita communis eſt, ut bene tractatus in hac cauſſa, magno ad perſuadendum momento futurus ſit. Et alter locus, per quem magna cun amplificatione beneficij magnitudo ex utilitate, aut honeſtate, aut facti neceſſitudine demonſtratur. Et tertius, per quem res expreſſa uerbis, ante oculos eorum, qui audiunt, ponitur, ut ipſi ſe quoque idem facturos fuiſſe arbitrarentur, ſi ſibi illa res, atque ea faciendi cauſſa per idẽ tempus accidiſſet,*

EXPLANATIO

DEFENSOR *autem, quibus in locis ab accuſatore aliae conſtitutiones erunt inductae,*] Si accuſator coniectura, retorto contra genere dicendi, coniectura defenſor utetur: pari genere & finem, pari genere etiã comparationem ex contrario tractabit: ut, quod ille inutile, hic utile, quod ille inhoneſtum, hic honeſtum dicat, & cetera his ſimilia. LOCI *autem communes erunt accuſatoris in eum, qui cum de facto turpi, aut inutili, aut utroque fateatur.*] Qui dicit feci, ſed profui, confitetur feci, & defenſionem aliunde conquirit. in huiuſmodi hominem, uel reum dicit inuehendum.

CICERO

RELATIO *criminis eſt, cum reus id, quod arguitur, confeſſus, alterius ſe inductum peccato, iure ſeciſſe demonſtrat. Ea eſt huiuſmodi. Horatius, occiſis tribus Curiatibus, & duobus amiſſis fratribus, domum ſe uictor recepit. is animaduertit ſororem ſuam de fratrum mortem non laborantem, ſponſi autem nomen appellantem identidem Curiatis, cum gemitu, & lamentatione, indigne paſſus, uirginem occidit: accuſatur. Intentio eſt, Iniuria ſororẽ occidiſti. Depulſio eſt, Iure occidi. Quaeſtio eſt, Iure ne occiderit. Ratio eſt, Illa enim hoſtium mortem lugebat, fratrum negligebat, me & populum R. uiciſſe moleſte ferebat. Infirmatio eſt, Tamen a fratre indemnatam necari non oportuit. ex qua iudicatio fit, Cum Horatia fratrum mortẽ negligeret, hoſtium lugeret, & de fratris, & populi R. uictoria non gauderet, oportuerit ne eam a fratre indemnatam necari. Hoc in genere cauſſae, primum ſi quid ex ceteris dabitur conſtitutionibus ſumi oportebit, ſicut in comparatione praeceptum eſt.*

Poſtea,

Poſtea, ſi qua facultas erit, per aliquam conſtitutionem illum, in quem crimen transferretur, defendere. Deinde leuius eßе illud, quod in alterum peccatum reus transferat, quam quod ipſe ſuſceperit. Poſtea tranſlationis partibus uti, & oſtendere a quo, & per quos, & quo modo, & quo tempore aut agi, aut iudicari, aut ſtatui de re conueniret: ac ſimul oſtendere non oportuiſſe ante ſuppliciũ, quam iudicium interponere. Tum leges quoque & iudicia demonſtranda ſunt, per quae potuerit id peccatum, quod ſponte ſua reus punitus ſit, moribus, & iudicio uindicari. Deinde negare debebit, audiri oportere id, quod in reum criminis conferatur, de quo is ipſe, qui conferat, iudicium fieri noluerit: & id, quod iudicatum non ſit, pro infecto haberi oportere. Poſtea impudentiam demonſtrare eorum, qui eum nunc apud iudices accuſent, quem ſine iudicibus ipſi condemnarint: & de eo iudicium faciant, de quo iam ipſi ſupplicium ſumpſerint. Poſtea perturbationem iudicij futuram dicemus, & iudices longius, quam poteſtatem habeant, progreſſuros, ſi ſimul & de re, & de eo, quem reus arguat, iudicarint. Deinde hoc ſi conſtitutum ſit, ut peccata homines peccatis, & iniurias iniurijs ulciſcantur, quantum incommodorum. Ac, ſi idem facere ipſe, qui nunc accuſat, uoluiſſet, ne hoc quidem ipſo quidquam opus fuißet iudicio: ſi uero ceteri quoque idem faciant, omnino iudicium nullum futurum. Poſtea demonſtrabitur, ne ſi iudicio quidem illa damnata eſſet, in quam id crimen ab reo conferatur, potuiſſe hunc ipſum de illa ſupplicium ſumere. Quare eſſe indignum, eum, qui ne de damnata quidem poenas ſumere potuiſſet, de ea ſupplicium ſumpſiſſe, quae ne adducta quidem ſit in iudicium. Deinde poſtulabit, ut legẽ, qua lege fecerit, proferat. Deinde, quemadmodum in comparatione praecipiebamus, ut illud, quod comparabitur, extenuaretur ab accuſatore quammaxime: ſic in hoc genere oportebit illius culpam, in quem crimen trãsferetur, cũ huius maleficio, qui ſe iure fecißе dicat, comparare. Poſtea demonſtrandum eſt, nõ eſſe illud eiuſmodi, ut ob id hoc fieri conueniret. Extrema eſt, ut in comparatione, aſſumptio iudicationis, & de ea per amplificationem ex deliberationis praeceptis dictio. Defenſor autem, quae per alias conſtitutiones inducentur, ex iis locis, qui traditi ſunt, infirmabit. Ipſam autem relationem comprobabit, primum augendo eius, in quem refert crimen, culpam, & audaciam, & quammaxime per indignationem, ſi res feret, iuncta conqueſtione, ante oculos ponendo. Poſtea leuius demonſtrando reum punitum, quam ſit ille promeritus, & ſuum ſupplicium, cum illius iniuria conferendo. Deinde oportebit eos locos, qui ita erunt ab accuſatore tractati, ut refelli, & contrariam in partem conuerti poſſint, quo in genere ſunt tres extremi, contrariis rationibus infirmare. Illa autem acerrima accuſatorum criminatio, per quam perturbationem fore omnium iudiciorum demonſtrant, ſi de indemnato ſupplicij ſumendi poteſtas data ſit, leuabitur. Primum, ſi eiuſmodi demonſtrabitur iniuria, ut non modo uiro bono, uerum etiam homini libero uideatur non fuiße toleranda. Deinde ita perſpicua, ut ne ab ipſo quidem, qui fecißet, in dubium uocaretur. Deinde eiuſmodi, ut in eam is maxime debuerit animaduertere, qui animaduertit, ut non tam rectum, non tã fuerit honeſtum in iudicium illã rem peruenire, quam eo modo, atque ab eo uindicari, quo modo, & a quo ſit uindicata. Poſtea ſic rem fuiſſe apertam, ut iudicium de ea re fieri nihil attinuerit. Atque hic demonſtrandum eſt rationibus, & rebus ſimilibus, permultas ita atroces, & perſpicuas res eſſe, ut de his non modo non neceſſe ſit, ſed ne utile quidem, qui mox iudicium fiat, exſpectare. Locus communis accuſatoris in eum, qui cum id, quod arguitur, negare non poſſit, tamen aliquid ſibi ſpei comparet ex iudiciorum perturbatione. Atque hic utilitatis iudiciorum demonſtratio, & de eo conqueſtio, qui ſupplicium dederit indemnatus: in eius autem, qui ſumpſerit, audaciam & crudelitatem indignatio. Ab defenſore, in eius, quem ultus ſit, audaciam ſui conqueſtione, rem non ex nomine ipſius negotij, ſed ex conſilio, qui fecerit, & cauſſa, & tempore conſiderari oportere: quid mali futurum ſit, aut ex iniuria, aut ex ſcelere alicuius, niſi tanta, & tam perſpicua audacia ab eo, ad cuius famam, aut ad parentes, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem, quam caram eſſe omnibus aut neceſſe eſt, aut oportet eſſe, fuerit uindicata.

EXPLANATIO

RELATIO *criminis eſt, cum reus id, quod arguitur confeßus, alterius ſe inductum peccato iure ſe feciſſe demonſtrat.*] Secundam ſpeciem aſſumptiuae qualitatis relationem poſuit. Hanc definit per ἐννοηματικὴν definitionem. Quae conſtitutio tunc eſt, cum alterius peccato ſe feciſſe reus quidquid admiſit: huius exemplum ſubiecit Horatius, qui ſororem ſuam flentem interfecit. Et ſubiungit praecepta, primum, ut, ſiqua conſtitutio ante ipſam relatiuam tractari poſsit, excutiatur circa ipſum, qui reus eſt, Non hoc animo feciſti. Hoc utique ſic factum eſt, & in comparatione. Deinde, quoniam relatio refert actus ad alterum, ut ſe defendat: dicit enim feci, ſed ille meruit: neceſſario etiam hic ceterarum conſtiturionum ratio tractabitur. Cum enim coeperimus dicere, Ille non meruit, & coniectura eſſe poteſt, & finis, & quaelibet alia conſtitutio. Ergo accuſator in defenſione eius, in quem reus transferet crimen, tractabit alias conſtiutiones. Hoc pacto fit, ut, licet relatio ſit conſtitutio, in hanc tamen adhibeamus alias conſtitutiones, duobus modis, Vel circa perſonam ipſius rei, quo animo fecerit: uel circa perſonam illam, in quam reus transferet crimen. Poſt haec igitur tractanda eſt ipſa relatio criminis, quã in praeceptis ab eodẽ ſubiectis, cuiuis facile eſt recognoſcere: vſque illam partem, quae ſemper, ſicut in ſuperiore praecepto traditum eſt, propoſitionem habet quaſi deliberatiuam; quae ex utilitatis, honeſtatiſq. partibus, quid agendum eſt, quaſi res in cõſultatione ſit, declaratur. Defenſor habebit cuncta contraria: ſed ſi incidentes conſtitutiones aliae fuerint, omnia ex earum diuerſa parte tractabit. Item per praecepta conuertendo modum relationis ad ſuam partem argumentando deducit, cum locis communibus, tam accuſatori, quam defenſori datis, quos ipſe ſupponit. POSTEA, *ſi qua facultas erit.*] Ante relationẽ criminis, & eius argumenta ceteris conſtitutionlbus accuſator, & reũ onerare debebit, & eum defendere, in quem reus transfert crimen. namque dici poteſt, Quod feciſti, nõ hoc animo feciſti

quod eſt alterius conſtitutionis. deinde & ille,quē meruiſſe dicis,aut non meruit,aut non hoc pacto meruit: quod utique aliarum eſt conſtitutionum. Ita,antequam ex praeceptis relationis aliquid agamus,conſtitutionibus reliquis & circa rei perſonam uti poſſumus: ut eum arguamus, & circa perſonā eius, in quem crimen transfertur, ut eum defendentes reum accuſſare poſsimus. POSTEA *tranſlationis uti partibus.*] Praeſcriptione: Non tibi enim licuit occidere. DEINDE *negare debebit, audiri oportere id*] Vt dicamus, Hodie tu audiendus non es. ſiquidem,& tu illam,quam punitus es, audire noluiſti. ET *id,quod iudicatum non ſit, pro infecto haberi oportere.*] Mentiris, quod dicis ſororem fleuiſſe: quia non eſt inde iudicatum. NVNC *apud iudices accuſent, quem ſine iudicibus ipſi condemnarint.*] Modo crimen ingeris, poſteaquam poenas ſumpſiſti de ſorore. AC *ſi idem facere ipſe, qui nunc accuſat, uoluiſſet, ne hoc quidem ipſo quidquam opus fuiſſet iudicio.*] Vt & hic,qui Horatium accuſat,potuiſſet ſine iudicio eum quaſi peccantem occidere. SI *uero ceteri quoque idem faciant omnino, iudicium nullum futurum.*] Soritici ſyllogiſmi fecit formam, qui in infinitum ſemper intenta rei definitione porrigitur: ut granum, cumulus, aceruus. Occidit Horatius, occideret accuſator: ita ſemper ſine iudicio erit poena. POTVISSE *hunc ipſum de illa ſumere ſupplicium.*] Quaſi de ſorore. ET *de ea per amplificationem ex deliberationis praeceptis dictio.*] Vt dicas iuſtum, honeſtum, utile, uel contra: quae omnia in deliberationis praeceptis tractantur. VT *refelli, & contrariam in partem conuerti poßint.*] Vt cum ſupra, uerbi cauſſa, dictum ſit ab accuſatore, non debuiſſe a fratre interfici ſororē, dicat hic, magis a fratre debuiſſe. VT *ne ab ipſo quidem, qui feciſſet, in dubium uocaretur.*] Vt negare non poſſet,quod admiſiſſet, quod haec uictoriam Romanam lugeret. EX *iudiciorum perturbatione.*] Quoniam non erat occiſa iudicio, quae occiſa eſt.

CICERO

*R*EMOTIO *criminis eſt, cum eius intentio facti, quod ab aduerſario infertur, in alium, aut in aliud dimouetur. Id fit bipertio. Nam tum cauſſa, tum res ipſa remouetur. Cauſſae remotionis hoc nobis exemplo ſit: Rhodij quoſdam legarunt Athenas. Legatis quaeſtores ſumptum, quem oporteb at dari, non dederunt. Legati profecti ſunt: accuſantur. Intentio eſt, Proficiſci oportuit. Depulſio eſt, Non oportuit. Quaeſtio eſt, Oportuerit ne. Ratio eſt, ſumptus enim, qui de publico dari ſolet, is ab quaeſtore non eſt datus. Infirmatio eſt, Vos tamen id, quod publice uobis datum erat negotij, conficere oportebat. Iudicatio eſt, Cum iis, qui legati erāt, ſumptus, qui de publico debebatur, non daretur, oportuerit ne eos conficere nihilominus legationem. Hoc in genere primū, ſicut in ceteris, ſi quid aut ex coniecturali, aut ex alia conſtitutione ſumi poſſit, uideri oportebit. Deinde pleraque ex comparatione, & ex relatione criminis in hāc quoque cauſſam conuenire poterunt. Accuſator autem illum, cuius culpa id factum prius dicet, primum defendet, ſi poterit; ſin minus poterit, negabit ad hoc iudicium illius, ſed huius, quem ipſe accuſet, culpam pertinere. Poſtea dicet ſuo quemque officio conſulere oportere: nec, ſi ille peccaſſet, hunc oportuiſſe peccare. Deinde, ſi ille deliquerit, ſeparatim illum, ſicut hunc, accuſari oportere, & non cum huius defenſione coniungi illius accuſationem. Defenſor autem cum cetera, ſi qua ex aliis incident conſtitutionibus, pertractarit, de ipſa remotione ſic argumētabitur. Primum, cuius acciderit culpa, demonſtrabit. Deinde, cum id aliena culpa accidiſſet, oſtendet ſe aut non potuiſſe, aut non debuiſſe id facere, quod accuſator dicat oportuiſſe. Quod non potuerit, ex utilitatis partibus, in quibus eſt neceſſitudinis uis implicata, demonſtrabit. Quod non debuerit, ex honeſtate conſiderabitur. De utroque diſtinctius in deliberatiuo genere dicetur. Deinde omnia facta eſſe ab reo, quae in ipſius fuerint poteſtate: quod minus quam conuenerit factum ſit, culpa id alterius accidiſſe. Deinde in alterius culpa exponenda demonſtrandum eſt, quantum uoluntatis, & ſtudij fuerit in ipſo: & id ſignis confirmandum huiuſmodi, ex cetera diligentia, ex ante factis, aut dictis, atque hoc ipſi utile fuiſſe facere, inutile autem non facere: & cum cetera uita magis hoc fuiſſe conſentaneum, quam quod propter alterius culpam non fecerit. Sin autem non in hominem certum, ſed in rem aliquam cauſſa dimouebitur, ut in hac eadem re, ſi quaeſtor mortuus eſſet, & iccirco legatis pecunia data non eſſet, accuſatione alterius, & culpae depulſione dempta, ceteris ſimiliter uti locis oportebit, & ex conceſſionis partibus, quae conuenient, aſſumere, de quibus poſt nobis dicendum erit. Loci autem communes iidem utriſque fere, qui ſuperioribus aſſumptiuis incident; hi tamen certiſſimi. Accuſatoris, facti indignatio. Defenſoris, cum in alio culpa ſit, aut in ipſo non ſit, ſupplicio reum affici non oportere. Ipſius autem rei fit remotio, cum id, quod datur crimini, negat neque ad ſe, neque ad officium ſuum reus pertinuiſſe, nec, ſi quod in eo ſit delictum, ſibi attribui oportere. Id genus cauſſae eſt huiuſmodi: In eo foedere, quod factum eſt quondam cum Samnitibus, quidam adoleſcens nobilis porcam ſuſtinuit iuſſu imperatoris. Foedere autem ab ſenatu improbato, & imperatore Samnitibus dedito, quidam in ſenatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere. Intentio eſt, Dedi oportet. Depulſio eſt, Non oportet. Quaeſtio eſt, Oporteat ne. Ratio eſt, Non enim fuit officium, nec mea poteſtas, cum & id aetatis priuatus eſſem, & eſſet ſumma cum auctoritate, & poteſtate imperator, qui uideret ut ſatis honeſtum foedus feriretur. Infirmatio eſt, Attamē, quoniam tu particeps factus es in turpiſſimo foedere ſummae religionis, de te conuenit. Iudicatio eſt, Cum is, qui poteſtatis nihil habuerit iuſſu imperatoris in foedere, & in tanta religione interfuerit, dedendus ne ſit hoſtibus, nec ne. Hoc genus cauſſae a ſuperiore hoc differt, quod in illo concedit ſe reus oportuiſſe facere id, quod fieri dicat accuſator oportuiſſe, ſed alicui rei, aut homini cauſſam attribuit, quae uoluntati ſuae fuerit impedimento ſine conceſſionis partibus. Nam earum quaedam maior uis eſt, quod paullo poſt intelligetur. In hoc autem non accuſare alterum, nec culpam in alium tranferre debet, ſed demonſtrare eam*

re eam

re eam rem nec ad ſe, nec ad poteſtatem, neque ad officiũ ſuum pertinuiſſe, aut pertinere. Atque in genere hoc accidit noui, quod accuſator quoque ſaepe ex remotione criminationem conficit. Vt, ſi quis eum accuſet, qui, cum praetor eſſet, in expeditionem ad arma populum uocarit, cum conſules adeſſent. Nam, ut in ſuperiore exemplo reus ab ſuo officio, ac poteſtate factum dimouebat: ſic in hoc ab eius officio, ac poteſtate, qui accuſatur, ipſe accuſator factum remouendo hac ipſa ratione confirmat accuſationem. In hoc ab utroque ex omnibus partibus honeſtatis, & omnibus utilitatis partibus, exemplis, ſignis, ratiocinando, quid cuiuſque officij, iuris, poteſtatis ſit, quaeri oportebit: & fuerit ne ei, de quo agitur id iuris, officij, poteſtatis attributum, nec ne. Locos autem communes ex ipſa re, ſi quid indigationis, ac conqueſtionis habebit, ſumi oportebit.

EXPLANATIO

REMOTIO *criminis eſt, cum eius intentio facti, quod ab aduerſario infertur, in alium, aut in aliud dimouetur.*] ἐννοητική definitio. Haec tertia ſpecies aſſumptiuae qualitatis, remotio criminis dicitur, quae definita eſt ſic, Cum intentio facti remouetur, uel in alium, uel in aliud. Ipſa autem remotio nunc rei eſt, nunc cauſſae: ſed, ſi cauſſa remouetur, uel in hominem remouetur, uel in rem. Sin autem res remouetur, tantum in hominem remouetur, uel ab homine. Cauſſae remotionem in hominem docuit per exemplum de legato Rhodiorum: Cauſſae remotionem noſtrae in rem, in eodem exemplo oſtendit, cum dixit, Mortuo quaeſtore ſi legatus uiaticum non accepiſſet. Verum praecepta tradidit, quibus uteretur accuſator, cum argueret eũ, qui cauſſam facti in hominem remoueret. Et eſt primum, ut accuſator defendat eum, in quem culpa remouetur: ſed ſi hoc non potuerit, dicat hoc iudicium aliud eſſe, illud aliud: deinde dicat unicuique ſuum eſſe officium, hunc non potuiſſe peccare: illum reum eſſe poſſe, non debere tamen coniungi defenſionem huius, cum illius accuſatione. Haec in remotionis partibus integris complendis accuſatoris ſunt. Defenſoris autem haec: Primum, ut, quaecumque accuſator ex aliis conſtitutionibus argumenta fecerit, ſoluat: deinde accuſet eum, cuius cauſſa peccaſſe ſe dicit: deinde doceat ſe aliter facere, nec potuiſſe, nec debuiſſe: non potuiſſe, ex utilitatis partibus: non debuiſſe, ex honeſtatis: de utroque autem in deliberatiuo genere tractabit. Deinde dicat a ſe omnia facta eſſe, quae facere potuerit: percurret omnia uitae ſuae praeteritae dicta, facta, conſilia: ut probet ſuam fuiſſe culpam, cum hoc non impleuerit. Cum uero cauſſa non in hominem, ſed in rem remouetur, omnia eadem praecepta accuſatoris, & defenſoris erunt: excepta, uel accuſatione hominis, in quem remotio fit, uel defenſione rei. Remotio cum fit, dedit exemplum de adoleſcente, qui porcam tenuit. remouet enim a ſe factum: & dicit non fuiſſe ſuae poteſtatis facere, uel non facere. Hic naſcitur illud nouum, ut fiat remotio rei non hominem, ſed ab homine: & exſiſtat conſtitutio ab accuſatore, cũ dicitur, Quod feciſti, non tu facere debuiſti. Exemplum dedit de praetore, qui, cum conſules deberent, populum ad arma conuocauit. Hic praecepa dat uti exprimamus, quid cuiuſque ſit poteſtatis, quid officij, ex utilitatis partibus, & honeſtatis: & ut hoc probemus exemplis. deinde adiungit locos communes, ſi qui eſſe poſſunt, aut indignationis, aut conqueſtionis, ut uterque ſibi pro ſuis partibus ſumat. IN *alium, aut in alud dimouetur.*] Aut in perſonam, aut in rem. DE *utroque diſtinctus.*] Et de honeſto, & de utili. SIN. AVTEM *non in hominem certum, ſed in rem aliquam cauſſa dimouebitur,*] Hucuſque in perſonam, nunc in rem, cauſſa remouebitur. ACCVSATIONE *alterius, & culpae depulſione dempta, ceteris ſimiliter uti locis oportebit.*] In tua depulſione, reliqua talia perſeuerant in rem, qualia fuerunt in perſonam. IPSIVS *autem rei fit remotio, cum id, quod datur crimini, negat neque ad ſe, neque ad officium ſuum reus pertinuiſſe.*] Nunc remotio rei. nam ſupra cauſſae docuit remotionem, & in hominem, & in rem: ſed remotio rei tantum in hominem fit: & fit duobus modis. Nam nunc remotio fit rei ab eo, qui reus eſt: nunc remotio fit rei ab eo, qui accuſator eſt: quod erit nouum, ut ſtatus ab accuſatore naſcatur: atque in hoc genere remotiuae conſtitutionis, ubi tantum res, non cauſſa remouetur.

CICERO

CONCESSIO *eſt, per quam non factum ipſum improbatur ab reo, ſed ut ignoſcatur, id petitur. Cuius partes ſunt duae, purgatio, & deprecatio. Purgatio eſt, per quam eius, qui accuſatur, non factum ipſum, ſed uoluntas defenditur. Ea habet partes tres, imprudentiam, caſum, neceſſitudinem. Imprudentia eſt, cum ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negat: ut apud quoſdam lex erat, Ne quis Dianae uitulum immolaret. Nautae quidam cum aduerſa tempeſtate in alto iactarentur, uouerunt, ſi eo portu, quem conſpiciebant, potiti eſſent, ei deo, qui ibi eſſet, ſe uitulum immolaturos. Caſu erat in eo portu fanum Dianae eius, cui uitulum immolari non licebat: Imprudentes legis, cum exiſſent, uitulum immolauerunt. Accuſantur. Intentio eſt, uitulum immolaſtis ei deo, cui non licebat. Depulſio eſt in conceſſione poſita. Ratio eſt, Neſciui non licere. Infirmatio eſt, Tamen, quoniam feciſti, quod non licebat, ex ſupplicio dignus es. Iudicatio eſt, Cum id fecerit, quod non oportuerit, & id non oportere neſcierit, ſit ne ſupplicio dignus. Caſus autem inferetur in conceſſionem, cum demonſtrabitur aliqua fortunae uis uoluntati obſtitiſſe, ut in hac: Cum Lacedaemoniis lex eſſet, ut, hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemptor praebuiſſet, capitale eſſet: hoſtias is, qui redemerat, cum ſacrificij dies inſtaret, in urbem ex agro coepit agere: tum ſubito magnis commotus tempeſtatibus fluuius Eurotas, qui propter Lacedaemonem fluit, ita magnus, & uehemens factus eſt, ut eo traduci uictimae nullo modo poſſen. Redemptor*

ſuae

ſuae uoluntatis oſtendendae cauſſa hoſtias conſtituit omnes in littore, ut, qui trans flumen eſſent, uidere poſſent. Cum omnes ſtudiō eius ſubitam fluminis magnitudinem ſcirent fuiſſe impedimento, tamen quidam capitis accerſierunt. Intentio eſt, Hoſtiae, quas debuiſti, ad ſacrificium praeſto non fuerunt. Depulſio eſt conceſſio. Ratio, Flumen enim ſubito accreuit, & ea re traduci non potuerunt. Infirmatio eſt, Tamen, quoniam, quod lex iubet, factum non eſt, ſupplicio dignus es. Iudicatio eſt, Cum in ea re redemptor contra legem aliquid fecerit, qua in re ſtudio eius ſubita fluminis obſtiterit magnitudo, ſupplicio ne dignus ſit. neceſſitudo autem infertur, cum ui quadē reus id, quod fecerit, feciße defenditur, hoc modo: Lex eſt apud Rhodios, ut, ſi qua roſtrata in portu nauis deprehenſa ſit, publicetur. Cum magna in alto tempeſtas eßet, uis uentorum inuitis nautis Rhodiorum in portum nauim coegit. Quaeſtor nauim populi uocat. Nauis dominus negat publicari oportere. Intentio eſt, Roſtrata nauis in portu deprehenſa eſt. Depulſio eſt conceſſio. Ratio, Vi, & neceſſario ſumus in portum coacti. Infirmatio eſt, Nauim ex lege tamen populi eſſe oportet. Iudicatio eſt, cum roſtratam nauim in portu deprehenſam lex publicarit, cumq. haec nauis ui tempeſtatis in portum coniecta ſit, oporteat ne eam publicari. Horum trium generum iccirco unum in locum contulimus exempla, quod ſimilis in ea praeceptio argumentorum traditur. Nam in his omnibus primum, ſi quid res ipſa dabit facultatis, coniecturam ab accuſatore induci oportebit, ut id, quod uoluntate factum negabitur, conſulto factum ſuſpicione aliqua demonſtretur. Deinde inducere definitionem neceſſitudinis, aut caſus, aut imprudentiae, & exempla ad eam definitionem adiungere, in quibus imprudentia fuiße uideatur, aut caſus, aut neceſſitudo, & ab his id, quod reus inferat, ſeparare, id eſt oſtendere diſſimile, quod leuius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non neceſſarium fuerit. Poſtea demonſtrare, potuiſſe euitari, & hac ratione prouideri potuiße, ſi hoc aut illud feciſſet, aut, niſi feciſſet, praecaueri, & definitionibus oſtendere non hanc imprudentiam, aut caſum, aut neceſſitudinem, ſed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere. Ac, ſi qua neceſſitudo turpitudinem uidebitur habere, oportebit per locorum communium implicationem redarguentem demonſtrare, quiduis perpeti, mori denique ſatius fuiße, quam eiuſmodi neceſſitudini obtemperare. Atque tum ex his locis, de quibus in negotiali parte dictum eſt, iuris, & aequitatis naturam oportebit quaerere, & quaſi in abſoluta iuridiciali per ſe hoc ipſum ab rebus omnibus ſeparatim conſiderare. Atque hoc in loco, ſi facultas erit, exemplis uti oportebit, quibus in ſimili excuſatione non ſit ignotum: & contentione, magis illis ignoſcendum fuiſſe: & ex deliberationis partibus, turpe, aut inutile eſſe concedi eam rem, quae ab aduerſario commiſſa ſit: permagnum eſſe, & magno futurum detrimento, ſi ea res ab iis, qui poteſtatem habent iudicandi, neglecta ſit. Defenſor autem conuerſis omnibus his partibus poterit uti. maxime autem in uoluntate defendenda commorabitur, & in ea re adaugenda, quae uoluntati fuerit impedimento, & ſe, plus quam fecerit, facere non potuiſſe, & in omnibus rebus uoluntatem ſpectari oportere: & ſe conuinci non poſſe, quod non abſit a culpa: & ex ſuo nomine communem hominum infirmitatem poſſe damnari. Deinde nihil indignius eſſe, quam eum, qui culpa careat, ſupplicio non carere. Loci autem communes accuſatoris, unus in confeſſione, & alter, quanta poteſtas peccandi relinquatur, ſi ſemel inſtitutum ſit, ut non de facto, ſed de facti cauſſa quaeratur. Defenſoris autem, conqueſtio calamitatis eius, quae non culpa, ſed ui maiore quadam acciderit, & de fortunae poteſtate, & hominum infirmitate, & uti ſuum animum, non euentum conſiderent. In quibus omnibus conqueſtionem ſuarum aerumnarum, & crudelitatis aduerſariorum indignationem ineſſe oportebit. Ac neminem mirari conueniet, ſi aut in iis, aut in aliis exemplis ſcripti quoque controuerſiam adiunctam uidebit. Quo de genere poſt erit nobis ſeparatim dicendum: propterea quod quaedam genera cauſſarum ſimpliciter, & ex ſua ui conſiderantur; quaedam autem ſibi aliud quoque aliquod controuerſiae genus aſſumunt. Quare, omnibus cognitis, non erit difficile in unamquamque cauſſam transferre, quod ex eo quoque genere conueniet: ut in his exemplis conceſſionis ineſt omnibus ſcripti controuerſia ea, quae ex ſcripto, & ſententia nominatur: ſed, quia de conceſſione loquebamur, in eam praecepta dedimus. Alio autem loco de ſcripto, & ſententia dicemus. Nunc in alteram conceſſionis partem conſiderationem intendemus.

EXPLANATIO

CONCESSIO *eſt, per quam non factum probatur ab reo, ſed ut ignoſcatur, id petitur.*] Quarta ſpecies eſt in aſſumptiua qualitate conceſsio: hanc definit ita, cum non factum purgamus, ſed ut ignoſcatur petimus. Hanc partitur in duo, in purgationem, & deprecationem: & purgationem definit ita, cum non factum purgamus, ſed uoluntatem. Id fieri dicit tripliciter, ſi aut imprudentes faciamus, aut caſu, aut neceſsitate. Imprudentiae dat exemplum, de uitulo immolato. Item caſus, de eo, qui hoſtias praeſto non habuit ad diem certum. Item neceſsitatis, de roſtrata naui in portu, ubi non licebat, inuenta. Haec tria exempla iccirco iuncta poſuit, quia eorum omnium ſimilis praeceptio eſt. namque, ut & in ſuperioribus, ita & hic primum coniecturaliter agendum ab accuſatore: ut id, quod reus negat ſe uoluntate feciſſe, conſilio factum doceat, ac uoluntate. Deinde ſubiūgit finitiui ſtatus tractatum: qui, ut ſupra docuit, quadruplex eſt, definitio breuis, adſtructio definitionis: & tertio loco, ſi aſſerit, deductio eſt definitionis ad ſpeciem: ſi uero non aſſerit, ſeparatio definitionis a ſpecie. Quarto loco fit deſtructio definitionis partis aduerſae. Verum hic, omiſſa deſtructione definitionis partis aduerſae, reliqua tria complebuntur, ut breuiter definiat caſum, imprudentiam, neceſsitatem. deinde adiungat approbationem definitionis per exempla. tertio loco ſeparet a definitione, quod reus fecit: & id oſtendat eſſe diſsimile. quod ſit eius facinus non ignorabile, non fortuitum, non neceſſarium demonſtrabit: poſt haec potuiſſe uitari, potuiſſe prouideri. & id doceat, quemadmodum deinde adiungat accuſator alteram definitionem, per quam nomina alia ſupponat imprudentiae, caſui, neceſsitati; iner-

tiam, negligentiam, fatuitatem. Poſt haec illud adiicit, ut excutiamus ne forte neceſsitas habuerit turpitudinem: ut diſputari poſsit mori melius fuiſſe, ne tantam turpitudinem ſubiremus. Poſt haec dicit adiungendum eſſe tractatum de iuris, & aequitatis natura: de qua & in negotiali qualitate tractatum eſt: & maxime in abſoluta iuridiciali. Quae duae qualitates ſolis uidentur diſtare temporibus. nam rerum tractatu eodem continentur. Poſt haec dicit adiungenda exempla, ſi tamen facultas dabit, in quibus doceamus ſimili de cauſſa, neſcio quibus ueniam non eſſe conceſſam: & adiungamus illis fuiſſe magis tribuendam. Poſtremo ex partibus deliberationis, turpe, & inutile doceamus eſſe concedi: & magnum periculum futurum, cũ tanta res admiſſa ſit, ſi non fuerit a iudicibus uindicata. Contra haec defenſor conuerſione utetur horum. Maxime autem, ut defendat uoluntatem, & augeat quid uoluntati fuit impedimento, & doceat nihil amplius ſe potuiſſe facere, quam fecit. Deinde inducat locum communem, Voluntatem ſpectari oportere. Deinde conqueſtionem, Cum culpa careat, ſe affici ſupplicio, communem hominum eſſe infirmitatem. Loci uero communes accuſatoris hi ſunt, In eum, qui confitetur: & alter, Peccandi licentia tribuitur: ſi non de facto, ſed de uoluntate quaeratur. Defenſoris conqueſtio eſt de calamitate: quod non culpa ſua, ſed ui maiore peccarit. Alter locus, de fortunae poteſtate, & infirmitate hominum. Tertius locus, Animum, non euentum conſiderari. Poſt haec exempla, atque tractatus admonet, quod in omnibus exemplis ſupra poſitis leges ſint. Vnde neceſſario incidunt tractatus etiam legales: ſed hoc negat eſſe mirandum, quod cauſſarum genera quaedam ſimpliciter explicantur, quaedam coniuncta ſunt. Vnde, qui omnia praecepta cognouerit, quidquid perſpexerit in exemplo, tranſlatione locorum neceſſaria perſequetur. Nam, cum hic, & leges ſint, neceſſario, quae legum praecepta ſunt, complere debemus: de quibus poſt dicetur. nunc tantum ea praecepta poſuit, quae conceſsioni, de qua tractatus erat, conuenirent. Si quid res ipſa dabit facultatis, coniecturam induci ab accuſatore oportebit: ut dicat accuſator per coniecturam, aut prudenter feciſſe: aut non caſu feciſſe, aut non neceſsitate, ſed uoluntate feciſſe. Atque tum ex his locis iuris, atque aequitatis naturã oportebit quaerere: & quaſi in abſoluta iuridiciali per ſe hoc ipſum ab rebus omnibus ſeparatim conſiderare: quo modo cõuenit negotiali abſoluta qualitas tractata rebus, & diſtat tantummodo tempore: quia negotialis de futuro iuſto agit: abſoluta, de praeterito. SI *aut in iis, aut in aliis exemplis ſcripti quoque controuerſiam adiunctam uidebit.*] Hoc praecepto oſtendit incidere ſemper legales poſſe controuerſias conſtitutionibus principalibus: nec aliquando legales ſtatus poſſe exſiſtere principales.

C I C E R O

DEPRECATIO *eſt, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur. Hoc genus uix in iudicio probari poteſt: ideo quod, conceſſo peccato, difficile eſt ab eo, qui peccatorum uindex eſſe debet, ut ignoſcat impetrare. Quare parte eius generis, cum cauſſam non in eo conſtitueris, uti licebit. ut, ſi pro aliquo claro, aut forti uiro, cuius in remp. multa ſint beneficia, dixeris, poſſis, cum uidearis non uti deprecatione, uti tamen, ad hunc modum: Quod ſi iudices hic pro ſuis beneficiis, pro ſuo ſtudio, quod in uos habuit ſemper, tali ſuo tempore multorum ſuorum recte factorum cauſſa, uni delicto ut ignoſceretis, poſtularet, tamen dignum ueſtra manſuetudine, dignum uirtute huius eſſet, iudices, a uobis hanc rem poſtulante impetrari. Deinde augere beneficia licebit, & iudices per locum communem ad ignoſcendi uoluntatem ducere. Quare hoc genus, quamquam in iudiciis non uerſatur, niſi quadam ex parte: tamen, quia & pars ipſa inducenda nonnumquam eſt, & in ſenatu, ant conſilio ſaepe omni in genere tractanda, in id quoque praecepta ponemus. nam in ſenatu, & in conſilio de Syphace diu deliberatum eſt, & de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium, & eius conſilium diu dictum eſt. Et magis in hoc quidem ignoſcendi, quam cognoſcendi, poſtulatio ualuit. nam ſemper animo bono ſe in populum R. fuiſſe non tam facile probabat, cum coniecturali conſtitutione uteretur, quam ut propter poſterius beneficium ſibi ignoſceretur, cũ deprecationis partes adiungeret. Oportebit igitur, eum, qui, ſibi ut ignoſcatur, poſtulabit, commemorare, ſi qua ſua poterit beneficia, & ſi poterit, oſtendere ea maiora eſſe, quam haec, quae deliquerit; ut plus ab eo boni, quam mali, profectum eſſe uideatur. Deinde maiorum ſuorum beneficia, ſi qua exſtabunt, proferre. Deinde, oſtendere, non odio, neque crudelitate feciſſe, quod fecerit, ſed aut ſtultitia, aut impulſu alicuius, aut aliqua honeſta, aut probabili cauſſa. Poſtea polliceri, & confirmari, ſe & hoc peccato doctum, & beneficio eorum, qui ſibi ignouerint, confirmatum, omni tempore a tali ratione abſuturum. Deinde ſpem oſtendere, aliquo ſe in loco magno iis, qui ſibi conceſſerint, uſui futurum. poſtea, ſi facultas erit, ſe aut conſanguineum, aut iam a maioribus in primis amicum eſſe demonſtrabit, & amplitudinem ſuae uoluntatis, & nobilitatem generis eorum, qui ſe ſaluum uelint, & dignitatem oſtendere, & cetera ea, quae perſonis ad honeſtatem, & amplitudinem ſunt attributa, cum conqueſtione, ſine arrogantia in ſe eſſe demonſtrabit; ut honore potius aliquo, quam nullo ſupplicio dignus eſſe uideatur. Deinde ceteros proferre, quibus maiora delicta conceſſa ſunt. Ac multum proficiet, ſi ſe miſericordem in poteſtate, & propenſum ad ignoſcendum fuiſſe oſtendet. Atque ipſum illud peccatum erit extenuandum, ut quamminimum fuiſſe uideatur, & aut turpe, aut inutile demonſtrandum tali de homine ſupplicium ſumere. Deinde locis communibus miſericordiam captare oportebit ex iis praeceptis, quae in primo libro ſunt expoſita. Aduerſarius autem malefacta augebit, nihil imprudenter, ſed omnia ex crudelitate, & malitia facta dicet: ipſum immiſericordem ſuperbum fuiſſe: &, ſi poterit, oſtendet ſemper inimicum fuiſſe, & amicum fieri nullo modo poſſe. Si beneficia proferet, aut aliqua de cauſſa facta, non propter beneuolentiam, demonſtrabit, aut poſtea odium eſſe acre ſuſceptum, aut illa omnia maleficiis eſſe deleta, aut leuiora beneficia, quam maleficia, aut, cum beneficiis honos habitus ſit, pro maleficio poenam ſumi oportere. Deinde, turpe eſſe, aut inutile ignoſci. Deinde, de quo ut poteſtas*

eſſet,

eſſet, ſaepe optarint, in eum poteſtate non uti, ſummam eſſe ſtultitiam: & cogitare oportere, quem animum in eum, uel quale odium habuerint. Locus autem communis erit indignatio maleficij: & alter, eorum miſereri oportere, qui propter fortunam, non propter malitiam in miſeriis ſint.

EXPLANATIO

DEPRECATIO *eſt, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatio continetur.*] Secunda pars conceſsionis deprecatio eſt. Hanc definit ita, cum non factum defendimus, ſed aperte ueniam poſtulamus. Hoc autem actionis genus non frequenter incurrit in iudiciis, ſed in ſenatu aliquoties, & apud populum: datq. exemplum, uel Q. Numitorij, uel Syphacis. ubi aperte, nulla alia conſtitutione, uenia poſtulata ſit. Subiungit praecepta: primo eius, qui, ut ignoſcatur, poſtulat, ut ſua beneficia commemoret, ſi qua habuerit in uita praeterita: & ea doceat eſſe maiora, quam eſſet factum, unde reus eſt: deinde maiorum ſuorũ beneficia oſtendat: deinde dicat ſe non odio, neque crudelitate feciſſe, quod fecerit, ſed ſtultitia, aut alicuius impulſu: deinde polliceatur ſe alicubi profuturum: deinde oſtendat ſe conſanguineum magnis, ac principalibus uiris, uel amicum: deinde amplitudinem ſuam, & uolũtatis & generis: & eorum uoluntatem oſtendat, qui de ſe iudicent: & omnia, quae perſonae amplitudinem, honeſtatemq. demonſtrent: ſed haec cum cõqueſtione potius, quam cum arrogantia. Poſt haec adiungere exempla debet, in quibus doceat aut ſimili de cauſſa ignotum multis, aut maiora conceſſa delicta: deinde doceat ſe in poteſtate item fuiſſe, & id ignouiſſe quamplurimis. Poſtremo ipſum peccatum extenuare debebit, & comparare propter paruum admiſſum ſe hominem tali honore excellẽtem ſupplicio affici non oportere, quo afficiuntur ceteri, qui maiora committunt: haec confirmare locis communibus, qui ad captandam miſericordiam in primo libro uidentur expoſiti. Sed contra hunc, qui dicit, primum maleficium augebit: deinde dicet nihil imprudenter factum, ſed crudeliter, & inimice omnia, ipſum immiſericordem, immitem, ſuperbum, inimicum ſemper fuiſſe, amicum numquam futurum: & ſi beneficia protulerit ille qui ueniam petit, is, qui contra dicit, docere debebit cauſſa aliqua, non beneuolentia praeſtitum: aut aliud maius poſtea conſecutum: & hoc malo ſuperiora beneficia deleta: aut leuiora beneficia maleficiis: aut ut honor habitus ſit benefactis, pro maleficio poena ſumatur. Deinde, ut per locum communem dicat turpe eſſe, & inutile ignoſci: deinde optatum fuiſſe, ut reus aliquando fieret, & nunc non uindicari. Poſtremo cogitare debere quali animo circa eum fuerint, & quali odio. Loci communes eius erunt, Indignatio maleficij. & alter, ut eorum miſereatur, qui fortuna, non malitia peccauerunt. NAM *in ſenatu, & in conſilio de Syphace diu deliberatum eſt,*] Ita hic docet poſtulatam eſſe ueniam per deprecationem. NAM *ſemper animo bono ſe in populum R. fuiſſe non tam facile probabat, cum coniecturali conſtitutione uteretur,*] Ita excludebatur eius coniectura, qua factum negabatur, quod erga populum R. bono animo fuiſſet, & relinquebatur ſola deprecatio.

CICERO

QVONIAM *igitur in generali conſtitutione tamdiu propter eius partium multitudinem commoramur, ne forte uarietate, & diſſimilitudine rerum reductus alicuius animus in quendam errorem deferatur, quid etiã nobis ex eo genere reſtet, & quare reſtet, admonendum uidetur. Iuridicialem cauſſam eſſe dicebamus, in qua aequi, & iniqui natura; praemij, aut poenae ratio quaereretur. Eas cauſſas, in quibus de aequo, & iniquo quaeritur, expoſuimus. nunc reſtat, ut de praemio, & de poena explicemus. Sunt enim multae cauſſae, quae ex praemij alicuius petitione conſtant. Nam & apud iudices de praemio ſaepe accuſatorum quaeritur, & a ſenatu, aut concilio aliquod praemium ſaepe petitur. Ac neminem conueniet arbitrari nos, cum aliquod exemplum ponamus, quod in ſenatu agatur, ab iudiciali genere exemplorum recedere. Quidquid enim de homine probando, aut improbando dicitur, cum ad eam dictionem ſententiarum quoque ratio accommodetur, id non, ſi per ſententiae dictionem agitur, deliberatiuum eſt; ſed, quia de homine ſtatuitur, iudiciale eſt habẽdum. Omnino autem, qui ditigenter omnium cauſſarum uim, & naturam cognouerit, cum genere primo, tum etiam forma eas intelliget diſſidere: ceteris autem partibus aptas inter ſe omnes, & aliam in aliam implicatam uidebit.*

EXPLANATIO

QVONIAM *igitur in generali conſtitutione tamdiu propter eius partium multitudinem commoramur,*] Omnes quattuor conſtitutiones cum ſpeciebus ſuis expoſuit: ſuperaret iam de controuerſiis legalibus diſputari: ſed, quoniam partitus qualitatem, ſpecies ei duas dederat, iuridicialem, & negotialẽ: ipſamq. rurſus iuridicialem diuidens in abſolutam, & aſſumptiuam, ſpecies ei duas dederat: iuridicialem ipſam ita definierat, ut in ea aequi, & diuini natura, aut praemij, aut poenae ratio quaereretur. aequi, & iniqui natura, in omnibus expoſita eſt ſupra tractatibus circa omnes ſpecies iuridicialis: unde nunc neceſſario admonet de poenae, ac praemij ratione eſſe tractãdum, quod multa exſiſtunt genera cauſſarum ex praemij petitione, ſimiliter & poenae. nam Cicero de praemio tantum loquitur. Nos tamen & ad poenae actionẽ, ratione tradita, praeceptum de praemio per ſimilitudinem transferemus. Petuntur, inquit, praemia & apud iudices, & in ſenatu, & in aliquo conſilio. Hic admonet, quod In ſenatu dixit, ne quis arbitretur de deliberatiuo dicendi genere ſumptum eſſe tractatum, cum de iudiciali genere dicendi omnis tractatus haberetur. Hoc, inquit, neminem moueat, quoniam & apud ſenatum licet ſententiae dictio ſit: quod dicendi genus deliberatiuae conuenit: tamen

iudiciale genus dicendi eſt aeſtimandum, cum & in ſenatu licet de probãdo homine, improbandoq. tractetur. & omnino, inquit, iſta tria genera cauſſarum forma quadam, & primo genere diſtant, altiore tamen, & pleniore intellectu implicita ſibi, & connexa ſuis partibus continentur. NAM *& apud iudices de praemio ſaepe accuſatorum quaeritur.*] Accuſatoribus lege praemia dabantur, hoc ipſo, quod accuſabant. Exemplum dat Tullius nullo praemio adducti. Item, non enim ſpolia C. Verris concupiui. ID *non ſi per ſententiae dictionem agitur, deliberatiuum eſt.*] Deliberatiuum enim ſic definierat, ut diceret, Cum res poſita in conſultatione ciuili, habet in ſe ſententiae dictionem. Ergo, cum agitur in ſenatu de homine probando, uel improbando, non deliberatiua exinde dicenda eſt, quia habet ſententiae dictionem: ſed iudicialis cauſſa magis, quia de homine probando, improbandoq. tractatur.

C I C E R O

NVNC de praemiis conſideremus. L. Licinius Craſſus conſul quoſdam in citeriore Gallia nullo illuſtri, neque certo duce, neque eo nomine, neque numero praeditos, ut digni eſſent, qui hoſtes populi R. eſſe dicerentur; quod tamen excurſionibus, & latrociniis infeſtam prouinciam redderent, conſectatus eſt, & confecit. Romam rediit, triumphum ab ſenatu poſtulat. Hic, ut & in deprecatione, nihil ad nos attinet, rationibus, & infirmationibus rationum ſupponendis ad iudicationem peruenire: propterea, quod, niſi alia quoque incidet conſtitutio, aut pars conſtitutionis, ſimplex erit iudicatio, & in quaeſtione ipſa continebitur. in deprecatione huiuſmodi, Oporteat ne poena affici. In hac huiuſmodi, Oporteat ne praemium dari. Nunc ad praemij quaeſtionem appoſitos locos exponemus. Ratio igitur praemij quattuor eſt in partes diſtributa, in beneficia, in hominem, in praemij genus, in facultates. Beneficia ex ſua ui, ex tempore, ex animo eius, qui fecerit, ex cauſsa conſiderantur. Ex ſua ui quaerentur, hoc modo: Magna, an parua; facilia, an difficilia; ſingularia ſint, an uulgaria; uera, an falſa quadam ex oratione honeſtentur. Ex tempore autem, Si tum, cum indigeremus, cum ceteri non poſſent, aut nollent opitulari, ſi tum, cum ſpes deſeruiſſet, opitulatus ſit. Ex animo, ſi non ſui commodi cauſſa, ſed eo conſilio fecit omnia, ut hoc conficere poſſet. Ex caſu, Si non fortuna, ſed induſtria, factum uidebitur; aut, ſi induſtriae fortuna obſtitiſset. In hominem autem, Quibus rationibus uixeris: quid ſumptus in eam rem, aut laboris inſumpſerit: &, ſi quid aliquando tale fecerit, num alieni laboris, aut deorum bonitatis praemium ſibi poſtulet: num aliquando ipſe talem ob cauſſam aliquem praemio affici negarit oportere: aut num iam ſatis pro eo, quod fecerit, honos habitus ſit. aut num neceſſe fuerit ei facere id, quod fecerit: aut num huiuſmodi ſit factum, ut, niſi feciſſet, ſupplicio dignus eſſet, non, quia fecerit, praemio: aut num ante tempus praemium petat, & ſpem incertam certo uindicet pretio: aut num, quo ſupplicium aliquod uitet, eo praemium poſtulet, uti de ſe praeiudiciũ factum eſſe uideatur. In praemij autem genere, quid, & quantum, & quamobrem poſtuletur, & quo, & quanto quaeque res praemio digna ſit, conſiderabitur. Deinde apud maiores quibus hominibus, & quibus de cauſſis talis honos ſit habitur, quaeretur. Deinde ne his honos nimium peruagetur. Atque his eius, qui contra aliquem praemium poſtulantem dicet, locus erit communis, praemia uirtutis, & officij ſancta, & caſta eſſe oportere, neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus peruulgari. Et alter, minus homines uirtutis cupidos fore uirtutis praemio peruulgato. Quae enim rara, & ardua ſint, ea ex praemio pulchra, & iucunda hominibus uideri. Et tertius, ſi exſiſtant, qui apud maiores noſtros ob egregiam uirtutem tali honore dignati ſunt, non ne de ſua gloria, cum pari praemio tales homines affici uideant, deliberari putent? & eorum enumeratio, & cum eis, quos contra dicat, comparatio. Eius autem, qui praemium petet, facti ſui amplificatio, & eorum, qui praemio affecti ſunt, cum ſuis factis contentio. Deinde ceteros a uirtutis ſtudio repulſum iri, ſi ipſe praemio non ſit affectus. Facultates autem conſiderantur, cum aliquod pecuniarum praemium poſtulatur, in quo, utrum copia ne ſit agri, uectigalium, pecuniae, an paenuria, conſideratur. Loci communes, facultates augere, non minuere oportere; & impudentem eſse, qui pro beneficio non gratiam, uerum mercedem poſtulet: contra autem, de pecunia ratiocinari, ſordidum eſſe, cum de gratia referenda deliberetur: & ſe non pretium pro facto, ſed honorem, ita ut factitatum ſit, pro beneficio poſtulare.

E X P L A N A T I O

NVNC *de praemiis conſideremus.*] Hinc dare praecepta incipit, quae ſeruanda ſunt, cum praemium poſtulamus: quod ſolum ſupererat de cõſtitutione iuridiciali, tractata aut natura aequi, & recti, aut praemij, aut poenae ratio quaeratur. Dat exemplum, in quo praemium poſtulatur, de eo, qui triumphum petit: poſt quod exemplum admonet neque hic, neque in deprecatione nos facta intentione, & depulſione, & nata quaeſtione, aut rationem inquirere, aut depulſionem rationis: ſed ipſam eſſe iudicationem, quae ſit quaeſtio. In deprecatione, hoc modo, Oporteatne affici poena. In praemij petitione, Oporteatne dari praemium. Diuidit ergo dicenda praemij petitione in quattuor: In beneficia, in hominem, in praemij genus, in facultates: quibus ſingulis partes certas ipſe ſupponit: ſimulq. docuit locos communes, quos tantum in his partibus ex quattuor habemus, in praemij genere, & in facultatibus. Hae enim duae partes affectus tenent, & poſſunt audientes publicae rationis praemium, & facultas plurimum commouere. Ac de conſtitutionibus quidem ſatis dictum.

CICERO

AC de conſtitutionibus quidem ſatis dictum eſt: nūc de iis controuerſiis, quae in ſcripto uerſantur, dicendum uidetur.

IN ſcripto uerſatur controuerſia, cum ex ſcriptionis ratione aliquid dubij naſcitur. Id fit ex ambiguo, ex ſcripto, & ſententia, ex contrariis legibus, ex ratiocinatione, ex definitione. Ex ambiguo autem naſcitur controuerſia, cum, quid ſenſerit ſcriptor, obſcurum eſt, quod ſcriptū duas, pluras ue res ſignificat, ad hunc modum: Paterfamilias, cum filium heredem faceret, uaſorum argēteorum centum pondo uxori ſuae ſic legauit: Heres meus uxori meae uaſorum argenteorum pondo centum, quae uolet, dato. Poſt mortem eius uaſa magnifica, & pretioſe caelata petit a filio mater: ille ſe, quae ipſe uellet, debere dicit. Primum, ſi fieri poterit, demonſtrandum eſt non eſſe ambigue ſcriptum, propterea quod omnes in conſuetudine ſermonis ſic uti ſolent eo uerbo uno pluribus ue in ea ſententia, in qua is, qui dicet, accipiendum eſſe demonſtrabit. Deinde ex ſuperiore, & ex inferiore ſcriptura docendum id, quod quaeratur, fieri perſpicuum. Quare, ſi ipſa ſeparatim ex ſe uerba conſiderentur, omnia, aut pleraque ambigua uiſum iri. Quae autem ex omni conſiderata ſcriptura perſpicua fiant, haec ambigua non oporte re exiſtimari. Deinde qua in ſententia ſcriptor fuerit, ex ceteris eius ſcriptis, & factis, dictis, animo, atque uita eius ſumi oportebit, & eam ipſam ſcripturam, in qua inerit illud ambiguum, de quo quaeritur, totam omnibus ex partibus pertentare, ſi quid aut ad id appoſitum ſit, quod nos interpretemur, aut ei, quod aduerſarius intelligat, aduerſetur. Nam facile, quid uériſimile ſit eum uoluiſſe, qui ſcripſit, ex omni ſcriptura, & ex perſona ſcriptoris, atque iis rebus, quae perſonis attributae ſunt, conſiderabitur. Deinde erit demonſtrandum, ſi quid ex ipſa re dabitur facultatis, id, quod aduerſarius intelligat, multo minus commode fieri poſſe, quam id, quod nos accipimus; quod illius rei neque adminiſtratio, neque exitus ullus exſtet: nos quod dicamus, facile & commode tranſigi poſſe: ut in hac lege (nihil enim prohibet fictam exempli loco ponere quo facilius res intelligatur) Meretrix coronam auream ne habeto: ſi habuerit, publica eſto. Contra eum, qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, poſset dici, neque adminiſtrationem eſſe ullam publicae meretricis, neque exitum legis in meretrice publicanda: at in auro publicando & adminiſtrationem, & exitum facilem eſse, & incommodi nihil ineſſe. Ac diligenter illud quoque attendere oportebit, num illo, probato, quod aduerſarius intelligat, utilior res, aut honeſtior, aut magis neceſſaria, a ſcriptore neglecta uideatur. Id fiet, ſi id, quod nos demonſtrabimus, aut utile, aut neceſſarium demonſtrabimus: & ſi id, quod ab aduerſariis dicetur, minime eiuſmodi dicemus eſſe. Deinde, ſi in lege erit ex ambiguo controuerſia, dare operam oportebit, ut de eo, quod aduerſarius intelligat, alia in lege cautum eſſe doceatur. Permultum autem proficiet illud demonſtrare, quemadmodum ſcripſiſſet, ſi id, quod aduerſarius accipiat, fieri, aut intelligi uoluiſſet: ut hac in cauſſa, in qua de uaſis argenteis quaeritur, poſſit mulier dicere, nihil attinuiſſe, adſcribi, quae uolet, ſi heredis uoluntati permitteret: eo enim non adſcripto, nihil ineſſe dubitationis, quin heres, quae ipſe uellet, daret. Amentiae igitur fuiſſe, cum heredi uellet cauere, id adſcribere, quo non adſcripto nihilo minus heredi, caueretur. Quare hoc genere magnopere talibus in cauſſis uti oportebit: ſi hoc modo ſcripſiſſet, iſto uerbo uſus non eſſet, non iſto loco uerbum iſtud collocaſſet. Nam ex his ſententia ſcriptoris maxime perſpicitur. Deinde, quo tempore ſcriptum ſit, quaerendum eſt, ut, quod eum uoluiſſe in eiuſmodi tempore uériſimile ſit, intelligatur. Poſt ex deliberationis partibus, quid utilius, & quid honeſtius, & illi ad ſcribendum, & his ad comprobandum ſit, demonſtrandum: & ex his, ſi quid amplificationis dabitur, communibus utrumque locis uti oportebit.

EXPLANATIO

NVNC *de iis controuerſiis, quae in ſcripto uerſantur, dicendum uidetur.*] Cōſtitutiones rationales eſſe ſtatus, & in primo docuimus, & ipſas eſſe principales. Hoc quemadmodum compleremus in dicendo, ſuperiore tractatu docuit: ſed, quia ſunt praeter ea genera controuerſiarum, quae uerſantur in ſcripto, quae incidunt conſtitutionibus: quae ipſa quinque ſunt, neceſſario etiam de his dat praecepta. Sunt autem controuerſiae quinque: Ambiguitas, ſcriptum, & uoluntas, leges contrariae, ratiocinatio, & definitio. Scripti autē controuerſia eſt, cum in quocumque ſcripto naſcitur controuerſia: aut in legibus, teſtamentis, pactis, edictis, & ceteris, quae in ſcriptura ſunt. Ergo principalis eſt ambiguitas: quia ita ordinem fecit, cuius definitio adhibita eſt, Cum, quid ſenſerit ſcriptor, obſcurum eſt, ideo quia duas, aut plures res ſignificat. Huic exēplum dedit, ut heres daret uaſa caelata uxori, quae uellet. Quoniam, ut diximus, conſtitutiones non ſunt, ſed incidētes ſunt controuerſiae, nō conſtituit, quae ſit intentio, quae depulſio, neque ratio & refutatio rationis, & quae iudicatio: ſed continuo, dat praecepta quae ſunt parti utrique communia. Sunt autem haec: Primum, ut negemus ambiguum, & doceamus locutionis ipſius conſuetudinem. Dinde, ut ſuperiora uerba, & inferiora conſideremus, ex quibus colligamus, quae ſit uera ſententia. Deinde excutiamus perſonam eius, qui ſcripſit, ut ex ceteris dictis eius, factis, ſcriptis, animo, atque uita, quid ſenſerit, poſsit intelligi. Deinde excutiamus omne ſcriptū: ne in aliquo uerbo aut nos adiuuet, aut impugnet aduerſariū. Deinde dicendū id, quod aduerſarius intelligat minus cōmode fieri, quam quod nos intelligamus. Huic praecepto exemplum dat, Meretrix coronam auream ne habeto: ſi habuerit, publica eſto. hic enim tractari poteſt, non bene ſentire eum, qui publicandam dicit eſſe meretricem. quod publicae meretricis nullus exitus, nulla adminiſtratio, hoc eſt nullum quodāmodo uectigal. In auro uero publicādo magnā eſſe utilitatem. Poſt haec adiungit utilitatē praecepti, ut interpretemur, quanto utilior res, aut honeſtior praetereat, ſi id intellectum fuerit, quod aduerſarius interpretatur. Hoc autem apertius fiet, ſi id, quod nos interpretamur, doceamus eſſe honeſtum, utile, neceſſariū.

Sed,

Sed quoniam ſcripti controuerſia,ſicuti ſupra docuimus,poteſt eſſe, & in teſtamento, & hoc exemplum dedit. Poteſt autem eſſe & in lege: adiecit praecepta, ſi ambiguitas fuerit in lege, uti quaeramus, ne forte, quod aduerſarij intelligant,alia lege cautum ſit. Deinde,ut dicamus,quemadmodum ſcribi oportuiſſet,ſi id ſentiret (quod aduerſarij dicunt) ille qui ſcripſit. Huius praecepti,& argumenti de themate ſupra poſito ſumpſit exẽplum: ut doceat ſcriptorem, ſi heredi conſulere uellet,ut ea uaſa daret, quae illi commodum erat dare: non adſcriberet,quae uellet. hoc enim non adſcripto,quae heres uellet, ipſe daret: nunc quia adſcripſit, utrique eorum cautum uoluit: quia hoc non adſcripto conſuluiſſet heredi. ergo concludit praeceptum in huiuſmodi cauſsis non ita debere tractari, Si hoc modo ſcripſiſſet,illo uerbo uſus eſſet,hoc non eſſet: Iſto loco uerbũ poſuiſſet,aut non poſuiſſet. Deinde adiungit praeceptum,uti quaeramus quo tempore ſcriptũ ſit, quod ſcriptum eſt: quia ex hoc intelligitur uoluntas ſcriptoris. deinde quaſi deliberatiuo modo tractandum,quid utilius, quid honeſtius ſit. Eſſe autem locos communes utrique parti, ſiquid per amplificationem dici poſsit. QAOD *illius rei neque adminiſtratio.*] Quam aduerſarius dicit. NIHIL *enim prohibet fictam legem exempli loco ponere,*] Fictam legem materiam, ideſt theticam legem, ſine certa perſona. DEINDE *ſi in lege erit ex ambiguo controuerſia.*] Non in aliqua alia ſcriptura. ALIA *in lege cautum eſſe doceatur.*] Ideſt, quomodo tu intelligis. PERMVLTVM *autem proficiet illud demonſtrare.*] Adiungit aliud praeceptum eſſe conſiderandnm, Quemadmodum ſcribi poſsit, ſi ſic ſenſiſſet,quemadmodum dicit aduerſarius.

CICERO

EX ſcripto.& ſententia controuerſia conſiſtit, cum alter uerbis ipſis, quae ſcripta ſunt, utitur; alter ad id, quod ſcriptorem ſenſiſſe dicet, omnem adiungit dictionem. Scriptoris autem ſententia ab eo, qui ſententia ſe defendet, tum ſemper ad idem ſpectare, & idem uelle demonſtrabitur: tum ex facto, aut ex euentu aliquo ad tempus id,quod inſtituit,accommodatur. Semper ad idem ſpectare,hoc modo: Paterfamilias, cum liberorum nihil haberet, uxorem autem haberet, in teſtamento ita ſcripſit: Si mihi filius genitus fuerit unus,plures ue, is mihi heres eſto. Deinde quae aſſolent. Poſtea, Si filius ante moritur, quam in tutelam ſuam uenerit, tu mihi, dicebat, ſecundus heres eſto. Filius non eſt natus, ambigunt agnati cum eo,qui eſt heres,ſi filius ante,quam in tutelam ueniat,mortuus ſit. In hoc genere non poteſt hoc dici,ad tempus,aut ad euentum aliquem ſententiam ſcriptoris oportere accommodari: propterea, quod ea ſola demonſtratur, qua fretus ille,qui contra ſcriptum dicet, ſuam eſſe hereditatem defendit. Alterum autem genus eſt eorum, qui ſententiam inducunt: in quo non ſimplex uoluntas ſcriptoris oſtenditur,quae in omne tempus, & in omne factũ idem ualeat;ſed ex quodam facto,aut euentu ad tempus interpretanda dicitur. Ea partibus iuridicialis aſſumptiuae maxime ſuſtinetur. Nam tum inducitur comparatio, ut in eum, qui, cum lex aperiri portas noctu uetaret,aperuit quodam in bello, & auxilia quaedam in opidum recepit, ne ab hoſtibus opprimerentur, ſi foris eſſent, quod prope muros caſtra hoſtes haberent. Tũ relatio criminis,ut in eo,qui,cum communis lex omnium hominem occidere uetaret,tribunum militum ſuum, qui uim ſibi inferre conaretur,occidit. Tum remotio criminis, ut in eo,qui,cum lex,quibus diebus in legationẽ proficiſceretur,praeſtitueret, quia ſumptũ non dedit quaeſtor, profectus non eſt. Tum conceſſio per purgationem & per imprudentiam,ut in uituli immolatione:& per uim, ut in naui roſtrata: & per caſum,ut in Eurotae fluminis magnitudine. Quare aut ita ſententia inducetur,ut unum quoddam uoluiſſe ſcriptor demonſtretur: aut ſic,ut in eiuſmodi re, & tempore hoc uoluiſſe doceatur.

EXPLANATIO

EX *ſcripto, & ſententia controuerſia conſiſtit.*] Legales controuerſiae ſunt quinque, quae extra conſtitutiones tractatus ſuos habent: ex his Tullius primam tractauit ambiguitatem. Scriptum,& uoluntas nunc explicatur. Scripum autem, omne accipere debemus quidquid, aut in legibus,aut in teſtamentis, aut edictis, aut in omnibus ſcriptis intelligitur. Hoc definiuit ita, Cum alter utitur uerbis, quae ſcripta ſunt, alter ſcriptoris ſententiam interpretatur, & ad id, quod ſcriptum eſt, animum ſcribentis adiungit. Idem tamen,qui ſententia utitur, duplici modo aſſerit ſententiam ſcriptoris. Aut enim ſemper dicit ſcripti eius unum eundemq. ſenſum eſſe, aut ad tempus, aut ex euentu accipi oportere id, quod ſenſit ille, qui ſcripſit. Dat exemplum,quemadmodum unum, & idem ſemper intelligatur in ſententia ſcriptoris, Cum heres ſecundus inſtitutus interpretatur ſe heredem eſſe iuſtum, ſiue natus filius eſſet, ut is heres eſſet, qui natus fuerat; ſiue natus non fuiſſet,ut alius nullus eſſet,quam ipſe, qui ſecundus eſt inſtitutus. Hanc ſententiam unam memorat,& ſemper eandem eſſe. At uero, cum ſententia ſcriptoris ita exponitur,ut ex facto, aut ex euentu ad tempus interpretanda ſit, docet omnes ſub qualitate aſſumptiuae partis in hoc genere contineri: in qua compenſatio eſt, aut relatio criminis, aut remotio, aut conceſsio. In his enim omnibus ſpeciebus aſſumptiuae qualitatis, neceſſario lex praecedit: quae cum ſcriptum habeat,habebit & ſententiam,quam is, qui ea utitur,dicit ad tempus accommodari. Dat exemplum,& docet non ad idem ſpectare in his exemplis ſententiam ſcriptoris, ſed ex tempore ſemper intelligi. Poſt haec ſubiungit praecepta,quibus uti debet is,qui ſcriptum defendit, & is, qui ſcripto ſe tuetur. Sunt autem hae laudes ſcriptoris, Communis locus,in quo docetur nihil a iudicibus ſpectari oportere niſi ſcriptum: & magis ſi legitimum ſcriptum ſit. Tertio loco debet inducere factum ab aduerſario. Poſtea comparare cũ ſcripto id,quod factum eſt. Deinde dicere,quod iudex in legem iuratus ſit. Deinde interrogare,quid ſit,quod ex aduerſa parte dicatur. Modis autẽ uariis interrogare,modo iudicẽ,

modo

modo aduerſarium,modo ipſum ſe cum admiratione interrogare : & interrogare haec,utrum ſcriptum negetur eſſe ſic,quemadmodum loquitur,& non ab aduerſario aliud factum ſit,quam dicatur , an contra dici nihil poſsit : deinde concludere,Cum ſcriptum ita ſit,& ab aduerſario factum,& ita factũ non negetur : quod ſumma ſtultitia ſit contradicere. Deinde recitatio ſequitur ipſius ſcripti frequens , & comparatio facti cum ſcripto,uario modo : nunc ad te ipſum ut redeas,nunc ad iudices iſta tractes. Sed ad iudices cum dicitur,oſtendendum eſt,quid ſequi iudices debeant : quod duabus de cauſsis ſit apud iudices dubitatio,ſi aut obſcure ſcriptum ſit,aut aduerſarius aliquid neget. At hic utrumque manifeſtum eſſe : unde iudices parere legi oportet , non interpretari legem. Poſt haec ſubiunguntur ea,quae contra eum dicuntur,qui utitur ſententia. Et,quoniam ſupra diximus,Sententia aut idem ſemper ſpectat,aut ad tempus accommodatur : ſi ad idem ſpectare dicitur ſententia,ille,qui ſcripto nititur,dicit non oportere nos de uolũtate quaerere,cum ſcriptum exſtet,quod indicium eſt uoluntatis : deinde incommodum eſſe,ſi hoc inſtituatur,ut ab ſcripto recedatur. nam ſic nec ſcriptores ratum futurum crederent,quod ſcripſerint, & iudices incertum ſequentur,ſi a ſcripto recedere coeperint. Deinde dicere magis uoluntatem eum ſequi,qui ſcripta defendat,quam eum, qui interpretetur. certius enim indicium eſſe uoluntatis ipſum ſcriptum. Haec aduerſus eum,qui ſententiam ſemper ad idem ſpectare dicit. Sin autem ad tempus accommodari ſententiam dicet aduerſarius,debet ille,qui ſcripto nititur,negare,iuſtum eſſe,ut,cum aliquis ſe contra legem feciſſe fateatur,afferat cauſſam uel temporis,uel euentus,uel aliam ſimilem. Deinde debet dicere,ſemper accuſatorum fuiſſe,ut cum crimen intenderent, facti cauſſam afferrent : nunc reorum eſſe,ut,cum fecerint,quod non licebat,facti ſui afferant cauſſam. Poſt haec tres locos debet aſſerere,qui pro ſcripto nititur : ſunt autem hi, Nulla in lege cauſſam contra ſcriptũ accipi : in hac lege non accipi : hanc cauſſam minime accipi. Haec,uti dixi,debet aſſerere,ac primum illud, In nulla lege cauſſam accipiendam eſſe. habebit haec praecepta , quod ſcriptori neque ingenium defuit ad inuenienda omnia , neque ſermo ad proferenda,ſi aliquid excipiendum putaret,eſſe conſuetudinem ſcriptoribus excipere. Hoc probabit,ſi recitet leges, quae habent exceptionem. Erit autem uehementius , ſi eius ipſius ſcriptoris aliam legem recitet , aut in ipſa lege aliquod caput inueniat, quod excipiat. Deinde , quaſi per definitionem inducere, quomodo nihil aliud eſt cauſſam accipere,niſi legem tollere : idq. fieri,ſi cauſſa accipiatur,quae extra legem eſt : ideſt extra ſcriptum. Deinde omnibus peccandi licentiam dari,ſi cauſſa ſemper accipiatur: & iudicibus errorem mitti,cũ a ſcripto receſſerint : & ſemper cauſſas ſequantur,quae ſcriptae non ſunt : omnes ciues,quid agant ignoraturos,ſi ex ſuo quiſque conſilio agat,& cauſſam legi applicet. Poſtremo hos locos inducet,quod omnes actus reipublicae legibus exerceantur,quod hi iudicent , quod a negotiis ſuis abſint , quod iurent in uerba certa,quod nullam excuſationem,aut aliquam cauſſam recipiant,qua cum teneatur,ad iudicandum abeſſe poſsit: niſi ſi eadem cauſſa utatur,quae ſit in ipſis legibus inſtituta : quod ſi omnes legibus tenẽtur,iniquum eſſe aduerſarios non teneri. Deinde per argumentationem illam,quae inductio nominatur,explicare, an permittant iudices ad legem addi eam cauſſam,qua ſe tuetur aduerſarius. Quod ſi ipſi non permittant,aut etiam, ſi uelint ipſi,addere populus ſinat : ſi neque ipſi,neque populus permittat addi cauſſam,iniquum eſſe,ut hodie ita iudicent,quaſi iam cauſſa legi uideatur adſcripta : indignum eſſe derogari lege,aut abrogari legem, aut ex aliqua parte mutari. Derogari,eſt,in uituperationem uenire. Abrogari,totam penitur tollere. Tertium uero eſt,cum pars aliqua commutatur,& uertitur. Deinde,adiungere populum hodie nihil ſcire : iniquum eſſe,ut illo inuito, & ignaro aliquid de legibus iudicetur : eſſe certum ferendae legis tempus : quod ſi aliquis hanc legem ferat,ſcire ſe uelle,ut,ſi aliquid ſit captioſum aduerſarium ue,contra dicat eſſe turpia,& inutilia haec,quae aduerſarij dicunt. Nunc legem, qualiſcumque ſit, debere ſeruari : poſt populo ſi diſpliceat, licentiam commodari,ut uel abroget,uel corrigat legem. Deinde poſtremo loco concludet neminem permiſſurum fuiſſe de populo,ut aduerſarius hanc cauſſam adderet legi , etiam ſi ſine alicuius periculo hoc fieri poſſet. TVM *ſemper ad idem ſpectare,& idem uelle demonſtratur.*] Semper hoc eſſe in hac lege,quod ſenſerit ſcriptor : ut, quod nos ſenſiſſe ſcriptorem dicimus, ideſt, ad quam ſententiam ſcripta uerba accommodamus, ipſa ſemper ſit : neque aliquo tempore mutetur,ne exſiſtat aliquando diuerſa. Interdum,inquit,is,qui ſe ſententia defendit,contra ſcriptum ſic dicit,hoc ſenſiſſe ſcriptorem,ut nõ ſemper idem ſit,quod ſenſiſſe dicitur : ſed pro tempore,pro euentu ſit alia,atque alia ſententia : & his duobus praeceptis ſupponit exempla. SEMPER *ad idem ſpectare,hoc modo:*] Vnius partis,uel praecepti. Et tractatus exemplum, Quam in tutelam ſuam uenerit, intra annos quattuordecim,quibus expletis poteſt facere teſtamentum,cum eo,qui eſt heres,ſecundus ſcilicet,& tunc heres,ſi filius ante,quam in ſuam tutelam ueniat,moriatur. in hoc genere non poteſt hoc dici,quod interpretatur,ſcripti ſemper eandem ſententiam non ad tempus accommodari , qua fretus & ille , qui contra ſcriptum dicit,id eſt ſecundus : qui ſecũdus de numero factus heres ab agnatis,ſcripto ab hereditate ſummouetur : quia ſecundus ſcriptus cum ſit,non nato filio,ſecundus non eſt. QVAE *in omne factum idem ualeat,*] Non quod ſupra,ſed hic pro tempore,ut quid fiat,lex ſenſerit. QVOD *prope muros caſtra hoſtes haberent,*] Probauit hucuſque compenſatiuam ſubeſſe interpretatae uoluntati contra ſcriptum : cum uoluntas ſpectatur , ex tempore ſubiungit,& relatiuam ſubeſſe. TVM *remotio criminis.*] Adiungit,nunc & remotionem criminis ſubeſſe interpretatae uoluntatis : contra ſcriptum,cum uoluntas mutatur, ut ad tempus ſit. Supponit etiam quartam ſpeciem aſsumptiuae,ideſt conceſsionem ei ſubeſse. TVM *conceſſio per purgationem,*] Quia conceſsio in purgationem,& in deprecationem diuiditur : ſed deprecatio non ſubeſt. Purgationem ſpecicbus ſuis ſubiicit. QVARE *aut ita ſententia inducetur,ut unum, &c.*] Redit ad concluſionem duorum praeceptorum ſupra poſitorum,cum uoluntatem interpretamur contra ſcriptum.

CICERO

CICERO

ERgo is, qui ſcriptum defendet, his locis plerumque omnibus, maiore autem parte ſemper poterit uti. Primum ſcriptoris collaudatione, & loco communi, nihil eos, qui iudicent, niſi id, quod ſcriptum ſit, ſpectare oportere: & hoc eo magis, ſi legitimum ſcriptum proferetur, ideſt, aut lex ipſa, aut ex lege aliquid. Poſtea, quod uehementiſſimum eſt, facti, aut intentionis aduerſariorum cum ipſo ſcripto contentione, quid ſcriptum ſit, quid factum, quid iuratus iudex, quem locum multis modis uariare oportebit. Tum ipſum ſecum admirantem, quidnam contra dici poſſit, tum ad iudicis officium reuertentem, & ab eo quaerentem, quid praeterea audire, aut exſpectare debeat: tum ipſum aduerſarium quaſi intentantis loco producendo, hoc interrogando, utrum ſcriptum neget eſſe eo modo, an ſe contra factum eſſe, aut contra contendi neget: utrum negare auſus ſit, ſe dicere deſiturum. Si neutrum neget, & contra tamen dicat, nihil eſſe, quo hominem impudentiorem quiſquam ſe uiſurum arbitretur. In hoc ita commorari conueniet, quaſi praeterea nihil dicendum ſit, & quaſi contradici nihil poſſit, ſaepe id, quod ſcriptum eſt, recitando, ſaepe cum ſcripto factum aduerſarij confligendo, atque interdum acriter ad iudicem ipſum reuertendo. Quo in loco iudici demonſtrandum eſt, quid iuratus ſit, quid ſe qui debeat: duabus de cauſſis iudicem dubitare oportere, ſi aut ſcriptum ſit obſcure, aut neget aliquid aduerſarius, Cum & ſcriptum ſit aperte, & aduerſarius omnia confiteatur, tum iudicem legi parere, non interpretari legem oportere. Hoc loco confirmato, tum diluere ea, quae contra dici poterant, oportebit.

EXPLANATIO

ERgo *is, qui ſcriptum defendet,*] Hinc incipiunt praecepta, quibus uti debeat is, qui ſe defendit ſcripto. Qvid *factum.*] Ab eo ſcilicet qui ex legis uerbis arguitur. Qvid *iuratus iudex,*] Ideſt, in quam rem iuratus iudex ſedeat, hoc eſt, in leges ſedeat iuratus. Si *neutrum neget.*] Ideſt, aut ſcriptum eſſe legem, aut hoc idem ſe feciſſe.

CICERO

COntra autem dicetur, ſi aut prorſus aliud ſenſiſſe ſcriptor, & ſcripſiſſe aliud demonſtrabitur, ut in illa de teſtamento, quam poſuimus, controuerſia; aut cauſſa aſſumptiua inferetur, quamobrem ſcripto non potuerit; aut non oportuerit obtemperari. Si aliud ſenſiſſe ſcriptor, aliud ſcripſiſſe dicetur, is, qui ſcripto utetur, hoc dicet, non oportere de eius uoluntate nos argumentari, qui, ne id facere poſſemus, indicium nobis reliquerit ſuae uoluntatis: multa incommoda conſequi, ſi inſtituatur, ut ſcripto recedatur. nam & eos, qui aliquid ſcribant, non exiſtimaturos id, quod ſcripſerint, ratum futurum: & eos, qui iudicent, certum, quod ſequantur, nihil habituros, ſi ſemel a ſcripto recedere conſueuerint. Quod ſi uoluntas ſcriptoris conſeruanda ſit, ſe non aduerſarios a uoluntate eius ſtare. Nam multo propius accedere ad ſcriptoris uoluntatem eum, qui ex ipſius eam litteris interpretetur, quam illum, qui ſententiam ſcriptoris non ex ipſius ſcripto ſpectet, quod ille ſuae uoluntatis quaſi imaginem reliquerit, ſed domeſticis ſuſpicionibus perſcrutetur. Sin cauſſam afferet is, qui a ſententia ſtabit; primum erit contradicendum, quam abſurdum non negare contra legem feciſſe; ſed, quare fecerit, cauſſam aliquam inuenire. Deinde conuerſa omnia eſſe: ante ſolitos eſſe accuſatores iudicibus perſuadere, affinem eſſe alicuius culpae eum, qui accuſaretur; cauſſam proferre, quae eum ad peccandum impuliſſet: nunc ipſum reum cauſſam afferre, quare deliquerit. Deinde hanc inducere partitionem, cuius in ſingulas partes multae conueniant argumentationes.

EXPLANATIO

COntra *autem dicetur, ſi aut prorſus aliud ſenſiſſe ſcriptor, & ſcripſiſſe aliud demonſtrabitur.*] Contra autem dicetur ab eo, qui ſe contra iſtum, qui ſcripto nititur, uoluntate defendit: ſed huic nunc locos dat, non quo ad eius partes iam tranſierit: uerum, ut intelligamus, contra quos locos eius, qui ſe uoluntate defendit, reſpondere poſsit. Avt *ſi cauſſa aſſumptiua inferetur.*] Quoniam, cum ad tempus uoluntas ſcripti accipienda oſtenditur, neceſſario per aſſumptiuae qualitatis ſpeciem argumenta ſumuntur. Si *aliud ſenſiſſe ſcriptor, aliud ſcripſiſſe dicetur, is qui, &c.*] Prima pars, qua is utitur, qui ſe uoluntate defendit, contra quam nunc praecepta dat ſcriptori. Sin *cauſſam afferet is, qui a ſententia ſtabit.*] Secunda pars, qua utitur is, qui uoluntate ſe defendit contra, quam nunc praecepta dat ſcriptori. Sin *cauſſam afferet is, qui a ſententia ſtabit primum, erit, &c.*] Dictus prius locus eſt ab eo, qui ſcripto nititur, per partes ſuas: qui per praecepta ſequitur, ſecundus locus eſt: in quo oſtēditur, ſi in ceteris legibus cauſſa accipiatur, in hanc legem cauſſam accipi non oportere. Hoc ut probari poſsit, demonſtrandum eſt: quia lex, uel ſcriptum quodlibet ad res maximas, utiliſsimas, honeſtiſsimas, pertineat: unde inutile, turpe, nefas eſſe doceatur, legi tam diligenter ſcriptae non obtemperari. Deinde docendum, quod omnia cauta in hac lege ſint, & proſpecta, & excepta, quae excipienda, perſpicienda, cauendaq. eſſe uidebantur. Subiungitur tertius locus, in quo docetur hanc cauſſam accipi non oportere. In quo, quoniam aduerſarius, qui contra ſcriptum dicet, aliqua aequitate ſe tuetur, laborandum eſt, uti doceat, qui ſe ſcripto defendit, illud aequum non eſſe, quod aduerſarius dicit; quo loco bene tractato, ut doceat aequum non eſſe, efficiat, ut non oporteat concedere aduerſario. Nam ſuperiores

periores loci hoc agebant, quaſi non liceret id fieri, quod aduerſarius uellet. Hic autem locus (ut dixi) in quo docetur aequum non eſſe quod aduerſarius dicit, demonſtrabit eum non oportere audiri: cum iuſtum non uideatur eſſe, quod dicit. Deinde deſcendendum erit ad aſſumptiuae qualitatis ſpecies per tractatus ab eo, qui ſcripto nititur, uti per ea praecepta quae ſupra dicta ſunt, compenſationis, & relationis, remotionis, concesſionis explicet locos partis ſuae, quae nititur contra eum, qui ſe uoluntate defendit, ſupponendo cauſſam ex locis aſſumptiuae qualitatis: deinde rationes afferendae ſunt, & cauſſae, quare aut in lege, aut in teſtamento ita ſcriptum ſit, quod ſcriptum eſt: ut ex hoc modo ſcripta tantum defendere, uerum uoluntates interpretari uideatur ille, qui ſcripta defendit.

C I C E R O

*P*RIMVM *nulla in lege ullam cauſſam contra ſcriptum accipi conuenire. Deinde ſi in ceteris legibus conueniat, hanc eſſe huiuſmodi legem, ut in ea non oporteat. Poſtremo ſi in hac quoque lege oporteat, hanc quidem cauſſam accipi minime oportere. Prima pars his fere locis confirmabitur, ſcriptori neque ingeniũ, neque operam, neque ullam facultatẽ defuiſſe, quo minus poſſet aperte perſcribere id, quod cogitaret: non fuiſſe ei graue, nec difficile, eam cauſſam excipere, quam aduerſarij proferãt, ſi quidquam excipiendum putaſſet: conſueuiſſe eos, qui leges ſcribant, exceptionibus uti. Deinde oportet recitare leges, cum exceptionibus ſcriptas, & maxime uidere, ſi qua in ea ipſa lege, qua de agitur, ſit exceptio aliquo in capite, aut apud eundem legis ſcriptorem, quo magis eum probetur fuiſſe excepturum, ſi quid excipiendum putaret; & oſtendere cauſſam accipere, nihil aliud eſſe niſi legem tollere: ideo quod, cum ſemel cauſſa conderetur, nihil attineat eam ex lege cõſiderare, quippe quae in lege ſcripta non ſit. quod ſi ſit inſtitutũ, omnibus cauſſam dari, & poteſtatem peccandi, cum intellexerint uos ex ingenio eius, qui contra legem fecerit, non ex lege, in quam iurati ſitis, rem iudicare. Deinde & ipſis iudicibus iudicandi, & ceteris ciuibus uiuendi rationes perturbatum iri, ſi ſemel a legibus receſſum ſit. Nam & iudices neque quid ſequantur habituros, ſi ab eo, quod ſcriptum ſit, recedãt; neque quo pacto alijs improbare poſſint, quod contra legem iudicarint: & ceteros ciues, quid agãt ignoraturos, ſi ex ſuo quiſque conſilio, & ex ea ratione, quae in mentem, aut in libidinem uenerit, non ex communi praeſcripto ciuitatis unamquamque rem adminiſtrabit. Poſtea quaerere a iudicibus ipſis, quare in alienis detincãtur negotijs, cur reip. munere impediantur, cum ſaepius ſuis rebus, & commodis ſeruire, cur in certa uerba iurent, cur certo tempore conueniant, certo diſcedant; nihil quiſquam afferat cauſſae, quominus frequenter operam reip. det, niſi quae cauſſa in lege excepta ſit: an ſe legibus obſtrictos in tantis moleſtijs eſſe aequum cenſeant aduerſarios noſtros leges negligere concedant. Deinde itẽ quaerere ab iudicibus, ſi eius rei cauſſam, propter quam ſe reus contra legem feciſſe dicat, exceptionẽ ipſe in lege adſcribat, paſſuri ne ſint. Poſtea hoc, quod faciat, indignius, & impudentius eſſe, quam ſi adſcribat. Age porro, quid ſi ipſi uelint iudices adſcribere, paſſurus ne ſit populus? atque hoc eſſe indignius, quam rem uerbo, & litteris mutare non poſſint, eam re ipſa, & iudicio maxime commutare. Deinde indignius eſſe de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, cum populo cognoſcendi, & probandi poteſtas nulla fiat, hoc ipſis iudicibus inuidioſiſſimum futurum. Non hunc locum eſſe, neque hoc tempus legum corrigendarum, apud populum hoc, & per populum agi conuenire: quod ſi nunc id agant, uelle ſe ſcire, qui lator ſit, qui ſint accepturi, ſe actiones uidere, & diſſuadere uelle. Quod ſi haec cum ſumme inutilia, tum multo turpiſſima ſint, legem, cuiuſcemodi ſit, in praeſentia conſeruari a iudicibus, poſt, ſi diſpliceat, a populo corrigi conuenire. Deinde ſi ſcriptum non exſtaret, magnopere quaereremus: neque iſti, ne ſi extra periculum quidem eſſet, crederemus: nunc, cum ſcriptum ſit, amentiam eſſe eius rei, qui peccarit, potius, quam legis ipſius uerba cognoſcere. His & huiuſmodi rationibus oſtenditur cauſſam extra ſcriptum accipi non oportere.*

E X P L A N A T I O

PRIMVM *nulla in lege ullam cauſſam*] Praecepta partitionis, quibus uti debeat is, qui ſe ſcripto defendit. PRIMA *pars his fere locis confirmabitur*,] In nulla lege cauſſam accipi oportert. DEINDE *item quaerere*] Hoc tantum per inductionem, ut ex eo, quod conceditur, concludatur.

C I C E R O

*S*ECVNDA *pars eſt, in qua eſt oſtendendum, ſi in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonſtrabitur, ſi lex aut ad res maximas, utiliſſimas, honeſtiſſimas, religioſiſſimas uidebitur pertinere: aut inutile, aut turpe, aut nefas eſſe tali in re non diligentiſſime legi obtemperare: aut ita lex diligenter perſcripta demonſtrabitur, ita cautum unaquaque de re, ita quod oportuerit exceptum, ut minime conueniat quidquam in tam diligenti ſcriptura praeteritum arbitrari. Tertius locus eſt ei, qui pro ſcripto dicet, maxime neceſſarius, per quem oſtendat oportet, ſi eo ueniat, cauſſam contra ſcriptum accipi, eam tamen minime oportere, quae ab aduerſariis affertur. qui locus iccirco eſt huic neceſſarius, quod ſemper is, qui contra ſcriptum dicit, aequitatis aliquid afferat oportet. Nam ſumma imprudentia eſt, eum, qui, contra quod ſcriptum ſit, aliquid probare uelit, non aequitatis praeſidio id facere conari. Si quid igitur ex hac ipſa accuſator deroget, omnibus partibus iuſtius, & probabilius accuſare uideatur. Nam ſuperior oratio hoc omnis faciebat, uti iudices, etiam ſi nollent, neceſſe eſſet; haec autem, etiam ſi neceſſe non eſſet, ut uellent contra iudicare. Id autem fiet, ſi quibus ex locis culpa demonſtrabi-*

tur non eſſe in eo, qui comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut conceſſionis partibus ſe defendit, de quibus ante, ut potuimus, diligenter perſcripſimus, ſi de his locis, quae res poſtulabit, ad cauſsam aduerſariorum improbandam transferemus: aut cauſſae & rationes afferentur, quare & quo conſilio ita ſit in lege, aut in teſtamento ſcriptum, ut ſententia quoque, & uoluntate ſcriptoris, non ipſa ſolum ſcripturae cauſſa confirmatum eſse uideatur: aut aliis quoque conſtitutionibus factum coarguetur.

EXPLANATIO

SECVNDA *pars eſt, in qua eſt oſtendendum ſi in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere.*] Secunda pars incipit, de partitione eius, qui contra ſententiam ſcriptum defendit. SI *quidem igitur ex hac ipſa quippiam accuſator deroget.*] Ideſt aequitate. quoniam ille, qui ſe ſententia defendit, contra ſcriptum aequitatem debet aſſerere: neceſſario is, qui ſe ſcripto defendit, debet rurſus detrahere aquitati.

CICERO

CONTRA *ſcriptum autem qui dicet, primum eum inducet locum, per quem aequitas cauſſae demonſtretur: aut oſtendet, quo animo, quo conſilio, qua de cauſſa fecerit: & quamcumque cauſsam aſſumet, aſſumptionis partibus ſe defendet, de quibus ante dictum eſt. Atque hoc in loco, cum diutius commoratus ſui facti rationem, & aequitatem cauſſae exornauerit; tum ex his locis fere contra aduerſarios dicet, oportere cauſſas accipi: demonſtrabit nullam eſſe legem, quae aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri uelit: omnia ſupplicia, quae a legibus proficiſcantur, culpae, ac militiae uindicandae cauſſa conſtituta eſse. Scriptorem ipſum, ſi exſiſtat, factum hoc probaturum: & idem ipſum, ſi ei talis res accidiſset, facturum fuiſſe: & ea re legis ſcriptorem certo ex ordine iudices certa aetate praeditos conſtituiſſe, ut eſſent, non qui ſcriptum ſuum recitarent, quod quiuis puer facere poſſet, ſed qui cogitationem aſſequi poſſent, & uolunratem interpretari. Deinde illum ſcriptorem, ſi ſcripta ſua ſtultis hominibus, & barbaris iudicibus committeret, omnia ſumma diligentia perſcripturum fuiſse: nunc uero, quod intelligeret quales uiri iudicaturi eſsent, iccirco eum, quae perſpicua uideret eſſe, non adſcripſiſse: neque enim uos ſcripti ſui recitatores, ſed uoluntatis interpretes fore putauit. Poſtea quaerere ab aduerſariis, quid ſi hoc feciſſem? quid ſi hoc accidiſſet? eorum aliquid, in quibus, aut cauſſa ſit honeſtiſſima, aut neceſſitudo certiſſima, tũ ne accuſaretis? Atqui lex nuſquam excipit. Non ergo omnia ſcriptis, ſed quaedam, quae perſpicua ſunt, tacitis exceptionibus caueri. Deinde nullam rem neque legibus, neque ſcriptura ulla, denique ne in ſermone quidem quotidiano, atque imperiis domeſticis recte poſſe adminiſtrari, ſi unuſquiſque uelit uerba ſpectare, & non ad uoluntatem eius, qui uerba habuerit, accedere. Deinde ex utilitatis, & honeſtatis partibus oſtẽdere, quam inutile, aut quam turpe ſit id, quod aduerſarij dicant fieri oportuiſſe, aut oportere; & id, quod nos fecerimus, aut poſtulemus, quam utile aut quam honeſtum ſit. Deinde leges nobis caras eſſe non propter litteras, quae tenues, & obſcurae notae ſint uoluntatis, ſed propter earum rerum, quibus deſcriptum eſt, utilitatem, & eorum, qui ſcripſerint, ſapientiam, & diligentiam. Poſtea, quid ſit lex deſcribere, ut ea uideatur in ſententijs, non in uerbis conſiſteere: & iudex is uideatur legi obtemperare, qui ſententiam eius non qui ſcripturam ſequatur. Deinde quam indignum ſit eodem affici ſupplicio eum, qui propter aliquod ſcelus & audaciam contra legem fecerit, & eum, qui honeſta aut neceſsaria de cauſſa, non ab ſententia, ſed ab litteris legis receſſerit: atque his & huiuſmodi rationibus & accipi cauſſam, & in hac lege accipi, & eam cauſsam, quam ipſe afferat, oportere accipi demonſtrabit. Et quemadmodum ei dicebamus, qui a ſcripto diceret, hoc fore utiliſſimum, ſi quid de aequitate ea, quae cum aduerſario ſtaret, derogaſset: ſic huic, qui cõtra ſcriptum dicet, plurimum proderit, ex ipſa ſcriptura aliquid ad ſuam cauſſam conuertere, aut ambigue aliquid ſcriptum oſtendere. Deinde ex illo ambiguo eam partem, quae ſibi proſit, defendere, aut uerbi definitionẽ inducere, aut & illius uerbi uim, quo urgeri uideatur, ad ſuae cauſſae commodum traducere, aut ex ſcripto non ſcriptũ aliquod inducere per ratiocinationẽ, de qua poſt dicemus. Quacumque autem in re quamuis leuiter probabili ſcripto ipſo ſe defenderit, etiam cum aequitate cauſſa abundauit, neceſſario multum proficiet: ideo quod, ſi id, quo nititur aduerſariorum cauſsa, ſubduxerit, omnem illam eius uim, & acrimoniam lenierit, ac diluerit.*

EXPLANATIO

CONTRA *ſcriptum autem qui dicet, primum eum inducet locum, per quem aequitas cauſſae demonſtretur:*] Nunc tractatus eſt eius, qui uoluntate ſe tuetur contra ſcriptum, quod ſupra tractatũ eſt: iſque inducet primum locum aequitatis, ut oſtẽdat, quae & qualis illa ſit cauſſa, quã adhibet per interpretationẽ legis. deinde aſſumptiuae partis cuiuſque praecepta ſeruabit: dicens, Hoc quidem ſcriptum in lege eſt, ſed ego feci, ut prodeſſem, uel reliqua, quae aſſumptiuae ſunt qualitatis: ut facta ipſa ſua enumeret, & exſequatur. Deinde tres illos compleat locos ex aduerſa parte, quibus uſus eſt is, qui ſcripta defenderat. Hic ex contrario doceat in omnes leges accipi cauſſas: & in hanc legem accipi debere, & hanc cauſſam accipi debere: in omnes leges accipi cauſſas, in hanc non accipi: iniquum aliquid conſtitui, ut omnia ſupplicia culpae, & malitiae uindicandae cauſſa conſtituta ſint. Nunc ſe nihil malitioſe feciſſe. Ipſum ſcriptorem, ſi hodie praeſens eſſet, factũ ſuũ probaturũ, aut ſi ipſe hoc ageret, facturũ fuiſſe. Hac de cauſſa uiros bonos electos & dignitate, & aetate, ut non ſcripta legis recitarent, ſed interpretarentur. Ipſum legis ſcriptorem non barbaris hominibus, ac ſtultis commiſiſſe ſcripta ſua. Nam, ſi hoc crederetur, diligenter cuncta exſequerentur: nunc quaedam poſuiſſe, ex

quibus

quibus etiam non ſcripta cognoſci poſſunt, per intellectam uoluntatem. Poſtea dicendum eſt, quid fieri potuiſſet, aut quid accidere potuiſſet: in quibus cauſſa, cum collocatur, oſtenditur recedendum fuiſſe a ſcriptis propter uel neceſsitatem, uel honeſtatem. Omnes leges comprehendere omnia non poſſe, quae uelint exprimere, uel excipere: ſed eſſe naturaliter in legibus cunctis tacitas exceptiones. deinde locum hũc debebit exſequi, quod neque ſermo hominum, neque ſcriptum aliquod plane ſe exprimat, aut eloquatur uoluntatem: ſed ſemper exſpectari ex ſcriptis reliqua, quae in uoluntate intelligi poſſunt. deinde utilitatis, & honeſtatis partes explicãdae ſunt: in quibus docebimus, quid nos fecerimus, & quid aduerſarij uelint: ut noſtrum utile aduerſariorum inutile demonſtretur. deinde locum communem debemus inducere, non litteras ſequi nos oportere, quae & tenues, & obſcurae ſunt notae uoluntatis: ſed ipſam illam uoluntatem: deinde inducere definitionem, quid ſit lex: & ſic definire, ut haec potius uoluntas, quam ſcriptum uideatur: meritoq. iudices inſeruiãt legi, qui uoluntatem legis interpretantur. iniquum eſſe affici ſupplicio eum, qui non aperte contra legem fecerit, ſed ex aliqua ratione utilitatis reipublicae. His rationibus, & rebus, tres illi loci approbantur, qui ſunt contrarij ſuperioribus tribus, Vti doceamus, & accipi cauſſam in omnibus legibus, & in hanc legem accipi, & hanc cauſſam accipi. Praeterea operam dare debemus, ut etiam ſcriptum ipſum, ſi quo pacto poſſumus, conuertamus: ut id uideatur tenere uerbis, quod nos interpretamur: facimuſq. tale aliquid, quale ſupra fecit, qui ſcripto nititur, ut ad ſcriptum applicet uoluntatem. Sic hic, qui uoluntate nititur, in ſcripto debet aliquid inuenire, quod interpretetur a ſe, quod conueniat uoluntati. Id faciet, ſi ambiguum aliquid in ſcripto inuenerit, aut per collectionem ex eo, quod ſcriptum eſt, id quod non eſt, oſtenderit: ſic fieri, ut, cum leue neſcio quid inuenerit in ſcripto, tamen, cum aequitatem oſtenderit in ſua cauſſa eſſe, plurimum proficiet: & ſubducet aduerſario argumentum ſuum, in quo ille poſuit ſcripta tantum iudices ſequi debere: cum & hic docere coeperit in ſcripto eſſe aliquid, quod proſit ei uoluntati, quam interpretatur. Poſtremi ſunt loci communes, qui ſumi poterunt ex partibus aſſumptiuae qualitatis, quod ſupra diximus. Verũ erit proprius locus eius, qui ſcripta defendit, leges ex ſe intelligi debere, non ex utilitate interpretantium. deinde erit alter, nihil legibus carius eſſe debere: at uero erunt alij loci communes eius, qui ſe uoluntate defendit, Leges in conſilio ſcriptoris eſſe, & utilitate communi. Deinde indignum eſſe aequitatem litteris premere, & urgere: cum aequitas magis uoluntate cernatur, ex his locis, quos tres in partitione ſupra poſuit: & accipi cauſſam, & in hac lege accipi, & hanc cauſſam accipi. Repetit per anacephalaeoſin in concluſione tres illos, quos in partitione poni locos dixit, & pro ſcripto, & contra ſcriptum, aut ex ſcripto non ſcriptũ aliquod inducere: ideſt ſyllogiſtice tractare. Cvm *aequitate cauſſa abundabit, neceſſario multum proficiet.*] Fit & hic concluſio, ut & is, qui ſe uoluntate defendit, operam det, ut ipſum ſcriptum pro ſe faciat: uel ambiguo aliquo reprehenſo, uel ceteris, ut non uoluntate tantum, ſed etiam ſcripto niti uideatur: quemadmodum illi ipſi ſupra, qui ſe ſcripto defendit, ita praeceperat, ut non ſola uerba amplecteretur, ſed etiam ſcriptoris oſtenderet uoluntatem.

CICERO

LOCI *autem communes certis ex aſſumptionis partibus in utramque partẽ cõuenient. Praeterea eius, qui a ſcripto dicet leges ex ſe, non ex eius, qui contra cõmiſerit, utilitate ſpectari oportere, & legibus antiquius haberi nihil oportere. Contra ſcriptum, leges in conſilio ſcriptoris, & utilitate communi, non in uerbis conſiſtere. Quam indignum ſit, aequitatem litteris urgeri, quae uoluntate eius, qui ſcripſerit, defendatur.*

EXPLANATIO

LOCI *autem communes certis ex aſſumptionis partibus in utramque partem conuenient.*] Vt aut remoueat, aut compenſet, aut referat, aut non concludat.

CICERO

EX *contrariis autem legibus controuerſia naſcitur, cum inter ſe duae uidentur leger, aut plures diſcrepare, hoc modo: Lex, Qui, tyrannum occiderit, Olympionicarum praemium capito, & quam uolet ſibi rem a magiſtratu poſcito, & magiſtratus ei concedito. Et altera lex, Tyranno occiſo quinque eius proximos cognatione magiſtratus necato. Alexandrum, qui apud Phaereos in Theſſalia tyrannidem occuparat, uxor ſua, cui Thebe nomen fuit, noctu, cum ſimul cubaret, occidit. Haec filium ſuum, quem ex tyranno habebat, ſibi praemij loco depoſcit. Sunt, qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Res in iudicio eſt. In hoc genere utramque in partem ijdem loci, atque eadem praecepta conuenient, ideo quod uterque ſuam legem confirmare, contrariam infirmare debebit. Primum igitur leges oportet contendere, conſiderãdo, utra lex ad maiores, hoc eſt ad utiliores, ad honeſtiores, ac magis neceſſarias res pertineat. Ex quo conficitur, ut, ſi leges duae, aut ſi plures, aut quotquot erunt, conſeruari non poſſint, quia diſcrepent inter ſe; ea maxime conſeruanda putetur, quae ad maximas res pertinere uideatur. Deinde utra lex poſterius lata ſit. nam poſtrema quaeque grauiſſima eſt. Deinde utra lex iubeat aliquid, utra permittat. nam id, quod imperatur, neceſſarium; illud, quod permittitur, uoluntarium, eſt. Deinde in utra lege, ſi non obtemperatum ſit, poena afficiatur, aut in utra maior poena ſtatuatur. nam maxime conſeruanda eſt ea, quae diligentiſſime ſancta eſt. Deinde utra lex iubeat, utra uetet. nam ſaepe ea,*

quae uetat, quaſi exceptione quadam corrigere uidetur illam, quae iubet. Deinde utra lex de genere omni, utra de parte quadam, utra communiter in plures, utra in aliquam certam rem ſcripta uideatur. nam, quae in partem aliquam, & quae in certam quandam rem ſcripta eſt, propius ad cauſſam accedere uidetur, & in iudicium magis pertinere. Deinde ex lege utrum ſtatim fieri neceſſe ſit, utrum habeat aliquam moram, & ſuſtentationem. nam id, quod ſtatim faciendum ſit, perfici prius oportet. Deinde operam dare, ut ſua lex ipſo ſcripto uideatur niti. Contraria autem, aut per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionē induci, quo ſanctius, & firmius deſcriptum ſit. Deinde ſuae legis ad ſcriptum ipſam ſententiam quoque adiungere, contrariam legem item ad aliam ſententiam traducere, ut, ſi fieri poterit, ne diſcrepare quidem uideantur inter ſe. Poſtremo facere, ſi cauſſa dabit facultatem, ut noſtra ratione utraque lex conſeruari uideatur, & aduerſariorum ratione altera ſit neceſſario negligenda. Locos autem communes, & quos ipſa cauſſa det, uidere oportebit, & ex utilitate, & honeſtatis ampliſſimis partibus ſumere, demonſtrātem per amplificationem ad utram potius legē accedere oporteat.

EXPLANATIO

Ex *contrariis autem legibus controuerſia naſcitur, cum inter ſe duae uidentur leges, aut plures diſcrepare.*] De legalibus controuerſiis tertia eſt, quae ex contrariis legibus conſtat. nam dicta eſt ambiguitas, dicta etiam cōtrouerſia, quae conſtat ex ſcripto, & uoluntate. Contrariae uero leges nunc duae ſunt, nunc plures, nunc una: ſi duplex eſt, quamquam etiam una ſimplex, facere leges contrarias poteſt: at una duplex facit leges contrarias, cum una pars nititur legis parte, altera rurſus alia legis parte dimicat, & repugnat. Apud rhetores eſt iſta controuerſia, Rapta, raptoris mortem, aut indotatas nuptias optet. Vt rapta una parte nitatur, ac dicat mortem ſe optare debere raptoris: altera nuptias inducat, ac fiant leges contrariae ex duplici parte legis. Item una lex contrarias leges facere poteſt, hoc modo, Cum lex eſt, ut uir fortis petat praemium, quod uolet: & duo adoleſcentes filij fortiter fecerunt: petit praemij nomine unus, ut pater eius, qui reus factus fuerat proditionis, ante iudicium liberetur: alter petit, ut agatur iudicium. Ita ex una lege, diuerſa petentium uoluntate, leges contrariae eſſe dicentur. Verum his omiſsis Tullius definit, quid ſint leges contrariae: deinde ponit exemplum de eo, qui tyrannum occiderit, ut praemium accipiat: deinde alteram legem proponit, ut tyranno occiſo quinque proximi facile interficiantur: deinde reliqua praecepta dat communiter in utramque partem. Etenim cum ambae partes lege nitantur, quae praecepta data fuerint uni parti, ad alteram partem, quae etiam ipſa lege nitetur, praecepta eadem transferuntur. Eritq. unicuique parti hoc principale, ut ſuam legem laudet, aduerſarij uituperet, reprehendat. Erit ergo tractatus talis, utra utilior lex ſit, utra honeſtior, utra magis neceſſaria, utra ad res plures pertineat, utra ad maximas, utra lex poſterior ſit. melior enim, quae poſterior: utra lex iubeat, utra permittat, utra uetet. Nam iubet, Deſertor capite puniatur. Permittit, Adulterum cum adultera liceat occidere. deinde utra lex poenam conſtituat ei, qui non obtemperet, utra maiorem poenam: deinde utra lex iubeat, utra uetet. In enim, quod iubetur, & permittitur quaſi unum genus ſit, contrarium eſt in eo, quod uetatur. Verum in eo, quod imperatur, & permittitur, ſit diuerſitas, quam ſupra poſuit: cum illic eſt neceſsitas, hic utendi uoluntas. At his duobus contrarium eſt, quod uetatur: ut, Infamis ne militet: ut, Impudicus ne concionetur. Maior autem eſt auctoritas legis, quae uetat, quā illa, quae imperat. omnis enim lex, quae uetat, fortior propterea, quia corrigit illam, quae aut permittit, aut imperat. Etenim, cum omnem hominem ad concionē uenire liceat, & ſit haec lex, quae quaſi permittat, haec, quae uetat, Infamis ne concionetur: corrigit illam legem, qua aut iubetur aliquid, aut permittitur. Deinde conſiderandum, utra lex de parte conſtituta ſit, utra de omni uel re, uel actu, utra lex ſpecialiter ſcripta ſit, utra generaliter. melior enim, quae de ſpetie deſcripta eſt, non communiter: & eſt communiter, ut Hominem occidere ne liceat: ſpecialiter, Virum fortem occidere ne liceat, & alia huiuſmodi. Deinde conſiderandum ex qua lege ſtatim fieri aliquid, aut non fieri neceſſe ſit; & ex qua ſit aliqua tarditas. Nam eſt tarditas, ut in illa lege, Legatus intra diem trigeſimum proficiſcatur. Haec omnia, cum dicta fuerint, operam dare debeat unaquaeque pars, quae pro lege ſua nititur, uti deceat legem ſuam & iuſtam eſſe, & apertam. Aduerſariorum autem uel iniuſtam, uel obſcuram, uel ambiguam. Aut ratiocinatione colliget, quod uelint adhibere aliquam definitionem aduerſarij, ut intelligi poſsit, quid in lege ſit: in noſtra autem lege omnia eſſe manifeſta. Deinde debemus adiungere uoluntatem, ut ad ſcriptum uoluntas quoque interpretata conſentiat: dare etiam operam, ut aduerſariorum lex contrariam habeat uoluntatem. Et, ſi fieri poteſt, aduerſariorum legis ita eſt interpretanda ſententia, uti paene etiam ipſa lex aduerſariorum, per ſententiae interpretationem pro nobis facere uideatur, ut ambae leges noſtrae ſint partis. Vna noſtra, per ſcriptum; aduerſariorum, per uoluntatem. Poſtremi ſunt loci communes, qui in legibus contrariis ſumi poſſunt, ex utilitate, & honeſtate legis cuiuſcumque.

Et *maxime conſeruanda putetur, quae ad maximas res pertinere uideatur.*] Praeceptum hoc eſt, Comparandas leges eſſe utrum inter ſe duae, uel tres diſcrepent leges, & ſeruari non poſſunt ambae, quia diſcrepant, ea maxime conſeruetur, quae ſit in comparatione utilior, honeſtior, magis autem neceſſaria.

CICERO

Ex ratiocinatione naſcitur controuerſia, cum ex eo, quod uſpiam eſt, ad id, quod nuſquam ſcriptum eſt, peruenitur, hoc pacto: Lex eſt: Si furioſus eſt, agnatorum, gentiliumq. in eo pecuniaq. eius poteſtas eſto.

Et

Et lex: Paterfamilias uti ſuper familia, pecuniaq. ſua legauerit, ita ius eſto. Et lex: Si paterfamilias inteſtato moritur, familia, pecuniaq. eius agnatorum, gentiliumq. eſto. Quidam iudicatus eſt parentem occidiſſe, ei ſtatim, quod effugiendi poteſtas non fuit, ligneae ſoleae in pedes inductae ſunt: os autem obuolutum eſt folliculo, & praeligatum: deinde eſt in carcerem deductus, ut ibi eſſet tantiſper, dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam eius familiares in carcerem tabulas afferunt, & teſtes adducunt: heredes, quos ipſe iubet, ſcribunt: tabulae obſignantur: de illo poſt ſupplicium ſumitur. Inter eos, qui heredes in tabulis ſcripti ſunt, & inter agnatos de hereditate controuerſia eſt. Hic certa lex, quae teſtamenti faciendi iis, qui in eo loco ſint, adimat poteſtatem, nulla profertur. Ex ceteris legibus, & quae hunc ipſum ſupplicio huiuſmodi afficiunt, & quae ad teſtamenti faciendi poteſtatem pertinent, per ratiocinationem ueniendum eſt ad eiuſmodi rationem, ut quaeratur, habuerit ne teſtamenti faciendi poteſtatem. Locos autem in hoc genere argumentandi hos, & huiuſmodi quoſdam eſſe arbitramur. Primum eius ſcripti, quod proferas, laudationem, & confirmationem. Deinde eius rei, qua de quaeratur, cum eo, de quo conſtat, collationem eiuſmodi, ut id, de quo quaeritur, rei, de qua conſtat, ſimile eſſe uideatur. Poſtea admirationem percunctatione, qui fieri poſſit, ut, qui hoc aequum eſſe concedat, illud neget, quod aut aequius, aut eodem ſit in genere? Deinde iccirco de hac re nihil eſſe ſcriptum, quod, cum de illa re eſſet ſcriptum, de hac re is, qui ſcribebat, neminem dubitaturum arbitratus ſit. Poſtea multis in legibus multa eſſe praeterita, quae iccirco praeterita nemo arbitretur, quod ex ceteris, de quibus ſcriptum ſit, intelligi poſſint. Deinde aequitas rei demonſtranda eſt, ut in iudiciali abſoluta. Contra autem qui dicet, ſimilitudinē infirmare debebit, quod faciet, ſi demonſtrabit illud, quod conferatur, ab eo, cui conferatur, diuerſum eſſe genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione: ſi quo in numero illud, quod per ſimilitudinem afferetur: & quo in loco illud, cuius cauſſa afferetur, haberi conueniat, oſtendetur. Deinde quid res cum re differat, demonſtrabitur; ut non idem uideatur de utraque exiſtimari oportere. Ac ſi ipſe quoque poterit ratiocinationibus uti, iiſdem ratiocinationibus, de quibus ante praedictum eſt, utetur: ſi non poterit, negabit oportere quidquam, niſi quod ſcriptum ſit, conſiderare: periclitari omnia iura, ſi ſimilitudines accipiantur: multis diſſimilibus rebus, in unamquamque rem tantum ſingulas eſſe leges: omnia poſſe inter ſe uel ſimilia, uel diſſimilia demonſtrari. Loci communes a ratiocinatione, oportere coniectura ex eo, quod ſcriptum ſit, ad id, quod non ſit ſcriptum, peruenire: & neminē poſſe omnes res per ſcripturam amplecti, ſed eum commodiſſime ſcribere, qui curet, ut quaedam ex quibuſdam intelligantur. Contra ratiocinationem, huiuſcemodi coniecturam diuinationem eſſe, & ſtulti ſcriptoris eſſe non poſſe omnibus de rebus cauere, quibus uelit.

EXPLANATIO

EX *ratiocinatione naſcitur controuerſia, cum ex eo, quod uſpiam eſt, ad id, quod nuſquam ſcriptum eſt, peruenitur,*] Ratiocinatio ſyllogiſmus dicitur: controuerſia legalis eſt: habet tractatum, cum ex eo, quod ſcriptum eſt, id, quod ſcriptum non eſt, colligitur. Cicero ait, cum ex eo, quod uſpiam ſit, ad id, quod nuſquam ſcriptum eſt, peruenitur: & habet modos ſuos, quibus comprehendatur, uel ſimile, cum colligimus, uel cum minus colligimus ex maiore, uel cum conſequens dat exemplum: ſed haec in Marcomanno exempla ſunt poſita: dat exemplum Cicero de eo, qui, damnatus parricidij, in carcere teſtamentum fecerit. Nulla quidem lex teſtamentum facere prohibet eū, qui damnatus ſit parricidij: ſed ſunt aliae leges, quae multa facere prohibent parricidij reum, & damnatum: ex quibus colligitur etiam hoc, faciendi teſtamentum illum non habuiſſe poteſtatem. Item multae leges ſunt teſtamentorum faciendorum, ex quibus iterum colligitur, hunc faciendi teſtamenti poteſtatem non habuiſſe: tractatus uero habet, & locos argumentorum tales: Primum, ut ſcriptum laudemus, & confirmemus: deinde conferamus cum eo facto, quod colligimus ad ſcriptum: deinde, ut ſimile eſſe doceamus: deinde, ut, ſi illud aequum ſit, hoc quoque aequum eſſe iudicemus: deinde, ut dicamus cum de hoc ſcriptum ſit, cur de alio ſcriptum non ſit: quod quaſi manifeſtum fuerit ex eo, quod ſcriptum eſt, etiam id, quod ſcriptum non ſit: & iccirco a ſcriptore legis praetermiſſum eſſe uideatur: deinde doceamus in multis legibus multa praeteriri: ſed accipi haec, ac ſi non ſint praeterita, ex his ſcilicet, quae ſcripta ſunt. Haec dicit, qui utitur collectione. Qui contra pugnat, ante omnia laborare debet, ut ſimilitudinem tollat: & dicat aliud eſſe in eo, quod ſcriptum eſt; aliud in eo, quod admiſſum eſt: ac propterea eſſe diſsimile: & non debere accipi ex eo, quod ſcriptum eſt, id, quod ſcriptum non eſt: cum ſit multa diſtantia diſsimilitudinis, & ſimilitudinis: de quibus in primo libro expoſuit Cicero. Addere praeterea etiam poterit is, qui contra collectionem nititur, uti & ipſe utatur aliqua collectione: quod ſi & contigerit, iiſdem argumentis utetur, quae ſupra dedimus ei, qui utitur collectione: ſin autem non poterit uti, hoc aget, ut oſtendat ſcriptum ſolum conſiderari oportere, periclitari iura omnia, ſi ſimilitudines accipiantur: nihil enim eſſe paene, quod nō alteri ſimile eſſe uideatur. Poſtremo loci ſunt communes ab eo, qui utitur ratiocinatione, extra ſcriptum per coniecturam, id, quod ſcriptum non eſt, accipi oportere: deinde neminem poſſe ſcriptura complecti uniuerſa: illum tantummodo bene ſcribere legem, qui quaedam contingat, ex quibus alia, quae praeteriit, intelligi poſsint. Loci uero communes contra eum, qui collectione nititur, iſti ſunt: Coniecturam non eſſe firmum argumentum, ſed eſſe diuinationem: deinde ſtulti eſſe ſcriptoris non omnia, quae cauenda ſunt, in lege conſcribere.

IIS, *qui in eo loco ſint, adimat poteſtatem.*] Neque permittat: ſed, ut quaſi permiſsio eſſe uideatur, collectio fit ex aliis.

CICERO

CICERO

DEFINITIO eſt, cum in ſcripto uerbum aliquod eſt poſitum, cuius de ui quaeritur, hoc modo: Lex, qui in aduerſa tempeſtate nauim reliquerint, omnia amittunto: eorum nauis, & onera ſunto, qui in naui remanſerint. Duo quidam, cum iam in alto nauigarent, & eorum alterius nauis, alterius onus eſſet, naufragum quendam natantem, & manus ad ſe tendentem, animaduerterunt: miſericordia commotti, nauim ad eum applicuerunt, hominem ad ſe ſuſtulerunt. Postea aliquanto ipſos quoque tempeſtas uehementius iactare coepit, uſque adeo, ut dominus nauis, cum idem gubernator eſſet, in ſcapham confugeret, & inde funiculo, qui a puppi religatus ſcapham annexam trahebat, naui, quoad poſſet, moderaretur; ille autem, cuius merces erant, in gladium in naui ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum acceſſit, & naui, quoad potuit, eſt opitulatus. Sedatis autem fluctibus, & tempeſtate iam commutata, nauis in portum prouehitur. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leuiter ſaucius facile eſt ex uulnere recreatus. Nauim cum onere horum trium ſuam quiſque eſſe dicit. Hic omnes ſcripto ad cauſſam accedunt, & ex nominis ui naſcitur controuerſia. Nam & relinquere nauem, & remanere in naui; denique nauis ipſa quid ſit, definitionibus quaeritur. Iiſdem autem ex locis omnibus, quibus definitiua conſtitutio, tractabitur.

EXPLANATIO

DEFINITIO *eſt, cum in ſcripto uerbum aliquod eſt poſitum, cuius de ui quaeritur,*] Subiungit poſtremam legalem controuerſiam, quam definitionem nominauit: quae nulla parte diſtat a conſtitutione rationali, niſi quod uerbum in lege poſitum, uel in ſcriptura aliqua, cũ definitur, quid ſignificet, quid ſit: tunc fiet legalis definitio. Supponit exemplum de his, qui nauem ſuam dicunt, quod unus incubuerit gladio, alter remum imperitus gubernandi tenuerit, gubernator in ſcapham fugerit: hic cum contendant, cuius nauis ſit, ex lege initium capiunt controuerſiae. Quaeritur tamen uerbum, quod in lege poſitum eſt, quid ſit nauis: deinde, quid ſit nauem deſerere, & quid ſit in naui remanere. Haec ſola diſcretio eſt data inter definitionem legalem, & conſtitutionem, ideſt rationalem ſtatum. Praecepta autem dicendi eadem ſeruabimus, quae ſupra ſunt poſita, ut definiamus, & cetera, quae praecepit.

CICERO

NVNC expoſitis iis argumentationibus, quae in iudiciale cauſſarũ genus accõmodãtur, deinceps in deliberatiuum genus, & demonſtratiuũ argumentandi locos, & praecepta dabimus, non quo in aliqua cõſtitutione omnis ſemper cauſſa uerſetur, ſed quia proprij tantum harũ cauſſarum quidam loci ſunt, non a conſtitutione ſeparati; ſed ad fines horum generum accommodati. Nã placet in iudiciali genere finẽ eſſe aequitatem, hoc eſt partẽ quandã honeſtatis. in deliberatiuo autem autem Ariſtoteli placet utilitatem, nobis & honeſtatẽ, & utilitatem: in demonſtratiuo autem, honeſtatẽ. Quare in hoc quoque genere cauſſae quaedã argumentationes communiter, ac ſimiliter tractabuntur: quaedã ſeparatius ad finẽ, quo referri omnẽ rationem oportet, adiungentur. Atque uniuſcuiuſque conſtitutionibus exemplum, ſupponere non grauaremur, niſi illud uideremus, quemadmodum res obſcurae dicendo fierent apertiores, ſic res apertas obſcuriores fieri oratione. Nunc ad deliberationis praecepta pergamus.

EXPLANATIO

NVNC, *expoſitis ijs. argumentationibus, quae in iudiciale cauſſarum genus accommodantur, deinceps &c.*] Finitis omnibus praeceptis, quae data fuerant ad omnes conſtitutiones, & ad omnia genera controuerſiarum, quae in legibus ſunt, dumtaxat in iudiciali genere cauſſarum, tranſit Tullius ad deliberatiuam cauſſam, & ad demonſtratiuam: non quod alia praecepta eſſe poſsint deliberatiuae, & demonſtratiuae, quam fuerint ſupra in iudiciali genere dumtaxat in conſtitutionibus. Nam pari hoc modo coniectura, finis, & ceterae conſtitutiones, & omnia genera controuerſiarum uerſantur in deliberatiuo, & demonſtratiuo, quemadmodum in iudicialibus. Vnde non alio modo dicenda ſunt in iudiciali, & alio in ceteris, ſed eadem dicendi ubique praecepta ſeruabuntur: uerumetiam, quoniam in primo libro docuit, & hic admonet fines ſuos certos. Habent genera iſta controuerſiarum neceſſario propter fines, alia quaedam praecepta, & alia quaedam argumenta tradenda ſunt: de quibus nunc tractabit. Finem habet iudicialis cauſſa, aequitatem: deliberatiua finem habet utilitatem, ut Ariſtoteli placet: ut Ciceroni, utilitatem, & honeſtatem: demonſtratiua finem habet honeſtatem. Ergo propter fines, quaſi alia argumenta ſunt neceſſaria. Aliud enim cogit in tractatu praeter conſtitutionem quamlibet, ille, qui aequitatem cupit iudicibus perſuadere: aliud ille, qui oſtendere cupit utilitatem, & honeſtatem: aliud, qui oſtendere uult honeſtatem. Vnde ipſius utilitatis, & honeſtatis praecepta danda ſunt, quae deliberatiuae cauſſae uidentur, & demonſtratiuae propter fines proprios, conuenire: & poterat quidem ſupponere exempla deliberatiuae per ſingulas conſtitutiones, hoc eſt, ut doceret incidere in deliberatiua coniecturam, finem, & reliquas cõſtitutiones. Item pari modo in demonſtratiua: ſed, quoniã res aperta eſt, dicere praeterijt: ne rem ſatis claram dum apertiorem per exempla uult reddere, obſcuriorem exemplorum diuerſitate feciſſet.

CICERO

Rervm expetendarum tria genera ſunt. par item numerus uitandorum ex contraria parte. Nam eſt quiddam, quod ſua ui nos alliciat ad ſeſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate: quod genus, uirtus, ſcientia, ueritas eſt. Aliud autem non propter ſuā uim, & naturam, ſed propter fructum, atque utilitatem petendum: quod pecunia eſt. Eſt porro quiddam ex horū partibus iunctum, quod & ſua ui, & dignitate nos inductos ducit, & prae ſe gerit quandam utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona exiſtimatio. Atque ex his horum contraria facile tacentibus nobis intelligentur. Sed, ut expeditius ratio tradatur, ea, quae poſuimus, breui nominabuntur. Nam in primo genere quae ſunt, honeſta appellabuntur: quae autem in ſecundo, utilia. Haec autem tertia, quia partem honeſtatis continent, & quia maior eſt uis honeſtatis, iunctae res omnino ex duplici genere intelligentur: ſed in meliorem partem uocabuli conferantur, & honeſta nominentur. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerum partes ſint, honeſtas, & utilitas; uitandarum, turpitudo, & inutilitas. His igitur duabus rebus res grandes ſunt attributae, neceſſitudo, & affectio: quarum altera ex ui, altera ex re, & perſonis conſideratur. De utraque poſt apertius perſcribemus. Nunc honeſtatis rationes primum explicemus. Quod autem totum, aut aliqua ex parte propter ſe petitur, honeſtum nominabimus. Quare, cum eius duae partes ſint, quarum altera ſimplex, altera iuncta ſit, ſimplicem prius conſideremus. Eſt igitur in eo genere omnes res una ui, atque uno nomine amplexa uirtus. Nam uirtus eſt animi habitus naturae modo rationi conſentaneus. Quamobrem, omnibus eius partibus cognitis, tota uis erit ſimplicis honeſtatis conſiderata. Habet igitur partes quattuor, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia eſt rerum bonarum, & malarum, & utrarumque ſcientia. Partes eius memoria, intelligentia, prouidentia. Memoria eſt, per quam animus repetit illa, quae fuerunt. Intelligentia eſt, per quam ea perſpicit, quae ſunt. Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid uidetur antequam factum ſit. Iuſtitia eſt habitus animi communi utilitate conſeruata, ſuam cuique tribuens dignitatem. Eius initium eſt ab natura profectum: deinde quaedam in conſuetudinem ex utilitatis ratione uenerunt: poſtea res, & ab natura profectas, & ab conſuetudine probatas, legum metus, & religio ſanxit. Natura ius eſt, quod non opinio genuit, ſed quaedam innata uis inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obſeruantiam, ueritatem. Religio eſt, quae ſuperioris cuiuſdam naturae, quam diuinam uocant, curam, caerimoniamq. affert. Pietas, per quam ſanguine coniunctis, patriaeq. beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi uoluntas continetur. Vindicatio eſt, per quā uis & iniuria, & omnino omne, quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur. Obſeruantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignantur.

EXPLANATIO

Rervm *expetendarum tria genera ſunt. Par autem numerus uitandarum ex contraria parte.*] Deliberatiuae cauſſae, & demonſtratiuae fines eſſe dixit, utile, & honeſtum. Verum eſt quiddam honeſtum, quod purum ſolum, & per ſe honeſtum eſt. Aliud uero honeſtum, quod habet mixtam utilitatē: quod iccirco honeſtum dicitur, quia ſemper in copulatis in rebus nomen a meliori parte componiturr, ut demonſtratiuam cauſſam, cum intelligamus habere laudem, & uituperationem, quidam tamen hanc eandem cauſſam a parte meliore, ſicuti diximus, laudatiuuā eſſe dixerunt. Ergo, cum honeſtum nunc per ſe ſolum ſit, nunc ſit aliud, quod iunctum eſt ex utilitate, tamen etiam hoc honeſti nomine nuncupatur. Sunt igitur tria, quae expetuntur, honeſtum purum, honeſtum cum utili, & ipſum utile purum, ac ſeparatum. Item erunt tria genera rerum uitandarum, inutile purum, & illud inutile, cum turpi, deinde etiam turpe ſolum. Honeſtum autē quaſi genus eſt, quod quidem & alio nomine dicitur uirtus: & ſcientia honeſtum eſt: item ueritas honeſta, hoc eſt quod propter ſe expetitur. Eſt aliud, quod hac natura, & hac ui eſt, ut propter fructus aliquos expetatur, ut eſt pecunia. Item eſt quiddam medium, & dignitate, & fructu alio expetēdum, ut amicitia, gloria, & cetera huiuſmodi. Sed his tribus expetendis, hoc eſt honeſto, utili, & illo tertio, quod mixtum eſt, adiunguntur duo ad tractatum neceſſaria, neceſsitudo, & affectio: de quibus plenius poſtea diſputabitur. Atque honeſtum ipſum, quod propter ſe expetitur, cum in duas partes, ut diximus, diſtributum ſit, prius tractat de eo ipſo, quod purum eſt, nullo utili ſociato. Quam diximus eſſe uirtutem, hanc diuidit in partes quattuor, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Et definit prudentiam, eiq. tres ſpecies ſubiungit, memoriami, ntelligentiam, prouidentiam: quae ratione temporum conſtant. Nam praeteriti temporis eſt memoria, praeſentis intelligentia, futuri prouidentia: has ſimiliter definit. Item definit iuſtitiam ſecundam uirtutem, eiq. ſubiicit partes ſimiliter tres, naturalem iuſtitiam, conſuetudinis iuſtitiam, legitimam iuſtitiam: eaſq. ſimiliter definit, & dat exempla. Subiungit tertiam uirtutem, quam appellat fortitudinem: hanc definit, & ei ſubiicit partes quattuor, magnificentiam, fidentiam, patientiam, perſeuerantiam: quas item definit, ſicuti omnia. Quarta poſtremo ſubiungitur uirtus, quae temperantia dicitur, & dat ei partes tres, continentiam, clementiam, modeſtiam: quas partes definit ita, ut omnia ſuperiora. Quibus explicitis aperte docuit, id ſolum, quod propter ſe expetitur, & quid ſit, & quale ſit. Verum, cum honeſtum hoc intelligamus eſſe, quod propter ſe expetitur, non propter aliquod emolumentum, quod ipſum utique uirtus eſt, quoniā incidebat quaeſtio, an uirtus, ideſt honeſtum, propter ſe expeteretur (Epicurei enim dicunt uirtutē expeti ipſam, propter uoluptatē,) huius quaeſtionis cum latior uideretur eſſe tractatus, diſtulit, & negauit ad hoc inſtitutum debere ſociari, ubi

tantum

tantum praecepta traduntur, non rerum diſputatio continetur. Nam primo in genere quae ſunt, honeſta appellantur, uirtus, ſcientia, ueritas; quae nullam ob utilitatem, ſed propter ſe expetuntur.

C I C E R O

VERITAS eſt, per quam immutata ea, quae ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur. Conſuetudine ius eſt, quod aut leuiter a natura tractum aluit, & maius fecit uſus, ut religionem: aut ſi quid eorũ, quae ante diximus, ab natura profectum, maius factũ propter conſuetudinem uidemus, aut quod in morem uetuſtas uulgi approbatione perduxit: quod genus, pactum, par, iudicatum. Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit. Par, quod in omnes aequabile eſt. Iudicatum, de quoalicuius, aut aliquorum iam ſententiis conſtitutum eſt.

E X P L A N A T I O

VERITAS *eſt, per quam immutata ea, quae ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur.*] Hucuſque naturam & iuſtitiam, cumq. partibus his, quae naturaliter iuſta ſunt, explicauit: nunc ea docebit, cũ partibus ſuis, quae per conſuetudinem iuſta ſunt. Iuſtitiam enim triplicem eſſe uoluit, naturalem, conſuetudinis, ideſt morum, legum.

C I C E R O

LEGE ius eſt, quod in eo ſcripto, quod populo expoſitum eſt, ut obſeruet, continetur. Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Eius partes magnificentia, fidentia, patientia, perſeuerantia. Magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſarum, cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio, atque adminiſtratio. Fidentia eſt, per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciae certa cum ſpe collocauit. Patientia eſt honeſtatis, aut utilitatis cauſſa, rerum arduarum, ac difficilium uoluntaria, ac diuturna perpeſſio. Perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio. Temperantia eſt rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio. Eius partes ſunt continentia, clementia, modeſtia. Continentia eſt, per quam cupiditas conſilij gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temere in odium alicuius inuectionis concitati comitate retinentur. Modeſtia, per quam pudor honeſtus claram, & ſtabilem comparat auctoritatem. Atque haec omnia propter ſe ſolum, ut nihil adiungatur emolumenti, petenda ſunt. Quod ut demonſtretur, neque ad hoc noſtrum inſtitutum pertinet, & a breuitate praecipiendi remotum eſt. Propter ſe autem uitanda ſunt, non ea modo, quae his contraria ſunt, ut fortitudini ignauia, & iuſtitiae iniuſtitia: uerum etiam illa, quae propinqua uidentur, & finitima eſſe, abſunt autem longiſſime: quod genus, fidentiae contrarium eſt diffidentia, & ea re uitium eſt. Audacia non contrarium, ſed appoſitum eſt, ac propinquum, & tamen uitium eſt. Sic unicuique uirtuti finitimum uitium reperietur, aut certo iam nomine appellatum: ut audacia, quae fidentia: pertinacia, quae perſeuerantiae finitima eſt: ſuperſtitio, quae religioni propinqua eſt: aut ſine ullo certo nomine. Quae omnia item uti contraria rerum bonarum in rebus uitandis reponemus. Ac de eo quidem genere honeſtatis, quod omni ex parte propter ſe petitur, ſatis dictum eſt. Nunc de eo in quo utilitas quoque adiungitur, quod tamen honeſtum uocamus, dicendum uidetur.

E X P L A N A T I O

LEGE *ius eſt, quod in eo ſcripto, quod populo expoſitum eſt;*] Hucuſque iuſtitiam conſuetudinis dixit: nunc incipit legum. FIDENTIA *eſt, per quam magnis, & honeſtis in rebus, &c.*] In honeſtis actibus fidentia eſt: ceterum in malis confidentia. nam multum ipſe animus in ſe fiduciae certa cum ſpe collocauit, ut eſt illud, Turne ſui, merito, ſiqua eſt fiducia forti. NEQVE *ad hoc noſtrum inſtitutum pertinet.*] Epicurei enim & ipſam uirtutem dicunt propter ſe non expeti, ſed propter uoluptatem: quae ſecta Epicureorum eſt. Hoc utique reuincendum: ſed, quia longioris tractatus eſt, & alterius operis (rhetorica enim nũc exponitur) ideo, & hic dicere praetermiſit. PROPTER *ſe autem uitanda ſunt.*] Docuit honeſtatem ſequendam, ſubiungit uitandam turpitudinem: ſed turpitudo in his eſt, quae contraria ſunt uirtutibus. Fidentia, ut ſupra poſuit, uirtus eſt: huic contraria eſt diffidentia: & audacia uitanda: pariq modo inter uirtutes, & contraria media inueniuntur, quae licet uicina ſunt uirtutibus, tamen uitanda ſunt, ut uitantur ipſa contraria. Haec autem, quae uicina ſunt, nunc ita ſunt, ut certum nomen teneant: nunc ita, ut uocabulum non habeant. Fidentiam diximus eſſe uirtutem, diffidentiam uitium. At id, quod fidentiae uicinum eſt, habet nomen, quod appellatur audacia. Item religio uirtus eſt, irreligioſitas uitium, atque religioni uicinum: uitium tamen eſt, & ſuperſtitio nominatur, quae etiam ipſa ſit uitanda. Sed haec, ut dixi, media, uel uicina habent nomina. nam ſunt aliqua, quae non habent: ut iuſtitia, cum uirtus ſit, iniuſtitia uitium, punire hoſtes etiam uictos, uicinum iuſtitiae eſt: tamen, quia parcendum uictis eſt, uitium eſt aliquando. cui rei non eſt uocabulum, ut aſperitas, aut crudelitas, ſuperſtitio, audacia.

CICERO

SVNT igitur multa, quae nos cum dignitate, tum fructu quoque ſuo ducunt ad ſe: quo in genere eſt gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas, alicuius honeſta, & cultu, & honore, & uerecundia digna auctoritas. Amplitudo, potentiae aut, maieſtatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia, uoluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius cauſſa, quem diligit, cum eius pari uoluntate. Hic, quia de ciuilibus cauſſis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, ut eorum quoque cauſſa petenda uideatur: ne forte, qui nos de omni amicitia dicere exiſtimant, reprehẽdere incipiant: quamquam ſunt, qui propter utilitatem modo petendam putant amicitiam, ſunt qui propter ſe ſolum, ſunt qui propter ſe, & utilitatem: quorum quid ueriſſime conſtituatur, alius locus erit conſiderandi. nunc hoc ſic ad uſum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam eſſe expetendam. Amicitiarum autem ratio, quoniam partim ſunt religionibus iunctae, partim non ſunt, & quia partim ueteres ſunt, partim ab illorum, partim ab noſtro beneficio profectae, partim utiliores, partim minus utiles, ex cauſſarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex religionibus, ex uetuſtatibus habebitur.

EXPLANATIO

SVNT igitur multa, quae nos cum dignitate, tum quoque fructu ſuo ducunt ad ſe:] Docuit, quae propter ſe expetenda ſunt: itemq. dixit, quae propter ſe uitanda, quae honeſta, pura nominauit. Nunc docet illa, quae mixta ſunt, & habent partem honeſtatis, partem uero utilitatis: quae tamen etiam ipſa nomine honeſtatis appellauit. Sunt autem, gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Haec definiuit: in quo ſimili modo amicitiam docet eſſe honeſtatem quidem mentis, ſed cum aliqua utilitate ſociatam. loquitur enim de amicitia ciuili, quae utilitate non caret. Deinde partes eius amicitiae narrat, & cauſſas. Poſtremo adiungit illud tertium, uti ſeparatam utilitatem e ſuis partibus doceat eſſe, cum ipſa illa commoditas honeſtate carens perſpicitur, uel in republica, uel in ſingulis ciuibus: haec autem in republica nunc ad uires pertinet ciuitatis, nunc ad ornamentum: quae ipſa tamen in utroque utilitas conuenienter nominatur. Sed uires nomine appellat incolumitatis. At uero ornamentũ potẽtiã eſſe dicicit, ut ſint partes utilitatis duae, incolumitas, & potentia. Poſt haec tractat, quod Graeci appellant δυνατὸν, Latini, quod fieri poſsit, aut non poſsit: in quo etiam illud docet, quod his uicinum eſt, & quid facile fieri poſsit. Prope enim fieri non poſſe creditur, quod cum magna difficultate conficitur. Haec ſunt de tribus, hoc eſt de honeſto, puro, ſine utilitate: deinde mixto, cum utilitate: tertio de ſola utilitate.

CICERO

VTILITAS autem aut in corpore poſita eſt, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum reuertitur, ut in rep. quaedam ſunt, quae, ut ſic dicam, ad corpus pertinent ciuitatis, ut agri, portus, pecunia, claſſes, nautae, milites, ſocij: quibus rebus incolumitatem, ac libertatem retinent ciuitates. Alia uero, quae iam quiddam magis amplum, & minus neceſſarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio, atque amplitudo, ut quaedam excellens pecuniae magnitudo, amicitiarum, ac ſocietatum multitudo. quibus rebus non illud ſolum conficitur, ut ſaluae, & incolumes, uerum etiam ut amplae, atque potentes ſint ciuitates. Quare utilitatis duae partes uidentur eſſe, incolumitas, & potentia. Incolumitas eſt, ſalutis tuta, atque integra conſeruatio. Potentia eſt ad ſua conſeruanda, & alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. Atque in iis omnibus, quae ante dicta ſunt, quid difficulter fieri, & quid facile fieri poſſit, oportet conſiderare. Facile id dicimus, quod ſine magno, aut ſine ullo labore, ſumptu, moleſtia, quam breuiſſimo tempore confici poteſt. Difficile autem fieri, quod, quamquam laboris, ſumptus, moleſtiae, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas cauſſas habet difficultatis, tamen his ſuſceptis difficultatibus complecti, atque ad exitum perduci poteſt.

EXPLANATIO

VTILITAS autem aut in corpore poſita eſt, aut in extraneis rebus:] Hucuſque de honeſto cum utili: nunc de ſola utilitate differitur.

CICERO

QVONIAM ergo de honeſtate, & de utilitate diximus, nunc reſtat, ut de iis rebus, quas his attributas eſſe dicebamus, neceſſitudine, & affectione perſcribamus. Puto igitur eſſe hanc neceſſitudinem, cui nulla ui reſiſti poteſt, quae neque mutari, neque leniri poteſt. Atque, ut apertius hoc ſit, exemplis licet uim rei, qualis, & quanta ſit, cognoſcamus. Vri poſſe flamma ligneam materiam neceſſe eſt. Corpus mortale aliquo tempore interire neceſſe eſt, atque ita neceſſe, ut uis ea poſtulat, quam modo deſcribebamus, neceſſitudinis: cui nulla ui reſiſti poteſt, quae neque leniri poteſt. Huiuſmodi neceſſitudines, cum in dicendi rationes incident recte neceſſitudines appellabuntur. Sin aliquae res incident difficiles, in illa ſuperiori, poſſit ne fieri, quaeſtione conſiderabimus.

Atque etiam hoc mihi uideor uidere, eſſe quaſdã cum adiunctione neceſſitudines, quaſdam ſimplices, & abſolutas. Nam aliter dicere ſolemus, neceſſe eſt Caſilinenſes ſe dedere Hannibali: aliter autem, neceſſe eſt Caſilinum uenire in Hannibalis poteſtatem. illic in ſuperiore adiunctio eſt haec, niſi malint fame perire: ſi enim id malunt, non eſt neceſſe. hoc inferius non item: propterea quod, ſiue uelint Caſilinenſes ſe dedere, ſiue famem perpeti, atque ita perire, neceſſe eſt Caſilinum uenire in Hannibalis poteſtatem. Quid igitur perficere poteſt haec neceſſitudinis diſtributio? prope dicam, plurimum, cum is locus neceſſitudinis uidebitur incurrere. Nam, cum ſimplex erit neceſſitudo, nihil erit, quod multa dicamus, cum eam nulla ratione lenire poſſimus. cum autem ita neceſſe erit, ut aliquid effugere, aut adipiſci uelimus, tum adiũctio illa, quid habeat utilitatis, aut quid honeſtatis, erit conſiderandum. Nam, ſi uelis attendere, ita tamen, ut id quaeras, quod cõueniat ad uſum ciuitatis, reperiam nullam eſſe rem, quam facere neceſſe ſit, niſi propter aliquam cauſſam, quam adiunctionem nominamus: pariter autem eſſe multas res neceſſitudinis, ad quas ſimilis adiũctio non accedit. Quod genus, ut homines mortales neceſſe eſt interire, ſine adiunctione: ut cibo utantur, non neceſſe eſt, niſi cum illa exceptione, extra quam ſi nolint fame perire. Ergo, ut dixi, illud, quod adiungitur, ſemper, cuiuſmodi ſit, erit conſiderandum. Nam omni tempore id pertinebit, ut aut ad honeſtatem hoc modo exponenda neceſſitudo ſit, Neceſſe eſt hoc faciamus, ſi honeſte uolumus uiuere: aut ad incolumitatem hoc modo neceſſe eſt, ſi incolumes uolumus eſſe: aut ad commoditatem hoc modo, Neceſſe eſt, ſi ſine incommodo uolumus uiuere. Ac ſumma quidem neceſſitudo uidetur eſſe honeſtatis, huic proxima incolumitatis, tertia, ac leuiſſima commoditatis: quae cum his duabus numquam poterit contendere. Haſce autem inter ſe ſaepe neceſſe eſt comparari, ut, quamquam praeſtet honeſtas incolumitati, tamen, utri potiſſimum conſulendum ſit, deliberetur. Cuius rei certum quiddam praeſcriptum uidetur in perpetuum dari poſſe. Nam, qua in re fieri poterit, ut, cum incolumitati conſuluerimus, quod ſit in praeſentia de honeſtate delibatum, uirtute aliquando, & induſtria recuperetur, incolumitatis ratio uidebitur habenda: cum autem id non poterit, honeſtatis. Ita in eiuſmodi quoque re, cum incolumitati uidebimur conſulere, uere poterimus dicere, nos honeſtatis rationem habere, quoniam ſine incolumitate eam nullo tempore poſſumus adipiſci. Qua in re uel concedere alteri, uel ad condicionem alterius deſcendere, & in praeſentia quieſcere, atque aliud tempus exſpectare oportebit. In commoditatis uero ratione, modo illud attendatur, digna ne cauſſa uideatur ea, quae ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia, aut de honeſtate quiddam derogetur. Atque in hoc loco mihi caput illud uidetur eſſe, ut quaeramus, quid ſit illud, quod ſi adipiſci, aut effugere uelimus, aliqua res nobis ſit neceſſaria, hoc eſt, quae ſit adiunctio, ut proinde, uti quaeque res erit, laboremus, & grauiſſimam quamque cauſſam uehementiſſime neceſſariam iudicemus. Affectio eſt, quaedam ex tempore, aut ex negotiorum euentu, aut adminiſtratione, aut ſtudio hominum commutatio rerum, ut non tales, quales ante habitae ſint, aut plerumque haberi ſoleant, habendae uideantur eſſe: ut ad hoſtes tranſire turpe uidetur eſſe, at non illo animo, quo Vliſſes tranſiit: & pecuniam in mare deicere inutile, at non eo conſilio, quo Ariſtippus fecit. Sunt igitur res quaedam ex tempore, & ex conſilio, non ex ſua natura conſiderandae: quibus in omnibus, quid tempore petant, aut quid perſonis dignum ſit, conſiderandum eſt: & non quid, ſed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum eſt. His ex partibus ad ſententiam dicendam, locos ſumi oportere arbitramur.

EXPLANATIO

QVONIAM *ergo de honeſtate, & de utilitate diximus, nunc reſtat, ut de is rebus, quas in attributas eſſe dicebamus, neceſſitudine, & affectione, perſcribamus.*] Honeſtati, & utilitati ſupra poſitae, atque tractatae, duas res neceſſario dixerat attributas, neceſsitudinem, & affectionem: de hs nunc praecipit, ac neceſsitudinem docet eſſe illam, quae neque mutari, neque ab exitu ſuo flecti poſsit. Affectionem uero, quae ex temporum, aut negotiorum euentu aut hominum adminiſtratione ſaepe mutatur: ut res non tales ſint, quales eſſe conſueuerunt. Ac neceſsitudinem, quae prima eſt, in duo diuidit: ut nũc neceſsitas ſit, quae aliter exitus ſuos habere non poſsit, ſed ſua cogat effecta ſine ulla exceptione: dicit eſſe alteram neceſsitatem, ubi fieri aliter poſſit, cum aliquod admittitur. Poſtremum cauſſae genus demonſtratiuum eſt, quod adiungit. Dat praecepta, quibus laudes, uituperationesq. tractantur: ideſt quibus locis. Ac primum dicit eoſdem locos eſſe laudi, & uituperationi, quos in primo libro iudicialis cauſſae, hoc eſt omnia attributa perſonae. Partitur tamẽ breuiter laudes, & uituperationes animi, & corporis & extrinſecus. Animi, uirtutes, artes, ſcientiae: uel contra uitia. Corporis totius, uel in partibus: ut pulchritudo, ualetudo, integritas, & cetera huiuſmodi. Extrinſecus ſunt, paria, parentes, cognati, amici, magiſtratus, diuitiae, & cetera huiuſmodi. Poſtremum praeceptũ dat in laude, & uituperatione, non tam nos conſiderare debere, quid corporis ſit, quid extrinſecus ſit, quam quid ſit in animo. Omnia enim, uel laudanda, uel uituperanda, non rebus externis, non rebus corporis, ſed animo metiuntur. SIN *aliquae res incident difficiles,*] De poſsibilitate dicit. QVASDAM *ſimplices,*] Vt aliter omnino fieri non poſsint. CASILINENSES *ſe dedere Hannibali:*] Niſi uelint fame perire. ergo hic exceptio, Caſilinum uenire in Hannibalis poteſtatem. Hic aliter omnino fieri non poteſt. TVM *adiunctio.*] Vbi exceptio. NISI *propter aliquam cauſſam.*] Ita non eſt neceſsitas in ciuili quaeſtione illa, quae ſine condicione eſt. PRAETER *haec autem eſſe multas inueuias res.*] Ideſt, neceſsitudines. NAM *omni tempore id pertinebit.*] Ideſt, exceptio ipſa. AC *ſumma quidem neceſſitudo uidetur eſſe honeſtatis.*] Duo ſunt quidem, honeſtum, & utile: ſed utili, cum duo ſubiaceant, commoditas, & incolumitas, quaſi tria effecta ſunt. Verum honeſtas praeponenda: ſecundo loco habenda incolumitas; tertio commoditas.

ditas. Proinde quaeque res ſit, aut honeſtatis, aut incolumitatis. AT *non eo conſilio, quo Ariſtippus fecit.*] Vt ſociorum cadauera tempeſtatibus liberaret.

CICERO

LAVDES autem, & uituperationes ex iis locis ſumentur, qui loci perſonis ſunt attributi, de quibus ante dictum eſt. Sin diſtributius tractare quis uolet, partiatur in animum, & corpus, & extrarias res licebit. Animi eſt uirtus, cuius de partibus paullo ante dictum eſt. Corporis ualetudo, dignitas, uires, uelocitas. Extrariae, honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, & cetera, quae ſimili eſſe in genere intelligentur. Atque in his id, quod in omnia ualet, ualere oportebit: cōtraria quoque, & quae, & qualia ſint, intelligentur. Videre autem in laudando, & in uituperando oportebit, non tam quae in corpore, aut in eatrariis rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus uſus ſit. Nam fortunam quidem, & laudare ſtultitia, & uituperare ſuperbia eſt. Animi autē & laus honeſta, & uituperatio uehemens eſt. Nunc, quoniam omne in cauſſae genus argumentandi ratio tradita eſt, de inuentione, prima, ac maxima parte rhetoricae, ſatis dictum uidetur. Quare, quoniam & una pars ad exitum hunc ab ſuperiore libro perducta eſt, & hic liber non parum continet litterarum; quae reſtant, in reliquis dicemus.

EXPLANATIO

LAVDES *autem, & uituperatione ex iis locis, &c.*] Demonſtratiua quae ſupererat, ſola tractatur per honeſtatem: quae demonſtratiua partes habet duas, laudem, & uituperationem: utrumque tamen ex attributis perſonae tractatur.

DE . ATTRIBVTIS . PERSONAE

CVM ſint undecim attributa perſonis, quibus approbatur cuiuſque perſona, Nomen hominis certis ſuis deſignans & ſanguinem, & hominem nominibus, explicatur: cum nullo ſocium neque nomine, neque attributo. Natura eſt attributum extra ipſum hominem, praeter in patria, gente, ſanguine, ceteriſque. haec enim licet dent homini commodum, non tamen proprium. In ipſo uero homine eſt circa corpus, & animam, quae dat plurimas & animo, & corpori qualitates. Ergo natura accidens res eſt, quae aptiorem hominem ad unumquodque facit. Itaque non orator natura eſt, ſed oratorius: id eſt, qui orator eſſe poſsit. Verum has qualitates, uel diligentia comparat, facitq. perfectas, & habitus nominantur: aut in has caſu quodam, ac repentino motu frequenter incidimus, & affectio dicitur: aut in has inclinamur ſtudio quodam, quod ipſum ſtudium per ſe nihil aliud eſt, quam uoluntas applicata in aliquas qualitates. Ergo afficimur qualitatibus his modis, ortu, & natali, & eſt natura: afficimur repentinis caſibus, & affectio eſt: afficimur induſtria, ac conſtantia, & perſeueratione, & habitus eſt. At uero ipſum ſtudium, quod eſſe definimus applicatam in qualitatem aliquam animi uoluntatem, hoc inquam ſtudium, nunc affectio eſt, ſi pro tempore eſt; nunc ſi perſeuerauerit, habitus. Ipſum ſtudium iam quaſi perceptio quaedam in me eſt rei eius, cui nomen eſt ſtudium, ſi perſeuerat. ſed, ut ſtudium intelligam, illud debeo conſiderare, quod ipſo ſtudio petitur: ut litteratura, aut geometria: quod ſi perceptum ſit, habitus ſtudio perceptus eſt. Ergo natura accidens qualitas eſt, ut animae, uel corpori, uel extrinſecus: & accidens ab ortu, ac natali. accidit autem mari, uel feminae. nam marem eſſe, aut feminam, non iam inter commoda computatur. Affectio eſt accidens qualitas uel repente, uel ſponte, uel ſtudio mox deſitura. nā, ſi permaneat, fit habitus: dicta affectio, quod inficiat qualitate. Et erit affectio incipiens habitus, uel uictus. non enim omnia ad exitum tendunt. Habitus eſt perceptio qualitatum. nam haec percepta philoſophi dixerunt: hae qualitates, uel commoda ſunt, uel incommoda: quae quoniam tribus modis qualitates eueniunt, multa his commoda, uel incommoda communiter eueniunt. Verum per exſiſtentiam ea, quae eueniūt, ſecernentur. nam alia uis in eo commodo, quod per naturam eſt: alia in eo, quod per affectionem: alia in eo, quod per habitum. Habitus non poteſt eſſe, quod non aliud eſt, atque illud, quod habetur. nam, quia ignis calet, putant aliqui habitum eſſe: quia perpetuum ſit. cum hoc ipſum ignis ſit, ut caleat: itaque potius natura eſt. Habitum multi non niſi Deo dant: & uerum eſt. ille enim habet omnia percepta. At uero homo numquam ita quid perceptum habet, ut non in profectu quotidie ſit: & hunc profectum dixerunt ὁρμὴν, id eſt progreſsionem, quam ὁρμὴν habitum dixerunt. Ergo pro exiſtimatione maioris perceptionis in homine habitum intelligimus: ut, ſi affectione quadam aliquid quis agat: ut orator in foro non perfectus, tamen ſi in eo eſt aliqua progreſsio, habitus dicetur: & certe pro commodo ſuo, uel habitum, uel affectionem faciet: nomen ex altero erit. In rebus enim nomina ſunt certa, quae alterum ſignificent, ut iracundus habitus eſt: iratus, affectionis: & haec ὁρμὴ cum ſtudio, & diligētia euenit, habitus eſt; cum naturaliter, natura. Studium eſt autem uel adipiſcendi aliquid, uel retinendi uoluntas: id quo uel adipiſci aliquid, uel retinere optamus, uel adepta retinemus. Victus eſt, uel quod ipſe homo agit, uel quod circa ipſum agitur: omniaq. habet, quae natura, habitus, affectio, ſtudium. Nam oratorem eſſe, quod eſt habitus, & uictus eſt, ſi in ea exercitatione ſit. Itaque Cicero, qui aſsiduo ſtudio, perſeueranti diligentia ita rhetoricam percepit, ut ea in eo perpetua eſſet, habitum conſecutus eſt. Sed, quia eius actum ſibi inſtituit, ad uſum uitae eſt: id

eſt in eadem re,& in habitu, & in uictu. Itaque multum plerumque de uirtute habitus detrahitur, ſi uictus abfuiſſe dicatur. Nam,licet orator plenus ſit perceptione ipſius artis, tamen aliquantum argumento detrahit, ſi neges in eadem exercitatione uixiſſe: ut ipſe contra Caecilium, quia aufert uictum, infirmat habitum: cum dicit, Quando tute tui periculum feciſti? Plerumque, etiam ſi nihil agat, ex habitu hoc ipſum, quod nihil agit, eſt illi uictus: ideſt uitae modus. nam,ut in uictu eſt, quibus amicis utatur, ita in uictu eſt, & ſi non utatur: & certe, quia nihil horum debet deeſſe perſonae, poteſt habitum habere ex geometriae perceptione, in qua nihil agit: & uictum de uſu rhetoricae. Victus autem omnis ad qualitatem tendit: ſed ea qualitas,uel in affectione, uel in habitu erit. deinde uti oratione,uel aliquid rhetoricae noſſe, quod affectionis eſt: & ad loquendum,aut dicendum aptum eſſe,quod eſt naturae: aut loqui,aut ſtudere uelle, quod eſt ſtudij,& cetera huiuſmodi habet uictus. Verum in hoc conſiderabitur uictus circa haec omnia, ſi ita agat uitam,ut haec exerceat. Non enim,quia natura loqui,aut ſtudere poſſumus,quod proprium naturae eſt, iccirco & inde uiuimus: ſed,ſi ſic ordinata ſit uita noſtra ad omnem ſubſtantiam rei familiaris quaerendam, ut inde uiuamus, ideſt, inde nobis omnia ſuggerantur ad uictum, merito uictus ex exercitatione dicitur. Item, etſi ſit habitus, & non in ipſo habitu agat uitam, & uirtutem oratoriae conſecutus ſit, erit habitus non uictus: eodem modo & affectio eſt, ſi eſt pro tempore: ideſt, prout res aliqua tulerit, ut locus fuerit non perpetua conſuetudine inde uiuendi. Eodem modo & in ſtudio eſt, ſi non ſtudium quodlibet in exercitatione uitae tulerit, unde uictus nominandus ſit uerbotenus: ut cauſſas agere, ut docere, eſt huius ſtudij: ſed,quia ordinata uoluntas eſt ad uſum uitae:merito dicetur & uictus. in ſingulis enim his res quaeque in eo, quod ſunt, diſtribuendae ſunt: ut etiam ſeruus circa hoc,quod in hac condicione eſt fortuna eſt: ſi ſeruitutē ſeruiat tota uita, uictus eſt: ſic & cetera de fortuna. Facta uero,& caſus,& orationes,& conſilia,ut ſuperuenienda accipimus,erunt ſuis nominibus. Nam uictus non eſt ſine factis,caſu,orationibus,conſiliis:ſed ſic uenit, fuit,ut diceret,ut faceret,ut ei aliquid accideret,ut conſilio uteretur. Et haec omnia ſi ſic accipimus, ut actiones non ordinatas,neque inſtitutas toto uiuendi tempore,erunt ſuis nominibus: ſinautem in eo genere uiuendi poſita fuerint,in quo omnia ſunt,quae tibi cōſtituenda ad uitam uniuerſam, uictus nominabitur,non ſuo quoque nomine. Facta autem,caſus,orationes,conſilia,cum ex futuro tempore argumentum dabūt, ex praeteritis confirmabuntur. Nā hoc ideo illi accidit,quod hoc fecit: ideo hoc illi accidet,quia fecit: hoc ideo facturus eſt,quia hoc dixit.

DE . NEGOTIIS

NEGOTIVM factum,uel dictum eſt,unde iudicium eſt. in iudicium etenim, uel in deliberationem,uel in demonſtrationem non uenitur,niſi propter factum. Singula igitur quaeque, quae homini aut obijciuntur, aut de homine quaeruntur,facta ſunt: ipſa igitur ſingula facta negotium ſunt. Sunt alia facta,quae probationē tribuunt ipſi facto,unde quaeritur ſub quolibet ſtatu. Sunt tria facta,quae extra ipſum factum ſunt: & extra facta,quae uicina ſunt ad factum, & probant factum uitae praeteritae: haec perſonae attributa dicuntur. Ergo,cum negotium factum, dictumue ſit, habeat attributa quattuor: continentia,cum negotio, inquit, in geſtione negotij,adiuncta negotio, quae geſtum negotium conſequuntur. ex his duo prima continentia,cum negotio,& in geſtione negotij,totum tenent,quidquid habere poteſt. Cauſſa omnis,ideſt negotium omne per partes ſuas geſtum. Duo alia ſunt,ex quibus aſſumuntur:primum ab oratore ea, quae negotio adiuncta ſunt. Quartū autem illud,quod eſt conſecutio, non negotij ipſius geſtio eſt:ſed aut extrinſecus uenientia per homines habet,aut per naturā generaliter, ut poſt docebimus. Igitur prima de attributis continentia,habet partes quinque: ſummam negotij,ſummae cauſſam, facta illa,quae probant factum,diuiſa per tria tempora. Et omne ipſum,quod diximus, negotium eſſe factum ſcilicet,continetur ab his,a ſumma,quae breuem propoſitionem habet,totum claudens: ut Patriae,inquit,proditio,& cetera:habet & cauſſam: quae gemina eſt,impulſio,& ratiocinatio. Impulſio eſt,per quam cauſſa cuius factum ſit. Ratiocinatio eſt,per quam,quam ob rem factum ſit demonſtratur. Sequitur per tria tempora factorum enumeratio,quid ante rem factum,quid in re,quid poſt rem ſit. Igitur negotium quodlibet de ſtatibus,interim ſit loco exempli,Milo occidit. [*Occidit*] & [*Non occidit*] partes ſunt ſingulae quaeſtionis. Sed iam parentis occiſio, hominis occiſio, patriae proditio, ſumma eſt. ergo factnm ſolum negotium eſt: propoſitio facti, cum perſona eius,qui arguitur,uel quolibet alio modo inuidiam cōparans,aut extenuans, ſumma dicetur. Et haec eſt, quam Cato in libro ſuo appellat Vires cauſſae. hoc argumentum ſequitur cauſſa, quam partiti ſumus, quae utique aduerſus negantem factum danda eſt, ut feciſſe doceatur. Quemadmodū autem tractetur, uel ab accuſatore, uel ab reo,in ſecundo habemus. Quod ſi alius ſtatus fuerit praeter coniecturam,non cauſſa erit,ſed ratio:de cuius tractatu in ſecundo docuit. Poſt haec ſequuntur facta omnia ante,in,poſt: in quibus omnia illa,quae in geſtione negotij poſita ſunt,ſi tamen proſunt,aſſumuntur: unicuique enim facto ineſt locus,tempus,modus,occaſio,facultas. In geſtione negotij,locus,uel naturalis eſt, uel qualitatiuus. Naturalis locus eſt,cum argumentū praeſtat:non erit illud argumentum a loco ſed a facultate. Qualitatiuus autē locus praeſtat argumentum ex opportunitate,quae opportunitas,quibus rebus poſſit intelligi, ipſe poſuit. Tēpus quid eſſet,dudū generaliter docuit, pars quaedam, inquit, aeternitatis: hoc quoqe in tria tēpora diuiſit,quae ipſa tempora partitus eſt. nam praeteritum tribus modis conſideratur: praeſens, & futurum,binis. Verum haec omnia magis ad cognitionem temporis dixit,quod quid eſſet, inſinuare cupiebant,

quam

quam ut apta ſint in geſtione negotij. Quid ergo aptum erit huic parti? nā attributū eſt tempus, aeſtimatio
eiuſdem temporis,& collatio cum geſtione,ut id,quod factum dicis eo tempore,ex quo argumentum ſumis,
fieri potuiſſe uideatur. Itaque ſic ait, Nam ſaepe oportet commetiri cum tempore negotium. Occaſio au-
tem opportunitas eſt quaedam temporis ad aliquid faciendum: haec opportunitas tribus modis conſideratur.
Modus autem eſt,quo non ſolum factum indicatur,ſed quemadmodum factum: qui modus,& animus indi-
cat,ideſt uoluntatem diuidit,aut per prudentiam,aut per imprudentiam: is quaeritur clam, palam, ui,perſua-
ſione,imprudentia: purgatur inſcitia,caſu,neceſsitudine,& affectione animi. Facultates autem duplici mo-
do argumentum praeſtant. nam eiuſmodi ſunt,ut per eas aut facilius aliquid fiat,aut ſine his effici non poſsit.
Adiuncta negotio,factum,quod in negotio ponitur,unde iudex laturus ſententiā eſt,ut probari quoquo mo-
do poſsit,per quamlibet conſtitutionem ſumuntur de his rebus argumenta: quae res poſſunt in ipſum factum
affectione quadam contineri. has res affecta nominamus,uerum affecta accipimus. Nunc de ipſo negotio,
ideſt de omni cauſſa,rebuſq. in cauſſa geſtis. Nunc ad res in cauſſa geſtas, alia quaſi quodammodo extrinſe-
cus,quae conuenire uideantur: aut inde,ut proueniant,aut ad illa coniuncta ſunt. Haec affecta,quae ſupra di-
ximus,negotio adiuncta, & conſequentia negotium dicuntur: illa prima continentia,uel in geſtione. Sed de
illis iam ſupra dictum eſt. Adiuncta uero ea ſunt,quae illis ipſis ſupra poſitis,ſingulis aliquo modo,uel extrin
ſecus cohaerent: ut ſummae,ut cauſſae,ceteriſque: ſed,cū non in ipſa cauſſa ſint,ſed aliunde aſſumantur, con-
uenientia tamen erunt,ſiue aliena ſint,& non hinc nata. in collatione,cum erit aut maius, aut minus, aut par:
itemq. ſimile,contrarium,diſparatum. Si uero his adiuncta ita ſunt,ut extra tamen ſint, erunt aut genus, aut
pars,aut euentus. nihil enim horum non ad hoc eſt: non tamen in cauſſa poſitum: &,ſi poſitum eſt in cauſſa,
id eſt in negotio,quae ὑπόθεσις eſt,ideſt quaeſtio circa perſonam propriam, ita eſt ueluti non poſitum. Ergo
genus ſit licet cauſſae,tamen,quia genus eſt,uelut extra cauſſam eſt,cum perſona propria ineſt in cauſſa. Item
ſpecies eſt extra. Iam uero euentus,cum tria tempora teneat,poteſt eſſe ex cauſſa: ideſt, ex negotio, de quo
loquor,qui probat quidem,eſt de negotio: quod euenit rebus geſtis,id,quod in negotio eſt. Quoniam tamē
& praeteriti temporis euentus,& futuri temporis euentus aliquoties ſumitur, & hoc uideri extraneum poteſt
a negotio,ex negotio tamen oriens: unde probatum eſt,adiuncta nunc omnibus modis externa: affecta tamē
aliquo modo adiungi,ut cetera,quae ſupra diximus. Nunc aliqua ex ipſo, uel in ipſo negotio, alio modo ta-
men ſe habentia,quam geſti negotij textus ipſe, & ordo conſiſtit, circa perſonam certiſsimae quaeſtionis ma-
ius,& minus,& aeque magnum,tum ex ui,tum ex numero, & ex figura negotij conſiderantur. Vis in eo eſt,
quo ipſa ſignificatione uerborum diuerſas res intelligimus. Itaque,cum prolata uerba diſtant ſenſibus noſtris,
ſignificatione ea,quae proferuntur,ut diſtant: ideſt,potentia quadam, qua quid quaeque res poſsit, intelligi-
mus. De numero perſpicuum eſt. Figura eſt textus,& ordo negotij per circumſtantias ſuas. Simile autem
ex ſpecie,aut ex comparabili,aut ex conferenda,aut aſsimilanda natura iudicatur. Simile hoc eſt ſpecies,com-
parabile,& ſimilanda natura,& in illis ſunt octo,genere,natura,magnitudine,tempore, loco, perſona,opinio-
ne: ſed ipſum ſimile,quod per haec ſupra poſita efficitur, illic eſt in contrariis partibus. Et, quae ſub eandem
rationem cadunt, hoc diſtinctius poſitum eſt in differentiis. De conſecutione in ſuperioribus duobus attri-
butis negotio,negotium omne teneri diximus: tertium,quod eſt adiunctum negotio,ueluti extra eſſe praece-
pimus: ſed naturaliter cohaerere extra ipſam hypotheſin,aut ab oratore aſſumi: quamquam & ea, quae extra
ſunt,naturaliter ab oratore ſumantur. Et de hoc praecepta iam dedimus. Quarta attributio, quae conſecu-
tio nominatur,& ipſa ea tenet,quae extra ſunt,adhaerentia tamen rebus negotij: quae nō ab oratore ex uolun
tate ſumantur,ſed quae ipſis rebus negotij rationabiliter acciderunt. Ac prope ea omnia,quae in quarta at-
tributione in conſecutione ſunt,id uidentur eſſe, quod euentus. Verum euentus aliud eſt, aliud conſecutio,
uel res conſecutionis. etenim euentus conſideratio eſt ex quadam natura rerum,qua perſpicitur quid ex qua-
que re euenerit,eueniat,euenturum ſit. In cnnſecutione autem,non ex rebus,quid eueniat,tractat orator,ſed
quid rebus eueniat: id eſt,quid rebus contingat. Deinde,quod in euentu duo ſunt,ut arrogantia, & odium:
in hac conſecutione unum. nam ipſi facto conſecutio eſt,quod uel raro,uel frequenter ſit. Haec autem omnia
collocata ſunt in hac conſecutione,Aut nomen contingit rebus,imitator,inuentor,lex de ipſa re, conſuetudo,
pactum ut frequenter fiat, uel non frequenter. Vtilitas,uel honeſtas,& cetera quoque (ut dixi) rebus acci-
dunt: non ex rebus ipſis,ſed ad res ipſas quadam geſtione proueniunt.

IN
M. TVLLII. CICERONIS
TOPICA
AD. C. TREBATIVM
Commentarij

DOCTISS.
VIRO
FRANCISCO. ZAVAE
CREMONAM

SI MIHI liceret fortunam cum uoluntate coniungere, doctiſſime, idemq. omnium humaniſſime ZAVA, ut in maximis deſideriis ex uoto reſponderet, quae nunc Venetiis de te cogito, aut de te ſcribo, tecum potius agerem, & tua ſingulari humanitate, doctrinaq. frui uellem. Equidem, ut ingenue fatear, angor nunc magis, quam antea, tui deſiderio. uicit enim opinionem meam eximia benignitas tua, qua me tuum hoſpitem proximo autumno eſſe uoluiſti; ſummaq. doctrina, quam in conſuetudine, perpaucarum licet horarum, deguſtaui. Vtinam mihi licuiſſet, per publicas curas, & per negotia mea, diutius abeſſe. beatus propemodum uixiſſem, quouſque Cremonae morari potuiſſem: in urbe ſcilicet, uiris doctiſſimis florentiſſima. quam enim uel ampliſſimam ciuitatem non ornarent Turreſinus, & Tollentinus? quorum ego, te auctore, ſuauiſſimo ſermone, ſumma animi mei uoluptate, ſummopere ſum delectatus. In Dioneo Muſonio paternam & uirtutem, & probitatem licet agnoſcere. Quid uero non praeſtant in illa Vrbe Sfondratus Epiſcopus, Brugora Praetor, duo, Religionis unus, & Sanctitatis; alter Iuſtitiae, & Prudentiae clariſſima lumina? Ceterum non ſunt mihi tam anguſto loco tam ampliſſimae Ciuitatis merita celebranda. Non patiar tamen diutius obſcuram eſſe uoluntatem, deſiderium, & obſeruantiam meam. Op-

S portunam

portunam certe, & accommodatam, ut ſpero, arripiam occaſionem: quae dum a ratione rerum mearum differtur, mihi profecto ingratus uiuere uideor. Prodeant interim hi in Ciceronis Topica Commentarij, Boetii, & Gueuarae; teſtes amoris in te mei. Me uero tu, ut amas, ama amore illo tuo. Venetiis. Kal. Quinct. CIↃ IↃ X X C I I I

CICERO

MAIORES . NOS . RES ſcribere ingreſſos, C. Trebati, & iis libris, quos breui tempore ſatis multos edidimus, digniores, e curſu ipſo reuocauit uolũtas tua. cum enim mecum in Tuſculano eſſes; & in bibliotheca ſeparatim uterque noſtrum ad ſuum ſtudium libellos, quos uellet, euolueret; incidiſti in Ariſtotelis Topica quaedam, quae ſunt ab illo pluribus libris explicata. qua inſcriptione commotus, continuo a me eorum librorum ſententiam requiſiſti. quam tibi cum expoſuiſſem; diſciplinam inueniendorum argumentorum, ut ſine ullo errore ad eam rationem uia perueniremus ab Ariſtotele inuenta, libris illis contineri: uerecunde tu quidem, ut omnia, ſed tamen ut facile cernerem te ardere ſtudio, mecum, ut tibi illa traderem, egiſti. cum autem ego te non tam uitandi laboris mei cauſſa, quam quod intereſſe tua arbitrarer, uel ut eos per te ipſe legeres, uel ut totam rationem a doctiſſimo quodam rhetore acciperes, hortatus eſſem: utrumque, ut a te audiebam, es expertus: ſed a libris te obſcuritas reiecit: rhetor autem ille magnus, ut opinor, Ariſtotelica ſe ignorare reſpondit. quod quidem minime ſum admiratus, eum philoſophum rhetori non eſſe cognitum, qui ab ipſis philoſophis, praeter admodum paucos, ignoretur. quibus eo minus ignoſcendum eſt, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae, & inuentae ſunt, allici debuerunt, ſed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, tum etiam ſuauitate. Non potui igitur tibi ſaepius hoc roganti, & tamen uerenti, ne mihi grauis eſſes, (facile enim id cernebam) debere diutius, ne ipſi iuris interpreti fieri uideretur iniuria. etenim, cum tu mihi, meiſq. multa ſaepe cauiſſes; ueritus ſum, ne, ſi ego grauarer, aut ingratum id, aut ſuperbum uideretur. ſed, dum fuimus una, tu optimus es teſtis, quam fuerim occupatus. ut autem a te diſceſſi in Graeciam proficiſcens, cum opera mea ne reſp. nec amici uterentur; nec honeſte inter arma uerſari poſſem, ne ſi tuto id quidem mihi liceret; ut ueni Veliam, tuaq. & tuos uidi, admonitus huius aeris alieni, nolui deeſſe ne tacitae quidem flagitationi tuae. itaque haec, cum mecum libros non haberem, memoria repetita in ipſa nauigatione conſcripſi, tibiq. ex itinere miſi: ut mea diligentia mandatorum tuorum, te quoque, etſi admonitore non eges, ad memoriam noſtram rerum excitarem. Sed iam tempus eſt ad id, quod inſtituimus, accedere.

EXPLANATIO

ANICIVS . MANLIVS . SEVERINVS . BOETIVS. EXHORTATIONE tua Patrici, Rhetorum peritiſsime, quae & praeſentis honeſtate propoſiti, & futurae aetatis utilitate coniuncta eſt, nihil antiquius exiſtimaui: cui muneri libentius acquieui. Non, quod ad inſtruendum te commentarios in M. Tullij Topica laborare me credidi. Ridiculus quippe forẽ, ſi Mineruam docere uellem (ut aiunt) litteras, ſed, ut ex diſciplinarum liberalium ſumptum penu noſtrae apud te ſemper pignus amicitiae permaneret. Quod enim munus ex animo diligentibus iucundius inueniri poteſt: quam, quod ipſius animi partes format, & inſtruit. Nam cetera fere caduca, imbecilla, labantia, &, ſi ad fortunae uicem ſpectes, paene ſemper aliena ſunt. At uero opulentiam litterarum nec praeſens imminuit aetas, earumq. auctoritatem ipſa etiam cuncta conficiens auget potius, & confirmat uetuſtas. Accipe igitur opus non efficientiae ſecuritate, ſed amicitiae praeſumptione ſuſceptum: apud quam neſcio quo nam inter ſuos pacto garrire non dedecet: ſimul, quia praelato munere, cum tuorum aliquid operum poſtulauero: iniurius fueris, ſi negabis. Sed, cum in M. Tullij Topica Victorinus rhetor plurima notitiae commenta conſcripſerit, non me oportuiſſe melioribus forſitan attentata contingere: ni eſſet aliquid, quo ſe noſter quoque labor exercere, atque parere potuiſſet. Quattuor enim uoluminibus Victorinus in Topica conſcriptis: eorum primo in declarandis tantum libri principiis occupatur. Addit etiam, ſi qua in eodem uolumine praedicenda fuiſſe perpendit, ut ab exordio uoluminis Topicorum, quod eſt, Maiores nos res ſcribere ingreſſos, Trebati: uſque ad eum locum, qui eſt, ſed iam tempus eſt ad id, quod inſtituimus, accedere, primi uoluminis Victorini expoſitio terminetur. Secundo uolumine de iudicandi, atque inueniendi logicae partibus: & de locorum, atque argumenti definitione pertractat: ut ab eo loco Topicorum, qui eſt, Cum omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, unam, inueniendi; alteram, iudicandi, uſque ad locum: qui eſt: Itaque licet definire locum eſſe argumenti ſedem. Argumentum autem rationem, quae rei dubiae faciat fidem: ſecun-

di libri commentariorũ explanatio ſubſiſtat. Tertius uero, atque quartus diſcretionem locorum inter ſe, eo-
rumq. exempla multiformiter perſequuntur, Ita ut tertius quidem Tulliana ſibi de iure praeponat exempla.
Quartus uero eoſdem locos per alias rurſus ſimilitudines monſtret ex Virgilio, uel Terentio Poetis, Oratori-
bus Cicerone, & Catone: ut, quod praeceptis oſtenditur, exemplis multipliciter colluceſcat; neque ab eo lo-
co, qui eſt in Topicis, ſed ex iis locis, in quibus argumenta incluſa ſunt, expoſitio progreſſa, eum tranſcendit lo
cum, qui eſt, Valeat aequitas: quae paribus in cauſsis paria iura deſiderat. Quanta uero pars reliqua Topico-
rum ſit, ipſius uoluminis magnitudo demonſtrat: quam Victorinus neque attigit, neque attigere potuiſſet:
ita eſt rebus minimis immoratus, niſi opus multa librorum pluralitate diſtenderet. Nos uero & hanc ipſam
particulam, quam Victorinus attigit, diligenter (ut poſſumus) aggrediamur: & lõgius expoſitione progreſsi,
cum Topicorum habemus fine conſiſtere. Quare de tota operis propoſitione conueniens ſumamus exor-
dium. Sed, antequam de Topicae facultatis rationem pertractem, Prooemium, quo ad Trebatium. M.T.
utitur, paucis abſoluam. Ait, *Maiores &c.*

OMNE prooemium, quod ad componendum intendit auditorem, ut in rhetoricis diſcitur, aut beneuolen-
tiam captat, aut attentionem praeparat, aut efficit docilitatem. his tribus partibus ſibi Cicero Trebatium for-
mat. Nam, quod ſe a magnarum rerum inchoatione reuocatum ad amici contulit uoluntatem, fauorem uel-
ut Trebatij iudicis, beneuolentiae partibus emeretur. Maiores autem res ſunt, a quarum ſcriptione, ad amici
ſtudium uerſus eſt moralis philoſophiae tractatus. Maior eſt enim morum ratio, quam peritia differendi. Id
autem tempus fuiſſe coniicimus. quo propter turbulenta reip. tempora in otium ſe contulit, atque philoſo-
phiae diſciplinas, Sed, quia nobis audientium mentes ueritatis quoque opinio praeſumpta conciliat, in eo et-
iam praeparandae beneuolentiae partibus utitur. Quod in commemorandis ueraciter his, quae Trebatius
nouerat, facit illis fidem, quae poſterius euenire, & Trebatio ignota eſſe poterant. Haec autem ſunt, Quod in
Tuſculano ad ſuum ſtudium uterque libros euoluerit. Quodq. Trebatius caſu in Ariſtotelis Topica incide-
rit. Quod titulum operis admiratus a M. Tullio inſcriptionis ſententiam perquiſierit. Illud etiam, quod ei
Cicero ſe expoſuiſſe commemorat, inueniendorum argumentorum illis ſcientiam contineri, ut ſine ullo erro-
re ad argumẽtorum inuentionem uia quadam, & recto filo, atque artificio ueniretur. Quae res breuiter enun-
ciata, uelut intentionem operis monſtrat & docilem perficit auditorem. In hoc namque uidetur eſſe compre-
henſum, quae ſit intentio Topicorum, quod ait diſciplinam eſſe argumentorum, non ut inueniantur, id enim
natura ſuppeditat: ſed, ut ſine ullo labore, ac ſine ulla cõfuſione, non caſu ad ea mens, ſed quadam uiae ductio-
ne perueniat. poſt beneuolentiae hanc captationem Trebatij laudem ſubiungit, quod eius uerecundiam in his
commemorat expetendis, quae ſi poſtulanti amico Cicero praeſtitiſſet, & gloriae praemium ferret, & gratiae
ſed, quod petenti Trebatio, ut ei Topicam traderet, minime conceſsit, id non proprij laboris fuga, ſe. Trebatij
potius cauſſa factum eſſe contendit, ut in eo quoque Trebatij ueluti, tunc repulſi ſubiratus forſitan animus,
nunc non ſit alienus. Intererat uero Trebatij: ut, uel per ſe ipſe legens exercitatior fieret, uel ei perfectius, ſi
qua dubitaret rhetor doctior expediret. Vtrumque uero a Trebatio ſe narrat audiſſe. Nam & expertum
eum, ut per ſe ipſe legeret, ſed obſcuritate reiectũ, & illum rhetorem, a quo Topicorum explanationẽ petiiſſet,
illa ſeſe Ariſtotelica ignorare confeſſum. Quae res per operis difficultatem neceſſe eſt auditorem reddat at-
tentum. Ea quippe non negligentes inſpicimus, quae non facilis eſſe intelligentiae ſuſpicamur. in quo etiam
Cicero minime ſe miratum eſſe commemorat, quod is philoſophus a rhetore neſciretur, qui multis etiam phi-
loſophis uideretur incognitus, quorum etiam iure culpat ignauiam, quos ad Ariſtotelicae philoſophiae diſci-
plinam non inuentorum utilitas, non orationis nitor illexerit. In quo etiam maioris perſpicaciae creſcit atten-
tio, quia facile ad ſtudium mentes aliorum ſegnities culpata conuertit. quocumque uero attentio fuerit, non
poterit abeſſe docilitas. In his etiam laus quaedam Trebatij latenter inducitur. Magnum eſt enim philoſo-
phis in ſuo quaſi munere ceſſantibus hunc Trebatium, ne proprio quidem ſtudio praepeditum, alienae ſcien-
tiae ſecreta rimari. iam uero ſequentia, multo etiam clarius beneuolentiam petunt, uelut hoc, quod elegantiſ-
ſime dictum eſt, ueritum ſe eſſe, ne ſi modeſte poſtulantis uerecũdiae pernegaſſet, ipſi quodammodo iuris in-
terpreti fieri uideretur iniuria. & quod praecedens Trebatij meritum percepti beneficij memor exſequitur: id
uero eſt, quod uel ipſi, uel his, quos ipſe defenderit, plura cauiſſet. Fuit igitur, ut ait, uerendum, ne, ſi reſtitue-
re gratiam noluiſſet, aut ingratum id, aut ſuperbum eſſe uideretur. Ingratum quidem, ſi magna Trebatij me-
rita, quibus ipſe uſus fuerat, paruo aeſtimare uideretur, cum nullam ei gratiam reſtituẽdam putaret, ſuperbum
uero, ſi ſperneret. Ad idẽ cetera reuertuntur, Quod eiuſdem teſtimonio nititur, dum fuerit in urbe, ſe ne debi-
tam redderet gratiam occupationum neceſsitate conſtrictum. Quod, ut uenerit Veliam, amicorum Treba-
tij conuentione commonitum, ne tacitae quidem eius flagitationi deeſſe uoluiſſet, & quod licet librorum co-
pia nulla ſuppeteret, de memoriae tamen repetitae promptuariis in ipſa nauigatione conſcripſerit, eiq. ex itine-
re miſerit, ut beneficij cumulo, parendi etiam celeritas adderetur. Quae cum omnia benignum captare Tre-
batij uideantur aſſenſum, quaedam tamen breuitas Topicorum, memoria repetita, attentionis neceſſe eſt ani
maduerſione fungatur. ipſa namq. memoriae repetitio breue monſtrat eſſe, quod colligit, quodque diligẽtiae
ſibi fuerint mandata Trebatij; &, quod ad excitandam ſui memoriam, quaſi pignus amico aliquod, atque mo-
numentum uoluiſſet exſtare: Cui adiicit illud. Etſi admonitore non eges, ne offendat animum ſedulitate ad-
monitionis, ſi, quem commonendum credit, obliuionis uideatur arguere. Haec omnia, ut dixi, beneuolentiae
partibus plena ſunt. Sed de prooemio ſatis dictum eſt, Nunc ad conſequentia tranſeamus, nec, ſi quis haec
apud Victorinum latius tractata reperierit, nos neglectae integritatis ſtringat inuidia. Nam nec in ſingulis, ut
ille facit, uerbis haerere uolumus, & ad ampliora huius operis feſtinamus.

PETRVS

PETRVS . VELLEIVS . GVEVARA. M . TVLLII . CICERONIS] Cuius in Pandectarum libris mentio eſt in l. 2 . §. poſt hos quoque D. de orig. iur. l. Fulcinus, §. latitare. D. quib. ex cauſſ. in poſ. l. Cicero. D. de poenis. l. litus. D. de uerb. ſig. idq. Forcatulus dialogo trigeſimo-octauo notauit. Sed & eiuſdem, lex, in quaeſtionibus. D. ad leg. Iul. maieſt. alterius uero Ciceronis meminit. l. Aurelius Symphorinus, §. Meuia teſtamento. D. de liberat. leg. AD . C . TREBATIVM] Iacobus Labittus aduertit Trebatij ſcripta in Pandectis ſeptuaginta nouem legibus citari: ſemel in inſtitutionibus Iuſtiniani, titulo de Codicil. §. 1. TOPICA] Topos, ideſt locus. Topicus, localis. Topice Topices, ars inueniendi loca argumentorum. Infra, inueniendi uero artem, quae Topice dicitur. Et Topica Topicorum, eadem ars; hic in prooemio, Ariſtotelis Topica quaedam. & libro ſeptimo epiſtolarum ad diuerſos, epiſtola decimanona, Inſtitui Topica Ariſtotelica conſcribere. MAIORES *noſtres*] Exordio, ut decet, beneuolum, docilem, attentum facit auditorem. Id per partes Boetius explicat, maiores autem res appellat moralem philoſophiam, maior eſt enim morum ratio, quam peritia diſſerendi. INGRESSOS,] Ingredi hic eſt incipere. Sic eſt ad Atticum: Cum ingreſſus eſſem dicere. & in Academicis quaeſtionibus, Quod nos facere ingredimur. ET *iis libris*,] Quidam libros de philoſophia, ſcilicet, de finibus, de legibus, de officiis, & ceteros intelligunt. Viſorius Rhetoricos potius, de oratore, partitiones, & oratorem. Barba utroſque. CVM *enim mecum eſſet*] Narratio, quae docilem redit auditorem, & ſcribendi proponit occaſionem. IN *Tuſulano*;] Italiae opido, Telegoni, Vliſsis, & Circes filij aedificio, Ciceronis uilla, & Catonis Cenſorini ortu nobiliſsimo. Sed eius Romani uix poſtea fundamenta reliquerunt: infenſi, quod ſe Federici Ahenobarbi copiis iunxiſſet, ut libro ſexto Volaterranus ſcribit. Nunc Fraſcata dicitur, ibiq. ſua aetate, oſſa Tulliae Ciceronis filiae inuenta, Beroaldus ait. PLVRIBVS *libris*] Topicorum libros octo ſcripſit Ariſtoteles, quos Latinus fecit Boetius. DISCIPLINAM *inueniendorum argumentorum*,] Breui propoſitione finem operis, & ſummam oſtendit: ſimulq. auditorem docilem redit. VERECVNDE *tu quidem*,] Captat beneuolentiam a perſona auditoris. NON *tam vitandi laboris mei cauſſa*,] Excuſatione lenit Trebatij animum, ſi forte erat ſubiratus, quod Cicero id ſibi non conceſsiſſet. PER *te ipſe legeres, uel ut totam rationem*] Nam & exercitatione, & interprete, doctoreq. opus eſſe ad hanc artem, Cicero ad Trebatium ſcribit, lib. 7. epiſt. decimanona. A *libris te obſcuritas reiecit*:] Propoſita rei difficultate, reddit Trebatium attentum. De Ariſtotelis in ſcribendo obſcuritate, Viſorius ex Rodolpho, & Themiſtio quaedam, alij auctores multa tradiderunt. RHETOR *autem ille magnus*,] Ironia. MINIME *ſum admiratus eum philoſophum*] Hic quoque attentionem captat: quia aliorum ſegnitie, & negligentia reprehenſa, nos afficimus diligentiores. Sed & beneuolus quoque Trebatius fit, dum eo nomine laudatus, quod curioſe extra ſuam profeſsionem inquirat ea, quae turpiter ipſius artis lateant profeſſores. SED *dicendi quoque incredibibili quadam cum copia, tum etiam ſuauitate*.] Cicero in Oratore. Theophraſtus diuinitate loquendi nomen inuenit, & Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſsiuit. Et in Lucullo. Veniet illud flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles. Et rurſus ibidem. Aut ipſum Ariſtotelem, quo profecto nihil eſt acutius, nihil politius. Quinctilianus lib. 10. Quid Ariſtotelem? quem dubito ſententia rerum, an ſcriptorum copia, an eloquentiae ſuauitate, an inuẽtionum acumine, an uarietate operum clariorem putem. NE *ipſi iuris interpreti*] Ratio ex circumſtantia, qua per amplificationem perſonae captat beneuolentiam. AVT *ingratum id, aut ſuperbum uideretur*.] Ingratum, cum tu mihi, meiſq. ſaepe cauiſſes: ſuperbum, ſi tibi ſaepius hoc roganti negarem. CAVERE] Vt Briſſonius, Othomanus, Brechaeus notant, uerbum fuit iuriſconſultorum proprium, qui aliis cauere dicebantur, cum, ne ab aduerſario caperentur, certis adhibitis formulis prouidebant. Vnde Cicero in epiſtola ad Trebatium: Tu, qui ceteris cauere didiciſti, in Britannia ne ab eſſedario decipiaris caue. Et Plautus in Epidico? Hic poterit cauere recte iura, qui & leges tenet. IN *Graeciam proficiſcens*,] Cum libera legatione, ut ipſe refert in epiſtolis ad Atticum. Et in oratione pro L. Flacco. Et Philippica prima. NEC *honeſte inter arma*] Exſtincto enim a coniuratis Caeſare, Antonius tyrannidem affectabat. VT *ueni Veliam*,] Mela libro ſecundo, capite quarto. Hinc in Tuſcum mare deflexus eſt, & eiuſdem terrae latus alterum, Terina, Hippo, nunc Vibon, Tempſa, Clampetia, Blanda, Buxẽtum, Velia, Palinurus, olim Phrygij gubernatoris, nunc loci nomen: Peſtanus ſinus, Peſtum opidum, Silarus annis, Picentia: petrae, quas Sirenes habitauere, Mineruae promontorium, opima Lucaniae loca. Et Plinius lib. III. cap V. Tenuerunt eam Pelaſgi, Oenotrij, Itali Morgetes, Siculi, Graeciae maxime populi, nouiſsime Lucani a Samnitibus orti duce Lucio. Opidum Peſtum Graecis Poſidonia appellatur, Sinus Peſtanus, oppidum Helia, quae nunc Velia, Promontorium Palinurum. Et Volaterranus libro ſexto. Elea urbs, unde Eleates: Elienſes uero ab Elide, Piſea, hinc Zeno Stoicus, & Parmenides fuere, hanc Plinius Phocenſium aedificium eſſe dicit, uocatamq. ſuo tempore Veliam. Et Gellius lib. X. cap. XVI. ex Higino. Velia opidum, a quo portus, qui in eo loco eſt Velinus dictus, Seruio Tullio regnante Romae conditum in agro Lucano, & eo nomine appellatum eſt, nam, qui ab Harpalo, Regis Cyri praefecto, ex terra Phocide fugati ſunt, alij Veliam, partim Maſsiliam condiderunt. MEMORIA *repetita*] Reddit attentiorem, propoſita breuitate rei. EX *itinere miſi*;] Ex Rhegio opido, ut conſtat ex epiſt. 19. lib. VII. ETSI *admonitore non eges*,] Excuſat ſedulitatem admonitionis, ne uideatur exprobratio immemoris beneficij, & accuſatio obliuionis.

CICERO

CVM omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, unam inueniendi, alteram iudicandi; utriuſque princeps, ut mihi quidem uidetur, Ariſtoteles fuit. Stoici autem in altera elaborauerunt. iudicandi enim uias

diligenter

diligenter perſecuti ſunt, eã ſcientiam, quam dialecticen appellant: inueniendi uero artem, quae Topice dicitur, quae & ad uſum potior erat, & ordine naturae certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque ſumma utilitas eſt, & utramque, ſi erit otium, perſequi cogitamus, ab ea, quae prior eſt, ordiemur.

EXPLANATIO

BOETIVS. Cvm philoſophia maximis in rebus operam ſuam, ſtudiumq. conſumat, cumq. & in naturalibus inſpectionem, ſpeculationemq. adhibeat, & in moralibus actionem, & ſic formare geſtiat mores, ut uera uitae ratio perſuaſerit: euenire neceſſe eſt, ut ſecundum id, quod ratio tenendum, omittendum ue, faciendum, quid aut non faciendum eſſe decreuerit, uel iudicium conſtituatur, uel exercendae uitae dirigatur intentio. Erit igitur neceſſarium, uel in naturali ſpeculatione, uel in moralium actionum cogitatione, ut certa ratio, uel quod in rebus ſpeculandum eſt, inueniat, uel quod in actum uiuendi duci oporteat, ante perpendat. haec autem ratio, niſi uia quadam proceſſerit, ſaepe in multos neceſſe eſt elabatur errores. Quod ne paſsim fieret, atque ut certis regulis tractatus inſiſteret, uiſum eſt antiquae philoſophiae ducibus, ut ipſarum ratiocinationum, quibus aliquid inquirendum eſſet, naturam penitus ante diſcuterent, ut, his purgatis, atque compoſitis, uel in ſpeculatione ueritatis, uel exercendis uirtutibus uteremur. Haec eſt igitur diſciplina, quaſi differendi quaedam magiſtra, quam Logicen Peripatetici ueteres appellauerunt: hanc Cicero definiens, differendi diligentem rationem uocauit. haec uario modo a pleriſque tractata eſt, uarioq. etiam uocabulo nũcupata. ut enim dictum eſt, a Peripateticis haec ratio diligens differendi Logice uocatur, continens in ſe inueniendi, iudicandiq. peritiam. Stoici uero eandem hanc rationem differendi paullo anguſtius tractauere. Nihil enim de inuentione laborantes in ſola tantum iudicatione conſiſtunt, deq. ea praecepta multipliciter dantes, Dialecticam nuncupauerunt. Plato etiã Dialecticam uocat, facultatem, quae id, quod unum eſt, poſsit in plura partiri, ueluti ſolet genus per primas differentias uſque ad ultimas ſpecies ſeparari, atque ea, quae multa ſunt, in unum genere rationum colligere. Hanc igitur Plato Dialecticam dicit, Ariſtoteles uero, Logicam uocat. Quam, ut dictum eſt, Cicero definiuit diligentem differendi rationem. Et huius uno quidem modo trina partitio eſt. Omnis namque uis logicae diſciplinae, aut definit aliquid, aut partitur, aut colligit. Colligendi autem facultas triplici diuerſitate tractatur. Aut enim uerius, ac neceſſariis argumentationibus diſputatio decurrit & diſciplina, uel demonſtratio nuncupatur, aut tantum pro habilibus, & dialectica dicitur, aut apertiſsime falſis, & ſophiſtica, ideſt cauillatoria perhibetur. Logica igitur, quae eſt peritia differendi, uel de definitione, uel de partitione, uel de collectione, ideſt, uel de ueris, ac neceſſariis, uel de probabilibus, ideſt ueriſimilibus, uel de ſophiſticis, ideſt cauillatoriis argumentationibus tractat. Has enim collectionis partes eſſe praediximus. Atque haec eſt una logicae partitio, in qua Dialecticam Ariſtoteles uocat facultatem per probabilia colligendi. Rurſus eiuſdem logicae altera diuiſio eſt, per quam deducitur tota diligens ratio differendi in duas partes, unam inueniendi, & alteram iudicandi, hoc autem uidetur etiam ipſa Logices definitio monſtrare. Nam, quia logica ratio differendi eſt, non poteſt ab inuentione eſſe ſeparata. Cum enim nemo praeter inuentionem differere poſsit, differendi ratio, inuentionis eſt ratio. Rurſus, quoniam logicae diligens ratio differendi eſt, ab ea non poteſt abeſſe iudicium. ipſa enim diligentia rationis in differendo poſita iudicium eſt. Neque enim poteſt quiſquã diligenter differere, niſi iudicauerit, quale ſit id, quod in diſputationem ſumitur. quod, ſi ad differendi ordinem diligentia rationis adhibetur, non eſt dubium, quin hoc iudicium ad inuentionum uarietatem ſit accommodatum. His igitur ita expeditis, uidendum eſt, hae diuiſiones qua nam ſe cognatione contingant. Inuentio quippe ceteris omnibus ueluti materiae loco ſupponitur, hoc modo, Niſi enim inuentio fuerit, non poteſt eſſe uel definitio, uel partitio. Quoniam unumquodque generum, uel differentiarum inuentione, aut diuidimus, aut etiam definimus. Iam uero, ſi abſit inuentio, numquam ualet eſſe collectio. Non erit igitur neceſſaria, nec ueriſimilis, nec ſophiſtica. Haec enim tria inuentioni ſuperueniunt. ut uel neceſſarium, uel probabile, uel cauillatorium ſit argumentum. Neceſsitas uero, & probabilitas, & cauillatio formae quaedam ſunt, quae dum inuentionibus aſsiſtunt, neceſſaria, uel probabilia, uel cauillatoria faciunt argumenta. Eadem quoque ratio partitiones, definitioneſq. complectitur. Indiſcreta namque inuentionis poteſtas, tum definitiua, tum diuiſibilis appellari poteſt cum definiendis, pariendis ue rebus adhibetur. Quae hoc modo ex inuentionis materia, & differentiarũ ſupra poſitarum forma compoſita, rurſus iudicationi materia fiunt. nam prior illa partitio Logicae tribus partibus ſegregata ita partes explicat, ut habeat inuẽtionem materiam ſingularem, ipſa uero iudicationi materiam praeſtat. Etenim, cum definit aliquis, uel rei propoſitae diuiſionem facit, inuenit quidem diuiſioni, definitioniq. differentias accommodatas, ſed an recte, uel definiat, uel diuidat, iudicatione perpendit. Ita priores logicae partes ſecundae diuiſionis membra coniungunt, ut materiam quidem ſui habeant inuentionem, iudicationis uero fiant ipſae materia. quod in reliqua etiam colligendi parte contingit. Nam & ea, quae de probabilibus tractat, habet inueniendi ſuppoſitam materiam, quae ueriſimilia reperit argumẽta, & de huiuſmodi argumento iudicatio perpendit. eſt enim iudicium hoc ipſum internoſcendi, quod non neceſſaria inuentio eſt, ſed ueriſimilitudinem tenet. Illa quoque pars, quae de neceſſariis argumentationibus aptatur, habet ſubiectã materiam neceſſariae inuentionis: eiuſq. eſt iudicium, ut, cum neceſſaria ſunt, quae inuenit, neceſſaria eſſe perpẽdat. nec non cauillandi pars utraque in ſe continet, quandoquidem & inueniri falſa poſſunt, & falſa eſſe iudicatione diſcerni. Quo fit, ut prior Logices diuiſio ſecundam etiam continere uideatur. Nam definitio, partitio, atque collectio inuentionem continent, & iudicium: quia neque exſiſtere praeter inuẽtionem, neque agnoſci praeter iudicium poſſunt. Sed, cum omnis inuentio iudicationi ſubiecta ſit, cumq. prioris definitionis par-

tes ſine utroque eſſe non poſsint,euenit ut prima partitio inuentionem, iudiciumq. coniungat. Secunda ue-
ro haec definitio,qua Cicero etiam partitur logicam, ſegregat huiuſmodi facultates,& inueniendi materiam a
iudicationis parte ſecernit. Iudicium uero in colligendi ratione proprias partes habet. nam omnis argumen-
tatio,omniſq. ſyllogiſmus propoſitionibus ſtruitur,omneq. compoſitum duo in ſe quaedam retinet,quae ſpe
culanda eſſe uideantur. Et quod unum,quae illa ſint,ex quibus id,quod compoſitum eſt,intelligatur eſſe con
nexum,aliud uero qua nam ſit ſuarum partium coniunctione cōpoſitum,ut in pariete,ſi quidem lapides ipſos,
quibus paries ſtructus eſt, inſpicias,quaſi materiam ſpectes. Si uero ordinem, compoſitionemq. iuncturae
conſideres,tamquam de formae ratione perpendas. Item in argumentationibus,quas propoſitionibus com-
paginari,atque coniungi,ſupra retulimus,gemina erit ſpeculationis,& iudicandi uia. Vna, quae propoſitio-
num ipſarum naturam diſcernit,ac iudicat,utrū uerae,ac neceſſariae ſint,an ueriſimiles,an ſophiſticis applicen
tur, & haec quaſi materiae ſpeculatio eſt. altera uero pars iudicij eſt, quae inter ſe propoſitionum iuncturas,
compoſitioneſq. perpendit. haec quaſi formam iudicat argumentorum. quae cum ita ſint, hoc modo fit in
continuum ducta partitio,ut ratio diligens diſſerendi,unā habeat inueniendi partem, alteram uero iudicandi.
tum de ipſa inuentione,tum de inuentionis collatione, quae forma eſt argumentationis. Atque ea quidem
pars,quae de inuentione docet,quaedam inuentionibus inſtrumenta ſuppeditat,& uocatur Topice. Cur au-
tem hoc nomine nuncupata ſit, poſterius dicam. Illa uero pars,quae in iudicando poſita eſt, quaſdam diſcer-
nendi regulas ſubminiſtrat,& uocatur analytice: & ſi de propoſitionum iunctura conſideret, analytice prior.
ſi uero de ipſis inuentionibus tractet,ea quidem pars, ubi de diſcernendis neceſſariis argumentis dicitur, ana-
lytice poſterior nuncupatur. Ea uero,quae de falſis,atque cauillatoriis,ideſt de ſophiſticis,elenchi. de ueri-
ſimilium uero argumentationum iudicio nihil uidetur eſſe tractatum,iccirco quoniam plana eſt, atque expe-
dita ratio iudicandi de medietate, cum quis extrema cognouerit. Si enim quis diiudicare neceſſaria ſciat, i-
demq. falſorum argumētorum poſsit habere iudicium,ueriſimilia,quae in medio collocata ſunt,diſcernere nō
laborat. expeditum igitur eſt,ut arbitror,quid ſit,quod ait Cicero rationem diligentem diſſerendi duas habere
partes,inueniendi unam,alteram iudicandi. Illud etiam diligentius expoſitum eſt,quae ſit ratio, quàm Stoici
Dialecticen uocant. Ea eſt enim,quae iudicandi peritiam tenet, & quod eodem nomine Plato partiendi per
differentias, atque ad genus reuocandi facultatem uocet. Quodq. eo nomine Ariſtoteles totā diſſerendi artē,
ut Stoici,ſed eā tantū nuncupet,quae propoſita quaeſtione ueriſimilibus colligat argumentis: atque ideo per-
fectius Ariſtoteles de Logica tractauit quantum de duobus,ultra quae nihil eſt, tertium diſſeruit de inuenien
do,ſcilicet & iudicando,cum Stoici,inuentione neglecta,iudicationis tantū inſtrumēta tradiderint. atque ideo
iure eos increpat Tullius,quoniam id maxime reliquere, quod & natura prius,& uſu potius erat. Natura qui-
dem, quia fieri non poteſt, ut de inuentione iudicetur,niſi ipſa inuentio prius exſtiterit. Ad uſum uero, quia
longe utilius eſt nuda,& praeter artem prolata naturaliter inuentione ſuſceptum ſaepe tueri negotium,quā ni-
hil inueniente alio mutum ipſum,inermeque,& tacitum uerſare iudicium. Dat uero Tullius de utroque ſen-
tentiam,& ait ſummam pariter utilitatem in utroque conſiſtere,& ſe de utraque, ſi otium fuerit, uelle diſſere-
re. Ab ea autem,quae prior eſt,ideſt,inuentione,quam Topicen appellari diximus, ordiendum putat.

GVEVARA. CVM *omnis*] Cicero libro IV. de finibus: Cum duae ſint artes, quibus perfecte
ratio,& oratio compleatur,una inueniendi,altera diſſerendi,hanc poſteriorem & Stoici,& Peripatetici,priorē
autem hi egregie tradiderunt,illi ne attigerunt quidem. Nam,e quibus locis,quaſi theſauris argumenta depro-
merentur,ueſtri ne ſuſpicati quidem ſunt,ſuperiores autem artificio,& uia tradiderunt. RATIO *diligens diſ-
ſerendi*] Eadem Periphraſi,lib. II. de finibus eam facultatem notat,quā Plato in Sophiſta, & Agricola lib. II.
de Inuentione Dialecticam appellant,Ariſtoteles Logicam. DVAS *habeat partes,*] Quinctilianus libro V.
capite poſtremo: Namq. illi homines docti,inter doctos uerum quaerentes,minutius,& ſcrupuloſius ſcrutan-
tur omnia,& ad liquidum,confeſſumq. perducunt,ut,qui ſibi & inueniendi,& iudicandi uindicent partes, qua-
rum alteram Τοπικὴν, alteram Κριτικὴν uocant. Atque haec eſt altera Logicae partitio, primae, ut Boetius
docet,cognata: quae definire,partiri,& colligere Logicam dicit: rurſus collectionis demonſtrationem, Dia-
lecticam,Sophiſticam facit partes. VTRIVSQVE *princeps, ut mihi quidem uidetur, Ariſtoteles fuit.*] Qui
inueniendi uiam,octo libris Topicorum: iudicandi, tribus Analyticon ὕστερον, duobus Analyticon, πρότερον
duobus Elenchorum,aliiſq. perſecutus eſt. STOICI] Ab Soae,quod ſignificat porticum. Erat enim Athe-
nis porticus dicta Paecile,a uarietate picturae; Poichilon enim eſt uarium: nam Polygnotus pinxit gratuito,
ibi Zeno docebat,a quo Zenonij,ſiue Stoici. Vnde Stoicus,& Stoice: & apud Iuuenalem ſatyra ſecunda,Stoi-
cida. DIALECTICEN] Nam Dialectice dialectices, & Dialectica dialecticae dicitur. Cicero in Bruto,
eam contractam eloquentiam appellat. Et in Oratore,atque libro ſecundo de Finibus ait,Zenonē palmae rhe
toricam,pugno dialecticam comparaſſe. Illud praeterea notandum,dialecticam genus habere, Topicam, &
Dialecticam ſpecies: ſicut adoptio arrogationem habet,& adoptionem. AD *uſum potior erat,*] Inuentio
ſine iudicio,non equidem multum,aliquid tamen prodeſſe poterit: at ſine inuentione iudicium prodeſſe tan-
tum abeſt ut poſsit,ut nec eſſe quidem poſsit. nam cum ea ſit, ET *ordine naturae certe prior,*] fieri non po-
teſt,ut de inuentione iudicetur,niſi ea prius exſtiterit. Si quis & inuentione ſe armauerit,& iudicio,is & ſuis,&
publicis rationis erit utiliſsimus. IN *utraque ſumma utilitas*] Quanta ea ſit,docet Cicero lib. I, de Oratore,
& in Bruto, Ariſtoteles in Topicis, Titelmannus in prologo Dialecticae cap. V.

CICERO

VT igitur earum rerum, quae abſconditae ſunt, demonſtrato, & notato loco facilis inuentio eſt: ſic, cum perueſtigare argumentum aliquod nolumus, locos noſſe debemus. ſic enim appellatae ab Ariſtotele ſunt hae quaſi ſedes, e quibus argumenta promuntur. itaque licet definire, Locum eſſe argumenti ſedem: Argumentum autem, rationem, quae rei dubiae faciat fidem.

EXPLANATIO

BOETIVS. POST diuiſionem Logicae diſciplinae, quam diligentem diſſerendi rationem eſſe definiuit, de Topice, quae inueniendi ars eſſe praedicta eſt, expedire contendit. Ac primum, quid ſint loci, termino definitionis includit, eiuſq. artis, quae Topicae dicitur, ſub exempli quadam claritate intentionem deſignat. Eſt enim Topices intentio, argumentorum facilis inuentio. Non igitur inuenire docet Topice, quod eſt naturalis ingenij, ſed facilius inuenire. Omnis quippe ars imitatur naturam, atque ab hac materia ſuſcepta, rationes ipſa, uiamq. conformat, ut, cum facilius id, quod ars quaeq. promittit, tum elegantius fiat: uelut parietem ſtruere naturalis ingenij eſt, ſed arte fit melius. Argumentum ratio eſt, quae rei dubiae faciat fidem. Multa enim ſunt, quae faciunt fidem, ſed, quia rationes non ſunt, ne argumenta quidem eſſe poſſunt, ut uiſus facit fidem iis, quae uidentur, ſed, quia rationum non eſt uiſus, ne argumentum quidem eſſe poteſt. Differentiam uero unam ſumpſit eam, quae faciat fidem. Omne enim argumentum facit fidem. Si igitur iunxerimus genus, ac differentiam, & idem argumentum dicamus, quod rationem, quae facit fidem, num tota argumenti natura monſtrata ſit? minime. Quid, ſi eius rei, de qua nemo dubitat, aliqua ratione facere quis fidem uelit, num iccirco illa, quod fidem faciat, uocabitur argumentum? nullo modo. Argumentum namque eſt, quod rem arguit: ideſt probat: nihil uero probari, niſi dubium poteſt. Niſi ergo ſit res ambigua, & ad eam ratio fidem faciens afferatur, argumentum eſſe non poterit. Addita igitur alia differentia, quae eſt rei dubiae, facta eſt integra definitio argumenti ex genere, & duabus differentiis conſtans. Genere quidem, ratione. una uero differentia, quod faciat fidem. altera uero, quod rei dubiae: ut ſit tota definitio, id eſſe argumentum, quod ſit ratio rei dubiae faciens fidem. Quae cum ita ſint, neceſſe eſt, ut, ubi dubitatur aliquid, ibi ſit quaeſtio. Quod, ſi argumentum praeter rem dubiam eſſe non poterit, nullo modo eſſe praeter quaeſtionem poteſt. Quaeſtio uero eſt dubitabilis propoſitio. propoſitio uero eſt oratio uerum, falſum ue deſignans. omnis igitur propoſitio, ſiue conſtanter, atque pronunciatiue proferatur, ut, ſi quis dicat, Omnis homo animal eſt, ſiue ad interrogationem dirigatur, ut, ſi quis interroget, Putas ne omnis homo animal eſt? retinet proprium nomen, & propoſitio nuncupatur. At ſi eadem, uelut dubitabilis proferatur, fit quaeſtio, uelut, ſi quaerat, an omnis homo animal ſit. Quot autem modis quaeſtio diuidatur, nunc explicandi locus non uidetur accommodatus. ſed in iis libris dicemus, quos de Topicis differentiis formare molimur. Ad quaeſtionem igitur, ideſt, ad dubitabilem propoſitionem omnis intentio dirigitur argumenti. Non uero, ut totam comprobet quaeſtionem, ſed ut partem eius ratione confirmet. Neque enim tota quaeſtio defenditur, ſed una eius quaelibet pars argumentatione firmatur. Nemo enim defendit: caelum rotundum eſſe, & non eſſe. Si enim ita quis defenderet, totam quaeſtionem uideretur probare. Sed, cum ita conſideratur, Vtrum caelum rotundum ſit, an non ſit, in una tantum conſiſtit quaeſtionis parte defenſio, ſiue quae affirmat, ſiue quae negat. Omnis enim quaeſtio contradictionibus conſtat. nam, ſi qua res altero affirmetur, negetur ab altero, totum hoc contradictio nuncupatur: ut, ſi quis dicat, caelum rotundum eſt, alter neget dicens, caelum rotundum non eſt: Caelum rotundum eſſe, & non eſſe, contradictio perhibetur. Dubitabilis uero propoſitio, quam quaeſtionem eſſe praediximus, & affirmationem in ſe continet, & negationem. hoc ipſo enim, quia dubitabilis eſt, contradictionem uidetur includere. Cum enim dubitat quis, utrum caelum rotundum ſit, ſiue adiungat, an non ſit, ſiue reticeat, ipſa dubitatio partem ſecum alteram trahit. Si enim unam partem propoſitio tueatur, dubitabilis non eſt, atque iccirco nec quaeſtio. Cum igitur omnis quaeſtio duas habeat partes, affirmationis unam, alteram negationis, neceſſe eſt, ut ſit ſemper ex alterutra parte defenſio, ut unus quidem affirmationis partem, negationis alter defendat. Et hic quidem ad adſtruendam affirmationem, ille uero ad deſtruendam, quae potuerit, argumenta perquirat. Nihil uero intereſt, utrum quis affirmationem ponat, an deſtruat negationem, aut negationem defendat, an oppugnet affirmationem. Age enim ſit quaeſtio, utrum caelum rotundum ſit. Si quis eam ſibi quaeſtionis partem aſſumpſerit, quae eſſe defendit ad eam cōnſtituendā, cuncta neceſſe eſt ſibi comparet argumenta, atque in hanc affirmationem quidem ponit, ſed deſtruit negationem. ſi quis uero id neget, ac dicat non eſſe caelum rotundum, ſumpſit ſibi partem alteram quaeſtionis, quae fuerat reliqua, id eſt, negationem in ea, quae conſiſtit, & ad hanc approbandam perquiſitis utitur argumentis. Itaque negationem ponit, & labefactat affirmationem. quae cum ita ſint, demonſtratum arbitror non totam quaeſtionem, ſed eius aliquā partem ad defenſionem uenire. Sed, quod quiſque defendet, ad id quoque argumenta perquirit. Ad partem igitur quaeſtionis adſtruendam, deſtruendam ue argumenta ſumuntur. atque haec quidem, ſi quis minus intelligit, non ea nobis obſcure dicta eſſe cauſſetur. Si enim, quae in dialectica, uel a nobis dicta Latina oratione, uel a Graecis ſcripta ſunt, ignorabit, mirum eſt, ſi, quam partem eorum, quae dicimus, aduertere ualeat, nedum ſtupeamus, quod non omnia comprehendat. Sed, quoniam dubitabilem propoſitionem quaeſtionem eſſe praediximus, euenit, ut, quas partes habeat propoſitio, eaſdem etiam quaeſtio retinere uideatur. Omnis au-

tem

tem ſimplex propoſitio duas habet partes in terminis conſtitutas. Simplex uero propoſitio eſt huiuſmodi: Omnis homo animal eſt, Terminos uero uoco, ſimplices orationis partes, quae continent propoſitionem, ut animal & homo. Hi uero ſunt praedicatus, atque ſubiectus, praedicatus eſt in propoſitione maior terminus collocatus, ſubiectus uero minor. Maior uero terminus de ſubiecto dicitur, minor autem de maiore nullo modo praedicatur. ut animal, quoniam maius eſt, quam homo, de homine praedicatur: dicitur enim omnis homo animal eſt, homo uero de animali non dicitur. Nemo enim uere dicit omne animal homo eſt. Hac igitur ratione internoſcere poſſumus, qui terminus in propoſitione maior, qui uero ſit minor. Omnis autem quaeſtio, ut dictum eſt, quoniam dubitabiles partes habet, & ad eaſdem comprobandas argumenta ſumuntur, neceſſe eſt ut quidquid in quaeſtionibus comprobetur id argumentorum ratione firmetur. Argumētum uero, niſi ſit oratione prolatum, & propoſitionum contextione diſpoſitum, fidem facere dubitationi non poterit: ergo illa per propoſitiones prolatio, ac diſpoſitio argumentatio nuncupatur, quae dicitur enthymema, uel ſyllogiſmus: cuius definitionem in Topicis differentiis apertius explanabimus. Omnis uero ſyllogiſmus, uel enthymema propoſitionibus conſtat: omne igitur argumentū ſyllogiſmo, uel enthymemate profertur. enthymema uero eſt imperfectus ſyllogiſmus, cuius aliquae partes, uel propter breuitatem, uel propter notitiā praetermiſſae ſunt. itaque haec quoque argumentatio a ſyllogiſmi genere non recedit. Quoniam igitur ſyllogiſmus omnis propoſitionibus conſtat, propoſitiones uero terminis, terminiq. inter ſe differunt eo, quod unus maior eſt, alter minor fieri non poteſt; ut ex propoſitionibus concluſio naſcatur, niſi per terminos progreſſae propoſitiones, extremos terminos alicuius tertij mediate coniunxerint, id facillimo demōſtratur exemplo. Sit enim quaeſtio, utrum homo ſubſtantia ſit an minime. Sumo mihi quaeſtionis partem alteram comprobandi. ea eſt hominem eſſe ſubſtantiam: in hac igitur duo ſunt termini, ſubſtantia, atque homo, quorum maior ſubſtantia, homo uero minor, quod ex eo quoque poterit oſtendi. quoniam poſterius ſubſtantia in prolatione profertur. ut in hoc ipſo, quod dicimus homo, ſubſtantia eſt, prius hominem poſterius ſubſtantiam nominamus. ut igitur ſubſtantiam, atque hominem iungamus, neceſſe eſt medium terminum reperiri. qui utroſque copulet terminos, hic ſit animal. fiatq. una propoſitio, omnis homo animal eſt: in hac igitur propoſitione animal praedicatur, homo ſubiicitur. Rurſus adiungo: omne autem animal ſubſtantia eſt, in hac rurſus animal ſupponitur, ſubſtantia praedicatur. Itaque concludo. omnis homo ſubſtantia eſt. ac per hoc homo quidem ſemper ſubiectus eſt. Animal uero ad hominem quidem praedicatum eſt, ad ſubſtantiam uero ſubiectum. Subſtantia uero ipſa ſemper praedicata permanſit: unde fit, ut minor quidem ſit homo, maior uero homine ſubſtantia. medius autem terminus animal. Quoniam igitur extremi termini medij interpoſitione copulantur, eoq. modo quaeſtionis inter ſe membra conueniunt, adhibitaq. probatione ſoluitur dubitatio. Nihil eſt aliud argumentum, quam medietatis inuentio. Hic enim uel coniungere, ſi affirmatio defendatur. uel diſiungere, ſi negatio uindicetur, potuerit extremo: Quae, cum ita ſint, duarum propoſitionum, & tertiae concluſionis, maior quidem propoſitio dicitur ea, quae maiorem terminum cōtinet, ideſt, in qua maior quidem praedicatur, medium uero ſupponitur, ut omne animal ſubſtantia eſt. Minor uero propoſitio, quae medium quidem terminum praedicat, ſubiicit autem minorem. ut omnis homo animal eſt. Sed quoniam a maioribus neceſſe eſt ad minora deſcēdere, eius cōcluſionis, quae ex duabus propoſitionibua naſcitur, illa quaſi propria effectrix propoſitio uidetur eſſe, quae prima eſt. haec autem eſt. omnis homo ſubſtantia eſt. quod qui priores, poſterioreſq. noſtros analyticos, quos ab Ariſtotele tranſtulimus, legit, minime dubitauerit. Sed ſi quis, quae illic ſcripta ſunt, neſciens ad haec legenda proruperit, etiam ſi rationes rerum, quas non intelligit, minime comprehendit, ita tamen, ut dictū eſt, eſſe confidat, ſeq. id in Ariſtotelis analyticis uberius inuenturum eſſe, ſi legerit, arbitretur. Natura igitur rerum fert, ut ubi quid maius, ac minus eſt, etiam ibi maximum quoque aliquid ineſſe neceſſe ſit. Quo fit, ut ſint quaedam maximae propoſitiones, quoniam minores, maioreſq. eſſe monſtrauimus, quarum natura ex ſimplicium propoſitionum partitione ſumenda eſt. Omnis enim ſimplex propoſitio uel affirmatiua eſt, uel negatiua, earumq. aliae ſunt uniuerſales. ut omnis homo iuſtus eſt, nullus homo iuſtus eſt: Aliae particulares, ut quidam homo iuſtus eſt, quidam homo iuſtus nō eſt: Aliae indefinitae, ut homo iuſtus eſt, homo iuſtus non eſt: Aliae ſingulare aliquid, atque indiuiduum cōtinentes, ut Cato iuſtus eſt, Cato iuſtus non eſt. Harumq. omniū aliae ſunt dubitabiles, aliae indubitatae. ſupremas igitur, ac maximas propoſitiones uocamus, quae & uniuerſales ſunt, & ita notae, atque manifeſtae, ut probatione nō egeant. eaq. potius, quae in dubitatione ſunt probent. Namq. indubitata ambiguorum demonſtrationis ſolent eſſe principia: qualis eſt, omnē numerum, uel parem eſſe, uel imparē. & aequalia relinqui, ſi ex aequalibus aequalia detrahātur, ceteraeq. de quarum nota ueritate non quaeritur. Maximas igitur, ideſt, uniuerſales, ac notiſsimas propoſitiones ex quibus ſyllogiſmorū concluſio deſcendit in Topicis ab Ariſtotele cōſcriptis, locos appellatos eſſe perſpeximus. quod enim maximae ſunt, ideſt uniuerſales propoſitiones, reliquas in ſe, uelut loci corpora cōplectuntur. quod uero notiſsimae, atque manifeſtae ſunt, fidem quaeſtionibus praeſtant, eoq. modo ambiguarū rerum continent probationes. Has autē aliquoties quidē in ipſis ſyllogiſmis, atque argumentationibus inhaerere conſpicimus, alias uero in ipſis argumentationibus minime continentur, uim tamen argumentationibus ſubminiſtrant ut, ſi uelimus oſtendere regnum melius eſſe, quā conſulatum, dicemus. Regnum, cū ſit bonum, diuturnius eſt, quā conſulatus. Omne uero, quod eſt diuturnius bonū, melius eſt eo, quod parui eſt temporis, regnum igitur melius eſt conſulatu. Hic igitur maxima propoſitio, atque uniuerſalis, & per ſe cognita, neque indigens probatione argumentationi inſerta eſt. Ea uero eſt, omnia, quae diuturniora ſunt bona, meliora eſſe his, quae ſunt tēporis breuitate conſtricta. at ſi melius oſtendere uelimus non eſſe inuidū, qui ſapiens eſt, dicimus: Inuidus eſt, qui meret aliena felicitate, non autē ſapiens eſt, quē felicitas aliena contriſtat. Nō eſt igitur inuidus ſapiens. hic maxima propoſitio argumentationi nō uidetur incluſa, ſed extrinſecus poſita, ſyllogiſmo

tamen uires miniſtrat. Haec uero eſt, quorũ diuerſae ſunt definitiones, diuerſas eſſe ſubſtantias: quiſquis igitur
uel Ariſtotelis Graeca, uel noſtra ab Ariſtotele tranſlata Topica perſpexerit, has illic propoſitiones, locos inue
niet nuncupari: quae ſunt maximae, atque uniuerſales, & uel per ſe neceſſariae, uel per ſe probabiles, ac notae.
Sed, quoniam has propoſitiones plures, ac paene innumerabiles eſſe neceſſe eſt. reſtat adhuc, quo amplius ra-
tio ſpeculationis aſcendat. Poſſumus enim, diligenti tractatu conſiderationis adhibito, omnium maximarum,
atque uniuerſalium propoſitionum differentias perpendere, atque innumerabilem maximarum propoſitionũ,
ac per ſe notarum multitudinem, in paucas, atque uniuerſales colligere differentias, ut & alias dicamus in defi-
nitione conſiſtere, alias in genere, atque alias alio modo, quod paullo poſt apertius demonſtrabo. Omnes igi-
tur propoſitiones quaecumque ſub definitionis, uel generis ratione cadunt, uno definitionis nomine contine-
buntur. Et, ſicut illae reliquarum propoſitiouum loci eſſe dicebantur, quod eas intra ſuum ambitum contine-
rent, ita ipſarum maximarum, atque uniuerſalium propoſitionum, quas minorum propoſitionum locos eſſe
praediximus, illae differẽtiae, & ſi nõ uere, tamen quadã uelut imagine loci eſſe uidebuntur, in quas fuerit con
uenienti ratione reductae. Sed iſtae locorum, ideſt propoſitionũ maximarum differentiae, quas etiam ipſos lo-
cos nominamus, poſſunt ſubiectarum propoſitionum etiam genera nuncupari. Nam differentiae continentes
etiam genera, communiter poſſunt uideri: ut irrationale cum a rationali, uelut diuiſibili differentia diſsideat, ta
men equi uel canis, & differentia ſpecifica eſt, & ad eos locum generis tenet. namque animal irrationale equi
genus eſt. Ita etiam in maximis propoſitionibus. Nam, quod aliae ſunt ex toto, aliae ex partibus hic inter ſe cõ
parata, differentiae diuiſibiles ſunt. ad ipſas uero maximas propoſitiones differentiarum continentiae, uelut ge
neris loco ſunt. Nam propoſitionis ex toto uenientis genus eſt id ipſum, quod uocatur ex toto. Item propoſi
tionis a partibus ductae, quamuis notae atque manifeſtae genus eſt, quod a partibus, & ceterae differẽtiae ea-
rum propoſitionum, quae cum ſint maximae, tamen eiſdem uidentur includi, uelut quaedã genera ſint. Quae
uero ſint hae differentiae, paullo poſterius diſſeram. De his igitur nunc locis tractare Tullius inſtituit, qui
maximas propoſitiones, quas ſuperus diximus, ideſt per ſe notas, atque uniuerſales continent. Hae uero ſunt
maximarum differentiae propoſitionum. De uniuerſalium igitur enunciationum, per ſeq. notarum differen
tiis diſſerit, ut ſit integre locus argumenti ſedes. Nam, ſi argumentum omne per propoſitiones ad concluſio-
nem uſque perducitur, omnes uero reliquae propoſitiones in prima, maximaq; propoſitione cõtinẽtur, ipſaq;
prima, ac maxima propoſitio, tum eſt pars argumentationis, id eſt, ſyllogiſmi, tum extra poſita argumentationi
uires miniſtrat. ut utroq; modo, quoniam perficit argumentum, pars argumentationis quaedam eſſe uidea-
tur: non eſt dubium, quin hae differentiae, quae propoſitiones maximas continent, eaedem omnes etiam
contineant argumentationes: ut maximarum propoſitionum differentiae iure loci argumentorum, & quaſi
quaedam ultimae ſedes eſſe uideantur. Nam ex his quattuor ſignificationibus appellationum duarum argu-
mentationis ſcilicet, atque argumenti unamquamlibet eſſe neceſſe eſt. Aut enim elocutio, & contextio ipſa
propoſitionum cum maximis propoſitionibus, uel extra ſyllogiſmum poſitis, uel in eodem incluſis, argumen-
tatio uocatur. Argumentum uero mens, & ſententia ſyllogiſmi, aut elocutio ratiocinationis, cum maximis
propoſitionibus, & ſententia ſyllogiſmi argumentum eſſe dicetur, ut idem ſit argumentum, quod argumenta-
tio. Aut argumentatio quidem uocabitur tota contextio ſyllogiſmi cum ſententia, ſed argumentum maxima
propoſitio, aut integer ratiocinationis ordo praeter maximas propoſitiones argumentatio dicetur, ſententia
uero argumentationis argumentum. Reliqua uero maxima propoſitio, locus. Sed, cum haec ita ſint, ſiue quis
ipſarum propoſitionum contextionem, & uſque ad concluſionem continuum ductum, cum maxima propoſi-
tione, uel extra poſita, uel propoſitioni ratiocinationis incluſa, argumentationem uocare uelit, argumentum
uero ſententiam, mentemq. ratiocinationis, nihilominus locos intelligimus maximarum propoſitionum dif-
ferentias, ſiue quis ratiocinationis totius uim, atque ſententiam totam cum maxima propoſitione, uel intra,
uel extra poſita argumentationem ſimul & argumentum uocet, non eſt dubium, quin totius ratiocinationis lo
cus ille ſit, qui eſt maximae propoſitionis differentia, continet enim maximam propoſitionem, in qua propoſi
tiones ceterae continentur. Siue argumentationem quidem totam ratiocinationis contextionem uocari pla-
ceat, argumentum uero maximam propoſitionem. Rurſus recte locus putabitur maximae propoſitionis dif-
ferentia, quae argumentum claudit, & continet. Quod ſi argumentum quidem ſenſus ipſe totius ratiocinatio-
nis intelligatur, argumentatio uero integra ratiocinationis prolatio, extra uero, & ab utriſque diuerſum ualens,
uelut locus quidam conſideretur maxima propoſitio, ſic quoque maximarum differentiae propoſitionum, lo-
ci eſſe uidebuntur. nam cum differentia ipſa maximam propoſitionem contineat, eiuſq. ſit locus, maxima uero
propoſitio argumentationi, uel argumento uires miniſtret, non eſt dubium, quin ea toti argumento locus eſſe
uideatur, quod totum intra maximae propoſitionis ambitum claudit. Demonſtratum igitur eſt, quae ſint ar-
gumentorum ſedes, ideſt, ubi argumenta clauduntur. hae ſunt autem maximarum propoſitionum differẽtiae,
quae uocantur loci. quin etiam argumentum, quoniam eſt rei dubiae faciens fidem: quae ſit uero res dubia, id
eſt pars altera quaeſtionis, quid ſit quaeſtio, id eſt, dubitabilis propoſitio, quid ſit ſimplex propoſitio, id eſt, enũ
ciatio: quae praedicato ac ſubiecto termino contineatur, uerum, falſum ue deſignans. quae omnia meminiſſe
oportet. Maximarũ enim propoſitionũ differentiae, quas locos eſſe praediximus, ab his ducũtur terminis, qui
prius in propoſitione ſunt, poſterius in quaeſtione conſiderantur, praedicato. ſ. atque ſubiecto. Ex his etiam,
quae ſuperius dicta ſunt, quid diſtent Topica Ciceronis, atque Ariſtotelis, apparuit. Ariſtoteles nãque de ma-
ximis propoſitionibus diſſerit, has enim locos argumẽtorũ eſſe poſuit, ut nos quoque ſupra retulimus. Tullius
uero locos non maximas propoſitiones, ſed earũ continentes differentias uocat, ac de his docere contendit.

GVEVARA. Locos n. ſſe debemus.] Non ut inueniamus, id enim nobis natura eſt inſitum, ſed ut
facilius inueniamus, eaque, quae probare poſsint, quod defendimus. SIC *enim appellatae ab Ariſtotele ſunt*
hae

hae quaſi ſedes, unde argumenta promuntur.] Maximas, ideſt uniuerſales, ac notiſsimas propoſitiones, ex quibus ſyllogiſmorum concluſio deſcendit, in Topicis ab Ariſtotele locos appellatas eſſe Boetius ſcribit. Nimirum, quia quod maximae ſunt, ideſt uniuerſales propoſitiones, reliquas in ſe, uelut loci corpora complectuntur: quod uero notiſsimae, atque manifeſtae ſint, fidem quaeſtionibus praeſtent, eoq. modo ambiguarum rerum contineant probationes: quod pluribus uerbis explicat idem Boetius. Itaqve *licet definire, locum eſſe argumenti ſedem:*] ſic & Quinctilianus lib. v. cap. 10. Locos appello, non ut uulgo nunc intelliguntur, in luxuriam, & adulterium, & ſimilia, ſed ſedes argumentorum, in quibus latent, & ex quibus ſunt petenda. Idemq. Alexander Aphrodiſeus, & Rodolphus Agricola ſcripſerunt. Diſtant autem Topica Ciceronis, atque Ariſtotelis, ut recte Boetius docet, quod Ariſtoteles diſſerit de maximis propoſitionibus, quas pro locis argumentorum poſuit: Cicero non ipſas maximas propoſitiones, ſed earum continentes differentias, locos uocat, ac de his docet. Poſſunt namque maximae illae, multae quantumuis, & paene innumerabiles, in paucas colligi differentias: ut aliae in genere, aliae in definitione, aliae in alio modo conſiſtant. Omnes praeterea, quae, uerbi gratia, ſub definitionis rationem cadunt, uno definitionis nomine comprehendi: Recte igitur glo. in extrauag. Prouide. de ſententia excomm. in communib. Cum loci quinque tradit ſignificationes, ait. Tertio modo pro efficacia argumenti: ut eſt locus maxima, uel differentia maximae: ſecundum quod dicitur ab artiſtis, locus eſt ſedes argumenti, uel illud, a quo extrahitur argumentum. Argvmentvm *autem rationem, quae rei dubiae faciat fidem.*] Ideſt probabilem excogitationem oſtendẽtem id, de quo quaeritur, uerum eſſe, uel falſum. Cicero in Partitionibus, argumentum dicit eſſe probabile inuentum ad faciendam fidem. Et libro primo de Inuentione, Inuentum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſarie demonſtrans. Quinctilianus lib. v. cap. 10. Argumentum eſt ratio probationem praeſtans, qua colligitur aliquid per aliud, & quae, quod eſt dubium, per id, quod dubium non eſt, confirmat: & Agricola libro II. cap. 13. Fides, inquit, quae fit oratione, eſt, quae conficitur argumentando, cum rem dubiam probabili colligimus argumento. Ceterum, ut Boetius ſcribit, integram argumenti definitionem Cicero poſuit hoc loco ex genere, & duabus differentiis: genere quidem, ratione: una uero differentia, quod faciat fidẽ: altera, quod rei dubiae. Tota definitio, argumentum eſt ratio, quae rei dubiae faciat fidem. Alias Quinctilianus notat, omnem ad ſcribendum deſtinatam materiam argumentum appellari: quin & uulgo paullo numeroſius opus, dici argumentoſum. Quid autem inter argumentum, & argumentationem diſtet, Boetius, & Foxius tradiderunt.

C I C E R O

Sed ex his locis, in quibus argumenta incluſa ſunt, alij in eo ipſo, de quo agitur, haerent: alij aſſumuntur extrinſecus. In ipſo, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex iis rebus, quae quodam modo affectae ſunt ad id, de quo quaeritur. Extrinſecus autem ea dicuutur, quae abſunt, longeq. diſiuncta ſunt.

E X P L A N A T I O

BOETIVS. Post definitionem loci, atque argumenti facit pleniſsimam diuiſionem locorum. ac primum, quoniam omnis diuiſio cuncta debet amplecti, nec ſuperfluum quidquam interponere, nec omittere, quid ſit neceſſarium: id M. Tullius propoſita diuiſione perfecit, dicens. Ex his locis, in quibus argumenta incluſa ſunt, alios in eo ipſo, de quo agitur, haerere, alios extrinſecus aſſumi, nihil enim huic diuiſioni poſſe uidetur addi, uel minui, quoniam quidem breuiter cuncta complectitur. Argumentorum enim loci quicũque ſumuntur, aut in ipſo, de quo agitur haerent, aut minime. Id autem minime extrinſecus poſitos eſſe deſignat. quod ſi inter id, quod dicimus, in ipſo, de quo agitur, haerere argumentorum locos, & nõ haerere in ipſo nihil eſt medium. Inter affirmationem enim, atque negationem nulla eſt medietas. Cumq. ipſo, de quo agitur, nõ haerere locum argumenti, id ſit extrinſecus aſſumi, dubium non eſt, quin nihil interſit medium inter ea argumenta, quorum in ipſo haerent loci, de quo agitur, & ea, quorum extrinſecus aſſumuntur. ſed, quid ipſum ſit, de quo agitur, facilior explanatio eſt, ſi eorum, quae prius dicta ſunt, meminerimus. Nam, cum de quaeſtione loqueremur, eandem diximus eſſe quaeſtionem, quae eſſet dubitabilis propoſitio. Sed, quoniam propoſitio ſubiecto, praedicatoq. conſtaret, quaeſtionem quoque diximus ſubiecto, praedicatoq. coniungi. Praedicatum igitur, uel ſubiectum hic, eſt ipſum, de quo agitur. Nam, cum de alterutra quaeſtionis parte dubitetur, in hac ambiguitate quaeritur, utrum praedicatus terminus ineſſe ſubiecto uideatur, an minime. Nam, cum omnis quaeſtio in affirmationem, negationemq. diuidatur, ſi praedicatus ſubiecto ineſt, fit ex eo uera affirmatio; ſi non ineſt, fit uera negatio. Sed in quaeſtionibus diſceptandis alter affirmationem, alter negationem tuetur. ideſt, alter praedicatum ineſſe ſubiecto, alter non ineſſe defendit. Quod uero ex alterutra parte defendit, hoc eſt ipſum, de quo agitur. Ipſum igitur eſt praedicatus terminus, uel ſubiectus, de quibus agitur. atque ut id exemplo clarius fiat, ſit quaeſtio, an Verres furtum fecerit. hic Verres ſubiectum eſt, furtum facere praedicatum. quod ſi furtum Verri coniungitur, idq. argumentationibus comprobatur, quaeſtionis affirmatio demonſtrata eſt. Si furtum a Verre ſeiũgitur, quaeſtionis rurſus negotio cõprobatur. Ipſum itaque, de quo agitur, nihil eſt, niſi uterlibet eorum terminus, qui in quaeſtione proponitur, ſiue praedicatus, ſiue etiã ſubiectus. Qui quidẽ termini per ſe argumenta eſſe nõ poſſunt, neque uero per ſe argumẽta praeſtare. ſi enim ipſi, ut ſunt argumenta, eſſe poſſent, uel argumẽtorum praeſtare materiã, nullã in quaeſtione linqueret dubitationẽ: ſed, quoniã de ipſis adhuc in quaeſtione dubitatur, an eorum poſsit eſſe rata cõiunctio, ipſi quidẽ neque

per ſe argumenta eſſe,nec per ſe argumẽta praeſtare poterunt,ea uero,quae in ipſis inſunt. uel extrinſecus poſita ſunt argumentorũ copiam ſubminiſtrant. Nam,quod Victorinus quaerat,& latius explicat,ne cõmemoratione quidẽ mihi dignũ uidetur,Quaerit enim quaeſtio ipſa,de quo agitur,an habeat locũ,quod minime oportuit ut dictum eſt locus,de quo nunc agimus,non cuiuſlibet rei locus eſt,ſed argumẽti,argumnetũ uero ratio rei dubiae faciens fidem,res uero dubia pars quaeſtionis. quod ſi argumentum quaeſtio, uel pars quaeſtionis eſſe non poteſt, locus uero, de quo agimus,argumenti eſt locus,non eſt dubium, quin locus quaeſtionis eſſe non poſsit amplius. Omnis quaeſtio dubitabilis eſt,argumentum uero omne quaeſtionis purgat ambiguũ. Non eſt igitur idem argumentum,quod quaeſtio, ſed ipſi argumentorum ſunt loci, non ſunt igitur quaeſtionis. Hoc igitur praemiſſo,intelligamus ipſum, de quo agitur quemlibet terminum in quaeſtione propoſitum, ſiue praedicatum,ſiue ſubiectum,qui cum per ſe res ſint,ipſi quidem argumentum eſſe non poſſunt,habere autem in ſe quaedam poſſunt,in quibus argumenta ſint collocata, & quae ſedes argumentorum eſſe intelligantur. Quae quidem cum terminis his,de quibus agitur,inhaerere uideantur, nondum tamen ſunt argumenta. ſed quaſi iam argumenta complectentes loci,& uelut naturali ſede condentes. Idem de his locis,qui extrinſecus aſſumuntur,dicendum eſt. ipſi namque poſiti ſunt exterius & quodammodo a propoſitionis terminis ablegati,& res quaedam ſunt,ſed intra ſe argumentorum copiam claudunt, atque ut breui ſententiam colligam, ipſum, de quo agitur, nihil eſt aliud, niſi quilibet in quaeſtione terminus collocatus. Hi argumenta eſſe non poſſunt,neque ab his trahi aliquod argumentum. Quo fit,ut termini ipſi,qui in quaeſtione ſunt poſiti, nec argumenta,nec loci ſint,ſed tantum res. Rurſus ea,quae in his haerent, de quibus agitur, ipſa quidem res eſſe manifeſtum eſt, ſed claudunt in ſe argumentorum copiam, ut,cum ex his ſumi aliquod oporteat argumentũ, locorum uice fungantur. Itaque,ſi quis per ſe ea ſpeculetur,res ſunt. ſi quis ab his aliquod argumentũ quaerat adducere,loci fiunt. Et communiter quidem de principalibus,ac maximis locis haec dicta ſint. Hi uero ſunt,qui in ipſis,de quibus agitur,haerent, uel qui aſſumuntur extrinſecus. Vt igitur faciat plenam locorum diuiſionem,quos ſimpliciter,ac maximos poſuit locos,eoſdem uelut in quaſdam ſpecies reſecat dicens. In ipſo tum ex toto,tum ex partibus eius, tum ex nota tum ex his rebus, quae quodammodo affectae ſunt, ad id, de quo quaerimus. Locorum,qui in ipſo ſunt,de quo agitur,conſtituti, quattuor partium facta diuiſio eſt. Hi quippe,qui in ipſo,de quo agitur,haerent,uel ex toto eo,de quo agitur termino,uel ex partium eius enumeratione,uel ex nota,uel ex affectis intelliguntur exſiſtere. Id ita eſſe breui ratione firmabitur. neceſſe eſt enim, quemlibet eorum terminorum, qui in quaeſtione ſunt collocati,& definitiones habere proprias, & partes, & nomina,& ad res alias quadam relatione coniungi, ac referri. Ergo ex toto locus qui dicitur, is eſt, quoties argumentum ex alicuius definitione termini,qui eſt in quaeſtione tractatur,ſiue ſubiecti ſiue praedicati. Ex partium uero enumeratione quoties ab eius termini partibus,qui in quaeſtione poſitus eſt,ducitur argumentum. A nota uero quoties ab eiuſdem termini uocabulo naſcitur argumentum. Ab effectis uero quoties ab his,quae ad propoſitum terminum relatione aliqua reducuntur, argumentatio proficiſcitur. Quorum ſimilitudines omnium poſterius explicabo,quando ea,quae ſuper his rebus declarandis,Cicero poſuit exempla tractauero. Nunc illud eſt conſiderandum. Ait enim Tullius,ex his locis,in quibus argumenta incluſa ſunt, alios in eo ipſo,de quo agitur,haerere,alios extrinſecus aſſumi. Quod ita dictum uidetur, tamquam ſi diuerſi ſint loci,qui in his,de quibus agitur,haerent,& ipſum illud,de quo agitur. Nihil enim in ſeipſo haerere poteſt, ac per hoc, quod in aliquo haeret,ab eo,in quo haeret,diuerſũ eſt. quod ſi loci ſunt aliqui,qui in his haereãt, de quibus agitur,non eſt dubium, quin hi loci ab his,de quibus agitur,ſint diuerſi. Rurſus, cum dicit in ipſo, tum ex toto,tum ex partibus eius,tamquam non de diuerſis loquatur. Ita ait in ipſo locos eſſe, tum ex toto, tum ex partibus,tum ex nota. Quaſi uero aliud ſit ipſum,quam totum,aut aliud ipſum,quam omnes undique eius partes. Vnaqueque enim res idem eſt,quod totum. Idem namque eſt Roma,quod tota ciuitas. Rurſus idem eſt unaquaeque res, quod eius ſingulae partes in unum reductae,uelut idem eſt homo, quod caput, thorax,uenter, ac pedes, ceteraeq. in unum partes coniunctae, atque copulatae. Quomodo igitur tamquam de diuerſis primum locutus eſt,cum locus haerere in iitis terminis, de quibus agitur,dixit. Poſt autem uelut de eiſdem loquitur,cum in ipſo locos,tum ex toto,tum ex partibus eſſe proponat. Nihil enim differt dicere in ipſo,tum ex toto,tum ex partibus,quam ſi ita dixiſſet in ipſo,tum ex ipſo. Nam ſi idem eſt ipſum,quod totũ, ac partes,idem eſt dicere in ipſo haerere locum ex toto,aut ex partibus, quod in ipſo haerere locum, qui eſt ex ipſo,quod ne intelligi quidem poteſt,quemadmodum in ipſo haerere poſsit,quod ipſum eſt,cum nihil ſibi haereat,ut ſuperius expediui. Sed,quemadmodum paullo ante expoſui,unaquaeque res cum & definitionem habeat & partes, ſi pernoſcamus, quae ſit definitionis uis, & quae partium,cunctus ambiguitatis nodus abſoluitur. Eſt enim definitio coactae in ſe,atque complicatae rei explicatio. uelut,cũ dicimus hominem eſſe animal rationale mortale. Nã id,quod nomen breuiter,atque anguſte deſignabat,id explicauit,ac protulit,& per ſubſtantiales quodam modo partes definitio patefecit. Alium igitur neceſſe eſt eſſe intellectum rei,quae complicata eſt,in eo,quod ſibimet coacta,atque in unum redacta eſt: alium eiuſdem rei explicatae,atque diſſertae,in eo,quod expedita,atque diffuſa eſt. nam,etſi idem definitio,quod nomen ſignificat,illud tamen ipſum, quod nomen anguſte,confuſeq. deſignat,apertius definitio diſſerit,ac patefacit. Recte igitur aliud quiddã eſt ipſum, aliud eius definitio,etiam ſi unum idemq. eſt utriuſque ſubiectum. Vt enim dictum eſt,ipſum ſingulũ eſt definitio ipſius ſinguli per partes diſtributio, atque enumeratio. Partes autem nunc ſubſtantiales dico, non quae magnitudinem iungant,ſed quae proprietatem,rationemq. ſubſtantiae. Sed,quod in definitione dictum eſt, ſecundum eas partes,quae ſubſtantiam iungunt, in id partibus intelligendum eſt, qui magnitudinẽ copulant, uelut domus,quae fundamento,parietibus,tectoq. coniũgitur. Nam,cum ea nihil ſit aliud,niſi quod partibus

cõpulatur,

copulatur,ipſa tamen una quaedam eſt,atque coniuncta. Partitio uero eius per quadã mẽbra diſtributio eſt, atque ideo,licet unum ſit,quod ipſum eſt, & quod ſunt partes undique confluentes, non tamen eundẽ neceſſe eſt habere intellectum,cũ ipſum integrum conſideratur,& cum in partes ipſas,quibus iunctũ eſt,diſtribuitur. Ex nota uero locus apertiſsime ab eo termino diuerſus eſt,qui in quaeſtione eſt conſtitutus. Quis enim dicat, id eſſe cuiuſlibet rei uocabulum,quod res ipſa eſt,quam deſignat? Ea uero, quae ad id, de quo agitur,affecta ſunt,& ſi extra poſita uidentur,terminum tamen in quaeſtione propoſitum uelut e regione reſpiciunt,quae in multas ſecari neceſſe eſt partes. Omnis enim res,id,quod eſt,unum eſt,multa uero ſibimet retinet adiuncta, quae hoc ab his, quae omnino extrinſecus ſunt, differre intelliguntur, quod ea, quae affecta ſunt, in relatione ſunt poſita,ut poſt & ipſarum propoſitio,& exemplorum ratio monſtrabit. Ea uero,quae ſunt extrinſecus,in nulla relatione ſunt cõſtituta,atque ideo haec extrinſecus ſolum. Illa uero affecta ſunt nuncupata,habet enim aliquam quodammodo cognationem ad id,ad quod reducitur,id, quod refertur ad aliquid. Sed omnes fere hos locos,quos nunc ſimplices,atque indiuiſos ponit, poſteriore tractatu diuidit,ut nunc quoque eos locos, qui in ipſo ſunt,diſtribuit,cum alios ex toto fieri proponit,alios ex partibus,alios ex nota,alios ex affectis. affectaq. ipſa ſuis partibus ſecat, extrinſecus uero locum in teſtimonio poſitum eſſe confirmat, teſtimonij uero uim in auctoritate conſtituit. auctoritatem uero deducit in proprias partes. ſed haec in poſteriore tractatu. Nunc uero eos ſimplices,atque indiuiſos locos proponit,& ueluti ſimplicibus ſubdit exempla. Reſtat autem nunc unum,quod uidetur eſſe quaerendum,an hi loci,qui in locos alios diuiduntur,eorum,quos intra ſe continent,locorum loci eſſe poſsint. ut eorum,qui ſunt ex toto,ex partibus, ex nota, ex affectis. his unus quidam quaſi locus ſit,qui eſt in ipſo,nihil quidem prorſus effecerunt,locorum locos putare fieri non poteſt. ut locus amplior ita ſemet anguſtiores contineat locos, uelut in prouincia ciuitates. ſed nunc ſimilitudo non conuenit. Locus enim eſt,ex quo ducitur,ideſt,in quo argumẽtũ eſt poſitum: quod ſi loci locus eſſe poſſet,& is,qui eſt in ipſo,de quo agitur,eos,qui ſunt ex toto,uel ex partibus, uel ex nota, uel affectis, uelut quidam locus includeret,non eſſent ex toto,ex partibus, ex nota, ex affectis loci. ſed argumenta: quoniam in eo haererent loco, qui in ipſo, de quo agitur,termino eſſe praedictus eſt: non igitur locus eſſe poterit loci, ſed uelut genera quidem in ſpecies,ita nunc ſit diuiſio locorum,nec hoc ſuperius dictis uideatur eſſe contrarium,cum & maximas propoſitiones, & earum differentias continentes communi nomine appellauimus locos. nam maximae propoſitiones,licet eo ipſo,quod maximae ſint, includant ceteras,& uocentur loci, tamen,quia ſunt notiſsimae,poſſent rebus dubiis eſſe argumenta. Iure igitur earum differentiae loci nominantur, quod in locorum ſpeciebus aliter ſeſe habent,quae prorſus argumenta eſſe non poſſunt. nam in ipſo locus,uelut in ſpecies quaſdam diuidit in eos,qui ſunt ex toto, ex partibus,ex nota,ex affectis. unuſquique enim horum locorum primi loci integrum uidetur ferre uocabulum. nam,ut hominem animal dicimus, itemq. equum,atque bouem,animalia nuncupamus,ſic is locus,qui ex toto eſt,in ipſo eſſe dicitur,itemq. qui ex partibus ac nota,atque ex affectis in ipſo ſunt. ſed ex his argumenta quidem duci poſsibile eſt,ipſa uero argumenta ut ſint, fieri nequit.

GVEVARA. SED *ex his locis*,] Ariſtoteles,ut Foxius notat,locos non diſtinguit,ſed quattuor dumtaxat genera quaeſtionum tradit,ad quae loci omnes redigantur. Vnde lib. I. Topicorum ait: Omnis enunciatio,atque omnis quaeſtio,uel ad genus,uel proprium,uel accidẽs,uel ad definitionem refertur. Sunt, qui locos in maximas propoſitiones,& in maximarum differentias diuidant: alij in eos,qui ſubſtantiae inſint, aut in eos,qui extra ſubſtantiam ſint poſiti, aut in medios. Alij in eos,qui uel in ipſo ſint, de quo agitur, uel aliunde trahantur,uel aſſumantur extrinſecus. Itaque aliter Ariſtoteles, aliter Cicero, aliter diuus Auguſtinus,Themiſtius,Gamarus,aliter Agricola,Titelmannus,Barba,aliter Trapezuntius, aliter Bucoldianus. Sed & e noſtris Albericus,Speculator, Baldus, Euerardus, Cantiuncula diuerſam ſecuti ſunt uiam. Namque aliis aliae res,arridentque placentque. Vt eſt apud Homerum. Sed profecto,ut recte Boetius ſcribit,nihil Ciceronis definitioni, ac diuiſioni poſſe uidetur addi,uel minui: quoniam quidem breuiter cuncta complectitur. IN *eo ipſo,de quo agitur*,] Omnis propoſitio,omniſq quaeſtio praedicato conſtat,atque ſubiecto. Cum enim utraque affirmationem habeat,& negationem, id in omni ambiguitate quaeritur, utrum praedicatus terminus ſubiecto inſit,an non. Itaque praedicatum,uel ſubiectum eſſe ipſum,de quo agitur,Boetius, Latomus, & Barba putauerunt. Verum hi termini per ſe, neque argumenta ſunt, neque praeſtare argumenta poſſunt: alioqui dubitatio nulla eſſet. ſumenda ſunt argumenta,uel ex his,quae in ipſis terminis inſunt,uel extrinſecus poſita ſunt: modo,ut eſt apud Agricolam,conſentanea termino ſint & a propoſita re nõ abhorrentia. HAERENT:] Loci igitur ab terminis,quibus inſunt,diuerſi ſunt. Vnde ſequitur: IN *ipſo, tum ex toto*,] Quaſi aliud ſit ipſum,quam totum. Cum enim terminus in quaeſtione poſitus definitionem habeat,partes,nomen, & relationem ad aliquid; alium,ut eſt apud Boetium, neceſſe eſt eſſe intellectum rei, quae complicata, atque inuoluta eſt; aliũ eiuſdem rei explicatae, & diſertae,quod facit definitio,ſi, ut Quinctiliano placet,eſt rei propoſitae propria,dilucida,& breuiter comprehenſa uerbis enunciatio. Etſi igitur unum, idemq. eſt definitionis,& definitae rei ſubiectum,tamen nemo non aliter afficitur prolato nomine homo, aliter audita definitione,homo eſt animal rationale mortale. Definitionem Cicero appellat totum,uel quod totam rei ſubſtantiam breuiter declaret,propoſita,ut Ariſtoteles lib. VII. Topicorum ait,eſſentia,& natura rei: uel,quod omne id, de quo agitur,genere,auctore Porphyrio,tamquam materia,& differentia quaſi forma cõſtet, definitio utramq. partem comprehendat. Atque haec Viſorius,& Barba probauerunt. TVM *ex partibus eius*,] Boetius, & Barba dicunt,quae ſupra in definitione ſunt dicta de partibus, quae ſubſtantiam iungunt, ad eas quoque partes transferenda eſſe, quae magnitudinem copulant. Itaque, licet nihil aliud ſit domus, quam quod fundamento,parietibus,& tecto continetur, tamen non eundem habemus intellectum cum domum integram,quẽ

cum

cum eius partes conſideramus. Eoq. ſenſu partes in eo ipſo, de quo agitur, haerent, nec idem ſunt. TVM *ex nota,*] Quinctilianus libro primo, capite nono. Etymologia, inquit, quae uerborum originem inquirit, a Cicerone dicta eſt notatio, quia nomen eius apud Ariſtotelem inuenitur ſymbolon, quod eſt nota: nam uerbum ex uerbo ductum, ideſt Veriloquium, ipſe Cicero, qui finxit, reformidat. Sunt, qui uim potius intuiti, Originationem uocent. Ex nota autem locum ab eo termino diuerſum, eſſe, qui in quaeſtione conſtituatur, apertiſsimum eſſe, Boetius & Barba recte putant. Quis enim dicat, id eſſe cuiuſlibet rei uocabulum, quod res ipſa eſt, quam deſignat? Rodolphus notam a ſubſtantia ſeparat, & inter locos externos commemorat fortuitam, ut Latomus ait, uerbi condicionem ſpectans, quae addi poteſt rei, & detrahi: Cicero ſenſum potius attendens, qui non ſeparatur a re, ſicut nec definitio a definito, notam haerere rei, de qua agitur, potius ſcribit. TVM *ex iis rebus, quae quodammodo affectae ſunt, ad id, de quo quaeritur.*] Haec quoque etſi extra poſita uideantur, terminum tamen, ut Boetius notat, in quaeſtione propoſitum uelut e regione reſpiciunt, ideoq. affecta dicuntur. Verbo, ut eſt apud Gellium libro. 3. cap. 16. non uulgariae ſignificationis. Affecta enim, inquit, ſicuti M. Cicero, & ueterum elegantiſsimi locuti ſunt, ea proprie dicebantur, quae non ad finem ipſum, ſed proxime finem progreſſa deducta erant. Hoc uerbum, ad hanc ſententiam in Ciceronis oratione fuit, quam dixit de prouinciis conſularibus. Quae uero Cicero affecta ad id, de quo quaeritur, Boetius in relatione poſita dixit, Quinctilianus ad aliquid, ſic enim ſcribit libro quincto capite decimo. Cicero genus, & ſpeciem, quam eandam formam uocat, a finitione deducit, & iis, quae ad aliquid ſunt, ſubiicit. Idq. a quorundam calumnia Viſorius defendit. EXTRINSECVS *autem dicuntur, quae abſunt, longeq. diſiuncta ſunt.*] Scilicet, ab eo, de quo agitur: qualia ſunt teſtimonia. Hic multa Boetius quaerit, multa Viſorius, quae tranſſcribere, ad me pertinere non arbitror.

C I C E R O

SED *ad id totum, de quo diſſeretur, tum definitio adhibetur, quae quaſi inuolutum euoluit id, de quo quaeritur. Eius argumenti talis eſt formula: Ius ciuile eſt aequitas conſtituta iis, qui eiuſdē ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas. Eius autem aequitatis utilis eſt cognitio: utilis eſt ergo iuris ciuilis ſcientia.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. POST locorum bifariam diuiſionem, in ipſo ſcilicet, de quo agitur, & exttinſecus poſitorum, partitus eſt eum locum, qui eſt in ipſo, in quattuor membra, ideſt, a toto, a partium enumeratione, a nota, ab effectis. Nunc igitur, antequam diuidat eum locum, quem ab effectis eſſe propoſuit, ſuperiorum trium, quos in primo interim tractatu. minime diuiſurus eſt, ſed indiuiduos relicturus, exempla ſupponit. Hi uero ſunt, a toto, a partibus, a nota, ac de eo quidem loco, qui eſt a toto ita diſputat. Tum, inquit, dicimus a toto locum argumenti, quando totum illud, quod in quaeſtione poſitum eſt, definitione complectimur, quae definitio rei dubiae, de qua agitur, facit fidem. Sed definitio omnis, ut ſuperius quoque dictum eſt, id, quod nomine inuolute deſignatur, euoluit, & explicat, atque ideo non terminus, qui in definitione ponitur, ſed, quae in ipſo ſunt, poſſunt argumentis praeſtare materiam. Sunt autem in uno proprie definitiones. Definitio enim eſt, oratio ſubſtantiam uniuſcuiuſque ſignificans. quod ſi ab unaquaque propria ſubſtantia non recedit, ne definitio quidem recedit, eſt ergo definitio in ipſo termino, de quo agitur, quae definitio totum terminum, neceſſe eſt comprehendat: neque enim partem ſubſtantiae, ſed totius termini ſubſtantiam monſtrat. Sed quoniam ex ea definitione fides fit rei dubiae, trahitur ex definitione argumentum, quae definitio in ipſo termino eſt, de quo agitur, & eius termini totum eſt. Itaque argumentum, quod a definitione ducitur, ab eo ducitur loco, qui in ipſo termino eſt, qui in quaeſtione eſt collocatus. Sed, quoniam multi loci ſunt in ipſo, hic locus a toto eſt. Definitio enim totum terminum comprebendit, atque id quod inuolute nomine ſignificabatur, euoluit, atque aperit. Eius argumenti talis eſt formula. Ius ciuile eſt aequitas conſtituta his, qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas, eius autem aequitatis utilis eſt cognitio, utilis eſt ergo iuris ciuilis ſcientia. Eſt enim quaeſtio, an iuris ciuilis ſcientia ſit utilis, hic igitur ius ciuile ſupponitur, utilis ſcientia praedicatur. Quaeritur ergo, an id, quod praedicatur, uere poſsit adhaerere ſubiecto. Ipſum igitur ius ciuile non potero ad argumentum uocare, de eo enim quaeſtio conſtituta eſt, reſpicio igitur, quid ei effet inſitum, uideo, quod omnis definitio ab eo non ſeiungitur, cuius eſt definitio: ne a iure ciuili quidem propriam definitionem poſſe ſeiungi. Definio igitur ius ciuile, ac dico ius ciuile eſt aequitas conſtituta his, qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas. poſt haec conſidero num haec definitio, reliquo termino, utili ſcientiae poſsit eſſe coniuncta, ideſt, an aequitas conſtituta his, qui eiuſdē ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas, utilis ſcientia ſit, uideo eſſe utilem ſcientiam dictae ſuperius aequitatis. Concludo itaque, Igitur iuris ciuilis ſcientia utilis eſt. hoc igitur argumentū eſt ex eo loco, qui eſt in ipſo, hoc eſt in iure ciuili, qui terminus in quaeſtione eſt conſtitutus, hic uocatur a definitione: quae definitio quoniā totū eſt, argumētum eſt a toto. Omnis autem locus a toto in ipſo eſt. Nec nos ulla dubitatio perturbet quod ius ciuile, & rurſus ſcientia utilis, quaedam ſunt orationes, quas ut terminos collocamus. Non enim omnis terminus ſimplici orationis darte proferetur, ſed aliquoties orationes integrae in terminis conſtituuntur. In hac igitur argumentatione maxima propoſito, ac per ſe nota eſt ea, per quam intelligimus omnia, quae definitioni alicuius coniunguntur, ipſa quoque illis quorum definitio eſt, ex neceſsitate copulari. Sequitur enim, cum

definitio

definitio iuris ciuilis utili ſcientiae poſsit adiungi, tum quoque iuri ciuili utilem ſcientiam poſſe copulari, eſt
igitur hoc argumentum tractum ab eo loco, qui eſt in ipſo. Omnis enim definitio, in eo termino eſt, quem
definit. Eorum autem locorum, qui in ipſo ſunt, eſt a toto. Omnis enim definitio totum monſtrat, atque
aperit. Maxima propoſitio, quibus aliquorum definitio iungitur, eiſdem neceſſario ea, quae definiuntur,
aptantur.

GVEVARA. Sed *ad id totum, de quo differitur.*] Ad totum, ut Viſorius notat, tres loci ad-
hibentur, qui totam eius, de quo differitur, ſubſtantiam complectuntur. Definitio, partes, nota. Nam &
definitio propoſito genere, & differentiis, quibus terminus conſtat omnis: partitio enumeratione partium,
quas ſimul toto eſſe aequales neceſſe eſt: nota per etymologiam: id, de quo agitur, quaſi inuolutum euol-
uunt. Tvm *definitio adhibetur.*] Definiendi leges, huiuſque loci uſum abunde explicant, praeter Ariſto-
telis, & Ciceronis interpretes, Titelmannus libro quincto Dialecticae capite tertio. Bucoldianus libro pri-
mo de Inuentione. Atque ex noſtris, multis e iure propoſitis exemplis, Euerardum in centum locis Cap.
tertio. Cantiuncula in Topicis legalibus. Appellus in methodica Dialectices ratione ad iuris prudentiam ac-
commodata c. primo. Gammarus libro primo Dialecticae legalis. Quamquam autem multi ſunt definitio-
num modi, ad duo tamen referri poſſe Foxius ait, Vſiodem ſiue ſubſtantialem, Hyppographichen ideſt de-
ſcriptionem. Qvae *quaſi inuolutum euoluit id, de quo quaeritur.*] Id enim eſt proprium definitionis mu-
nus. Vnde apud eundem Ciceronem libro primo de Oratore: Praecipit ratio, atque doctrina, ut uis eius rei,
quam definias, ſic exprimatur, ut neque abſit quidquam, neque ſuperſit. Idem in Oratore ſcribit. Definitio
eſt oratio, quae quid ſit id, de quo agitur, oſtendit, quam breuiſsime. & ad Heren. libro quarto: Definitio
eſt, quae rei alicuius proprias amplectitur proteſtates breuiter, & abſolute. Quinctilianus quoque lib. ſepti-
mo cap. quarto: Finitio eſt, inquit, rei propoſitae, propria, & dilucida, & breuiter comprehenſa uerbis enun
ciatio. Atque Ariſtoteles libro primo, & ſecundo Topic. ait. Definitio eſt, quae quid res ſit ſignificat.
Et idem Gellius probat libro quarto cap. primo, & ſenſit Bartol. & iuris interpretes in l. 1. ff. de teſtam. Car-
din. in c. Perpendimus. De ſentent. excom. Alciat. libro quarto paradox. cap primo. Et lib. ſexto cap. nono.
Quae cum ita ſint, recte Cicero in Oratore ad Brutum: Quoniam in omnibus, inquit, quae ratione docen-
tur, & uia, primum conſtituendum eſt, quid quidque ſit, niſi enim inter eos, qui diſceptent, conuenit, quid
ſit illud, de quo ambigitur, nec recte diſſeri, nec umquam ad exitum perueniri poteſt: explicanda eſt ſaepe
uerbis mens noſtra de quaq. re: atque inuolutae rei notitia definiendo aperienda eſt. Quod idem & lib. pri-
mo de finibus. Et lib. primo de officiis dixit. Et apud Platonem eſt in Phaedro ſiue de pulchro. & apud Vl-
pianum in l. prima. ff. de iuſtit. & iure. & in l. prima. ff. de rebus creditis. Eivs *argumenti talis eſt formula,*]
Quaeſtio eſt, an iuris ciuilis cognitio, utilis ſcientia ſit. Ideſt, an ſcientia utilis, quae oratio uicem tenet prae-
dicati, conueniat ſubiecto, hoc eſt iuri ciuili. Maxima propoſitio extra ſyllogiſmum eſt, atque ad differentiam
definitionis pertinet. Ea eſſe uidetur. Quod definitioni conuenit, conuenit & definitae rei. Quam & Bart.
in l. 1. ff. de teſtam. & Abb. in Rub. de ſenten. excomm. probauerunt. Ivs *ciuile eſt aequitas conſtituta iis,*
qui eiuſdem ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas.] Aequitatem loco, generis bene poſuit. Nam & Alciatus li-
bro ſecundo Parergon, cap. undecimo, ait: Nihil aliud eſſe ius, ἐπιείκειαν in artem redactam. Et Othoma-
nus de uerbis iuris: Itaque proprie, inquit, nihil aliud aequum, aut aequitatem eſſe, quam ius, facile mihi
perſuadeo. Apud Connanum quoque lib. primo Comment. cap. 2. ita ſcriptum eſt. Aequitatis hoc unum,
& ſolum negotium eſt, legum ſcriptarum uoluntates, & quaſi cognitiones, & ſenſus bene noſſe, eoſq. pro ſua
bonitate adducere ad naturalem rationem. Differentias quoque recte Cicero addidit: inter quos ſit: & ad
quem finem conſtituta aequitas. Ideſt, materiam, & finem: quia, ut idem in libris de Oratore, & in oratio-
nibus ſaepius ait, legitimam in rebus cauſiſq. ciuium aequalitatem conſeruare, ſcopus eſt iuris ciuilis: cuius
recte ex ſupradictis conſtituitur definitio. Quam Coraſius de iuris arte, prima parte, cap. uigeſimo primo,
& ſecunda parte cap. decimo: Othomanus in Partitionibus iuris ciuilis. cap. primo, Briſſonius lib. primo de
uerborum, quae ad ius pertinent, ſignific. probauerunt.

CICERO

Tvm partium enumeratio, quae tractatur hoc modo: Si neque cenſu, neque uindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber: neque eſt ulla earum rerum, non eſt igitur liber.

EXPLANATIO

BOETIVS. Sit quaeſtio, utrum aliquis, quem ſeruum eſſe conſtiterit, ſit liber. Faciendi liberi,
tres ſunt partes, una quidem, ut cenſu liber ſit, cenſebantur enim antiquitus ſoli ciues Romani. Siquis ergo
conſentiente, uel iubente domino nomen detuliſſet in cenſum, ciuis Romanus fiebat, & ſeruitutis uinculo ſol-
uebatur, atque hoc erat cenſu fieri liberum, per conſenſum domini nomen in cenſum deferre, & effici ciuem
Romanum. Erat etiam pars altera adipiſcendae libertatis, quae uindicta uocabatur. Vindicta uero eſt uirgu-
la quaedam, quam lictor manumittendi ſerui capiti imponens, eundem ſeruum in libertatem uindicabat, di-
cens quaedam uerba ſollemnia, atque ideo illa uirgula uindicta uocabatur. Illa etiam pars faciendi liberi eſt,
ſiquis ſuprema uoluntate in teſtamenti ſerie ſeruum ſuum liberum ſcripſerit. Quae quoniam partes ſunt li-
beri faciendi, ſiquis aliquem, quem ſeruum fuiſſe conſtiterit, monſtrare uelit non eſſe liberum factum, dicet, ſi
neque

neque cenſu, neque uindicta, neque teſtamento liber factus eſt, non eſt liber. At nulla earum parte liber factus eſt. Non eſt igitur liber. Si enim omnes partes a qualibet illa re abiunxeris, totum neceſſario ſeparaſti. Nam cum totum in ſuis partibus conſtet, ſiquid nulla cuiuſlibet parte coniungitur, a toto etiam ſegregatur. Partes autem duobus dicimus modis, uel ſpecies, uel membra. Species eſt, quae nomen totius integrum capit, uelut homo, atque equus animal, utraque enim per ſe integro nomine animalia nuncupantur. Eſt enim homo animal, & rurſus equus animal. Itē membra ſunt, quae, cum totum efficiant, coniuncta totius capiunt nomen, ſingula uero nullo, modo, ut cum fundamentum, parietes, & tecta, domus membra ſint, ſimul omnia domus dicitur. fundamenta uero ſola, domus uocabulo minime nuncupātur, neque parietes, neque tecta. In his igitur, quae ſpecies ſunt, quaeſtionum nomen totius integrum capiunt. niſi ſigillatim omnes partes, ab eo, dè quo dubitatur, abiunxeris, non poſsis totum abeſſe monſtrare. Dictum eſt enim unamquamque partem totius uocabulum integrum capere. Vt, quoniam faciendi liberi tres ſunt ſpecies, cenſus, uindicta, teſtamentum, ſi quaſlibet duas remoueris, una tamen permanſerit, liberum neceſſario confitebere. Siue enim cenſu tantum, ſiue uindicta, ſiue teſtamento, ſit liber factus, liberum eſſe conſtat, ergo in his omnes ſpecies ſemoueris, nō potes deſtruere, quod in quaeſtione propoſitum eſt. At, ſi affirmare uelis, atque adſtruere, ſufficit tantum unamquamlibet ſpeciem demonſtrare, ut ſi uelis oſtendere liberum, ſat eſt, ut monſtres, aut uindicta, aut cenſu, teſtamentoue liberum factum. Quod ſi deſtruere uelis, non ſufficit oſtendere, aut cenſu, aut uindicta, aut teſtamento liberum non eſſe factum, ſed nullo modo eorum modorum, ad libertatem ueniſſe. Itaque in his partibus, quae ſpecies ſunt, ſi deſtruere uelis, cunctis utendum eſt, ſi adſtruere, una ſufficiat. At uero hae partes, quae ſunt membra, contrario modo ſunt, ſi deſtruere uelis, ſat erit unam ſciungas. ſi aſtruere, cuncta adeſſe neceſſario comprobabis. Nam, ſi uelis oſtendere non eſſe domum, ſufficit, ut aut fundamenta non eſſe dicas, aut parietes, aut tecta, nam quidquid horum defuerit, domus non poteſt appellari. At ſi uelis oſtendere domum eſſe, niſi cuncta in unum coniunxeris, id, quod proponis, non ualebis adſtruere. Omnes uero hi loci a partium enumeratione ducuntur, quia in his partibus, quae ſpecies ſunt, cunctae partes enumerantur, ut deſtruas. Quaeſtio eſt igitur in propoſito Ciceronis exemplo argumenti a partium enumeratione deducti: An is, quem ſeruum fuiſſe conſtitit, liber ſit is, quem ſeruum fuiſſe conſtitit, ſubiectus eſt terminus. liber uero praedicatus. neutrum igitur eorum terminum ad argumuentum ducere poterimus: de quibus enim dubitatur, ipſi fidem dubitationi facere non poſſunt. uideo igitur, quid in altero eorum ſit. quoniam uero partes omnes in eo ſunt, cuius partes ſunt, quoniamq. libertas data habet proprias partes, ſumo eas, atque dinumero, & requiro, an ulla earum partium uideatur ineſſe ſubiecto, ſed nulla ineſt. Concludam igitur non eſſe liberum. Vnde manifeſtius demonſtratur, non ſolum ab eo termino, qui ſubiectus eſt, argumenta ſumi poſſe, uerum etiam ab eo, qui eſt praedicatus. Nam prius exemplum, quo demonſtrabat, Iuris ciuilis ſcientiam eſſe utilem, ius ciuile, quod ſubiectum erat, definiuit, ductumq. inde argumentum rei dubiae fecit fidem. Hic uero libertatis partes enumerantur, qui eſt, quem ſeruum eſſe conſtiterit, liber ſit: Terminus, is quidem, quem ſeruum eſſe conſtiterit, ſubiectus eſt, praedicatus uero liber. in ipſo, ideſt, praecato partes ſunt, quae enumerantur. a qua enumeratione dum trahitur argumentum, fit argumentum in ipſo ex partium enemeratione. Maxima propoſitio, cuius partium nihil rei propoſitae copulatum eſt, ei ne totum quidem eſſe poteſt coniunctum. Hic uidetur eſſe dubitandum, num locus a toto, atque a partibus idem ſit, cum omnes partes totum faciant, ſi coniungantur. Sed reſpondebitur cum ſit argumentum ab enumeratione partium, totum diuiditur non coniungitur, diuidendo enim argumētatio procedit. Nam quiſquis partem cuiuſlibet ſumpſerit, rem uidetur eſſe partitus. Qui uero rem diuidit, diſsipat potius, quam conficit totum. ſed reſtare adhuc ambiguitas poteſt nam definitio quoque inuolutam nominis ſignificationem explicat, per quandam ſubſtantialium partium enumerationem. Enumeratio uero partium, quaedam ipſarum a ſe partium diſsipatio eſt. Sed aliud eſt, rei partes enumerare, aliud definitionis. Nā rei partes, ea re, cuius partes ſunt, ſemper minores ſunt, ut caput, uel torax, uel cetera membra toto homine, partes uero definitionis tota re, quae definitur, ſi ſubſtantiales ſunt probantur eſſe maiores, ut animal homine maius eſt. Itemq. rationale mortale eundem hominem, uelut maiora continent. & ſunt ſingulae partes definitionis eius, quae eſt animal rationale mortale. Partitio igitur ſumit partes rei, quam partitur ſemper minores. Quae uero ſumit definitio, uniuerſalia ſunt per ſe, totaque, & continentiae definiti, quāuis poſita in definitione partes fiant, ut in his, quae ſuperius exempla propoſui, facile intelligi poteſt. Vnde manifeſtum eſt, locum a toto, qui definitionis eſt, & locum a partium enumeratione eſſe diuerſos.

GVEVARA. TVM *partium enumeratio*.] Quaeſtio, an Stichus, quem ſeruum fuiſſe conſtabat, libertatem ſit conſecutus. Stichus ſubiectum eſt: praedicatum, libertas: Maxima propoſitio, totum ei coniungi nequit, cui nulla conuenit partium. Hic locus, ut lib. quincto, cap. decimo Quinctilianus ſcribit, & ad probandum ualet, & ad refellendum. Probanti interim ſatis eſt unum habere, hoc modo: ut ſit ciuis, aut natus ſit oportet, aut factus. Neganti utrumque tollendum eſt, nec natus, nec factus eſt. Fit hoc & multiplex, ideoq. argumentum eſt genus ex remotione, quo, modo efficitur totum falſum, modo id, quod relinquitur, uerum. Totum falſum eſt, hoc modo: pecuniam te crediidiſſe dicis, aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti, aut inueniſti, aut ſubripuiſti. Si neque domi habuiſti, nec ab alio accepiſti, nec cetera, non credidiſti. Reliquum ſit uerum ſic: hic ſeruus, quem tibi uindicas, aut uerna tuus eſt, aut emptus, aut donatus, aut teſtamēto relictus, aut ex hoſte captus, aut alienus. Deinde, remotis prioribus, ſupererit alienus. Boetius ait partes duobus modis dici: uel ſpecies, quae nomen totius integrum capiunt, uelut homo, & equus, utraque animalia nuncupantur: uel membra, quae coniuncta, totius capiunt nomen, ſingula non ita: nam fundamenta parietes,

rietes,

rietes,tectum ſimul domus dicuntur : ſundamenta per ſe,domus nō ſunt,neque parietes,neque tectum .Sed, quod de membris dicitur,Cantiuncula, & Appellus ex parte uerum putant, ex parte falſum : nam partes Homogenis ſingulas totius nomen ſortiri conſtat, ſiquidem quaelibet pars aquae, aqua eſt. & quamlibet fundi partem,dici fundum probat.l. locus , ff. de uerb. ſign. Sunt huius argumentationis ab enumeratione partium paſsim in iure exempla in l. filius, §. filiusfamilias, ff. de lib. & poſth. cap. Venerabilem, de elect.cap. quanto. de iur. iur. cap. ſi uir . de cogn. Spir. cap. Inquiſitioni,de ſent. excomm. cuius uſum praeter Ariſtotelem libro ſecundo Topic. Gellium libro ſecundo Noct. att. cap. ſeptimo . libro quincto , cap. undecimo . libro ſeptimo , cap. tertio. Copioſe docent Euerardus loco nonageſimoſexto. Cantiuncula loco ſexto, & octauo. Gammarus libro ſecundo. Appellus cap. ſecundo . Bucoldianus libro primo, cap. ſeptimo. Et Titelmannus libro quincto, cap. trigeſimooctauo,& nono. Neqve *cenſu,*] De eiuſmodi libertate, Cicero libro primo de Oratore,ait. Quid de libertate? quo iudicio nullum grauius eſſe poteſt? non ne ex iure ciuili poteſt eſſe contentio,cum quaeritur is,qui domini uoluntate cenſus ſit,ſi luſtrum non ſit conditum, ſit ne liber? & Vlpianus titulo primo , ex triginta ſcribit. Cenſu manumittebantur olim, qui luſtrali cenſu Romae iuſſu dominorum,inter ciues Romanos cenſum profitebantur. Sigonius libro primo de antiquo iure ciuium Roma. cap. ſexto putat, manumiſsionem per cenſum, Seruium Tullium regem inſtituiſſe, quod is & cenſus auctor fuerit,& ſeruis liberandis initium attulerit. Neqve *uindicta,*]Vlpianus,Vindicta,inquit,manumittuntur apud magiſtratum: uelut Praetorem, Conſulem, Proconſulem: & Sigonius ait. Vindictae rationem intuliſſe fertur P. Valerius Poplicola anno poſt reges exactos, cum de praemiis uindicis ſerui,qui coniurationem indicauerat,ad populum tuliſſet. A quo etiam uindictae nomen ductum exiſtimant. Inter quos eſt Liuius,qui ita ſcribit. Praemium indici pecunia ex aerario,libertas,& ciuitas data. Ille dicitur uindicta liberatus. Quidam uindictae quoque nomen tractum ab illo putant, uindici ipſi nomen fuiſſe. Poſt illum obſeruatum, ut,qui liberati eſſent, in ciuitatem accepti uiderentur. Quae uerba, cum, ut opinor, Plutarchus legiſſet,ea ita in Poplicola explanauit,ut ſcripſerit Valerium decreuiſſe, ut uindex primus libertinus ciuis Romanus fieret, & in qua uellet tribu ſuffragium ferret. Itaque in libro etiam , quem de ſera Dei uindicta reliquit, ſcripſit. Romanos,eorum corporibus,quos in libertatem aſſererent,tenuem feſtucam impoſuiſſe. Haec poteſtas poſt a Conſule ad Praetorem Vrbanum tranſlata eſt, ut uindicta, ideſt, uirga in caput impoſita manumitteret: quam intellexit Perſius Satyra quincta, cum cecinit. Vindicta poſtquam meus a Praetore receſsi, Cur mihi non liceat iuſsit quodcumque uoluntas? & Cicero in Rabiriana,cum dixit .Seruos noſtros omniū ſuppliciorum metu dominorum benignitas una uindicta liberat. Eſt libro quadrageſimo Pandectarum , Titulus de manumiſsis uindicta. Et libro ſeptimo Codicis,Titulus de uindicta libertate & apud Concilium manumiſsione: quibus iura huius manumiſsionis explicantur. Eius autem ſolemnia uerba, Briſſonius libro I. ſelect. cap. II. & Raeuardus lib. quarto uariorum,cap. nono poſuerunt. Nec *teſtamento*] De hoc quoque genere multa ſunt in praedictis libris,& Iuriſconſultorum reſponſa , & placita impp. Sed an id originem a duodecim tab. duxerit,Sigonius dubitat,in quibus cum eſſet: uti ſuae rei quiſque legaſsit, ita ius eſto. Interpretatur Pomponius,etiam ad manumiſsiones pertinere, ut, quotquot e ſuis quiſque ſeruis, liberos relinquere uellet, poſſet. Vlpianus ſine dubitatione ſcribit,ut teſtamento manumiſsi liberi ſint, lex duodecim tabul. facit,quae confirmat,quod datum legatum eſt,quod recte ibi interpretatur Cuiacius. Si *neque cenſu, neque uindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber:*] Quid ita? non ne,ut Iuſtinianus Imp. lib. primo Inſtit. ſcribit,multis modis manumiſsio procedit? aut enim , inquit , ex ſacris conſtitutionibus in ſacroſanctis eccleſiis,aut uindicta,aut inter amicos,aut per epiſtolam, aut per teſtamentum , aut per aliam quamlibet ultimam uoluntatem. Sed,& aliis multis modis libertas ſeruo competere poteſt, qui tam ex ueteribus , quam ex noſtris conſtitutionibus introducti ſunt. Procedit certe,ſed nunc Cicero de propria, & maxima libertate agit,non de media,aut minima,de quibus Alexander de Alexandro libro quarto Gen. dier. cap. decimo. Politianus cap. octuageſimoquarto Miſcell. Antonius Auguſtinus libro tertio emendat. cap. ſeptimo. Alciatus in l. libertus, ff. de uerborum ſignif. & libro primo Parerg. cap. decimoſexto, plura tradiderunt. Maxima igitur,quae eadem legitima dicebatur libertate,Ciuitatem ſimul Romanam manumiſſus conſequebatur. Erat autem ea tantum legitima,Ciceronis aetate,quae uindicta,cenſu,aut teſtamento daretur. Et ita Vlpianus ſcribit titulo primo: Ciues Romanos eſſe libertos,qui uindicta,cenſu,aut teſtamēto,nullo iure impediente manumiſsi eſſent. Ceteros manumiſsionis modos ciuitatem non praeſtitiſſe, Othomanus probat in indice legum Romanarum,dum ait. Tulere M. Iunius Syllanus, L. Norbanus Balbus Coſſ. ann. DCCLXXI. Vt ij ſerui qui neque cenſu,neque uindicta , neque teſtamento , ſed aut per epiſtolam , aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione liberi fierēt,non ciues Romani,ſed eodem iure,quo Latini coloni eſſent. Quae quidem omnia Theophilus lib primo Inſtitutionum titulo quincto exactius eſt perſecutus.quare operaepretium erit eius uerba recitare. Eſt,inquit,apud Romanos legitima aetas,eſt & naturalis aetas. Eſt legitimum dominiū, eſt & naturale dominium. Eſt legitimus modus manumiſsionis, eſt & naturalis modus manumiſsionis. Et naturalis quidem aetas eſt,quae minor eſt triginta annis,legitima uero,quae maior eſt anno trigeſimo. Non, quod aetatem maiorem triginta annis, natura non agnoſcat, quoniam omnis aetas naturalis eſt. Sed, quod ſpecialiter lex,aetatis,quae annos triginta excedit,meminerit; ideo dixi hanc aetatem eſſe legitimam. Eſt etiam,ut dixi,naturale dominium,eſt & legitimum dominium. & naturale dominium dicitur in bonis,& dominus bonorum dominus. Legitimum uero dicitur,iure Quiritum dominus. Quod , ſi quis utrumque dominium habeat, is pleno iure dominus dicitur: ut ambo dominia habens naturale,& legitimum. Eſt & legiti-

mus modus manumiſsionis,& naturalis modus manumiſsionis : & legitimus modus tribus modis procedit; Vindicta, Cenſu, Teſtamento. Et Vindicta erat apud magiſtratum facta manumiſsio. Dicta eſt autem uindicta, quod uindicaretur mancipium in naturalem libertatem : aut a Vindicio quodam : qui, cum ſeruus eſſet, eruptam aduerſus Romanos coniurationem indicio ſuo patefecit; publiceq. e Romanis manumiſſus eſt. & in honorem eius, quicumque apud magiſtratum manumittuntur, uindicta manumitti dicebantur. Quae autem cenſu fiebat manumiſsio; ea in hunc modum procedebat. Cenſus ſignificat tabulam, aut chartam, in qua Romani facultates ſuas conſcribebāt, ut belli tempore, pro modo patrimonij ſui, unuſquiſque conferret. In hoc igitur Cenſu, cum iuſſu domini ſeruus ſe liberum ſcribebat, liberabatur a ſeruitute. Teſtamento uero, cum quis ſeruum ſuum in teſtamento liberum eſſe iuſsiſſet. Naturales quoque modi manumiſsionis erant tres; inter amicos, cum praeſentibus amicis quempiam manumittebant. Per menſam uero cum libertatis dandae gratia, ſeruum conuiuio adhibebant. Per epiſtolam, quando aliis in locis agenti, miſsis litteris permittebant, ut liber uiueret. His ita praecognitis, uideto nunc rem, de qua agimus. Cum, in manumittendo ſeruo, tria legitima concurrebant, ut & ipſe maior eſſet annis triginta, & dominus eius legitimus eſſet dominus, hoc eſt ex iure Quiritum : & ſeruus uindicta, cenſu ue, aut teſtamento manumitteretur, nec uitium ullum, aut affectus ſubeſſet : omnino is, qui manumittebatur, ciuis Romanus fiebat. Quod, ſi, cum uitium ullum ſubeſſet, tria non concurrebant legitima : quoniam aut ſeruus minor erat triginta annis : aut dominus, tantum bonorum erat dominus, nec etiam legitimum dominium habebat : aut manumiſsio procedebat per menſam, aut per epiſtolam, aut inter amicos : aut duo interdum deſiderabantur legitima, aut etiam omnia tria, is, qui ita manumittebatur, Latinus Iunianus fiebat. Porro, cum uitium, ſiue affectus ſuberat, omnino is, qui manumittebatur, fiebat dediticius. Quae, quamquam paullulum poſt immutata ex Caio libro primo Inſtitutionum probentur, dum ait. Ciues Romani ſunt, qui iis tribus modis, ideſt teſtamento, aut in Eccleſia, aut ante Conſulem fuerint manumiſsi. Latini ſunt, qui aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut conuiuij adhibitione manumittuntur. Dediticij uero ſunt, qui poſt admiſſa crimina ſuppliciis ſubditi, & publice pro criminibus ceſsi ſunt : aut in quorum facie, uel corpore, quaecumque indicia, aut igne, aut ferro impreſſa ſunt : atque ita impreſſa, ut deleri non poſsint. Poſtremo ſublata omnino Imperialibus conſtitutionibus, haec libertatum diſcrimina, idem Theophilus dicat : & ex Pandectis, Iuſtinianiq. Codice, & Inſtitutionibus ſatis conſtet : tamen recte, atque e re, & tempore Ciceronem, libertatem quaſi per excellentiam appellaſſe eam, cum qua manumiſſus ſimul ciuitatem Romanam conſequeretur, nō etiam eam, qua Latinus maneret, aut dediticius, faciunt quidem ſuperiora omnia manifeſtum.

CICERO

TVM notatio, cum ex ui uerbi argumentum aliquid elicitur, hoc modo: Cum lex Aelia Sentia aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti: locuples enim aſſiduus, ut ait Aelius, appellatus ab aere dando.

EXPLANATIO

BOETIVS. TERTIVS eorum, qui in ipſo ſunt, locus, a notatione eſt conſtitutus. Notatio eſt quaedam nominis interpretatio. Nomen uero ſemper in ipſo eſt. Vt enim definitio id, quod in nomine inuolute declaretur, expedit, atque diffundit, ita etiam nomen id, quod a definitione euolute dicitur, inuolute, confuſeq. deſignat. quod, ſi definitio in ipſo eſt, nomen quoque in ipſo eſſe, de quo agitur, non poteſt dubitari. Ex notatione quoque locus notatus eſt, quia nomen omnem rem notat, atque ſignificat. Vindex igitur eſt, qui alterius cauſſam ſuſcipit uindicandam, ueluti quos nunc procuratores uocamus. Lex igitur Aelia Sentia aſsiduo uindicem aſsiduum eſſe iubet. Quaeritur, utrum, cum lex Aelia Sentia uindicem uelit eſſe aſsiduo aſsiduum, locupletem uelit locupleti, hic igitur ſubiectus quidem terminus eſt, lex Aelia Sentia uindicem uolens aſsiduo aſsiduum, praedicatus uero locupletem locupleti, ipſos igitur terminos non potero ad fidem quaeſtionis adducere. De ipſis enim, de quibus ambigitur, nulli effici fides poteſt. Quaero igitur, quid in ipſorum altero ſit, ac uideo unum eorum terminum eſſe legem Aeliam Sentiam, quae aſsiduum aſsiduo uindicem eſſe decernat, ideſt, ſubiectum huius orationis interpretor partem, quae eſt aſsiduus. quid enim eſt aſsiduus aliud, niſi aſſem dans, aſſem uero dare, niſi locuples non poteſt. Aſsiduus igitur locuples eſt. Cum igitur lex Aelia Sentia aſsiduo uindicem aſsiduum eſſe conſtituat, locupletem iubet locupleti, aſsiduus quippe eſt locuples a dando aere nominatus. Argumentum igitur hoc tractum eſt ex eo loco, qui eſt in ipſo, ideſt, a nominis interpretatione. nomen enim in ipſo illo eſt, cuius nomen eſt, cuius interpretatio notatio nuncupatur. Sed ab huius interpretatione factum eſt argumentum. Igitur hoc argumentum ex eo loco eſt, qui eſt in ipſo, id eſt, a nomine, & eorum, qui in ipſo ſunt, a notatione, ideſt, a nominis interpretatione. Maxima propoſitio eſt, interpretationem nominis idem ualere, quod nomen. Sed paullo confuſius a Cicerone dicta argumentatio maximum praeſtat errorem.

errorem. Ita enim dici oportuit, aſsiduus eſt, qui aſſem dat, qui uero aſſem dat, locuples eſt, aſsiduus igitur locuplex eſt. Lex autem Aelia Sentia aſsiduum aſsiduo eſſe uindicem iubet, locupletem igitur locupleti uindicem eſſe praeſcripſit. Quod ſi ita dictum eſſet, apertior argumentatio fuiſſet. Tunc uero ita dixit, Cum lex Aeliã Sentia aſsiduo uindicem aſsiduum eſſe iubeat, locupletẽ iubet locupleti, &c. Subiunxit, ut oſtenderetur locuples eſſe aſsiduus, hoc autem tantundẽ ualet, quod ait legem Aelia Sentiam aſsiduo aſsiduum uindicẽ cum iuberet eſſe, locupletem locupleti eſſe praecepiſſe, tamquam ſi diceret, qui aſsiduus eſt, locuples eſt. Niſi enim is, qui aſsiduus eſt, locuples ſit, non conſequitur, ut cum lex Aelia Sentia aſsiduum aſsiduo uindicẽ eſſe iuſſerit locupleti, & argumenti concluſionem priorem poſuit, ſubiecti uero probationem. Concluſio namque eſt, cum lex Aelia Sẽtia aſsiduum aſsiduo uindicem uelit eſſe, locupletem iubet locupleti, atque hanc praemiſit, probatio uero eſt aſsiduum eſſe locupletem ab aere dando, nominatum, hanc intulit concluſioni. Reſtat is locus eorum, qui in ipſo ſunt, qui ducitur ab affectis, cuius expoſitionem, quoniam uaria eſt, multiplexq. eius diuiſio, differamus, ac primi uoluminis terminum hucuſque ſiſtamus.

GVEVARA. Tvm *notatio,*] Quinctilianus lib. v. cap. 10. Praeterea, inquit, finimus, aut ui, ſicut ſuperiora: aut Etymologia, ut aſsiduum ab aere dando, & locupletem a locorum, pecunioſum, a pecorum copia. Quod autem Cicero notationem, Quinctilianus Etymologiam uocat. Ariſtoteles lib. 2. Topic. interpretationem, Agricola rei nomen appellant. Illud Viſorius, & Foxius merito improbant, quod idem Agricola contra Ciceronem externum putat, non internum hunc locum. Cuius uſum late docent Alciatus lib. 1. Diſpunctionum, cap. 1. & lib. 1. de uerb. ſig. in princ. Forcatulus dialogo 73. Cantiuncula, Euerardus, Bucoldianus, Gãmarus, Titelmannus, locis ſupra relatis. Cvm *ex ui uerbi argumentum aliquod elicitur,*] Ideſt, ut Foxius ait, cum uim nominis interpretamur, atque ab ea interpretatione ducimus argumentum. Hoc *modo:*] Sic etiam l. 1. ff. de Pactis. Pactum a pactione dicitur. Inde etiam pacis nomen appellatum eſt. Et l. 2. ff. de reb. cred. appellata eſt mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit, & ideo, ſi non fiat tuum, non naſcitur obligatio. Et l. 1. ff. de Tutelis. Tutela eſt uis, ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter aetatem ſuam, ſponte ſe defendere nequit, iure ciuili data, ac permiſſa. Tutores autem ſunt, qui eam uim, ac poteſtatem habent, exq. re ipſa nomen ceperunt: itaque appellantur tutores, quaſi tuitores, atque defenſores: ſicut aeditui dicuntur, qui aedes tuentur. Ceterum in hoc exemplo ſubiectus terminus eſt lex uindicem uolens aſsiduo aſsiduum: praedicatus, locupletem, locupleti: Maxima propoſitio, interpretationem nominis, idẽ ualere, quod nomen. Cvm *lex aſſiduo uindicem*] Sic enim legendum eſſe, non, ut uulgo habetur, Cum lex Aelia Sentia aſsiduo uindicem Othomanus probat, ad fragmenta legis 12. tabul. tertia parte, cap. ſexageſimo primo, dicens. Ad eandem quoque legem ille Ciceronis locus pertinet, ubi ſic ſcribitur. Cum lex aſsiduo uindicem aſsiduum eſſe iubeat, locupletem iubet locupleti: locuples enim aſsiduus, ut ait Aelius, appellatus eſt ab aere dando. Quo in loco Cicero legem antiquorum inſtituto praeciſe appellans, legem duodecim tabularum ſignificat. Cuius rei ignorantia factum eſt, ut gloſſema illud ex coniectura nominis Aelij Iuriſconſulti ſubiiceretur, Aelia Sentia. Quod poſtea in ordinem Ciceronis uerborum irrepſit. Atque eodem libro, ſecunda parte, capite quincto, idem Othomanus, quod apud Ciceronem eſt pro Milone: & ſi per ſapienter, & quodammodo tacite dat ipſa lex poteſtatem defendendi: ſic interpretatur: legem, inquit, duodecim tabularum intelligendam, illud primum argumento eſt, quod eam paucis ante uerſibus nominarat. Deinde, quod legis appellatione, duodecim tabularum intelligi, nemini, mediocriter in hoc litterarum genere uerſato, ignotum eſt. Ac certe non eſſe uanam Othomani coniecturam, tum illud probat, quod Gellius, Alexander ab Alexandro, aliiq. multi ex duodecim tab. hoc eſſe exemplum affirmant: tum, quod Sigonius libro primo de Antiq. Iure ciu. Rom. cap. quincto ſcribit. Factum eſſe propter iuris praeſtantiam, ut, cum quid in lege ſcriptum eſſe diceretur, duodecim tabularum legem aliquam intelligerent: & legitimas hereditates, & legitimas tutelas appellarent, quae legibus duodecim tabularum conſtituerentur: & legis actiones, quae a duodecim tabularum lege proficiſcerentur. Quorum ſententia, iure quoque uidetur probari poſſe cap. centeſimo trigeſimo, ff. de uerborum ſignificat. lege obuenire hereditatem, inquit, non improprie quis dixerit, & eam, quae ex teſtamento defertur: quia lege duodecim tabularum teſtamentariae hereditatis confirmantur. Vindicem] Boetius, Viſorius interpretantur, qui alterius cauſſam ſuſcipiat uindicandam, ueluti quos nunc procuratores uocamus. Latomus, atque alij interpretes hac lege cautum putant, nequis ſeruum pecunioſum in libertatem aſſereret, niſi ipſe diues eſſet, & pecunioſus, ne ſi tenuioribus id liceret, facile corrumperentur a ſerui, qui eos in libertatem uindicarent. Melius Budaeus in annotat. ad legem fin. ff. de pign. actio. aſsiduos uindices pro locupletibus fideiuſſoribus accipit. Et Othomanus ait: Fortaſſe non incommode dici poſſet, uindices eoſdem fuiſſe, qui & uades dicebantur. Nam Feſtus, Vindex, inquit, ab eo, quod uindicat, quo minus is, qui praeſens eſt, ab aliquo teneatur. Et l. quos nos, §. 1. ff. de uerborum ſignific. ait. Locuples eſt, qui ſatis idonee habet, pro magnitudine rei, quam actor reſtituendam eſſe petit. Corſus lib. ſecundo Indagationum, cap. ſeptimo in iſta ſententia eſt. Cvm *lex aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubeat,*] His uerbis, ut Gellius refett libro decimoſexto, capite decimo, Aſsiduo uindex aſsiduus eſto: proletarios ciui, quiuis uolet, uindex eſto. Alexander ab Alexandro libro ſexto Gen. dier. cap. decimo ſcribit, hanc legem Aelio latam, ut illam duodecim tabularum corrigeret: Si in ius uocat, ſi morbus, aeuitas ue uitium exſtitit, qui in ius uocabit, iumentum dato, ſi nolet, arceram ne ſternito. Verum ego Alexandri ſententiam non probo. nam & hanc legem, non ab Aelio latam, ſed ex duodecim tabul. propoſitam, monſtratum eſt; & ad illam, Si in ius uocat, quomodo haec ullo modo pertineat, non uideo. Qui eſſent Proletarij, Feſtus Pompeius explicat. Proletarium, inquit, capite cenſum dictum,

quod ex his ciuitas conſtet, quaſi proles progenie: iidem & proletanei. & Non. Mar. de Verborum proprietatibus, & Vocabulorum ſignificationibus. Proletarij dicti ſunt plebei, qui nihil Reip. exhibeant, ſed tantum prolem ſufficiant. Varro de uita populi Rom. libro primo, quibus erant pecuniae ſatis locupletis aſsiduos contrarius proletarius, aſsiduo neminem uindicem uoluerunt locupleti: & rurſus idem Marcellus: Proletarij ciues dicebantur, qui in plebe tenuiſsima erant, & non amplius, quam & quingētos aeris in cenſum deferebant. Aul. Gell. quoque in lib. XVI. cap. 10. Qui in plebe, inquit, Romana tenuiſsimi, pauperrimiq. erant, neque amplius, quam mille quingentum aeris in cenſum deferebant, proletarij appellati ſunt. Qui uero nullo, aut perquam paruo aere cenſebantur, capite cenſi uocabantur. Extremus autem cenſus capite cenſorum aeris fuit CCCLXXV. Et paullo poſt, Proletariorum tamen ordo honeſtior aliquanto & re, & nomine, quam capite cenſorum fuit. Nam & aſperis reip. temporibus, cum iuuentutis inopia eſſet, in militiam tumultuariam legebantur, armaq. iis ſumptu publico praebebantur: & non capitis cenſione, ſed proſperiore uocabulo, a munere, officioq. prolis edendae, appellati ſunt. Quod, cum re familiari parua minus poſſent remp. iuuare, ſobolis tamen gignendae copia ciuitatem frequentarent. Et Gellij interpretationem, Othomannus de uerbis iuris, & Iunianus Maius probauerunt. LOCVPLES *enim aſſiduus, ut ait Aelius, appellatus ab aere dando.*] Idem Quinctilianus ſcribit. Et Gellius ait: Aſsiduus in 12. tab. & pro locuplete, & facile munus faciente: dictus ab aſsibus, ideſt aere dando, cum id tempora reip. poſtularent: aut a muneris pro familiari copia faciendi aſsiduitate. Vnde Aſsidui teſtes, locupletes, & fide digni. Proletarij, qui tales non ſunt, dicuntur Budaeo in Annotationibus, & lib. v. de Aſſe.

CICERO

DVCVNTVR *etiam argumenta ex iis rebus, quae quodam modo affectae ſunt ad id, de quo quaeritur. Sed hoc genus in partes diſtributum eſt. Nam alia coniugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex ſimilitudine, alia ex differētia, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex cōſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex cauſſis, alia ex affectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum.*

EXPLANATIO

BOETII. LIBER. II. IN tam difficillimi operis curſu non ſum neſcius, mi Patrici, quin labor hic noſter, quem te adhortante ſuſcepimus, dum iudicio multitudinis imperitae, aut eleuatur, aut premitur, facile uariis reprehenſionibus mordeatur. Nam & illi, quibus hoc totum diſſerendi diſplicet genus, uelut ſuperuacaneum ſtudium familiari prauis mentibus cauillatione deſpiciunt. Et, qui maximum huius ſcientiae fructum putant, ſua ceteros ſegnitie mentientes: tanto nos operi pares eſſe non exiſtimant. Quorum quidem priores, ſi non inuidia laboris alieni aeſtimationem premunt, ſed reprehenſionis iudicio quoque conſentiunt, nullo modo ferendos eſſe puto. Multoq. in me libentius detorſerim prauae opinionis inuidiam: ac noſtris diffidere uiribus facillime patiar, potius quam tantae diſciplinae calcare rationem. Sed, pro diuinam, atque humanam fidem: quae eſt haec hominū prauitas, quae tantae imprudentiae caecitas, ut paene ſua ſeſe ipſi cōfeſsione condemnent? Nullus eſt enim, qui ſe uideri nolit peritiſsimum diſſerendi, quin etiam obiectare ipſi aliquid, & reſoluere obiecta conantur: &, ſi facile id factu eſſet, cuncti ad ſcientiam logicae diſciplinae, uelut ad communia quaedam ſapientiae lucra concurrerent. Iam uero quid abſurdius fingi poteſt, quam quod probabilibus, ut ipſi exiſtimant, argumentis inutile ſtudium dialecticae nituntur adſtruere? Quid enim conuenit diſſerendi artem diſſerendo peruertere, ut, cuius affectes opinionem, eiuſdem deſpicias ueritatem? Sed, ut cantor ille diſcipulum ſibi, ac muſis canere iubebat: ita, & ego quoque mihi, ac tibi, non muſae, ſed tamquam muſarum praeſidi cecinerim, atque id, quod multo labore, ſtudioq. collegi, non Rhetorica tantum facultate, uerū Dialectica etiam ſubtilitate depromam. Quae uero ſequuntur huiuſmodi ſunt.

POSTQVAM locos eos, ex quibus argumenta ducuntur, gemina partitione diſtribuit, alias in ipſo, de quo agitur, haerere dicendo, alios extrinſecus aſſumi: eumq. locum, qui in ipſo, de quo agitur, haeret, in quattuor ſpecies ſecuit. id eſt a toto, a partibus, a nota, ab affectis. Superioribus quidem tribus exempla ſubiecit, quae nos primo uolumine, quantum diligenter fieri potuit, explicauimus. Reſtat is locus, quem poſuit quartum, ideſt ab affectis. Huius cum multae ſint ſpecies, integri, atque indiuiſi proponi non potuit exemplum. Nā, quorum partitio eſt, melius per ſingula membra diſpoſitis aperiuntur exemplis. Hunc igitur locum diuidit, hoc modo: Locus, qui ex affectis eſt, partim ex coniugatis, partim ex genere, partim ex forma de ſpecie, & ſimilitudine, uel ex differenria, uel ex contrario, nec non ex coniunctis, ex antecedentibus, & conſequentibus, & repugnantibus, ex cauſsis & iam, atque affectis cauſſarum, & ex comparatione maiorum, aut parium, uel minorum, quae omnia Tullius paullo poſt conuenientibus rerum ſimilitudinibus illuſtrat. Nunc illud nobis dicendum eſt, quae ſint affectorum naturae, & quid habeāt proprietatis. Sunt enim affecta, quae quodam modo ad aliquid referri poſſunt ad id, ad quod referuntur. Omnia uero, quae ſe aliqua relatione reſpiciunt, aut amica inter ſe, aut diſsidentia conferuntur. Si amica, uel ſubſtantialiter, ut genus, forma, antecedentia, conſequētia, cauſſa, effectus. Vel in qualitate, ut coniugatum ſimile, coniunctum. Vel in quantitate, ut paria. Quae uero ſibi diſsidentia conferuntur, partim a ſe differentia ſunt tantum, partim aduerſa, ſed aduerſa partim in qualitate, ut contraria, uel repugnantia, partim in quantitate, ut maius, aut minus. Quae cum ita ſint, manifeſtum eſt, & amica ſibi cognationis relatione coniungi, & diſsidentia, hoc ipſo, quod ſibi aduerſa ſint, ad ſe inuicem comparari.

rari. Nam,quae amica ſunt,amicis amica ſunt, & diſsidentia a diſsidentibus diſsident. Ita igitur, & genus formae genus eſt,& forma generis forma, & antecedentia conſequentium, & conſequentia antecedentium, & cauſſa affectuum cauſſa, & effectus,& cauſſarum effectus,& coniugata, coniugatis coniugata ſunt, & ſimile ſimili ſimile,& coniunctum coniuncto coniunctum,& paria paribus paria, & differentia differentibus differentia, & maiora maioribus maiora,& minora minoribus minora ſunt,& contraria contrariis contraria,& repugnantia repugnantibus repugnantia ſunt. Affecta igitur ſunt, quae cum a ſe inuicē diuerſa ſint, ad ſe inuicē tamen referuntur. Sed, quo ordine Tullius ſuperius deſcripſit locos,nos definitiones omnibus apponemus. Eorum igitur, quae ad ſe inuicem affecta dicuntur in M. T. diſputatione prima ſunt coniugata, ſed coniugata uoco,quaecumque ab uno nomine uaria prolatione flectuntur,ut a iuſtitia iuſtus iuſtum iuſte. Haec inter ſe,cumq. ipſa iuſtitia,unde eorum uocabulum fluxit, coniugata dicuntur. Genus uero,quod de multis ſpecie differentibus in eo,quod,quid eſt,praedicatur: uelut animal dicitur de homine,atque equo, quae ſpecie differunt,& in eo,quod,quid ſit praedicatur. Interrogantibus enim nobis, quid ſit homo, uel equus, reſpondetur animal. Quod genus licet neceſſe ſit ab eo eſſe diuerſum,cuius genus eſt: cognatum eſt ei tamen, quia ad id ſubſtantiae relatione coniungitur. Species etiam eſt,de qua genus ſuperius praedicatur,quam Cicero formam uocauit uelut homo animalis. Similitudo eſt, unitas qualitatis. Nam duo, quae ſibi ſunt ſimilia,eandem neceſſe eſt habere qualitatem. Et, quoniam ipſum ſibi ſimile eſſe nihil poteſt,aliud neceſſe eſt ſimile conſideretur. Sed aliud eſſe non poterit, niſi fuerit in aliqua parte diuerſum. Ergo ſimilia a ſe in alia quidem re diuerſa ſunt: in alia uero congruunt. In ea uero re, qua ſecundum qualitatem congrunt, in ea eſſe ſimilia intelliguntur, quae ad ſe ſimilitudinis ipſius copulatione referuntur. Differentia eſt, qua unumquodq. differt ab alio, ut homo ab equo rationabilitatis differentia diſcrepat. Haec igitur praedicatione quidem propriae naturae, ad ea refertur: quorum eſt differentia,ut rationabilitas ad hominem. Diſsimilitudinis uero ratione ad ea,quibus diſcrepat,id cuius eſt differentia,ut rationabilitas ad bouem. Contraria uero ſunt,quae,in eodem poſita genere, longiſsime a ſe diſcrepant, ut album, atque nigrum. Quae licet in uno qualitatis genere ponantur: a ſe tamen quam longiſsime recedunt: ea quoque ad ſe referri nullus ignorat. Aliud eſt enim, quod ſunt, aliud, quod contraria ſunt. Quod enim nigrum eſt,quale eſt? Quod uero contrarium eſt,ab albo plurimum diſcrepans eſt. Coniuncta uero ſunt, quae unicuique rei finitimam naturam tenent, uelut timori pallor adiunctus eſt. Haec talia ſunt, ut ſaepius,quidem adiunctis ſibis cohaereſcant, neque tamen ex neceſsitate his,quibus uicina ſunt, adeſſe cogantur. Nam ſaepe timori pallor adſiſtit, non tamen ſemper,ueluti,cum diſsimulatione praemittitur metus,atque ideo uериſimilia ex adiunctis argumenta naſcuntur. Nam quaecumque coniuncta ſunt,ea his,quibus adhaerent, indicio eſſe ſolent. Sed de his in poſteriore diſputatione diligentius diſſeram. Antecedentia uero ſunt,quibus poſitis aliud neceſſe eſt conſequatur,ut, quia bellum eſt, etiam inimicitias. Haec ordinis neceſsitatem tenent. Conſequentia enim ab antecedentibus ſeparari non queunt. Conſequens uero eſt,quidquid id,quod antecedit, inſequitur, ut inimicitiae bellum conſequuntur. Nam ſi bellum eſt, inimicitias eſſe neceſſe eſt. Habetq. locus hic illud notabile, & ſpectandum, quod ſaepe, quae naturaliter priora ſunt, tamen ipſa ſunt conſequentia. Saepe, & naturaliter antecedunt, & in propoſitione priora ſunt. Namque inimicitiae prius exſiſtere,quam bella ſolent. Sed non poſſumus proponere inimicitias, ut bellum ſequatur. Non enim poſsimus uere dicere, Si inimicitiae ſunt,bellum eſt, ſed praeponimus bellū, & inimicitiae, quae natura priores ſunt, ſubſequuntur: ita ſi bellum eſt,inimicitiae ſunt. Nunc igitur inimicitiae, quae naturaliter bellum praecedunt, eaedem bella in propoſitione comitantur. At ſi dicam,ſi ſuperbus eſt,odioſus eſt. Superbia, & naturaliter,& in propoſitione odium praecedit. Prius enim ſuperbia conſueuit exſiſtere, poſt uero,atque ex eadem ſuperbia ueniens odium ſequi. Nec intereſt utrum naturaliter quaelibet res antecedat aliquando, an uero conſequatur,dum id in propoſitione annotemus eam eſſe rem antecedentem, quae ſiue naturaliter prior ſit,ſiue poſterior, alteram tamen, rem ſecum neceſſario trahat. Repugnantia uero intelliguntur, quoties id,quod alicui contrariorum naturaliter iunctum eſt, reliquo contrario comparatur,ut quoniam amicitiae,atque inimicitiae contraria ſunt. Inimicitias uero cōſequitur nocendi uoluntas: amicitia, & non nocendi uoluntas, repugnantia ſunt, haec quoque ad ſe contrarietatis ſimilitudine referuntur. Cauſſa eſt, qua praecedente aliud efficitur, ut cauſſa diei eſt ſolis ortus. Effectum eſt, quod praecedens cauſſa perficit, ut dies, quem ſolis ortus emittit. Maiorum uero comparatio eſt, quoties ei,quod minus eſt,id, quod maius eſt,comparatur,ut ſi nemo innocens pelli in exſilium debet,multo magis ne Tullius quidem, qui non innocens ſolum, uerum etiam & patriae fuit liberator. Plus eſt enim patriae eſſe liberatorem, quam innocentem. Parium uero, quoties inter ſe paria comparantur, ut ſi hic ciuis innocens pelli in exſulium nō debet,quia innocens eſt,nec ille quidem,qui eſt innocens, carere patria iuſte poteſt. Minorum uero, quoties minora maioribus conferuntur, ut ſi Ciceronem liberatorem patriae praemio nemo dignum putauit, nemo eum putet praemio dignum,qui,cum tantum innocens fuerit,nulla in rempublicam contulit merita. Haec itaque omnia cognata ſibi eſſe, & ad ſe referri inuicem, & ſe uelut e regione reſpicere,nullus ignorat. Nam,ut de cognatis primum loquamur,& iuſtitia ad id,quod iuſtum, uel id quod iuſte fieri poteſt,ſpectat,& eum, qui iuſtus eſt perficit. Cetera quoque habent ad ſe non modo uocabuli cognationem,uerum etiam cuiuſdam naturae congruentiam, ita tamen, ut a ſe diuerſa ſint. Neque idem eſt iuſtitia, quod iuſtus. Omne enim quidquid ab aliquo inflectitur eſt diuerſum,eidemq. cognatum,a quo etiam probatur inflexum. Genus etiam cognatum eſſe ei,cuius genus eſt, ideſt ſpeciei,quam Cicero formam uocauit,dubium non eſt. Genus enim,ſpeciei genus eſt,& ſpecies generis ſpecies: itaque ad ſe inuicem referuntur: liceat idem genus, ac ſpecies non ſint. Illud ſane uidendum eſt,quoniam,quas nos ſpecies nuncupamus,

eas

eas Cicero formas uocat. Cui quidem dum, quod dicit, intelligam, concedam libenter quibus uoluerit uti nominibus, mihi uero non idem concedi poteſt. Nam, qui explanationis lucem profeſſus eſt, in his uerbis debet, quae ſunt in uſu poſita, uerſari. Id autē, quod ſupponitur generi, ut ſpecies, quam forma, potius nuncupetur, uſus obtinuit. Iam uero ſimile niſi ſimili ſimile eſſe non poteſt, & quod differt niſi a diſsimile differre non poteſt. Contraria etiam contraris intelliguntur eſſe contraria. Coniuncta etiam coniunctis adhaereſcunt: &, quae ſunt antecedentia, aliquid, quod poteſt conſequi, antecedunt. Id etiam, quod eſt conſequēs, illud quod anteceſsit inſequitur. Omne etiam repugnans repugnanti ſibimet intelligitur inimicum. Cauſſa etiam effectus ſui cauſſa eſt. Quod enim quaeuis cauſſa efficit, eius rei, quam efficit, cauſſa eſt: effectus quoque cauſſae alicuius effectus eſt. Comparatio uero maiora reſpicit, minorum uero maiora parium paria, atque in omnibus ea natura eſſe deprehenditur, ut cum per ſe res quaedam ſint diuerſae ab his, ad quae referuntur, affecta tamen eſſe dum comparantur appareant: diuerſa uero eſſe ab his, ad quae referantur, illa res approbat, quoniam nihil ad ſe ipſum referri poteſt. Quae, cum ita ſint, iure affecta ſunt nuncupata, quae omnia eius loci, qui ex affectis ducitur, ſpecies, uel formae ſunt, ipſo etiam atteſtante Cicerone, qui ait: Sed hoc genus in plures partes diſtributum eſt. Cum enim genus dixit, quas ſcindit, a genere ſpecies eſſe ſignauit. Praeterea omnia haec, & nomen generis ſuſcipiunt, & definitionem. Affecta enim ſunt, ad aliquid, quae ad id, ad quod affecta ſunt, referri queunt. Coniugata uero, & genus, & forma, & cetera ad ea ſemper, ad quae ſunt affecta, referuntur. Sed, ut in ſuperioribus locis dictum eſt, qui in ipſo, de quo agitur, haerebant, ideſt ex toto, ex partibus, ex nota, ut ex toto eo intelligeretur termino, qui fuiſſet in quaeſtione propoſitus. Itemq. ex eius partibus, atque ex eius nota. Eodem modo etiam in his, quae affecta ſunt, dicemus ad eum terminum affecta conſiderari, qui ſubiecti, uel praedicati, loco poſitus continet quaeſtionem. Super eſt nunc illud dicere, cur, quae affecta ſunt, in ipſo de quo agitur termino quattuor locos eſſe ſignauit Cicero: ideſt ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis. Quorum, tria quidem ſuperiora manifeſtum eſt in eo haerere, de quo agitur, termino. Definitio enim cuiuſlibet rei, quod totum eſt, in illo ipſo eſt, quod definit. Partes etiam in ipſo illo ſunt, quod collectione coniungunt. Nota etiam in illo eſt, quod appellatione ſignat: affecta uero extrinſecus poſita uidentur: quippe, quae referuntur ad id, ad quod affecta ſunt: quae non referentur, niſi extrinſecus poſita intelligerentur. Cur igitur ea etiam, quae affecta ſunt, ad id, de quo agitur, inter eos numerauit locus, qui ipſi, de quo quaeritur termino cohaerent, dicendum eſt. Quoniam id, quod adhaerere dicitur, non idem eſt ei, cui adhaerere praedicatur. Quae cum diuerſa ſint, cognatione tamen quadam intelliguntur eſſe coniuncta: ueluti non idem eſt definitio, quod ipſa res, quae definitione deſcribitur. Si enim definitio clarius efficit id, quod definit, nihil uero ipſum ſeſe clarius, quam eſt, efficere poteſt. Manifeſtum eſt, id, quod definitur, a definitione eſſe diuerſum. Sed iccirco haerere definitionem in eo, quod definitur, dicimus, quod eſt ei cognata, atque coniuncta: quippe quae dum eius proprietatem ſignificet, ab eius ſubſtantia non recedit. Partes etiam, ac notae diuerſa ſunt ab eo, quod uel copulant, uel deſignant. Sed, quia illae a propoſitū terminum iungunt, illae ſignant, habentes aliquam cum propoſito termino cognationem, in ipſo, de quo agitur, haerere perhibentur. Ita etiam in affectis licet extrinſecus ſint, neque idem ſint, quod ea ſunt, ad quae intelliguntur affecta. Neceſſario tamen, qui aliquam cognationem cum his habere conſiderantur, in ipſis haerere dicuntur, ad quae affecta ſunt. Qui uere eorum naturalis ordo ſit, uel quae differentia, uel quae ſit aliorum locorum partitio, licet in Topicis differentiis opportunius expediendum ſit, tamen, cū exempla Ciceronis, quae in his explicandis attulit, expoſuero, ſubiungam.

GVEVARA. DVCVNTVR *etiam argumenta ex*] Cur huius uniuerſalis loci Cicero exemplum non poſuerit, quomodoq. haec affecta ſint, & in ipſo, de quo agitur, haerere dicantur, cum potius uideantur extrinſecus poſita, Boetius explicat. Illud quoque Latomus notat, affecta ita enumerari a Cicerone quemadmodum quodq. natura proximum eſt rei, ad quod afficitur, ita ordine ſuo collocetur.

CICERO

CONIVGATA *dicuntur, quae ſunt ex uerbis generis eiuſdem. Eiuſdem autem generis uerba ſunt, quae orta ab uno uarie cōmutantur, ut ſapiens, ſapienter, ſapientia. haec uerborum coniugatio* συζυγία *dicitur, ex qua huiuſcemodi eſt argumentum: Si compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere.*

EXPLANATIO

BOETIVS. DEFINITIO coniugatorum, a Cicerone prolata talis eſt. Coniugata dicuntur, quae ſunt ex uerbis eiuſdem generis, ideſt, quae ab uno uerbo uariis inflectuntur modis. Ex eodem quippe genere uerba ſunt, iuſtitia iuſtus iuſte iuſtum, & quaecumque alia in diuerſas poſſunt uocabulorum ſpecies inflicti. Quaecumque ab uno quolibet orta uarie commutantur, haec a Graecis quidem συζυγία dicuntur: apud Latinos uero coniugata. Nam, quod Graeci συζυγίαν dicunt, nos coniugationem appellamus. Haec autem ſunt: ut ſapiens ſapienter ſapientia, & quaecumque uarias partes orationis, uariaſq. inflexiones, ab uno quodam ducta cernuntur. Ex coniugatis igitur argumenti naſcentis hoc exemplum eſt. Sit enim dubitabile, an in aliquo agro mihi, atque uicino ſimul liceat paſcere pecus. Id autem eſt, an ius ſit compaſcere: ſubie-

ctum igitur eſt ager: compaſcere uero praedicatum. Faciemus igitur argumentum hoc modo. Hic, de quo quaeritur, ager compaſcuus eſt, in compaſcuo autem licet compaſcere: in hoc igitur agro licet compaſcere. Hic igitur compaſcendi iuris argumentum, ex compaſcuo ſumptum eſt, ex coniugato uidelicet. Cōpaſcere enim, & compaſcuum coniugata ſunt. Sumptum uero eſt, argumentum ius eſſe compaſcere, quoniā ſit ager compaſcuus: ſed coniugatum eſt, compaſcuum ei, quod eſt compaſcere. A coniugatis igitur ſumptum eſt, argumentum, quod coniugatum, in ipſo eſt, de quo agitur: ideſt in compaſcendo. Omnia enim ex eodem fluunt, & ſui ſunt continentia, atque ſe reſpicientia. Factum eſt igitur argumentum, ex eo, quod eſt in ipſo, ab effectis, ideſt a coniugatis. Maxima uero propoſitio coniugatorum in eo, quod coniugata ſunt, unam eſſe, atque eandem naturam. Vel ſic, cui conuenit aliquid, huic etiam coniugatum eius poſſe ſociari.

GVEVARA. CONIVGATA *dicuntur.*] Ariſtoteles lib. 2. Topic. dicuntur autem coniugata talia, ut iuſta, & iuſtus iuſtitiae, & fortia, & fortis fortitudini. Similiter autem, & effectiua, & conſeruutiua coniugata illorum ſunt, quorum ſunt conſeruatiua, uel effectiua, & ſanatiua ſanitatis, & bene diſpoſitiua bonae diſpoſitionis. Eodem autem modo, & in aliis. Coniugata igitur talia ſolent dici. Caſus autem, ut iuſta, & fortiter, & ſanatiue, & bene diſpoſitiue, & quaecumque eodem modo dicuntur. Videntur autem, & quae ſunt ſecundum caſus, coniugata eſſe, ut iuſte, iuſtitiae, & fortiter fortitudini. Coniugata autem dicuntur, ſecundum eandem coniugationem omnia, ut iuſtitia, iuſtus, iuſtum, iuſte. Manifeſtum igitur, quoniam uno quouis oſtenſo eorum, quae ſecundum eandem coniugationem dicuntur, ut bono, uel laudabili, & reliqua omnia oſtenſa ſunt, ut ſi iuſtitia eſt laudabilium, & iuſte, iuſtus, laudabilium eſt. Quinctilianus lib. quincto cap. decimo. His illud adiicere ridiculum putarem, niſi eo Cicero uteretur, quod coniugatum uocant, ut eos, qui rem iuſtam faciunt, iuſte facere. Quod certe non eget probatione. Quod compaſcuū eſt, compaſcere licere. Differt uero hic locus ab etymologia, ut notat Cantiuncula, quod notatio expoſitione nominis, coniugatio ſimilitudine uocabuli, ac deriuatione perficitur. Coniugatorum, ut Viſorius ſcribit, alia ſolius nominis ſimilitudine, non etiam ſignificatione, coniugata dicuntur, ut ſomnus, ſomnolentus: officium, officioſus: a quibus argumentum non procedere bene Titelmanus putat. Alia, ut apud eundem Viſorium, & Foxium eſt, non tam nominis uoce, quam apta, & conuenienti rei ſignificatione coniunguntur: ut, cum idem nomen, quod in caſus nequeat deduci, ab alio nomine caſus mutuo accipiuntur. Vt a uirtute, quoniam non eſt uirtuoſus, deducamus probus, probe probum. Cicero libro primo de offic. Si maxima eſt ſapientia, in qua continentur Deorum, & hominum communitas, & ſocietas inter ipſos: neceſſe eſt, quod a communitate ducatur officium id eſſe maximum. Sapientiam, & officium tamquam coniugata poſuit, ut Cantiuncula aduertit. Alia nomine ſimul, & ſignificatione coniugata ſunt, ut ſapiens, ſapienter, ſapientia. Illud quoque Cantiuncula, & Euerardus recte notant, quod ad hunc locum attinet habitus habendam eſſe rationem, potius, quam actus: nec enim recte colligitur: doctor ergo docet. Atque idē Cantiuncula ſcribit, attente ſpectandum, ne qua uel facti, uel iuris circumſtans qualitas, coniugatorū collationem impediat. Nam, nec emancipatus, nec fiſcus, quamuis ad hereditatem admittantur, heredes dicuntur. Multa praeterea de uſu huius loci tradunt Euerardus loco quarto. Bucoldianus lib. primo ca. decimo. Titelmanus lib. quincto cap. trigeſimoſexto, & trigeſimoſeptimo. & Gammarus libro ſecundo.

QVAE *ſunt ex uerbis generis eiuſdem.*] Hoc eſt eiuſdem generationis. Eſt enim genus proprie, principium cuiuſque generationis: uel ab eo, qui genuit, uel a loco, in quo genitus eſt. Vnde, & ſequitur. EIVSDEM *autem generis uerba ſunt, quae orta ab uno, uarie commutatur.*] Oriuntur ab uno, ut Viſorius ait, quae quidem principium dictionis habent. Varie commutantur, quorum finis diuerſus eſt, ut iuſtitia, iuſte. Sapiens, ſapienter, ſapientia. HVIVSCEMODI *eſt argumentum.*] Sic & in l. ſexageſimaoctaua. ff. de uſufructu. Vetus fuit quaeſtio, an partus ad fructuarium pertineret. Sed Bruti ſententia obtinuit, fructuarium in eo locum non habere: neque enim in fructu hominis homo eſſe poteſt. Hac ratione, nec uſumfructum in eo fructuarius habebit, & in l. Argumento uigeſimaquinta. ff. de auro, & arg. leg. §. quarto. Ornamenta muliebria ſunt, quibus mulier ornatur. Veluti inaures, armillae, uiriolae, anuli, praeter ſignatorios, & omnia, quae ad aliam rem nullam parantur, niſi corporis ornandi cauſſa. & paullo poſt. Mundus mulieris eſt, quo mulier mundior fit. Continentur eo ſpecula, matulae, unguenta, uaſa unguentaria. & Terentius egregie: Homo ſum, humani a me nihil alienum puto.

SI *compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere.*] Hanc ſententiam Scaeuola quoque probat in l. Teſtatrix. ff. ſi ſeruitus uindic. Plures, inquit, ex municipibus, qui diuerſa praedia poſſidebant, ſaltum communem, ut ius compaſcendi haberent, mercati ſunt, idque etiam a ſucceſſoribus eorum eſt obſeruatum. Sed nonnulli ex iis, qui hoc ius habebant, praedia ſua illa propria uenumdederunt. Quaero, an in uenditione etiam ius illud, ſecutum ſit praedia, cum eius uoluntatis uenditores fuerint, ut & hoc alienarent? Reſpondit, id obſeruandum, quod actum inter contrahentes eſſet. Sed, ſi uoluntas contrahentium manifeſta non ſit, hoc ius ad emptores tranſire. Item quaero, an, cum pars illorum propriorum fundorum legato ad aliquem tranſmiſſa ſit, aliquid iuris ſecum huius compaſcui traxerit. Reſpondit, cum id quoque ius fundi, qui legatus eſſet, uiderentur, id quoque ceſſurum legato. In propoſito exemplo, ut Boetius ſcribit, ſubiectum eſt ager: praedicatum cōpaſcere: Maxima propoſitio, Coniugatorum, in eo, quod coniugata ſunt, unam, atque eandem eſſe naturā. Vel, cui conuenit aliquid, huic etiam coniugatum eius poteſt ſociari. Quibus ita explicatis, iam ſatis apparet Ciceronem, & Quinctilianum de huius loci uſu, iniuria ab Stephano Forcatulo reprehenſos, dialog. quadrageſimo Necyomantiae. Nec mouent exēpla, quibus tentat probare infirmum eſſe a coniugatis argumentum.

tum. Nam primum, quod ait, cum poſsidere, & in poſſeſsione eſſe coniugata ſint: aliquando eum qui poſſideat, non eſſe in poſſeſsione. l.ſiquis ante.ff.de adquir. poſſ. non ita eſt. Poſsidere enim,& in poſſeſsione eſſe cauſſa rei ſeruandae, uel damni infecti, non ſunt coniugata: quia obſtat circumſtans qualitas, de qua in l. poſsideri. §.genera poſſeſsionum.ff.de adquir. poſſ. Nec magis uerum eſt, quod peculiarem mercem, & peculium dicit coniugata, cum non ſint. Sicut nec illud, quod ſpeciem mutuatam in l. item legato. ff. de legatis tertio. l. quaeſitum. §. ſiquis eodem.ff. de fundo inſtru. mutuum dici negat, ex l.mutuum. ff. ſi cert. peta. cum ſit coniugata. Nam, & ſi nomine ſunt, re & ſignificatione non ſunt. Imo, & ſi eſſent, facit ſaepe ſubiecta materia, ut improprie uerba accipiantur, ut Coraſius ſcribit de Iuris arte, quarta parte, cap. 4. l. ſi uno, ff.locat.l.inſulam.ff.de praeſcript.uerb. Commodatum pro mutuo. l.fi. C.de his, qui ex publ.rat.lib. decimo. Tutor pro curatore. l. Pater. §. conditionum. ff. de cond. & demonſtrat. Curator pro tutore. cap. primo, de oblig.ad rat. Procurator pro actore, uel ſyndico. c.Petitio. de Procurat. Praeterea, quod addit, furtum fieri, & rem furtiuam non eſſe in l.ſequitur.§. ſi rem.ff. de uſucapionib. ad rem non facit, cum ibi,& in l. itaque, §.ſed, & ſi res.ff.de furtis. Actio furti,& res furtiua coniugata non ſint, quia deeſt illa qualitas furti, quae exigit rem eſſe alienam. Actio autem datur, non tam rei gratia, quam cuiuſdam ſecuritatis, quod creditori expediat pignori incumbere. Aedificare etiam, & aedificium, quamquam alias coniugata ſint, tamen in exẽplis, quae ille adducit, non ſunt. Area enim, ut eſt apud Alciatum, in l.fundi appellatione, numero octauo, ff.de uerb.ſign. proprie ruſticum locum ſignificat, metaphorice in urbe ſibi locum uſurpat. Itaque l. acquiſſimum § proinde. & l.penult.ff.de uſufruct. loquuntur, tum de loco ruſtico, tum de eo aedificio, quod non mutat formam rei. At in l.uſufructuarius. ff.eo.& in l.repeti. §. ſi areae.ff.quib. mod.uſuf.am. agitur tum de area urbana, tum de aedificio, quod mutat formam rei.

C I C E R O

A genere ſic ducitur argumentum: Quoniam argentũ omne mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia, quae numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Forma enim a genere, quo ad ſuum nomen retinet, numquam ſeiungitur. Numerata autem pecunia nomen argenti retinet. legata igitur uidetur.

E X P L A N A T I O

BOETIVS. GENVS eſt, quod de qualibet ſpecie, in eo, quod quid eſt, praedicatur. In eo autẽ, quod quid eſt, praedicari dicitur, quod de qualibet ſpecie interrogantibus, quid ſit id reſponderi conuenit,& eius de qua reſpondetur ſpeciei, ſubſtantiam monſtrat. Semper uero genus propria ſpecie maius eſt, eamque intra ambitũ ſuae praedicationis includit. Quod fit, ut quamuis in alia quoque diſpartiri genus poſsit: ſpeciem tamen ſuam nullo modo derelinquat. Velut animal praedicatur quidem de homine, & hominis ſubſtantiam monſtrat. Interrogantibus enim nobis, quid eſt homo, animal reſpondetur. Idem tamen deduci in alia poteſt: uelut in equum atque bouem, quae animalia nuncupantur. Sed ita deducitur in diuerſa, ut unamquamque earum ſpeciem, quas continet, non relinquat. Vbicumque enim fuerit homo, neceſſe eſt ut ſit animal: homo enim animal eſt. Idemque de boue, ac de ceteris. Ergo liquido demonſtratum eſt, nomen generis a ſpecie nullo modo ſeparari: quod ſi aliquando generis uocabulum uniuerſaliter enuncietur: neceſſe eſt omnes ſpecies deſignari. Vt ſi quis dicat, omne animal,& hominem deſignabis,& bouem, & ceteras omnes ſpecies ſub animalis nomine collocatas. Quae cum ita ſint, quidam teſtamento mulieri argẽtum omne legauerat, quaeritur, an ei etiam numerata pecunia ſit legata. Numerata pecunia igitur in hac quaeſtione ſubiectum eſt: legata uero praedicatum. Conſidero igitur in alterutro eorum, quidnam inſit, ut ex eo, quod in ipſo eſt, aliquod argumentum acquiram, uideo ſubiectum terminum, qui eſt numerata pecunia, habere argentum genus, quod ſcilicet affectum eſt, ad ſpeciem ſuam, ad quam refertur. Quae enim ad ſe inuicem referuntur affecta ſunt, ergo, quoniam argentum omne legatum eſt,& genus ſpeciem propriam non relinquit, neceſſe eſt, ut numerata quoque pecunia ſit legata. Nam, cum omne nomen generis legatum ſit, nihil de ſpeciebus uidetur exceptum, uelut ſi quis dicat, omne animal uiuere non; ut arbitror, hominem tantum, uel bouem, uel equum, uel ſigillatim cetera, uel unum, uel plura uiuere dicit, ut tamen aliqua, cum ſint animalia, uitae munere carere contendat; ſed omne prorſus, quidquid fuerit animal, uiuere proponit.

CVM igitur omne genus, ideſt omne argentum legatum ſit, nulla ſpecies excipitur. At numerata pecunia argentum eſt, fit igitur, ut numerata quoque pecunia legati uocabulo poſsit includi. Eſt igitur, quaeſtio quidem, ut dictum eſt, an numerata pecunia legata ſit argumentum, ab eo, quod in ipſo eſt, ideſt a genere, quod ineſt propriae ſpeciei, quod ita ineſt, ut ad id referatur: hoc autem eſt argentum. Ab affectis uero a genere praedicatur enim, ut genus argentum de numerata pecunia. Interrogantibus enim nos, quid ſit numerata pecunia, iure reſpondemus, argentum. Maxima propoſitio eſt, cui conuenit omne genus, eidem unaquamque ſpeciem conuenire, quam Marcus quoque Tullius diuerſis, quidem uerbis, ſed eadem ſignificatione propoſuit dicens: Forma enim a genere, quo ad ſuum nomen retinet, numquam ſeiungitur.

GVEVARA. *A genere ſic dicitur.*] Quid genus ſit, & quomodo a genere ſit argumentandum,

dum docent Ariſtoteles lib. I. & II. Topicorum Cicero lib. I. de Inuent. & lib. I. de Oratore. Porphyrius in Iſagoge. Agricola lib. I. cap. 6. Boetius, Viſorius, Barba, & Foxius in comment ad hunc locum. Bucoldianus lib. I. de Inuent. cap. XI. Et ex iuriſperitis, Gammarus lib. I. Dialecticae legalis. cap. de toto uniuerſali. Euerardus loco ſexto a genere, & Cantiuncula in eodem loco; ubi plurima ad forum, & cauſſas ſpectantia proponunt. Quinctilianus quoque lib. v. cap. 10. ait. Genus ad probandam ſpeciem minimum ualet, plurimum ad refellendam, itaque non quia eſt arbor, platanus eſt. At, quod non eſt arbor, utique platanus nõ eſt. Nec, quod non eſt uirtus, utique poteſt eſſe iuſtitia. QVONIAM *argumentum omne*] Vt Boetius ait. Numerata pecunia in hac quaeſtione ſubiectum eſt: legata praedicatum: Maxima propoſitio. Cui conuenit omne genus, eidem unamquamque ſpeciem conuenire. Quam M. Tullius, diuerſis quidem uerbis, ſed eadem ſignificatione propoſuit, dicens. FORMA *enim a genere, quo ad ſuum nomen retinet, numquam ſeiungitur.*] Eadem propoſitione, ad ſimilem fere argumentationem ei, de qua agimus, uſus eſt Paullus Iuriſc. lib. II. ad Vitelliũ. Et refertur in l. Quaeſitum eſt, §. 4. ff. de leg 3. Illud fortaſſe, inquit, quaeſiturus ſit aliquis, cur agenti appellatione, etiam factum argentum comprehẽdatur, cum ſi marmor legatum eſſet nihil praeter rudem materiam demonſtratum uideri poſſe. Cuius haec ratio traditur. Quippe ea, quae talis naturae ſint, ut ſaepius in ſua redigi poſsint initia, ea materiae potentia uicta, numquam uires eius effugiant. Ceterum formam hoc loco Cicero pro ſpecie poſuit. Alfenus Iuriſc. in l. proponebatur, ff. de iudiciis, e contrario, ſpeciem pro forma, quod ueluti forma tollit materiae ruditatem, ſic ſpecies confuſum, & informe genus, ſpeciendum, ut ueteres loquebantur, exhibet. Animal quaſi confuſum quiddam eſt, ubi addideris hominem, uel leonem, ceſſat ambiguitas: formam pro ſpecie Cicero, quod ſpecies ſit communis imago quaedam naturae, & forma, quae eſt in multis indiuiduis adumbrata, & concepta ab animo noſtro: ut, cum uideas multos equos circumfer animo impreſſam equi imaginem, & tamquam adumbratum ſimulacrum, ut, ubi ſis, equum agnoſcas. NVMERATA *autem pecunia nomen argenti retinet, legata igitur uidetur.*] Sic & Quinctilianus lib. v. cap. 10. ait. Si is, cui omne argentum legatum eſt, petat ſignatum quoque, utatur genere. Et eodem lib. v. cap. 14. idem Quinctilianus ita ſcribit. Si pecunia, quae eſt in argento ſignato, argentum eſt, qui argẽtum omne legauit, & pecuniam, quae eſt in argento ſignato, legauit. Argentum autem omne legauit, igitur & pecuniam, quae eſt in argento, legauit. Euerardus diſplicere ſibi ait haec exempla, neque uera eſſe. Et Forcatulus dialogo trigeſimooctauo Necyomantiae, Trebatium non ſine riſu legiſſe hoc putat: quod ius ciuile contrarium cantet. l. 27. §. de auro & arg. leg. Vbi Vlpianus ait. An, cui argentum omne legatum eſt, ei nummi quoque legati eſſe uideantur, quaeritur. Et ego puto non contineri, non facile enim quiſquam argẽti numero nummos computat. Sed profecto optaſſem ego, reſpondiſſent illi docti uiri, non dico Ciceroni, & Quinctiliano hominibus, ut ego credebam, eruditis, ſed Paullo ipſi iuriſconſulto, qui, ut dictum eſt ex hoc ipſo, atque ex eadem maxima propoſitione deduxit, argento legato, factum quoque contineri. Quid enim refert oſtendere Vlpianum in contraria eſſe ſententia, ſi is non numero ſolum grauiſsimorum auctorum, ſed pondere quoque rationum, & auctoritate uincatur, in quibus nihil reperias, quod accuſes. Oſtendam igitur quo me ducat coniectura, ceſſurus facile ſi quis, quod probabilius ſit, inuenerit. Primum, forte haec fuit opinio Trebatij, quam honoris gratia Cicero, ut ueriſimile eſt, ex ipſius libris, non ſolam in his Topicis poſuit. Vlpianus in contraria ſententia eſt; & Vlpiani ſententiam Tribonianus magis probat. Aut certe in tractandis locis argumentorum, non ea ſolum, quae certa ſunt, & conſtituta debent proponi, ſed & quae ab aduerſario dici poſſunt. Reperto enim quaeſtionis ſtatu oportet docentem locos utrique parti proponere communes. Vnde apud Quinctilianum eſt lib. v. cap. 13. de refutatione: bonum praeceptorem non minus diſcipulum laudare debere, ſi quid pro diuerſa, quã, ſi quid pro ſua parte acriter excogitauit. Vel, quod potius exiſtimo in uerborum interpretatione, primum locum obtinet mens teſtatoris, etiam uerbis repugnantibus, l. ſcire oportet, §. aliud autem, ff. de excuſat. tut. ſecundum, communis uſus loquendi, l. librorum, § quod tamen, ff. de legatis tertio. l. Cum de lanionis, §. aſinam, ff. de fundo inſtr. l. in uulgari, ff. de uerb. ſign. Tertium, proprietas uerbi, l. Non aliter, ff. de legatis 3. l. 1. §. ſi quis nauem, uerſ. ſed ſi, ff. de exercitoria, quae, cum ita ſint, cenſeo, nec dubito, Ciceronem uerbi proprietatem recte, Vlpianum communem uſum loquendi, ut debuit, ſecutum: quod uel eius illa uerba ſubindicant, quae, tamquam rationem ſuae addidit opinationi dicens, non facile enim quiſquam argenti numero nummos computat. Sed & quid de hac re, uir, tum in Philoſophia, & Iuriſprudentia ſatis doctus, tum probitate inſignis Pinilla dicere ſolitus fuerit, non praetermittam. Is argentum genus, continere inquibat, factum, purum, ſignatum: rurſus nummus genus, aureos, argenteos, & aereos nummos: exiſtimabat igitur tradidiſſe Vlpianum, legato argento genere, non contineri argentum, ideſt nummus genus: ita ut & aurei etiam, & aerei nummi deberentur: non autem negare, contineri nummos argenteos, quos omni argento legato deberi Cicero ſcribit.

C I C E R O

A FORMA *generis, quam interdum, quo planius accipiatur, partem licet nominare, hoc modo: Si ita Fabiae pecunia legata eſt a uiro, ſi ei uiro materfamilias eſſet, ſi ea in manum non conuenerat, nihil debetur. Genus eſt uxor: eius duae formae, una matrumfamilias, earum, quae in manus conuenerunt: altera earum, quae tantummodo uxores habentur. Qua in parte, cum fuerit Fabia, legatum ei non uidetur.*

EXPLANATIO

BOETIVS. SPECIES eſt,quae propriis differentiis informata ſub praedicatione generis collocatur. Differentiae uero propriae a ceteris eam ſpeciebus ſeparant,atque ſeiungunt. Velut homo,cum ſit animalis ſpecies,differentiis informatur,rationabilitatis,atque mortalitatis: & ſeiungitur ab his animalibus, quae aeterna ſunt: uelut ſol a Platonicis creditur,& ab his animalibus, quae ſunt rationis expertia. Cum igitur omnes ſpecies inter ſe propriis differentiis diſtent; neceſſe eſt, quod de altera ſpecialiter dicitur, id in animalia non poſſe transferri, uelut quod de homine dicitur ſpecialiter,idem de equo, atque boue non poſsit intelligi. Dicitur autem de ſpecie, quoties genus ipſum, ueluti in quandam contrahitur portionem. Velut,ſi quis dicat; Illud animal ſibi adduci debere,quod ſit rationale,& mortale. Non utique de equo,uel boue, aut de ceteris,niſi tantum de homine dictum eſſe intelligitur. Vt igitur generaliter dictum. Genus omnis ſpecies claudit. Cum quis dicit,omne animal: ſic quodlibet animal deſignatum,ſpeciem facit. Quae cum ita ſint,a forma generis,ideſt a ſpecie generis,tale fit argumentum, quam formam generis Cicero partem ſaepe nominat, quo id,quod dicitur,planius fiat. Notius enim nomen partis eſt,quam formae. quo autem diſtet forma a partibus,& nos ſtrictim ſuperius diximus,& paullo poſt a Cicerone ipſo latius explicabitur. Nunc de propoſito uideamus exemplo. Vxoris ſpecies ſunt duae: una,matrumfamilias; altera, uſu, ſed communi generis nomine uxores uocantur: fit uero id ſaepe,ut ſpecies eiſdẽ nominibus nuncupentur,quibus & genera. Materfamilias uero eſſe non poterat, niſi quae conueniſſet in manum: haec autem certa erat ſpecies nuptiarum. Tribus enim modis uxor habebatur, uſu, farre, coemptione,ſed confarreatio ſolis pontificibus conueniebat. Quae autem in manu per coemptionem uenerant,hae matresfamilias uocabantur. Quae uero uſu,uel farre,minime. Coemptio uero certis ſollemnitatibus peragebatur,& ſeſe in coemendo inuicem interrogabant,uir ita; an ſibi mulier materfamilias eſſe uellet. Illa reſpondebat,uelle. Item mulier interrogabat, an uir ſibi paterfamilias eſſe uellet.Ille reſpondebat,uelle. Itaque mulier uiri conueniebat in manum,& uocabãtur hae nuptiae per coemptionem,& erat mulier materfamilias uiro loco filiae. quam ſollemnitatem in ſuis inſtitutis Vlpianus exponit. Quidam igitur extremo iudicio omne Fabiae uxori legauit argentum: ſiquidem Fabia non ei uxor tantum,uerum etiam certa ſpecie uxoris,ideſt materfamilias eſſet,quaeritur an uxori Fabiae legatum ſit argentum. Vxor Fabia ſubiectum eſt, legatum argentum praedicatum. Quaero igitur, quod nam ex his argumentum ſumere poſsim, quae in quaeſtione ſunt poſita,ac uideo uxori duas ineſſe formas, quarum una tantum uxor eſt,altera materfamilias,quae in manuum conuentione perficitur. quod ſi Fabia in manum non conuenit,nec materfamilias fuit,id eſt non fuit ea ſpecies uxoris,cui argentum omne legatum. Quo circa, quoniam id,quod de alia ſpecie dicitur,in aliam dici non conuenit,cumq. Fabia praeter eam ſpeciem ſit,que in manum conuenerit, ideſt,quae materfamilias ſit, & uir matrifamilias legauerit argentum: non uidetur Fabiae eſſe legatum.quaeſtio igitur, ut dictum eſt, an uxori Fabiae omne argentum legatum ſit, ſubiectum uxor Fabia, praedicatum uero legatum argentum: argumentum ab eo,quod eſt in ipſo,de quo quaeritur,id eſt ab eo, quod eſt in uxore,de qua quaeritur. Eſt autem in uxore,de qua quaeritur ſpecies uxoris, ea ſcilicet, quae in manum non conuenit,quae ad eum affecta eſt. Omnis enim ſpecies ad ſuum genus refertur,ideſt omnis forma. factum eſt igitur argumentum ab eo,quod eſt in ipſo ab affectis a forma generis. Maxima propoſitio eſt, quod de una ſpecie dicitur idem,in alteram non conuenire.

GVEVARA. A. FORMA *generis*,] Cur ſpeciem appellet formam, ſupra diximus. Cur autem formam nunc, partemq. confundat, quas conſtat eſſe diuerſas, Cicero demum oſtendet. A forma, ut Viſorius ſcribit, dupliciter argumentum trahitur. Nam unius formae conformatio, uel eſt alterius refutatio, ut homo eſt, igitur bellua non eſt: uel generis approbatio, ut iuſtitia eſt, ergo uirtus eſt. Primum illud, quod ad nos nunc attinet, maxima propoſitio eſt, ſcilicet, quod de una ſpecie dicitur, idem in alteram non conuenire: quod & Boetius probat. Gaute tamen admittendum monet Cantiuncula, docens exemplis fallere multis in rebus. Poſterius Quinctilianus etiam confirmat libro quincto, capite decimo. Species, inquit, firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam, quod iuſtitia eſt, utique uirtus eſt: quod non iuſtitia, poteſt eſſe uirtus, ut ſi eſt fortitudo, continentia, conſtantia. Numquam itaque tolletur a ſpecie genus, niſi omnes ſpecies, quae ſunt generi ſubiectae, remoueantur, hoc modo: quod neque immortale eſt, neque mortale, animal non eſt. Hoc etiam eſt, quod dicere ſolent Iuriſperiti, ad poſitionem ſpeciei, ſequi poſitionem generis. l. ſi quid earum rerum, §. inter, ff. de legatis tertio. l. ſecunda, §. creditum, ff. ſi certum petat. Hucq. & ſimiliter pertinet, genus continere ſpeciem, & ſpeciem genus: genus, ſcilicet ſpeciem contentiue, & comprehenſiue: ſpeciem genus, illatiue, & conſecutiue: homo eſt, igitur animal, platanus, ergo arbor. Sed & multa alia ad uſum huius loci ſpectantia tradunt Ariſtoteles libro ſecundo Topic. Rodolphus libro primo, cap. ſexto. Et ex Iuriſconſultis Euerardus loco ſeptimo. Cantiuncula loco octauo. Gammarus libro primo. SI *ita Fabiae pecunia legata eſt a uiro*,] Subiectum eſt Fabia, praedicatum legata pecunia. Quaeſtio, an Fabiae uxori legatum debeatur. Quod autem ait, pecunia legata eſt a uiro, Boetius ſic interpretatur, quaſi uir teſtator eſſet, & eius uxor Fabia uocaretur, quod Othomanus libro primo obſeruationum, capite uigeſimoprimo, ſeuere reprehendit. Ignorauit, inquit, uir Dialecticae peritiſsimus, uim eius locutionis, quae apud Iuriſconſultos eſt uſitatiſsima. Nam legare ab aliquo, cum dicimus, aliquem heredem intelligamus, ut non ex hereditatis aſſe legatum detrahatur, ſed ex eius dumtaxat parte, qui nominatus eſt. Vir igitur non teſtator fuit, ſed unus ex heredibus inſtitutis: & Fabia non teſtatoris uxor, ſed heredis. Forma igitur legati ſub

condicione

condicione concepti ſic eſt. Valerius heres meus uxori ſuae Fabiae, ſi materfamilias eius ſit, centum dato. Sane eleganter Othomanus. Sed, quid, ſi ipſe Valerius ita ſcripſit: Fabiae uxori meae, ſi, cum moriar, mihi materfamilias fuerit, centum do lego. Non ne recte ego dicam, Fabiae a uiro centum legata, ſi ei materfamilias eſſet? Si pater dotem filiae perlegauerit, errabit ne dicens filiae a patre dotem perlegatam? Ceterum matremfamilias hic accipe eam, quae in manum conueniſſet: alias, ut Vlpianus ſcribit in l. Pronunciatum, §. matremfamilias, ff. de uerborum ſignificat. neque nuptiae, neque natales matremfamilias faciunt, ſed boni mores. De qua re Blondus de Roma triumphante libro ſeptimo. Et Cantiuncula loco ab ſpecie. Et optime Raeuardus libro quarto uarior. cap. duodecimo. GENVS *eſt enim uxor, eius duae formae, una matrumfamilias, earum, quae in manum conuenerunt: altera earum, quae tantummodo uxores habentur.*] Multa poſſem hoc loco afferre de antiquo connubiorum iure, cognitu quidem iucunda, atque ad eam rem, de qua agimus, attinentia, quae fuſius ſcribunt Quinctilianus libro quincto, cap. decimo, Plutarchus in Problematibus, Vlpianus titulo nono, uigeſimoſecundo, & uigeſimonono. Gellius libro quarto, cap. tertio, & quarto, & libro decimooctauo, cap. ſexto. Coelius Rhodiginus, libro decimoquincto Antiq. lect. Volaterranus libro trigeſimo comment. urb. Budaeus in annot. ad Pandect. Alexander ab Alexand. lib. ſecundo Genial. dier. cap. quincto. Guarinus in Catul. in Epitalamio Iuliae, & Mallij. Perionius in Concione centeſima quadrageſimaſeptima Liuij. Alciatus in Annot. ad Corn. Tacit. libro quarto. Cuiacius libro ſeptimo obſeruat, cap. undecimo. Coraſius de iuris arte, prima parte, cap. decimoſeptimo. Othomanus in Partitionibus iuris ciuilis tit. ſeptimo de iure uxorum, & ad leges duodecim tab. tertia parte, cap. quarto. Carolus Sigonius lib. primo de iure ant. ciu. Rom. cap. nono. Verum ex his ea ſolum referemus, quae maxime ad interpretationem huius exempli erunt neceſſaria. Id ita explicat Boetius. Tribus, inquit, modis uxor habebatur, uſu, farre, coemptione: ſed confarreatio ſolis pontificibus conueniebat. Quae autem in manum per coemptionem conuenerant, hae matres familias uocabantur: quae uero uſu, uel farre, minime. Coemptio uero certis ſolemnitatibus peragebatur, & ſeſe in coemendo inuicem interrogabant: uir ita, an ſibi mulier materfamilias eſſe uellet: illa reſpondebat, uelle. Item mulier interrogabat, an uir ſibi paterfamilias eſſe uellet: ille reſpondebat, uelle. Itaque mulier, uiri conueniebat in manum. & uocabantur hae nuptiae per coemptionem: & erat mulier materfamilias uiro loco filiae. De qua, ni fallor, accipiendum eſt, quod Antonius Roſcius libro tertio Memorabilium, cap. primo, num. 3. ait. Eos, qui poſt Romulum monarchiam tenuerunt, lege tuliſſe ut uxor marito in bonis ſuccederet. Confarreationis, ut eſt apud Sigonium, Dionyſius meminit in Romulo, ſacras nuptias ſcribens farracia eſſe dictas, quod eodem farre coniuges ueſcerentur, quo etiam uictimas reſpergerent. Itaque Vlpianus tit. nono Inſtitut. Farre, inquit, conuenitur in manum, certis uerbis, & teſtibus decem praeſentibus, & ſollemni ſacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur. Et Plinius libro decimo octauo, cap. tertio. In ſacris nihil religioſus confarreationis uinculo erat: nouaeq. nuptae farreum praeferebant. Et Tacitus lib. tertio Confarreandi conſuetudinem, aut omiſſam, aut inter paucos retentam ait. Hinc diffarreatio, apud Feſtum, diſſolutio matrimonij dicitur confarreatione contracti. Coemptionis formam idem Sigonius, Alexander, & Guarinus referunt: ea erat huiuſmodi. Veteri Romanorum lege, ut Varro tradit, nubentes mulieres ad uirum tres aſſes ferre ſolebant. atque unum quidem, quem in manu tenebant, tamquam emendi cauſſa marito dare: alium, quem in pede habebant, in foro larium familiarium ponere: tertium, in ſaciperio, cum condidiſſent, compito uicinali ſolebant reſignare. Ex hoc ergo, atque aliis, quae ſupra ſunt dicta, fiebat, ut mulier in manu, mancipioq. mariti eſſet, aut eius, cuius in manu, mancipioq. maritus erat: ſuaq. illi heres fieret. Vir autem, non in manu, ideſt poteſtate uxoris erat: ſed quod coemptus erat, id ei ſui heredis ius tribuebat. Vſu fieri matrimonium dicebatur, ut eſt apud eundem Sigonium, cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conueniebat: & cum uiro conſueſcebat, ita ut cum iuſto marito: adeo, ut, ſi uſus ille intra annum non interrumperetur, pro uſu capta iam haberetur. Qua de re non nihil ſcriptum fuiſſe in duodecim tabul. Macrobius libro primo, cap. tertio. & Gellius libro tertio, cap. ſecundo, indicant: qui Q. Mucium dicere ſolitum referunt, non eſſe uſurpatam mulierem, quae cum Kal. Ianuariis apud uirum cauſſa matrimonij eſſe coepiſſet, ante diem IV. Kalen. Ianuarias ſequentes, uſurpatum iiſſet. Non enim poſſe impleri trinoctium, quod abeſſe a uiro uſurpandi cauſſa, ex duodecim tabul. deberet. Ex quibus uerbis apparet, ut aliarum rerum, ſic etiam uxorum uſucapionem fuiſſe. Et, ſi uxor per annum integrum, nullo interrupto uſu, apud uirum fuiſſet, manum mariti ueniſſe, & ex tutorum poteſtate exiſſe. Vſum uero, ſi per tres noctes ab eo abfuiſſet, interruptum fuiſſe. Atque id eſſe uſurpare, lex ſecunda, de uſurpationibis, & uſucapionibus docet, ubi Iuriſconſultus ait. Vſurpatio eſt, uſucapionis interruptio. Et hoc modo Mucij reſponſum, Sigonius libro primo de antiq. iur. ciu. Rom. cap. nono. Othomanus in partitionibus iuris tit. de iure uxorum. Et ad leg. duodecim tabul. tertia parte, cap. quincto. Et in l. quincta, ff. Qui teſtamen. fac. poſſ. Oroſcius, in l. ſecunda, ff. de orig. iur. Cuiacius, in l. ſecunda, ff. de uſucapionibus. & Forcatulus in Penu iuris ciuilis, cap. decimoquincto interpretantur. Illud quoque accipiendum eſt, quod pro Flacco Cicero ſcribit. In manum, inquit, conuenerat, nunc audio, ſed quaero utrum uſu, an coemptione? Vſu non potuit: nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omnium tutorum auctoritate deminui. Coemptione? omnibus ergo auctoribus: in quibus certe Flaccum fuiſſe non dices. Vnde Othomanus notat, neque uſu, neque coemptione fieri uxorem ſine tutorum ſuorum auctoritate ullam potuiſſe. Ad haec, Ser. Sulpicium in libro, quem ſcripſit de dotibus, ſcripſiſſe Gellius ait. Qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, ſtipulari ſolitum, eam in matrimonium ductum iri: qui daturus eſſet, itidem ſpopondiſſe. Huncq. contractum ſtipulationum, ſponſionumq. dici ſponſalia.

alia. Tunc, quae promiſſa eſſet, ſponſam appellari, qui ſpopondiſſet ductꝰrum, ſponſum. Vxorem, Seruius alter, in libro quarto Aenei. Virgilij, quaſi unxorem dici putat, quod moris fuerit, ut nubentes puellae, ſimul cum ueniſſent ad limen mariti, poſtes, antequam ingrederentur, ornarent laneis uittis, & oleo ungerent. Et Plinius lib. uigeſimooctauo, cap. 9. Proxima, inquit, in communibus adipis laus eſt, ſed maxime ſuilli, apud antiquos etiam religioſi. Certe nouae nuptae intrantes, etiam num ſollemne habent poſtes eo attingere. Idem Gellius ſcribit, pellicem appellatam, probroſamq. habitam, quae iuncta, conſuetaq. eſſet cum eo, in cuius manu, mancipioq. alia matrimonij cauſſa fuiſſet. Idq. antiquiſsima lege Numae regis oſtendi. Pellex aedem Iunonis non tangito: ſi tangit, Iunoni crinibus dimiſsis agnum feminam caedito. Pellex autem quaſi Pallax, ideſt quaſi Pallachis, ut pleraque alia, ita hoc quoque uocabulum de Graeco flexum eſt. Idem Gellius ſcribit, idoneos uocum antiquarum enarratores tradidiſſe, matronam dictam eſſe proprie, quae in matrimonio cum uiro conueniſſet, quoad in eo matrimonio maneret: etiam ſi ſibi liberi nondum nati forent. Dictamq. eſſe ita a matris nomine, non adepto iam, ſed cum ſpe, & omine mox adipiſcendo: unde ipſum quoque matrimonium dicitur. Matrem uero familias appellatam eſſe eam ſolam, quae eſſet in mariti manu, mancipioque: aut eius, in cuius maritus manu, mancipioq. eſſet. Quoniam non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoque mariti, & in ſui heredis locum ueniſſet.

C I C E R O

A Similitvdine, *hoc modo: Si aedes eae corruerunt, uitium ue fecerunt, quarum uſusfructus legatus eſt, heres reſtituere non debet, nec reficere, non magis quam ſeruum reſtituere, ſi is, cuius uſusfructus legatus eſt, deperiißet.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. Similia dicuntur, quae eiuſdem qualitatis ſunt, ex quibus hoc modo ſumitur argumentum. Quidam teſtamento aedium uſumfructum legauit, ideſt conceſsit aedes, ut iis, dum alius uiueret, uteretur. Hae coeperunt, uel uitium facere, ideſt ruinam minari, uel etiam corruerũt. Petit igitur ab herede is, cui aedium uſusfructus legatus eſt, ut earum ſibi aedium, quae a teſtatore legata ſunt, damna compenſet, & aedes, quae uitium fecerunt, uel corruerunt, reſtituat. Quaeritur, an earum aedium, quarum uſusfructus legatus ſit, uitium, uel ruinam heres reſtituere cogatur. Hic igitur ſubiecta quidem oratio eſt, ueluti quidam terminus aedium, quarum uſusfructus legatus ſit, ruina, uel uitium. Praedicata uero oratio loco termini conſtituta, ab herede reſtitutio. Sumo igitur a ſimili argumẽtum, hoc modo: Quoniam, ſi quis ſerui uſumfructum legauerit, iſq. ſeruus aliquo modo deperierit, non cogitur reſtituere heres ſeruum. Ne nunc quidem cogetur heres reſtituere aedes, quae in uſumfructum legatae ruinam, uitiumue fecerunt. Similis eſt enim ſerui uſusfructus legatio aedium, uſusfructus legationi. Simile etiam ſeruum in uſumfructum legatum ſi deperierit, ab herede non reſtitui, & aedium in uſumfructum legatarium uitium, ruinamue ab herede non refici. Eſt igitur quaeſtio quidem, an aedium in uſumfructum legatarum, uitium, uel ruinam heres reſtituere cogatur. Termini uero ſubiectus quidem aedium in uſumfructum legatarum, uitium, uel ruinam: praedicatus autem ab herede reſtitutio. Argumẽtum uero ab eo, quod in ipſo eſt, id eſt ab eo, quod ineſt, uel ruinae, uel uitio aedium in uſumfructum legatarum. Id autem eſt affectum, ideſt ſimilitudo. Omnis enim ſimilitudo ei ineſſe perpenditur, quod eſt ſimile. Similitudo uero eſt ſerui uſusfructus legati pereuntis, quem reſtituere heres non cogitur. Maxima uero propoſitio, ſimilibus rebus eadem conuenire.

GVEVARA. A. similitvdine,] Quaeſtio, ut Boetius ſcribit, eſt. an uitium, uel ruinam aedium, quarum uſusfructus legatus eſt, heres praeſtare teneatur. Termini, ſubiectus quidem, aedium uitium; praedicatus, ab herede reſtitutio. Maxima propoſitio, ſimilibus ſimilia conuenire. Similitudini, ut Latomus ait, differentia opponitur eo, quod haec rerum inter ſe collatarum qualitas eſt diuerſa: illa eadem. A paribus autem ſimilitudo differt, ut eſt apud eũdem Latomum, quod ſimilitudo ad qualitatem, comparatio ad quantitatem pertinet. Huius loci uſum Ariſtoteles docet lib. ſecundo Topic. & Quinctilianus lib. quincto, cap. decimo. Ex ſimilibus, inquit, ſi continentia uirtus, utique & abſtinentia: ſi fidem debet tutor, & procurator. Et cap. undecimo ait: Illud eſt annotandum, argumenta magis duci ex Iure ciuili, ut Cicero in Topicis. Ei, cui domus uſusfructus relictus eſt, non reſtituturũ heredi, ſi corruerit: quia non reſtituat ſeruum, ſi deceſſerit. Et lib. octauo, cap. 3. Praeclare uero ad inferendam rebus lucem, repertae ſunt ſimilitudines: quarum aliae ſunt, quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliae ad exprimẽdam rerum imaginem compoſitae. Vbi multa ponit exempla oratoria, poeticaq. Bucoldianus quoque lib. primo de Inuet. cap. duodecimo, ex Cicerone, & Virgilio. Titelmannus lib. v. Dialect. cap. uigeſimonono. Ex ſacra ſcriptura. Ex Iuriſconſultis, & Doctorum reſponſis Cantiuncula in Topic. legalib. Euerardus loco decimotertio, & Gammarus lib. ſecundo. Quibus autem modis eludendae ſunt ſimilitudines, Quinctilianus ſcribit lib. quincto, cap. duodecimo. Heres *reſtituere non debet,*] In eadem ſententia eſt Papinianus in l. Domus hereditarias. Et Caius in l. ſi ita legatum, §. ſi domus, ff. de legatis primo. Vlpianus quoq. in l. uſufr. legato, §. quoniam, ff. de uſuf.. Quoniã igitur, inquit, omnis fructus rei ad eum pertinet, reficere quoque eum aedes per arbitrum cogi, Celſus ſcribit lib. 18. Digeſtorum: hactenus tamen ut ſarta tecta habeat: Si qua tamen uetuſtate corruiſſent,

corruiſſent, neutrum cogi reficere. Sed ſi heres refecerit, paſſurum fructuarium uti. Et in l. repeti. §. 1. ff. quib. mod. uſuſf. am. idem. Vlpianus ait. Rei mutatione interire uſumfructum placet. Veluti uſusfructus mihi aedium legatus eſt: aedes corruerunt, uel exuſtae ſunt, ſine dubio exſtinguitur. Nec contra eſt, quod in lege uigeſimaquarta. ff. de legatis primo Pomponius ait. Si diminutum, ex grege pecus eſſet, & uel unus bos ſupereſſet: eum uindicari poſſe, quamuis grex deſiſſet eſſe: quemadmodum inſula legata ſi combuſta eſſet, area poſsit uindicari. Quod in legato proprietatis admittendum eſt, illud aliud de uſufructu accipiendum: quemadmodum, & quod lege trigeſimaprima. ff. quem, uſuſf. am. idem Pomponius ſcribit. Cum gregis uſusfructus legatus eſt & uſque eo numerus peruenit gregis, ut grex non intelligatur, periit uſusfructus: ne ſecum diſſentire Iuriſconſultus idem uideatur. Ratio diſcriminis ea eſt, quia, cum proprietas certi corporis legatur, id debetur, quod de corpore reperitur, quod in uſufrufuctu non eſt. Vnde in l. octaua. §. primo. ff. de legatis ſecundo. Paullus ait. Siquis legauerit, ex illo dolio amphoras decem: & ſi non decem, ſed pauciores inueniri poſſent: non exſtinguitur legatum. Sed hoc tantummodo accipit, quod inuenitur. Non *magis, quam ſeruum reſtituere, ſi is, cuius uſusfructus legatus.*] Idq. uerum eſt Nam, ut in lege centeſima octaua. §. nono. ff. de legatis primo Africanus ſcribit, ſi ſeruus legatus ſit, & moram haeres fecerit, periculo eius & uiuit, & deterior fit. Sic, & de fundo ad ſeruum, in lege ſeptuageſima. ff. de legatis primo, Caius argumentatur. Si ſeruus Titij furtum mihi fecerit, deinde Titius, herede me inſtituto ſeruum tibi legauerit: non eſt iniquum talem ſeruum tibi tradi, qualis apud Titium fuit: ideſt, ut me indemnem praeſtes furti nomine, quod is fecerit apud Titium. Nam, etſi fundus, qui meo fundo ſeruiebat, tibi legatus fuerit, non aliter a me tibi praeſtari debeat, quam, ut priſtinam ſeruitutem recipiam. Et lege uigeſima ſecunda, eodem tit. a grege ad inſulam Pomponius. Si diminutum ex eo grege pecus eſſet, & uel unus bos ſupereſſet, eum uindicari poſſe, quamuis grex deſiſſet eſſe: quemadmodum inſula legata ſi combuſta eſſet, area poſsit uindicari.

C I C E R O

A differentia: Non, ſi uxori uir legauit omne argentũ, quod ſuum eßet; iccirco, quae in nominibus fuerunt, legata ſunt. Multum enim differt, in arca ne poſitum ſit argentum, an in tabulis debeatur.

E X P L A N A T I O

BOETIVS. In rebus plurimum differentibus, quod de altera earum dicitur, non uidetur in alteram conuenire. Id cum ita ſit, quidam argentum omne legauit uxori, illa pecuniam quoque, quae in nominibus debebatur, ſuam eſſe dicebat, quod omnis pecunia nomine uocaretur argenti, quaeritur, an id quoque argentum, quod in nominibus debebatur, legatum ſit. Hic igitur ſubiectus eſt terminus argentum; quod in nominibus debetur. legatum uero praedicatus. A differentia igitur faciemus argumẽtationem, hoc modo; Idem de plurimum differentibus rebus intelligi non poteſt, plurimum uero differt argentum, in arcane ſit poſitum, an in nominibus debeatur. Nam, quae poſita ſunt, in arca pecunia eſt, iuris eſt noſtri; in nominibus uero debita non eſt noſtra. Nam, quod mutuum datur, ex meo fit accipientis, atque ideo non cogitur eandem ipſam pecuniam debitor reſtituere creditori, ſed aliam tantam. In arca uero poſita pecunia, & in nominibus debita, non ſunt argenti, uel pecuniae ſpecies, ſed differentiae. Nam argenti ſpecies, ſignatũ ac non ſignatum eſſe dictae ſunt. Qualitas uero pecuniae in poſſeſsione poſitae, uel non poſitae, ſed non modis omnibus alienae, in his differentiis conſtat, ut alia ſit in arca poſita, reliqua in nominibus debeatur. Atque hoc iccirco dictum eſt, ne quis non a differentiis, ſed a ſpecie argumentationem ductam putaret. Qualitas enim ſubſtantialis, non ſpeciebus, ſed differentiis annumeratur. Cum igitur ſuum omne, quod fuerit argentum, uir uxori legauerit, cumq. manifeſtum ſit, id ad eam pertinere, quod fuerit ſuum legantis, id eſt, quod in arca fuerit conditum, non poteſt intelligi de eo, quod in nominibus debebatur, quoniam, ſicut dictum eſt, id, quod in nominibus debetur, ab eo, quod in arca poſitum eſt, plurimum differt. Facta eſt igitur argumentatio, ab eo, quod in ipſo inerat, de quo quarebatur; quaerebatur uero de argento in nominibus debito. In hoc uero inerat propria differentia, qua ab alio differebat argento, eo ſcilicet, quod in arca poſitũ fuerat. Id uero eſt affectum, ideſt a differentia. Maxima uero propoſitio, de rebus plurimum differentibus idem intelligi non poſſe.

GVEVARA. A differentia.] Quinctilianus diſsimile, alij ſeparatum appellant de quibus multa Bucoldianus lib. primo cap. duodecimo. Titelmannus lib. 5. cap. trigeſimoſecundo. Euerardus loco decimooctauo. Cantiuncula loco a differentibus. Et Gammarus lib. ſecundo. Hoc loco Iuriſconſultus utitur in lege ſexageſima quincta in fine. ff. de adquir. rer. dom. Non ſi id, quod in publico innatum, aut aedificatum eſt, publicum eſt: Inſula quoque, quae in flumine publico nata eſt, publica eſſe debet. Sic enim, cum negatione in initio legendum, recte Othomanus docet, lib. primo obſeruationum, capit. quadrageſimo. Quia alia Inſulae, alia ceterarum rerum ſit ratio. Inſula enim in flumine publico nata, flumen dilatat, ac propterea tantundem in utriuſque ripae aduerſae agro regionis occupat, quantum ipſa continet. Arbores uero in fundo publico natae, aut aedificium poſitum, nihil uicinis detrimenti afferunt. Non *ſi uxori uir legauit omne argentum, quod ſuum eſſet, iccirco, quae in nominibus fuerunt, legata ſunt.*] Quinctilianus lib. quincto cap. decimo.

cimo, ex diſsimilibus. Non ſi laetitia bonum, & uoluptas. Non quod mulieri, idem pupillo. Et cap. undecimo. Diſsimilia ſic deprehenduntur. Non ſi qui argentum omne legauit, uideri poteſt ſignatam quoque pecuniam reliquiſſe, ideo etiam, quod eſt in nominibus, dari uoluiſſe creditur. Idq. uerum eſt: nam, ut lege uigeſimaſeptima. ff. de aur. & arg. leg. Vlpianus ſcribit. Argento omni legato, quod ſuum eſſet: ſine dubio non debetur id, quod in credito eſſet. Hoc ideo, quia non uidetur ſuum eſſe, quod uindicari non poſsit. Et lege trigeſimaquarta. Pomponius libro nono ad Q. Mucium, inquit. Scribit. Q. Mucius, ſi aurum ſuum omne paterfamilias uxori ſuae legaſſet: id aurum, quod aurifici faciundum dediſſet, aut quod ei deberetur, ſi ab aurifice ei repenſum non eſſet, mulieri non debetur. Pomponius: hoc ex parte uerum eſt, ex parte falſum. Nam de eo, quod debetur, ſine dubio, utputa ſi auri libras ſtipulatus fuerit, hoc aurum, quod ei deberetur ex ſtipulatu, non pertinet ad uxorem: cum illius factum adhuc non ſit. Id enim, quod ſuum eſſet, non quod in actione haberet, legauit: &c. Othomanus lib. 1. obſeruationum cap. uigeſimoſecundo, hoc exemplum ad locum a differentia pertinere non poſſe contendit, ſed ad definitionem potius. Boetius, & Viſorius notant, ſubiectum in hac quaeſtione terminum eſſe argentum debitum: praedicatum teſtatoris legatũ: Maximam propoſitionem, de rebus plurimum differentibus, idem intelligi non poſſe: ideſt, ut Iuriſperiti dicũt, ab ſeparatis non fieri illationem. l. fin. ff. de calumniat. l. naturaliter, §. nihil commune. l. permiſceri, in principio. ff. de adq poſſ. l. Papinianus exſuli. ff. de Minorib. illud non probo, quod quidam hic interpretes aiunt Ciceronem hoc exemplum ex lege illa uigeſimaſeptima. ff. de aur. & arg leg. mutuatum. Sane cum Domitius Vlpianus Alexandri Seueri Imperatoris Praefectus praetorio fuerit, ut conſtat ex l. diui. ff. de locato & cond. & aduertit Antonius Auguſtinus libro ſingulari ad Modeſtinum: Magiſtrumq. ſacrorum ſcriniorum eiuſdem Imperatoris fuiſſe ſcribant Eutropius libro octauo. Riuallius, lib. quincto Hiſtoriae iuris ciuilis. Politianus epiſtola ad Iacobum Modeſtum libro quincto. Roſcius libro tertio Memorabilium, cap. ſexto. Numero quadrageſimo: imperaſſe autem Alexandrum anno ducenteſimo trigeſimoſecundo poſt Chriſti aduentum cõſtet ex Alexandro Sculteto pagina cẽteſima undecima, Maſſeo libro nono Chronicorum. Ciceronem uero conſulatum geſsiſſe, idem Scultetus oſtendat pagina nonageſima octaua, ſexaginata duobus annis ante Chriſti aduentum: qui fieri potuit, ut ex Vlpiano Cicero ſumpſerit exemplum? Cum inter eos anni interceſſerint ducenti nonaginta quattuor. Quamquam non infitior, Q. Mucij librum, quem Vlpianus citat, Ciceronem legere potuiſſe, immo aio eſſe ueriſimile, ſi modo Q. Mucius, cuius quaedam citantur in Pandectis, idem ille eſt P. F. Pont. Max. cuius apud Ciceronem quoque plurima mentio. MVLTVM *enim differt in arca ne poſitum ſit argentum, an in tabulis debeatur.*] Poſtremum uerbum, Debeatur, gloſſam redolere, libro primo obſeruationom cap. uigeſimo ſecundo, Othomanus ſcribit: quod & mihi uidetur. Eſt autem haec ſuperioris exempli ratio, quam & Pomponius expreſsit, cum ait. Id enim, quod ſuum eſſet, non quod in actione haberet, legauit. Et Vlpianus: hoc ideo, quia non uidetur ſuum eſſe, quod uindicari non poſsit. Vnde quaedam acute ratiocinatur Othomanus, Inſtit. de actionib. in pe. agens de actionis definitione.

C I C E R O

EX *contrario autem ſic: Non debet ea mulier, cui uir bonorum ſuorum uſumfructũ legauit, cellis uinariis, oleariis plenis relictis putare id ad ſe pertinere, uſus enim non abuſus legatus eſt. Ea ſunt inter ſe contraria.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. QVOD de aliqua re dicitur, id in eius contrarium nõ poteſt conuenire. Idem enim duobus contrariis intelligi nullo modo poteſt. Quidam igitur ſupremae uoluntatis arbitrio uxori bonorum ſuorum uſumfructum legauit; mulier igitur cellas uinarias, oleariasq. plenas ad uſufructum proprium deuocabat, quaeritur an penus quoque uſufructus legatus ſit. Penus igitur ſubiectus eſt, legatio praedicatum. A contrario igitur ſumitur argumentum, hoc modo: Vtimur his, quae nobis utentibus permanent, his uero abutimur, quae nobis utentibus pereunt; ergo cum permanere, ac perire contraria ſint: uſus quoque & abuſus contraria neceſſe eſt iudicentur. Quod ſi cetera quidem utendo permanent, cellae autem uinariae, atque oleariae utendo conſumuntur: aliarum quidem rerum uſusfructus eſſe poteſt, penus uero non poteſt uſus eſſe, ſed potius abuſus. Ergo, cum uir uxori uſumfructum bonorum legauerit, non potuit legare contrarium, quod eſt abuſus, eſt uero abuſus uini, atque olei: uinum igitur, atque oleum ad uſumfructum mulieris non poteſt pertinere. Argumentum ab eo, quod in ipſo eſt, de quo agitur, ideſt ab uſusfructus legatione, atque ab affecto, ideſt contrario. Contraria uero in contrariis non ita ſunt, tamquam relatio. Omnis enim relatio in relatiuis, omniaq. contraria non id, quod ſunt, ideſt qualitates, ſed hoc ipſum, quod contraria ſunt, in contrariis eſſe dicuntur; quia non ſecundum qualitatem propriam, ſed ſecundum plurimam diſtantiam, ſibi inuicem conferuntur. Maxima propoſitio eſt, Quod alicui conuenit, id eius contrario non conuenire.

GVEVARA. Ex *contrario.*] Fertiliſsimum in campum deuentum eſt. Qnandoquidem, ut libro ſexto, cap. primo ex Chryſippo Gellius ſcribit, nullum contrarium eſſe ſine contrario poteſt. Quo enim pacto Iuſtitiae ſenſus eſſet, niſi eſſent iniuriae? Aut quid aliud iuſtitia eſt, quam iniuſtitiae priuatio? Qui item fortitudo intelligi poſſet, niſi ex ignauiae oppoſitione? Qui continentia, niſi ex intemperantiae? Quo

item

item modo prudentia eſſet, niſi foret contra imprudentia? Quare multa de uſu huius loci philoſophati ſunt, Cicero lib. primo de Inuent. & lib. 2. de Oratore. Ariſtoteles lib. 2. Topic. Quinctilianus lib. quincto cap. decimo, & undecimo. Et Titelmannus lib. quincto Dialect. c. uigeſimoſecundo. Euerardus loco decimonono. Cautiuncula loco a contrariis. Et Gammarus lib. ſecundo. NON *debet ea mulier.*] Penus uſusfructus, ſubiectum eſt: legatum, praedicatum: maxima propoſitio, quod alicui conuenit, id eius contrario non conuenire, quam probant l. haec uerba ille, aut ille. ff. de uerb. ſign. l. ſi inter me, & te. ff. de except. rei iud. l. ius noſtrum. ff. de reg. iur. l. adoptiuum. §. patronum. De in ius uoc. l. 1. C. de furrtis. Huc illud pertinet, quod. l. Pomponius, quadrageſima. §. ſecundo. ff. de procurat. Vlpianus ſcribit. Cum iudicatur rem meam eſſe, ſimul iudicatur illius non eſſe. Et Quinctilianus, frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum cauſſa bellum eſt, erit emendatio pax. Si ueniam meretur, qui imprudens uocauit, non meretur praemium qui imprudens profuit. NON *debet ea mulier, cui uir bonorum ſuorum uſumfructum legauit, cellis uinariis plenis relictis, putare id ad ſe pertinere.*] Haec ſententia Iuſtiniani Imperatoris decreto confirmata eſt Inſtit. de uſufructu. Conſtituitur, inquit, uſusfructus non tantum in fundo, & aedibus, uerum etiam in ſeruis, & in iumentis, & ceteris rebus, exceptis iis, quae ipſo uſu conſumuntur. Nam haeres, neque naturali ratione, neque ciuile recipiunt uſumfructum: quo in numero ſunt uinum, oleum, frumentum, ueſtimenta: quibus proxima eſt pecunia numerata: namque ipſo uſu aſsidua permutatione quodam modo exſtinguitur. Quare, quod Forcatulus Necyomantiae dialogo trigeſimo nono ſcribit, de hac re, eſt ſane & inſolentius dictum, & nullam rationem habet. Viae, inquit, incognitae cladis fuere initium. Diſerti erant, non periti iuris. Inde eſt eiuſdem. M. Tullij lapſus in libris Topicorum, in loco a contraiiis. Vſufructu legato &c. Tutius ait eſſe, uſumfructum quoque legatum rerum uſu conſumptibilium, quia eis praeſtita cautione fruamur. Verum haec quid ad rem? Cenſuit quidem ſenatus utilitatis cauſſa poſſe etiam earum rerum uſumfructum conſtitui, ut tamen eo nomine heredi utiliter caueretur: ideſt, ut legatario traderentur, & eius fierent: aeſtimatis tamen his, & data ſatiſdatione, ut, ſi moriatur, aut capite minuatur legatarius, tanta pecunia reſtituatur, quanta hae fuerint aeſtimatae, ut toto titulo. ff. de uſufr. ear. rer. continetur. Sed, ut egregie Iuſtinianus Imperator ait, Senatus non fecit earum rerum uſumfructum, nec enim poterat, ſed per cautionem quaſi uſumfructum conſtituit. Praeterea, quod eſt apud eundem Forcatulum, exemplum hoc M. Tullij nō plane reſpondere loco a contrariis, quia, qui habeat uſum bonorum, & utendo quaſdam res conſumat, nihil faciat uſui contrarium, ſed aliquid plus uſu, ſicut qui nimium diligat, nihil faciat amori contrarium: quam ſit plenum, ut parce dicam, utilitatis, ſummaeq. leuitatis, nemo non cernit. Atque ex his, quae de uſu, & abuſu ſtatim dicemus, erit manifeſtum. VSVS *enim, non abuſus legatus eſt.*] De uerbis utor, & uſus, plura Gellius lib. decimoquincto cap. decimo tertio. Valla lib. quincto eleg. cap. quincto. Hadrianus de ſermone latino. Briſſonius, & Othomanus de uerbis iuris. Item Othomanus lib. primo de uſuris cap, ſecundo. Vtimur igitur, ut & Boetius, & Viſorius notant, his, quae nobis utentibus pereunt. Vnde Non Marcel. Abuſa dicuntur, uſu conſumpta. Et Plautus, Vbi iſtaec, quae dedi ante? abuſa ſunt. Ergo ut Cicero ſubdit, ea ſunt inter ſe contraria.

CICERO

AB *adiunctis: Si ea mulier teſtamentum fecit, quae ſe capite numquam deminuit, non uidetur ex edicto praetoris ſecundum eas tabulas poſſeſſio dari: adiungitur enim, ut ſecundum ſeruorum, ſecundum exſulum, ſecundum puerulorum tabulas poſſeſſio uideatur ex edicto dari.*

EXPLANATIO

BOETIVS. ADIVNCTA ſunt, quae proximum, ac finitimum locum tenent, ut ſi eorum quolibet exſtiterit modo, alterum quoque uel exſtitiſſe, uel exſtare, uel exſtiturum eſſe uideatur. Haec enim ſibi quaſi uicina ſunt; quae uero in exſiſtendo ſibi ſunt proxima, haec uel antecedere rem uolunt; ut amor ſaepe concubitum. Vel ſimul eſſe, ut pallor, & timor. Vel euenire poſterius, ut poſt iracundiam caedes. Eaq. eſt adiunctorum natura, ut ſeparari quidem poſsint, tamen ſeſe inuicem monſtrent. Nam neque qui amauit, neceſſario potitus eſt, non amauit. Nec qui pallet, neceſſario timet, & ſaepe non timens pallet, nec ex neceſſitate iratus occidit, & occidit ſaepe aliquis non iratus; ſed tamen, ſi de ſingulis inquiratur, eum concubuiſſe qui amauit, & pallere, qui timet, & occidiſſe, qui fuerit iratus, ueriſimile eſt; non, quod ita neceſſe ſit, ſed, quia ex uicinis uicina colligimus. Nam, quod ad exemplum attinet huius argumenti, haec ſimilitudo eſt; Capitis deminutio eſt prioris ſtatus permutatio. id multis fieri modis ſolet, uel maxima, uel media, uel minima. Maxima eſt, cum & libertas, & ciuitas amittitur, ut deportatio. Media uero, in qua ciuitas amittitur, & retinetur libertas, ut in Latinas colonias tranſmigratio. Minima, cum nec ciuitas, nec libertas amittitur: ſed ſtatus prioris qualitatis immutatur, uelut adoptio, aut quibuſlibet aliis modis prior ſtatus retenta ciuitate potuerit immutari. Mulieres uero antiquo iure tutela perpetua continebantur recedebāt uero a tutoris poteſtate, quae in manum uiri conueniſſet, itaque fiebat prioris eis ſtatus permutatio, & erat capite deminuta, quae uiri conueniſſet

ueniſſet

uenifſet in manum. Quaedam igitur, quae ſi numquam capite deminuiſſet, quae in manum uiri minime conuenifſet ſine tutoris auctoritate teſtamentum facit. Quaeritur an ſecundum eius tabulas ex edicto praetoris debeat dari poſſeſsio. Hic ſubiectus quidem terminus mulieris numquam capite deminutae tabulae; praedicatus uero poſſeſsionis conceſsio. Sumitur ergo ab adiunctis argumentum, hoc modo: Nam, ſi ſecundum mulieris tabulas numquam capite deminutae poſſeſsio detur, nihil cauſſae eſt, cur non ſecundum puerulorum quoque, & ſeruorum tabulas ex edicto praetoris poſſeſsio permutatur. Quid enim officere poteſt, ne ſecundum mulieris numquam capite deminutae tabulas poſſeſsio deferatur. Id ſcilicet, quod ea, quae teſtamentum confecerat, ſui non fuerit iuris, quod idem & de pueris & de ſeruis dici poteſt. Illorum enim aetas, illorum condicio in alterius ſita eſt poteſtate. Adiungitur ergo, ſi ſecundum mulieris, quae in ſuo iure non eſſet, tabulas poſſeſsio detur ſecundum puerulorum quoque, & ſeruorum tabulas poſſeſsionem dari, qui ſui iuris minime ſint. Quoniamquidem illi ſub tutoris, illi ſunt ſub domini poteſtate. Proximum namque eſt rei, de qua quaeritur, quod eſt eius cōſequens, & poſtea exſiſtens, ut ſecundum ſeruorum, puerorumq. tabulas bonorum poſſeſsio detur, ſi illud, quod eſt in quaeſtione, conceditur. Quaeritur enim an ſecundum mulieris tabulas numquam capite deminutae poſſeſsio detur. Quam rem conſequitur, ut, ſi id fiat, ſecundum ſeruorū quoque, puerorumq. tabulas deferatur. Quod fieri quia non oportet, ne rei quidem praecedentis exſiſtere debebit exemplum. Nec tamen neceſſaria eſt conſecutio, ſed uicina. Nam fieri poteſt, ut id recipiatur ſolum ſecundum mulieris tabulas poſſeſsionem dari, non uero id, ut ſecundum tabulas ſeruorum, uel puerorum poſſeſsio concedatur. Sed proximum eſt, ut, qui nunc hoc recepit, poſterius illud admittat. Eſt igitur argumentum ab adiunctis, ideſt ab ipſo, quod inhaeret, de quo quaeritur. Eſt autem quaeſtio de mulieris numquam capite deminutae tabulis, ab affectis, ſcilicet ab adiunctis. Maxima propoſitio ex adiunctis adiuncta perpendit.

GVEVARA. Ab *adiunctis*] In Partitionibus adiuncta Cicero coniuncta uocat, & conſentanea: lib. II. de Oratore conſequentia, ſicut ex Quinctiliano lib. V. cap. 10. Ex conſequentibus, ait, ſiue adiunctis: ſi iuſtitia eſt bonum recte iudicandum. Si malum perfidia, non eſt fallendum. Idemq. retro. Rodolphus lib. I. cap. 17. applicita. Vſum autem huius loci, multis propoſitis Iuriſconſultorum exemplis, tradunt Bucoldianus lib. I. cap. 14. Gammarus lib. II. & Cantiuncula ſatis multa de exemplo hic a Cicerone propoſito. Si *ea mulier teſtamentum facit, quae ſe capite numquam deminuit,*] Iuſtinianus lib. I. Inſtit. tit. 16. Eſt autem, inquit, capitis deminutio, prioris ſtatus mutatio: eaq. tribus modis accidit. Nam, ut maxima eſt capitis deminutio: aut minor, quam quidam mediam uocant, aut minima. Maxima capitis deminutio eſt, cum ailquis ſimul & ciuitatem, & libertatem amittit. Quod accidit his, qui ſerui poenae efficiuntur atrocitate ſententiae: uel libertis, ut ingratis erga patronos condemnatis: uel iis, qui ſe ad pretium participandum uenumdari paſsi ſunt. Minor, ſiue media capitis deminutio eſt, cum ciuitas quidem amittitur, libertas uero retinetur: quod accidit ei, cui aqua, & igni interdictum fuerit: uel ei, qui in inſulam deportatus eſt. Nec aliud ſcripſiſſe Calliſtratum, Raeuardus putat lib. 3. Varior. cap. 5. Minima capitis deminutio eſt, cum ciuitas retinetur, & libertas, ſed ſtatus hominis commutatur, quod accidit iis, qui, cum ſui iuris fuerint, coeperunt alieno iuri ſubiecti eſſe, uel contra. Haec eadem Iuriſconſulti Paulus in l. fin. ff. de capitis dem. & Vlpianus tit. XI. ſcripſerunt. Et explicat latius, praeter Boetium, Viſorium, Latomum, Adrianus de ſermone Latino, Petrus Nannius lib. 9. Miſcel. in fine. Coelius Rhod. lib. XIII. antiq. lect. cap. 53. Marinus Becichemus, collectaneorum in Plinium pag. 146. Sypontinus in Martialem Epigr. 53. Coraſius in l. ſenatorem, ff. de ſenatoribus. Cuiacius lib. VI. Obuat. cap. 25. Othomanus in Partitionibus iuris ciuilis. Titulo nono de patriae poteſtatis diſſolutione. Sed, quod ad nos attinet, in minima capitis deminutione admittendum eſt Ciceronis exemplum. Itaque recte Sigonius lib. I. de antiq. iure ciu. Rom. cap. duodecimo, explicans illud, ex duodecim tab. Paterfamilias uti legaſſet ſuper familia, tutela ue ſuae rei, ita ius eſto. Quibus, inquit, in uerbis illud primum attendendum eſt, nō cuilibet legandi poteſtatem lege permitti, ſed patrifamilias tantum, ideſt ciu. Rom. qui e patris poteſtate exierit: hunc enim illi patremfam. appellarunt. Itaque filiosfam. eſſe excluſos uſque adeo, ut Cicero etiam in Topic. mulierem, quae ſe capite non deminuiſſet, ideſt, quae emancipata non eſſet, ſi teſtamentum feciſſet, ſecundum eas tabulas poſſeſsionem ex edicto Praetoris dari non poſſe, concluſerit. Et Othomanus in duodecim tab. fragmentis, tertia parte, cap. XI. illud, ait, ne praetereundum quidem eſt, quod Cicero in Topicis, & in eadem Boetius demonſtrat, mulierem eam integri capitis dici ſolitam, quae uiro in manū non conueniſſet: quae uero conueniſſet, eam capite deminutam fuiſſe: Illam ſine tutoribus auctoribus teſtamentum ſcribere non potuiſſe: hāc arbitratu ſuo, quippe tutelam ſolutam, ac liberam potuiſſe. Dicebatur uero ea, quae uiro in manum conueniſſet, capite deminuta, ut eſt apud eundem Othomanum, eadem 3. parte, cap. 4. quod eius familia uno capite, ideſt una perſona deminuta eſſet, uxore in uiri familiam, & ſacra tranſeunte. Hanc, quamdiu quidem in matrimonio manebat, nihil potuiſſe de ſuis bonis ſine uiri uoluntate alienare, idem Othomanus ſcribit, poteſtatem tamen a lege habuiſſe teſtamentum faciendi, & in eo de ſuis omnibus fortunis ſtatuendi: quod innuptae, quantumuis orbae, niſi tutoribus auctoribus facere non poſſent, cum eſſent in legitima, & perpetua tutela: ad quam illud pertinet, quod apud Ciceronem eſt in oratione pro Caecina, quod mulier ſine tutore auctore promiſerit non deberi. Et in Oratione pro Flacco, In manu, inquit, conuenerat: nunc audio. Sed quaero utrum uſu? an coemptione? Vſu non potuit, nihil enim poteſt de tutela legitima, ſine omnium tutorum auctoritate deminui. Coemptione? omnibus ergo auctoribus: in quibus certe Flaccum fuiſſe non dices. & in oratione pro Murena: mulieres omnes propter infirmitatem conſilij, maiores in tutorum poteſtate eſſe uoluerunt; hi inuenerunt, de iuriſperitis agit, genera tutorum, quae poteſtate mulierum continerentur. Idem probat

bat Liuius Decada quarta, libro quarto, & libro nono. Et Vlpianus tit. undecimo de tutelis. Et egregie explicat Alciatus lib. nono Parerg. cap. decimonono. Cuiacius lib. ſeptimo Obſer. cap. undecimo. Othomanus in Partitionibus iuris ciuilis tit. decimo de Tutelis. Raeuardus lib. ſecundo de iuris ambiguitatibus, cap. decimo. Et Sigonius lib. primo de antiquo iure ciu. Rom. cap. 13. Poſtea huiuſmodi legitimas feminarum tutelas lege Claudia ſublatas, ex lege tertia, C. de legit. tut. & Vlpiano tit. undecimo, ſatis conſtare, notat Othomanus in Indice legum Rom. ubi de Claudia. Et ad leges duodecim tab. tertia parte, cap. undecimo. At Raeuardus lib. primo Variorum, cap. 10. ſuſtinuiſſe legem Claudiam feminarum perpetuas tutelas, non ſuſtuliſſe probare nititur. NON *uidetur ex edicto praetoris ſecundum eas tabulas poſſeſſio dari.*] De bonorum poſſeſsionibus ſecundum tabulas, & contra tabulas, & ab inteſtato, integri ſunt multiq. tractatus in Pandectis, & Codice. Illud animaduertendum eſt, nonnumquam Iuriſconſultos, aduerſus tabulas dicere, pro ſecundum tabulas, non uulgari, aduerſus, ſignificatione, l. quincta, ff. de uſurpationibus, & uſucapionibus. Caius, Naturaliter interrumpitur poſſeſsio, cum quis de poſſeſsione ui deiicitur, uel alicui res eripitur: quo caſu non aduerſus eum tantum, qui eripit, irrumpitur poſſeſsio, ſed aduerſus omnes. Ideſt non ei tantum utilis eſt uſurpatio, qui eripit, ſed etiam omnibus, ut Ruſſardus, & Hencyſus interpretantur. Cuiacius quoque in notis ad Vlpiani titulos. Briſſonius libro primo de Verborum, quae ad ius pertinent, ſignificatione, & Othomanus de uerbis iuris. Praeterea lege prima, ff. de iure fiſci, Calliſtratus. Vel poenam fiſco ex contractu priuato deberi, uel aduerſus leges commiſſum factum eſſe. Item Vlpianus tit. uigeſimo de Teſtamentis. Latinus Iunianus item is, qui dediticiorum numero eſt, teſtamentum facere non poteſt: Latinus quidem, quoniam nominatim lege Iunia prohibitus eſt: is autem, qui dediticiorum numero eſt, quoniã nec quaſi ciuis Romanus teſtari poteſt, cũ ſit peregrinus: nec quaſi peregrinus, quoniam nullius certae ciuitatis ſciens, ut aduerſus leges ciuitatis ſuae teſtetur. Et titulo uigeſimooctauo, de poſſeſsionibus dandis, Bonorum poſſeſsio datur aut contra tabulas teſtamenti, aut aduerſus tabulas, aut inteſtati. Aduerſus tabulas, idem Vlpianus paullo poſt interpretatur, ſecũdum tabulas. ADIVNGITVR *enim, ut ſecundum ſeruorum, ſecundum exſulum, ſecundum puerulorum tabulas poſſeſſio uideatur ex edicto dari.*] His omnibus, teſtamenti factionem interdictam, Vlpianus probat titulo uigeſimo de teſtamentis. Et in Pandectis, atque Inſtitutionibus docemur, titulis, Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum. Ergo ex mulieris teſtamento, quae ſe capite numquam deminuit, bonorum poſſeſsio nõ datur. Quod autem ait, exſules teſtamenti factionem non habere, obſides, uel captiuos interpretor, l. undecima, ff. qui teſtamenta facere poſſ. obſides teſtari non poſſunt, niſi eis permittatur. & l. octaua, eodem titulo. Eius, qui apud hoſtes eſt, teſtamentum quod tibi fecit, non ualet, quamuis redierit. Et l. decima, ff. de teſtam. mil. facere teſtamentum hoſtium potius, nec iure militari poteſt. Vbi hoſtium potitus dicitur, qui ab hoſtibus captus eſt, ut recte Alciatus, de uerb. ſign. & libro primo Parergon, cap. trigeſimoquincto. Et Anton. Auguſt. libro quarto Emendat. cap. decimo, interpretantur; frequenti dicendi modo apud Iuriſconſultos. Nam, & Papinianus l. quod ſi filius, ff. de captiuis. Si filius, inquit, ante moriatur in ciuitate: nihil eſt, quod de ſecundis tabulis tractari poſsit: ſiue quoniam uiuo patre filiusfamilias mori intelligitur, ſiue quoniam non reuerſo eo exinde ſui iuris uidetur fuiſſe, ex quo pater hoſtium potitus eſt. Et Tryphoninus, l. in bello, §. Codicilli, eodem titulo. Cetera, ait, quae in in iure ſunt, poſteaquam poſtliminio redit, pro eo habentur, ac ſi numquam iſte hoſtium potitus fuiſſet. Et Iulianus l. bona, eodem titulo. Apparet eadem omnia pertinere ad heredem eius, quae ipſe, qui hoſtium potitus eſt, habiturus eſſet, ſi poſtliminio reuertiſſet. Et Vlpianus in l. ab hoſtibus, ff. ex quib. cauſſ. mai. Ego autem etiam nomine eius, qui hoſtium potitus eſt, ſi curator, ut plerumque fuerit bonis conſtitutus, auxilium competere exiſtimo. Plautus quoque in Captiuis: Nam, poſtquam meus rex eſt potitus hoſtium, ita nunc belligerant Aetoli cum Aulidis. Et rurſus in eiſdem: Ego, poſtquam gnatus tuus potitus eſt hoſtium: Expertus quanti fuerit, nunc deſidero: & in Epidico, Filiam, quam ex te ſuſcepi, eductam perdidi, hoſtium eſt potita. ADIVNGITVR *enim*] Subiectus terminus eſt teſtamentum feminae, quae ſe capite numquam deminuit. Praedicatus, bonorum poſſeſsio ſecundum tabulas. Maxima propoſitio, ex adiunctis adiuncta pependi: quam etiam comprobant iura, in l. cum actum, ff. de negot. geſt. l. tertia, §. qui habet hauſtum, ff. de ſeru. ruſt. praed. cap. tranſlato, de conſtit. cap. denique, diſtinctione quarta.

C I C E R O

AB *antecedentibus autem, & conſequentibus, & repugnantibus, hoc modo: Ab antecedentibus, Si uiri culpa factum eſt diuortium, etſi mulier nuncium remiſit, tamen pro liberis manere nihil oportet.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. ANTECEDENTIA ſunt, quibus poſitis, aliud neceſſario ſequatur, licet illud, quod antecedit, minus ſit, atque poſterius. Minus quidem, ut ſi homo eſt, animal eſt: hoc enim minus eſt animali, & tamen poſito homine, conſequitur ut animal ſit. Poſterius uero, ut, ſi peperit, cum uiro concubuit: poſterius enim eſt peperiſſe, quã concubuiſſe cum uiro. Aliquoties uero, & quod aequale, & quod ſimul, & quod prius eſt, ponitur ut antecedens. Aequale equidem, ut ſi homo eſt, riſibilis eſt. Simul uero, ut, ſi terrae obiecta eſt luna, deficit: & haec ſibi conuertuntur, ut conſequentia fiant antecedentia, ut, ſi riſibilis eſt, homo eſt: &, ſi luna defecerit terrae, adſit obiectio. Antecedens uero prius eſt, ut, ſi arrogans eſt, odioſus eſt. Prius eſt enim

arrogans,poſterius odioſus. Illud tamen manet in omnibus poſitis antecedentibus, neceſſario conſequentia trahi. Exempli uero talis eſt explanatio ciuitatis Romanae iure liberi retinentur in patrũ arbitrio, uſque dum tertia emancipatione ſoluantur; ergo,ſi quando diuortium interceſsiſſet culpa mulieris, parte quadam dotis pro liberorum numero multabatur. De qua re Paulus Inſtitutorum librorum,ſecundo Titulo, de dotibus ita differuit: Si diuortium eſt matrimonij,& hoc ſine culpa mulieris factum eſt,dos integra repetetur. Quod, ſi culpa mulieris factum eſt diuortium,in ſingulos liberos ſexta pars dotis a marito retinetur, uſque ad dimidiam partem dumtaxat dotis. Quare quaeſtionum,quod ex dote conquiritur,liberorum eſt,qui liberi in patris poteſtate ſunt,id apud uirum neceſſe eſt permanere. Facto igitur diuortio,contenditur,an dotis pars pro liberis,ideſt uel liberorum cauſſa: uel,quia pro numero liberorum retinebatur,apud uirum debeat permanere. Hic ſubiectum quidem eſt factum diuortium a muliere nunciatum, praedicatum uero apud uirum ſextae partis dotis,poſt diuortium permanſio. Quaeſtio an poſt diuortium factum muliere nuncium remittente, ſextam dotis partem apud uirum manere oporteat. Quaero igitur,ſi ab antecedentibus argumentum faciendum eſt,quid antecedat,quid conſequatur. At,ſi uiri culpa factum eſt diuortium, uideo mulierem dotis parte multari, etiam ſi prima repudij nuncium miſit. Quod enim anteceſsit,ut uiri culpa fieret diuortium,id nõ permittit,ut dotis pars mulieri pereat,quamuis prima repudij nuncium mittat. Non enim,quod prior repudium nunciauit dotis parte, multanda eſt,ſed abſoluenda potius damno,quod non ſua factum eſt,ſed uiri culpa diuortium. Igitur antecedens,eſt uiri culpa factum diuortium: conſequens uero dotis partem non retineri. Nam ſi hoc eſt,illud eſt: argumentum uero faciam,hoc modo: Si uiri culpa factum eſt diuortium,etiam ſi mulier repudij nuncium miſit, nullo tamen modo dotis parte multanda eſt: ſed uiri culpa diuortium factum eſt. Non igitur iure mulier dotis parte multabitur, quod ſi non multabitur nomine dotis parte,nihil in uiri domo liberorum cauſſa dotis relinquetur. Sed non multabitur dotis parte, & nihil igitur apud uirum dotis pro liberis relinquetur. Vtriuſque uero concluſio ſyllogiſmi eſt haec: Si igitur uiri culpa factum eſt diuortium pro liberis nihil manere oportet. Argumentum ab eo,quod in ipſo eſt,de quo agitur: uerſatur quippe intentio de dotis parte, eiuſq. apud uirum poſt diuortium, quod uxor primo nunciauerat retentione hoc uero anteceſsit uiri culpa. Quod,quia praecedens eſt,affectum eſt. Omne enim,quod praecedit,ad id, quod ſequitur,neceſſe eſt,ut referatur. Maxima propoſitio eſt,ubi eſt antecedens,ibi erit cõſequens,at in hac quaeſtione eſt antecedens, ideſt uiri culpa factum diuortium. Ibi igitur conſequens erit ſextans non retineri. Cur autem ita ſuperius argumentum concluſionibus intexuerim, cum de his M. Tullio latius exſequente tractauero, euidentius apparebit.

GVEVARA. Ab *antecedentibus autem, & conſequentibus, & repugnantibus,*] Sic idem Cicero in Partitionibus. Et lib. ſecundo de Oratore,& ſi aliis nominibus. Quinctilianus quoque lib. v. & Ariſtoteles libro ſecundo Topicorum. Verum Rodolphus libro primo,cap. 21. hos tres locos argumentandi potius modos appellare uult,quod Foxius improbat. Cur autem Cicero Antecedentia, Conſequentia, & Repugnantia coniunxerit, Viſorius, Barba, & Foxius ſcripſerunt: nempe,quia eodem modo ex unoquoque eorum deducuntur argumenta: & quamuis tractatione diuerſa, inuentione tamen quam ſimillima ſunt. Ab *antecedentibus,*] Antecedentia ſunt,ut bene Boetius ſcribit,quibus poſitis aliud neceſſario conſequatur: licet illud,quod antecedit,minus ſit,atque poſterius. Sed & aliquoties & quod aequale, & quod ſimul, & quod prius eſt, ponitur ut antecedens. Quam ſi uero huius loci frequens apud Iuriſperitos uſus, Cantiuncula loco Ab antecedentibus, Euerardus loco centeſimo uigeſimoquinto a conceſsione antecedentis, & centeſimo uigeſimoſeptimo,& Bucoldianus libro primo,capite decimoſexto, multis exemplis oſtenderunt. Subiectum in exemplo propoſito eſt,diuortium ab uxore nunciatum. Praedicatum,partis dotis apud uirum permanſio. Maxima propoſitio: Dato antecedenti datur conſequens. Quam probat l. refectionis, §. ſi per tuum, ff. com. praed. l. prima, §. 1. ff. ſi uſusfruct. pet. l. ſecunda, ff. iuriſdict. omn. iud. l. qui procuratorem, ff. de procuratoribus. Exemplum a Cicerone poſitum, Othomanus libro primo Obſeruat. cap. uigeſimotertio, pertinere potius putat ad locum a differentibus: aliud eſſe nuncium remittere,aliud diuortij culpam ſuſtinere: atque hanc differentiam, definitione demum explicari,quid ſit diuortij culpam ſuſtinere. Praeterea nulla miſsi nuncij mentio fiat,argumentum ex cauſſa uel poſita,uel ſublata poſſe quoque deduci idem Othomanus ſcribit. Ex cauſſa poſita, ueluti ſi mulieris culpa diuortium factum eſt, pars dotis retineatur: Cauſſa enim illius retentionis efficiens, eſt culpa mulieris. Ex ſublata,ueluti: ſi non mulieris,ſed uiri culpa factum eſt diuortium,nihil ex dote retinendum eſt. Si *uiri culpa factum eſt diuortium, & ſi mulier nuncium remiſit, tamen pro liberis manere nihil oportet.*] Diuortium Romanis ab ipſo Romulo permiſſum, Plutarchus ſcribit in eius uita. Idem duodecim tabulis quoque licuiſſe, Cicero indicat Philipp. ſecunda. Frugi factus eſt. Mimam illam ſuam,ſuas res ſibi habere iuſsit ex duodecim tabulis. Et Caius Iuriſconſultus libro tertio ad legem 12. tab. Siue penultima, ff. ad leg. Iul. de adult. Si ex lege repudium miſſum non ſit,& iccirco mulier adhuc nupta eſſe uideatur. Tamen, ſi quis eam uxorem duxerit,adulter non erit. Diuortium, ut eſt apud eundem Caium in l. ſecunda, ff. de Diuort. uel a diuerſitate mentium dictum eſt: uel, quia in diuerſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium. In repudiis, id eſt renunciatione, comprobata ſunt haec uerba: Tuas res tibi habeto. Item haec: Tua res tibi agito. In ſponſalibus quoque diſcutiendis placuit renunciationem interuenire oportere. In qua re haec uerba probata ſunt: Condicione tua non utor. ſiue autem ipſi praeſenti renuncietur, ſiue abſenti, per eum, qui in poteſtate eius ſit, cuius ue is, ea ue in poteſtate ſit, nihil intereſt. Non idem fuiſſe Diuortium, & Repudium, ſed repudium ſponſae remitti: inter uirum, & uxorem diuortium fieri, Paulus,& Modeſtinus ſcribunt: & Sigonius notat libro primo de antiq. iur. ciu. Rom. capite nono. Qua licentia non

cupide uſos Romanos, illud eſt argumento, quod anno poſt Romam cōditam quingenteſimo undeuiceſimo, Sp Caruilium Rugam primum Romae de amicorum ſententia, diuortium cum uxore feciſſe, quod ſterilis eſſet, iuraſſeq. apud Cenſores uxorem ſe liberorum quaerendorum cauſſa habere, Gellius eſt auctor lib. decimo ſeptimo, cap. ultimo. Et lib. 4. cap. 3. idem Gellius ſcribit memoriae traditum, quingentis fere annis poſt Romam conditam, nullas rei uxoriae, neque actiones, neque cautiones in urbe Roma, aut in Latio fuiſſe: quia profecto nihil deſiderabatur: nullis etiam tunc matrimoniis diuertentibus. Seruium quoque Sulpicium in libro, quem compoſuit de Dotibus, tum primum cautiones rei uxoriae neceſſarias eſſe uiſas ſcripſiſſe cum Sp. Caruilius, cui Ruga cognomentum fuit, uir nobilis, diuortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea corporis uitio non gignerentur, anno urbis conditae DXXIII. Quo loco Gellium, ut & hoc obiter non praetermittā, pro, quingentis fere, legendum, ſexcentis fere ex Tertulliano de Monogamia, & in Apologetico Cuiacio lib. I. Obſeruat. cap. 39. Et Othomano, ad leges duodecim tab. 3. parte, cap. 8. Ceterum tribus tantum de cauſſis diuortium maritis Romulum permiſiſſe: ſi uxores ueneficium in liberos commiſiſſent: ſi partum ſubieciſſent: ſi probri quid cum alienis uiris feciſſent, Othomanus ſcribit. Coelius Rhodiginus lib. XXV. cap. 16. ſi in liberorum ueneficio, aut in adulterio deprehenderentur, aut claues ſubieciſſent. Si aliter quis repudiaſſet eius opum uxori portionem dari, reliquum Cereri eſſe ſacrum. Alex. ab Alex. lib. IIII. cap. 8. Vt perpetuum, inquit, hoc coniugale foedus, & ſine diſsidio foret, uxori uirum relinquere, & cum alio copulari, nequaquam licebat. Viro, niſi uxor in adulterio, aut ueneficio, ſeu clauium adulteratione, deprehenſa foret, aut ſi uinum biberet, leges a Romulo latae diuertere nulli ſinebant; qui aliter diſsidium feciſſet, bona uiri ad uxorem deuolui uoluere. Iam, quod ad totam argumentationem attinet, Ciceronem recte collegiſſe certum eſt. Nā, ſi uxoris culpa diuortium fiat, dotem apud maritum manere, Accurſius in l. cum poſt diuortium, ff. de iur. dotium, & Rofredus, quaeſtione 35. tradiderunt. Si mariti culpa fiat, nihil apud eum remanere Scaeuola probat, lege 47. ff. ſol. matr. Cum mulier, inquit, uiri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinetur. Et Alex. ab Alexand. lib. VI. cap. 10. ait. Viro ab uxore diuertere, aut res ſuas ſibi habere, niſi cauſſa legitime cognita, eiſdem tabulis uetabatur: quo diuortio nulla uxoris culpa ineſſet uſque ad dimidiam dotis, in ſingulos liberos ſexta a marito retinebatur. Vlpianus quoque tit. ſexto de Dotibus. Retentiones, inquit, ex dote fiunt, aut propter liberos, aut propter mores, aut propter impenſas, aut propter res donatas, aut propter res amotas. Propter liberos retentio fit, ſi culpa mulieris, aut patris, cuius in poteſtate eſt, diuortium factum ſit: tunc enim ſingulorum liberorum nomine ſextae retinentur ex dote: non plures tamen quam tres ſextae in retentione ſunt, non in petitione, & Forcatulus in Cupidine Iuriſperito, cap. ſeptimo, num. 2. Veriorem ait, & conſuetudine, & iure ciuili illorum opinionem, qui dicant, dotem ibi manere, ut liberi maneant. Illud quoque notandum eſt, quod Roſcius lib. ſecundo Memorabilium, cap. ſeptimo, num. 67. ſcribit: debere quidem legitimam matrem tribus annis primis, liberos alere, leg. Nec filius. C. de pat. poteſt. ubi Accurſius, etiam ſi proteſtata fuerit ſe alimenta repetituram, interpretatur. l. alimenta. Vbi idem Accurſius in uerbo materna, C. de negot. geſt. Niſi forte non poſsit lactare mater, morbi neceſsitate, aut iuſta alia quauis cauſſa: uel etiam niſi nobilitati indecorum ſit liberos alere, ut uoluit Bartolus in tractatu alimentorum, quaeſtione ſexta. Sed ſi in matrimonio ſeparatio fuerit, & quidem abſque uiri culpa, tunc quoque matrem triennio liberos alere teneri Roſcius ait: ſi uero culpa uiri, nutriri penes uxorem liberos, expenſis tamen uiri. Illud quoque probari poſſet, quod in l. Titia cum teſtamento, §. ſi ea condicione, ff. de legatis ſecundo, & Grado numero tertio. Si uiri culpa fiat, ne uxor cohabitet, teneri uirum uxori ſeorſum alimenta praebere. Sed & illud etiam admitti poſſe uidetur, ad lucrum dimidiae partis bonorum lucratorum conſtante matrimonio, neceſſariam quidem eſſe mutuam cohabitationem, ut lege prima, titulo de las ganancias, lib. tertio Fori. Et lege prima, eodem tit. lib. quincto Ordin. probatur. & in nouis Ordinationibus, libro quincto, titulo nono. Lex ſecunda ait, Toda coſa, que el marido, y la muger ganaren, o compraren eſtando de conſano, ayan los ambos por medio. Verum, ſi cohabitatio culpa uiri dirempta ſit, uxorq. mariti culpa diuerterit, non amiſſurā eam medietatem talium bonorum, argumento ſunt tum ſupradicta omnia, tum alia, quae in l. ſi conuenerit, ff. pro ſocio Interpretes notauerunt: atque id uerum eſſe, Segura in repetit. l. unum ex familia, §. ſed ſi fundum, col. x. ff. de legatis ſecundo recte probat.

CICERO

A Conseqventibrs: *Si mulier, cum fuiſſet nupta cum eo, quicum connubium non eſſet, nuncium remiſit, quoniam, qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet.*

EXPLANATIO

BOETIVS. Conseqventia ſunt, quae, cum fuerint antecedentia poſita, conſequuntur: ueluti ſi dicamus: Si homo eſt, animal eſt, Animal eſt conſequenr. Sed in propoſito exemplo non ſatis apparet a conſequentibus argumentū, ſed ab antecedentibus potius, quod paullo poſt liquebit. Filij non iure ſuſcepti in patrū non erant poteſtate, ſed matres potius ſequebantur. Non autem omnibus erat connubium cum Romanis, nec erant iure nuptiae contractae, quae nō aut inter ciuem Romanum, ciuemq. Romanam inibantur, aut cui

 princeps

princeps,populus ue ciuitatem,uel connubium permiſiſſet; eo ſcilicet modo,ut in poteſtatem parentum liberi redigerentur. Illud quoque uidendum, quod ex impari matrimonio ſuſcepti non patrem, ſed matrem ſequuntur. Ergo quaedam Romana uel cum Latino,uel cum peregrino,uel cum ſeruo,cum quo connubij ius non erat,nuptias fecit,dotem contulit,factoq. inter eos diuortio contenditur, an nuptae mulieris, cum eorū, quo connubij ius non erat,apud uirum dotis pars poſt diuortium debeat permanere. Hic ſubiectum quidē eſt nupta mulier, cum quo connubium non erat: praedicatum uero dotis partis apud uirum poſt diuortium retentionis iure permanſio. Sumitur ergo a conſequentibus argumentum,hoc modo: Nam, quia nuptias fecit cum eo,cum quo connubij ius nullum eſt,id conſequitur, ut liberi patrem non ſequantur. Si autem liberi patrem non ſequuntur,ne in patris quidem ſunt poteſtate. At, ſi in patris poteſtate non ſunt, matriq. applicantur,apud uirum dotis pars non poterit permanere. Hic igitur antecedens eſt, cum quo connubij ius non erat,nuptiae. Conſequens nihil pro liberis dotis nemine manere oportere. Concludatur argumentatio,quoniam non permiſſo connubio liberi procreantur,patrem non ſequuntur. Ne dotis quidem pars apud patrem pro liberis manere debet, quandoquidem non patrem filij, ſed matrem ſequuntur. Probatum eſt igitur pro liberis nihil manere oportere, ex hoc,quod cum eo mulier nuptias fecit, cum quo connubij ius non erat; hoc uero erat antecedens. Non ergo a conſequenti,ſed ab antecedenti potius factum deprehenditur argumentū, quod ſi per id,quod nihil dotis nomine manere oporteret,probaretur eam nuptias cum eo feciſſe, qui cū connubij ius non eſſet,recte a conſequentibus argumentum factum eſſe diceretur. Fieret uero a conſequentibus argumentum,ſi ita poneretur. Si quid ex dote pro liberis manere oporteret, quia liberi patrem ſequuntur, cum eo nupta eſſet mulier,cum quo connubij ius erat,aſſumo quod eſt conſequens. Sed mulier cum eo nupta non eſt,cum quo connubij ius erat, concludo antecedens. Nihil igitur dotis pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi non ſequuntur. Argumentum ab eo, quod in ipſo eſt, de quo quaeritur. Quaeritur enim de his nuptiis,quarum nullum iure fuerit connubium. Ex affectis: Omne enim conſequens,ad id,quod praecedit, refertur. Maxima propoſitio eſt,ubi conſequens non eſt,ibi ne antecedens quidem eſſe poteſt. Ac de hic erit alius differendi locus.

GVEVARA. A. CONSEQVENTIBVS:] Bucoldianus lib. I. cap. 16. Hunc locum per reliquos omnes ducit. Multiplicem quoque huius loci in iure ciuili uſum,docent Euerardus loco CXXVI. & CXXVIII. & Cantiuncula loco XVII. Quod uero ad exemplum attinet,Boetius ab antecedentibus potius ductum putat; ſed eius ſententiam Cantiuncula,& Othomanus non probant. Othomanus lib. I. Obſeruat. cap. 23. Exemplum,inquit,quod eſt a conſequētibus,Boetius imperite ſumptum putat, & non a Conſequentibus,ſed ab Antecedentibus eſſe ductum:hoc modo. Si mulier, cum fuiſſet nupta cum eo, cui connubij ius non eſſet,nuncium remiſit: quoniam, qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. Exiſtimat enim Boetius antecedens eſſe nuptias cum eo,cum quo connubium non erat: Conſequens, Nihil pro liberis detrahi: Cum tamen paullo ante dixerit,illud eſſe ſubiectum,hoc praedicatum. Quod in Boetio, quem ſummum dialecticum fuiſſe conſtat,uehementer miror. Nam Cicero medium ex conſequentibus perſpicue ſumit,ex eo,quod nati patrem non ſequantur,hoc modo: Si quid pro liberis retinendum eſt, liberi patrem ſequuntur: at nati ex iſta coniunctione patrem non ſequuntur,ergo nihil retinendum eſt. Apertius tamen Cicero exemplum ita propoſuiſſet,ſi quid pro natis retinendum eſt,fuit diuortium: ſi fuit diuortium,etiam matrimonium: At matrimonium non fuit,quare nihil retinendum eſt. Atque haec quidem Othomanus. Cantiuncula ſic ait. Mihi ſit Agricolae, quam Boetij, opinio ueriſimilior: dum hic Ciceronis exemplum ab antecedentibus fluere putat: ille uoluiſſe Ciceronem argumentationem petendam ab eo, quod ex condicione conſequens eſſe poteſt. Idq. ut liqueat,ſic thema fingamus. Ex uiro,& muliere,cui cum illo connubij ius non erat,liberis natis,diuortioq. facto,quaeſtio eſt an apud patrem pro liberis aliquid manere oporteat. Nihil manere oportere, ſic ex conſequenti probare licebit. Si mulier nupſerit ei, cum quo connubium non eſſet, hoc antecedens: Qui nati ſunt patrem,non ſequuntur, hoc conſequens. Iam ex hoc conſequenti ſumamus argumentationem: ſed ij liberi,quorum gratia quaeſtio eſt,patrem non ſequuntur. Infertur: pro liberis ergo manere nihil oportet. SI *mulier, cum fuerit nupta cum eo, qui cum connubium non eſſet, nuncium remiſit.*] De connubiorum iure,multa docte,& copioſe Sigonius de iure antiq. ciu. Rom. lib. I. cap. 9. Et Othomanus in Partitionibus iuris ciuilis tit. 5. de nuptiis. Briſſonius lib. I. Select. cap. 13. & Vlpianus tit. 5. de his, qui in poteſtate ſunt. Sed & interdicti matrimonij in iure ciuili obuia ſunt exempla,inter Senatoris filiam,& Libertinum,in l. Oratione,ff. de rit. nupt. l. Oratio, ff. de ſponſalib. etiam ab ingenuo arrogatum, l. ſciendum, ff. de ritu nupt. Inter pupillam & tutorem,uel eius filium, in l. Senatuſconſulto, ff. de ritu nupt. l. non eſt. Eod. tit. l. Tutor, ff. de ſponſalib. Inter prouincialem,& rectorem prouinciae,in l. qui in prouincia,ff. de ri. nup. l. una. C. ſi rector prouinc. Inter plebeios,& Senatores apud Liuium,& Othomanum ad leges duodecim tab. tertia parte,cap. 6. Quae omnia in melius,aequiuſq. a ſacris canonibus reformata ſunt. De iuſtis uxoribus, & iniuſtis multa docte, & noue Raeuardus libro quarto Variorum cap. decimoſexto. QVONIAM, *qui nati ſunt, patrem non ſequuntur;*] Nam lex naturae eſt,ut,qui naſcitur ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur,niſi lex ſpecialis aliud inducat, l. 24. ff. de ſtatu hom. Vbi legem ſpecialem Vlpianus appellat legem Menſiam, quae ex alterutro peregrino natum, deterioris parentis condicionem ſequi iubeat, ut eſt apud eundem Vlpianum tit. 5. & Othomanus notat in indice legum Rom. Sed & aliis cauſsis liberos,quandoq. patrem nō ſequi, idem Vlpianus ſcribit in l. prima, §. primo,ff. de liber. exhib. Si uero, inquit, mater ſit, quae retinet, apud quem interdum magis, quam apud patrem morari filium debere, ex iuſtiſsima ſcilicet cauſſa, & Diuus Pius decreuit, & a Marco, & a Seuero reſcriptum eſt, aeque ſubueniendum ei erit per exceptionem.

PRO

PRO *liberis manere nihil oportet.*] Si enim aduerſus ea, quae diximus, aliqui coierint, nec uir, nec uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligitur. §. ſi aduerſus. Inſtitut. de nuptiis. l. tertia. ff. de iure dotium, ubi Vlpianus ait. Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, quae conſiſtere non poſſunt: neque enim ſine matrimonio eſſe poteſt. Vbicumque igitur matrimonij nomen non eſt, nec dos eſt.

C I C E R O

A REPVGNANTIBVS: *Si paterfamilias uxori ancillarum uſumfructum legauit a filio; neque a ſecundo herede legauit, mortuo filio mulier uſumfructum non amittet. Quod enim ſemel teſtamento alicui datum eſt, id ab eo inuito, cui datum eſt, auferri non poteſt: repugnat enim recte accipere, & inuitum reddere.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. SECVNDVS heres dicitur, qui heredi inſtituto ſubſtituitur, ueluti ſi quis filium inſtituat heredem ſcribat. Si hic filius intra pubertatem diſceſſerit, nepotem, ut quemlibet alium heredē eſſe oportere. Nepos igitur, uel quilibet alius ſecundus heres dicitur. Repugnantia ſunt, quae (ut dictum eſt) contraria conſequuntur, ſi ipſis contrariis comparentur. Quidam igitur heredem teſtamento ſcripſit filium, eiq. ſecundum ſubſtituit heredem, uxoriq. ſuae ancillarum uſumfructum legauit a filio, dixitq. ut uxori filius eius uſumfructum ancillarum permitteret, neque illud adiecit, ut etiam ſecundus heres eundem uſumfructum mulieri concederet. Succeſsit filius, & mulieri ancillarum contulit uſumfructum. Illo mortuo intra pubertatem, agit ſecundus heres, & uſumfructum ancillarum mulieri extorquere conatur, dicens, uſumfructum ei a filio legatum, a ſe uero minime. Quaeritur utrum ea mulier legatum, quod teſtamento acceperat, inuita poſſit amittere. Hic igitur ſubiectum eſt legatum, quod teſtamenti iure recte accepit. Praedicatum uero, inuitam poſſe amittere. Sumo igitur argumentum ab repugnantibus. Repugnans uero eſt, ſi id, quod contrario conſequens eſt, alteri contrario comparetur; uelut in hoc ipſo, quod tractamus exemplo, recte accipere, & non recte accipere contraria ſunt; ſed non recte accipere comitatur inuitum reddere. Iure enim inuitus reddit, qui non recte accepit. Repugnat igitur, inuitum reddere ei, quod eſt recte accipere. Faciemus igitur argumentum ſic; Qui teſtamento accepit, recte accepit; quod autem recte accipitur, inuito ei, qui ſemel recte acceperit, auferri non poteſt. At mulier teſtamento uſumfructum ancillarum accepit, idem igitur inuite non poterit auferri. Argumentum ab eo, quod in ipſo eſt, de quo agitur, ideſt de eo, quod recte acceptū eſt. In ipſo uero eſt, uelut affectum contrarietatis modo, ut ſuperius dictum eſt. Eſt autem argumentum repugnanti. Maxima propoſitio eſt, Repugnantia conuenire non poſſe.

GVEVARA. A. REPVGNANTIBVS.] De hac re Cantiuncula loco decimooctauo, ubi ad idē pertinere ait locos ab abſurdo, & ab ordinatione: quos & Euerardus explicat loco decimonono, & uigeſimo tertio, & centeſimo tertio, & Bucoldianus lib. primo cap. decimoſexto. Et Titelmanus lib. quincto Dialect. cap. uigeſimoſexto, praeter Ariſtotelem lib. ſecundo Topic. & Quinctilianum lib. quincto, cap. decimo. SI *paterfamilias uxori.*] Atque haec ſententia lege ciuili comprobata eſt, nonageſima octaua. ff. de legatis tertio. Si plures gradus ſint heredum, & ſcriptum ſit, heres meus dato: ad omnes gradus hic ſermo pertinet. Sicuti haec uerba, quisquis mihi heres erit. Itaque ſiquis uelit non omnes heredes legatorum praeſtatione onerare, ſed aliquos ex his: nominatim damnare debet. ANCILLARVM *uſumfructum.*] In quo partum non contineri, probant l. uetus fuit quaeſtio. ff. de uſufruct. l. in pecudum. ff. de uſuris. §. in pecudū. Inſtit. de rerum diuiſ. LEGAVIT, *a filio.*] Ideſt, iuſsit filium uxori praeſtare, modo loquendi in iure peculiari, ut Latomus notat: & Othomanus libro primo obſeruat. cap. uigeſimoprimo ait. Legare ab aliquo cum dicimus, aliquem, heredem intelligimus, ut non ex hereditatis aſſe legatum detrahatur, ſed ex eius dumtaxat parte, qui nominatus eſt. NEQVE *a ſecundo herede legauit.*] Secundum heredem ſubſtitutum dici, Caius probat lib. ſecundo Inſtitut. tit. quarto. Subſtitutio, inquit, eſt, quae poſt inſtitutionem a teſtatore fieri ſolet, ideſt ſecundi heredis appellatio. Et Papinianus in l. quarta, ff. de ſe. Syllaniano. Qui poſtumos heredes inſtituerat, nō natis poſtumis uxorem ſecundo loco ſcripſit heredem, & Salluſtius in Iugurth. Erat in exercitu noſtro Numida quidam Maſsaniſae nepos, quem Micipſa teſtamento ſecundum heredem ſcripſerat. Et Suetonius in Caeſare, Caeſar complures percuſſorum in tutores filii, ſi quis ſibi naſceretur, nominauit: Decimum Brutū etiam in ſecundis heredibus. Hinc quidam ſecundas tabulas, eam teſtamenti partem interpretantur, in qua nominentur ſubſtituti. In l. ſecunda §. interdum. l. ſi filius, qui patri ff. de uulgari. l. liberi. § poſthumi. ff. de admi. leg. l. mater. ff. ſi quis om. cauſſ teſt. l. Nam, quod. §. ſi quis. ff. ad Trebell. Sed uerius eſt, quod Briſſonius ſcribit lib. tertio Select. cap. duodecimo. Pupillares tabulas in liberis noſtris ſecundas appellari. Idq. apertius probant Vlpianus in l. prima, in principio. ff. ſi cui plus, quam per leg. Fal. Neque intereſt, ait, utrum in primis tabulis hoc fiat, an in pupillaribus, an in utriſque. Et Papinianus in l. coheredi. § ſexto. ff. de uulgari. Cum pater impuberi filiae, quae nouiſsima diem ſuum obiiſſet, tabulas ſecundas feciſſet, & impubes filia, ſuperſtite ſorore pubere, uita deceſsiſſet, & irritam eſſe factam ſubſtitutionem placuit. In perſona quidem prioris, quia non nouiſsima deceſsit: in alterius uero, quia puberem aetatem compleuit. Huius autem appellationis ratio apud Vlpianum eſt in l. ſecunda. §. tertio. ff. de uulgari. Prius, inquit, ſibi quis

debet

debet heredem ſcribere, deinde filio ſubſtituere,& non conuertere ordinem ſcripturae. Et hoc Iulianus putat, prius ſibi debere, deinde filio heredem ſcribere. Ceterum, ſi ante filio, deinde ſibi teſtamentum faciat; non ualere. Quae ſententia reſcripto Imperatoris noſtri ad Virium Lupum Britanniae praeſidem comprobata eſt. Caius quoque lib.ſecundo Inſtitut. tit.quincto. Sed pupillaris ſubſtitutio,ait, ita ſecreta eſſe debet, ut ad notitiam ſubſtituti peruenire non poſsit: ne uitae pupilli aliquas ſubſtitutus inſidias moliatur. Nam in extrema pagina teſtamenti fieri debet, ut pars illa,in qua ſubſtitutio pupillaris ſcripta eſt, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obſignata permaneat, & prior pars teſtamenti, in qua heres ſcriptus eſt, refeſratur. Et Iuſtinianus Imp.lib.ſecundo Inſtitut.tit.decimo ſexto. Igitur in pupillari ſubſtitutione,inquit,ſecundum praefatum modum ordinata, duo quodam modo ſunt teſtamenta: alterum patris, alterum filii, tãquam ſi ipſe filius ſibi heredem inſtituiſſet. Aut certe unum teſtamentum eſt,duarum cauſſarum,ideſt duarum hereditatum. Sin autem quis ita formidoloſus ſit, ut timeat, ne filius ſuus pupillus adhuc ex eo, quod palam ſubſtitutum acceperit,poſt obitum eius periculo inſidiarum ſubiaceat, uulgarem quidem ſubſtitutionem palam facere,& in primis teſtamenti partibus ordinare debet: illam autem ſubſtitutionem, per quam ſi heres exſtiterit pupillus,& intra pubertatem deceſſerit, ſubſtitutus uocatur,ſeparatim in inferioribus partibus ſcribere debet: eamque partem proprio lino, propriaq. cera conſignare. Et in priore parte teſtamenti cauere, ne inferiores tabulae uiuo filio, & adhuc impubere aperiantur. Mortvo *filio mulier uſumfructum non amittet.*] Quia legata relicta ab inſtituto,cenſentur repetita a ſubſtituto.l. licet Imperator.ff.de legatis primo, Nec eſt uerisimile teſtatorem uelle, ut amplius ad ſubſtitutum perueniat,quam ad inſtitutum.l. Publius Maeuius.§.Titia.ff.de condict.& demonſt.l.ſeruo alieno.§.ſiquis a primo.ff. de legatis primo.l.cum pater. §. ab inſtituto.ff.de legatis ſecundo. l.Caio Seio.ff. de adim.legat. Qvod *enim ſemel teſtamento alieni datum eſt,id ab eo inuito,cui datum eſt,auferri non poteſt.*] Sic & Pomponius capite undecimo. ff. de reg. iur. id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. Et quidem extraneum auferre non poſſe certum eſt: ſed an teſtatore ipſe repetere poſsit, quod legauit, recte quaritur, in l.Lucius. ff.de legatis ſecundo. Et de ea re, Per alta, Grado,& Antonius Gomez, non ſatis conueniunt. Repvgnat *enim recte accipere, & inuitum reddere.*] Hunc locum refert Donellus in libro de fructibus, pag. ſeptuageſima ſexta. Veramq. eſſe,& iuri conſonam argumentatlonem probat.

C I C E R O

Ab efficientibus cauſſis, hoc modo: Omnibus eſt ius parietem directum ad parietem communem adiungere, uel ſolidum, uel fornicatum. At ſi quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiſerit,non debebit praeſtare, quod fornix uitij fecerit. Non enim eius uitio, qui demolitus eſt, damnum factum eſt, ſed eius operis uitio, quod ita aedificatum eſt, ut ſuſpendi non poſſit.

E X P L A N A T I O

BOETIVS. Cavssarvm, quidem multa ſunt genera, quae Cicero paullo poſterius diuidit. Sed nunc de efficientium cauſſarum differit argumento. Efficiens uero cauſſa eſt, qua praecedente aliquid effectum eſt, non tempore, ſed proprietate naturae, uelut in hoc, quod nunc declaramus,exemplo. Damni infecti promiſsio eſt, quoties quis promittit. Si quod damnum eius opera contigerit, ſua reſtitutione eſſe penſandum. Ius autem eſt, parieti communi parietem alium, uel fornicatum ideſt arcum habentem, uel directum continuumq. coniungere. Quidam igitur ad parietem communem alium extrinſecus parietem iunxit, deditq. ſatis damni infecti. Communis autem paries fornicatus fuit, ideſt arcum habens, uel ſigni gnam fabricam ſuſtinens,adiungente igitur eo,qui ſatiſdederat, & ut adiungeret, demoliente partem parietis quo iunctura cohaereſceret, uitium communis paries fecit,quaeritur,an damni infecti promiſsio cogat eum qui promiſerit uitium reſtituere. Subiectus terminus, damni infecti promiſsio, praedicatus uitii reſtitutio. Sumimus igitur argumentum a cauſsis hoc modo: Si enim is,qui damni promiſit infecti,eius uitii cauſſa fuit, reſtituere debet uitium, quod eius accidit culpa; quod ſi ea natura parietis fuit, ut ſuſpendi ſuſtinerique. non poſſet, (fornicati enim parietis non ea eſt natura,ut ſuſpendi queat) parietis potius forma, quam demolientis culpa uitium feciſſe uidebitur, atque ita non cogitur reſtaurare uitium, qui ſe damni infecti promiſsione conſtrinxerit. Fiet igitur argumentatio hoc modo: Si penes parietis formam conſtitit, ut eo adiungente parietem, qui damni infecti promiſerat,uitium fieret,id uitium,qui promittit ſoluere non cogitur. Fuit autem cauſſa paries,ut uitium fieret, quia ea fuit natura, ut ſuſpendi, ſuſtinerique. non poſſet. Non igitur, quid fornix uitium fecerit, reſtaurare debet,qui damni promiſit infecti. Argumentum ab eo,quod in ipſo,de quo agitur, ideſt in uitii reſtitutione, ex affecto ideſt cauſſa. Cauſſa enim uitii, forma eſt parietis, non culpa coniungentis parietem. Itaque factum eſt, ut fornix uitium faceret,quae cauſſa uitij,cum abſit ab eo,qui parietem iunxit; abeſt etiam eiuſdem uitii reſtauratio. Maxima propoſitio, Vnamquamque rem ex cauſsis ſpectari oportere.

GVEVARA. Ab *efficientibus cauſſis.*] Cauſſa eſt,ad cuius eſſe ſequitur aliud, cauſſa efficiens, a qua primo fit motus, ut aliquid fiat. Titelmanus lib. v. Dialect. cap. undecimo, plura de diuiſione

ne cauſſarum. Efficientis quoque uſum docet cap. duodecimo. Et eiuſdem exempla, ex ſacra ſcriptura, & iuriſprudentia proponit codem capite: & multum eſſe cauſſarum uſum apud poetas, cap. decimo ſeptimo. De hoc praeterea loco multa Quinctilianus lib. quincto, cap. decimo, Bucoldianus lib primo, cap. decimo ſeptimo. Gammarus lib. primo, Cantiuncula loco uigeſimo, Coraſius de iuris arte, prima parte, cap. uigeſimo. Illud notandum eſt, Ciceronem hic de cauſsis tantum efficientibus agere, ut Boetius, & Viſorius probant. Non de omnibus cauſsis, efficientium nomine, ut Agricola, Latomus, & Coraſius putauerunt. OMNIBVS *eſt ius*.] Othomanus lib. primo Obſeruationum cap. uigeſimo quarto, ut melius hoc exemplũ intelligatur, huiuſmodi ponit cauſſae conſtitutionem. Cum Octauius ad parietem inter ſe, & Nonium communem, fornicatum parietem pro ſuo iure adiunxiſſet. Nonius autem uicinus aliquid aedificaturus, parietem communem demoliri uellet, damni infecti nomine promiſit, ideſt promiſit ſe datuum, ſi quod opus illud ſuum, nimirum demolitio, faceret praeſtaturum. Euerſo pariete communi, fornicatus, qui ſuſpendi non poterat corruit. Agit Octauius, intentio, opus tuum mihi damnum hoc fecit. Depulſio immo tuum. Quaeſtio, utrius opus damnum fecerit. Ratio, quia niſi fornicatum parietem feciſſes quamuis communem parietem demolitus eſſem, tamen ille non coruiſſet. Firmamentum, At niſi tu parietẽ demolitus eſſes, meus non corruiſſet. Quam reſponſionem propterea infirmam eſſe uidemus, quia, cum utrimque dici hoc poſsit, niſi tu iſtud feciſſes, hoc non accidiſſet, ac proinde alter in alterum cauſſam ſine qua non transferat: tamen plus in priore eſt, quam in poſteriore: adiectum eſt enim, quamuis hoc feciſſem, quod ab altero referri non poteſt. Haec Othomanus. OMNIBVS *eſt ius parietem directum ad parietem communem adiungere*.] Modo, non ſupra parietem ponat. l. quidam Hiberus. ff. de ſeruit. urb. praed. Sed ita adiungat, ut etiam ſublato cõmuni pariete maneat: nec impediat refectionem communis parietis. l. fiſtulam. §. iuxta. ff. de ſerui. urb. praed. Communis paries quis ſit, Ouidius lib. quarto Met. indicat. Fiſſus erat tenui rima, quam duxerat olim, cum fieret paries, domui communis utrique. Directus, Vitruuio libro ſeptimo eſt, contiguus, qui iuxta alterum attollitur, & ei coagmentatur. Solidus, qui arcum non habet. Fornicatus, qui habet arcum. Arcus quoque, fornix. Camara, & teſtudo, licet cognata ſint, tamen ea inter ſe differre probat Budaeus in l. ſed addes. §. ſi inquilinus. ff. locati. Quod ad hunc locum attinet, directum parietem Cicero appellat, authore Othomano, qui exempli gratia, communem ſic attingit, ut in littera. T. deorſum pendens linea, tranſuerſam ſuperiorem attingit. VEL *ſolidum, uel fornicatum*.] Parieti communi, uel ſolido, uel fornicato, licet parietem direrectum adiungere, ut Boetius, & alij interpretantur. Sed magis ad rem Othomanus, parietem directum, uel ſolidum, uel fornicatum licere parieti communi adiungere. AT *ſi quis in pariete communi demoliendo*.] Quod cuiuis dominorum facere licet, ſi agat communi diuidundo iudicio. l. ſi aedes. ff. com. diuid. Nec mouet, quod in l. octaua. ff. de ſer. urb. praed. dicitur, parietem, qui naturali ratione communis eſt, alterutri uicinorum demoliendi eum, & reficiendi ius non eſſe, quia non ſolum dominus eſt: quod de iure ſeruitutis accipiendum eſt, ut & titulus ipſe, & l. in re communi. eod. tit. ſatis oſtendunt. DAMNI *infecti promiſerit*.] Damnum infectum eſt, damnum nondum factum, ſed futurum ueremur. Damnum, & damnatio, ab ademptione, & quaſi deminutione patrimonij dicta ſunt. l. prima, & l. tertia. ff. de damno infecto. NON *debebit praeſtare*.] Praeſtare culpam, caſum, periculum, uitium, quod ſit, explicant Briſſonius, & Othomanus de uerbis iuris. Valla lib. 6. c. 16. & Hadrianus de ſerm. Latino. QVOD *fornix uitij fecerit*.] Igitur non paries communis erat fornicatus, ſed primum a uicino adiunctus: alias uitium, quod communis paries feciſſet, teneretur praeſtare is, qui eum demolitus eſſet, & damni infecti cauiſſet. Quandoquidem ſi iuxta parietem communem quis ſuper aedificet, uel eum aut reaedificet, aut tollat altius, ſtipulari, damni infecti ſolet. l. inter quos iuncta gloſſa aedificat. ff. de dam. infect. & damnum, quod euenerit praeſtare tenetur. l. ex damni. §. quoties. ff. eodem titulo. NON *enim eius uitio*.] Ideſt parietis communis. QVI,] ſcilicet parietis communis. DEMOLITIVS *eſt, damnum factum eſt: ſed eius operis uitio*:] Videlicet parietis fornicati adiunct ad parietem communem. *Quod ita aedificatum eſt, ut ſuſpendi non poſſit*:] Nimirum, quia fornicatum opus parieti communi adiunctum, diruto pariete communi, ſtare non poteſt.

CICERO

AB *effectis rebus, hoc modo: Cum mulier uiro in manum conuenit, omnia, quae mulieris fuerunt, uiri fiunt dotis nomine.*

EXPLANATIO

BOETIVS. EFFECTA ſunt, quae aliquibus efficiuntur cauſsis, non tempore praecedentibus, ſed natura, ueluti ſi quaeratur, Vxore defuncta, quae in manu uiri conuenit, an eius bona ad uirum pertineãt. In qua quaeſtione, bona uxoris defunctae, quae in manum uiri conuenerit, ſubiectum eſt; ad uirum autem pertinere praedicatum eſt. Quaero igitur argumentum ab effectu, diſpicioq. quid perfecerit ipſa in manu uiri conuentio, atque ex eo argumentum traho, id autem eſt, omnia uiri, dotis nomine fieri, quaeq. mulieris fuere. Ipſa igitur in manu conuentio, omnia, quae mulieris fuere, uiri fecit dotis nomine nõ praecedens tempore, ſed ſtatim propria ui naturae. Nam, ut in manum quaeq. conuenerit, mox eius bona dotis nomine uirum ſequuntur. Facio igitur argumentum ſic: Si mulier, quae defuncta eſt, in manum conuenit, in manum conuenientis mulieris boni uiri fiunt dotis nomine. Haec quoque bona, de quibus agitur, uiri ſunt. Argumentum

gumentum ex eo, quod in ipſo eſt, de quo agitur, continetur. Agitur enim de eius bonis, quae in manum conuenerit, ſcilicet ab effectis, ideſt a cauſſae effectis. Effectum nāque eſt in manu conuentionis omnia, quae mulieris ſunt, uiri fieri dotis nomine; quamquam hic quoque non ab effectis, ſed a cauſſa factum argumentū monſtretur eſſe. Oſtenſum eſt enim fieri uiri dotis nomine, quidquid mulieris fuerit, ex eo, quod mulier in manum conuenerit: ſed haec cauſſa eſt, ut, quae mulieris ſunt, uiri fiunt dotis nomine. Sed dicat quis, ex eo, quod ea, quae mulieris erant, uiri fiunt dotis nomine, id approbari, quod defunctae bona ad uirū debeant pertinere; ſed, quae mulieris ſunt, ea uiri dotis nomine fieri, & bona ad uirum pertinere; uel idem eſt, uel neutrū alteri cauſſa eſt. Vel, ſi quis dicat eā eſſe cauſſam, ut bona mulieris debeant uiro cedere, quod per in manus conuentionem, uiri facta ſunt dotis nomine. a cauſſa rurſus, ac non ab effectis factum eſſe argumentum putabit, id eſt a dote. Ab effectus uero non oportet aliud, niſi cauſſam probari. Eſſet uero ex effectis argumentum, ut ex eo cauſſa probaretur, hoc modo: Si quaeſtio eſſet, an mulier in manum uiri conueniſſet, & indubitatum haberetur omnia, quae fuiſſent mulieris uiri facta dotis nomine dicerentur; ita, ſi omnia, quae fuere mulieris, uiri facta ſunt dotis nomine; ſed omnia, quae fuere mulieris, uiri facta ſunt dotis nomine; mulier igitur in manum uiri conuenit. Maxima propoſitio, Cauſſas ab effectis ſuis non ſeparari.

GVEVARA. Ab *effectis rebus,*] De uſu huius loci ab effectis, ſatis multa Euerardus loco uigeſimoprimo, Cantiuncula loco uigeſimoprimo, Apellus cap. quarto, Gammarus libro primo, Bucoldianus lib. primo, cap. decimoſeptimo. Cvm *mulier*] Boetius ſcribit, Exemplum hoc non ab effectis eſſe, ſed ad cauſſam magis pertinere: & Boetij ſententiam Cantiuncula, Othomanus, Latomus, & Barba probauerunt. Ego ab effectis ductam recte argumentationem cum Cicerone puto: quia cauſſa, uiro bona uxoris uindicanti illa per ſe parum confert: effectus a cauſſa productus plurimum. Quid enim efficiet, & ſi probet illam ſe coemptione duxiſſe, niſi oſtendat huius in manum conuentionis effectum eſſe, ut uxoris bona marito cedant. Igitur effectus uictoriam praeſtat, non cauſſa: quamuis ſine cauſſa quidem effectus non eſſet. Poſſeſsionis ciuilis effectus eſt uſucapere, & praeſcribere: Poſſeſsionis naturalis acquirere fructus: contendo rem meam eſſe, quod eam certo tempore poſſederim. Cvm *mulier uiro in manum conuenit, omnia, quae mulieris fuerunt, uiri fiunt dotis nomine.*] Sic ſe rem habere abunde probatum exiſtimo, ex his, quae ſupra diximus in loco a forma generis. Immo id olim lege cautum, ut omnia bona eius, quae in manum uiri conueniſſet, uiri dotis nomine fierent, uidit gl. in l. mulier bona, ff. de iure dot. & apud Alexandrum ab Alexandro relatum eſt, libro quarto, cap. octauo. Nec quidquam mutat, quod Forcatulus dialogo trigeſimono Necyom. numero quarto, multis teſtibus non neceſſariis, multiſq. legibus citatis contendit, mulierem nubentem omnia bona in dotem non cōferre. Diſtinctione enim temporum, quod ille non animaduertit, facile, ut dici ſolet, ſcripturae concordantur. Sane Cicero de Vxore agit, quae in manum uiri conueniſſet, quo in genere matrimonij, bona uxoris omnia ad maritum pertinere, immo uxorem ipſam ſui heredis loco haberi uiro, certum eſt. Verum haec forma in diſſuetudinem ire coepit Tiberij tempore, ut apud Tacitum eſt libro quarto Ann. quamquam ad Papinianum, uſque, Vlpianum, & Paullum eius manſiſſe ueſtigia, eorum probent ſcripta. Poſt modum Iuſtiniani aetate, qui poſt Tiberium fere D. annis fuit, poſt dictos Iuriſconſultos plus minus C C C. omiſſa erat omnis conuentio in manum, & matrimonij ueteres illae antiquatae formae: ut mirum non ſit, ceſſante cauſa, effectum quoque, atque ab effectu ceſſaſſe argumentationem. Quare notaſſe bene Cuiacium exiſtimo apud Vlpianum titulo nono, de his, qui in manu ſunt, Tribonianum in l. uxorem, ff. de rit. nupt. & in l. ex ea parte, §. primo, ff. de uerb. obl. ſcripſiſſe, in matrimonium conuenire. Et in l. ſi concubina, ff. rerum amot. Conuenit, pro in manum conuenit.

C I C E R O

EX comparatione autem omnia ualent, quae ſunt eiuſmodi: Quod in re maiore ualet, ualeat in minore: ut, ſi in urbe fines non regūtur, neque aqua in urbe arceatur. Item contra: Quod in minore ualet, ualeat in maiore, licet idem exemplum conuertere. Item: Quod in re pari ualet, ualeat in hac, quae par eſt: ut, quoniam uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam aedium. At in lege aedes non appellantur, & ſunt ceterarum omnium, quarum annuus eſt uſus: ualet aequitas, quae paribus in cauſſis paria iura deſiderat.

E X P L A N A T I O

BOETIVS. A comparatione locus, qui dicitur, tripartite ſcinditur. Aut enim a comparatione maiorum, aut a comparatione minorum, aut a comparatione parium naſcitur. A comparatione igitur maiorum eſt, quoties maiora minoribus comparantur, hoc modo: ut, quod in re maiore ualet, ualeat in minore. Fit enim quaeſtio, an in urbe liceat aquam arceri. In hac igitur ſubiectus eſt terminus in urbe aqua. Praedicatus uero eſt ius arcendi. Regi fines dicuntur, quoties unuſquiſque ager propriis finibus terminatur. Arcet uero aquam, qui eam per ſua ſpatia meare non patitur. Facimus igitur argumentum ſic: Quoniam plus eſt regi fines, minus uero arceri aquam, ſi in ciuitate fines non reguntur, quod eſt maius, ne id quidem, quod minus eſt, fiet, ut aqua arceatur. Hic igitur ſumptum eſt argumentum ab eo, quod in ipſo haeret, de quo quaeritur. Quaeritur uero de arcendae aquae iure ab effecto ſcilicet, id eſt, a maiore, quod refertur ad id, quod minus eſt. Notandum uero, quod Tullius maximam propoſitionem argumentationi incluſit, hoc modo: Quod in re maiore ualet, ualeat in minore, & deinceps ea niſus argumentationem expediuit, aut manifeſtius appa-

reat,

reat,id,quod primo uolumine commemoratum eſt; has maximas propoſitiones aliquoties quidem argumentationibus includi,ut in praeſenti monſtratur exemplo,alias uero uires argumentationibus dare, ut in ſuperioribus exemplis locorum. Quod ſi idem conuertamus exemplum,dicemus,quod in re minore ualet,ualeat etiam in maiore. At in urbe aqua arcetur,regentur igitur fines. Hic tamen quaeſtio permutatur,hoc modo: Quaeritur enim,an in urbe fines oporteat regi. Sed a minore ſumitur argumentum,id eſt ab arcenda aqua,ut ſit hic quoque argumentum ab eo,quod in ipſo eſt,ideſt ab eo, quod eſt in regendis finibus. Ab effecto ſcilicet,id eſt a minore. Id enim,quod minus eſt,effectum eſt,illud namque reſpicit, ad quod comparatur. Hic quoque maxima propoſitio a Tullio poſita eſt,eaq; eſt,quod enim in re minore ualet,ualeat etiam in maiore. A paribus uero ſimiliter fit comparatio: neceſſe eſt enim, ut ualeat aequitas, quae paribus in rebus paria iura deſiderat. Plurimarū igitur rerū uſucapio annua eſt. ut,ſi quis eis anno continuo fuerit uſus,& firma iuris auctoritate poſsideat,uelut rem mobilem. Fundi uero uſucapio biennij temporis ſpatio cōtinetur de aedibus, in lege nihil adſcriptum eſt. Quaeritur ergo uſus aedium,uno ne anno,an biennio capiatur. Faciemus a paribus argumentationem .&,quoniam immobilium aeque poſſeſsio eſt; aedes uero immobiles ſunt,ut biennio fundus uſu capitur: ita etiam oportet aedes uſucapere biennio poſsidentem. Aequitas enim paribus in rebus, paria iura deſiderat. Quae etiam maxima propoſitio a Tullio clariſsime expoſita eſt; ſed exemplū reſtrictius dictum eſt,nec promptiſsime ad intelligendum. Ita namque ait,ut,quoniam uſus auctoritas fundi biennium eſt,ſit etiam aedium. Hic igitur aedium uſus auctoritate biennio fieri ſentit,ſed adiicit. At in lege aedes non appellantur,& ſic ſunt ceterorum omnium, quorum annuus eſt uſus. Hic rurſus aedes in his uidetur ponere, quae annuo uſucapiuntur,& concludit nihil definiens,niſi ualeat aequitas, quae paribus in cauſis, paria iura deſiderat. Sed uidetur ita dictum,quoniam immobiles ſunt aedes,ut fundus: biennio uero fundus uſucapitur,aedes quoque biennio uſucapientur,& ſibiipſe rurſus opponit. Sed in lege duodecim tabularum de aedibus nihil adſcriptum eſt,& inter eas relictae ſunt res taciturnitate legis,quarum uſus eſt annuus. Nam,cum de fundo praeſcriberet lex biennij,uſucapionem tacuit aedes,& his potius hac taciturnitate eas iunxit, quarū annuus eſt uſus. Sed ſoluit obiectionem,ita ſcilicet,aequitas paribus in rebus,paria iura deſiderat. Itaque,quoniam aeque fundus,atque aedes immobiles ſunt, aeque biennio uſucapientur. Factum eſt igitur hic quoque argumentum ab eo,quod in ipſo eſt,de quo agitur,ideſt ab effectu pari. Nam,cum agatur de aedium poſſeſſione,argumentum ſumptum eſt ab uſucapione fundorum. Expeditis igitur his locis, qui in ipſo, de quo agitur,inhaerebant; nunc iam loci eius,quem dixit eſſe extrinſecus, ponit exemplum. Hic uero eſt,qui ſumitur ab auctoritate iudicij,locus ualde probabilis, etiam ſi non maximae neceſsitatis. Quae enim neceſſaria ſunt, haec ex propria conſiderantur natura. Quae uero probabilia ſunt,plurimorum iudicium exſpectant. Ea nāque ſunt probabilia,quae uidentur uel omnibus,uel pluribus,uel maxime famoſit,atque praecipuis,uel ſecundum unamquamque artem,ſcientiamq; eruditis. Vt,quod medico in medicina,geometrae in geometria,ceteriſq; in propria ſtudiorum facultate uerſatis,de quo extrinſecus loco ſic loquitur.

GVEVARA. Ex *comparatione autem omnia ualent,quae ſunt eiuſmodi*:] Comparationis definitionem,partes,& uſum tradunt Cicero libro primo de Inuentione,libro ſecundo de Oratore,& in Partitionibus. Ariſtoteles libro ſecundo,& tertio Topic. Quinctilianus libro quincto. Rodolphus libro primo, cap. uigeſimoquincto. Euerardus loco decimoſexto. Gammarus lib. ſecundo. Bucoldianus libro primo. Cantiunculæ loco uigeſimoſecundo, Titelmanus lib. quincto Dialecticae, cap. uigeſimoſeptimo. QVOD *in re maiore*] Maius dicitur,auctoribus Titelmanno,& Gammaro,& Othomano,non ſecundum quantitatem,aut potentiā: ſed ſecundum maiorem,uel minorem eſſendi rationem. Ideſt, quod magis probabile, & conſentaneum eſt. Itaque,ſi quis dicat,qui familiam ſuam non recte adminiſtret, ineptum futurum ad gubernandam Rempubl. ex maiore argumentatur,cum probabilius ſit quempiam domum, quam ciuitatem,poſſe regere. QVOD *in re maiore ualet,ualeat in minore*:] Hanc eſſe maximam propoſitionem argumento incluſam,Boetius,Cantiuncula,Barba,& Othomanus lib. 1. Obſeru. cap. uigeſimoquincto recte putant: Viſorio, & Agricola licet contradicentibus. Illud apud omnes conſtat,affirmando hunc locum non ualere, ſed negando. Quare Othomanus duas negationes deeſſe,atque hoc modo legendum arbitratur. Quod in re maiore non ualet, non ualeat in minore. Cantiuncula conſtare propoſitionem uerbis affirmatiuis, ſenſu negatiuo. SI *in urbe fines non reguntur*,] Quia,ut eſt apud Vlpianum l. ſecunda,ff. fin. regun. haec actio pertinet ad praedia ruſtica. & Paul. l. quarta,§. decimo. Hoc iudicium locum habet in confinio praediorum ruſticorum, Vrbanorum diſplicuit. In urbe,bene Cātiuncula interpretatur,ideſt in urbanis praediis. Nam,ſi plurimum horti in reditu ſunt,uinearij forte,uel etiam olitorij,magis haec non ſunt urbana, l. urbana praedia,ff. de uerb.ſign. l. ſi praedium, C. de praed. & al. rer.min. In his autem iudicio locum eſſe,idem Paulus ſcribit loco citato. Et in uerbo,inquit,hortorum latitudo contingere poteſt,ut etiam finium regundorum agi poſsit. NEQVE *in urbe aqua arceatur*.] Vlpianus in l. prima, §. decimotertio,ff. de aqua & aqua pluu. arc. Item ſciendum eſt, ait, hanc actionem non alias locum habere,quam ſi aqua pluuia agro noceat. Ceterum,ſi aedificio,uel opido noceat,ceſſat actio iſta. & §. decimoquarto. Apud Labeonem inuenio relatum, ſi ex agro meo aqua fluens noceat loco, qui eſt intra continentia,hoc eſt aedificio: non poſſe me aquae pluuiae arcendae conueniri. In urbe, autem accipe,ideſt intra continentia aedificia. Alias in illis,quae,quamquam intra continentia ſint, magis non ſunt urbana, aquae arcendae eſſe actionem putat Cantiuncula. Illud a pleriſque dubitatur, quo modo finium regundorum iudicium maius ſit actione aquae pluuiae arcendae. Et quidam exiſtimant maius eſſe fines regere, quam aquam pluuiam arcere, quia prius ſit fines diſterminare. Etenim, ſi fines agrorum diſcreti non eſſent, non poſſet agi de aqua pluuia arcenda; ut, ſi aedificia diſiuncta non eſſent, nec eſſet de ſtillicidiis aliqua diſſenſio. Cantiun-

cula aquae pluuiae actionem dicit probari eſſe ſpecialem, in l. 1. §. decimotertio, ff. eodem tit. quod de iudicio finium regundorum nuſquam dicitur. Quin uel ex eo uideri iudicium pinguius, ac maius, quod duplex a iuriſconſultis appelletur, & in eo unuſquiſque tam actoris, quam rei partes ſuſtineat. In l. in tribus, ff. de iudic. iuncto, § penultimo. Inſtitut. de interdict. ubi gloſſ. & doctores, & Iaſo in Rubrica, C. de iudiciis. I T E M *contra, quod in minore ualet, ualeat in maiore. Licet idem exemplum conuertere.*] In urbe actionem aquae pluuiae denegat praetor, ergo & iudicium finiũ regundorum. Actio aquae pluuiae ceſſat in urbe, igitur & iudicium finium regundorum. In agris pluuia arcetur, ergo & fines regantur. Q V O D *in re pari ualet, ua eat in hac, quae par eſt.*] Maxima propoſitio incluſa argumentationi: de qua Titelmannus lib. quincto Dialecticae, capite trigeſimo. Et Euerardus loco decimoquarto. Q V O N I A M *uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam aediũ.*] Haec dictio multa ſignificat, ac primũ Imperatoris, aut Praeſidis litteras, ut bene probat Anton. Auguſtinus libro tertio Emendationum, capite ſexto. & l. ultima, C. de fabricenſibus, libro undecimo, l. ultima, de uend. re. ciu. l. diligenter. De aquaeduct. l. ſi quis. De omni agro des. lib. duodecimo. Eſt etiam auctoritas, ſedes quaedam argumenti, de qua dicemus ſtatim. & ea utitur iuriſconſultus in l. ſeptimo menſe, ff. de ſtat. homin. Pro conſenſu auctoritas ponitur in l. Cum adoptio, ff. de Adoptionibus. Et auctor dicitur, qui conſentit, ratum habet, & comprobat, in l. ſi quis, eodem titulo. ubi Coraſius, & Oroſius aduertunt; idemq. apud Ciceronem ſignificat in oratione pro domo ſua. Sed & actionem pro euictione, auctoritatem appellat, l. fin. ff. de Euictionibus. Et Paulus libro ſecundo Receptarum ſententiarum titulo decimoſeptimo, §. primo, & tertio. Et Seneca libro quarto Naturalium quaeſtionum. Si mihi parum credit, Poſidonius auctoritatem promittet. Inde auctoritas tabulae, Las cartas de uenta, in l. ultima, ff. de pign. act. & apud Senecam libro quarto Controuerſiarum, controuerſia uigeſimaſecunda. Hinc primi auctores dicuntur hi, a quibus ius in nos tranſit, in l. Herennius, ff. de euictionibus, & ſecundi auctores, qui de euictione fidei iubent, in l. quarta, ff. de Euictionibus. & notant Anton. Auguſtinus loco citato. Alciatus libro ſecundo Parerg. cap. nono. Briſſonius de uerb. quae ad ius pert. ſign. Et Picardus in annot. in Pandect. Dicitur qnoque auctoritas uſucapiendi condicio, in legibus duodecim tab. & a lege Atinia. & a Cicerone de haruſpicum reſponſ. Et pro A. Caecina. Atque hoc loco Topicorum, quem ita interpretamur, auctoribus Budaeo in annot. Coraſio in l. Qui in utero, ff. de ſtatu hom. Franciſco Florido, de Iuris ciuilis interpretibus, fol. centeſimo quinquageſimoprimo. Alciato lib. ſecundo Parerg. cap. nono: Othomano libro primo Obſeruationum, cap. uigeſimoquincto. Picardo in §. furtiuae. Inſtit. de uſucapionibus. Cantiuncula, & Euerardo locis ſupra citatis. Pro iuſto quoque iure dominij, auctoritatem accipi probat Sigonius lib. primo de antiq. iur. ciu. Rom. cap. undecimo. Sed & pro maieſtate quadam, & grauitate, &, quod dicimus, perſona de audoridad, ſumi uidetur in l. Deinde, in fi. ff. de lib. exhibend. Cum audis, inquit, matremfamilias, accipe notae auctoritatis feminam. Poſtremo, fundũ pro auctore dixere Plautus in Trinummo, act. quincto. Feſtus Pomp. lib. ſexto. & Gellius lib. decimonono, cap. octauo. *Quoniam uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam aedium.*] Othomanus in partitionibus iuris ciuilis tit. decimoquarto de Iure Quiritum, & libro primo Obſeru. cap. uigeſimoquincto, & in Fragmentis legum duodecim tab. tertia parte, cap. uigeſimoſexto, legendum contendit hoc loco: Quoniam uſus auctoritas fundi biennis eſt. Quaſi, uſus, ſubſtantiuum; biennis adiectiuum ſit: ſenſuſq. talis, quoniam biennis uſus aedium, ideſt poſſeſsio aedium per biennium continuata, eſt auctoritas fundi, hoc eſt iuſta, & legitima cauſſa retinendi dominium fundi: ſit etiam aedium: quae tametſi fundi appellatione non contineantur, ſed praedij: tamen, quia ſunt res immobiles, perinde, ut fundus, eodem iure cenſendae ſunt. Acute quidem haec Othomanus, & erudite: ſed, cum in oratione pro Caecina Cicero de eadem re agens, ita ſcribat, lex uſum auctoritatem fundi iubet eſſe biennium. At utimur eodem iure in aedibus, quae in lege non appellantur. Nihil facile muto. A T *in lege aedes non appellantur.*] Obiectio. E T *ſunt ceterarum omnium, quarum annuus eſt uſus.*] Ideſt praetermiſſae cum ſint, uidentur inter eas res cenſendae, quae anno uſucapiuntur. V A L E A T *aequitas, quae paribus in cauſſis paria iura deſiderat.*] Reſpondet obiectioni.

C I C E R O

Q V A E *autem extrinſecus aſſumuntur, ea maxime ex auctoritate ducuntur, itaque Graeci tales argumentationes* ἀτέχνους *uocant, id eſt artis expertes; ut, ſi ita reſpondeas;*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. A L I A quippe argumenta ſunt, quae ipſe elicit orator, atque ipſe quodammodo ex deſignatis locis ſibi comparat; & propria facultate conquirit. Alia, quae extrinſecus poſita non ipſe inuenit, ſed praeſentibus utitur, & paratis; ueluti teſtimonia, tabulae, fana, ceteraq. de quibus M. Tull. latius tractaturus eſt. Non enim ſibiipſe teſtimonia parat orator, ſed paratis utitur; nec ipſe iudicium facit, ſed iam poſito, ac ſpontaneo rumore ueniente utitur ad cauſſam. atque iccirco hos locos Graeci ἀτέχνους uocant, ideſt inartificiales, atque, ut Tullius dixit, artis expertes: quae enim non proprio oratoris artificio comparantur,

rantur,ſed ſe extrinſecus uenientia ſubminiſtrant. Haec iure artis expertia appellata ſunt. Huius exemplum eſt,ut,ſi ita reſpondeas.

GVEVARA. Qvae *autem extrinſecus aßumuntur,ea maxime ex auctoritate dicuntur. Itaque Graeci tales argumentationes* ἀτέχνυς *uocant,ideſt artis expertes:*] Quinctilianus lib. quincto,capite primo. Prima quidem,ait,illa partitio ab Ariſtotele tradita,conſenſum fere omnium meruit: alias eſſe probationes, quas extra dicendi rationem acciperet orator: alias,quas ex cauſſa traheret ipſe, & quodammodo gigneret. Ideoq. illas ἀτέχνυς, ideſt inarticificiales; has ἐντέχνυς, ideſt artificiales uocarunt. Ex illo priore genere ſunt praeiudicia,rumores,tormenta,tabulae, iuſiurandum, teſtes: in quibus pars maxima contentionum forenſium conſiſtit. Sed, ut ipſa carent arte, ita ſummis eloquentiae uiribus & alleuanda ſunt plerumque, & refellenda. Et cap. undecimo,idem Quinctilianus ſcribit. Adhibetur extrinſecus in cauſſam & auctoritas,Haec ſecuti Graecos,a quibus κρίσεις dicuntur,iudicia,aut iudicationes uocant,non de quibus ex cauſſa dicta ſententia eſt. nam ea quidem in exemplorum locum cedunt: ſed,ſi quid ita uiſum gentibus, populis, ſapientibus ueris, claris ciuibus,illuſtribus poetis,referri poteſt. De hac quoque re multa Titelmannus libro quincto Dialectic.capite trigeſimotertio,& quarto, Euerardus loco nonageſimoquincto, Gammarus libro ſecundo, Bucoldianus lib. primo,cap. decimoquincto,

C I C E R O

Qvoniam P. Scaeuola id ſolum eſſe ambitus aediũ dixerit, quod parietis communi tegendi cauſſa tectum proiiceretur,ex quo in tectum eius, aedes,qui protexiſſet,aqua defluerat, id tibi ius uideri.

E X P L A N A T I O

BOETIVS. Solvs ambitus aedium eſt,quantum ſoli aedium ambitus claudit. Scaeuola igitur dixit id eſſe ambitus aedium ſolum,quod tecti diffuſione tegeretur. Manifeſtum eſt enim,tecta latius fundi, nec parietibus adaequari,ut ſtillicidium longius cadat. Quae cum ita ſint,quidam parietem communem tegere nitebatur,quaeritur,an ſit aliquod ius tegendi,reſpondeas tu,inquit Cicero, Trebati, id ius eſſe tegendi parietis communis,ut in eius,qui tegat,aliud quodlibet tectum,ſtillicidij aqua fundatur, alias non eſſet iuris, ut tegat aliquis ſtillicidio in uicini tecta defluente. Haec enim ſtillicidij ſeruitus noua, niſi conſentiente uicino nihil iuris habet. Sed,ſi huic reſponſo opponatur, ne ſic quidem, ut tegat,eſſe iuris,quandoquidem aedium ſolum tantum eſt,quantum cuiuſque parietes claudunt. Qui uero tegit tectum,longius mittit. Tu,inquit,reſponſum tuum Scaeuolae auctoritate firmabis,dicens: Scaeuolam reſpondiſſe,hoc ſolum eſſe ambitus aediũ, quantum tectum proiiceretur,non quantum parietes ambirent. Ius eſt igitur,proiicere tectum. qui intra ambitum adhuc ſuarum aedium tegit, ſed ita, ut in ſuum tectum aqua defluat, ne uicino noua noceat ſeruitute. In qua quaeſtione,neque a ſubiecto,neque a praedicato termino ductum eſt argumentum, quod in his locis conſiderari moris eſt,qui in ipſis haerent, de quibus agitur, terminis,ut in omnibus exemplis eſt diligentiſsime declaratum. Sed, quia ſumitur argumentum extrinſecus, dubitationi iudicium cuiuslibet opponitur, ut nunc Scaeuolae,cuius auctoritate reſponſum eſt, atque ideo ex loco,qui uocatur extrinſecus,ſumptum dicitur argumentum.

GVEVARA. Vt *ſi ita reſpondeas, Quoniam P. Scaeuola id ſolum eſſe ambitus aedium dixerit, quod parietis communis tegendi cauſſa tectum proiiceretur: ex quo in tectum eius aedes, qui protexiſſet, aqua deflueret, id tibi ius uideri.*] Othomanus lib. primo Obſeruat. cap. uigeſimoſexto, hunc locum corruptum credit, atque, Quoad,pro,Quod,reponendum eſſe. Et poſteriorem uocem,tectum,tollendam. Praeterea uocem illam, ſolum,aduerbium eſſe ait,pro ſolummodo,uel dumtaxat: non nomen pro area poſitum,ut Boetius, & alij interpretes putauerunt. *Id ſolum eße ambitus aedium*: Auctore Feſto lib. primo, Ambitus proprie dicitur inter uicinorum aedificia locus duorum pedum,& ſemipedis,ad circumeundi facultatem relictus. Idemq. probant Varro lib. quarto de lingua Latina: Maecianus libro de Aſſe: Iſidorus libro decimoquincto Etymolog. Ant. Auguſt. lib. ſecundo Emendat. cap. ſeptimo. Briſſonius lib. primo Select. cap. ſecundo. Cuiacius lib. primo Obſeruat. Othomanus in fragmentis duodecim tab. tertia parte, cap. uigeſimotertio. Atque id appellatur legitimum ſpatium in l. Imperatores,ff. de ſeru. urb. praed. Cum igitur dupliciter aedes conſtruerentur Romae,aliae iuxta leges duodecim tab. ita ut inter aedes uicinas ſextertius pes, ambitus cauſſa relinqueretur: quae auctore Feſto dictae ſunt inſulae, quod non iungerentur communibus parietibus cum uicinis, ſed circuitu publico,aut priuato cingerentur: aliae,ita,ut non eſſent inſulae, ſed continentes domus: de utrarumq. ambitu dubitatum eſt. Ac de continentibus quidem domibus, quae parietem communem habent, nec quidquam ſpatij interiectum eſt. P. Scaeuola Iuriſconſultus reſpondit,id dumtaxat eſſe ambitus aedium, quo ad uterque uicinus communem parietem protexerit,unde diuortium aquarum fiat,& in cuiuſque illorum aedes aqua pluuia defluat. Nimirum,ut dimidia parietis pars ad unum,altera ad alterum pertineat: & linea communem parietem aequabiliter ſecans,ambitum aedium utrimque deſignet. Neque enim uicino in communem parietem integrum tectum, aliudue quid,quod ei incumbat,licet immittere,l. quidam,ff. de ſeruit. urb. praed. Inſularum ambitum,quatenus ſtillicidij rigor,& tignorum protectus competat eſſe,Scaeuola,& Paullus Iuriſconſulti tradiderunt, in l. xx. & xli. ff. de ſeru. praed. urb.

CICERO

HIs igitur locis, qui ſunt expoſiti, ad omne argumentum reperiendum tamquam elementis quibuſdam ſignificatio, & demonſtratio datur. Vtrum igitur hactenus ſatis eſt? tibi quidem tam acuto, & tam occupato puto. Sed, quoniam auidum hominem ad has diſcendi epulas recepi, ſic accipiam, ut reliquarum ſit potius aliquid, quam te hinc patiar non ſatiatum diſcedere.

EXPLANATIO

BOETIVS. OMNE elementum principium eſt eius rei, cuius elementum eſſe perpenditur. Nam eius, quod ex elementis fit, ipſa elementa neceſſe eſt eſſe loco principij, ergo quoniam loci ſuperius deſignati argumentorum, quaſi quaedam principia ſunt. Ipſi enim ſunt, qui continent argumenta. Omne autē, quod continet, eius, quod continetur, principium eſt. Iccirco ait Cicero ueluti quaedam elementa argumentorum, uideri locos hos, quos ſuperius poſuit, cautiſsimeq. adiecit, quaſi quaedam elementa. Non enim integre elementa, ſed quaſi in ſimilitudine elementorum ſunt hi loci, qui in argumentis efficiendis ſumuntur. Iccirco quoniam argumentorum quaedam uidentur eſſe principia; alioquin elementum omne minima pars eſt eius, quod elementum eſt, & id, quod ex elementis efficitur, partis uice coniungit, ut litterae orationem. At uero locus, non pars argumenti, ſed totum eſt. Eſt enim ſignificatio quaedam, & demonſtratio ad reperiendum argumentum data; ut, ſi locum reſpexeris, noueris ubi conditur, unde duci debeat argumentum. Sed reliqua ad Trebatium expeditiſsime dicta ſunt, blanditurq. etiam breuia poſſe ſufficere acuminis praerogatiua, praeſertim cum ſit iuris occupatione diſtrictus, & tempus legendi plura non habeat. Sed, quoniam, ut inquit, auidiſsimum ſtudij ad has doctrinarum epulas recepit, non uult deguſtatum, ſed ſatiatum relinquere; ut ne deſit aliquid, ſed de pleno etiam relinquat, factaq. eſt a conuiuando tranſlatio iucundiſsima. Declaratis omnibus igitur locis, eorumq. exemplis diligēter expoſitis, pauca quaedam de locorum ui, atque ordine diſputabo: quibus pleniſsima diſputatione expeditis, ad ea, quae reſtant explananda tranſgrediar; ſed id iam tertio uolumine faciendum eſt, quoniam liber ſecundus habet proprium modum.

GVEVARA. TAMQVAM *elementis*] Quoniam loci ſuperius deſignati, argumentorum quaſi quaedam principia ſunt, cum argumentum contineant: omne autem, quod continet, eius, quod continetur, principium ſit. Sed recte adiecit, Tamquam elementis. Non enim integre elementa, ſed tamquam elementa ſunt loci: ut Boetius explicat. SIGNIFICATIO, *& demonſtratio datur.*] Veriſimilia ſignificari: neceſſaria demonſtrari ait. Sunt, qui haec illuc referant quod in principio dixit. Vt igitur earum rerum, quae abſconditae ſunt, demonſtrato & notato loco facilis inuentio eſt: ſic, cum perueſtigare argumētum aliquod uolumus, locos noſſe debemus. VTRVM *igitur hactenus ſatis eſt?*] Tranſit ad uim, & uſum locorum uberius explicandum.

CICERO

QVANDO ergo uuuſquique eorum locorum, quos expoſui, ſua quaedam membra habet, ea quam ſubtiliſſime perſequamur, & primum de ipſa definitione dicatur. Definitio eſt oratio, quae id, quod definitur, explicat, quid ſit.

EXPLANATIO

BOETII. LIB. III. ANTEQVAM latiorem M. Tullij diuiſionem de numeratis ſuperius locis aggrediar, pauca, ut ſum pollicitus, de ui, atque ordine locorum mihi uidentur eſſe tractanda, ut, eorum natura diligentius cognita, facilior ſe argumentorum copia ſubminiſtret. Primum igitur, quoniam loci omnes diuiſi ſunt in eos, qui in ipſo haererent, de quo quaeritur, & in eos, qui extrinſecus aſſumerentur; uidēdum eſt, qui nam ſunt hi loci, qui in ipſo haerent, de quo quaeritur, uel quid ab ipſis differant, in quibus haerere dicuntur, atque illud quidem planiſsime expeditum eſt, ipſos dici terminos illos, qui in quaeſtione uerſantur, horum alterum eſſe praedicatum, alterum uero eſſe ſubiectum, ſuperior expeditio patefecit. Ab eo igitur termino, de quo agitur, quid differt locus a toto, quandoquidem idem eſt ipſum eſſe, quod totum. Neque enim aliud eſt eſſe quemlibet terminum in quaeſtione propoſitum, quam totum eſſe terminum eūdem, qui in quaeſtione eſt conſtitutus. De partibus quoque idem dicemus. Nam, ſi omnes partes afficiunt id, cuius partes ſunt, terminumq. in quaeſtione propoſitum ſuae partes efficiunt, non eſt dubium, quin partes quoque omnes conuenientes id eſſe, quod ipſum eſt in quaeſtione propoſitum, rectiſsime intelligātur. Notatio uero eodem modo illud ipſum eſt, quod in quaeſtione proponitur, rem enim unamquāque omne uocabulū deſignat, ac denotat. Fit igitur, ut totū, partes, ac nota idē, quod eſt ipſum, de quo quaeritur, eſſe uideātur. In tāta igitur ſimilitudine rerum dāda eſt differētia. neque enim, ut dictum eſt, ſi locus haeret in eo ipſo, de quo quaeritur, atque ab ipſo, de quo quaeritur, capi non poteſt argumentū, fieri poteſt, ut locus idem eſſe poſsit, quod ipſum eſt. Sed haec differentia eſt, ipſum eſt, quod confuſe, ac ſingulariter intelligitur, ut homo, in eo ineſt totū ſuum, quod eſt definitio Ipſius igitur totum ab eo, quod ipſum eſt, intelligentia ſeparatur, quod illud quidem ſingulariter intelligitur, hoc uero ſub generis, ac differentiarum enumeratione demonſtratur. Diuidit enim definitio, ac diſſpartit, totumq. patefacit, quod in re ipſa ſpecialiter intelligebatur. De partibus quoque eadem ratio eſt.

Si enim ad membrorum multitudinem, uel ſpecierum omnium enumerationem, ſingularem termini referas intellectum, ſtatim ipſius, ac partium differentias comprehendas. Nota etiam ab eo, cuius nota eſt, facile diſtat, quia illud uox & ſignificatio eſt, illud res ſignificationi ſuppoſita; eorum uero, quae affecta ſunt, non dubie ſunt differentiae ab his, quorum affecta eſſe monſtratur. Quis enim item dicat eſſe coniugatum, quod eſt id cui coniugatum eſt? Quis idem eſſe iuſte, quod iuſtitia? Quis idem genus, quod forma, quis contraria, quis ſimilia? quandoquidem, neque contrarium ſibi ipſi cōtrarium eſſe poteſt, nec ſimile ſibiipſi ſimile, nec genus ſibimetipſi genus, & de ceteris eadem ratio eſt. Nunc illud dicendum eſt, propter quod iſta praemiſimus. quādocumque enim ab illis tribus locis, qui primi propoſiti ſunt, argumenta ſumuntur, ideſt a toto, a partibus, a nota, fit, ut ipſe quidem terminus, ad cuius fidem quaeritur argumentum, intra quamlibet earum rerum contineatur, quae cum ad argumentum ductae fuerint, loci eſſe monſtrantur, uelut cum ſit argumentum a toto, ipſe quidem terminus, cui fides affertur, intra totum comprehenditur, totum uero ipſum, quod eſt definitio, res eſt. Siquidem orationem rem uocari placet, at ſi ex ea ſumitur argumentum, fit locus. Iam ipſum quidem de quo agitur, intra totum clauditur, a quo toto, cum fit argumentum, fit ipſum totum locus, quod totum, quoniam claudit terminum, qui in quaeſtione uerſatur, eidem termino uidetur inhaerere. Quo fit, ut locus quoque, qui a toto eſt, idem inhaereat termino, de quo in quaeſtione dubitatur, partium quoque enumeratio eundem terminum claudit, quem partium collectione coniungit. Ipſa partium enumeratio res, quaedam eſt, ſi oratio rebus annumeranda eſt. Sed ſi ab ea ducitur argumentum ſit locus. Sed, quoniam partium multitudo in eodem termino eſt, quem conuentus partium iungit, neceſſe eſt eum quoque locum, qui a coniunctione eſt partium, ipſi illi termino, de quo quaeritur, inhaerere. Nota etiam deſignat, & ſignatione aliquo modo comprehendit, a qua ſi ducitur argumentum, fit locus, &, quoniam nomen omne uidetur ei adeſſe cuius intelligentiam ſignat, locus quoque, qui eſt a notatione, in ipſo haeret, de quo uerſatur intentio. At in affectis, quae in tredecim partds diuiſa ſunt, non idem eſt. Nam, quoniam reſpicientia quodammodo terminum ſunt, & quaſi extrinſecus conſtituta; non uidetur eodem modo coniuncta eſſe, cum termino, quo coniuncti ſunt hi loci, qui a toto, a partium enumeratione, a nota eſſe praedicti ſunt, ſed tamen id, quod effectum eſt, ad aliquid dicitur. Id uero aliquid iunctum eſt illi ſemper, quod ad eius ducitur relationem, ac ſine eo eſſe numquam poteſt, quare cum ipſo naſcitur, & quodam modo altero dicto intelligitur alterum. Nam, ſi, id de quo quaeritur, eiuſq. affecta perpendas, ea quae perhibentnr affecta, extra id, de quo ambigitur, poſita eſſe conſideres. Nihil enim eorum, quae ſunt ad aliquid, ex ſe ipſo eſſe poteſt, ſed eſt ſemper ex altero. Vt enim in praedicamentis oſtenditur, omnia, quae ad aliquid dicuntur, oppoſita ſunt, non tamen ita diſiuncta ſunt, ut omnino ſint diſtributa. Sed, quoniam relatiuo praedicatione iunguntur, neceſſe eſt aliquo modo in ipſo ſint, ad quod uidentur affecta. Omne quippe affectum ex eo, quod affectum eſt, ſuſcipit formam, & ſine eo eſſe non poteſt, & dicto altero alterius ſe ſtatim ſubiicit intellectus, ut cum dixero dimidium duplum intelligitur. Et cum patrem nominauero, filius ad intelligentiam uenit. Et omnia quaecumque aliquid ſunt ex ſeſe pendēt, nec a ſe inuicem deſeruntur. igitur omne affectum, & ad ipſum reſpicit, ad quod refertur, & in ipſo eſt. ad ipſum quidem reſpicit, quoniam ad effectum ſuum uelut ad aliquod relatiue more praedicationis refertur. In ipſo uero eſt, quod ea eſt affectorum natura, ut alterum exſiſtat ab altero: ſeq. ipſa poſsideant; quandoquidē & id, quod affectum uocatur, eius eſt termini, ad quem conſideratur affectum, & terminus in quaeſtione propoſitus affectu ſuo intelligitur eſſe connixus. Quae cum ita ſint, cum argumentum a coniugatis, quoniam id, quod coniugatum affectum eſt ad id, quod ei ex altera parte eſt coniugatum. Id quidem, de quo quaeritur, in altrinſecus poſito coniugato haeret, Is uero locus, unde argumentum trahitur, ab altero ducitur cōiugato; ueluti ſi compaſcuus ager eſt, ius eſt compaſcere. Igitur compaſcere, atque compaſcuum coniugata ſunt, ſed quaerebatur, an ius eſſet compaſcere. Tractum uero eſt argumentum a compaſcuo, itaque terminus quidem, de quo fuit quaeſtio, in altero coniugato poſitus deprehenditur, ideſt compaſcendo. Locus uero, unde argumentum tractum eſt, in altero eſt, ideſt in compaſcuo. Item, quoties a genere ducitur argumentum, id, de quo quaeritur, in forma haerere neceſſe eſt, ut cū oſtēditur legata eſſe numerata pecunia, quoniam fuerit argentum omne legatum, Quaeritur enim de dinumerata pecunia, quae eſt ſpecies argenti; & argumentum tractum eſt ab argento, ideſt a genere. Itaque ipſum, de quo quaerebatur, in forma fuit; ideſt in ſpecie. Argumentum uero tractum eſt ab affecto, ideſt a genere. Quod ſi a forma generis argumentum fiat, conuerſo modo eſt. Id quidem, quod quaeritur, in genere eſſe monſtratur. Ipſum uero, unde ſumptum eſt argumentum, in forma eſſe perpenditur. Nam, cum quaeratur, an legatum ſit uxori, oſtenditur non eſſe legatum, quia non fuerit uxori tantum legatum; ſed matrifamilias uxori. Vxor uero genus eſt, materfamilias ſpecies uxoris, Quaeritur igitur de uxore, ideſt, de genere, argumentum factum eſt a matrefamilias, ideſt a forma. Quoties uero a ſimilitudine trahitur argumentum, quoniam id, quod ſimile eſt, non ſibi, ſed alteri ſimile eſſe perpenditur, Res quidem, de qua quaeritur, in uno eorum, quae ſunt ſimilia, poſita eſt, at uero locus in altero, uelut cum quaeritur, an heres reſtituere uitium ruinamue cogatur aedium in uſumfructum relictarū, In hoc igitur quaeſtio eſt; locus uero in ſimilitudine, quia non oportet heredem aedes reſtituere, ſicut nec mancipium, ſi id aliqua ratione depereat. Cum igitur ſimilis ſit aedium uſusfructus, atque mancipij, quod quaeritur in aedium uſufructu poſitum eſt. Locus uero in uſufructu mancipij. In differentia quoque idem eſt; eorū namque, quae differūt in altero, poſitum eſt id, quod quaeritur, In altero uero illud, a quo id, quod eſt ambiguum, comprobatur, ut cum quaeritur, an id quoque argentum, quod in nominibus debebatur, legatum ſit. Hic igitur illud eſt, quod dubitatur. In eo uero, quod ab hoc differt locus, a quo oſtenditur minime legatum eſſe argentum, quod in nominibus debebatur, quia multum differt in arca ne ſit poſitum, an

in

in nominibus ſcriptum. A contrario quoque idem eſt,ut in eo,quod quaeritur,an uſusfructus plenus legatus ſit. In uſufructu igitur,quaeſtio eſt,ſed probatur minime eſſe legatus,quia non poteſt eſſe uſus earum rerum,quae utendo pereunt,ſed potius abuſus. In abuſu igitur locus eſt,ſcilicet in altero contrariorum, cum fuerit in uſu quaeſtio. Ab adiunctis etiam locus eodem modo ab eo,quod quaeritur,ſegregatus eſt,ut in uno adiuncto ſit quaeſtio,in altero uero ſit locus. Nam,cum quaeratur,an ſecundum mulieris tabulas numquam capite deminutae poſſeſsio detur. In hoc quaeſtio eſt,at in huius adiuncto locus; oſtenditur enim minime debere dari poſſeſsionem: quia ſit proximum, ut ſecundum puerorum, atque ſeruorum tabulas bonorum poſſeſsio concedatur. Ab antecedentibus uero ita eſt locus,ut quaeſtio ſit in conſequentibus. Nam,quod quaeritur,an aliquid dotis nomine pro liberis manere oporteat,ſumitur argumentum nullo modo manere oportere ex antecedentibus, quod uiri culpa factum eſt diuortium. Locus itaque in antecedenti,quaeſtio uero in conſequenti. Conſecutum eſt enim uiri culpa factum diuortium, nihil apud patrem pro liberis permanere,cum uiri culpa praeceſſerit. A conſequentibus uero,ſi ſit argumentum: res quae dubia eſt in antecedentibus eſſe deprehenditur; uelut cum quaeritur,an diuortio facto,cum eo,cum quo connubium non erat, dotis nomine aliquid pro liberis manere oporteat. Fit argumentum ſic; Si quid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi ſequerentur,cum eo nupta eſſet mulier,qui cum connubij ius eſſet. hic antecedens eſt,ſi quid ex dote pro liberis manere oporteret,& in eo quaeſtio,an aliquid manere oporteat. Conſequens,cum eo mulier nupta, qui cum connubij ius eſſet, a quo ſumitur argumentum ideſt a conſequenti. Nā cum manifeſtum ſit, non cum eo nuptam eſſe, cum quo connubij ius erat; oſtenditur, quod minime patrem liberi ſequantur,atque iccirco nihil pro liberis manere oportere. Hic igitur res quidem, quae dubitatur,in antecedenti eſt; in eo ſcilicet, an ex dote pro liberis aliquid manere oporteat. Argumentum uero in eo loco,qui eſt in conſequentibus; ideſt in muliere,quae nupta eſt,cum eo cum quo nulla erant iura connubij. A repugnantibus etiam quoties argumenta ſumuntur, res quidem dubia in altero repugnanti. In aduerſo uero locus argumenti, ut cum quaeritur,an poſsit inuita mulier reddere legatum, quod recte teſtamento ſemel accepit. Locus a repugnanti minime poſſe inuitam reddere,quod recte acceperit. Quaeſtio igitur eſt in eo, quod intelligitur inuitam reddere. Argumentum uero in altera repugnanti; ideſt in eo, quod intelligitur recte accipere. Pugnat enim inuitam reddere, & recte accipere; ſed quaeſtio in uno eorum eſt, locus in altero. Quoties uero a cauſsis efficientibus ducitur argumentum, quaeſtionem in effectis eſſe neceſſe eſt, ut exemplo quo quaeritur,an qui ſatis dederit damni infecti, uitium parietis praeſtare cogatur. In hoc igitur, ideſt uitio parietis quaeſtio eſt,ſed de cauſſa trahitur argumētum. Dicitur enim non oportere praeſtare,quoniam natura parietis cauſſa fuerit uitij: non his,qui de praeſtando uitio ſatis dediſſet. Effectum igitur cauſſae uitium parietis fuit. Itaque quaeſtio quidem in effecto, locus uero eſſe conſideratur ex cauſſa. At ſi ab effectis aliquid approbetur, locus in effecto,quaeſtio in cauſſa eſt conſtituta,ueluti cum quaeritur,an mulier quaedam,cuius bona uiri facta ſunt,dotis nomine in uiri manum conuenerit. Quoniam ergo in manum conuentione perficitur,ut bona mulieris poſt eius mortem uir adipiſcatur,argumentum ducimus ab effectis. Efficitur enim per in manum couuentionem, ut, quaecumque ſunt mulieris, uiri fiant dotis nomine. cum ergo ea,quae mulieris fuere, uir nomine dotis adipiſcitur, mulierem in manum uiri neceſſe eſt conuenire. Quaeſtio itaque de muliere eſt, an in manum conuenerit; argumentum uero ab effecto cauſſae; ideſt in manum conuentionis. Hoc uero eſt,quod ea,quae fuere mulieris,uir dotis nomine acquirit; quo fit ut,quod quaeritur in cauſſa,locus uero ſit in effectis. A comparatione uero maiorum ſi fuerit argumentum,quaeſtio erit in minoribus; ut ſi quaeratur an in urbe aqua debeat arceri, defendaturq. minime debere,neque enim fines reguntur. Ita in aqua arcenda, quod minus eſt, quaeſtio eſt,locus uero in finibus regendis, quod maius eſt. Contrarie uero,ſi a minore ducatur argumentum: erit id,quod dubitatur in re maiore, ut ſi dubitetur, an fines in ciuitate regantur,reſpondeamus minime; quoniam ne aqua quidem arcetur. Ita id, quod dubitatur, in re maiore conſiſtit; illud uero,unde argumentum ſumitur, in minore, & in comparatione parium ſimilis ratio eſt. In uno enim eorum, quae ſunt paria,quaeſtio conſiſtit; in altero locus intelligitur argumenti, ueluti cum quaeritur,an aedium uſus biennio capiatur,id approbamus, quoniam fundorum quoque. Cum igitur paria ſint fundus, atque aedes, quaeſtio quidem de aedibus eſt,argumentum uero ducitur a fundo. Ac de ui quidem locorum, quoq. a ſe modo quaeſtiones, & loci argumentorum ſeparētur, haec dicta ſint; nunc eorum ordinem breuiſsime commemorabo. Ex hoc itaque oritur omne iudicium, qui locus prior, qui ſit poſterior exiſtimandus, ſi eos terminos conſideremus,qui in propoſita quaeſtione uerſantur. Quaecumque enim his terminis propinquiora ſunt, haec rectiſsime priora numerantur. Poſteriora uero quantum a propoſitis longiſsime quaeq. receſſerint: id autem tali ratione clareſcet. Primum namque locorum eſt diuiſa pluralitas in eos, qui in ipſo ſunt, de quo agitur: & in eos, qui aſſumuntur extrinſecus, in quo praepoſitos eſſe intelligimus eos locos, qui in ipſo ſunt, his locis,qui trahuntur extrinſecus: hic uero locus, qui in ipſo eſt, in primas quattuor diſtribuitur partes, quarum prima eſt definitio,qui locus, a toto eſt nuncupatus,iccirco autem primus,a toto ponitur,quoniam nihil eſt alicui tam proximum, quam propria definitio: conſequitur enumeratio partium, quia poſt definitionem proximum locū partes tenere debent,quae totum id,cuius partes dicuntur eſſe, coniungunt. His apponitur nota, quae quaſi conuerſo modo definitio eſt. Nam,ſicut definitio explicat,quod implicite nota deſignat,ita nota inuoluit,& confuſe indicat,quod patefacit,atque expedit definitio. Nota uero tertia ideo eſt, quia definitio ſubſtantiam tenet; partitio ea dinumerat, quae totum compoſitum iungunt; nota uero nihil efficit, ſed tantum deſignat. Poſt haec quae in ipſis terminis principaliter haerent,illa,quae ſunt affecta,numerantur,quae iam non ipſis inſunt terminis,

ſed

ſed eoſdem uelut exterius poſita conſequuntur, atque icc irco ſolum in ipſis eſſe dicuntur, quoniam ſine his eſſe non poſſunt, quorum prima ſunt coniugata. Nihil enim inter affecta ſic proximum eſt, quam quod & re, & nomine participat, niſi quod parua nominis inflexione ſeiungitur. Nam id, quod iuſtum eſt, & iuſtitia participat, & inflexo iuſtitiae nomine nuncupatur, & in ceteris quidem coniugatis idem eſt. Poſt haec adnumeratum eſt genus. Genus uero, quod cuiuſlibet uniuerſaliter ſubſtantiam monſtrat, & quod multorum ſpecie diuerſorum ſubſtantialis eſt ſimilitudo, quod a propoſitis terminis paullo longius, quam coniugata, ſeiungitur, quia tametſi ſubſtantiam monſtrat, tamen ne inflexo quidem uocabulo, cum termini nomine copulatur, ſed longe lateq. diuerſo. Huic adiuncta eſt ſpecies, quam formam Tullius appellauit, quia nihil eſt tam proximum generi, quam ſpecies: ſpecies uero eſt ſubſtantialis indiuiduorum ſimilitudo, & quod ſub genere ponitur. Poſt hanc ſimilitudo eſt conſtituta, etenim poſt illud idem, quod in ſubſtantiis intelligitur, illud idem recte ponitur, quod in qualitate eſſe perpenditur. Paullatim uero res incipit a ſimilitudine recedere, nec ſtatim ad contrarium uenit, ſed prius differentia locum ſtatuit. Nam remota ſimilitudine nihil aliud occurrit, niſi prius differentia, poſt hanc a contrario locum ducit, ideſt, a maxima differentia, rurſus ad amica ſibi affecta conuenitur, ſed non eo modo amica quo ſunt ſimilia, adiuncta enim proponit, quae ſunt integrae ſimilitudinis, ſed inter ſe indicij, & ueluti cuiuſdam rerum ſibi cohaerentium propinquitatis, poſt adiuncta uero antecedentia Tullius poſuit. Poſt id enim, quod aliquo modo iunctum eſt, aliquid neceſſe eſt, aut antecedens, poſt conſequens collocatum eſt. Poſt haec repugnantia dixit, ut quodam modo duplex ordo contrarietatem, ac ſimilitudinum naſceretur. Prius enim poſuit a ſimili, a differentia, a contrario, atque hic uniuerſus ordo eſt ſimiliũ, & contrariorum. Rurſus ab adiunctis, ab antecedentibus, a conſequentibus, a repugnantibus, hic rurſus ſecundus ordo ſimilium, & contrariorum eſſe deprehenditur. Sed primus ualde euidentior, quam ſecundus, plus eſt enim ſimile eſſe, quam adiunctum. Plus eſt differre, quam antecedere, uel conſequi plus eſſe contrarium, quam repugnans, & in ſuo quaeq. plenam retinet formam: uelut quia ſimilitudo propinquitatem quandam tenere debet, propinquius eſt id, quod eſt ſimile ei, cui ſimile eſſe conſideratur, quam id, quod adiunctum eſt ei, cui naturali uicinitate coniungitur. Rurſus, quoniam differentia ſimilitudinis auctor eſt, diſsimilius eſt id, quod ab alio differt, quam id, quod conſequitur, uel antecedit. Rurſus, quoniam contrarium longiſsime ab eo, cui contrarium eſt, oportet abſcedere, longius abſcedit contrarium, quam repugnans. Poſt haec, quid aliud reſtare poterat, quam effectorum cauſſas quaerere: Aut poſt effectorum cauſſas aliud, quam ipſarum cauſſarum perquirere effectus. Praeterea a comparatione loci poſtremum ordinẽ tenent, quia ſiue ſimilitudinem ſiue diſsimilitudinem in ſola obtinent quantitate. & de locorum ordine ſatis dictum eſt. Illud praeterea conſiderandum puto: Num hi quoque argumentorum loci, qui in ipſo haerent, de quo quaeritur, affecta iure nominentur, quandoquidem, quae affecta ſunt, iccirco eſſe dicũtur affecta, quia ſunt ad aliquid, & propoſiti termini relatione nectuntur. Nam & definitio alicuius eſt definitio, & totum partium totum eſt, & nota ſignificati nota eſt, ſed inſpicienda natura eſt ſingulorum, & uidendum num ſimiliter haec ad aliquid referantur ut cetera. Nam definitio rem, quam definit, quodam modo explicat, atque conformat. Item partes rem, cuius partes ſunt, propria coniunctione perficiunt. Nota uero eius intellectum cõmuniter tenet, & cum haec cetera, quae uocantur affecta, non faciant, iure haec non inter affecta ponuntur. Sed in eo ipſo, quod ueluti efficiunt, atque conformant, ineſſe dicuntur. Sed, quoniam de ui, atque ordine locorum ſufficienter dictum eſt, nunc ad ſequentia tranſeamus. Praeter omnia enim quae ſuperius dicta ſunt, illud animaduertendum maxime eſt, quia non ſiquid in argumentis fuerit ſumptum, illud eorum argumentorum locus dicendus eſt, niſi non ſolum inſit argumentis, uerum etiam ab eo argumenta naſcuntur. id, quod dico, planiore liquebit exemplo. Si quod enim fuerit argumentum, in quo ſumatur genus, uel ſpecies, non ſtatim illud argumentum ex genere, uel ſpecie tractum eſſe dicitnr, niſi ei argumento uires generis, uel ſpeciei qualitas ſubminiſtrer. Age enim, ſit quaeſtio, an idem ſit animali eſſe, quod uiuere. Fiet argumentatio ſic. Non idem eſt animali eſſe, quod uiuere, quia ne inanimato quidem idem eſt eſſe, quod mori. Plurima quippe ſunt inanimata, neque moriuntur. Nam, quae numquam uixere, ne mori quidem poſſe manifeſtum eſt. Hic igitur inanimatum genus eſt lapidum, ac fuſilium metallorum, & ſumptum eſt in argumento, ſed non ex genere factum eſt argumentum, licet in eodem genus uideatur incluſum, ſed potius a contrario. Namque contrarium eſt uitae quidem mors, animali autem inanimatum, ſed mori non ſequitur inanimatũ, igitur ne animali quidem uiuere. Non ergo ex genere locus iſte dicendus eſt, ſed potius ex contrario, quamuis genus huiuſmodi contineat argumentum. Tunc enim locus eſſet a genere, ſi ab animalibus, uel a uiuendi genere argumentatio traheretur, uelut ſi ita fieret argumentum: animali eſſe ſubſtantia eſt, ipſum uero uiuere ſubſtantia non eſt, ſed in ſubſtantiam uenit. Non eſt igitur idem uiuere, quod animali eſſe: a ſubſtantia igitur tractum eſt argumentum, a genere uidelicet animalis: hoc igitur argumentum & genus continet, & ex genere ductum eſt: in priore uero, & ſi genus continet, a contrario tamen ductum eſſe perpenditur. Illud enim ſemper ſpeculandum eſt, non quid in argumento ſit, ſed ex quo ducitur argumentum, & in ceteris quidem eadem ratio tenenda eſt: neque eſt enim in ſingulis immorandum. Si quos enim diligentia decurſae ſuperius expoſitionis exercuit, facile in reliquis colliget, quod uno declaratur exemplo.

PROPOSITIS breuiter argumentorum locis, eoſdem ſubtilius, atque enodatius ſtatuit per ſuas partes, & conuenientia membra partiri. Ita enim locorum omnium diligentius natura conſiderabitur, ſi non confuſe ſolum, uerum etiam diſtributim, & in ſuarum partium proprietate noſcantur. Dat uero hic multam inueniendorum copiã argumẽtorum. ut enim de definitione dicamus, Si cunctas aliquis definitionum partes

agnouerit,

agnouerit, ex omnibus ſibi poterit argumenta conquirere, eritq. in inueniendis copioſior argumentis eo qui, quot ſint definitionis ſpecies,ignorat. Ex tot enim definitionum partibus argumenta producet, quantas quis definitionum partes eſſe cognouerit. Is uero habebit plurimam locorum talium facultatem, quem definitionum diuerſitas non latebit. Ob hoc igitur M. T. quos confuſe,atque indigeſte poſuit locos, nunc eoſdẽ diligentiore ratione partitur,ac primum illud penſiore conſideratione tractandum eſt,quod,ut dictum eſt,etiam loci ipſi res quaedam ſunt, ſed eſſe intelliguntur loci, cum ab his trahitur argumentum, ergo nunc Cicero non principaliter locos, ſed res ipſas diuidit, quae ad argumentum ductae ſpeciem ſumunt locorum. Definitio namque, & pars, & nota res quaedam ſunt, ſed cum ab his argumentum ducitur, loci fiunt. Cum igitur M.T. res ipſas, ita,ut ſunt,naturaliter partiatur, ſimul cum rebus diuidit locos. Si enim res una eſt, a qua duci poterit argumentum,tum unus eſt etiam locus: at ſi illa diuiditur, quot partes eius rei fuerint, tot erunt etiam loci generis eiuſdem, de quo argumenta naſcuntur. Quae cum ita ſint, cumq. primus omnium locus a toto ſit, ideſt a definitione, prius, quid ſit definitio,declarat, ut,patefacta rei natura, ſpecies eius, uel membra conuenienti ordine partiatur. Definitio,inquit,eſt oratio,quae id,quod definitur,explicat,quid ſit. ſicut definitio eſt hominis,animal rationale mortale. dictum uero cautiſſime,eſt explicat. Nam,quod nomẽ confuſe denunciat,id definitione per quaedã ſubſtantialia mẽbra diffundit. Quod enim confuſe noĩe hominis declaratur,id aperit,atque explicat definitio,dicens hominem eſſe animal rationale, & mortale. Nam, niſi ita dixiſſet,potuerat eſſe communis definitio generi quoque,uelut hoc modo. Definitio eſt,quae deſignat,quid eſt id, quod definit. Sed genus quoque deſignat,quid eſt id,de quo praedicatur, ſed non explicat, quid ſit, quae oratione perficitur. Genus uero,& cetera,quae ſingulis plerumque nominibus proferuntur, minime. Explicat autẽ definitio,id,quod definitur,non quoquo modo,ideſt,non in eo,quod quale uel quantũ eſt, non in quolibet aliorum praedicamentorum,ſed quid ſit,ideſt eius,quod definit,ſubſtãtiam mõſtrat. Ea uero definitio ſubſtantiam digerit,quae ex genere differentiiſq. cõſiſtet. haec namque uniuſcuiuſque ſubſtantiam ſignat,ſicut in his dictum eſt,ubi de genere,ac ſpecie,differentia,proprio,accidentiq. dictum eſt. Ergo omnis definitio explicat,quid ſit id,quod definitur. Ariſtoteles uero eodem paene modo definitionem determinat, dicens: Definitio eſt oratio,quid eſt eſſe ſignificans. Hanc M.T. partitur hoc modo.

GVEVARA. QVANDO *ergo unuſquiſque eorum locorum, quos expoſui, ſua quaedam membra habet.*] In quantum res ſunt,membra habent diuerſa: quae & ipſa efficiuntur loci,cum ab eis eliciuntur argumenta. EA *quam ſubtiliſſime perſequamur.*] Vt multo ſit copioſior locorum uſus, ex unoquoque membro deducta argumentatione,quae ex toto unica erat. ET *primum de ipſa definitione dicatur.*] Satis multa Plato, in dialogo Ciuili,uel regno. Et in Theaeteto,uel de ſcientia. Ariſtoteles lib.1.Perierm.lib.1. & 2. Poſter. lib. 1. 2.6.& 7.Topic.lib.ſeptimo,& octauo Metaph.Gellius lib. 4.cap.1.Budaeus in Annot. in fine. Alciatus lib. 1. Parerg. cap.21. DEFINITIO *eſt oratio.*] Nam,ut minimum,duabus uocibus, ideſt genere, & differentia conſtare debet: quod & Cicero in Partionib. docet. QVAE *id,quod definitur,explicat.*] Quod enim confuſe nomine iuris continetur,id aperit,atque euoluit definitio, dicens, Ius eſt ars boni, & aequi. Recte igitur, ut Boetius, & Viſorius notant, poſitum eſt uerbum, explicat. Nam & genus quoque & nota deſignant,id de quo quaeritur, ſed non explicant. Quid ſit, quod facit definitio, non quoquo modo, ideſt nõ in eo,quod quale, uel quantum eſt, ſed eius,quod definit,ſubſtantiam monſtrans. Vnde & Ariſtoteles recte, Definitio eſt oratio,quid eſt eſſe ſignificans.

CICERO

DEFINITIONVM *autem duo ſunt genera prima: unum earum rerum,quae ſunt: alterũ earum, quae intelliguntur. Eſſe ea dico, quae cerni tangi ue poſſunt, ut fundum,aedes parietẽ,ſtillicidiũ,mancipiũ, pecudem, ſupellectilẽ, penus,cetera. quo ex genere quaedam interdum nobis definienda ſunt. Non eſſe rurſus ea dico, quae tangi demonſtrari ue nõ poſſunt,cerni tamen animo atque intelligi poſſunt: ut ſi uſucapionem,ſi tutelam, ſi gentem, ſi agnationem definias,quarum rerũ nullum ſubeſt quaſi corpus,eſt tamen quaedam confirmatio inſignita, & impreſſa in intelligentia, quam notionem uoco: ea ſaepe in argumentando definitione explicanda ſunt.*

EXPLANATIO

BOETIVS. OMNEM definitionem manifeſtum eſt ad aliquid dici,alicuius eſt enim ſemper definitio. Quae uero ad aliquid dicuntur, quandam proprietatem ex his ſumant neceſſe eſt, ad quae referuntur. Quo fit,ut ex his rebus,quas determinat definitio,in ipſas definitiones quaedam proprietas tranſferatur. Seſt,quia,quod ad aliquid refertur, id non poteſt idem eſſe ei, ad quod dicitur: propriam quoque ipſum, quod refertur,ad aliud formam neceſſe eſt poſsidere. Eoq. fit, ut in definitionibus & ſua cuique inſit forma,& ea,quam ab his accipiunt, quae definiunt, conſideretur. Quod M. Tullius uidens primum diuidit definitiones ſecundum ea, quae definiuntur,quarum genera duo eſſe proponit, unum earum rerum,quae ſunt; alterum earum, quae intelliguntur. Has igitur definitionum differentias ex his uidetur ſumpſiſſe,quae in definitione monſtrantur. Omnia enim,quae definiũtur,aut corporalia ſunt,aut incorporalia: res enim oẽs in hoc primitus diuiduntur. Ea uero, quae corporalia ſunt, eſſe dicit; ea, quae incorporalia ſunt, non eſſe

Non

Non, quod omnino ea, quae incorporalia ſunt, non ſint: alioquin nec definitionem ſuſciperent. Nam, ſi definitio eſt, qua explicatur id, quod definitur quid ſit, eius rei, quae omnino non eſt, nec quid ſit, explicatio ulla eſſe poteſt. Sed, quia humanum genus ſenſibus degit, id maxime eſſe arbitratur, quod ſenſuum comprehenſioni ſubiicitur. Quis enim ſibi non magis lapidem ſcire uideatur, aut hominem, quam iuſtitiam, uel hereditatẽ, uel quidquid aliud non ſenſibus, ſed intelligentia comprehendit, unde fit, ut, propter euidẽtiam cognitionis, ea magis eſſe uideantur, quae ſubiecta ſunt ſenſibus; ea minime, quae intelligentiae ratione capiuntur: ſed id ſciẽdum eſt M. T. ad hominum protuliſſe opinionem, non ad ueritatem. Nam, ut inter optime philoſophantes conſtitit, illa maxime ſunt, quae longe a ſenſibus ſegregata ſint; illa minus, quae opiniones ſenſibus ſubminiſtrant. Vnde etiam idem Cicero in Timaeo ait: quid eſt, quod ſemper ſit, nec ullum habeat ortum, & quod gignatur, nec umquam ſit. Quorum alterum intelligentiae ratione comprehenditur: alterum affert opinioni ſenſus rationis expers. Hic igitur id, quod ſemper ſit, rationi adiecit: id uero, quod numquam ſit, ſenſibus iunxit. Sed, ut dictum eſt, corporea eſſe, & incorporea non eſſe, non ad ueritatem, ſed ad communem quorũlibet hominum opinionem locutus eſt. Ponit igitur exempla earum quidem rerum, quae ſunt, formas quaſdam corporalium rerum, ut fundum, aedes, parietes, ſtillicidium, atque id genus, quae corporalia eſſe hac ratione oſtendit, quoniam cerni, tangiq. poſſunt. Earum uero rerum, quae non ſunt, exempla poſuit uſucapionem, tutelam, gentem, ceteraq. quae ſunt incorporea, quae ex hoc incorporea eſſe monſtrauit, quod ait ea tangi, demonſtrari ue non poſſe, ſed intelligentia, atque animo comprehendi. Cur uero ea non eſſe dixerit, ſuppoſuit rationem, dicens: nullum quaſi corpus earum rerũ eſſe, nec molem aliquam, quae feriat ſenſum. Quod enim corpus eſſe poteſt uſucapionis? Nam ipſa, quae uſucapiuntur, corporea ſunt: ipſa uero uſucapio corporea non eſt. Ipſa enim per utendi conſuetudinem poſsidendi firmitudo; quodnam corpus habere poteſt? Item, quod quis tutela regit, corporale eſt, homo namque eſt. Ipſa uero cura tutelae, atque ipſum ius alium tuendi, nihil omnino corporis habere poteſt. homines quoque, qui in eadem gentilitate ſunt, corporei ſunt. Ipſa uero gentilitas, id eſt, communis nominis liberorum ſocietas: ut Scipionum, Valeriorum, & Brutorum, certe incorporea eſt, ſed quaedam earum rerum incorporalis animi conceptio eſt, atque intelligentia, quam notionem uocauit. Ipſa enim imaginatio uſucapionis, uel tutelae, atque intellectus, incorporalis rei notio dicitur, quam Graeci ἔννοιαν uocant. Diuiſit igitur definitionem in has duas partes, ſcilicet, ſecundum ſubiecti differentias, ut alias quidem eſſe diceret definitiones earum rerum, quae ſunt, ideſt corporalium, alias uero rerum, quae non ſunt, ideſt incorporalium. Hic quaeri poteſt, quod etiam ſuperius breuiter commemoraui, quo nam modo definitio non inter affecta numeretur, cum omnis definitio ad aliquid eſſe uideatur. Iccirco enim affecta eſſe dicta ſunt, ſimilitudo, contrarium, &c. qooniam ſemper ad aliquid referuntur. Quod, ſi etiam definitio refertur ad aliquid, nec eſt abſolutae, ac propriae conſiderationis, ea quoque inter affecta ponenda eſt. ſed occurritur, quoniam ea, quae affecta ſunt, tamquam umbrae quaedam corpus, ita extra poſita non poſſunt id relinquere, ad quod probantur affecta, & aut omnino ſubſtantiam eorum, ad quae affecta ſunt, non ſignant: ut contrarium, ſimile, &c. aut, ſi quãdo deſignant, una quaedam pars intelligitur eſſe ſubſtantiae, uelut genus, ſpecies, differentia. Non enim genus tota ſubſtantia eſt ſpeciei, quandoquidem non ſolum genus ſpeciem format, ſed differentia quoque, nec differentia totam ſubſtantiam continet formae, quandoquidem non ſola differentia ſpeciem perficit, ſed etiam genus. Ipſa uero ſpecies quaedam generis pars eſt. at uero definitio, etſi ad aliquid eſt, tamen totam ſubſtantiam monſtrat, atque exaequatur ei rei, quam definit, & ſubſtantiam perficit, ut neque extra poſita ſit, ſicut ſimilitudo, & contraria, neque pars eius ſubſtantiae ſit, quam definitione determinat, ſed potius ipſa ſubſtantia ſit. At de hac quidem re ſatis dictum eſt, idem uero de partibus dici poteſt. Nã coniunctae partes totum id efficiunt, cuius partes ſunt. Nota quoque totum ſignat id, quod deſignat, atque omnia coaequantur, & definitio definito, & partes toti, & nota rei, quam ſignificatione declarat, ſi non ſit uniuoca, uel aequiuoca, uel ſi res, quae deſignatur, non ſit multiuoca. Sane illud dubitari recte poteſt, cur, cum dixiſſet, duo genera eſſe definitionum, non ipſas definitiones partitus eſt, ſed, quae definiuntur, id eſt corporale, atque incorporale. Quod iccirco dictum uidetur, quia definitio, cum ſit ad aliquid, ut dictum eſt, quandam capit ex his, quorum ſubſtantiam determinat, qualitatem.

GVEVARA. DEFINITIONVM *autem duo ſunt genera prima: Vnum earum rerum, quae ſunt: alterum earum, quae intelliguntur.*] Quia definitiones ad aliquid ſunt, quandam proprietatem ſumunt ex eis, ad quae referuntur: ideoq. Cicero non diuidit ipſas definitiones: ſed definitiones partitur ſecundum ea, quae definiuntur, ſcilicet corporalia, & incorporalia. ESSE *ea dico, quae cerni, tangi ue poſſunt, ut fundum, aedes*] Lex CCXI. ff. de uerb. ſign. Fundi appellatione, omne aedificium, & omnis ager continetur. ſed in uſu urbana aedificia, aedes: ruſtica, uillae dicuntur. PARIETEM,] l. Paries, ff. de uerb. ſign. STILLICIDIVM,] ff. de ſeruit. urb. praed. MANCIPIVM,] Multa Budaeus in l. ij. ff. de orig. iur. PECVDEM,] Valla lib. IV. Eleg. cap. 42. SVPELLECTILEM,] l. j. & l. Labeo, ff. de ſupell. legat. PENVS,] Valla lib. IV. Eleg. cap. 32. & lib. VI. cap. 56. l. qui penum, ff. de penu leg. Gellius lib. IV. cap. I. Alciatus lib. IX. Parerg. cap. 20. Forcatulus in Penu ciuili. NON *eſſe rurſus ea dico, quae tangi, demonſtrari ue non poſſunt: cerni tamen animo, atque intelligi poſſunt:*] Non, quod haec quoque non ſint, ſed, quia humanum ingenium id maxime eſſe putat, quod oculis cernit. Alias, ſi non eſſent, nec definitione poſſent comprehẽdi: nam, ſi, ut Boetius ſcribit, definitio eſt, qua explicatur id, quod definitur, quid ſit: eius rei, quae omnino non eſt, nec quid ſit explicatio ulla eſſe poteſt. VT, *ſi uſucapionem,*] l. tertia, ff. de uſucap. Gellius lib. VII. cap. 10. SI *tutelam,*] l. I. ff. de tutelis. SI *gentem,*] Alciatus lib. quarto Diſpunct. cap. I. SI *agnationem definias,*] Alciatus libro tertio Parerg. cap. 25. EST *tamen quaedam conformatio inſignita, & impreſſa intelligentia, quam notionem uoco:*] Ideſt imago, inquit Latomus,

tomus, mēte concepta, ac certa proprietate diſtincta a ceteris rebus, quam Graeci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν uocant. Impreſſam autem dicit, quia notiones ſunt inſitae animis noſtris, hoc eſt innatae, cum ſint rerū uniuerſalium intelligentiae, quas mens noſtra per ſe gignit. Singularium enim rerum cognitiones ſenſuum ſunt propriae, nec niſi a ſenſibus informatae ad animum transferuntur: uniuerſalia intellectus facit.

C I C E R O

*A*TQVE *etiam definitiones aliae ſunt partitionum, aliae diuiſionum. Partitionum, cum res ea, quae propoſita eſt, quaſi in membra diſcerpitur: ut, ſi quis ius ciuile dicat id eſſe, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuū, more, aequitate conſiſtat. Diuiſionum autem definitio formas omnes complectitur, quae ſub eo genere ſunt; quod definitur hoc modo: Abalienatio eſt eius rei, quae mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio. inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. QVONIAM definitio ita ex ſubiecta re, quam definit, proprietatem capit, ut tamen formam propriam non relinquat: iccirco poſt eas differentias definitionum, quae ab his rebus tractae ſunt, quae definiebantur, nunc a propria forma definitionum differentias tradit. Propria uero forma uniuſcuiuſque compoſiti in ſuis partibus conſtat. itaque ex partibus definitionum tales differentias docet, quod aliae definitiones per diuiſionem, aliae per partitionem fiunt. Definitur enim res quaelibet, dum aut eius ſpecies omnes enumerantur, aut partes. Partes uero a ſpecie quid differant, paullo poſterius dicam: nunc exponenda arbitror Ciceronis exempla: dat enim partitionis exemplum hoc. Sit enim propoſitum definire, quid ſit Ius ciuile, dicemus ita. Ius ciuile eſt, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuum, more, aequitate conſiſtit. Lex igitur eſt, quam populus centuriatis comitiis ſciuerit. Senatuſconſulta ſunt, quae fuerint ſenatus auctoritate decreta. Res iudicatae ſunt, quae inter eo, qui ſuper aliqua re ambigunt, ſententia iudicum fuerint conſtitutae, quarum exemplo ceterae quoque iudicantur. Iuriſperitorum auctoritas eſt eorum, qui ex duodecim tabulis, uel ex edictis magiſtratuum ius ciuile interpretati ſunt, probatae ciuium iudiciis, creditaeq. ſententiae. Edicta magiſtratuum ſunt, quae praetores urbani, uel peregrini, uel aediles currules iura dixere. Mos eſt, quod in ciuitate ſolitum eſt fieri: aequitas eſt, quod naturalis ratio perſuaſit. Haec igitur omnia unam formam iuris efficiunt, tamquam partes, uelut hominem, caput, brachia, thorax, uenter, crura, atque pedes. Partitio eſt, ut ipſe ait, quae unamquamque rem propoſitam quaſi in membra diſcerpit. Alteram uero partem definitionis, quae per diuiſionem ſpecierum fit, tali mōſtrat exemplo. Definit enim, quid ſit Abalienatio eius rei, quae mancipi eſt, dicens: Abalienatio eſt eius rei, quae mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut ceſsio in iure, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt. Nam iure ciuili fieri aliquid, non inter alios, niſi inter ciues Romanos, poteſt, quorum eſt etiam ius ciuile, quod duodecim tabulis continetur. Omnes uero res, quae abalienari poſſunt, ideſt, quae a noſtro ad alterius tranſire dominium poſſunt, mancipi dictae ſunt. Mancipi res ueteres appellabant, quae ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret ſollemnitatem. Nexus uero eſt quaedam iuris ſollemnitas, quae fiebat eo modo, quo in Inſtitutionibus Caius exponit. Eiuſdem autem Caij libro primo Inſtitutionum de nexu faciendo, haec uerba ſunt: Eſt autem mancipatio, ut & ſupra quoque indicauimus, imaginaria quaedam uenditio, quod ipſum ius proprium Romanorum eſt ciuium, eaq. res ita agitur, adhibitis non minus, quam quinque, teſtibus ciuib. Romanis puberibus, & praeterea alio eiuſdem condicionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens, is, qui mancipium accipit, aes tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio, iſq. mihi emptus eſt hoc aere, aeneaq. libra. Deinde aere percutit libram, idq. aes dat ei, a quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Quaecumque igitur res lege duodecim tabularum aliter, niſi per hanc ſollemnitatem, abalienari non poterat, ſui iuris autem ceterae res, nec mancipi uocabantur, eadem uero etiam in iure cedebantur. Ceſſio uero tali fiebat modo, ut ſecundo commentario idem Caius expoſuit, in iure autem ceſsio fit, hoc modo: apud magiſtratum populi Romani, uel apud praetorem, uel apud praeſidem prouinciae, is, cui res in iure ceditur, rem tenens ita uindicat, Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio. Deinde, poſtquam hic uindicauerit, praetor interrogat eum, qui cedit, an contra uindicet, quo negante, aut tacente, tunc ei, qui uindicauerit, eam rem adiicit, idq. legis actio uocabatur. Res igitur, quae mancipi ſunt, aut nexu, ut dictum eſt, abalienabantur, aut in iure ceſsione. Has autem ſollemnitates quaſdam eſſe iuris, ex ſuperioribus Caij uerbis oſtenditur. At, ſi ea res, quae mancipi eſt, nulla ſollemnitate interpoſita, tradatur, abalienari non poterit, niſi ab eo, cui traditur, uſucapiatur. Quae cum ita ſint, recte definita eſt ſecundum diuiſionem abalienatio rei mancipi. Scilicet, quae aut nexus traditione, aut in iure ceſsione perficitur. Nā pura traditione abalienatio rei mancipi non explicatur. Species uero has eſſe, non partes, hic intelligitur, quia ſi quis nexu abalienet rem mancipi, id, quod ſuum fuit, in alterius poteſtatem pleno iure tranſtulerit. quod ſi etiam in iure cedat, plenum abalienationis ius erit: ubi autem plenum nomen eius, quod diuidunt, partes ſuſcipiunt, illud genus, & has ſpecies eſſe, paullulum quoque Dialectica cognitione imbutus intelligit. Quae cum ita ſint, diuiſit Cicero definitionem in duas partes; unam, quae partium enumeratione fieret; alteram, quae per partium diuiſionem. Vtraque uero definitio partes enumerat. Sed hoc intereſt, quia haec quidem ſpecies, illa uero membra partitur.

Hic

Hic ſuboritur quaeſtio ualde difficilis. Nam ſi definitio eſt etiam partitio, mirum uideri poteſt, quemadmodum alter ſit a definitione locus, altera a partium enumeratione, quae res maximam confuſionem praeſtat. Nam, cum ſuperius in locorum enumeratione alter a definitione locus, alter ſit a partium enumeratione propoſitus, cumq. enumerationem nunc partium, uel diuiſionem definitionis ſpecies eſſe confirmet, non eſt dubium, quin, cum idem ſit partium enumeratio, quod definitio, (idem namque eſt ſpecies, quod genus) idem locus ſit a definitione, qui eſt a partium enumeratione. Cuius quaeſtionis ualde difficilis facilior abſolutio eſt, ſi definitionum ipſarum formas, ac diſtantias colligamus. Multis namque fieri modis definitio poteſt, inter quos unus eſt uerus, atque integer definitionis modus, qui etiam ſubſtantialis dicitur. Reliqui per abuſionem definitionis uocantur, de quibus omnibus paullo poſterius integram faciā diuiſionem: nunc in commune ſic diſſeram. Nam quia omnis definitio explicat quid ſit id, quod definitur; Explicatio autem ſit duobus modis, uno quidem cum pro re minime cognita planius aliquid affertur; Alio uero, cum ſit quadam partium enumeratione: de priore quidem modo poſterius, nunc uero de enumeratione partium ita dicendum eſt, quod omnis definitio, quae per partium enumerationem fit, quaſi quaedam partitio recte intelligitur. Dictum eſt, id, quod in nomine confuſe ſignificaretur, in definitione, quae fit enumeratione partum, aperiri, atque explicari. Quod fieri non poteſt niſi per quandam partium nuncupationem. Nihil enim, dum explicatur oratione, totum ſimul dici poteſt. Quae cum ita ſint, cumq. omnis huiuſmodi definitio quaedam ſit partium diſtributio, quattuor id modis fieri poteſt. Aut enim ſubſtantiales partes explicantur, aut proprietatis partes dicuntur, aut quaſi totius membra enumerantur, aut tamquam ſpecies diuiduntur. Subſtantiales partes explicantur, cum ex genere, ac differentiis definitio conſtituitur. Genus enim, quod ſingulariter praedicatur, ſpeciei totum eſt. Id etiam genus ſumptum in definitione pars quaedā fit. Non enim ſolum ſpeciem complet, niſi adiiciantur etiam differentiae, in quibus eadem ratio, quae in genere eſt. Nam, cum ipſae ſingulariter dictae totam ſpeciem claudant, in definitione ſumptae partes ſpeciei fiunt, quia non ſolae ſpeciem quidem eſſe deſignant, ſed etiam genus. huius exemplum eſt: Homo eſt animal rationale mortale: Cum ergo tota definitio homini coaequetur, totiuſq. definitionis partes ſint, tum animal, tum rationale, tum mortale, ipſius hominis partes eſſe uidentur, ſingula quae eiuſdem definitionis partes ſunt: haec igitur proprio nomine definitio nuncupatur. Item eſt illa definitio, quando in unum accidentia colliguntur, atque ex his unum aliquid efficitur, & eſt ueluti quaedam partium enumeratio, non in ſubſtantia, ſed in quadam accidentium collectione poſitarum. Huius exemplum eſt, Animal eſt, quod moueri propria uoluntate poſsit. Animali nāque & motus eſt accidens, & uoluntas, & poſsibilitas: ſed haec iuncta perficiunt animal, non ſubſtantialiter conſtituentia, ſed per quaedam accidentia, deſignantia, quae animalis quaſi quaedam partes ſunt, & haec deſcriptio nuncupatur. At ſi non accidentia rei, ſed quaſi membra quaedam dicamus, ex quibus componitur, atque coniungitur, atque inde definitionem facere tentemus, hoc modo dicemus: Domus eſt, quae fundamento, parietibus, tectoq. conſiſtit. Hic membra quaedam ſumpta ſunt ad definitionem, quibus res tota coniungitur, & haec uocatur per enumerationem partium definitio. At ſi quis ita definiat, ut non in definitionem ponat membra, ſed ſpecies, a diuiſione ſpecierum definitio nuncupatur, uelut ſi quis hoc modo pronunciet. Animal eſt ſubſtantia, quae uel ſenſu tm̄, uel ſenſu, & ratione nitatur: haec igitur quattuor a ſe differre manifeſtū eſt. In ea namque definitione, quae per ſubſtantiales partes efficitur, ſingulae partes maiores eſſe uidentur, & ſubſtantialiter uniuerſaliores ab ea re quā definiunt: ut animal maius ab homine mortale etiam, atque rationale. Singula hominis tranſgrediuntur naturam, quae in unum, eidem, quo ſigillatim maiora ſunt, coaequantur. Accidentia uero, quae in definltione ponuntur, omnino a ſubſtantiae ratione diſiuncta ſunt. In ea quoque definitione, quae ex partium enumeratione perficitur, talia ſunt, quae enumerantur, ut ſingula totius definiti nomen capere non poſsint, atque iccirco eodem minora ſunt, ut fundamenta non poſsint domus uocabulo nuncupari, & fundamenta domo minora ſunt, itemq. ceterae partes. At uero in ea definitione, quae per diuiſionem fit, ſingulae quidem partes tota ea re, quae definitur, minores ſunt: totum tamen definitae rei nomen excipiunt, ut rationale nomen capit animalis, eodem modo irrationale. Quibus ita diſcretis, quotieſcumque ab ea definitione, quae per ſubſtātiales partes efficitur, uel ab ea, quae per accidentium enumerationem colligitur, argumentatio fit, a definitione, ideſt, a toto tractum dicitur argumentum. Quoties uero ab ea, quae uel per membrorum enumerationem, uel per ſpecierum diuiſionem perficitut, argumentatio fit, ab enumeratione partium argumentum ductum eſſe perhibetur. Sed M. T. quia iam partitionem definitionis ingreſſus eſt, etiam hanc interpoſuit, quae non ad definitionis, ſed ad locum enumerationis partium pertinebat: huius uero rei argumentum eſt, quia, cum poſt de eiſdem locis latius tractans de enumeratione partium loqueretur, nullam aliam enumerationem partium poſuit, niſi eam, quam nunc definitionis ſpeciem dixit: nec tamen eſt arbitrandum, omnem partitionem definitionis locum poſſe obtinere, ut ſi quis ſic dicat, fundamenta, parietes, & tectum domus eſt, id non eſt neceſſe. Poteſt namque eſſe porticus publicis uſibus deſtinata, poteſt item aliud quodlibet, ut theatrum, quod propter ampliores ſonitus exhibendos tegi ſolet. Sed id nunc intelligere nos oportet, poſſe per partitionem aliquid ſaepe definiri, cum partium illa collectio unam rē tantum poſsit efficere, ut ſi nihil eſſet aliud, quod fundamenta, parietes, atque tectum poſſet habere, niſi domus iure definitio facta eſſe uideretur, domum eſſe, quam fundamenta, parietes, tectumq. perficerent.

GVEVARA. Atqve *etiam definitiones aliae ſunt partitionum, aliae diuiſionum.*] Poſt diuiſionem definitionum ſecundū definitas res, diuidit definitiones ſecundum earum formas. Quod, ut Boetius ſcribit, propria forma cuiuſq. compoſiti, ſuis partibus conſtet. Partitionvm, *cum res ea, quae propoſita eſt,*

quaſi in membra diſcerpitur:] Neque tamen idem eſt locus a definitione, qui eſt a partium enumeratione. Nã, ut bene notat Boetius, ea proprie dicitur definitio, quae per ſubſtantiales partes datur, & ex genere, & differentiis conſtituitur. Huius exemplum eſt, homo eſt animal rationale. Aliae abuſiuae definitiones ſunt, quando in unum accidentia colliguntur, hoc modo: Animal eſt, quod moueri propria uoluntate poteſt. Quando membrorum enumeratione definimus, ſic, domus eſt, quae fundamentis, parietibus, tectoq. conſiſtit. A diuiſione quoque ſpecierum ita ſumitur definitio, Animal eſt ſubſtantia, quae uel ſenſu tantum, uel ſenſu & ratione nitatur. VT, *ſi quis ius ciuile dicat id eſſe, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuum, more, aequitate conſiſtat.*] Papinianus lege ſeptima, ff. de iuſt. & iu. Ius ciuile eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis principum, auctoritate prudentium uenit. Ius praetorium eſt, quod praetores introduxerunt, adiuuandi, uel ſupplendi, uel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter utilitatem publicam. Quod & honorarium dicitur, ad honorem praetorum ſic nominatum. Et Marcianus lege octaua. Nam & ipſum ius honorarium, uiua uox eſt iuris ciuilis. Et Iuſtinianns in Inſtitutionibus, de Iure naturali gentium, & ciuili, Ius ciuile conſtare ait, aut ſcripto, aut ſine ſcripto. Scriptum ius eſſe legem, plebiſcitum, ſenatuſconſultum, principum placita, magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum. Legem eſſe, quod populus Rom. ſenatorio magiſttatu interrogante, ueluti conſule, conſtituebat. Plebiſcitum, quod plebs plebeio magiſtratu interrogante, ueluti tribuno, conſtituebat. Senatuſconſultum, quod ſenatus iuberet, atque conſtitueret. Quodcumque etiam per epiſtolã conſtituiſſet Imperator, uel cognoſcens decreuiſſet, uel praecipiſſet edicto legem eſſe, & conſtitutionem appellari. Praetorum quoque, & aedilium curulium edicta, non modicam iuris obtinere auctoritatem. Reſponſa prudentum eſſe ſententias, & opiniones eorum, quibus permiſſum fuiſſet de iure reſpondere. Sine ſcripto autem ius uenire, quod uſus approbaſſet: quod diuturni mores conſenſu utentium comprobati legem imitarentur. ABALIENATIO *eſt eius rei, quae mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſſio, inter quos ea iure ciuili fieri poßunt.*] Vlpianus tit. decimonono de Dominiis, & acquiſitionibus rerum cum dixiſſet omnes res aut mancipi eſſe, aut nec mancipi eſſe, explicaſſetq. quae res mancipi ſint, quae nec mancipi, addit ſingularum rerum dominia nobis acquiri, mancipatione, traditione, uſucapione, in iure ceſsione, adiudicatione, lege. Verum id nihil mouet. Nam, ut libro de Iuris ciuilis interpretibus Floridus notat, iure duodecim tab. de quo nunc Cicero agit, tantum alienationis ſpecies erant, quae per nexum, & per ceſsionem fiebant. Per uſucapionem uero, aliiſq. modis proprietas non acquirebatur, licet iuris auctoritate poſſeſſor defenderetur. Quomodo ille & illud accipit, quod ſupra Cicero ſcribit, auctoritas uſus fundi biennium eſt, ſit ergo & aedium. Et lib. 1. de Offic. aduerſus hoſtem aeterna auctoritas. In lege quoque Atinia, cuius A. Gellius libro decimoſeptimo, capite ſeptimo meminit, quod ſurreptum erit, eius rei aeterna auctoritas eſto: ideſt aeternum tempus, antequam uſucapiatur. Briſſonius libro primo Selectarum ex iure antiquitatum, cap. ſeptimo. Traditionem, & adiudicationem, ad mancipationem, & in iure ceſsionem pertinuiſſe uidetur ſentire: uſucapionem, & legem, ſiquid defuiſſet, illis ſuppleuiſſe. Duo, inquit, fuere proprij rerum abalienandarum iure Quiritum comparati modi, citra quos legitimum in accipientem dominium trãſferri non poterat, mancipatio, & ceſsio in iure. Neque enim uel a domino res tradita, ſi neque mancipata, neque in iure ceſſa eſſet, accipientis ante ex iure Quiritum fiebat, quam per tempus, lege ſtatutum, poſſeſſa, uſucaptaq. eſſet. Vſucapione plane accedente, quae ipſo quoque Horatio teſte quaſdam res mancipat, quod traditioni deerat, ſupplebatur: interim in bonis tantum habere, qui rem ita acceperant, dicebantur. Ac pro Briſſonio quidem Vlpiani ſententia eſt, titulo de Libertinis. In bonis tantum alicuius ſeruus eſt, ait, uelut hoc modo. Si ciuis Rom. a ciue Rom. ſeruum emerit, iſq. traditus ei ſit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure ceſſus, neque ab ipſo anno poſſeſſus ſit. Nam, quamdiu horum quid fiat, is ſeruus in bonis quidem emptoris eſt, ex iure Quiritum autem uenditoris eſt. Cuiacius adiudicationis exemplum ponit ex Iuſtiniano in extremo titulo de Officio iudicis. Neque ullum eſſe caſum ait, in quo, iudicis ſententia, dominium acquiratur. Traditionem rerum nec mancipi eſſe, itaq. legendum apud Vlpianum notat. Traditio propria, eſt alienatio rerum, nec mancipi. Nec mancipi rerum dominia, ipſa traditione apprehendimus: ſcilicet, ſi ex iuſta cauſſa traditae ſunt nobis. EIVS *rei, quae mancipi eſt,*] Res mancipia dicebantur, ut in Partitionibus Othomanus ſcribit, quia certo ritu ſic uendebantur, ut & emptor manu eas caperet, unde & ipſe manceps, & res mancipi appellabantur, & uenditor earum euictionem praeſtaret, ſi quis forte alius ſibi eas uindicare uellet. Ritus ipſe mancipatio uocabatur: unde Vlpianus tit. decimonono. Mancipatio, inquit, propria ſpecies alienationis eſt, & rerum mancipi: eaq. fit certis uerbis, libripende, & quinque teſtibus praeſentibus. Haec, qua ſollemnitate fierent, ex Caij inſtitutionibus, & Boetij commentariis, Budaeus in l. ſecunda, ff. de orig. iur. Sigonius libro primo de iure antiq. ciu. Rom. cap. XI. Othomanus in Iuris ciuilis partitionib. tit. 12. Et ad leges XII. tabul. cap. 40. Et Briſſonius lib. primo Select. cap. 7. notauerunt. Caij autem uerba ſunt haec. Mancipatio eſt imaginaria quaedam uenditio, quod ipſum Ius Romanorum eſt ciuium, eaq. res ita agitur. Adhibitus non minus quinque teſtibus ciuium Rom. puberibus, & praeterea alio eiuſdem condicionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens. Is, qui mancipium accipit, aes tenens ita dicit. Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio; iſq. mihi emptus eſt hoc aere, aeneaq. libra. Deinde aere percutit libram: idq. aes dat ei, a quo mancipium accipit, quaſi pretij loco. Non autem eas res ſolum, quae mancipi erant, mancipatione alienare, ſed & liberorum emancipationes, adoptioneſque, per imaginariam mancipationis ſollemnitatem expediri ſolitas, ex Caio lib. primo Inſtitut. tit. ſexto. Pompeio lib. quincto. Et Gellio lib. quincto, cap. decimonono, Cantiuncula, & Briſſonius probauerunt. Ac quidem Caij uerba ita ſe habent. Emancipatio, hoc eſt manus traditio, quaedam ſimilitudo uenditionis eſt; quia & in emancipationibus, praeter illum, hoc eſt certum

tum

tum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iſte naturalis pater filium ſuum fiduciario patri mancipat, hoc eſt manu tradit: a quo fiduciario patre naturalis pater unum, aut duos nummos, quaſi in ſimilitudinem pretij accipit, & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit. Hoc ſecundo & tertio fit, cum fiduciario patri emancipat, ac tradit, & ſic de patris poteſtate exit. Quae tamen emancipatio ſolebat ante Praeſidem fieri: modo ante curiam facienda eſt: ubi quinque teſtes ciues Rom. in praeſenti erũt, & pro illo, qui libripens appellatur, ideſt ſtateram tenens, & qui anteſtatus appellatur, alij duo: ut ſeptem teſtium numerus impleatur. Vnde antem librae adhibendae conſuetudo introducta fuerit, Sigonius, & Briſſonius, ex Plinij hiſtoria tradiderunt. Avt *traditio alteri nexu*.] Nexus, qui, ut Budaeus notat, & Nexum genere neutro dicitur, quid ſit, Varro docet libro ſexto de Ling. lat. Nexum, inquit, Manlius ſcribit omne, quod per libram, & aes geritur, in quo ſint mancipi: Mucius, Scaeuola, quae per aes & libram fiant, ut obligentur, praeter quam quae mancipio dentur. Hoc uerius eſſe, ipſum uerbum oſtendit, de quo quaeritur. Nam idem, quod obligatur per libram, neque ſuum ſit, inde nexum dictum. Liber, qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia, quam debeat, dum ſolueret, nexus, uocatur, ut ab aere obaeratus. Feſtus quoque ſic ſcribit, Nexum eſt, ut ait Gallus, quodcumque per aes, & libram geritur, idque necti dicitur, quo in genere ſunt, haec teſtamenti factio, nexi datio, nexi liberatio, Nexum aes dicebatur pecunia, quae per nexum obligatur. Nec obſcura quantumuis & deprauata, Othomanus, Briſſoniuſq. explicant, & admittunt: Othomanus ad leg. duodecim tab. tertia parte, cap. quadrageſimo ſic interpretatur, ut Scaeuola, Nexus nomen non generaliter ad omnia, quae per aes, & per libram gerantur, referat: ſed proprie, ac praecipue ad obligationes ſiue perſonarum, ſiue rerum: quae ſunt oppignorationes. Briſſonius lib. duodecimo de uerborum, quae ad ius pertinent, ſignificatione. Nexum, inquit Manlius, quemadmodum Varro lib. 6. de ling. lat. ſcribit. Interpretabatur omne, quod per aes, & libram geritur, in quo eſſent mancipi. Quam interpretationem Aelius Gallus ſecutus eſt, auctore Feſto lib. duodecimo. At Mucius Scaeuola, quae per aes, & libram fierent, & obligarentur, praeter quam quae mancipio darentur, hoc nomine ſignificari exiſtimabat: quod uerius eſſe, ex ipſo uerbo Varro oſtendit. Hinc apud Iuriſconſultos in Pandectis frequentius, Nexa res, Nexus pignoris, Nexum praediorum facere, & Nexus uenditi pro uinculo obligationis, quae ex uenditione proficiſcitur. Hinc & illud apud Ciceronem pro Murena, Si in rebus repetendis, quae mancipi ſunt, is periculum iudicij praeſtare debet, qui ſe nexu obligauit. Et de hauriſpic. reſp. Multae ſunt domus iure mancipi, & iure nexi. Et in Paradox. Non ita dicunt eos eſſe ſeruos, ut mancipia, quae ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo Iure ciuili. Et lib. ſeptimo Epiſt. ad Curium. Attici, te proprium eſſe ſcribis mancipio, & nexu: meum autem uſu, & fructu. Multaq. alia, quae Budaeus in annotat. Alciatus lib. primo Praetermiſſ. Rhodiginus lib. ſeptimo lect. antiq. cap. uigeſimo, & uigeſimoprimo. Othomanus de uerbis iuris, & ad leges duodecim tab. Briſſonius de uerb. ſign. Sigonius de iure antiquo ciu. Rom. Raeuardus libro ſingulari ad leges duodecim tab. Et in libris de Iuris ambiguitatib. retulerunt. Illud iidem Othomanus, & Sigonius ſcribunt, moris fuiſſe, ut auctor, ideſt uenditor promiſſorue, dicis cauſſa necterentur: quem deinde re tradita, acceptaq. pretio is ſolueret, qui ſtipulatus fuiſſet. Idq. Ciceronem lib. ſecundo de legibus ſignificare dum ait, legatarium, qui non uult accipere quaſi ex teſtamento, ſtipulari ab herede, & per aes, & libram ab eo accipere, atque ita legatarium heredem ſoluere. Avt *in iure ceſſio*.] Ea, ut lib. ſecundo Inſtitut. Caius ſcribit, ita fieri ſolita erat. Apud magiſtratum populi Rom. uel apud praetorem prouinciae, is cui res in iure cedebatur, rem tenens uindicabat. Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio. Deinde, poſtquam hic uindicauerat, Praeter interrogabat eum, qui cedebat, an contra uindicaret: quo negante, aut tacente, tunc ei, qui uindicauerat, addicebbat rem. Vlpianus quoque tit. decimonono. In iure, inquit, ceſsio, communis alienatio eſt, & mancipi rerum, & nec mancipi, quae fit per tres perſonas, in iure cedentis, uindicantis. In iure cedit dominus, uindicatis cui ceditur, addicit Praetor. Ad haec Varro uidendum ait, an ceſſerit in iure qui potuerit cedere, & ubi oportuerit; ideſt apud eum, apud quem actio ſit. Quae uniuerſa Boetius, Latomus, Budaeus, Othomanus, Sigonius probauerunt. Inter *quos ea iure ciuili fieri poſſunt*.] Ideſt, ut Boetius, Othomanus, & Sigonius interpretaniur, inter Ciues Romanos. Nam iure ciuili fieri aliquid non inter alios, quam Ciues Romanos poteſt: quorum eſt etiam Ius ciuile, quod duodecim tab. continetur. Sed Planius Vlpianus, Mãcipatio, ait, locum habet inter ciues Rom. & Latinos Colonarios, Latinosq. Iunianos, eoſq. peregrinos, quibus commercium datum eſt emendi uendendiq. inuicem illis. Illud animaduertendũ eſt, Imperatorem Iuſtinianum, lege unica C. de uſucap. transf. ad Ioannem. PP. D. XV. Kal. Nouemb. Conſtantinop. poſt conſulatum Lampadij, & Oreſtis V V. C C. differentiam rerum mancipi, & nec mancipi ſuſtuliſſe.

C I C E R O

Svnt *& alia genera definitionum, ſed ad huius libri inſtitutum illa nihil pertinent: tantum eſt dicendum, qui ſit definitionis modus.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. Hvnc locum Victorinus unius uoluminis ſerie aggreſſus exponere, & omnes definitionum differentias enumerare, multas interſerit, quae definitiones eſſe paene ab omnibus reclamentur. Inter

ter

ter definitiones enim ponit,& nomina, quod ſpecialiter Ariſtoteli in omni doctrinarum genere peritiſsimo non uidetur, pernegatq. id in Topicis nomine fieri definitionē, ueluti ſi quis dicat, quid eſt conticeſcere,& reſpondeatur tacere, hae nullo modo definitiones habendae ſunt. quod etiam ex ipſius M.T. definitione approbari poteſt, per quam, definitio quid eſſet, oſtendit, dixit eſſe enim definitionem orationem, quae id quod definitur explicat quid ſit, ſed cum nomen non ſit oratio, manifeſtum eſt, nomine definitionem non poſſe conſtitui, cum praeſertim ne omnia quidem, quae oratione promuntur, atque aliud oſtendunt, proprio definitionis nomine ſignentur, ueluti deſcriptiones, omniſq. alia quae non ex ſubſtantialibus partibus, ſed ex quolibet alio modo coniunctis efficitur. quod ne ipſe quidem Victorinus ignorat, ſed uidetur id definitonis loco pſe ſibi Victorinus ad differēdi ſumpſiſſe propoſitū, quod quoquo modo rem ſubiectam poſsit oſtendere. Iccirco enim nomen quoque in definitionum numerum recepit, quoniam ſaepe notiore uocabulo fit clarius, quod ignoratione antea prolatum latebat. Iccirco etiam nos ſuperius diximus explicationem fieri duobus modis. Vno quidem, cum pro re minime cognita planius aliquid afferatur; Alio uero, cum fit per quandā partium enumerationem, ut ea quidem explicatio, in qua notius aliquid affertur, nominis ſit: ea uero, quae fit per parium enumcrationem orationis, quamquam etiam in ipſis orationibus ſemper planius, aliquid afferatur, quo notius fiat illud, de quo diſſeritur. Vt igitur nihil expoſitio praetermittat, & definitionis proprietas appareat, itaq. omnia in notitiam deducantur, ut nec uera definitio naſciatur, & quae non ſit proprie ueraq. definitio ſub ſcientiam cadat: talis definitionum differentia facienda eſt. Definitionum enim aliae propriae definitiones ſunt, aliae abuſiuo nuncupatur modo: ac propriae quidem definitionnes ſunt, quae ex genere, differentiiſq. conſiſtunt, uelut hic: Homo eſt animal rationale mortale. Hic animal genus eſt, rationale uero, & mortale differentiae. Earum uero definitionum, quae non propriae, ſed abutendo definitiones uocantur, aliae ſunt, quae ſingulis nominibus denotantur; aliae uero, quas explicat, ac depromit oratio. Atque illarum quidem definitionum, quae tantum nomine ſignantur, aliae ſunt, quae κατὰ ἀντίλεξιν, ideſt, ad uerbum fiunt, cum pro nomine redditur nomen, uelut ſi dicat aliquis: Quid eſt conticeſcere & reſpondeatur tacere: quid eſt haurit, percutit: aliae uero, quae exempli gratia ponuntur, ut cum uolumus deſignare: quid eſt ſubſtantia, exempli gratia dicimus; ut homo. Haec uocatur Graece τύπος quae iccirco, ut dictum eſt, inter definitiones ponitur, quoniam id, quod quolibet modo aliquid deſignat, eius quod deſignatur, & ſi non proprie, tamen aliquo modo uidetur eſſe definitio. Earum uero definitionum, quae in oratione conſiſtunt, neque tamen ſunt proprie, multae ſunt diuerſitates, quarum eſt omnium nomen commune deſcriptio. Harum aliae fiunt partitione, aliae diuiſione, de quibus ſuperius dictum eſt: aliae uero ſubſtantiales quidem differentias ſumunt, ſed genus non adiiciunt: atque haec quidem a Victorino ἐννοηματικὴ dicitur, quaſi quandam communem continens notionem, uelut ſi quis dicat; homo eſt, quod rationali cōceptione uiget, mortalitatiq. ſubiectum eſt: hic igitur genus poſitum non eſt, ſed differentiae ſubſtantiales. Aliae uero ſunt, quae pluribus quidem qualitatibus deſignant, accidentibus tamen, ita ut ſingulae qualitates etiam ſi non cōiungantur, poſsint tamen quod monſtratur, efficere: ut homo eſt, ubi pietas, ubi aequitas. & rurſus ubi malitia, uerſutiaue eſſe poſſunt: nam, & ſi cetera nullus adiungat, ſufficit ad oſtendendum hominem dicere, ubi pietas ineſſe poſsit, uel ubi iuſtitia, uel cetera: haec uocatur ποιότης. Aliae uero ſunt, quae pluribus in unum accidentibus coniunctis efficiuntur, ut ſi quis luxurioſum definire uelit, dicēs: Luxurioſus eſt, qui pluribus, & non neceſſariis ſumptibus in delicias affluit, & in libidinem fertur effuſior, omnia enim coniuncta luxurioſum uidetur efficere, ſingula uero nomine: haec uocatur hypographice. Aliae quoque fiunt eo modo, ut ad ſignandā differentiam proponantur in his rebus, quae diſcreto fine coniunctae ſunt: ut ſi dubitet quis, Nero Imperatorne an Tyrannus fuerit: Dicit eum tyrannum fuiſſe: quoniam crudelis fuerit, atque intemperans. Haec enim abiuncta differentia ita tyrannum ab Imperatore ſeiungit: aut etiam de eodem tyranno, atque rege dubitetur, quid uterque ſit, iuncta differentia utroſq. deſignat, ut ſi temperantia quidem regi, uel pietas, tyranno uero & intemperantia, & crudelitas conuenire dicatur: haec uocatur κατὰ διαφοράν. Alia, quae per tranſlationem dicitur: ut eſt, adoleſcentia eſt flos aetatis. Illa quoque definitio eſſe dicitur. quae fit ex priuatione contrarij: ut bonum eſt, quod malum non eſt. Illam quoque definitionem Victorinus ponit, quae tantum propriis nominibus aptari poteſt, quae etiam hypotypoſis appellatur: ut Aeneas eſt Veneris, & Anchiſae filius. Praeter has etiam illa eſt, quae fit per indigentiam pleni, ut quadrans eſt, cui dodrans deeſt, ut ſit aſsis. Ponit etiam Victorinus inter differentias definitionum illam quoque, quae per quandam laudem fieri poteſt, ut lex eſt mēs, & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis, quod maxime ratione caret. Non enim laudis modus ille faciet differentiam, illa enim conſideranda ſunt, quae in definitione ponuntur, non quo animo conſtituta ſint. Quod ſi recipienda fuit laudandi uoluntas inter differentias definitionum, cur non uituperandi quoque uoluntas aliam differentiam definitionis efficiat. Sed hoc apertiſsime inconueniens, & ueritati uidetur eſſe cōtrarium. Fiunt etiam definitiones per proportionem, ut ſi quis dicat, Homo eſt minor mundus. ſicut enim mundus ratione regitur, ita quoque, quoniam homo multis partibus iunctis habet tamen in omnibus rationem ducem, minor mundus dici poteſt. Fiunt etiam definitiones a relationibus; cum dicit. Quid eſt pater? Reſpondetur, cui eſt filius? Cauſſa quoque ſolet efficere definitionem, ut cum dicimus, Quid eſt dies? Reſpondetur, ſol ſuper terram. Cauſſam enim, ideſt ſolem, pro re ipſa, cuius cauſſa eſt, interpoſuimus, atque ita diē definitione monſtrauimus. Hae ſunt definitionum differentiae, quas in eo libro, quem de definitionibus Victorinus edidit, annumerauit: quas M. T. praetermit eo nomine, quod eas minime neceſſarias exiſtimarit. Nos uero, ne quid perfecto deeſſet operi, etiam quae ſunt a Cicerone praetermiſſa, ſubiecimus.

GVEVARA. Svnt *& alia genera definitionum.*] De quibus latius diſputant Plato, Ariſtoteles, Gellius, Victorinus, Boetius. Sed *ad huius libri inſtitutum illa nihil pertinent.*] Quia, ut eſt apud Viſorium, quamuis multae ſint, & uariae definitionum differentiae, non omnes ad totum adhibentur. propria definitio ad id totum de quo diſſeritur, adhibetur, ac nunc de definitione, & toto tractatio eſt. Ita Viſorius. Sed profecto Cicero illa, non ad diſputationem de definitione, ſed ad huius libri inſtitutum nihil pertinere dixit. Tantvm *eſt dicendum, qui ſit definitionis modus.*] Debet enim definitio, ut Latomus ait, apta eſſe rei definitae: nec plus, nec minus amplecti, quam natura eius continetur.

CICERO

Sic igitur ueteres praecipiunt, cum ſumpſeris ea, quae ſunt rei, quam definire uelis, cum aliis communia, uſque eo perſequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſſit. Vt hoc, Hereditas eſt pecunia, commune adhuc, multa enim genera ſunt pecuniae. Adde, quod ſequitur, quae morte alicuius ad quempiam peruenit: nondum eſt definitio: multis enim modis ſine hereditate teneri mortuorum pecuniae poſſint. Vnum adde uerbum, iure: iam a communitate res diſiuncta uidebitur, ut ſit explicata definitio: ſic: Hereditas eſt pecunia, quae morte alicuius ad quempiam peruenit iure. Nondum eſt ſatis: adde, nec ea aut legato teſtamento, aut poſſeſſione retenta: confectum eſt. Itemq. ut illud, Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt. Non eſt ſatis. Qui ab ingenuis oriundi ſunt. Ne id quidem ſatis eſt. Quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit. Abeſt etiam nunc. Qui capite non ſunt deminuti. Hoc fortaſſe ſatis eſt, Nihil enim uideo Scaeuolam pontificem ad hanc definitionem addidiſſe. Atque haec ratio ualet in utroque genere definitionum, ſiue id, quod eſt, ſiue id, quod intelligitur, definiendum eſt.

EXPLANATIO

BOETIVS. Definitionis ratione propoſita, diuiſaq. per ſingulas partes, tum materiae, tum etiam formae. Materiae quidem, cum definitionem eſſe dixit, uel earum rerũ, quae corporeae eſſent, uel earum, quae incorporeae. Formae uero, cum aut partitionibus, aut diuiſionibus definitiones fieri docuit: praetermiſsiſq. ceteris, quaecumque ad propoſitum opus minime pertinerent, nunc, quod utiliſsimum eſt, maximeq. totam definitionum intelligentiam ſignificare poteſt, exſequitur: id autem eſt, qui ſit in omnibus, quaecumque quomodolibet fiunt, definitionis modus. Eſt autem una, atque omnibus communis definiendi ratio, ut ex communitatibus inter ſemet iunctis, atque compoſitis, in unam proprietatem rei definitio colligatur. Omnia enim, quae communia, atque uniuerſalia ſunt, ſi quid eis fuerit adiectum, determinatione minuũtur, & ad particularitatem redeunt, atque eo ambitu, quo concludebant, cuncta cohibentur, ueluti cum generi adiicitur differentia, & fit ſpecies. Nam cum genus per ſe proprio ambitu multas ſpecies contineat, ei ſi propriam adiicias differentiam, minuitur, & in quandam quodammodo particularitatem redit, ueluti, cum dicimus animal, hoc nomen multa concludit: at ſi ei rationale adiicias, faciaſq. animal rationale, minus erit a ſimplici. Minus namque eſt animal rationale, a ſimpliciter animali: ita additio differentiae, quod maius fuit, in particularitatem quandam redegit, atque cohibuit. Quoties igitur aliqua res definienda eſt, ſumitur id, quod ei cum pluribus aliis commune eſt: huic adiiciuntur differentiae, ſtatimq. neceſſe eſt minuatur id, quod fuerat pluribus commnne, & ſi hac differentiae additione in tantum modum decreuit, ut rei, quae definitur, fiat aequalis, alias differentias colligere, atque captare non neceſſe erit, ſed id ipſum, quod ita decreuit, ut aequale ſit ei, quod definitur, definitionẽ eſſe neceſſe eſt: at, ſi adhuc amplior ſit ab ea re, quae definitur, quaeramus neceſſe eſt aliam differentiam, qua adiuncta numerus, quidem creſcat; uis autem communitatum differentiarum additione decreſcat: atque id hactenus faciendum, quatenus, ut dictum eſt, ea, quae ad definitionem ſumuntur, ei, quod definiendum eſt, adaequentur. Vt igitur id non ratione ſolum, uerum conuenienti quoque clarius fiat exemplo, ſumatur res notiſsima ad definitionem, id ſit homo. Huius igitur ita quaerimus definitionem. ſumimus, quod ei cum pluribus aliis cõmune eſt, ideſt animal: dicimus igitur eſſe hominem animal, nondum eſt definitio. Primum, quia, ut dictũ eſt, per nomen definitio reddi nõ poteſt: dehinc, quia animal maius eſt homine. ut igitur minuatur animal, & homini coaequetur, addimus differentiam, qua adiuncta rerum quidem numerus creſcit, uis autem rei, atque amplitudo minuitur, addo igitur rationale, efficioq. animal rationale, minus eſt igitur animal rationale, quam proprie animal. Dico autem hominem eſſe animal rationale, ſed id nondum coaequatur ad hominem, poſſunt enim eſſe animalia rationabilia, ſicut Platoni quoque de aſtris placet, quae homines non ſint. addo igitur rurſus aliam differentiam, ſi quomodo in tantum definitio contrahatur, ut fiat homin, quod definitur aequalis, adiungo igitur mortale, ac dico hominem eſſe animal rationale mortale id aequatur ad hominem. Nam, & qui homo eſt, animal rationale mortale eſt, & quod eſt animal rationale mortale, homo eſt. Dico igitur hominis hanc eſſe definitionem, quae ex pluribus communibus iunctis, unum tamen quiddam proprium homini, atque aequale confecit. atque in ceteris definitionibus eadem ratio eſt, ut definitiones fiant collectis communitatibus, in unumq. copulatis, cum neceſſe ſit illa copulatione, quae communia ſunt, contrahi, atque in minorem cohiberi modum, eiq. quod definitur ex communitatibus coniunctis aliquid proprium, atque aequale componitur. Hoc eſt igitur, quod ait Cicero,

cero, hunc eſſe deſinitionis modum, cum ſumpſeris ea, quae ſint ei rei, quam definire uelis, cum aliis com-
munia, uſque eo perfici, ut proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſsit, ut his uerbis, &
hac ſententia breuiter ſignare uideatur. Hanc eſſe definitionem, quae ex ſubſtantialibus cõmunitatibus iun-
cta, atque in minorem modum redacta, fit ei rei, quae definitur, aequalis, exempla uero, quae ponit, huiuſmo
di ſunt. Vnum definiendae hereditatis, alterum gentilitatis. Hereditatis quidem hoc modo, hereditas eſt
pecunia. Commune hoc & multis aliis eſt conueniens, quae hereditates non ſunt, uel donationibus, uel fur-
tis, uel quibuſlibet aliis pecuniariis rebus, quae minime ſunt hereditates: huic igitur pecuniae addendum ali-
quid fuit, ideſt, quae morte alicuius ad quempiam peruenit, hereditas enim pecunia eſt ad quempiam morte
perueniens. Sed ne id quidem plenum hereditatis explicat intellectum. Commune namque eſt. Et pecu-
niae mortuorum pluribus teneri modis poſſunt, uelut ſi bello quis uictus eſt, ac ſpoliatus, addendum igitur
eſt aliquid iure, ut ſit, hereditas eſt pecunia, quae morte alicuius ad quempiã iure peruenit, hereditates enim iu
re capiuntur. Videatur forſitan hoc loco definitionem poſſe conſiſtere, ſed minime. Quid enim, ſi legata pe-
cunia eſt, hereditas quidem dici non poteſt, capta tamen morte alicuius iure pecunia eſt. Nam teſtamenta
iure fiunt, pecunia etiam iure legatur. adiiciendum eſt aliquid, id ſcilicet, quo ab hereditatibus legata ſeparen-
tur, ut dicamus hereditatem eſſe pecuniam morte alicuius ad quempiam peruenientem iure; quae legata non
ſit; num ſatis eſt definitioni? minime. Quid enim, ſi meum, quidem dominium ſit fundi, uel alicuius pecunia-
riae rei, alterius uero uſusfructus? nã morte eius, cui uſusfructus competit, ad me res illa reuertitur, quae in
meo dominio proprietatis iure tenebatur, neque tamen hereditas eſſe poteſt, adiiciendum igitur eſt, minime
poſſeſsionem eſſe retentam, ideſt, ut proprietatis poſſeſsione id quod morte alicuius iure non legatum perue-
nit, non retineatur. Hoc autem modo poſſeſsione retineri poteſt, ſi ſit noſtra proprietas, & eius, qui deceſſe-
rit, uſusfrctus. Coniuncta igitur omnia in unum facient hereditatis definitionem hoc modo, Hereditas eſt
pecunia, quae morte alicuius ad quempiam peruenit iure, non legata, neque poſſeſsione retenta. haec defi-
nitio eſt aequalis hereditati. Nam, ut hereditas pecunia eſt morte alicuius ad quempiam perueniens iure non
legata, neque per poſſeſsionem retenta: ita quaecumque pecunia alicuius morte ad aliquem iure peruene-
rit, neque legata ſit, neque retenta, hanc hereditatem eſſe neceſſe eſt. Sed, cum M. T. ad eum uſque locum
definiendo ueniſſet, ut diceret hereditatem eſſe pecuniam, quae morte alicuius ad quempiam perueniſſet, iu-
re ait, Iam a communitate res diſiuncta uidebitur, ut ſit explicata definitio, ſic, Hereditas eſt pecunia, quae
morte alicuius ad quempiam iure peruenit. idq. ita dictum eſt, quaſi iam plena facta ſit definitio: quid enim
eſt aliud explicatam eſſe definitionẽ, & a communilate diſiunctam, niſi perfectam, & cui deſit nihil? Sed rurſus
quaſi non ſit explicata definitio, nec a communitate diſiuncta, adiicit, Nondum eſt ſatis. adde, nec ea aut le-
gata teſtamento, aut poſſeſsione retenta. cuius adiectionis haec ratio eſt. Fecit enim definitionem aliis ad-
iunctis, aliis ſeparatis: itaque id, quod definiebat, uel his, quae adiunxit, uel his, quae ſeparauit, a ceterorum
omnium communitate ſegregauit. Hereditatem enim dixit eſſe pecuniam, huic addidit morte alicuius ad
aliquem peruenientem. Separauitq. eam ab his pecuniis, quae non morte alicuius ad aliquem, ſed contractu
uiuentium peruenirent: addidit iure, ut ab his pecuniis ſepararet, quae per uim morte alterius ad quempiam
peruenerint. His igitur duobus morte, & iure ea pecunia effecta eſt, quae ita a ceteris ſeparetur, ut tamen per
legitimum acquirendi modũ non inter utroſq. uiuos, ſed inter vnum uiuum, atque alterum mortuum fieret.
Haec igitur una ſeparatio a ceteris facta eſt, atque ideo ait explicatam eſſe definitionem, & a communitate di-
ſianctam. Sed, quoniam in ea ipſa pecunia, quae morte, & iure ad aliquem peruenit, inerant quaedam, quae
hereditates non eſſent: harum ſeparatione, plena effecta eſt hereditatis definitio. nam cum diceret heredi-
tatem pecuniam eſſe, itemq. quae morte alicuius ad aliquem perueniſſet, itemq. quae iure, haec omnia efficiẽ
tia ſubſtantiam hereditatis appoſita ſunt. Sed, quoniam erant in collectione quaedam, ad quae huius col-
lectionis intellectus transferri poſſet, nec tamen eſſent hereditates, ueluti legatum, aut poſſeſsionis retentio:
his ſubtractis, reliqua fuit hereditas, de qua intelligi poſsit pecunia alicuius morte ad quempiam iure perue-
niens, non igitur legatum, aut poſſeſsionis retentio ſubſtantiam hereditatis efficiunt, quippe, quae impedirent
ad eius ſubſtantiam demonſtrandam, niſi remouerentur. At uero nec negatio quidem cuiuſque ſubſtantiam
perficit, ſed tantum, quid non ſit, oſtendit: quod legatum, & poſſeſsionis retentio hereditatis ſubſtantiam nõ
modo, non complent, uerumetiam impediunt, atque corripiunt, niſi fuerint diſiuncta, atque ſepoſita. Cumq.
harum negatio nihil ex hereditatis ſubſtantia monſtret, ſed tantum quid non ſit oſtendat, relinquitur pars ſu-
perior, ideſt, pecunia morte alicuius ad quempiam iure perueniens, quae ſubſtantiã hereditatis oſtendat, eaq.
ſit explicata definitio, a ceteriſq. partibus diſiuncta. Sed, quoniam rurſus, ut dictum eſt, quaedam ſunt, ad
quae deriuari huius definitionis intelligentia poſsit, iccirco ad diſcretionem integram deſignandam reliqua
pars additur. Itaque, quoniam iſta demonſtrant hereditatem, efficiuntq. ſubſtantiam, iure dictum eſt, iam a
communitate res diſiuncta uidetur, ut ſit explicata definitio, ſic, ut, hereditas eſt pecunia, quae morte alicuius
ad quempiam peruenit iure. Sed, quoniam rurſus hic intellectus ad plura intra ſe poſita poterat peruenire,
non immerito additum eſt, Non eſt ſatis, &c. quae legatum, & poſſeſsionis retẽtionem ab hereditatis defini-
tione ſeiungunt. ac de priore quidem hereditatis exemplo haec dicta ſiut. Ad huius uero ſimilitudinem etiã
ſecundum tractat exemplum, quod de definitione gentilitatis eſt poſitum. Gentiles enim ſunt, qui eodem
nomine inter ſe ſunt, ut Scipiones, Bruti, & ceteri. Quid ſi ſerui ſint? num ulla gentilitas ſeruorum eſſe poteſt?
minime adiiciendum igitur eſt, qui ab ingenuis oriundi ſunt. Quid ſi libertinorum nepotes ciuium Roma-
norum eodem nomine nuncupentur? num gentilitas ulla eſt? ne id quidẽ, quoniam ab antiquitate ingenuorũ
gentilitas ducitur. Addatur igitur, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit. Quid ſi per adoptionem in

alterius

alterius familiam tranſeat? tunc etiam ſi eius gentis, ad quam migrauit, nomine nuncupetur, licet ab ingenuis, & ab his ortus parentibus ſit, qui numquam ſeruitutem ſeruierint, tamen, quoniam in familia gentis ſuae non manet, ne in gentilitate quidem manere poteſt. Addendum igitur eſt, neque capite ſunt deminuti. hoc fortaſſe, inquit, ſatis eſt ſecundum Scaeuolae pontificis definitionem. nihil enim ulterius adiecit, ut ſit definitio gentilium haec: Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem ſunt nomine, ab ingenuis oriundi, quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, & ubi gentilitatem nulla capitis deminutio deſtruxit. Haec quoque definitio facta eſt ex pluribus communitatibus in unum confluentibus, atque unam proprietatem eius rei, quae definiebatur, ideſt gentilitatis, facientibus. Haec igitur definitionis modus in utroque genere rerum ualet, ſiue quae ſunt, ideſt, ſiue corporalium, ſiue incorporalium: nam, ut ſuperius oſtenſum eſt, id eſſe Cicero dicit, quod corporale ſit, id non eſſe, quod eſt incorporale. Ac poſtremo omnium definitionum modus hic eſt, ut ex pluribus communitatibus aliqua proprietatis fiat. Sed diſtant a ſe definitiones, quod hae, quae proprie definitiones uocantur, ex his coniunguntur, quae ſubſtantiales ſunt. Illae, quae non uerae, ſed abutendo definitiones dicuntur, ex accidentibus communitatibus congregantur.

GVEVARA. SIC *igitur ueteres praecipiunt. Cum ſumpſeris ea, quae ſunt ei rei, quam definire uelis, cum aliis communia, uſque eo perſequi, dum proprium efficiatur, cum nullam in aliam rem transferri poſſit.*] Sic Plato in Theateto. Si differentiam cuiuſque accipias, qua ab aliis eſt diſtinctum, definititionem, ut quidam tradunt, acceperis: quamdiu uero commune aliquid attigeris, illorum definitionem, quorum communitas eſt, habebis. Ariſtoteles quoque libro ſecundo reſolutionum poſteriorum, cap. decimoquarto. Nunc dicendum eſſe uidetur, quo nam pacti uenari nos oportet ea, quae hoc ipſo quid eſt praedicantur. Eorum itaque, quae ſemper cuique competunt, quaedam extendunt ſeſe quidem ad plura, non tamen genus egrediuntur ſuum. Atque ea ſeſe ad plura extendere dico, quae quamquam uniuerſaliter cuique competant, non tamen ſoli, ſed etiam aliis inſunt. Talia igitur eo uſque ſumenda ſunt, quouſque tot fuerint ſumpta primo, ut unumquodque quidem illorum pluribus competat, iuncta autem ſimul non ad plura ſeſe extendant: hanc enim neceſſe eſt ſubſtantiam eſſe rei definiendae. Et Diuus Auguſtinus tom. primo, libro de decem Categoriis capit. ſexto. Interea hoc loco debemus, inquit, aduertere, qua arte definitio diſponatur. Primum enim hanc per immenſam tendi oportet, incipientem a genere. De hinc paullatim per partes currendo peruenire debet ad id, in quo ſolum eſt id, quod definitur. Vt hi, qui ſigna formant, primum immenſum ſubdeligunt lapidem, dehinc paullatim minuendo, & abſcindendo ſuperflua, ad formandos cultus & membra perueniunt. Sic definitio a genere incipiens depulſa paullatim generalitate uerborum, ad proprium demonſtrandae rei cubile tendit accedere. VT HOC, *Hereditas eſt pecunia: commune adhuc, multa enim genera ſunt pecuniae.*] In Pandectis, titulo de uerborum & rerum ſignificatione, haec relata ſunt. Paullus lib. undecimo ad Edictum. Pecuniae appellatione rem ſignificari Proculus ait. Hermogenianus, libro undecimo Iur. epitom. Pecuniae nomine, non ſolum numerata pecunia, ſed omnes res tam ſoli, quam mobiles: & tam corpora quam iura continentur. Vlpianus libro quadrageſimo octauo ad ſenatuſconſ. Pecuniae uerbum, non ſolum numeratā pecuniam complectitur, uerum etiam omnem omnino pecuniam, hoc eſt omnia corpora. Nam corpora quoque pecuniae appellatione contineri, nemo eſt qui ambigat. MVLTIS *modis ſine hreditate teneri mortuorum pecuniae poſſunt.*] Veluti, ut Boetius ſcribit, ſi bello quis uictus eſt, ac ſpoliatus. VNVM *adde uerbum, iure.*] Ideſt lege, ut omnes hereditates, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſiue ad extraneos, ſiue ad cognatos obueniant, comprehendantur. Atque ea quidem, ut Alciatus ad legem centeſimam trigeſimam, ff. de uerb. ſign. probat, legitimae ſunt hereditates. Alias iuſta hereditas ea dicitur, quae iure ſanguinis gentilitatiſq. defertur: quod aequitate ſuggerente, & iure tam naturali quam ciuili fere debita ſit. Atque ita Budaeus in Annot. & Alciatus loco citato probauerunt. IAM *a communitate res diſiuncta uidebitur.*] Boetius notat, Hereditatem, non adiectione ſolum rerum, ſed quarundam etiam detractione, Ciceronem definiſſe. Quare cum duobus uerbis, morte, atque iure, ea pecunia efficiantur, quae ita a ceteris ſeparetur, ut tamen per legitimum adquirendi modum, non inter utroſque uiuos, ſed inter mortuum, & uiuum fieret: ideo explicatam eſſe definitionem, & a communitate diſiunctam ait. Sed, quoniam erāt ad quae huius collectionis intellectus transferri poſſet, nec tamen eſſent hereditates, ueluti legatum, aut poſſeſsionis retentio haec ſubtrahenda eſſe cernēs, infert. NONDVM *eſt ſatis: adde, nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta.*] Poſſeſsione retinere dicimur rem, cuius habemus proprietatem, licet ad alium uſuſfructus pertineat. Cum autem finitus fuerit totus uſuſfructus, reuertitur ad proprietatem: & ex eo tempore nudae proprietatis dominus incipit plenam in re habere poeſtatem: quae res licet uſufructuarij morte contingat, non hereditas, ſed conſolidatio nominatur. CONFECTVM *eſt.*] Igitur ex Ciceronis ſententia, hereditas eſt pecunia, quae morte alicuius ad quempiam peruenit iure: nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſsione retenta. Quibus uerbis Ciceronem res potius, quam ius ipſum hereditarium eſſe complexum, Sigonius ſcribit, de antiq. iure ciu. Rom. lib. primo cap. undecimo. Itaque Iuliano Iuriſconſulto magis aſſentiur, qui hereditatem dicit ſucceſsionem eſſe in uniuerſum ius, quod defunctus habuerit. ITEMQ. *ut illud. Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt. Ne id quidem ſatis eſt. Quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit. Abeſt etiam nunc. Qui capite non ſunt deminuti. Hoc fortaſſe ſatis eſt.*] Iſtam definitionem Budaeus probat in l. prima, ff. de iuſtitia, & iure. Gentilitatiſq. iura, multis uerbis docet in l. ſecunda. ff. de orig. iur. & in l. ſaepe ita. ff. de uerb. ſign. ubi gentilitatem, nobiliorum fuiſſe, eorum ſcilicet,

Bb qui

qui magines generis ſui proferre poſſent, ex Tranquillllo, & aliis auctoribus oſtendit: apud quos imagines pro i nobilitate ponuntur. Pro quibus nos inſignia dicit habere gentilicia: ideoq. gentiles homines nobiliores u ocari. Sigonius quoque lib. primo, de Antiq. iur. ciu. Rom. cap. ſeptimo, multa de iure gentilitatis docte ſcribit.

G E N T I L E S *ſunt, qui inter ſe ſunt eodem nomine*,] Id non ita accipiendum eſt, ut, exempli gratia, Petros omnes, aut Ioannes gentiles eſſe putemus, nam neceſſe eſſe gentiles non appellatione ſolum, ſed ſanguine etiam & propinquitate coniungi, praeter id, quod de furioſo Varro & Columella dicunt, ad agnatos & gentiles deducendum: quos idem plerumque eſſe, & morem antiquorum fuiſſe, ut haec duo in ſermone coniungerent, probant Alciatus in l. pronunciatio, ff. de uerb. ſig. & Budaeus in l. ſaepe, eod. tit. licet, ut recte Sigonius probat, alias agnati arctiore nobiſcum, quam gentiles neceſsitudine iuncti ſunt. Illud manifeſtius indicat, quod Romanorum nomina, qualia ſunt, Iulius, Cornelius, Tullius, non ut Accurſius, ceteriq. legum interpretes, omneſq. paene grammatici & rhetores putauerũt, ſimplicem hominum appellationem comprehendunt, ſicut apud nos Petrus, Ioannes, Franciſcus: ſed familias potius illis priſcis nominibus deſignari, comprehendiq. Alciatus docet lib. quarto Diſpunction. lib. primo. Et Ant. Auguſtinus lib. tertio Emendat. cap. octauo. Mihi & Accurſij opinatio diſplicet: & Alciati ſententia, licet ueriſimilior, non ſatisfacit. Familiam namque nomine denotari nõ puto: ſed nomine gentem oſtendi, cognomine familiam. Idq. eiſdem capitibus, quae ipſe ex Tranquillo notauit, magis probatur. Praeterquam, quod, ſi nomine familia ſignificaretur, non eſſet, quod cognomen referret. Itaque, qui inter ſe eodem ſunt nomine, gentiles dicuntur, quod eadem gente ſint, quae ſunt coniugata: non quod eadem familia, quae a gente plurimum differt, & propius nos attingit, quam gens, ut bene probat Sigonius. Ad haec, quod idem Alciatus obiicit, ſi ipſum cognomen familiam referat, quomodo Ciceronis, Scipionis, Neronis filiae nuncupentur non eſſe, cum tales appellationes ad ſexum femineum non pertineant, facile diluitur: nomine enim feminae appellabantur, non cognomine. Et Ciceronis filia Tullia: Scipionis filia Cornelia: Neronis filia Domitia, dicebatur. Ac, quamquam nomine gens cognoſceretur, cognomine familia: Feminis non a familia, ſed a gente nomina imponebantur. Neque magis urget, quod Diomedem Grammaticum dicentem, idem Alciatus refert, Nomen proprium & gentilicum, quod originem gentis, uel familiae declarat. Non enim ſignificat his uerbis Diomedes, generis familiaeq. nomina confundi, ſed utriuſque originem iudicari per nomen proprium. Vt uerbi cauſſa, Domitius nomen, & gentem Domitiam indicat, & originem etiam familiarum Ahenobarborum, & Caluinorum. Ex gente namque Domitia, ut in Nerone Tranquillus ait, duae familiae claruerunt, Caluinorum, & Ahenobarborum. Q V I *ab ingenuis oriundi ſunt*.] Hoc ideo a Cicerone Boetius adiectum putat, quod ſeruorum nulla gentilitas ſit: idq. uerum eſt. Nec mouet, quod Plinius lib. trigeſimotertio, cap. primo ait, Aliter apud antiquos ſinguli Marcipores, Lucipores ue dominorum gentiles, omnem uictum in promiſcuo habebant, nec ulla domi cuſtodia a domeſticis opus erat. Vbi manifeſte ſeruos, quibus dominorum nomina indita eſſent, gentiles dominorum appellat. Quod Alciatus in l. ſaepe, ff. de uerb. ſignif. & lib. primo Parerg. cap. duodecimo, ita explicat, ut hanc definitionem Ciceronis ueram eſſe ante leges duodecim tabul. aſſerat, poſt, etiam eos, qui a ſeruis oriundi eſſent, gentiles habitos. Quod non probo, magiſq. puto ſeruos a Plinio abuſiue dominorum gentiles appellatos, quod eodem eſſent nomine. idq. Budaeus probat in dicta lege, ſaepe, inquiens. Alioqui gentiles non tam agnati ſunt, quam cognomines: unde Cicero Tuſculana prima, Pherecides Syrus primum dixit, animos hominum eſſe ſempiternos: antiquus ſane, fuit enim meo regnante gentili. Indeq. illud Plinianum, libro trigeſimotertio. Singuli Marcipores, & cetera. Verum illa gentilitas ab ea, de qua nunc agimus, quamq. hoc loco definit Cicero, multum differt. In illa nihil praeter nomen commune: quod ſeruis (quibus praenomen, nomen, cognomen, tribus, non erat: ſunt enim haec, ut ait Quinctilianus libro ſeptimo, cap. quarto, propria liberi, quae nemo habet niſi liber:) cum a dominis manumittebantur communicabatur, ut eſt apud Politianum Miſcell. capite trigeſimoprimo. Gentilitatis, de qua nobis nunc ſermo eſt, iura multum erant diuerſa: nec unica erat eius nominis interpretatio. Vicinas nationes Cornel. Tacitus libro undecimo gentiles uocat; Turbare, inquit, gentiles nationes promptum habebat. Romanos quoque ſuo imperio non ſubiectos appellaſſe gentiles, quod non ciuili, ſed gentium iure uiuerent, Alciatus ſcribit libro primo Parerg. capite decimotertio. Hebraei etiam nationes idolorum cultrices, quod in gentilium, ideſt maiorum ſuorum errore perſtarent, uocaſſe gentes, gentileſque, Iuſtinus Martyr eſt auctor in dialogo cum Tryphone pagina octaua. Et Apologia ſecunda pro Chriſtianis, pagina trigeſimaſexta. Sed & ſeruos dicebant, quod daemonibus ſeruirent. Idq. ſignificaſſe Hieremiam, dum in oratione ait, ſerui dominati ſunt noſtri, ſcribit Diuus Hieronymus tomo quincto, in Lamentation. & diuina ſapientia exprobrans Iſraeli, quod, quae in aliis damnaret, ipſe committeret, Iſraelitas gentiles uocat. Quod idem Hieronymus notat, tomo quincto, libro quarto in Eſaiam. Q V O R V M *maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit*.] Cum ex patris, uel ex matris qualitate non probetur filium eſſe talem, l. Nec natales, l. ad probationem, C. de probationibus gentilitas autem nobiliſsimorum ſit, & ab antiquitate ingenuorum ducatur, merito quamuis dictum ſit: qui ab ingenuis oriundi ſunt: & illud adiicitur; quorum maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit. Quod gentiles, non ſolum a ſeruis, & libertinis, de quibus §. princip. Inſtitut. de iure perſon. & §. primo de libertin. diſtinguuntur: ſed & ab eis, qui ingenuitatem intactam, illibatamq. non habent. Vt in l. ultima, ff. de Senatoribus, docet Budaeus. Q V I *capite non ſunt deminuti*.] Idq. non ſolum in maxima & media, quarum manifeſta ratio eſt, ſed in minima uerum eſt. Nam, qui ſeſe adoptandum dedit, etiam ſi eius gentis, ad quam migrauit, nomine nuncupetur, cum tamen

illam ſanguine non contingat, gentilitatis iura non habet: gentis uero, a qua migrauit, gentilis non eſt, cum non ſit eodem nomine. Vnde illud Ciceronis pro domo ſua in Clodium: Perturbatis ſacris, contaminatis gentibus, & quas deſeruiſti, & quas polluiſti, factus eſt filius. SIVE *id quod eſt.*] Eſſe ea dicit, quae cerni tãgiue poſſunt. Vnum fundum, aedes, parietem, ſtillicidium, mancipium, pecudem, ſupellectilem, penus, & cetera. SIVE *id, quod intelligitur, definiendum eſt.*] Intelligi, dicit, quae tangi, demonſtratiue non poſſunt, cerni tamen poſſunt. Qualia ſunt uſucapio, tutela, gens, agnatio.

CICERO

PARTITIONVM autem, & diuiſionum genus quale eſſet, oſtendimus: ſed, quid inter ſe differant, planius dicendum eſt. In partitione quaſi membra ſunt, ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cetera. In diuiſione formae ſunt, quas Graeci ἰδέας uocant: noſtri, ſi qui haec forte tractant, ſpecies appellant: non peſſime id quidem, ſed inutiliter ad mutandos caſus in dicendo. nolim enim, ne ſi Latine quidem dici poſſit, ſpecierum & ſpeciebus dicere, & ſaepe his caſibus utendum eſt: at formis & formarum uelim. cum autem utroque uerbo idem ſignificetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Genus & formam definiunt hoc modo: Genus eſt notio ad plures differentias pertinens. Forma eſt notio, cuius differentia ad caput generis, quaſi fontem referri poteſt. Notionem appello, quod Graeci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea eſt inſita, & ante percepta cuiuſque formae cognitio enodationis indigens. Formae igitur ſunt eae, in quas genus ſine ullius praetermiſſione diuiditur: ut ſi quis ius in legẽ, morem, aequitatem diuidat. Formas qui putat idem eſſe, quod partes, confundit artem: & ſimilitudine quadam conturbatus nõ ſatis acute, quae ſunt ſecernenda, diſtinguit. Saepe etiam definiunt & oratores, & poetae per tranſlationem uerbi ex ſimilitudine cum quadam ſuauitate. ſed ego a ueſtris exemplis niſi neceſſario non recedam. Solebat igitur Aquillius, collega, & familiaris meus, cum de litoribus ageretur, quae omnia publica eſſe uultis, quaerentibus iis, ad quos id pertinebat, quia eſſet litus, ita definire, qua fluctus eluderet. hoc eſt, quaſi qui adoleſcentiam florem aetatis, ſenectutem occaſum uitae uelit definire. Tranſlatione utens diſcedebat a uerbis propriis rerum, ac ſuis. Quod ad definitiones attinet, hactenus: reliqua uideamus.

EXPLANATIO

BOETIVS. QVONIAM definitionum formas in partitionẽ, diuiſionemq. diſtribuit, ne qua rerum auditor ſimilitudine turbaretur, diuiſionis, ac partitionis differentias prodit. ac primum aliud partes, aliud ſpecies eſſe demonſtrat. Species enim ſaepe partes, partes uero numquam ſpecies appellantur. Differunt uero a ſe, quoniam pars totius membra coniungit. Species uero totum diuidit, atque diſpertit: nam, ut ſuperius quoque dictum eſt, partes eius, quod copulant, non ſuſcipiunt nomen totius. Neque enim fundamenta, uel tectum domus eſſe dici poſſunt: nam niſi omnia, quae quid efficiunt, iuncta ſint, totius uocabulum ſingula non habebunt. At uero ſpecies etiam ſingulae, generis ſuſcipiunt nomen, ut homo animal. Quo fit, ut in his illa quoque differentia poſsit agnoſi, quod partes quidem totius partes, ſpecies uero non totius, ſed uniuerſalis rei, ideſt generis ſpecies eſſe dicuntur. Differt uero totum a genere, quod genus uniuerſale eſt, totum uero minime. quod probatur hoc modo: Si enim id, quod totum dicitur, ut domus uniuerſale eſſet, partes quoque eius totius ſuſciperent nomen. At non ſuſcipiunt, ut ſaepe monſtratum eſt, quod igitur totum eſt, uniuerſalium non eſt. Genus uero uniuerſale eſſe manifeſtum eſt, quoniam eius nomen deductae ab eo formae ſuſcipiunt. Item alia differentia: Genus ſemper ſpeciebus ſuis prius eſt, totum uero ſuis partibus poſterius inuenitur: niſi enim partes fuerint, totum non poteſt iungi. Quo fit, ut, ſi genus pereat, ſpecies quoque perimantur. Si ſpecies intereat, maneat genus. quod in partibus totoq. contrarium eſt. Nam, ſi pars quaelibet una pereat, totũ neceſſe eſt interire. Si uero totum, quod partes iunxerat, diſsipetur: partes maneant diſtributae, ueluti ſi domus, tecta, & parietes, & fundamenta a ſemetipſis extrinſecus poſita intelligantur, domus quidem non erit, quia coniunctio deſtructa eſt, partes tamen manebunt. Propriis igitur nominibus M. T. partes quidem, ueluti totius membra compellat, ſpecies uero formas: iccirco, quoniam non ſatis ei apte uidetur inflexio caſuum ab eo nomine, quod eſt ſpecies: & licet plures, inquit, uſurpauerint hoc nomen: tamen, quoniam dura huius nominis per caſus inflexio eſt, cum dicitur ſpeciei, ſpecierum, ſpeciebus, iccirco commoditatem in dicendo (ut ipſe ait) non arbitratus eſt negligendam, ut formas uocaret, in cuius nominis caſibus nulla eſſe ſentitur aſperitas. Et, quoniam forma praeter genus eſſe non poteſt (nihil enim praeter ſuum poteſt eſſe principium) utrorumq. appoſuit definitiones. Dicens genus eſſe notionem ad plures differentias pertinentem: notio uero eſt intellectus quidam & ſimplex mentis conceptio, quae ad res plures pertineat a ſe inuicem differentes. Id uero genus eſſe manifeſtum eſt, quod apertiſsimo liquet exemplo; Animalis quippe intellectus ad plures differentias pertinet, ad rationale ſcilicet, atque irrationale, ad mortale etiam, atque immortale, ad ambulabile, reptibile, uolatile, natatile, & eſt eorum omnium, quae ſub his differentiis ſita ſunt, genus. Idem uero ſignat haec definitio, quod etiam uetus. haec huiuſmodi eſt: Genus eſt, quod de plurimis ſpecie differentibus in eo, quod quid eſt, praedicatur, uelut animal genus ad plures res ſpecie differentes, ideſt ad hominem, atque equum, in eo, quod quid eſt, praedicatur. Nã interrogantibus, quid eſt homo, uel equus, animal dicitur. Item formae definitionem talẽ dedit; forma eſt notio, cuius differentia ad caput generis, & quaſi fontem referri poteſt, & recte. Nã ſi formae a geuere deducun-

 tur,

tur,ſpecies neceſſe eſt referantur ad genus. Si igitur principium quoddam,& fons formae genus eſt, neceſſe eſt ut intellectus formae ad primordium ſuum, ideſt notionem generis reuertatur: intellectus enim hominis refertur ad animal; itemq. equi,& ceterorum. Notionem uero appellat,quod Graeci ἔννοιαν, uel πρόληψιν dicunt; huius eſt haec definitio: Notio eſt inſita ex ante percepta cuiuſque forma cognitio, enodationis indigens. Haec uero definitio hinc tracta eſt, quod Plato ideas quaſdam eſſe ponebat,ideſt ſpecies incorporeas, ſubſtantiaſq. conſtantes, & per ſe ab aliis naturae ratione ſeparatas, ut hoc ipſum homo quibus participantes ceterae res animalia, uel homines fierent. At uero Ariſtoteles nullas putat extra eſſe ſubſtantias, ſed intellectam ſimilitudinem plurimorum inter ſe differentiam. Subſtantialem genus putat eſſe, uel ſpeciem. Nã cum homo,atque equus differant rationabilitate,atque irrationabilitate,horũ intellecta ſimilitudo efficit genus:nã ſimilitudo equi,& hominis ſubſtantialiter ea eſt, quod uterque ſubſtantia eſt,uterque animatus, uterque ſenſibilis. Quae iuncta efficiunt animal,eſt namque animal ſubſtantia animata ſenſibilis, igitur hominis, atque equi ſimilitudo eſt animal, quod eſt genus. Rurſus, cum Plato,atque Cicero numero, accidentibuſq. diſtarent,horum ſimilitudo, quae eſt humanitas intellecta, atque animo formata, ſpecies eſt: ergo communitas quaedam,& plurimorum inter ſe differentium ſimilitudo notio eſt, cuius notionis aliud genus eſt, aliud forma. Sed, quoniam ſimilium intelligentia eſt omnis notio, in rebus uero ſimilibus neceſſaria eſt differentiarum diſcretio,iccirco indiget adhuc notio quadam enodatione ac diuiſione,uelut ipſe intellectus animalis ſibiipſe non ſufficit. Nam mox animus ad aliquod animal eſt,uel hominem,uel equum deducitur inquirendũ, etiam hominis notio, uel ad Tullium, uel ad Platonem,uel ad quemlibet ſingularium perſonarum refertur. Quae cum ita ſint,quoties genus diuiditur in formas,nullam praetermitti oportebit. Eſt enim uitium,uel maximum, ſi qua diuidentem forma praetereat,ueluti ſi quis ius diuidere uelit in legem, morem, atque aequitatem neceſſe eſt partiatur. Nam & lex, & mos,& aequitas,& ſingula, & in commune iuris uocabulo ſubiecta ſunt,culpa uero illorum inſcitiam,qui idem ſpecies,uel formas putant eſſe,quod partes, conturbariq. eos inſcitia dicit,quod res a ſe plurimum differentes imperite, atque improuide diſtinguere, ac ſegregare non curãt. Sed,quoniam de definitione loquebatur, addit aliam ſpeciem definitionis, quam nos ſuperius enumerauimus,quae per tranſlationem non proprietatis,ueritatiſque, ſed ſplendoris, atque ornatus ratione perficitur, quod Poetarum oratorumq. eſſe autumat,quibus luculenta oratio curae eſt. Huius definitionis exemplum a iure ciuili Tullius petit, aitq. ſe non aliter ab exemplis notioribus Trebatio receſſurum, quam ſi neceſsitas cogat. Per tranſlationẽ uero definitio eſt,ueluti cum Aquillius litus definire uolens, dicebat; Litus eſſe qua fluctus eluderet; hoc eludere ab iis tranſlatum eſt,qui agitatione aliqua cauſſa luſus mouentur. Itemque adoleſcentia flos aetatis eſt,id ab arboribus ductum eſt, quarum fructus flores praecedunt, & ſenectus uitae occaſus,id a die ductum eſt,quid definit eſſe cum ſol occidit; quae tranſlationes a proprietate diſcedunt, & quadam ſimilitudine ſubſtantia ſignant. Eſt enim tranſlatio,quoties habenti rei nomen propter alterius ſimilitudinem a re ſimili nomen imponitur, ut motus habet proprium nomen. Item luſus ſuo uocabulo nuncupatur,ſed qui diem,qua fluctus eluderet,a ſimilitudine agitationis ad fluctuum motum uocabulum tranſfert. Ac de definitionibus quidem diſputationem terminans,ad partitiones tranſitum facit. Sed nunc tertio uolumini ſatis eſt,reliqua in poſterum differamus.

GVEVARA. Qvid *inter ſe differat,planius dicendum eſt*] Adde, qnod partes non ſunt nomen totius: nec enim fundamenta dicuntur domus,nec parietes, nec tectum: ſed omnia ſimul efficiunt domum. Formarum autem unaquaeque nomen generis occupat. Nam & homo dicitur animal,& equus eſt animal. Itaque totum partibus non eſt uniuerſale, quandoquidem eius nomen partibus ſingulis non conuenit. Genus formis uniuerſale eſt, & ſingulis competit. Praeterea genus ſemper eſt prius formis: quare ſpecie perempta manet genus. At totum ſuis partibus poſterius eſt, & ſine fundamentis, aut parietibus domus non eſt. Nostri, *ſiqui haec forte tractant, ſpecies appellant.*] Sic & lib. primo Academ. quaeſt. idem Cicero ſcribit. Hanc illi ideam appellabant, iam a Platone ita appellatam nos recte ſpeciem poſſumus dicere. Et lib. 1. Tuſc. Quaeſt. Cumque nihil eſſet, ut omnibus locis a Platone diſſeritur, nihil enim ille putat eſſe, quod oriatur,& intereat, idq. ſolum eſſe, quod ſemper tale ſit, qualem ideam appellat ille,nos ſpeciem: non potuit animus hoc in corpore incluſus agnoſcere: cognita attulit. Notionem *appello, quod Graeci, tum* ἔννοιαν, *tum* πρόληψιν *dicunt. Ea eſt inſita,& ante percepta cuiuſque formae cognitio, enodationis indigens.*] De eadem re idem Cicero in Academ. quaeſtionib. ita ſcribit. Inter ſcientiam,& inſcitiam,comprehenſionem illam, quã dixi,collocabat. Eamq. neque in rectis,neque in prauis numerabat, ſed ſoli credendum eſſe dicebat. Equo ſenſibus etiam fidem tribuebat, quod, ut ſupra dixi,comprehenſio facta ſenſibus, & uera eſſe, & fidelis uidebatur: non quod omnia,quae eſſent in re,comprehenderet, ſed quia nihil,quod cadere in eam poſſet, relinqueret. Quodq. natura quaſi normam ſcientiae, & principium ſui dediſſet, unde poſtea notiones rerum in animis imprimerentur,e quibus non principia ſolum, ſed latiores quaedam ad rationem inueniendam uiae reperiuntur. Et in Lucullo ait. Cetera autem ſimilitudinibus contruuit. Ex quibus efficiuntur notitiae rerũ,quas Graeci tum ἐννοίας, tum πρόληψις uocant. Et lib. primo Tuſc. quaeſt. Nec uero,inquit, fieri ullo modo poſſe, ut a pueris tot rerum,atque tantarum inſitas, & quaſi conſignatas in animo notiones quas ἐννοίας uocant, haberemus, niſi animus,antequam in corpus intrauiſſet, in rerum cognitione uigiſſet. De qua re plura Diuus Auguſtinus lib. octauo de Ciuitate Dei cap. ſeptimo,& ibi Ludouicus Viues. Inter notionem uero,& agnitionem, Diuus Hieronymus tom. nono, lib. primo in epiſtolam ad Epheſios, cap. primo,illud intereſſe ſcribit. Quod notio eorum ſit,quae ante non ſciuimus,ſed nunc ediſcimus; Agnitio eorum,quae olim ſcientes, obliti tamen poſtea recordamur. Quam differentiam,alios auctores ſecutus probat Becichemus, collectaneo-

rum

rum in Plinium pag. uigeſimatertia. Apud Iuriſconſultos diuerſa eſt huius nominis ſignificatio. Vnde Vlpianus l. nonageſimanona. ff. de uerb. ſign. Notionem accipere debemus, & cognitionem, & iuriſdictionem. V T *ſi quis ius in legem, morem, aequitatem diuidat.*] Viſorius putat, propoſitum, uitij oſtendendi cauſſa, quod in diuiſione committitur, quando uel non omnes ſpecies recenſentur, uel partes pro formis accipiuntur. Nam & ſenatuſconſulta, principum placita, edicta praetorum, res iudicatae, reſponſa prudentium, partes ſunt eiuſdem iuris, non formae. Latomus contra, Ius hoc loco interpretatur, non Ius ciuile, ſed ius genus, cuius ſit ſpecies ciuile ius. Itaque iuris formae, lex mos aequitas recte enumerantur. Ius ciuile ſuas partes habet, de quibus nunc non diſputauimus. FORMAS *qui putat idem eſſe, quod partes confundit artem.*] Certe Iuriſconſultos non ita anxie partium, & formarum ſeruare diſcrimen, Coraſius notat de iuris arte, prima parte cap. undecimo. SAEPE *etiam definiunt & oratores, & poetae per tranſlationem uerbi ex ſimilitudine, cum quadam ſuauitate.*] Quinctilianus lib. octauo cap. ſecundo, de perſpicuitate. Tranſlatio quoque, in qua uel maximus eſt ornatus, uerba non ſuis rebus accommodat. Et cap. ſexto plura. Et libro primo cap. nono. Propria ſunt uerba, cum id ſignificant, in quod primum denominata ſunt; Tranſlata, cum alium natura intellectum, alium loco praebent. SOLEBAT *igitur Aquillius collega, & familiaris meus, cum de litoribus ageretur, quae omnia publica eſſe multis.*] L. ſecunda, ff. de diuiſione rerum, & qualitate. Naturali iure, omnium communia ſunt illa, aer, aqua profluens, & mare, & per hoc litora maris. & l. 5. Riparum uſus publicus eſt iure gentium, ſicut ipſius fluminis. QVAERENTIBVS *iis, ad quos id pertinebat, quid eſſet litus, ita definire, qua fluctus eluderet.*] Quinctilianus lib. quincto, in fine. Nam & ſaepe plurimum lucis affert ipſa tranſlatio, cum etiam ipſi Iuriſconſulti, quorum ſummus circa uerborum proprietatem labor eſt, litus eſſe audeant dicere, qua fluctus eludit. Donatus in Terentij Eunucho, ſcena prima. Eludet ubi te uictum ſenſerit. Eludere ait proprium eſſe gladiatorum, cum uicerint. Et Cicero in Catilinam, Quamdiu, inquit, nos furor iſte tuus eludet. De litore Celſus. l. nonageſimaſexta. ff. de uerb. ſign. Litus eſt quo uſque maximus fluctus a mari peruenit. Idq. M. Tullium aiunt, cum arbiter eſſet, primum conſtituiſſe. Et l. centeſima duodecima Iabolenus ex Caſsio. Litus publicum eſt eatenus, quatenus maxime fluctus exaeſtuat, & effluit. Vbi de litore, & ripa multa ſcribit Alciatus. Et lib. nono Parerg. cap. uigeſimoprimo. Floridus lib. primo Lectionum ſucceſsiuarum, cap. decimo. Et Forcatulus, dialogo octuageſimo ſexto Necyomantiae. HOC *eſt quaſi qui adoleſcentiam florem aetatis ſenectutem occaſum uitae uelit definire.*] Virgilius in ſeptimo: Ante urbem pueri, & primaeuo flore iuuentus, Exercentur equis. Catullus: Cui cum ſit uiridiſsimo nupta flore puella. Terentius in Eunucho. Annis ſedecim, flos ipſe. Cicero Philip. ſecunda, Aetatis flore, non uirtutis ſpecie collecta gratia. Lucretius lib. 4. Frui flore aetatis. Ouidius lib. ſexto. Metam. Longae ſenectae extrema tempora.

CICERO

PARTITIONE *autem ſic utendum eſt, nullam ut partem relinquas: ut ſi partiri uelis tutelas, inſcienter facias, ſi ullam praetermittas: at ſi ſtipulationum, aut iudiciorum formulas partiare, non eſt uitioſum in re infinita praetermittere aliquid, quod idem in diuiſione uitioſum eſt. Formarum enim certus eſt numerus, quae cuique generi ſubiiciatur. Partium diſtributio ſaepe eſt infinitior, tamquam riuorum a fonte deducto. Itaque in oratorijs artibus quaeſtionis genere propoſitio, quot eius formae ſint, ſubiungitur abſolute: at cum de ornamentis uerborum, ſententiarumq. praecipitur, quae uocantur σχήματα, non fit idem. Res enim eſt infinitior, ut ex hoc quoque intelligatur, quod uelimus inter partitionem, & diuiſionem intereſſe. Quamquam enim uocabula prope idem ualere uideantur: tamen, quia res differebant, nomina rerum diſtare uoluerunt.*

EXPLANATIO

BOETII. LIB. IIII. EXPLICARE non poſſum, mi Patrici, quantas ſaepe in difficillimi operis curſu uires afferat amicitiae contemplatio, cum & his ſtudioſius componamus, quos repoſito penitus amore diligimus, & placere cupientibus multa ſe rerum copia ſubminiſtret. Huc accedit, quod ut quaeq. in mentem uenerint iniudicata, atque etiam incaſtigata promuntur, quandoquidem apud cari pectoris ſecretum nihil eſt periculi proferre, quod ſentias. Eſt igitur mihi cum tuam beneuolentiam ſpecto, pronum omne, atque, ut ita dicam, uoluptarium, quod in tuae praeſcriptum iucunditatis impenditur. Sed, cum me metipſe perpendo, uereor, ne imperato muneri par eſſe non poſsim, & deficientis culpa, in adhortantis cedat iniuriam. Quo fit, ut ibi etiam, atque etiam prouidendum ſit, ne tuis ipſe moribus emendatus, noſtri alicuius erroris ſarcinam feras. Noſtri oblatrantis morſus inuidiae, noſtri quam facillime in difficillimis cauſsis liuor iudicium ferat. Quaeſo igitur extremam noſtro operi manum communis negotij ſtudioſus imponas, abundantia reſeces, hiantia ſuppleas, errata reprehendas, ſis poſtremo noſtri laboris, tuaeq. adhortationis aſſertor, cum praeſertim ſecurum me peractum reddat officiũ, quo te amici pudor dignius poſsit conuenire, ſi diſplicet. Sed haec alias, nunc operis ſuſcepti tramitem perſequamur. Quoniã locorum in ipſis, de quibus quaeritur, terminis inhaerentium, alij ſunt a toto, alii a partibus, alij a nota, alij ex affectis. De eo quidem loco, qui eſt a toto, & in definitione eſt conſtitutus, ſufficienter diſſeruit ſuperiore tractatu: nunc de partium enumeratione dicere inſtituit, rectam ordinis uiam ſcilicet inſiſtens, ut non ſolum exemplo qualis eſſet partium enumeratio

meratio perdoceret,uerum ratione quoque oſtenderet,quo modo partium enumeratione in argumentationibus eſſet utendum.

SENSVS huiuſmodi eſt. Rerum quae partibus coniunguntur,aliae quidẽ paucas,ſed facile intelligibiles, comprehenſibileſq. partes habent, aliae uero plures,intellectuq. difficiles. In his igitur partibus, quae ſunt paucae, ac facile ſub intelligentiam cadunt,uel maximum uitium eſt, ſi partiendo aliquid relinquatur. In his uero,quarum,ut ipſe ait, infinitior numerus eſt, & confuſior perſpectio, minus uitioſum eſt, ſi qua diuidentem pars in enumeratione praetereat. Fit autem hoc non ſolum per eas res, quae aliquibus partibus conſtant, uerumetiam ſaepe per partes ipſas, quas in diſtributione partimur, ut ſi hominis corpus uelimus intellectu,ac ratione per propria membra diſiungere, faciemus ita, caput,humeros,manus,thoracem,uentrem, ſuras, atque pedes, & quoniam maiores partes ſumpſimus ad diuidendum, iccirco nihil praetermiſſum eſſe uidetur. At ſi minutiſsimas particulas perſequamur,tunc oculi quoque, & labia, & nares, atque aures, earumque partes perſequendae ſunt,idq. in toto corpore faciendum, eoq. modo difficilior erit partitio,cum ſit partium numerus infinitior. Saepe etiam,ut dictum eſt, res ipſae his partibus iunctae ſunt, quarum non ſit facilis inſpectio, ut ſi quis ſtipulationum,& iudiciorum formulas partiatur, uel etiam ſi figuras loquẽdi,quae σχήματα Graeci uocant, diuidi neceſſe ſit. Hic igitur ſi quid praetermiſſum ſit, non erit uitium partientis, quia partium natura multiplex ſaepius oſtendit errorem. At ſi quis genus diuidat, pernicioſum eſt aliquam praeterire formam, quoniam formarum finita quantitas eſt. Nam,quia ſemper in contrarium diuiduntur, aut duae ſunt ſemper ſpecies generis, aut tres,cum ea tertia, quae ſumitur ex contrariorum permiſtione perficitur, ut ſi colorem diuidamus, dicendum eſt ita: Coloris aliud eſt album, aliud nigrum,aliud medium. Id medium ex albi coloris,ac nigri commiſtione cõiunctum eſt, quamuis in quamlibet aliam coloris ſpeciem transferatur, ſeu purpurei,ſeu rubri,ſeu uiridis. Itaque,ſi tale eſt,quod diuidis, taleſq. ſunt partes,quas ad diuiſionem ſumis, quas non difficulter intelligentia comprehendat, uitium erit, ſi quid omiſeris,uelut ſi tutelas partiaris. Tutela quippe quattuor fere modis eſt: aut enim conſanguinitatis gradu, aut patronatus iure defertur, aut teſtamento patris tutor eligitur, aut urbani praetoris iuriſdictione formatur. & ſunt forſitan plures, ſed nunc iſtae ſufficiunt. Hic igitur & paucae partes, & facile comprehenſibiles: at ſi ſtipulationum formulas, & iudiciorum comprehendere uelis, quoniam multae in his partes ſunt, non erit uitioſum,ſi quid omiſeris. Improprium uero eſt exemplum partium, quod de tutelis eſt dictum: magis enim,ut genus in formas,quam ut totum in partes tutela diuiſa eſt. Nam,ſiue per conſanguinitatem ſit tutor,ſiue patronatus iure,ſiue ceteris modis, integrum tutelae ius habet,quod in ſingulis partibus non ſolet euenire, ut totius integrum capiant nomen, ſed ut conueniens uideatur exemplum, requirendae ſunt tales tutelarum partes, quae iunctae tutelas efficere poſsint,non quae ſingulae tutelae nomine deſignentur,quod neſcio, an quis quam iuriſperitiam profeſſus tales tutelae partes ediderit. Merobaudes uero rhetor ita intelligendum probabat,ut id, quod ait, partitione ſic utendum eſt, nullam ut partem praetermittas: de diuiſione dixerit,ideſt de una parte propoſitae partitionis. Nam & diuiſio,& per membra diſtributio partitio nuncupatur: in diuiſione enim uitioſum eſt,aliquid praetermittere,in partitione membrorum minime. Ita exemplum de tutelis ei partitioni accommodatum dedit, qui eſt diuiſionis. At ſi diuiſionem facias,ideſt formarum a genere partitionem, ſummum eſt uitium aliquid praetermittere, quoniam cum ſit finitus formarum numerus,ſi quid omiſſum ſit, inſcitia praeteritur: ut ſi oratorias quaeſtiones in formas diuidere uelimus, dicemus omnem rhetoricam quaeſtionem, aut de qualitate facti, aut de nomine. At ſi locutionum figuras, ſententiarumq. diſtribuam, non erit, ut dictum eſt, uitium tranſire aliquid, quandoquidem ſententiarum inter ſe,atque locutionum figurae, & multiplices, & uaria ratione diuerſae ſint. Hic quoque figurarum partes, non ita uidentur accipi poſſe, quemadmodum totius,ſed ut generis ſpecies: unaquaeque enim figurarum,quae infinitae ſunt,uelut figurae generalis ſpecies eſt,quod poſſumus intelligere ex his libris rhetorum,ubi de elocutione tractatur,nullae nãq. ſunt figurarum partes,quae figuras iungant, ita uti ſingulae figurae nomẽ uniuerſalis figurae nõ poſsint amittere. Sed obiici nobis poteſt,& quomodo infinitae ſunt figurae,ſi ſpecies ſunt?ſed reſpondebo leuiter: elocutione mutata figuram quoque mutari,atque iccirco in poteſtate eſſe dicẽtis figuras facere,quas is, qui tractat, difficile,antequam fiant,poſsit agnoſcere. Hae uero non ſubſtantialibus quibuſdam differentiis conſtituuntur, ſed potius accidentibus explicantur. Vnde fit, ut tunc communis nominis in ſignificationes partitio fieri uideatur, cum figura diuiditur potius,quam generis in ſpecies. Omnia uero ſignificata cuiuſque nominis diuiſione includere difficile eſt, quia noua plurumque finguntur: ſed ne id quidem rerum ratio permittit. Nam unaquaeque figura generalis figurae nomine,& definitione comprehenditur.quocumque enim modo figura definitur,eadem erit definitio etiam uniuſcuiuſque figurae,quae res unamquamque figuram uniuerſalis figurae ſpeciẽ eſſe declarat. Vniuoca enim ſunt ſpecies,& genus,ſed eſt illud uerius,partitionẽ figurarũ ad elocutionem ipſam Tullium retuliſſe,cuius pars quaedam eſt figura,nõ ſpecies.uariis enim multiplicibuſq. figuris elocutio luculenta contexitur. Si quis enim elocutionem partiri uelit in figuras,nõ genus in ſpecies, ſed totum ſecabit in partes. Quae cũ ita ſint,ex hoc quoque apparet,quid interſit inter diuiſionẽ, partitionẽque, cum partitio interdum talis ſit,ut,ſi quid in ea praetermiſſum ſit,nihil afferat uitij. Diuiſio uero formarum talis eſt,ut in ea non queat aliquid ſine culpa praeteriri. Quo factum eſt,ut, quia res differebant, diuerſa etiam uocabula rebus inter ſe diſtantibus inderentur.

GVEVARA. PARTITIONE *autem ſic utendum eſt.*] Vt,ſi partes multae non ſint,omnes enumerentur: Si uero infinitae, tum potiores enumeraſſe ſatis ſit. VT *ſi partiri uelis tutelas.*] Certe ſiue legitimus tutor ſit,ſiue teſtamentarius,ſiue alius quicumque,integrum tutelae ius habet. Quod partibus non ſolet

let conuenire, ut totius integrum nomen uindicent. Quare illud Boetius recte probat, quod Merobaudes dicebat, haec uerba; Partitione ſic utendum eſt, nullam ut partem praetermittas; de diuiſione accipienda, ideſt una parte propoſitae partitionis. Nam & diuiſio, & per membra diſtributio, partitio nuncupatur. Itaque exemplum de tutelis, ei partitioni accommodandum eſt, quae eſt diuiſionis. AT *ſi ſtipulationum.*] De quarũ formis, & diuiſione plura Inſtit. & ff. de uerb. oblig & Inſtit. de Diuis. ſtipulat. AVT *iudiciorum formulas partire.*] Olim certae quaedam actionum iudicialium formulae proponebãtur a praetore, cum iudicia dabantur litigatoribus: quae tum quod captioſae uiderentur: cadebat enim a cauſſa, quia ſyllaba cecidiſſet: tum quod infinitae, & uariae: namque pro cauſſarũ diuerſitate, de indiuiduis, & ſingularibus iudiciis, quae infinita ſunt, concipiebantur: ſublatae ſunt. Vnde lib. ſecundo. C. l. prima, tit. quinquageſimo octauo. De formulis, & impetrationibus actionum ſublatis, Imp. Conſtantinus. A. Iuris formulae, inquit, aucupatione ſyllabarum inſidiantes cunctorum actibus, radicitus amputentur. ITAQVE *in oratoriis artibus quaeſtionis genere propoſito, quot eius formae ſint ſubiungitur abſolutae:*] Tres autem tantum eſſe, omnes conueniunt: an ſit, quid ſit, quale ſit. AT *cum de ornamentis uerborum, ſententiarumq. praecipitur, quae uocantur* σχήματα, *non fit idem: res enim eſt infinitior,*] Schemata, ſiue figurae partim uerborum ſunt; partim ſententiarum. Et utriuſque generis multae formae. De quibus auctor ad Herennium lib. quarto. Cicero lib. tertio de Oratore: & in oratore ad Brutum. Et Quinctilianus lib. octauo, & nono. Verum hoc loco Cicero, figuras tamquam partes poſuit elocutionis. Itaque elocutionem uelut totum, oportet imaginari; cuius non formae, ſed partes ſchemata ſint & figurae, quae quidem infinitae ſunt. Atque ita Boetius, & Viſorius probauerunt. VT *ex hoc quoque intelligatur, quod uelimus inter partitionẽ, & diuiſionem intereſſe.*] Scilicet, ut in partitione non ſemper ſit uitium, aliquod membrum praetrmittere, cum ea aliquando ſint infinita. At, in diuiſione omnino inſcienter faciat, qui aliquam formam praetereat, cum formarum certus ſit numerus: quae cuique generi ſubiiciantur.

CICERO

MVLTA etiam ex notatione ſumuntur: ea eſt aũt cum ex ui nominis argumentum elicitur, quã Graeci ἐτυμολογίαν *uocant, ideſt, uerbum ex uerbo, ueriloquiũ. Nos autem nouitatem uerbi non ſatis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia ſunt uerba rerum notae. itaque hoc idem Ariſtoteles* σύμβολον *appellat, quod Latine eſt nota. Sed cum intelligitur quid ſignificetur, minus laborandum eſt de nomine. Multa igitur in diſputando notatione eliciuntur ex uerbo, ut cum quaeritur, poſtliminium quid ſit, non dico quae ſint poſtliminij. nam id caderet in diuiſionem, quae talis eſt: Poſtliminio redeunt haec, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frena recipere ſolet. Sed cũ ipſius poſtliminij uis quaeritur, & uerbũ ipſum notatur, in quo Seruius noſter, ut opinor, nihil putat eſſe notandum, niſi poſt, & liminium illud productionẽ eſſe uerbi uult, ut in finitimo, aeditimo non plus ineſſe timum, quam in meditullio tullium. Scaeuola autem Publij filius iunctum putat eſſe uerbũ, ut ſit in eo &, poſt, & limen: ut quae a nobis alienata ſunt, eum ad hoſtem peruenerint, & ex ſuo tamquam homine exierint, dein cum redierint poſt ad idem limen, poſtliminio uideantur rediiſſe. Quo in genere etiam Mancini cauſſa defendi poteſt, poſtliminio rediiſſe; deditum non eſſe, quoniam non ſit receptus: nam neque deditionem, neque donationem ſine acceptione intelligi poſſe.*

EXPLANATIO

BOETIVS. POST enumerationẽ partium recto ordine de notatione perpendit. Notatio igitur eſt, quoties ex nota aliqua rei, quae dubia eſt, capitur argumentum. Nota uero eſt, quae rem quamque deſignat. Quo fit, ut omne nomen nota ſit, iccirco, quod notam faciat rem, de qua praedicatur. id Ariſt. ſymbolũ nominauit. Ex notatione autem ſumitur argumentum: quoties aliquid ex nominis interpretatione colligitur. Interpretatio uero nominis etymologia Graece, Latine ueriloquium nuncupatur: ἔτυμον enim Graece uerum ſignificat, λόγος orationẽ. ſed, quia id ueriloquiũ minus in uſu Latini ſermonis habebatur, interpretationem nominis Tullius notationẽ appellat. ea eſt huiuſmodi, ut ſi quaeratur quid eſt poſtliminium: in qua quaeſtione nõ illud uidetur inquiri, quae res poſtliminio reuertantur, hoc enim in diuiſionem caderet, ideſt earum omnium rerum enumerationem, quae poſtliminio redeunt poſtularet, uelut ſi ita dicamus, poſtliminio redeunt, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frenos recipere ſolet, ideſt domita. Nunc enim enumeratae ſunt res, quae poſtliminio reuertantur. At, cum, quid ſit ipſum poſtliminium, quaeritur, poteſt ex ipſius nominis interpretatione cognoſci. Poſtliminio enim redit, quiſquis ab hoſtibus ad patriam remeauerit. Namque, dum captiuitatem hoſtium patitur, ius ciuis amittit: omnia uero iura cepit, ſi poſtliminio reuertatur. Ergo ex notatione nominis ita ius poſtliminij clareſcere poteſt. unde quia Poſt ſemper id ſignificat, quod retro relinquitur, Poſtliminij uocabulo quaedam reuerſio ſignificatur, ut Seruius probat, qui ex aduerbio Poſt uim nominis interpretatur, reliquam uocabuli partem protractionem ſolam eſſe confirmans. Nam in eo, quod eſt poſtliminium, ex eo, quod poſt eſt dictum, interpretationẽ nominis ſumit, liminium uero ſuperuacuo putat eſſe productum ad horum nominum formam meditullium prima enim pars medium ſignificat, tullium uero nihil, & legitimum, & aeditimum, in utriſque enim lex ibi, aedes ibi aliquid, itimum uero nihil omnino deſignat. Id uero nomen, quod eſt poſtliminium, Scaeuola P. filius ex aduerbio poſt, & limine putat eſſe compoſitum. Nam, quia ad idem limẽ, quod poſt reliquit, reuertitur is, qui poſtliminio redit, iccirco ex utriſque ſignificationibus arbitratur nomen eſſe coniunctum. Quaecũque enim a nobis alienata ad

hoſtem

hoſtem perueniunt, cum a noſtro limine exierint, ſi poſt ad idem limen reuertantur, poſtliminio redeunt. Quomodo etiam Mancini cauſſa defendi poteſt, quem cum populus Romanus ob foedus maledictum dediſſet, hoſtes eum ſuſcipere noluere. Qui cum reuerſus eſſet, poſtliminio rediiſſe uidebatur: icciroo, quia ſi eum hoſtes recepiſſent deditum a ciuibus, etiam ſi quoquo modo ab hoſtibus effugiſſet, non uideretur poſtliminio regreſſus. qui iudicio ciuium omni libertatis iure fuiſſet exſutus. Sed, quoniam nec deditio, nec donatio, praeter acceptionem uidetur poſſe conſiſtere, icciroo, qui ſuſceptus non ſit, ne deditus quidem intelligi poſſet. Recte ergo Mancinus, qui non deditus, in hoſtium, ſi eo uti mallent, peruenerat poteſtatem, is cum patriam remeauit, iure poſtliminio rediſſe defenſus eſt.

GVEVARA. Postiliminio *redeunt haec, homo, nauis, mulus clitellarius, equus, equa quae frena recipere ſolent.*] Lex quarta.ff. de Captiuis, & poſtliminio, & redemptis ab hoſtibus. Ex Modeſtino. Eos qui ab hoſtibus capiuntur, uel hoſtibus deducuntur, iure poſtliminij reuerti, antiquitus placuit. Et lege ſecunda Marcellus. Nauibus longis, atque onerarijs proter belli uſum poſtliminium eſt: non piſcatoriis, aut ſiquas actuarias uoluptatis cauſſa parauerunt. Equus item aut equa freni patiens recipitur poſtliminio: nam ſine culpa equitis proripere ſe potuerunt. Non idem in armis Iuris eſt, quippe, nec ſine flagito amittuntur. Arma enim poſtliminio reuerti negatur, quod turpiter amittantur. Quod Alciatus notat lib. 5. Parerg. cap. 18. Item ueſtis, ut Pomponius eſt auctor lege tertia, poſtliminio non recipitur. Idemq. de uxore, lege octaua, Paullus ſcribit. Non ut a patre filius, ita uxor a marito iure poſtliminij recuperari poteſt: ſed tunc, cum & uoluerit mulier, & adhuc alij poſt conſtitutum tempus nupta non eſt: quod ſi noluerit, nulla cauſſa probabili interueniente, poenis parricidij tenebitur: quamquam id durum uideatur Forcatulo Dialogo ſeptuageſimooctauo Necyomātiae, numero quincto. Et in ſphaera legali pag. ſeptima. Poſſeſsionem quoque poſtliminio non recuperari, ex Tryphonino lege duodecima, §. ſecundo, idem Forcatulus notat, in dicto Dialogo, numero primo. Et Alciatus de quinquepedum praeſcriptione, numero nonageſimo ſexto. Et de iuſto, & iniuſto poſtliminio Gellius lib. ſeptimo cap. 10. octauo. Et de poſtliminij origine, & iuribus Cicero pro Balbo. Et Alexan. ab Alex. libro quarto cap. decimo. Et Forcatulus Dialogo ſeptuageſimo ſexto.

Aeditimo.] Feſtus libro primo. Aeditus ſacrae aedis tutor, ideſt curam agens. Aeditimus, aedis intimus. Varro libro primo de Re ruſtica cap. ſecundo. Sementinis feriis in aedem telluris ueneram, rogatus ab Aeditimo, ut dicere didicimus a patribus noſtris; ut corrigimur a recentibus urbanis, ab aedituo. Gellius libro duodecimo. cap. decimo. Aeditimus uerbum Latinum eſt, & uetus; ea forma dictum qua finitimus, & legitimus. Sed pro eo a pleriſque nunc aedituas dicitur, noua & commentitia uſurpatione, quaſi a tuendis aedibus appellatus. Meditvllio.] Feſtus lib. undecimo. Meditullium, non medium terrae, ſed procul a mari, quaſi meditellium, ab eo, quod eſt tellus. Scaevola *autem P. F. iunctum putat eſſe uerbum, ut ſit in eo, & poſt, & limen: ut, quae a nobis alienata ſunt, cum ad hoſtem peruenerint, & ex ſuo tamquam limine exierint, dein cum cum redierint poſt ad idem limen, poſtliminio uideantur rediiſſe.*] Ac quidem Scaeuolae ſententia ab Iuſtiniano Imperatore combrobata eſt, lib. primo Inſtitut. tit. duodecimo, quibus modis ius patriae poteſtatis ſoluitur. Dictum eo, inquit, poſtliminium a limine, & poſt. Vnde eum, qui ab hoſtibus captus eſt, & in fines noſtros poſtea peruenit, poſtliminio reuerſum, recte dicimus. Nam limina ſicut in domo finem quendam faciunt: ſic & imperij finem eſſe limen, ueteres uoluerunt. Hinc & limen dictum eſt, quaſi finis quidam, & terminus, ab eo poſtliminium dictum eſt, quia ad idem limen reuertebatur, quod amiſerat. Qvo *in genere etiam Mancini cauſſa defendi poteſt poſtliminio rediiſſe, deditum non eſſe quoniam non ſit receptus.*] Hoſtilium Mancinum Numantius traditum, quod eorum legatos uiolaſſet, Accurſius in l. ſi ff. de legationibus, & Forcatulus Dialogo primo, numero tertio, ſcribunt. Sed rem aliter ſe habere, optimorum auctorum conſtat teſtimoniis. Eutropius lib. quarto, ait. C. Hoſtilius Mancinus Cos. iterum, cum Numantinis pacem fecit infamem, quam populus, & Senatus iuſsit infringi, atque ipſum Mancinum hoſtibus tradi, ut in illo, quaſi auctore foederis, uindicarent. Florrus Epitome. LV. Mancino auſpicia triſtia fuiſſe probatum eſt. uictus enim a Numantinis, & caſtris exſutus, cum ſpes nulla ſeruandi exercitus eſſet, pacem cum iis fecit ignominioſam: quam ratam eſſe Senatus uetuit. Triginta millia Romanorum, a Numantinorum millibus quattuor uicta erat. Cicero libro tertio de offic. prope finem. Eodem tempore. T. Minutius, Q. Aemilius, qui tum tribb. pl. erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti ſunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque huius deditionis ipſe Poſtumius, qui debebatur, ſuaſor, & auctor fuit. Quod idem multis annis poſt C. Mancinus, qui ut Numantinis, quibus cum ſine Senatus auctoritate foedus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, & quam L. Furius & Sex. Atilius ex Sc. ferebant: qua accepta, eſt hoſtibus deditus. Verum, quia Mancinus, cum a Numantinis non acciperetur, domum reuerſus eſt: an poſtliminio rediiſſe uideri poſſet, acriter controuerſum eſt. Modeſtinus lege quarta, de Captiuis, ſcribit. An qui hoſtibus deditus reuerſus, nec nobis receptus ciuis Romanus ſit, inter Brutum, & Scaeuolam uarie tractatum eſt. Et conſequens eſt, ut ciuitatem non adipiſcatur. Et Pomponius lege decima ſeptima ff. de legationibus, quem hoſtes non recepiſſent, quaeſitum eſt, an ciuis Romanus maneret, quibuſdam exiſtimantibus manere, aliis contra, quia, quem ſemel populus iuſsiſſet dedi, ex ciuitate expulſiſſe uideretur: ſicut faceret, cum aqua & igni interdiceret. In qua ſententia uidetur P. Mucius fuiſſe. Id autem maxime quaeſitum eſt in Hoſtilio Mancino, quem Numantini ſibi deditum non acceperunt. De quo tamen lex poſtea lata eſt, ut eſſet ciuis Romanus. & praeturam quoque geſsiſſe dicitur. Et Cicero lib. primo de Oratore. Et enim, inquit, ſi C. Mācinum, nobiliſsimum, atque optimum uirum, ac Conſularem, cum propter inuidiam Numantini foederis, pater patratus ex. S. C. Numantinis dediſſet, eumq. illi no recepiſſent, poſtea quam Mancinus domum reueniſſet,

ueniſſet,

ueniſſet, neque in ſenatum introire dubitaſſet. P. Rutilius, M. filius tr. pl. de ſenatu iuſsit educi, quod eum ciuem negaret eſſe, quia memoria ſic eſſet proditum, quem pater ſuus, aut populus uendidiſſet, aut pater patratus dedidiſſet, ei nullum eſſe poſtliminium. Adhuc tamen Mãcini cauſſam defendi poſſe Cicero ſcribit, quod deditus non uideatur, qui receptus non ſit: tum etiam, quod neque deditionem, neque donationem ſine acceptione intelligere poſsimus: quod & Paullus probat lege decima, ff. de Donationibus. Idque, ut ego exiſtimo, benigna iuris interpretatione, atque in cauſſa nobiliſsimi, atque optimi uiri, & conſularis: quem ueriſimile non ſit rempub. uoluiſſe expellere. Nam, quod pro certo Alexander ab Alex. ſumit, libro 4. Gen. dier. cap. x. Deditis, ſi ab hoſtibus ſuſcipiantur, Ius poſtliminij non eſſe: ſi uero recepti non ſint, conſentire omnes, cum eis poſtliminium eſſe: mihi dubium eſt & incertum.

CICERO

SEQVITVR *is locus, qui conſtat ex iis rebus, quae quodam modo affectae ſunt ad id, de quo ambigitur, quem modo dixi in plures partes diſtributum. Cuius primus eſt locus ex coniugatione, quam Graeci συζυγίαν uocant, finitimus notationi, de qua modo dictum eſt: ut, ſi aquam pluuiam eam modo intelligeremus, quam imbri collectam uideremus, ueniret Mucius, qui, quia coniugata uerba eſſent pluuia & pluendo, diceret omnem aquam oportere arceri, quae pluendo creuiſſet.*

EXPLANATIO

BOETIVS. EVM locum, qui in ipſis, de quibus quaeritur, inhaereret, in quattuor differentias ſupra diſtribuit, a toto, ab enumeratione partium, a nota, ab affectis. Sed, quoniam diligẽter de ſuperioribus tribus paullo ante tractauit, nunc quartum locum, id eſt affecta perſequitur. Et, quoniam locus ab affectis in plurimas differentias ſoluebatur, quarum prima a coniugatis propoſita eſt: primum loquitur de coniugatis, quae multum a notatione non differunt: nam, quia notatio ex ui nominis trahitur, Itemq. coniugatio ſimilitudine uocabuli continetur, aliquid inter ſe ueluti confinium tenent: ſed hoc intereſt, quia notatio expoſitione nominis, coniugatio ſimilitudine uocabuli, ac deriuatione perficitur: &, quoniam facilis & intellectu, & tractatu locus eſt, tantum ponere ſufficit exemplum, quod huiuſmodi eſt, aqua pluuia eſt, quae pluendo colligitur, & creſcit. Pluendo uero, atque pluuia coniugata ſunt, in uno enim eodemq. uocabulo diuerſus nominum terminus differentiam facit. Item ius eſt aquam pluuiam arceri, ideſt, ut, ſi in alicuius agro pluuia colligatur, & in alterius agrum defluat, eaq. uicini frugibus nocitura concreſcat, arceat eam ſuis finibus ille, qui id ſua putat intereſſe ne defluat. Si fluuius igitur pluuia creuerit, quaeritur an debeat arceri; reſpondet, inquit, Mucius, quoniam aqua pluuia a pluendo dicta ſit; etiam fluuium quoque, qui pluendo creuerit, aquam eſſe pluuiam, atque arceri debere.

GVEVARA. FINITIMVS *notationi,*] Et tamen eo diſtans, quod notatio ſit, nominis interpretatione ut, poſſeſsio dicta eſt, quaſi pedum poſitio. Coniugatio, deriuatione uocum conſtat, pluuia, pluere, pluendo. VT, *ſi aquam pluuiam eam modo intelligeremus, quam imbri collectam uideremus,*] Vlpianus l. prima, §. primo, ff. de aqua & aq. pluu. arc. Aquam pluuiam dicimus, quae de caelo cadit, atque imbre excreſcit: ſiue per ſe haec aqua caeleſtis noceat, ut Tubero ait, ſiue cum alia mixta ſit. VENIRET *Mucius, qui, quia coniugata uerba eſſent pluuia, & pluendo, diceret omnem aquam oportere arceri, quae pluendo creuiſſet.*] Modo ea manu noceat, non naturaliter. Vlpianus l. prima, §. duodecimo, ff. eodem titulo. In Summa, inquit, puto ita demum aquae pluuiae arcendae locum actionem habere, ſi aqua pluuia, uel quae pluuia creſcit, noceat non naturaliter, ſed opere facto: niſi ſi agri colendi cauſſa id factum ſit. Imbre autem creſcere eam aquam, quae colorem mutat, uel increſcit. Alias ſequeretur, & fluuium arcendum, qui pluendo creuiſſet; quod uel ipſum Trebatium negaſſe, Paullus ſcribit, l. undecima, §. quincto, ff. eod. tit. Trebatius exiſtimat, inquit, ſi de eo opere agatur, quod manu factum ſit: omnimodo reſtituendum id eſſe ab eo, cum quo agitur. Si uero ui fluminis ager deletus ſit, aut galera iniecta, aut foſſa limo repleta: tunc patientiam dumtaxat praeſtandam.

CICERO

CVM *autem a genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id uſque a capite acccerſere. ſaepe etiam citra licet, dummodo ſupra ſit, quod ſumitur, quam id, ad quod ſumitur: ut aqua pluuia ultimo genere ea eſt, quae de caelo ueniẽs creſcit imbri: ſed propriore loco, in quo quaſi ius arcendi continetur, genus eſt, aqua pluuia nocens: eius generis formae, loci uitio & manu nocens: quarum altera iubetur ab arbitrio coerceri, altera non iubetur.*

EXPLANATIO

BOETIVS. TALIS generum, ſpecierumq. intelligitur eſſe natura, ut, cum colliguntur, uel etiam diuiduntur ab indiuiduis per ſpecies, & genera, uſque ad maxima genera poſsit adſcendi. Itemque, a maximis generibus per infra poſita genera, ac ſpecies uſque ad indiuidua ualeat eſſe deſcenſus. Id uero uno claro fiet

exemplo: Cicero quippe indiuiduum eſt, huius ſpecies homo, huius genus animal, huius ſuperius genus eſt corpus animatum: & ſi longius aſcendas, corpus alterius genus inuenies, ſi prolixius egrediare, ſubſtantia ultimi loco generis occurrit. Cum igitur multa ſunt genera, ſi cuiuſlibet ſpeciei genus aſsignandum ſit, non neceſſe erit, inquit, maxima, & principalia genera ſemper exquirere, uerum eorum quoque aliquid, quae in medio locata ſunt, oportebit adhibere, illa tamen ratione ſeruata, ut ſemper genus ſuperius ſit eo, ad quod praedicatur, ut genus. Extrema quippe inſcitia eſt, ſi, dum genus ſemper natura ſpeciebus propriis ſuperponatur, loco generis id, quod eſt inferius, collocetur. Quo circa uitioſum eſt, ſi quis corporis genus dicat eſſe corpus animatum; quo fit, ut, ſi ad ſpeciem aptandum eſt genus eorum, quae ſuperiora ſint, aliquid aptemus: & non erit neceſſe ultimum ſemper genus adhibere, ut, ſi homini genus proprium praeponere uelimus, non neceſſe eſt, ut ſubſtātiam praeponamus, ſed uel corpus, uel corpus animatum, uel, quod maxime fieri oportet, animal. Illa enim ſemper genera ſumenda ſunt, quaecumque proxima formis adhaerēt, eaq. in definitione maxime requiruntur, ſed in argumentationibus nihil differt, utrum proximum eligas, an ſuperius genus. Nam, quoniam ex continenti fit argumentatio, plus continet id, quod eſt ſuperius genus. quo circa, ſi de homine aliquid ambigitur, & a genere argumentandi ſumitur locus, quidquid de animali dicetur, id etiam de homine praedicabitur. Quo fit, ut, ſi quid etiam de animato corpore praedicetur, idem de homine dici poſsit; ut igitur argumentationes ex proximis generibus fiunt, ita etiam ex ulterius conſtitutis: ſed in his omnibus illud eſt, quod maxime conſiderandum uidetur, ne id, quod eſt inferius, ſuperiori proponatur, ut genus. Et ſententia quidem talis eſt. quod uero ad exemplum attinet, declarabitur hoc modo: Sit aqua pluuia, ea, quae deiecto de caelo imbri colligitur. huius ſpecies duplex eſt: alia enim aqua pluuia nocens eſt, alia non nocens. Nocentis quoque duplex ſpecies eſt, alia manu, alia uitio. Sed aqua pluuia manu nocens eſt, quae ita loco aliquo excipitur, ut inde profluens uicino noceat; ſi locus is non ſit naturaliter talis, ſed manu hominis excipiendae aquae fuerit apparatur. Vitio uero quoties naturaliter ita ſeſe locus habet, ut excipere aquam poſsit, & nocere uicino. Si eius igitur aquae, quam quis arceri uelit, ne ſibi noceat, ac uicino, genus uelit exquirere, non neceſſe eſt ab ultimo uſque genere deducere, ut dicat aquae eius, quam quis uelit arceri, genus eſſe aquam pluuiam; ſed poteſt id, quod inquirit genus, paullo inferius inuenire, ut huius aquae, quā arceri deſiderat, id genus eſſe dicat, quod eſt aqua pluuia nocens. Quod, ſi genus proximum quaerat, illud poterit adhibere, quod eſt aqua pluuia manu nocens; hoc enim arcere quis cogitur, quod manu fit noxium; quod uero loci forma, uel uitio incommoditatis aliquid apportat, arcere non cogitur. Quod autem diximus eius aquae, quam arceri oporteat, genus eſſe aquam pluuiam manu nocentem; ita intelligendum eſt, ſi aqua, quae arceri debet, plurima ſub ſe habeat indiuidua, & ſimilia: tunc demum enim eius aqua, quae arceri debet, aqua pluuia manu nocens genus eſſe poterit. Quod ſi aqua, quae arceri debet, in nulla indiuidua deducatur, ipſa eſt indiuidua, nec eius genus eſt aqua pluuia nocens manu, ſed ſpecies. quod ſi cui paullulum uidetur obſcurius, hic, ſi eos commentarios, quos de genere, ſpecie, differentia, proprio, atque accidenti compoſuimus, libris quinque digeſtos, inſpexerit, nihil horum poterit incurrere, quo caliget.

GVEVARA. Cvm *autem a genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id uſque a capite accerſere: ſaepe etiam citra licet,*] Ex his uerbis Boetius, & Viſorius, & Barba notant, nō unicum eſſe genus, ſed quodam ſupremum, ſiue, ut quidam aiunt, generaliſsimum, quod ſemper genus ſit, numquam ſpecies: cum nullum maius eo ſit, nulliq. ſubiiciatur, ſed omnia illi in ſuo ordine ſuppoſita ſint: ut eſt ſubſtantia. Alterum intermedium, quod ad ſupremum illud relatum, ſpecies eſt: ſed, ſi ad indiuidua, uel inferiora quaeque conferatur, genus eſt. Petrus eſt indiuiduum: huius ſpecies homo: huius genus animal: huius ſuperius genus corpus animatum: ſubſtantia denique ultimi loco generis occurrit. Animal, ſubſtantiae ſpecies; homini genus eſt. Itaque, ſi cuiuſlibet ſpeciei genus aſsignandum eſt, non neceſſe erit, maxima & prima genera ſemper exquirere, ſed eorum, quae in medio ſunt, aliquod ſat erit adhibere. Vt, ſi homini genus proprium praeponendum eſt, non eſt neceſſe praeponere ſubſtantiam, ſed uel corpus animatum, uel certe animal. Dvmmodo *ſupra ſit, quod ſumitur, quam id, ad quod ſumitur,*] Ideſt, ut Boetius explicat, illa ratione ſeruata, ut ſemper genus ſuperior ſit eo, ad quod praedicatur ut genus. Extrema quippe inſcitia eſt, ſi, dum genus ſemper natura ſpeciebus ptopriis ſuperponatur, loco generis id, quod eſt inferius, collocetur. Eſt ſupremum genus aqua pluuia, quae de caelo ueniens creſcit imbri: huius ſpecies ſunt aqua pluuia nocens: aqua pluuia non nocens. Sed ea, quae nocet, genus fit rurſus, eiuſq. ſpecies ſunt, manu nocens, & loci uitio nocens. Si quis igitur arcendam contendat aquam; non oportebit accerſere primum genus aquam pluuiam; ſed de ea, quae noceat tantum, diſputabit. Aqva *pluuia ultimo genere ea eſt, quae, de caelo ueniens, creſcit imbri:*] Idq. l. 1. §. 1. ff. de aqua & aq. pl. arc. comprobatum eſt. De imbre autem Non. Marcell. de proprietate ſermonum, cap. de impropriis, ſcribit. Imbres conſuetudo agmen caeleſtium aquarum, & pluuiarum induxit ſolum dici; cum auctoritas uariet. Sed *pro priore loco, in quo quaſi ius arcendi continetur, genus eſt, aqua pluuia nocens: eius generis formae, loci uitio, & manu nocens:*] l. 1. §. 1 x. ff. eod. tit. idem aiunt, ſi aqua naturaliter decurrat, aquae pluuiae arcendae actionem competere. & §. 11. huic illud etiam applicandum, numquam competere hanc actionem, cum ipſius loci natura nocet. Nam, ut uerius quis dixerit, non aqua, ſed loci natura nocet. Et §. 12. in ſumma puto ita demum aquae pluuiae arcendae locum actionem habere, ſi aqua pluuia, uel quae pluuia creſcit, noceat non naturaliter, ſed opere facto. Qvarvm *acera iubetur ab arbitro coerceri, altera non iubetur.*] l. prima, §. denique, ff. eod. tit. Othomanus ad leges duodecim tab. tertia parte, cap. 22.

CICERO

COMMODE etiam tractatur haec argumẽtatio, quae ex genere ſumitur, cum ex toto perſequare partes, hoc modo: Si dolus malus eſt, cum aliud agitur, aliud ſimulatur, enumerare licet, quibus id modis fiat: deinde in aliorum aliquem id, quod arguas dolo malo factum, includere: quod genus argumenti in primis firmũ uideri ſolet.

EXPLANATIO

BOETIVS. DICTVM eſt, quemadmodum genus ad ſpeciem debeat aptari, atque in eo praeſcriptum eſt, ut niſi id, quod eſt ſuperius, adhiberi non debeat. Nunc illud adiungitur, quemadmodum eius loci, qui a genere dicitur, argumentationibus commodior uſus eſſe poſsit. quotieſcumque enim de re aliqua dubitatur, ſi facta generis alicuius diuiſione ſub aliqua eius generis parte id, de quo ambigitur, potuerimus includere, tunc a genere tractum eſſe argumentum uidetur, hoc modo: Sit dolus malus, quando aliud agitur, aliud ſimulatur. Huius eſt ergo, ſi ſpecies diuidantur, & id, quod factum arguimus alicui earum ſpecierum, quae a dolo malo deductae ſunt, potuerimus adiungere, quidquid de dolo malo exiſtimabitur, id etiam de ea re, quã arguimus, neceſſe eſt iudicari. Et factum eſt argumentum a genere: nam, de quo quaeritur, ſpecies eſt; & id, a quo ſumitur argumentum, genus eſt, ſcilicet, ſi ita contigit dolus malus. Locus uero hic ab eo, qui eſt a partium enumeratione, diuerſus eſt, nec ſi enumeramus partes, ideſt formas, ac ſpecies, iccirco non a genere, ſed ab enumeratione partium ducitur argumentum. Quoties enim ipſa partium enumeratione utuntur ad argumentationem, tunc ab eadem partitione argumentum tractum eſſe dicimus, ut, hoc modo: Si fundamenta, & parietes, & tectum habet, & habitationi eſt deſtinatus locus, domus eſt: ipſa igitur partitione utentes domum eſſe probauimus. Quoties uero ſub genere aliquid collocandum eſt, diuiſiſq. partibus alicui eorũ, quae a genere deducuntur, id, de quo quaeritur, aggregamus, ut, hoc modo: Si Ciceronem animal eſſe monſtremus, dicemus ita: Omne animal aut rationale eſt, aut irrationale. Sed Cicero rationalis eſt, animal igitur eſt. Non partitione utimur principaliter ad argumentum conſtituendum: ſed iccirco genus diuiſimus, ut in unãquamlibet diuiſionem, id, quod nitebamur oſtendere, poſſet includi, id eſt, ut id, de quo dubitatur, in aſſumpti continentiam generis redigeretur, atque de eo per generis naturam fides fieret. ſic ergo a genere facta argumentatio iure dicetur. Amplius partium enumeratio totius efficere ſubſtantiam ſolet, ſiue illud uniuerſale ſit, ut genus, ſiue partium coniunctione copuletur, ut totum. At uero haec diuiſio generis, in cuius parte quaelibet illa res, de qua contenditur, includenda eſt, non id efficit, ut totius ſubſtantia conſtituatur, ſed, ut illud, quod approbare quaerimus, intra genus locetur. Quem argumentationis modum in primis M. T. ualidum eſſet confirmat. Illa enim regula ſatis uera eſt, ac neceſſaria, quae de genere praedicantur, eadem de ſpecie modis omnibus praedicari. Illud uero quaeri perutile eſt, cum aliquid de particularibus rebus probatur, ex ſuperpoſita proxima ſpecie: ut, ſi Socratem rationalem eſſe probamus, quoniam ſit homo, cum ſit homo rationalis, utrum ex genere, an ex forma argumentum dictum eſſe arbitremur. Nam, ſi dicamus ex genere, ultima ſpecies genus non eſt: ſi ex ſpecie, ſuperpoſitum genus ſemper ſpecies probare deſiderat. Socrates uero, cui fidem praeſtat homo, quoniam rationalis eſt, genus hominis non eſt; ſed dicendum eſt, quoniam ueluti a genere tractum uidebitur argumentum. Nam ex genere, quaſi ex continenti, atque ampliore, & de ſubſtantia praedicato fides ducitur. quam ſortem ad ſua indiuidua ſpeciem nemo dubitat obtinere. Nam & continet ea, & de eorum ſubſtantia praedicatur.

GVEVARA. CVM *ex toto perſequare partes,*] Nec ob id tamen ab enumeratione partium dicetur argumentum, ut bonis rationibus Boetius, & Viſorius probant. SI *dolus malus eſt, cum aliud agitur, aliud ſimulatur,*] Hanc doli mali definitionem libro ſingulari defendimus, quem iamdudum praelo commiſimus.

CICERO

SIMILITVDO ſequitur, quae late patet: ſed oratoribus, & philoſophis magis, quam uobis. Etſi enim omnes loci ſunt omnium diſputationum ad argumenta ſuppeditanda, tamen aliis diſputationibus abundantius occurrunt, aliis anguſtius. Itaque genera tibi nota ſint: ubi autem his utare, quaeſtiones ipſae te admonebunt. Sunt enim ſimilitudines, quae ex pluribus collationibus perueniunt quo uolunt, hoc modo: Si tutor fidem praeſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Haec ex pluribus perueniens, quo uult, appellatur inductio, quae Graece παραγωγὴ notatur, qua plurimum eſt uſus in ſermonibus Socrates. Alterum ſimilitudinis genus collatione ſumitur, cum una res uni, par pari comparatur, hoc modo: Quemadmodum, ſi in urbe de finibus cõtrouerſia eſt, quia fines magis agrorum uidentur eſſe, quam urbis, finibus regendis adigere arbitrum non poßis; ſic, ſi aqua pluuia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum eſt, aquae pluuiae arcendae adigere non poſſis arbitrum. Ex eodem ſimilitudinis loco etiam exempla ſumuntur, ut Craſſus in Curiana cauſſa exemplis plurimis uſus eſt, agens de eo, qui teſtamento ſic heredem inſtituiſſet, ut, ſi filius natus eſſet in decem menſibus, iſq. mortuus prius quam in ſuam tutelam ueniſſet, ſecundus heres hereditatem obtineret: quae commemoratio exemplorum ualuit, eaq. uos in reſpondendo uti multum ſoletis. Ficta etiam exempla ſimilitudinis habent uim: ſed ea oratoria magis ſunt, quam ueſtra: quamquam uti etiam uos ſoletis, ſed hoc modo: Finge mancipio aliquẽ dediſſe id, quod mancipio dari non poteſt, num iccirco id eius factum eſt, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem ſe ulla re obligauit? in hoc genere oratorib. & philoſophis conceßum eſt, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab infe-

ris excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo poſſit, augendae rei gratia dicatur, aut minuendae, quae ὑπερβολὴ dicitur, & multa mirabilia alia. Sed latior eſt campus illorum, eiſdem tamen ex locis (vt ante dixi) & in maximis, & in minimis quaeſtionibus argumenta ducuntur.

EXPLANATIO

BOETIVS. De ſimilitudinis loco plane, atque expedite diſſeruit, omnemq. aperuit intellectum, ſimilitudinem diuidens formas, praeſcripſitq. apertiſsime, quibus magis ex ſimilitudine argumenta contingerent, ideſt, philoſophis, atque oratoribus. Et enim ſimilitudo perſuaſionibus uidetur aptiſsima. Nam, quod in unam, uel plures extra eam, de qua quaeritur, cauſſam cadere ſolet, facile credi poteſt in eam quoque, de qua ambigitur, conuenire. Iccirco ex ſimilitudine tractae argumentationes magnum oratoribus uſum praeſtant; philoſophis quoque, quoniam non in omnibus quaeſtionibus demonſtratione utuntur, ſed aliquoties uniuerſalia colligunt, quo id facilius perſuadeant, quod nituntur oſtendere: inde ſimilitudo rerum ſaepe eſt conquirēda. Atque iccirco locus a ſimilitudine oratoribus maxime, philoſophiſq. conducit, non tamen ſolis. Omnes enim loci communes ſunt cuiuſque materiae, ſed in alias uberius incidunt, in aliis anguſtius inueniūtur. Quocirca, cognitis, atque ante perceptis locis, quaeſtiones ipſae, quae tractabūtur, quibus uti debeat, ſollertem animum poterunt admonere. Omnis uero ſimilitudo duplex eſt. aut enim ex pluribus rebus ſimilitudo colligitur, & inductio nuncupatur, quod Graeci ἐπαγογὴν nominant, aut ſingulae res per ſimilitudinem comparantur. ac prior quidem huiuſmodi eſt: Si tutor fidem praeſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaueris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator: nam, cum in talibus rebus fides praeſtari debeat, unaq. ſimilitudo ſit in fide praeſtanda, tam in tutore, quam ſocio: atque ei, cui mandatum ſit, eiq. qui fiduciam accepit, debet eadem ſimilitudo procuratori etiam conuenire. Fiduciam uero accepit, cuicumque res aliqua mancipatur, ut eam mancipanti remancipet, uelut, ſi quis tempus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet, ut ei, cum tempus, quod ſuſpectum eſt, praeterierit, reddat: haec mancipatio fiduciaria nominatur; iccirco, quod reſtituendi fides interponitur. Hac ſimilitudinis collectione plurimum Socrates eſſe uſus dicitur, ut in Platonis, aliorumq. eius ſectatorum uoluminibus inuenitur. Quoties uero una res uni rei per ſimilitudinem comparatur, hoc modo colligitur argumentum: Regendorum finium arbitri eſſe dicuntur, qui finalia litigia diſcernunt; ut, ſi fuerit de finibus orta contentio, eorum dirimatur arbitrio, ſed fines in agrorum tantum limitibus eſſe dicuntur; arbitri autem finium regundorum in ciuitate eſſe non poſſunt. Item arceri aquam in agris tantum dici ſolet, ubi ſi ex aliquo loco aqua pluuia colligatur, & defluens in campos uicini, paſcua, fruges ue corrumpat, arbitri arcendae aquae a magiſtratibus ſtatuebantur; quaeritur ergo, an in urbe arcendae aquae arbitrum poſsimus adigere. Et argumentum capitur ex ſimilitudine, ſi regendorum finium, quia ſolius agri ſunt, in urbe arbitrum adigere non poſsis; ne aquae quidem arcendae, quia ſolorum eſſe uidetur agrorum, in urbe arbitrum poſsis adigere. Hic igitur una res, uni rei ſimilitudine coniuncta eſt. ex eodem ēt ſimilitudinis loco illa ſumi Cicero proponit, quae uocātur exempla, ueluti Craſſus in cauſſa Curiana, quae fuit huiuſmodi: Quidam praegnantem uxorem relinquens ſcripſit heredem poſtumum, eiq. alium ſubſtituit ſecundum, qui Curius uocabatur, ea condicione, ut, ſi poſtumus, qui intra menſes decem proximos naſceretur, ante moreretur, quam in ſuam tutelam perueniſſet, ideſt, ante obiret diem, quam teſtamentum iure facere poſſet, ſecundus heres ſuccederet; quod, ſi ad id tempus perueniſſet, quo iam firmo iudicio in ſuam tutelam receptus iure ciuili inſtituto poſſet herede defungi, ſecundum heres, ideſt, Curius non ſuccederet, quae uocatur ſubſtitutio pupillaris: quaeſtio eſt, an ualeret ita inſtituta ratio. Craſſus igitur plurima protulit exempla, quibus ita inſtitutus heres obtinuiſſet hereditatem, quae exemplorum commemoratio iudices mouit. Dicit etiam ipſos quoque iuriſconſultos uti ſaepius exemplis, ueluti cum fingitur propoſitio, uel cauſſa, ut caſus, de quo agitur per ſimilitudinem, intelligatur, hoc modo: Si quis enim iuriſperitis adiiciat id, quod non iure contractum eſt, nullius eſſe momenti; adhibeatq. exemplum tale, uelut ſi quis rem non mancipi mancipauerit, num iccirco aut rem alienauit, aut ſe eo facto potuit, obligaſſe? Minime. Quod enim non iure contractum eſt, nil retinet firmitatis, & alia huiuſmodi apud iuriſperitos inueniuntur, in quibus oratores maxime ualent, quibus etiam intantū fingere licet, ut eorum oratione etiam mortui ſaepe ab inferis excitentur. quod Tullius in ea facit oratione, qua Coelium defendit. Sed latior, inquit, eſt illorum campus, id eſt oratorum, quibus ſpatiari, ac deuagari licet: nec iccirco minus ceteris quoque facultatibus ſimilitudines proſunt, quoniam eadē argumenta maximis, minimiſq. cauſsis conueninnt. Quo fit, ut loci quoque argumentorum diuerſarum artium quaeſtionibus accommodentur.

GVEVARA. Si *tutor fidem praeſtare debet,*] Coraſius de iure ciuili in artem redigendo. Secunda parte, cap. ſexto, ex Ciceronis lib. tertio de Officiis, & in Orationibus pro Roſcio Comoedo, & pro Caecina. Quartum, inquit, pietatis membrum eſt in pupillos: quorum tutela nobis credita eſt, & quam qui fraudaſſet, iudicium exiſtimationis, & poenae capitis, olim ſubibat. Si qvi *fiduciam acceperit,*] Cicero pro Roſcio Comoedo. Si qua enim ſunt priuata iudicia ſummae exiſtimationis, & paene dicam capitis: tria haec ſunt, fiducia, tutelae, ſocietatis: aeque enim perfidioſum, & nefarium eſt, fidem frangere, quae continet uitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & ſocium fallere, qui ſe in negotio coniunxit. Et pro L. Flacco. Pecuniam adoleſcentulo grandi fenore, fiducia tamen accepta occupauiſti. Hanc fiduciam commiſſam tibi tenes hodie, ac poſsides. Et lib. 7. Epiſtolarum ad diuerſos, epiſt. duodecima. Vbi porro illa erit formula fiduciae, ut inter bonos bene agier oportet? Et lib. 3. de Nat. Deo. Inde tot iudicia de fide mala, tutelae, mandati,

pro

pro ſocio, fiduciae, reliqua. Et lib. tertio de officijs: Q. quidem Scaeuola Pont. Max. ſummam uim eſſe dicebat in omnibus iis arbitris, in quibus adderetur. *Ex fide bona*. Fideiq. bonae nomen exiſtimabat manare latiſsime, idq. uerſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus empti, uenditis, conductis, locatis. Briſſonius de uerb. ſig. lib. ſexto, ſcribit, apud Paullum lib. primo Receptarum ſententiarum, tit. nono, & lib. ſecundo, tit. decimotertio. & lib. tertio, tit. octauo. Fiduciam pro pignore accipi. Sed certe, ut bene Cuiacius ad Paullum notat. Fiducia eſt pignus, quod creditori mancipatur, aut in iure creditur, ea lege, ut ſoluta ad diem pecunia remancipetur; non ſoluta creditori pleno iure committatur, ideſt lege commiſſoria. Et hanc differentiam pignoris, & fiduciae, Iſidorum lib. quincto etymolog. recte tradidiſſe Cuiacius ait, atque ita interpretandum illud Ciceronis in Oratione pro Flacco. Quid autem ſit fiduciarius pater, tutor, heres, ſeruus, emptor, item fiduciam contrahere, uel interponere, Briſſonius, & Othomanus abunde tradiderunt. HAEC *ex pluribus perueniens quo uult, appellatur inductio, quae Graece* ἐπαγωγὴ *nominatur, qua plurimum eſt uſus in ſermonibus Socrates.*] Cicero lib. primo de Inuent. Inductio eſt oratio, quae rebus in dubiis captat aſſeſsionem eius, qui cum inſtituta eſt: quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur. Et poſt pauca. Ita hoc genus argumentandi tripartitum. Prima pars conſtat ex ſimilitudine una, pluribusue. Altera ex eo, quod concedi uolumus, cuius cauſſa ſimilitudines adhibitae ſunt. Tertia ex concluſione, quae, aut confirmat conceſsionem, aut, quod ex ea conficitur, oſtendit. Quinctilianus lib. quincto, cap. undecimo. Nam idem omnem argumentationem diuidit in duas partes, Inductionem, & ratiocinationem, ut plerique Graecorum in Παράδιγματα, & Ἐπιχειρήματα, dixeruntq. Παράδιγμα ῥητορικὴν ἐπαγωγήν. Nam illa quamplurimum eſt Socrates uſus, hanc habuit uiam, cum plura interrogaſſet, quae fateri aduerſario neceſſe eſſet, nouiſsime, id, de quo quaerebatur, inferret, cui ſimile conceſsiſſet. Ideſt inductio. Ariſtoteles lib. primo Topic. cap. decimo. Inductio eſt a ſingularibus ad uniuerſalia acceſſio, ut ſi eſt gubernator ſciens optimus: & auriga, & omnis circa unum quodque ſciens optimus eſt. Eſt autem inductio credibilior & manifeſtior, & ſecundum ſenſum notior, & multis communis: Syllogiſmus uero uiolentior, & ad contradicentes efficacior. Et lib octauo Topic. cap. ſecundo. & lib. ſecundo Reſolutoriorum primorum, cap. uigeſimo tertio. Et lib. primo Rhet. cap. ſecundo, ſatis multa de Indiction: qua plurimum Socratem uſum: idem Ariſtoteles ait, lib. decimo tertio Metaphyſic. cap. quarto. Duo namque ſunt, inquit, quae Socrati iure proprio attribuat, quiſpiam, inductiuas orationes, & definitionem uniuerſalis.

ALTERVM *ſimilitudinis genus collatione ſumitur, cum una res uni, par pari comparatur,*] Sic lib. primo de Inuent. Comparabile eſt, quod in rebus diuerſis ſimilem aliquam rationem cõtinet. Eius partes ſunt tres, Imago, collatio, exemplum. Imago eſt. Oratio demonſtrans corporum, aut naturarum ſimilitudinem. Collatio eſt Oratio rem, cem re ex ſimilitudine conferens. Exemplum eſt, quod rem auctoritate, aut caſu alicuius hominis, aut negotij confirmat, aut infirmat. QVEMADMODVM *ſi in urbe de finibus controuerſia eſt,*] Simile eſt in utroque iudicio, arbitrum adigere, cum utrumque ſit agrorum. Alias maius eſſe iudicium finium regundorum, quam aquae pluuiae arcendae, ſupra probatum eſt, in loco a comparatione. ADIGERE *arbitrum*] Siue, arbitrium, ueteres dixiſſe pro agere ad arbitrium, ideſt cogere arbitrium ſumere: ex Cicerone de Offic. & pro Roſcio Comoedo, probatur. Vnde Vlpianus. l. octaua ff. de in ius uoc. Adigere ad iuſiurandum dixit, pro cõceptis uerbis, & a ſe dictatis cogere alium iurare: quibus qui adſtrictus eſt, iureiurando adactus dicitur. De modo autem agrorum, arbitros dari ſolitos, auctor eſt Modeſtinus l. ſeptima ff. finium regund. EX *eodem ſimilitudinis loco etiam exempla ſumuntur,*] Exemplum eſt, ut Ariſtoteles lib. ſecundo, cap. uigeſimo quarto, Reſolut. prior. ſcribit, quando medio extremum ineſſe oſtenditur per id, quod eſt ſimile tertio. Et differt ab inductione, quoniam haec quidem ex omnibus indiuiduis, oſtendebat ineſſe extremum medio, & ad extremum non copulat ſyllogiſmum: hoc autem & copulat, & non ex omnibus oſtendit. Vnde autem ſumenda exempla, & quomodo illis utendum ſit, idem Ariſtoteles docet lib. ſecundo Rhetorice Ad Theodectem, cap. uigeſimo. Et in Rhetoric. Ad Alexandrum. Et auctor Rhetoricae ad Herennium lib. quarto. Exemplorum porro ingentem uim eſſe ad docendum, Plato in Dialogo de Regno ſcribit, & Philo de confuſione linguarum. Et Quinctilianus lib. quincto, cap. undecimo, ait, Potentiſsimum autem eſt inter ea, quae ſunt huius generis, quod proprio uocamus exemplum, ideſt rei geſtae, utilis ad perſuadendum id, quod intenderis commemoratio. CRASSVS *in Curiana cauſſa exemplis plurimis uſus eſt,*] De Curiana cauſſa multa in Oratione pro Caecina Cicero. Et in Bruto, In interpretando, inquit, definiendo, in explicanda aequitate, nihil erat Craſſo copioſius, idq. cum ſaepe alias, tum apud C. V. in M'. Curij cauſſa cognitum eſt. Ita enim multa, tum contra ſcriptum, pro aequo & bono dixit, ut hominem acutiſsimum Q. Scaeuolam, & in Iure, in quo illa cauſſa uertebatur, paratiſsimum, obrueret argumentorum, exemplorumq. copia. Et lib. pjimo de Oratore, ait, Quid uero clariſsima M'. Curij cauſſa, & M Coponij nuper apud entum uiros, quo concurſu hominum, qua exſpectatione defenſa eſt? Cum Q Scaeuola aequalis, & collega meus homo omnium, & diſciplina iuris ciuilis eruditiſsimus, & ingenio prudentiaq. acutiſsimus, & oratione maxime limatus, atque ſubtilis, atque ut ego ſoleo dicere Iuriſperitorum eloquentiſsimus, ex ſcripto teſtamentorum iura defenderet, negaretq. niſi poſtumus, & natus, & antequam in ſuam tutelam ueniret, mortuus eſſet, heredem eum eſſe non poſſe, qui eſſet ſecundum poſtumum, & natum, & mortuum, heres inſtitutus. Ego autem defenderem hac eum mente fuiſſe, qui teſtamentum feciſſet, ut, ſi filius uon eſſet, qui in ſuam tutelam ueniret, M'. Curius eſſet heres. Num deſtitit uterque noſtrum in ea cauſſa in auctoritatibus, in exemplis, in teſtamentorum formulis, hoc eſt in medio Iure ciuili uerſari. PRIVS *quam in ſuam tutelam ueniſſet,*] Ideſt, antequã pubes factus eſſet, § Inſt. de pupillari ſubſtit. FICTA *etiam exempla ſimilitudinis habent uim:*]

Ariſto-

Ariſtoteles ad Theodectem libro ſecundo, cap. uigeſimo. Exemplorum ſpecies duae ſunt. Altera, ſi res praeteritas dicis; altera, ſi ipſe fingis. Et huius aliud ſimilitudo, aliud apologi, ſicut Aeſopi, & Libyci. FINGE *mancipio aliquem dediſſe*] De rebus mancipi, & nec mancipi, ſupra egimus. IN *genere Oratoribus, & Philoſophis conceſſum eſt, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo poſſit, augendae rei gratia dicatur, aut minuendae, quae hyperbole dicitur,*] De figuris multa Quinctilianus lib. tertio cap. decimo. Et lib. quincto, cap. undecimo. Et lib. octauo, cap. ſexto. Et lib. nono, cap. ſecundo. Et auctor Rhet. ad Heren. lib. quarto. Vlpianus Rhetor in enarrationem ad Olynthiacam primam. Agricola lib. primo, cap. uigeſimo quincto. Et lib. ſecundo cap. decimoquarto. Sed & in ſacris litteris frequentes eſſe probant D.uus Hieronymus, tom. ſeptimo, c. nono in Eccleſiaſtem. Et tomo nono, lib. tertio in Ep. ad Epheſios. & Diuuus Auguſtinus tom. ſeptimo, lib. primo contra epiſtolam Parmeniani, cap. ſexto.

CICERO

*S*EQVITVR *ſimilitudinum differentia, rei maxime contraria ſuperiori: ſed eſt eiuſdem diſſimile & ſimile inuenire. eius generis haec ſunt: Non, quemadmodũ, quod mulieri debeas, recte ipſi mulieri ſine tutore auctore ſoluas; ita, quod aut pupillae, aut pupillo debeas, recte poſſis eodem modo ſoluere.*

EXPLANATIO

BOETIVS. EIVSDEM facultatis eſt ſimilitudines, differentiaſq. cognoſcere. qui enim ſcit, quid ſit, idẽ noſſe poterit, quid ſit diuerſum. Omnis uero ſimilitudo idem aliquid eſſe conſtituit. Quod enim idẽ eſt ſecundum qualitatem, id ſimile eſſe neceſſe eſt. Omnis quippe res, aut ſubſtantia eaedem ſunt, aut qualitate, aut ceteris praedicamentis. Quod ſi ita eſt & animus intelligere hoc idem in pluribus praedicamentis poteſt. Sed, cum hoc ipſum in praedicamentis notat, eodem modo in eiuſdem praedicamentis, quod diuerſum eſt, intuetur. Sed ſimile idem eſt, differentia uero diuerſum. Idem igitur animus, eademq. intelligentia ſimilitudinem differentiamq. cognoſcit. Differẽtiarum uero multae ſunt ſpecies. Aliae quippe ſunt ſubſtãtiales, ut homini rationale. Aliae non ſubſtantiales, ſed inſeparabiles, ut nigrum Aethiopi, atque coruo. Aliae uero mobiles, neque conſtantes, ut ſedere, ſtare, & huiuſmodi, ceterae, quibus & ab aliis hominibus, & a nobiſipſis ſaepe diſtamus. Item differentiae aliae aliquo modo ſunt generum diuiſibiles, aliquo modo uero ſpecierum conſtitutiuae. Sed, ſi a conſtitutiuis argumentum ducatur, uelut a genere ducitur; nam ſicut genus continet ſpeciem, ita differentiae continent ſpecies. Sane ſi differentiae conſtitutiuae ut genera intelligentur, fides ab his ad ea aptabitur, quae conſtituunt. Haec enim talium differentiarum, ueluti quaedam formae ſunt. Sin uero ſint diuiſibiles, ſiquidem ad ea probanda, quae diuidunt, earum ducitur fides, a forma argumẽtum fieri uidetur: nã tales differentiae eorum, quae diuidũt, formae quaedam ſunt. Quod ſi ad ea probanda referuntur, quae in contrariam partem genus diuidunt, tunc proprie a differentia fieri argumentum uidetur, quia contrariae ueluti differentiae comparantur. Quod uero ad exemplum attinet Tullij, huiuſmodi eſt: Mulieres antiquitus perpetua tutela tenebantur; pupilli item ſub tutoribus agunt, ſed mulieribus ſi quid debitum fuiſſet, ſine tutoris auctoritate poterat ſolui, pupillus uero minime; ergo, ſi quaeratur, an id, quod debeatur pupillo cuilibet, renuente tutore poſſit exſolui. A differentia ſumitur argumentum ſic; Non ſicut mulieri ſine tutoris auctoritate debitum poſſis exſoluere; eodem modo niſi auctoritas tutoris acceſſerit pupillo ſoluere, quod debeas poſſis; ille enim perpetua tutela etiam prouecta iam aetate continentur, illorum tutelae certus annorum numerus terminum facit, atque iccirco ſolui pupillo ſine auctotitate non poterit. Differt enim perſona mulierum a perſona pupillorum, uel in eo, quod pupilli non perpetua reguntur tutela; mulieres uero perpetua. Vel, quod pupillus nullum ſuae etiam miniſtrandae utilitatis iudicium habere poteſt, cum ſit aliquis mulieribus, & non firmus in explicanda familiaris rei utilitate delectus.

GVEVARA. SEQVITVR *ſimilitudinem differentia,*] Sed eſt eiuſdem diſſimile, & ſimile inuenire. Quia eo ipſo, quod aliqua qualitate ſimile eſt, efficitur idem non eſſe: quod ſi non idem, ergo aliqua qualitate diſſimile: igitur, qui inuenerit ſimilitudinem, diſcernet cur non ſit idem: & qui differentiam uiderit, & aliquam cernet ſimilitudinem. NON, *quemadmodum, quod mulieri debeas,*] Quaeſtio eſt, an & mulieribus, & pupillis recte ſine tutore auctore ſoluatur. Vbi, ut Othomanus libro primo Obſeruat. ſcribit, cap. uigeſimo ſecundo, hoc ambigitur. An idem illud, nimirum recte ſine tutore ſoluere, duobus illis, ſcilicet mulieribus, & pupillis, recte tribuatur, quaſi ſimilia, & conſentanea inter ſe ſint. Sumitur uero medij loco ea differentia, quae eſt inter mulieres, & pupillos: alia eſt tutelae mulieris, alia pupilli ratio: primum, quia ut Boetius, Viſorius, Latomus notant, pupillus nullum ſuae etiam miniſtrandae utilitatis iudicium habet: mulieribus aliquis eſt, & ſi non firmus, in explicanda familiaris rei utilitate delectus. Deinde quia, ut Alexand. ab Alexand. libro quarto Genial. dier. capit. octauo. Cuiacius libro ſeptimo Obſeruat. cap. undecimo. Et Othomanus ad leges duodecim tabul. tertia pate, cap. undecimo, aiunt, & a nobis ſupra monſtratum eſt, pupillorum tutela certo annorum termino figitur: feminarum legitimas, & perpetuas olim tutelas, lex Claudia ſuſtulit Quibus cum oſtendatur quaeſtionis partes non cohaerere, efficitur praedicatum terminum, ideſt ſine tutore ſoluere, ſubiectis termino, ideſt mulieri, & pu-

pillo

pillo non aeque conuenire. Vnde leg. 15. ff. de ſolutionibus,& liberationibus, Paullus ait, pupillo ſolui ſine tutoris auctoritate non poteſt.

CICERO

DEINCEPS locus eſt, qui a contrario ducitur. Contrariorum autē genera ſunt plura. Vnum eorum, quae in eodem genere plurimum differunt, ut ſapientia & ſtultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus, propoſitis occurrunt tamquam regione quaedam cōtraria, ut celeritati tarditas, non debilitas, ex quibus contrariis argumenta talia exſiſtunt: Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur: & bonitatem, ſi malitiam. haec, quae ex eodem genere contraria ſunt, appellantur aduerſa. Sunt enim alia contraria, quae priuantia licet appellemus Latine, Graece appellantur ςερητικά. Praepoſitio enim IN, priuat uerbum ea ui, quam haberet, ſi IN praepoſitū non fuiſſet: ut dignitas, indignitas; humanitas, inhumanitas; & cetera generis eiuſdem: quorum tractatio eſt eadem, quae ſuperiorum, quae aduerſa dixi. Nā alia quoque ſunt contrariorum genera, uelut ea, quae cum aliquo conferuntur, ut duplum, ſimplum; multa, pauca; longum, breue; maius, minus. Sunt etiam ualde contraria alia, quae appellantur negantia. ea ἀποφατικά Graecis contraria aiētibus: ut, Si hoc eſt, illud non eſt. quid enim opus exemplo eſt? tantum intelligatur in argumento quaerendo contrariis omnibus contraria non conuenire.

CICERO

BOETIVS. DIVISO differentiae loco, nunc de cōtrariis tractat. atque uti rerum ordo clarius colliqueſcat, pauca mihi ex Ariſtotele ſumenda ſunt, quae ille uir omnium longe doctiſsimus de hac diuiſione tractauit: quamquam M. Tullius re quidem Ariſtoteli fere conſentit, ſed ab eo nominum interpretatione diuerſus eſt. Nam, quae Ariſtoteles oppoſita, ideſt, ἀντικείμενα uocat, ea Tullius contraria nominat. ſed haec paullo poſterius: nunc Ariſtotelis diuiſio conſideretur. Oppoſitorum igitur ſecundum Ariſtotelem alia ſunt contraria, alia priuatio, & habitus, alia relatiua, alia contradictoria. Contraria quidem, ut albū, atque nigrum. Habitus uero, & priuatio, ut uiſus, & caecitas, dignitas, & indignitas. Relatiua uero, ut pater filius, dominus ſeruus. Contradictoria, eſt dies, non eſt dies: horum omnium tales inter ſe differentiae conſiderantur. Nam, quae contraria ſunt, partim mediate ſunt, partim medio carent. Mediata ſunt, ut album, nigrum: eſt enim horum cuilibet medius alius color, ut rubeus, uel pallidus: & horum contrariorum non neceſſe eſt, alterum ineſſe corporibus. Neque enim corpus, aut album, aut nigrum eſt, ſed aliquoties in horum medietate eſt conſtitutum, ut ſit rubrum, uel pallidum. Immediata uero ſunt, quorum nihil medium poterit inueniri, grauitas, & leuitas, horum enim nihil eſt medium. Nam, quae leuia ſunt, ſurſum feruntur: quae grauia, deorſum. Quod autem ſit corpus, quod neque ſurſum, neque deorſum feratur, nihil poterit inueniri. Sed immediata contraria talia ſunt, ut alterum eorum, cui poteſt accidere, ſemper inhaereat, ut in propoſito ſuperius exemplo. Neceſſe eſt enim omne corpus, uel leue eſſe, uel graue, quia leuitas, & grauitas medium non habent, quod praeterea ineſſe corporibus poſsit. At ea, quae in priuatione, & habitu ſunt, ut caecitas, & uiſus, diſtant quidem ab his contrariis, quae claudunt aliquam medietatem, quod ipſa medietatem non habent. Ab his uero contrariis differunt, quae ſunt immediata, quoniam horum contrariorum alterum ſemper ſubiecto ineſſe neceſſe eſt, ut corpori grauitatem, uel leuitatem. Priuationem uero, & habitum non ſemper, ut cum ſit habitus quidem uiſus, priuatio autem caecitas, non omne, quod uideri poteſt, aut uidet, aut caecum eſt. Infans quippe nondum editus, neque uidet, quia nondum proceſsit in lucem, neque caecus eſt, quia nondum habuit uiſum, quem potuiſſet amittere. Idem de catulis dici potſt, qui ſtatim nati nequeunt intueri, nam tunc eos, nec caecos dicere poſſumus, nec uidentes. Et poſtremo contraria ſemper in ſuis qualitatibus conſiderantur. Priuationes autem non, quod ipſae ſint aliquid, ſed ex habitus abſentia colliguntur. Neque enim caecitas eſt aliquid, ſed a uiſus intelligitur abſceſſu. Tam uero priuatio, quam contrarietas differt a relationis oppoſitione, eo, quod neque contraria, neque priuatoria ſimul eſſe poſſunt. Idem enim uno eodemq. tempore uno eodemq. in loco album nigrumque, uel uidens caecumq. eſſe non poterit. Sed relatiua a ſe nequeunt ſeparari. Neque enim poteſt eſſe filius ſine patre, nec ſeruus ſi dominus non ſit. Amplius, contraria ad ſe, & priuatoria non referuntur. Non dicit album nigri, uel nigrum albi, uel caecitatem uiſus, uel uiſum caecitatis. Quae uero in relatione ſunt poſita, in ipſa relationis praedicatione conſiſtunt, ut duplum dimidij, dominus ſerui, & cetera ad hunc modum. Tam uero contraria, quam etiam relationes differunt a contradictionibus, quod contractiones quidem ſemper in oratione conſiſtunt, & in altera earum parte ueritas, & in altera falſitas inuenitur. Contraria uero, & priuatoria, & relationes, in ſimplicibus partibus orationis, & in his, neque ueritas, neque falſitas ineſt. Nam, cum dico album, nigrum, caecitas, uiſus, dominus, ſeruus, ſimplices orationis partes ſunt, neque uerum, neque mendacium continentes. In ſimplicibus enim partibus orationis ueritas, uel falſitas nulla eſt. Cum autem dico dies non eſt, utraeq. propoſitiones, una in affirmatione, altera in negatione poſita, orationes ſunt. Sed M. T. non tam propriis nominibus, quam notioribus utitur. Ait enim, cōtrariorū alia eſſe, quae aduerſa uocentur; alia, quae priuantia; alia, quae in comparatione ſint; alia, quae aientia, & negantia nuncupātur. Sed, quae contraria nominat, oppoſita uerius dicerentur. Quae aduerſa dicuntur, contrariorum melius ſuſciperent nomen. Quae in collatione nominat, ea relatiua, uel ad aliquid certius uocarentur, ſed utatur nominibus, ut uolet, dum res ipſae certa proprie-

proprietatis ſuae ratione ſignentur. Nos uero in ceteris, quos edidimus, libris, eo nuncupauimus modo, quo ſuperius in Ariſtotelis dictum eſt diuiſione ſecundum M. Tull. Igitur contrariorum alia ſunt aduerſa, ut ſapientia, ſtultitia: alia priuantia, ut dignitas, & indignitas: alia uero, quae cum aliquo conferuntur, ut duplum, ſimplum; alia uero, quae appellantur negantia, e contrario aientibus conſtituta, ut ſi hoc eſt, illud non eſt. Aduerſa igitur ſunt, quae ſub uno genere poſita plurimum differunt, ut album nigrumq. a ſe plurimum diſtant ſub uno genere poſita, ſub colore. Item celeritati tarditas aduerſa eſt poſitis utriſque ſub motu: neque enim celeritati debilitas opponenda eſt, quia debilitati firma ualetudo contraria eſt. quod in diuiſione omiſit Cicero, ſed docuit exemplo. Illa quoque dicuntur aduerſa, quae in diuerſis generibus ſita plurimum a ſe diſcrepare intelliguntur, ut ſapientia ſtultitiae. Illa enim ſub genere boni eſt, haec uero ſub mali. Quamquam huiuſmodi exemplum priuationem potius ſpectare uideatur. nam ſtultitia priuatio ſapientiae eſt, nec quidquam eſt aliud ſtultitia, niſi ſapientiae, & rationis abſentia. Sed, quae ſint, quae priuantia Cicero appellet, poſterius demonſtrabo. ex his hoc modo argumenta ſumentur. Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur: ſi bonitatem appetimus, malitiam fugiamus. quamquam malitia quoque ſecundum eundem modum, qui ſuperius dictus eſt, priuationibus poſsit adiungi. Priuantia uero ſecundum Ciceronem ſunt, quae Graece στερητικὰ appellantur, quae habent eam partẽ orationis praepoſitã, quae cum fuerit adiecta, ſemper fere aliquid demit. ea eſt In praepoſitio. haec enim ſyllaba, cui fuerit appoſita, demit fere aliquid ex ea ui, quam eſſet res quaelibet habitura, ſi, in ſyllabam, praepoſitam non haberet, ut humanitati inhumanitas. Namque praepoſita, IN, id, de quo dicitur, humanitate priuauit, ut dignitas, & indignitas. Et Tullius quidem ea tantum priuantia eſſe confirmat, in quibuſcumque ſyllaba iſta praeponitur. Priuantium quippe natura ſecundum Tullium, huius ſyllabae commemoratione finitur. A Peripateticis uero accepimus priuationes, tum cum ſimplicibus nominibus, tum cum priuatoriis ſyllabis efferri. Simplicibus nominibus, ut caecitas: cum priuantibus uero ſyllabis, ut indignitas, inhumanitas. Quo circa ſecundum M. T. caecitas non erit priuatio uiſus, ſed ei aduerſum, atque iccirco forſitan ſtultitiam inter aduerſa numerauit, quoniam non habet, IN, ſyllabam, ex qua priuatione, arbitratur exſiſtere. Ex quibus eodem modo, ut in ſuperius poſitis aduerſis argumenta ducuntur. Inhumanitatem auerſamur, ſi humanitas conſectanda eſt. Illa uero contraria, ut ait Tullius, quae cum aliquo conferuntur, talia ſunt, ut duplum ſimpli. Id tantundem eſt, tamquam ſi diceret, duplum dimidij. ſimplum enim dupli dimidium eſt, & pater filij. Ea, quae ſunt ſemper reciprocantia, aliquoties quidem ſeptimo caſu, aliquoties uero genitiuo. nam filius patris eſt filius, & pater filij: haec ſecundum genitiuum conuerſio eſt. Et duplum ſimplo duplum eſt, hoc ſecundum ſeptimum caſum. ſunt etiam, quae accuſatiuo, ut pauca ad multa, & magnum ad paruum. Item negantia ſunt, quae in affirmationibus, & negationibus poſita ſunt; ut, ſi hoc eſt, illud non eſt; ueluti, ſi dies eſt, nox non eſt: atque hanc oppoſitionem Cicero dicit ualde eſſe contrariam. Ex quibus omnibus ſecundum ſuperius dictum modum argumentorum facultas eſt: nam ex relatiuis contrariis ita ſumimus argumentum. Si pater eſt, fieri non poteſt, quin ei filius ſit. Ex negantibus autem, quae ἀποφατικά (ut ait) Graeci uocant; ita, ſi ſol ſupra terram fuit, nox eſſe non potuit. Haec enim affirmatio illam perimit negationem. cur uero haec negantia eſſe conſtituerit, mirãdum eſt. Nam, quae negantia ſunt, aientibus opponuntur, & ſimul eſſe non poſſunt, ut diem eſſe, ac diem non eſſe. Hoc uero eſt conſequens, cum ita dicatur: Si hoc eſt, illud non eſt: ut, ſi dies eſt, nox non eſt. Atqui affirmationem, negationemq. ualde Tullius dicit eſſe cõtrariam, ſed in hac conſequentia nequeunt eſſe contraria. Nam, quod eſt conſequens, contrarium non eſt.

GVEVARA. CONTRARIORVM *autem genera ſunt plura.*] Boetius refert, oppoſitorum, ſecundum Ariſtotelem, alia eſſe contraria, ut album, & nigrum; alia priuatio & habitus, ut, uiſus, caecitas; dignitas, indignitas; alia contradictoria, ut, dies eſt, non eſt dies. Rurſus contraria alia eſſe mediata, ut album, atque nigrum, quorum medij colores ſunt, rubeus, aut pallidus. Alia immediata, quorum medium non eſt, ut grauitas, leuitas: namque, quod nec ſurſum, nec deorſum feratur, nihil poterit inueniri. Atque horum omnium generum rationem, & inter ſe diſcrimina, idem Boetius ex Ariſtotele latius proponit. VNVM *eorum, quae in eodem genere plurimum differunt,*] Album, & nigrum quamquam aduerſa ſint, tamen ſub uno genere, ſcilicet colore, cenſeri certum eſt: quemadmodum celeritas, & tarditas ſub motu: ſapientia, & ſtultitia, ideſt, uirtus, & uitium ſub habitu. Nec mouet, quod lib. 1. de Inuentione, idem Cicero ſcribit. Contrarium eſt, quod poſitum in genere diuerſo, ab eodem, cui contrarium eſſe dicitur, plurimum diſtat, ut frigus, calori; uitae, mors. Et Ariſtoteles lib. 4. Topic. cap. 3. & lib. 7. cap. 2. & lib. 10. Metaph. probat contraria aliquando in eodem genere poni, nonnumquam in diuerſis; ut prudentiae genus, eſt uirtus; imprudẽtiae, uitium. Nam, ut ex eodem probatur Ariſtotele, nulla ſunt aduerſa, quae non ſub uno genere, ſi non quidem ſubalterno, ſaltem generaliſsimo comprehendantur. Itaque iuſtitia, atque iniuſtitia, & ſub diuerſis generibus intermediis, uirtute, & uitio, numerantur; & iuſtitiam, atque iniuſtitiam ſupremum genus, habitus, complectitur. PRAEPOSITIO *enim,* IN, *priuat uerbum ea ui, quam haberet, ſi,* IN, *praepoſitum non fuiſſet. Vt, dignitas, indignitas; humanitas, inhumanitas, & cetera generis eiuſdem:*] Apud Gellium lib. ſecundo, Noct. Att. cap. 17. relatum eſt, obſeruate, curioſeq. animaduertiſſe M. Tullium, IN, & CON, praepoſitiones, uerbis, aut uocabulis praepoſitas, bene produci, atque protendi, cum litterae ſequerentur, quae primae ſunt in ſapiẽte, atque felice, in aliis autem omnibus correpte pronunciari. Illud quoque a Seruio, Diomedeq. Grammaticis animaduerſum Alciatus refert, in l. Notionem, ff. de uerb. ſignific. & lib. 2. Parerg. cap. 23. Praepoſitionem, IN, accuſatiuo caſui appoſitam, uſque, ſignificare. Virgilius, In lucemq. tuliſſet, ideſt uſque ad lucem. Martialis, In lucem ſemper Acerra bibit. Quod autem Viſorius notat, praepoſitionem, IN, augere aliquando apud Iuriſconſultos,

apud

apud quos,indifficili, pro ualde difficili reperiatur,mihi non ſatisfacit: magis puto, ueterum more Iuriſconſultos,in difficili eſt,dixiſſe pro difficile eſt, quemadmodum in procliui,in promptu,in tuto,in cauſſa,in uitio eſſe dicimus. Atque ita accipio, quod eſt apud Scaeuolam in l. Gallus, §. ult. ff. de liber. & poſt. ille caſus in difficili eſt,ſi filium habeat,& nepotem nondum natum inſtituas,iſq. naſcatur uiuo patre ſuo,ac mox pater decedant. Et apud Tryphoninum in l. 8. ff. de confirmando tutore, uel curatore. In confirmando tutore hoc Praetor inquirere debet,an durauerit patris uoluntas,quod in facili eſt,ſi proximo mortis tempore tutores nō iure,uel curatores ſcripſerit pater. QVORVM *tractatio eſt eadem,quae ſuperiorum,quae aduerſa dixi.*] Nam quemadmodum ab aſſeueratione unius aduerſariorum,ad negationem alterius argumentamur: ita & in habitu,& priuatione idem facere licebit: inhumanitatem auerſemur,ſi humanitas conſectanda eſt.

C I C E R O

A B *adiunctis autem poſuit equidem exemplum paullo ante,multa ſcilicet adiungi,quae ſuſcipienda eſſent, ſi ſtatuiſſemus ex edicto ſecundum eas tabulas poſſeſſionem dari, quas is inſtituiſſet, cui teſtamenti factio nulla eſſet. Sed locus hic magis ad coniecturales cauſſas,quae uerſantur in iudiciis, ualet: cum quaeritur quid aut ſit,aut euenerit, aut futurum ſit, aut quid omnino fieri poſſit. Ac loci quidem ipſius forma talis eſt. Admonet autem hic locus,vt quaeratur quid ante rem, quid cum re,quid poſt rem euenerit. Nihil hoc ad ius,ad Ciceronem,inquibat Gallus noſter,ſi quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quaereretur. Tu tamen patiere nullum a me artis inſtitutaè locum praeteriri, ne, ſi nihil, niſi quod ad te pertineat, ſcribendum putaris, nimium te amare uideare. Eſt igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modo non iuriſconſultorum, ſed ne philoſophorum quidem. ante rem enim quaeruntur, quae talia ſunt, apparatus, colloquia, locus, conſtitutum conuiuium. Cum re autem, pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum umbrae, & ſi quid eiuſmodi. At poſt rem, rubor, pallor, titubatio, ſi qua alia ſigna conturbationis,& conſcientiae: praeterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, ceteraq. quae ſuſpicionem facti poſſunt mouere.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. QVID ſit ab adiunctis locus,breui ſuperius monſtrauit exemplo,eo ſcilicet quod dixit: Si ſecundū mulieris numquam capite deminutae tabulas poſſeſsio bonorum daretur,cōſequens eſſe,ut ſecundum quoque puerorū,& ſeruorum tabulas poſſeſsio permitteretur;ſed nunc formam ipſam,& quaſi ſubiectum loci monſtrare proponit,quae eſt huiuſmodi. Ab adiunctis enim locus eſt,cum ex eo,quod proponitur,aliquid aliud uel eſſe,uel fuiſſe,uel futurum eſſe argumentationem colligitur,ut in eo ipſo,quod dudū poſuit,exemplo. Approbatur enim non debere ſecundum mulieris numquam capite deminutae labulas bonorum poſſeſsionem dari,quia,ſi id fuerit poſitum,id futurum eſt,ut ſecundum puerorum quoque,ac ſeruorum tabulas bonorum poſſeſsio permittatur. Talia uero ſunt,quae dicuntur adiūcta,ut circa rem fere, quae quaeruntur,inueniantur,nequetamen neceſſe ſit ei ſemper adhaerere. & forma quidem huius loci talis eſt; ut hãc quoque definitionem poſsit admittere. Ab adiunctis locus eſt,cum ex aliquibus, quae ſunt proxima eis, de quibus quaeritur,rebus id,quod quaeritur,uel fuiſſe,uel eſſe,uel futurum eſſe,monſtratur. Qui locus,eſt coniecturalibus cauſsis maxime neceſſarius. Cum enim de facto quaeritur,tum ſi id factum eſt,quod dubitatur, quid uel fuerit,uel ſit,uel futurum ſit,conſiderari ſolet. Multa enim ſunt,quae unicuique adiuncta rei, uariorum euentu temporum colliguntur. Iccirco enim,quid ante rem,quid cum re,quid poſt rem uenerit,in coniecturalibus cauſsis inquiritur,quae ab oratoribus tractantur ſolis. neque iuriſcōſultis in huiuſmodi negotiis cum rhetorica facultate ulla communio eſt. Iuris enim peritus de facti qualitate, non etiam de ipſius facti ueritate reſpondet. Iccirco quoties ad Gallum peritum iuris facti quaeſtio deferebatur, nihil ad nos inquibat, & ad Ciceronem potius cōſulentes,id eſt ad rhetorem remittebat. in quo Tullius facete ad Trebatium iocum miſcuit,dicens: Quamquam locus hic ab adiunctis coniecturalibus cauſsis maxime eſt utilis,nihil conſultorū iuris prudentiam iuuet,patere me tamen,inquit,nullam ſuſcepti operis partem praeterire,ne,ſi in hoc libro nihil praeter tuae artis exempla conſcripſero,tuae tantum gratiae uideatur addictus. Ab adiunctis uero locus, qui non modo iuriſconſultis,ſed ne philoſophis quidem praeter oratores non patet,trium ſemper temporum ratione tractandus eſt. Nam de facto,ſi quaeritur,quid uel ante id,uel cum eo,uel poſt fuerit,neceſſe eſt ueſtigari. Ante rem quidem hoc modo, apparatus: ueriſimile eſt enim effeciſſe aliquem,quod ante efficiendum parauit. colloquia,fieri enim potuit,ut amauerit,qui ſaepe fuerit collocutus. Locus,uelut cū ad aliquid faciendum oportunus locus eligitur. Conſtitutum conuiuium, uelut, ſi quis conſtituto ante conuiuio in eo feciſſe aliquid arguatur,capiaturq. coniectura facti ex eo ipſo,quod ſit conuiuium cōſtitutum. atque horum omniū ante rem,de qua quaeritur,exempla ſunt. Cum re uero,hoc modo: Pedum crepitus, uelut, ſi eſſe in quempiam locum aliquis accuſetur,pedum crepitu deprehenſus eſſe,probabitur: uel,ſi fuiſſe adulter in cubiculo,ex umbra corporis deſignetur,haec cum ipſis,de quibus quaeritur inſpecta,eiſdem tamen intelliguntur adiuncta. Poſtremo uero,ſi quas cōſcientiae maculas pallor,rubor,titubatioq. prodiderit,reſtinctus ignis,uelut,ſi clam factum aliquid exſtincto igni uelimus oſtendere,ut tutius notitiam ſubmouentibus tenebris committeretur, item gladius cruentus peractum facinus monſtrat. Haec omnia poſt rem facto intelliguntur adiuncta.& ſemper ante rem,cum re,& poſt rem,ſecundum rationem temporum intelligendum eſt,neque ita,ut in antecedentibus,& conſequentibus: illic enim naturae ratio conſideratur. omnia quippe ſimul ſunt. nā,quod antecedit,

ſi poſitum ſit, ſtatim eſt id, quod conſequitur, ut ſi ponas hominem, ſtatim animal eſſe neceſſe eſt. Nec ante ſecundum tempus eſſe homo dici poteſt. Poſt uero ſubſequi animal, ut ante aliquis apparatus eſt ſecundum tempus, poſterior effectus. Itaque illic antecedentia, & conſequentia nominantur, hic ante rem, cum re, & poſt rem: iccirco, quod illud quidem non ſecundum tempus, ſed ſecundum principalitatem naturae ſecum ſimul aliquid trahentis antecedens dicitur, uel conſequens, id, quod antecedens comitatur. Ea uero, quae ſecundum temporis priorem, poſteriorem ue rationem conſiderantur, ſunt adiuncta, iccirco ante rem, cum re, & poſt rem cepere uocabulum.

GVEVARA. Ab *adiunctis*] De quibus multa Ariſtoteles lib. 1. Rhet. ad Theodectem, cap. 2. & in Rhet. ad Alexandrum cap. de ſignis. Auctor ad Herennium lib. 2. Cic. lib. 1. de Inuent. Quinctilianus lib. v. cap. 9. & 10. Bucoldianus lib. 1. de Inuent. cap. 14. & lib. 2. cap. 3. & 4. Titelmannus lib. v. Dialect. cap. 20. Euerardus loco 102. & 104. Nihil *hoc ad ius, ad Ciceronem inquibat Gallus noſter, ſi quis ad eum quid tale retulerat, ut de facto quaereretur.*] Franciſcus Duarenus in Libello, qui inſcribitur Scaeuola, numero tertio & quarto, diſputans, ſit ne Iuriſconſulti ad quaeſtionem facti reſpondere, ita hunc locum explicat. An, inquit, Ariolus erat Cicero, ut diuinaret facilius quid quiſque faceret, quam Iuriſconſulti ſui temporis? minime uero. Quaeſtio igitur facti tunc proprie dicitur eſſe, cum afferuntur coniecturae & argumenta, ad fidem faciendã eius facti, quod in iudicium deductum eſt, & dubitatur an ſufficiat ea probatio, & an plene probatum ſit, nec ne. Et harum quaeſtionum tractatio oratorum magis eſt, quam Iuriſconſultorum. Est *igitur magna ex parte locus hic oratorius non modo, non Iuriſconſultorum, ſed ne Philoſophorum quidem.*] Etſi enim & hic quoque locus ſit omnium diſputationum ad argumenta ſuppeditanda, tamen Oratorum diſputationibus abundantius occurrit: Iuriſconſultorum, & Philoſophorum anguſtius. Iuriſconſultorum, quoniam non tam iuris ſcientia, quam ſignis, & ſuſpicionibus explicatur: Philoſophorum, quod circa qualitates, quae in rebus expetendis, uel fugiendis ſunt, philoſophia potius uerſetur. Itaque conſulto Cicero hunc locum magna ex parte eſſe oratorium dixit: non, ad Oratores ſolos pertinere.

C I C E R O

*D*Einceps *eſt locus dialecticorum proprius ex conſequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus, qui etiam ab adiunctis longe diuerſus eſt. Nam adiuncta, de quibus paullo ante dictum eſt, non ſemper eueniunt, conſequentia autem ſemper, ea enim dico conſequentia, quae rem neceſſario conſequuntur. Itemq. & antecedentia, & repugnantia: quidquid enim antecedit quamque rem, id cohaeret cum re neceſſario: & quidquid repugnat, id eiuſmodi eſt, ut cohaerere numquam poſſit.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. Expedito adiunctorum loco, nunc de antecedentibus, & conſequentibus, & repugnantibus differit. Qui locus cum ſit unus, in tria uelut membra diuiſus eſt. M. quidem Tullius loci huius uocabulum tacuit, mihi autem totus condicionalis appellandus uidetur. Cuius, cum promptiſsime uatura claruerit, nomen quoque ei, quod nos poſuimus, recte inditum manifeſtius apparebit. Primum igitur ſingularum partium definitio peruidenda eſt. Itaque antecedens eſt, quo poſito aliud neceſſe eſt, conſequatur. Item conſequens alicuius eſt, quod eſſe neceſſe eſt, ſi illud, cui eſt, conſequens praeceſsiſſe conſtiterit. Repugnans eſt, quod ſimul cum ea, cui repugnare dicitur, eſſe non poſsit. Antecedentium igitur, atque conſequentium, & repugnantium unum locum eſſe praediximus, qui quomodo ſit unus, paucis oſtẽdam. Primum igitur, dum quaereretur quo nam modo unus eſſet locus a conſequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus, dicebatur: quoniam eiuſdem mentis eſt, atque intelligentiae, tam conſentanea ſibimet, quam diſsidentia praeuidere, iccirco hunc quoque locum unum uideri. Conſentaneorum namque duae ſunt partes, antecedens una, altera conſequens; nam cum altero praecedente comitatur alterum, illa ſibi in ipſa naturae conſequentia conſentire neceſſe eſt. Repugnantium uero tametſi duae partes ſunt, unum tamen eſt utriſque uocabulum, utraque enim repugnantia nominantur. Duo uero eſſe, quae ſibimet repugnent, atque a ſe diſſentiant, nullus ignorat. Sed eo diſtant, quod antecedentium, & conſequentium duo ſunt nomina, licet unus utriſque conſenſus. Repugnantibus uero unum nomen eſt, cum ſit unus in utriſque diſſenſus, ergo eadem mens, eademq. intelligentiae ratio, id, quod praecedit, & id, quod comitatur intelligit. Neque enim fieri poteſt, ut antecedẽs aliquid intelligatur, niſi in eodem quid ſit conſequens, conſideretur. Eodem quoque modo, nec conſequens, niſi appareat quid praecedat. Item repugnans aliquid intelligere nemo poteſt, niſi intelligat cui repugnet. Sed, quoniam eadem ratio poteſt ſimilia, diſsimiliaq. perſpicere: antecedentium uero, & conſequentium conſenſus quidam, & per naturae ſimilitudinem concordia eſt. Diſſenſus uero in repugnantibus, ac diſsimilitudo neceſſe eſt, ut una, atque eadem ratio, & antecedentium, conſequentiumq naturam, & repugnantium ſpectet, quo fit, ut unus quoque locus ſit, quem una intelligentia comprehendit, ſed hic opponebatur. Cur igitur alium ex ſimilitudine, alium ex contrario locum M. Tull. ſuperius enumerauit? Nam, ſecundum propoſitam rationem, quoniam ſimilitudinem, & contrarietatem intelligentia una perpendit, unus locus ſimilium, contrariorumq. eſſe debuiſſet. Sed reſpondebatur, quoniam non eodem modo ſibi antecedentia, & conſequentia conſentire dicuntur, ſicut ea, quae ſimilia nuncupantur. In his namque unam tantum qualitas inuenitur, & ſecundum eandem qualitatem ſimilia eſſe dicuntur. At in antecedentibus, & conſequentibus nõ

qualitatis

qualitatis ſimilitudo,ſed quidam naturae conſenſus eſt,& quae ſimilia ſunt, ſine ſe eſſe poſſunt. Antecedentia uero,& conſequentia ſine ſe eſſe non poſſunt,atque iccirco non uidetur eſſe conſequentium, & antecedẽtium cum ſimilitudine ulla cõmunio naturae. quae ratio non ualde uidetur idonea,nec explicat,quod demonſtrare conatur. Illud certe firmiſsimum eſſe conſtat, quod huius loci tractatus condicionalibus ſemper propoſitionibus accommodaretur. Condicionalis uero propoſitio eſt, quae cum condicione pronunciat eſſe aliquid,ſi aliud fuerit,ueluti cum dicimus,ſi dies eſt,lucet. Haec igitur rerum conſequentia facile in repugnantiã uertitur: nam,ſi rebus conſequentibus negatio interponatur,ex conſequentibus repugnantia redduntur, hoc modo: Si dies eſt,lux eſt. Repugnantia fiunt ita: Si dies eſt,lux non eſt,repugnant enim diem eſſe,& lucem non eſſe. Quae repugnantia in condicione conſiſtit,dicimus enim: Si dies eſt, lux non eſt: nam diei contrarium eſt nox,conſequens uero noctis,lucem non eſſe,quare eſſe diem,& non eſſe,lucem repugnat. Argumentum uero eſt hanc repugnantiam in condicione conſiſtere, quia ſi condicio deficeret, nulla eſt repugnantia, hoc modo: Dies eſt, lux non eſt. Vtraeque enim diſiunctae propoſitiones ſuas ſententias gerunt,nec quidquam intelliguntur habere commune, atque ideo diuerſis acceptae temporibus, uerae ſunt,nec repugnant. Nam,ſicut in his propoſitionibus dies eſt, lux eſt, nulla eſt conſequentia, quoniam condicio deeſt, quae praepoſitionem facit connexam,ſed utraeque a ſe diſiunctae ſuam ſententiam claudunt: ita in his, quibus proponitur,dies eſt,lux non eſt,nulla eſt repugnantia,quoniam ſeruat ſuam utraque ſeparata ſententiam. At, ſi his condicio interueniat, ſuperiorum quidem ita ſententia copulatur, ut conſequentes fiant: poſteriorum uero ita,ut repugnantes, hoc modo: Si dies eſt, lux eſt: haec conſequens propoſitio ex duabus per condicionem mediam effecta eſt una. At,ſi ſit ita: Si dies eſt,lux non eſt,repugnat: Negatum enim, quod ſequitur, repugnare neceſſe eſt. Amplius argumentum,quod ex antecedentibus,& conſequentibus fit, ex unius propoſitionis connexae partibus naſcitur. Nam condicionalis propoſitionis connexae una pars eſt antecedens,alia conſequens. Quod, ſi a repugnantibus argumentum fiat, rurſus ab unius propoſitionis membris tale argumentum naſci oportebit. Igitur ex his propoſitionibus dies eſt,lux eſt,una eſſe non poteſt,niſi condicione copulentur,ut unum ſit antecedens,aliud conſequens. & ideo in his ex antecedenti, & conſequenti argumẽtum eſſe non poteſt,quoniam duae ſunt etiam ex illis quoque propoſitionibus,quae ſunt,dies eſt,lux non eſt,una eſſe non poterit,niſi condicionis adiunctione, in unius quodammodo propoſitionis ſententiam reducantur, cuius propoſitionis partes ſunt repugnantes: nam,ut in connexa propoſitione una pars antecedens,alia eſt cõſequens,ita in repugnanti utraque pars propoſitionis a ſemet inuicem repugnat, ac diſsidet. Amplius repugnans propoſitio connexae partem contrariam tenet. nam,ut in illa,quod antecedit,ſecum id, quod ſequitur, trahit,ita in hac propoſitione partes ſimul eſſe non poſſunt, contrariae uero differentiae ſub eodem genere poni ſolent. Si igitur connexa propoſitio in condicione eſt conſtituta, repugnans quoque in condicione conſiſtit,quod & conſequentiam praepoſitionum,& repugnantiam condicio facit. Non eſt dubium,quin locus hic iure condicionalis uocetur,ac ſit unus poſitus in condicione diuiſis partibus,ideſt in antecedentem,conſequentemque,& repugnantem. Connexae namque propoſitionis una pars antecedens eſt, alia conſequens. Repugnantis uero propoſitionis utraque repugnat,ac diſsidet. Itaque connexae propoſitionis partes antecedens,& conſequens ſunt,repugnantis uero repugnantes partes ſunt. Nec illud intelligentiam turbet,quod dies eſt,& lux eſt. quadam ſibi ratione conſentiunt. Item dies eſt,& lux non eſt, quaſi a ſe diſſentiunt, atque diſcordant: nam connexa eſt propoſitio,ſi, cum aliud anteceſſerit, aliud coſequatur. Item repugnans,ſi,uno poſito falſo,aliud inferatur,quod eſſe non poteſt,niſi id ius condicionis efficiat. Quo circa aperte demonſtratum eſſe arbitror,condicionalem hunc locum uocari,& recte unum eſſe a M. T. conſtitutum, Quomodo uero fiat ab antecedentibus,& conſequentibus,& repugnantibus argumentum,poſterius dicam. Sed,quoniam nullius facultatis alterius eſt,quid quamque rem conſequitur,uel cuique quid repugnet, inſpicere, niſi dialecticae tantum,quae huius quam maxime rei peritiam profitetur,iccirco ait hunc eſſe locum totum dialecticorum,qui etiam ab adiunctis longe diuerſus eſt. Primum,quod adiuncta prodere ſeſe,atque oſtentare inuicem poſſunt,non uero perficere,atque implere naturam,ueluti ambulationem, pedum ſtrepitus, ſignare quidem, ac denunciare poteſt,efficere uero non poteſt. Neque enim ambulationem efficit pedum ſtrepitus, nec uero ex neceſsitate ambulatio,ut pedus ſtrepitum ſit, auctor eſt: ſed ſaepe ita ambulatur, ut nullus pedum ſtrepitus exaudiatur,ſaepe non mutato loco moueri pedes,ac ſtrepere praeter ambulationem queunt. Praecedentia uero,& conſequentia,& repugnantia numquam deſunt, iccirco non ſemper inueniuntur adiuncta: propoſitoq. termino, quem probare contendimus, ſaepe ex adiunctis argumenta deficiunt, quia ipſa quoque aliquoties deficere uidentur adiuncta. Praecedentia uero,& conſequentia,& repugnantia numquam deſunt,omne enim quidquid in rebus eſt,habet quod ſe aut ſequatur naturaliter,aut praecedat. Eſt etiam a quo naturae diuerſitate diſsideãt,ueluti hominem ſequitur quidem animal, praecedit uero ſubſtantiam. dicimus enim: Si homo eſt,animal eſt: Subſtantiam uero praecedit,cum praeponimus, ſi animal eſt,ſubſtãtia eſt. Repugnat uero mortuo,cum enunciamus: Si animal eſt,mortuum nõ eſt. Praeterea,quae ſunt adiuncta temporibus,diſtributa ſunt,ut ante rem,cũ re,uel poſt rem. Quae uero ſunt antecedentia,conſequentia,& repugnantia,quo modo libet in temporibus ſint,nihil refert. nam priora ſaepe temporibus comitantur,& temporibus poſteriora praecedunt,& quae ſimul temporibus ſunt,alias praecedunt, alias uero conſequuntur, ut ſuperius quoque ſaepe diximus. Amplius, quae antecedentia ſunt,& conſequentia,relinquere ſeſe non poſſunt, nec ſibi repugnantia cohaerere,& ſunt neceſſario ſibimet connexa,uel inconnexa. Quae uero ſunt adiuncta, nihil obtinẽt neceſsitatis,quia & iungi ſibimet,& a ſe ſeparari queunt. Quae cum ita ſint,quaeſtio difficilis uehementer oboritur: uidetur enim minus intuentibus, nihil hic locus differre ab his locis, qui dicti ſunt uel a genere, uel a

 ſpecie,

ſpecie,uel á contrariis . nam genus ſemper ſpecies ſequitur,ſpecies genus praecedit . Contraria ſimul eſſe non poſſunt . quae ſoluenda eſt hoc modo : Primum,quia non omne conſequens genus eſt, nec ſpecies antecedens. Repugnantia uero non ipſa contraria,ſed contrariorum ſunt conſequentia,ut in locorum , qui a M. T. propoſiti ſunt,expoſitione monſtrauimus . Dehinc,quia, cum a genere fit argumentum,ipſum genus aſſumitur : eodem quoque modo ſpecies,cum ab ea aliquid uolumus approbare . Cum uero ab antecedentibus,& conſequentibus aliquid monſtrare contendimus,eo,quod in condicionali propoſitione praeceſsit, utimur in aſſumptione , etiam ſi non fuerit genus . Item ſi a conſequenti argumentum fiat , etiam ſi ſpecies non ſit , a conſequenti parte condicionalis propoſitionis ducitur argumentum,uelut cum ita dicimus : Si ignis eſt, leuis eſt . Ignis antecedit,leuitas ſequitur. ſed neutrum neutri eſt genus,aut ſpecies, aſſumitur itaque , at qui ignis eſt . Nunc igitur id,quod antecedebat,aſſumpſi,ex quo monſtratur concluſio,leuis igitur eſt . At,ſi ita aſſumatur,ſed non eſt leuis,id,quod conſequebatur aſſumpſi . Concluditur ergo,atque monſtratur,non eſt igitur ignis . Vides igitur, ut de his praecedentibus,& conſequentibus nunc loquimur,quae in condicionali propoſitione poſita,uel praecedere,uel conſequi intelliguntur . Cum uero fit ex genere argumentum, ſpecies quidem eſt,de qua aliquid probare intendimus,genus quidem aſſumimus,non quaſi praecedens, ſed quaſi continens,ut,quidquid eſſe conſideratur in genere , id etiam formae quoque debeat aptari . Genus enim,quoad permanet,a ſua ſpecie non recedit . Cum uero de ſpecie ſumimus argumentum,genus quidem eſt,de quo aliquid quaeritur,ſed id laboramus,ut id, quod de genere conamur oſtendere , ex ſpecie poſsit facilius agnoſci . Vt,cum uxori Fabiae relictum fuiſſet legatum, ſi materfamilias fuiſſet , quoniam non conuenerit in manum , ſcilicet, ab in manus conuentione,quae ſpecies eſt uxoris,uxorem,quod eſt matrisfamiliae genus, a legati iure ſeiungimus, & legatum ad ſpeciem, ideſt matremfamilias , deriuamus . ſed illud interius diſpiciendum uidetur , Num locus ab antecedentibus , & conſequentibus totus ſuperuacaneus eſſe uideatur,cum, quolibet modo fuerint ex eo argumenta compoſita,a ceteris locis,quos ſuperius deſcripſimus, non recedant . Nam, quodcumque ab antecedentibus,& conſequentibus ducitur argumentum , id uel a toto , uel a partibus, uel a coniugatis , uel ab aliquo reliquorum tractum eſſe perpenditur , hoc modo : Si utilis eſt aequitas conſtituta ad res ſuas obtinendas,utile eſt ius ciuile,at id,quod praecedit,quod ſequitur igitur . Hoc eſt a definitione argumentum,ſcilicet ab aſſumptione praecedentis . At , ſi dicam , Sed non eſt ius utile ius ciuile . non eſt igitur utilis aequitas conſtituta ad res ſuas obtinendas . Hic per conſequentis aſſumptionem a definitionis loco ſumptum eſt argumentum . Item a partium enumeratione,ſi neque cenſu,neque ceteris,neque eſt liber,at cenſu, uel ceteris,eſt igitur liber . at non eſt liber, neque cenſu, igitur neque ceteris manumiſſus eſt . Sed notandum eſt,quae ſit uis unius cuiuſquam argumenti,& quo nam modo proferatur,ſunt enim argumenta, quae praedicatiuis apta ſint ſyllogiſmis,ut a definitione ſic ; Ius ciuile eſt aequitas conſtituta,& reliqua . Id uero utile eſt, utile eſt igitur ius ciuile . Item a partibus, qui neque cenſu , neque uindicta teſtamento eſt manumiſſus,hic ex ſeruitute liber factus non eſt . Stichus uero neque teſtamento,neque cenſu,neque uindicta manumiſſus eſt . Stichus igitur liber non eſt,& in ceteris eodem modo . Omnia uero, quaecumque per categoricum ſyllogiſmum proferri poſſunt, eadem per condicionale dici queunt . Omnis namque praedicatiua propoſitio in condicionalem uerti poteſt,hoc modo : Omnis homo animal eſt,praedicatiua eſt : haec facile uertitur in condicionalem,ita : Si homo eſt,animal eſt . Non uero omnis condicionalis in praedicatiuam uerti poteſt,uelut haec : Si peperit,cum uiro concubuit . Nemo enim dicere poteſt ipſum peperiſſe,id eſſe,quod cum uiro concumbere; quomodo dicimus hominem id eſſe,quod animal ſit . Alia enim ratio eſt in his propoſitionibus,quae ita dicuntur : Quae peperit , cum uiro concubuit . haec enim ſimilis eſt ei, quae dicit : Si peperit , cum uiro concubuit . Sed praedicatiua propoſitio id eſſe ſubiectum dicit, quod fuerit praedicatum . Condicionalis uero id ponit , ut id , quod antecedens fuerit , comitetur neceſſario , quod ſubſequitur . Cum uero praedicatiua eſt propoſitio,ſi ea uertatur in condicionalem,alia nimirum redditur propoſitio . Nam, cum dicitur,omnis homo animal eſt , ipſe homo animal eſſe proponitur . Cum uero : Si homo eſt, animal eſt,non id ſentitur,ut ille,qui homo eſt,animal ſit,ſed propoſitio eſſe hominem, conſequi,ut ſit animal . Ergo condicionalis ſyllogiſmus in anteceſsione,& conſecutione poſitus,licet per definitionem,licet per partium enumerationem,licet per coniugationem,& quolibet alio fiat modo,tamen in propria forma ſe continet,& eſt condicionalis,ideſt,utens propria condicione . ut quodammodo cetera argumenta ſuae ueluti naturae uideatur habere ſubiecta . Vt,cum ſit a definitione argumentum,ſiquidem per praedicatiuam formam factus fuerit ſyllogiſmus,a definitione deductum eſſe dicatur . Sin uero per hypotheſin facta fuerit argumentatio,condicionalis ſit ſyllogiſmus , quem diſcernat aſſumptio , utrum ab antecedentis , an a conſequentis parte promatur . Quo fit, ut, etiam ſi per ceteros locos condicionale argumentum feratur , tamen ſuam quandam habeat formam,quandoquidem in anteceſsione,& conſecutione eſt conſtitutust . unc enim definitio,partes , coniugatio,&c . ueluti res ipſae fiunt,ac non locus,cum uenerint in condicionem . At,ſi condicio ceſſet,ex ipſis perfectum uidebitur argumentum . Quod,ſi propoſitionem condicio copulauerit,ipſa quidẽ ea ſunt,quae in propoſitionibus continetur,ueluti quaedã argumenti partes,locus uero in cõdicione eſt conſtitutus . Atque haec ita dicta ſunt,quaſi aliter condicionalis hic locus tractari nõ ualeat,niſi eorum aliquem,quos praediximus, includat : nam poteſt praeter eos etiam ſaepe reperiri,ut,cum dicimus : Si homo eſt,riſibilis eſt : Si coruus eſt,niger eſt : hic.n.nec definitionẽ,nec partes,nec ullũ aliũ locum ſuperius enumeratorũ continet argumentũ . Amplius:facile eſt in ſingulis eorum differentias peruidere: locus quippe a toto,a ſubſtantia traditur,a partibus uero a rei compoſitione . nam in ſimplicibus terminis tale argumentum non poteſt inueniri,a nota,ab interpretatione, a coniugatis , ab eo, quod ex eodem utrumque deducitur, a genere, a continenti, a forma, ab eo, quod

continetur,

continetur, a differentia, ab eo, quod diſcrepat, a ſimilibus, ab eadem qualitate; a contrariis, ab eo, quod a ſe longe diuerſa ſint, a cauſsis efficientibus, ab effectis, ab his, quae uim alterius efficientiae ſuſceperunt, ab adiunctis, a uicinitate naturae, a comparatione maiorum, parium, a relatione, ad aequalem, uel inaequalem quantitatem. Ab antecedentibus uero longe alius modus eſt. conſtat enim in eo, quod, ſi propoſitum quid fuerit, aliud quiddam modis omnibus exſiſtet, quod conſequens appellatur. Huius uero intelligentia conſiſtit in eo, quod praecedente quolibet aliud ſubſecutum ſit. Repugnantium uero intelligentia conſiſtit, non modo, quod neque ſequi, neque antecedere poſſunt, uerumetiam, quod ſimul eſſe non poſſunt. quae in condicione conſiſtere dubium non eſt. His igitur expedtisi, quoniam M. T. proprietatem loci, ut in tranſcurſu potuit, euidenter expreſsit, nunc quibus modis eodem loco uti conueniat, adiungit. Quae Topicorum pars, quoniam diligentius explananda eſt, finem quarto uolumini faciam, quincto cetera rediturus.

GVEVARA. Deinceps *eſt locus Dialecticorum proprius.*] Antecedentium, conſequentium, repugnantium locum unum eſſe, eumq. recte condicionalem apppellari. Condicionalis propoſitio, quid ſit. Cur non ſimilitudo, & contrarium locus ſit unus. Quare hic locus Dialecticorum proprius: quo modo differat ab adiunctis. An idem ſit, cum genere, ſpecie, contrario: & qualiter a ceteris locis diſtinguatur, copioſe explicat Boetius. Quemadmodum, & ea, quae de diuerſis concluſionibus modis, & hypotheticis propoſitionibus ſubinfert Cicero. Quare mearum partium eſſe non ſum arbitratus, quae hic ab interpretibus expoſita ſunt diligenter, quaſi de meo ponere, & uenditare pro nouis.

CICERO

Cvm tripertito igitur diſtribuatur locus hic, in conſecutionem, anteceſſionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus ſimplex eſt, tractandi triplex. Nam, quid interſt, cum hoc ſumpſeris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui ſit omne argentum legatum, utrum hoc modo concludas argumentum? ſi pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri: eſt autem pecunia ſignata argentum, legata igitur. an illo modo? Si numeratata pecunia non eſt legata, non eſt numerata pecunia argentum: eſt autem numerata pecunia argentum, legata igitur eſt. An illo modo: Non & legatum argentum eſt, & non eſt legata numerata pecunia: legatum autem argentum eſt, legata igitur numerata pecunia eſt.

EXPLANATIO

BOETII. LIBER. V. De omnibus quidem hypotheticis ſyllogiſmis, Patrici rhetorum peritiſsime, plene, abundanterq. digesſimus his libris, quos de eorum principaliter inſtitutione conſcripſimus: a quibus integram perfectamq. doctrinam, cui reuoluendi illa uacuum tempus eſt, lector accipiet. Sed, quia nunc Ciceronis Topica ſumpſimus exponenda, atque in his aliqnorum M. T modorum meminit, dicendum mihi breuiter exiſtimo de his ſeptem condicionalibus ſyllogiſmis, quae eorum natura ſit propoſitionumq. contextio: ut, cum haec ad ſcientiam rite praelibata peruenerint, Tulliana facilius noſcantur exempla. Omne igitur, quod in quaeſtione dubitatur, aut ueriſimilibus, aut neceſſariis probabitur argumentis. Argumentum uero omne, aut in ſyllogiſmi ordinem cadet, aut ex ſyllogiſmo uires accipier. Syllogiſmus uero omnis propoſitionibus conſtat. Propoſitiones autem omnes, uel ſimplices ſunt, uel compoſitae. Simplices, quae ſimplicibus orationis partibus coniunguntur. Copulant autem incompoſitam propoſitionem ſimplices orationis partes nomen, & uerbum, ueluti, cum dicimus: Dies eſt, uel dies uernus eſt, uel dies ſerenus eſt. hic enim omnem uim propoſitionis nomen connectit, & uerbum. Omnis autem ſimplex propoſitio ex ſubiecto praedicatoq. conſiſtit. Subiectum eſt, de quo dicitur id, quod praedicatur. Praedicatum eſt, quod de eo dicitur, quod ſubiectum eſt. Verbum autem, aliquoties praedicato nomini adiungitur, aliquoties ipſum praedicatur. Praedicato nomini adiungitur, in hac propoſitione, quae dicit: Dies ſerenus eſt, Dies enim ſubiectus eſt, ſerenus praedicatur, Eſt uero uerbum, ſereno adiunctum eſt, quod diximus eſſe praedicatum. At ſi talis propoſitio, quae ſolo nomine conſtet, & uerbo, ueluti cum dicimus: Dies eſt, tunc dies ſubiicitur, Eſt uerbum ſine dubio praedicatur, ſine uerbo autem nulla eſt propoſitio. Omnis enim propoſitio, uel uera, uel falſa eſt. niſi aũt uerbũ ſit quodlibet adiunctum, quo eſſe aliquid, aut non eſſe dicamur, nulla ueritas, aut falſitas in propoſitionibus deprehenditur. Saepe autem propoſitiones etiam ex totis orationibus conſtant, ut, ſi dicamus: Tranſire in Africam utile eſt Romanis. Hic enim ſubiectum quidem eſt tranſire in Africam utile aũt Romanis praedicatũ, eſſe uero praedicato coniungitur: huiuſmodi igitur oẽs propoſitiones praedicatiuae dicuntur. praedicatiue uero appellantur, quia aliud de alio praedicant. Omneſq. qui ex his propoſitionibus fiunt ſyllogiſmi, ſecundũ enunciationũ ſuarum formas praedicatiui appellantur. Ex his autẽ praedicatiuis propoſitionibus exſiſtunt compoſitae propoſitiones, quarum aliae quidem copulatiua coniunctione nectuntur, ut, Et dies eſt, & lux eſt. Aliae uero per condicionem fiunt, quae etiam condicionales enunciationes uocantur. Hae uero ſunt, quae coniunctione quadam partibus interpoſita ad conſequentiam condicionemq. ducuntur. Age enim ſint duae propoſitiones praedicatiuae, una quidem, quae dicit, animal eſt, alia uero, quae proponit, homo eſt. His ſi coniunctio interueniat, faciet: Si homo eſt, animal eſt. Vides

igitur,

igitur, ut duas praedicatiuas propoſitiones in unam condicionem coniunctio copulauerit. Quae cum ita ſint, omnes hae propoſitiones hypotheticae, ideſt condicionales uocantur, atque ex his ſyllogiſmi tales exſiſtunt, quibus hypotheticis, uel condicionalibus nomen eſt. Omnis autem hypothetica propoſitio, uel per connexionem fit, uel per diſiunctionem. Per connexionem, hoc modo; Si dies eſt, lux eſt. Per diſiunctionẽ ita, aut dies eſt, aut nox eſt. Earum uero, quae per connexionem fiunt, aliae ex duabus affirmatiuis copulatae ſunt, ut ſi dies eſt, lux eſt, namque dies eſt, & lux eſt, utraeq. aliquid affirmant. Aliae ex duabus negatiuis, ut ſi lux non eſt, dies non eſt, utraque negatio eſt. Aliae uero ex affirmatiua, negatiuaq. coniunctae ſunt, ut ſi dies eſt, nox non eſt. Aliae uero ex negatiua, atque affirmatiua copulãtur, ut ſi dies non eſt, nox eſt, oẽs tamen in cõnexione ſunt poſitae. Aut enim affirmatio affirmationẽ ſequitur, aut negatio negationem, eique connexa eſt: aut affirmationem negatio, aut negationẽ affirmatio, ſed ex cõnexis repugnãtes manifeſtũ eſt naſci. Namque ubi affirmatio ſequitur affirmationem, his ſi media negatio interpoſita ſit, repugnantiam facit hoc modo: ſi dies eſt, lux eſt, hic affirmatio ſequitur affirmationẽ. At cũ dico, ſi dies eſt, lux non eſt, repugnãt inter ſe partes propoſitionis connexae interpoſita negatione. Item quoties negatio ſequitur negationem, ſi poſteriori propoſitionis parti negatiuum dematur aduerbium, repugnantes fiunt hoc modo: Si animal non eſt, homo non eſt, haec connexa eſt ex duabus propoſita negatiuis. At ſi poſteriori parti homo non eſt, negatiuum detrahatur aduerbium, fiet, Si animal non eſt, homo eſt, quod repugnat. At ſi affirmatio negationem ſequatur, ſiue poſteriori parti negatio iungatur, ſiue priori auferatur, repugnantes fiunt hoc modo: Si dies non eſt, nox eſt, hic igitur affirmatio ſequitur negationrm. Siue igitur poſteriori parti nox eſt, negatio copuletur, ut ſit ita: Si dies non eſt, nox non eſt: ſiue priori auferatur, ut ſit ita: Si dies eſt, nox eſt, repugnantem fieri propoſitionem neceſſe eſt. Quod ſi negatio affirmationem ſequatur, & poſteriori parti negatiuum aduerbium ſubtrahatur, propoſitionis connexae partes in repugnantiam cadunt, hoc modo: Si uigilat, non ſtertit, hic affirmationem ſequitur negatio. Sed ſi poſteriori parti, ideſt non ſtertit, negatio dematur, fiet, Si uigilat, ſtertit, & erit repugnans. ſed in connexis, atque diſiunctis propoſitionibus illud intelligendum eſt, quod in earum partibus & uis quaeſtionis includitur, & argumenti. Age enim, dubitetur, an lux ſit, idq. approbandum ſit, eo, quod dies eſt. Si igitur ita fiat propoſitio, Si dies eſt, lux eſt. Ea quidem pars totius propoſitionis, quae ſequitur, ideſt lux eſt, quaeſtionis eſt, de ea namque quaerirur, an lux ſit: ea uero, quae prior eſt, ideſt dies eſt, uim continet argumenti: ex eo enim, quod dies eſt, lux eſſe probabitur, & in ceteris quidem, uel connexis, uel diſiunctis eadem ratio eſt. In omnibus uero his, quoniam ſyllogiſmus, atque argumentatio ad demonſtrandam partem alteram quaeſtionis accommodatur, quaeſtio uero omnis dubitabilis eſt, oportet ſyllogiſmos, qui accommodantur ambiguae quaeſtioni, indubitabiles eſſe, atque perſpicuos, qui ut ſint tales, ex claris, atque apertis, & in ueritate patentibus propoſitionibus neceſſe eſt conſtent. propoſitiones uero partium per ſe notae ſunt, partim aliquibus probationibus indigebunt. Omnis uero ſyllogiſmus enunciatione propoſita habet alicuius partis aſſumptionem, ut quod eſt, in quaeſtione concludat, hoc modo, Si dies eſt, lux eſt. ut igitur lucem eſſe demonſtrem, aſſumam unam partem proſitionis ſuperius conſtitutae, dicamque; Sed dies eſt, ac tunc demum id, quod eſt in quaeſtione concludam, lux eſt igitur. Ergo, cum ad ſyllogiſmi concluſionem, & tota enunciatione in proponendo, & in aſſumendo parte enunciationis utamur, neceſſe eſt, ut ea, quibus utimur, nil habeant dubitabile. Siquidem ex his ea, quae ſunt ambigua, capient fidem. quod ſi propoſitio aliquoties quidem per ſe nota eſt, atque perſpicua, aliquoties uero probationis indigens inuenitur, aſſumptio quoque aliquoties per ſe uera eſſe notabitur, aliquoties approbationis indiget adiumentis. Quo fit, ut, ſi & propoſitio, & aſſumptio demonſtrandae ſint, quinquepartitus (ut Cicero etiam in Rhetoricis auctor eſt) ſyllogiſmus fiat, conſtans ex propoſitione, eiuſque probatione, aſſumptione, eiuſdemq. probatione, & concluſione. Quod ſi neutra ſit approbanda, tripartitus ſit, ex propoſitione ſcilicet, & aſſumptione, & concluſione. Quod ſi altera earum demonſtranda ſit, fit quadripartitus, ex propoſitione ſcilicet, & aſſumptione, atque unius earum approbatione, & concluſione. Concluſionis uero ipſius approbatio praecedente propoſitione, atque aſſumptione perficitur. Quae cum ita ſint, cumq. omnis propoſitio hypothetica in cõnexionem, diſiunctionemq. diuidatur, in connexis propoſitionibus aliud dicimus praecedens, aliud conſequens. Idem autem conſequens, & connexũ uocamus, uelut in hac propoſitione; Si dies eſt, lux eſt: dies eſt, praecedit; annectitur, lux eſt. In diſiunctis autem non eſt eadem ratio, quia cum ea, quae proponuntur, ſimul eſſe non poſſunt, nullo modo dicuntur eſſe connexa. Praecedens aũt, & ſubſequens inde iudicatur, quia, quod primum ponitur, iure antecedens uocatur: quod poſterius, iure ſubſequens dicitur. Ex his igitur propoſitionibus, quae connexae ſunt, fit primus, & ſecundus, hypotheticorum ſyllogiſmorum modus. addita uero negatione propoſitioni connexae ex duabus affirmationibus copulatae, eaq. inſuper denegata tertius accedit. Ex diſiunctis uero propoſitionibus diuerſo modo aſſumptionibus factis, quartus, & quinctus. Vtriſque uero per negationem compoſitis, ſextus & ſeptimus. Atque hae ſeptem ſunt hypotheticae concluſiones, quarũ M.T. in Topicis meminit. quarum omnium deinceps ordo, atque exempla ſubdenda ſunt. Primus igitur modus eſt, cum in connexa propoſitione aſſumpto eo, quod praecedit, uolumus monſtrare, quod ſequitur ita eſſe oportere, ut eſt in connexione prolatum, in quo ſi id, quod connexum eſt, ac ſequitur, aſſumpſerimus, nullus omnino fit ſyllogiſmus, huius exemplum tale eſt: Si dies eſt, lucet: Si igitur lucere monſtremus, aſſumamus neceſſe eſt, diem eſſe, hoc modo: Atqui dies eſt, conſequitur ergo ex neceſſitate lucere. Quod ſi lucere aſſumamus, atque ita dicamus: Atqui lucet, non neceſſe eſt diem eſſe. Atque ideo nulla neceſſitas euenit concluſionis, ubi nulla neceſſitas eſt, nec ſyllogiſmus intelligi poteſt. Eſt igitur primus modus in hanc formam: Si dies eſt, lucet: dies autem eſt, lucet igitur. Inueniuntur tamen, in quibus aequo modo ualet aſſumptio, ſiue praecedens,

ſiue

ſiue ſubſequens aſſumatur,ut in homine,atque riſibili. Si enim homo eſt,riſibile eſt; at qui homo eſt, riſibile igitur eſt; atqui riſibile eſt, homo igitur eſt. Sed in his haec cauſſa eſt,quia homo,atque riſibile aequi ſunt termini,atque iccirco,uno poſito,alterum comitari neceſſe eſt. Sed, quia hoc in omnibus non eſt, iccirco dicimus non eſſe uniuerſale,ut,aſſumpto poſteriore,quod praecedebat,probetur. Secũdus uero modus eſt, quoties aſſumpto poſteriore,atque conſequenti,quod anteceſſerat aufertur,hoc modo: Si dies eſt, lucet. Hic, ſi aſſumamus non lucere,contrario modo,atque in propoſitione prolatum eſt,aſſumamus dicentes: atqui nõ lucet in eo,igitur ſequitur non eſſe diem: quod,ſi diem negemus,id eſt,quod antecedit in aſſumptione cõtrario modo,atque poſitum eſt,& in propoſitione proferamus,non tollitur,quod eſt connexum, ut ſi dicamus: Atqui non eſt dies,non mox ſequitur non lucere. Poteſt enim non eſſe dies,& tamen lucere. Eſt igitur ſecundi modi forma huiuſmodi: St dies eſt,lucet; atqui non lucet, non eſt igitur dies. Primus igitur modus aſſumit quod praeceſsit,ut approbet,quod connexum eſt. Non poteſt uero aſſumere,quod connexum eſt; ut probet,quod praeceſsit. Secundus autem aſſumit e contrario,quod ſequitur,ut,quod praeceſsit, euertat, non poteſt autem e contrario aſſumere,quod praeceſsit,ut id,quod connexum eſt,auferatur. Tertius modus eſt,cum inter partes connexae,atque ex duabus affirmationibus copulatae propoſitionis negatio interponitur,eaq. ipſa negatio denegetur,quae propoſitio ὑπερποφατικὴ Graeco ſermone appellatur,ut in hac ipſa, quã ſuperius propoſuimus: Si dies eſt,lux eſt: ac,ſi alterius denegemus,erit ita: Non,ſi eſt dies, lux non eſt: cuius propoſitionis iſta ſententia eſt,quia ſi dies eſt,fieri non poteſt,ut lux non ſit. Quae propoſitio ſuper abnegatiua appellatur,taleſq. ſunt omnes,in quibus negatio praeponitur negationi. ut non eſt dies. Et rurſus, Nec non Auſonij Troia gens miſſa coloni. In hac igitur,ſi priorem partem,ideſt diem eſſe,in aſſumptione ponamus,conſequetur etiam lucem eſſe,hoc modo: Non, ſi dies eſt, lux non eſt; atqui dies eſt,lux igitur eſt. Qui modũs a ſuperioribus plurimum diſtat,quod in eo modo,qui ſit ab antecedentibus,ponitur antecedens, ut id,quod ſequitur,adſtruatur. In modo uero a conſequentibus perimitur cũſequens, ut id, quod praeceſſerat,auferatur. In hoc uero neutrum eſt: nam neque antecedens ponitur,ut,quod ſequitur,confirmetur: nec interimitur ſubſequens,ut id,quod praeceſſerat,euertatur,ſed ponitur antecedens,ut id,quod ſequitur,interimatur. Hic autem propoſitionis modus partes inter ſe ſuas continet repugnantes. Aduerſum quippe eſt,ac repugnat: Si dies eſt,non eſſe lucem,ſed iccirco rata propoſitio eſt,quia conſequentium repugnantia facta per mediam negationem,alia negatione deſtruitur, & ad uim affirmationis omnino reuocatur. nam, quia conſequens eſſe intelligitur,& uerum, ſi dies eſt,eſſe lucem repugnat: ac falſum eſt,ſi dies,non eſſe lucem,quae denegata rurſus uera eſt ita. Non,ſi dies eſt,lux non eſt: & fit conſimilis affirmationi: Si dies eſt,lux eſt: quia facit affirmationem geminata negatio. Similiter uero fiunt ex repugnantibus propoſitionis partibus argumẽta: uel,ſi affirmatione,& negatione iungatur. Quomodo uero fiant ex talibus connexis repugnantes, ſuperius dictum eſt: fit uero ex ea propoſitione,quae duabus iungitur negatiuis ex repugnanti argumentum,hoc modo. Sit propoſitio: Si non eſt lux,dies non eſt,fiat repugnans ita: Si non eſt lux,eſt dies. huic iungamus negationem,ut fiat uera ita, Non,ſi lux non eſt,dies eſt,atqui lux non eſt,dies igitur non eſt. Item ſit ex negatione,atque affirmatione propoſitio haec, Si dies non eſt,nox eſt. huic addatur ex poſteriore parte negatio,& ſit ita. Si dies non eſt,nox non eſt,fit repugnans. haec nihilominus abnuatur,ut ſit uera, Non,ſi dies nõ eſt,nox non eſt. aſſumimuſque; Atqui dies non eſt,concludimus,nox igitur eſt. Item, ſi ex eadem propoſitione,quae ex negatiua,affirmatiuaq. coniungitur,& dicit: Si dies non eſt,nox eſt, A priori parte negatio ſubtrahatur,fiet repugnans,hoc modo: Si dies eſt,nox eſt. Huic apponatur negatio,ut uera eſſe poſsit,hoc modo: Non,ſi dies eſt,nox eſt. Aſſumamque, atqui dies eſt, concluditur, nox igitur non eſt. At,ſi ſit ex affirmatione,& negatione propoſitio coniuncta,uelut haec: Si uigilat,non ſtertit. Demitur poſteriori parti negatio,ut fiat ita: Si uigilat,ſtertit,ſed haec repugnat. Tota rurſus propoſitio denegetur, ut uera fiat, hoc modo: Non ſi uigilat ſtertit,aſſumimus,atqui uigilat,concludamus neceſſe eſt,non ſtertit igitur. Sed hae quattuor ex repugnantibus concluſiones in tertio loco modo conſiſtere intelligũtur,quarum quidem Tullius tres commemorauit,unamq. praecepto docuit,eam,quam propoſitio talis efficit,quae duabus iungitur affirmatiuis. Duas uero exemplo,ſcilicet eam,quae tali propoſitione naſcitur,quam duae copulant negationes: & eã, quae ex tali connexa procreatur,quae ex affirmatione,negationeq. conſiſtit. Reliquam uero praeteriit, quod illarum ſimilitudine etiam in tertium concluſionis modum uidebatur incidere. Quartus modus in diſiunctione conſiſtit,hoc modo: Aut dies eſt,aut nox eſt, ſed dies eſt, nox igitur non eſt. Huius haec ratio eſt, quia diſiunctiua enumeratione propoſita prior pars eius aſſumitur affirmando,ut ſubſequens auferatur,ex ea enim propoſitione,quae dicit,aut dies eſt,aut nox eſt,aſſumimus, Atqui dies eſt, ſcilicet affirmantes eſſe diem, quã affirmationem aſſumptionis conſequitur non eſſe noctem. Quinctus modus eſt, cum in eadem diſiunctiua propoſitione,id,quod primum eſt,negando,aſſumitur. ut id,quod eſt poſterius, inferatur, hoc modo: Aut dies eſt,aut nox eſt,atqui dies non eſt,per negationem ſcilicet factam eſt aſſumptio, conſequitur eſſe noctem. Sextus uero modo,ac ſeptimus,ex quarti,& quincti modi diſiunctiua propoſitione deducuntur,una negatione ſcilicet adiecta,& diſiunctiua praepoſitione detracta,additaq. coniunctiua his propoſitionibus, quae ſuperius in diſiunctione ſunt poſitae,hoc modo: Non & dies eſt & nox eſt. Dudum igitur in diſiunctiua ita fuit, ut aut dies eſt,aut nox eſt. Ex hac igitur propoſitione ſublata,aut coniunctione, quae erat diſiunctiua, adiecimus; & quae copulatiua eſt,propoſuimuſq. negationem. Itaque fecimus ex partibus diſiunctiuae propoſitionis copulatis addita negatione propoſitionem ſexti, atque ſeptimi modi,quae eſt: Non & dies eſt,& nox eſt. In qua,ſi aſſumatur eſſe diem,noctem non eſſe conſequitur,atqui dies eſt,non eſt igitur nox. Septimus uero modus eſt,cum prima pars propoſitionis negando ſumitur,ut poſterior ſubſequatur,hoc modo: Non

& dies

& dies eſt,& nox eſt,atqui dies non eſt, nox igitur eſt. Atque hic modus propoſitionum in ſolis his inueniri poteſt,quorum alterum eſſe neceſſe eſt,ut diem,uel noctem,aegritudinem,uel ſalutem, & quidquid medium non habet. Quo autem modo omnium ſyllogiſmorum condicionalium ueritas ſeſe habeat, his diligentiſsime explicauimus libris,quos de hypotheticis conſcripſimus ſyllogiſmis. Nunc uero, non quod de his perfectior conſideratio inueniri poteſt,appoſuimus, ſed id, quod ad explanandum M. T. ſententiam poterat accommodari. Vt igitur cuncta,quae diximus,breuiter colligantur. Primus modus eſt, quoties in connexa propoſitione primum,ut in propoſitione locatur,aſſumitur ut conſequatur ſecundum,hoc modo: Si dies eſt, lux eſt, atqui dies eſt,lux igitur eſt. Secundus modus eſt,quoties in connexa propoſitione ſecundum e contrario aſſumitur,quam in propoſitione locatum eſt,ut id,quod primum eſt,auferatur, hoc modo: Si dies eſt, lux eſt, atqui non eſt lux,non eſt igitur dies. Tertius modus eſt,cum connexae propoſitionis partes ex affirmationibus iunctae negatione diuidũtur,totiq. propoſitioni negatio rurſus adiungitur,aſſumiturq. quod prius eſt,ut in propoſitione eſt enunciatum, ut e contrario concludatur ſecundum quam in propoſitione prolatum eſt, hoc modo. Non,ſi dies eſt,lux non eſt,atqui dies eſt,lux igitur eſt. Hic ergo poſito,quod praecedebat,ideſt eſſe diem,euerſum eſt,quod ſequebatur,ideſt non eſſe lucem; negationem quippe affirmatio omnis euertit,uel cum connexae propoſitionis negationibus iunctae ſecundae parti,negatio detrahitur,totaq. propoſitio denegatur,poſitaq. priore propoſitionis parte interimitur,quod ſubſequitur,hoc modo, Non, ſi lux non eſt, dies eſt,atqui lux non eſt,dies igitur non eſt. Vel,ſi connexae propoſitionis ex negatione, atque affirmatione compoſitae ſecundae parti negatio iungatur,eaq. inſuper denegetur,ponaturq. quod prius eſt, ut id, quod ſequitur,auferatur,hoc modo. Non,ſi dies non eſt,nox non eſt,atqui dies non eſt,nox igitur eſt. Vel, ſi in eadem propoſitione,quae ex negatione,atque affirmatione copulata eſt,priori parti negatio ſubtrahatur,eaq. denegetur,ponaturque,quod primum eſt,ut id,quod ſequitur,auferatur,hoc modo: Nõ, ſi dies eſt,nox eſt, atqui dies eſt,nox igitur non eſt. Vel,ſi connexae propoſitionis ex affirmatione,& negatione copulatae poſteriori parti negatio dematur, totaq. inſuper denegetur, poſitoq. priore, id,quod ſequitur, interimatur, hoc modo. Non,ſi uigilat,ſtertit; atqui uigilat,non ſtertit igitur. Atque haec omnia in tertio eſſe intelliguntur modo. atque ex repugnantibus fiunt, & ſemper id, quod antecedit,ponitur,ut id,quod ſequitur, auferatur. Nam,ſicut in propoſitione condicionali,quae negata repugnantia partiũ fit uera, prima pars proponitur, ſiue affirmatiue,ſiue negatiuẽ, ita eã reddit aſſumptio. Sed,ut prima pars fuerit aſſumpta, reliqua contraria enumeratione concluditur. Nam,ſi aſſumptio fuerit affirmatiua,erit negatiua concluſio: ſi aſſumptio negatiua, erit concluſio affirmatiua. Quartus modus eſt,cum in diſiunctiua propoſitione primum ponitur,ut auferatur ſecundum,hoc modo: Aut dies eſt,aut nox eſt: atqui dies eſt,non eſt igitur nox. Quinctus modus eſt: quoties in diſiunctiua propoſitione aufertur, quod prius eſt, ut ponatur ſecundum, hoc modo: Aut dies eſt, aut nox eſt; non eſt autem dies, nox igitur eſt. Sextus modus, cum his rebus, quae in diſiunctionem uenire poſſunt, ideſt contrariis, uel repugnantibus, medietate carentibus negatio praeponitur, & copulatiuae coniunctiones adiunguntur,poniturque,quod primum eſt,ut id,quod eſt ſubſequens,auferatur,hoc modo: Non & dies & nox eſt: dies autem eſt,nox igitur non eſt. Septimus modus eſt, cum in eadem propoſitione aufertur id, quod praecedit, ut ponatur id, quod conſequitur, hoc modo: Non & dies eſt, & nox eſt: atqui dies eſt,nox igitur eſt. His igitur ita praedictis,ad Ciceronis uerba ueniamus.

EVM locum,qui ex antecedentibus,& conſequentibus,& repugnantibus eſſet,unum recte uideri,eumq. in condicione eſſe poſitum,ſed trina partitione diſtribui, ſuperius explicatum eſt: idq. M. Tull. euidentius notat,dicens: Intellectum quidem eius,conſiderationemq. in condicione poſitam unam eſſe,ſed per argumentationis tractationem tripartito diuidi. Cuius rei per primum, ac ſecundum,& tertium hypotheticorum ſyllogiſmorum modum,ſicut paullo ſuperius diximus,exempla ſubiecit. Quae,quoniam implicatiora uidentur, quã ut primo ſtatim auditu comprehendantur, uiſum paulliſper eſt apertioribus exemplis animũ lectoris imbuere,ut in facilioribus primum excitata intelligentia ſine magno negotio,quae ſunt difficiliora, perpendat. Ab antecedentibus igitur argumentatio fit,quoties enunciata condicione propoſitionis ſumitur id, quod anteceſsit, ut id, quod ſequitur,inferatur,hoc modo: Sit enim dubium,an Tullius animal ſit, concedaturq. eũdem Ciceronem eſſe hominem,& ſit rata propoſitio haec. Tullius, ſi homo eſt, animal eſt. Homo antecedit, animal ſequitur. Si igitur ex antecedenti uelim facere argumentationem, aſſumam id, quod praecedit, hoc modo: Sed homo eſt Cicero, conſequitur animal eſſe Ciceronem. Et eſt hic primus, quem ſupra diximus, modus. Rurſus a conſequenti argumentatio fit, quoties in condicione propoſita id, quod conſequitur, tollit aſſumptio, ut id, quod praeceſſerat,interimatur,hoc modo: Si homo eſt Cicero,animal eſt. Antecedit homo, ſequitur animal. Si igitur ex conſequenti facere argumentum uelim, dicam: Atqui non eſt animal, ſequitur ne eſſe hominem quidem, ſed id perſpicue falſum eſt, eſſe enim hominem conſtat, falſum eſt igitur animal non eſſe. Tullius igitur animal eſt, & hic dictorum ſuperius ſecundus eſt modus. Quod, ſi a repugnantibus fiat, in tertio ſcilicet modo digeſtarum ſuperius concluſionum, faciemus, ita: Non, ſi homo eſt Tullius, animal non eſt,repugnat enim eſſe hominem, & animal non eſſe. Hic, ſi aſſumamus eſse hominem, & animal quoque eſse, recta ratione concludimus, hoc modo: Atqui homo eſt, animal igitur eſt, atqui hic quidem modus ex ea propoſitione connexa conuerſus eſt, quae ex duabus iuncta eſt affirmatiuis. His igitur tribus modis Tullius, qui homo eſset,animal quoque eſse monſtratus eſt. Nunc quidem dum id, quod antecedit aſsumimus, id eſt eſse hominem. Nunc uero dum id,quod conſequitur,in aſsumptione denegamus, ideſt non eſse animal. Nunc autem repugnantiam denegantes eorum,quae ſibi ſunt conſequentia, poſito quod praecedebat,id, quod ſequebatur, intulimus. Quibus ita praecognitis, nunc M. Tull. tra-

ctemus,

ctemus exempla. Cum enim dixiſſet loci in conſecutione, anteceſsione, & repugnatia poſiti, reperiendi quidem argumenti ſimplicem eſse intellectum, tractandi autem triplicem adiecit. Nam, quid intereſt, cum tibi ſumpſeris ad demonſtrandum pecuniam numeratam mulieri deberi, cui ſit argentum omne legatum, utrum id ab antecedentibus, an a conſequentibus, an a repugnantibus probes? Namque eadem ſententia in concluſione colligitur, & argumentationum diuerſitas non in re, ſed in antecedentium, & conſequentium, & repugnantium tractatu eſt conſtituta. Primum igitur ponatur, quod teſtamento aliquis omne ſuum argentum mulieri legauerit, quaeraturque, an numerata pecunia mulieri legata ſit. concedaturq. etiam pecuniam argentum appellari: argumentum igitur in primo modo ex antecedentibus tali ratione contexitur.

Proponimus enim ſi pecunia ſignata, numerataq. argentum eſt, eadem pecunia numerataa, atque ſignata legata mulieri eſt, hic igitur praecedit numeratam, atque ſignatam pecuniam argentum eſſe, ſequitur legatam eſſe mulieri. Id igitur, quod praeceſsit, aſſumimus dicentes: At eſt ſignata, ac numerata pecunia argentum. Concludimus: numeratam ſignatamq. pecuniam mulieri eſſe legatatam, eritq. totius argumentationis hic textus: Si pecunia ſignata, numerataq. argentum eſt, legata mulieri eſt, At eſt pecunia ſignata, numerataq. argentum, igitur legata eſt mulieri. In quo ſi ad ſaepius praemiſſa, plurimiſq. exemplis ſuperius enodata, lectoris animus reuertatur, hanc argumentationem in primo modo ab antecedentibus eſſe compoſitam non ignorabit. A conſequentibus uero hoc modo: Si numerata pecunia non eſt legata mulieri, cui ſit argentum omne legatum, numerata pecunia non eſt argentum. Hic igitur praecedit numeratam pecuniam non eſſe legatam, cum ſit argentum omne legatum, ſequitur numeratam pecuniam argentum non eſſe: Si id, quod eſt poſterius, auferamus, ideſt numeratam pecuniam non eſſe argentum, dicimus: Atqui eſt numerata pecunia argentum, affirmatio namque tollit negationem. Sequitur igitur, ut pars praecedens auferatur ea, quae erat non eſſe legatam mulieri pecuniam numeratam, cum argentum ei fuiſſet omne legatum. Sed, cum ſit omne, negatio affirmatione conſumitur, dicimuſq. in concluſione, Eſt igitur numerata pecunia mulieri legata, cum ei ſit argentum omne legatum, eritq. huiuſmodi argumentatio, Si non eſt mulieri legata pecunia numerata, cum ei ſit argentum omne legatum, non eſt argentum numerata pecunia, atqui eſt argentum numerata pecunia, legata eſt igitur mulieri numerata pecunia, cum ei fuerit argentum omne legatum. Sed, quod Tullius breuitatis cauſſa praeteriit, ideſt, illam partem propoſitionis, quae ait: Cum ſit mulieri omne argentum legatum, nos apertioris cauſſa intelligentiae ſubiunximus, nec perturbare lectorem debet, quod cum in ſuperioribus exemplis in ſecundo modo per negationem facta fuerit ſemper aſſumptio, & per negationem rurſus illata concluſio, nunc per affirmationem, & aſſumptio, & concluſio facta eſt. Cuius rei euidentiſsima ratio eſt. nam, cum in ſuperioribus exemplis prima propoſitio ex affirmationibus fuerit conſtituta, atque in ſecundo modo aſſumptio id, quod ſequebatur, auferret, ita ut interimeret id, quod praecedebat, neceſſarium erat duplicem affirmationem gemina negatione conſumi, hoc modo, Si dies eſt, lux eſt, utraeq. in affirmatione ſunt conſtitutae. Vt igitur poſterior pars, ideſt lux eſt, quae affirmatio eſt, interimatur, deneganda eſt, dicam igitur: Atqui non eſt lux, quo ut praecedentem quoque partem, ideſt dies eſt, quam affirmationem eſſe manifeſtum eſt negatione tollamus, concludentes: dies igitur nō eſt. At in hoc Ciceronis exemplo utraq. pars primae, atque hypotheticae propoſitionis negationibus enunciata eſt, quae in aſſumptione, uel concluſione non aliis niſi affirmationibus auferuntur, hoc modo. eſt.n. tale Ciceronis exemplum: Si legata non eſt mulieri numerata pecunia, non eſt numerata pecunia argentū, uides, ut ſit utraque negatio. Nam, & non eſſe legatam mulieri pecuniam numeratam, & non eſſe numeratā pecuniam argentum, utraeq. in negatione ſunt poſitae. quod ſi auferenda eſt per aſſumptionem propoſitionis, conſequens pars quoniam negatio eſt, non eſſe numeratam pecuniam argentum, dicendum eſt, Argentum eſt pecunia numerata. Quod ſi in concluſione auferenda eſt pars praecedens ea, quae negatio eſt, id eſt, non eſſe legatam mulieri pecuniam numeratam, dicendum eſt: Legata igitur mulieri numerata pecunia eſt. Et ſecundus quidem modus a conſequentibus factus huiuſmodi eſt. Illud tamen eſt diligentius annotandum, quod ſuperius Tullius, cum locorum omnium breuiter exempla diſponeret, loci huius, qui a conſequentibus ducitur, inconueniens ſecundo condicionalium ſyllogiſmorum modo ſubiecit exemplum, potiuſq. primo conuenit modo, qui non a conſequentibus concluſionem, ſed ab antecedentibus facit. Ita quippe poſuit a conſequentibus: ſi mulier, cum fuiſſet nupta cum eo, cum quo connubium conceſſum non eſſet, nunciū remiſit, quoniam, qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. Hic igitur, cum quaeratur, an dotis pars apud uirum debeat permanere, id, quod praecedit, aſſumitur, ut fiat rata cōcluſio, hoc modo: Mulier cum eo nupta eſt, qui cum connubium non fuit, concluditur, Quoniam igitur, qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet: & ita non eſt a conſequentibus argumentū, quia non id, quod conſequebatur, aſſumptum eſt, ſed id, quod praecedebat. Erat quippe antecedens, nupta mulier praeter connubij ius; ſequebatur, cum filij patrem non ſequebantur, pro eis nihil ex dote retineri. Sic igitur Tullius pro eo, quod eſt a conſequentibus argumentum, ab antecedentibus potius dedit exemplum. Poteſt uero fieri a conſequentibus argumentum ita, ſi id, quod quaeritur, prius ponatur, & id, quod aſſumendum eſt, poſterius hoc modo: Si quid ex dote pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi ſequuntur, cum eo nupta eſt mulier, qui cum connubij ius eſſet. Sumo igitur id, quod conſequitur, per negationem, ita, ſed non eſt nupta mulier, cum eo, qui cum connubij ius erat, atque ideo, qui nati ſunt, patrem non ſequuntur.

Perimitur ergo in concluſione id, quod in propoſitione praeceſſerat ita, pro liberis igitur manere nihil oportet. Sed de ſecundo modo iſta ſufficiant: nihil namque, ut arbitror, praetermiſſum eſt. Tertius modus a repugnantibus longe perſpicuus; hoc modo. Non ſi legatum argentum eſt, non eſt legata mulieri pecunia numerata. Hic namque conſequens erat, Si argentũ eſſet omne legatũ; pecuniam quoque numeratã fuiſſe legatã, ut igitur fieret repugnans, huic conſequentiae interpoſita negatio eſt, dictumque, Si argentũ omne legatũ eſſet, numeratã pecuniã nõ eſſe legatũ. quod quia pugnat, & falſum eſt, ad ueritatẽ alia negatione reducitur ſic. Nõ ſi legatũ argentũ eſt, non eſt legata numerata pecunia, ut ſcilicet ei affirmationi conueniat, quae dicit, Si legatum argentum eſt, legatam eſſe pecuniam numeratam. Aſſumimus igitur huic propoſitioni argentum omne eſſe legatum, & conſequitur, omnem numeratam pecuniam mulieri eſſe legatam, ut ſit forma argumentationis huiuſmodi. Non ſi legatum argentum eſt, non eſt legata numerata pecunia, atqui legatum argentum eſt, legata eſt igitur numerata pecunia. M. uero Tullius propoſitionẽ ita formauit, Non & legatum argentum eſt, & non eſt legata numerata pecunia, ſed nos iccirco cauſſalem cõiunctionẽ appoſuimus eã, quae eſt ſi, ut ex quo eſſet genere talis propoſitio monſtraremus. Namque connexo negatione addita fit repugnans. Connexum uero nulla aeque, ut ſi coniunctio poſſet oſtẽdere, quamquã idẽ efficiat ẽt copulatiua coniunctio. Nam, quae connexa ſunt, etiam coniuncta eſse intelliguntur ex hoc, quod paullo ante diximus. Quod argumentum ex ea propoſitione profectũ eſt, quae duabus affirmationibus copulabatur, & iuncta negatione inſuper denegata eſt. In omnibus igitur illud eſt approbatum, pecuniã numeratã mulieri deberi, cum ſit argentũ omne legatum. Sed nunc quidem ex ſupra deſcriptis propoſitionibus id, quod antecedebat, aſſumpſimus. Nunc uero id, quod conſequebatur. Nunc autem id, quod repugnabat. Ac de explanandis Ciceronis exemplis, ut arbitror, ſatis. Illud autem dubitationem mouere poteſt. Nam ſi quis minus callidus ad Ciceronis exempla reſpiciat, eundem locum arbitrabitur eſſe a genere, quem ab antecedentibus, & conſequentibus, & repugnantibus eſſe diximus. Illo falſus errore, quod in utriſque locis eodem utitur exemplo, argenti uidelicet, & numeratae pecuniae. Sed diligentius intuenti in eiſdem rebus diuerſus argumentationum uidebitur tractatus eſse. Aliud quippe eſt dicere, cum argenti ſpecies ſit numerata pecunia. Si genus legatum ſit, & ſpeciem eſse legatam, quoniam numquam ſpecies a genere ſeparatur. Aliud eſt in concluſione enumerationem proponere, & eiuſdem partibus aſsumendis argumentationem uaria ratiocinatione formare, ut ſuperius demonſtratum eſt, cum praeſertim huiuſmodi ex conſequentibus, antecedentibus, & repugnantibus argumentationes etiam praeter genera, ac ſpecies fieri poſsint, uelut nos ſuperius indicauimus in die, atque luce. Nã, neque dies lucis, neque lux diei ſpecies, aut genus eſt, ſed in tantum conſiderari debet, quia poſito altero alterum neceſsaria ratione ſubſequitur. Differunt igitur loci a genere, uel a ſpecie ab eo loco, qui in condicione eſt conſtitutus, quoniam illi ex uniuerſalitatis, ac partis ratione ducuntur, hic autem in conſequentiae, ac repugnantiae ordine tractatur. Poſt haec igitur Tullius hypotheticorum modos, concluſioneſq. dinumerat, hoc modo.

C I C E R O

*A*PPELLANT *autem dialectici eam concluſionem argumenti, in qua cum primum aſſumpſeris, conſequitur id, quod annexum eſt, primum concluſionis modum. Cum id, quod annexum eſt, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum ſit; ſecundus appellatur concludendi modus. Cum autem aliqua coniuncta negaris, & his alia negatio rurſus adiungitur, & ex his primum ſumpſeris, ut, quod relinquitur, tollendum ſit; is tertius appellatur concluſionis modus. Ex hoc illa rhetorum ſunt ex contrariis concluſa, quae ipſi Enthymemata appellant: non quod omnis ſententia proprio nomine Enthymema dicatur: ſed ut Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Graecos ſuum; ſic, cũ omnis ſententia Enthymema dicatur, quia uidetur ea, quae ex contrariis conficiatur, acutiſſima, ſola proprie nomen commune poſſidet. Eius generis haec ſunt:*

Hunc metuere, alterum in metu non ponere:
Eam, quam nihil accuſas, damnas:
Bene qua meritam eſſe autumas, dicis male mereri.
Id, quod ſcis, prodeſt: nihil id, quod neſcis, obeſt.

Hoc differẽdi genus attingit omnino ueſtras quoque in reſpondendo diſputationes, ſed philoſophorũ magis, quibus eſt cum oratoribus illa ex repugnantibus ſententiis cõmunis concluſio, quae a dialecticis tertius modus, a rhetoribus Enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures ſunt, qui ex diſiunctionibus conſtant: aut hoc, aut illud: hoc autem, non igitur illud. Itemq. aut hoc, aut illud: non autem hoc, illud igitur. Quae concluſiones iccirco ratae ſunt, quod in diſiunctione plus uno uerum eſſe non poteſt. Atque ex iis concluſionibus, quas ſupra ſcripſi, prior quartus, poſterior quinctus a dialecticis modus appellatur. Deinde addunt coniunctionum negantiam, ſic: Non & hoc eſt, & illud, hoc autem, non igitur illud. hic modus eſt ſextus. Septimus autẽ, Non & hoc, & illud: non autem hoc, illud igitur. Ex his modis concluſiones innumerabiles naſcuntur, in quo eſt fere tota dialectica. Sed ne eae quidem, quas expoſui, ad hanc inſtitutionem neceſſariae.

E X P L A N A T I O

BOETIVS. ETSI multipliciter ſuperius cuncta digeſsimus, nec expoſitionis indiget repetita toties

ties diſputatio, erit tamen operaepretium,ſi quam breuiſsime potero M. T. uerbis mediocris lucem commen
tationis interſeram. Septem igitur modis hypotheticos enumerans ait. Cum in connexis propoſitionibus id,
quod eſt primum,aſſumitur,ut oſtendatur ſecundum, primum a dialecticis modum uocari, hoc modo, Si
hoc eſt,illud eſt,quod dicit hoc, primum eſt. Quod uero ait illud, ſecundum. aſſumitur ergo, quod primum
eſt, atqui hoc eſt.concluditur igitur id,quod ſecundum eſt,illud igitur eſt. uelut in his rurſus exemplis. Si ho-
mo eſt,animal eſt.aſſumitur: atqui homo eſt, concluditur animal igitur eſt. Secundum uero modum ait eſſe
Tullius connexis propoſitionibus textum,in quo cum ſecundum negatur,ſequitur, ut id etiam,quod primũ
eſt,abnegetur,hoc modo: Si hoc eſt,illud eſt: illud autem non eſt, igitur ne hoc quidem eſt. In exemplis
ita; Si homo eſt, animal eſt: animal autem non eſt, homo igitur non eſt. Tullius ita dixit, Cum id,quod an-
nexum eſt negaris, ut id quoque cui fuerit annexum negandum ſit,ſecũdum eſſe modum quaſi connexa pro-
poſitione affirmatiuis partibus iuncta, uniuerſaliter autem rectius diceretur, cum id, quod annexum eſt, id
eſt ſecundum,perimitur,perimi illud quoque cui annexum eſt,ideſt primum,ut ſi affirmatiuum eſt id, quod
annexum eſt, negatione perimatur. Si uero negatiuum affirmatione. & de eo quoque cui annexum eſt, id
eſt primo,idem eſt,ut ſi in connexa propoſitione affirmatur,in concluſione denegetur,ſecundum nunc propo
ſitum Ciceronis exemplum. Si uero negatiua ſit propoſitionis prior pars,in concluſione contraria affirmatio
ne tollatur. Tertium modum ait eſſe Cicero, cum ea, quae coniuncta ſunt, denegantur, & his alia negatio
rurſus adiungitur, ut quia animal homini coniunctum eſt, ita dicamus: Non & homo,& non animal eſt, at-
que ex his unum ponitur, ut, quod relinquitur auferatur, hoc modo. Ponimus eſſe hominem dicentes: At-
qui homo eſt: quod ergo relinquitur,non eſt animal; aufertur, atque concluditur, animal igitur eſt. Fit argu
mentatio,hoc modo,Non & homo eſt,& non animal: atqui homo eſt,animal igitur eſt. Ex his naſci dicit En
thymemata ex contrariis concluſa,quibus plurimũ Rhetores uti ſolent;atque haec Enthymemata nuncupan-
tur,non,quod eodem nomine omnis inuentio nuncupari non poſsit. Enthymema namque eſt mentis con-
ceptio, quod poteſt omnibus inuentionibus conuenire. Sed, quia haec inuenta,quae breuiter ex contrariis
colliguntnr,maxime acuta ſunt propter excellentiam, ſpeciemq. inuentionis,commune Enthymematis nomẽ
propriũ factũ eſt,ut haec a Rhetoribus quaſi proprio nomine Enthymemata uocẽtur. Sicut Graecus quoque
poeta Homerus,poeta tantũ dicitur,& quiſquis ex Homero aliquid profert,ita dicere cõſueuit, Hunc uerſum
poeta locutus eſt,& tunc non alius intelligitur praeter Homerũ,nõ quo ceteri non ſint poetae, ſed quod excel
lentia eius commune nomen uertit in proprium. Fiunt uero haec Enthymemata,hoc modo, ex contrariis ui-
delicet texta,hunc metuere,alterũ in metu nõ ponere,uelut ſi de Lentulo,& Cethego,ceteriſq. diceretur; Pau
cos ciues interfici metuis,ne reſpublica intereat,nihil la'boras. Cõnexũ eſt,ut quicumque noluerit interire pau
cos ciues,rempublicã multo magis nolit exſtingui. Quibus cũ iterponitur negatio,fit ex repugnantibus argu
mentum. ſed hoc breuiter Tullius enunciauit, nos uero argumentum in ſyllogiſmum redigamus a repugnan
tibus, ſcilicet ex quo enthymemata naſci ſolẽt, hoc modo: Sit connexum, ſi quis metuit ciues paucos interfi-
ci, is metuit intetire rempub. his interponitur negatio ſic. Si quis metuit ciues paucos interfici, is non me-
tuit interire rempub. iungitur alia negatio. Non ſi quis metuit paucos ciues interfici, non metuit interire
rempub. Quae duae negationes uni affirmationi pares ſunt,quae dicit: Si quis metuit,hoc metuit,& illud, cu-
ius quidem aſſumptio eſt, at metuit hoc: concluſio ſequitur, metuit igitur illud. Quae tantundem ualet ſi
negando interrogetur, ita, hoc metuis,illud non metuis. Sed, quia non totus (ut ſupra poſuimus) in his ar-
gumentationínibus ponitur ſyllogiſmus, ſed propoſitio,cuius aſſumptio,& concluſio notae ſunt, iccirco en-
thymema dicitur,quaſi breuis animi conceptio, & in ceteris exemplis idem modus eſt. Sed haec quidem Ci-
ceronis ſimilitudo non tam ex repugnantibus,quam ex contrarijs argumentum intelligitur continere. Metue
re quippe,& non metuere contraria ſunt,niſi haec ipſa uerborum prolatio a contrariis argumentum ad repu
gnantiam retrahat. Nam, quod dicit hunc metuere, alterum in metu non ponere,tale eſt,ut repugnantia ui-
deatur. Et enim metuere,& non metuere uere contraria ſunt. In metu autem non ponere,& metuere prola-
tione ipſa tam contraria,quam repugnantia intelliguntur,licet eadem probetur eſſe ſententia. His adiecit alia
rurſus exempla,eam quam nihil accuſas,damnas. Huius enthymematis talis eſt integer ſyllogiſmus: Non ſi ni
hil accuſas, damnas; ſed nihil accuſas,non damnas igitur. Venit ergo,hoc argumentum ex ea propoſitione
connexa,quae ex duabus componitur negatiuis,ita;Si nihil accuſas,non dãnas. Poſteriori uero parti detracta
negatio eſt,& inſuper tota eſt propoſitio denegata,hoc modo: Non ſi nihil accuſas, damnas. Et ex ea factũ
eſt argumentum,quod poſitum in interrogatione efficit enthymema hoc: Quam nihil accuſas,damnas. Bene
quam meritam eſſe autumas, male mereri: huius quoque enthymematis talis eſt collectio; Non, & bene
meritam eſſe autumas, & male mereri: atqui bene meritam eſſe autumas, non male igitur mereri, quod en-
thymema ex propoſitione connexa proficiſcitur. Quae conſtat ex affirmatione, & negatione, ita: Si bene
meritam eſſe autumas,non male mereri. Cuius ex poſteriore parte dempta negatione, totaq. propoſitio-
ne denegata fiet propoſitio: Non ſi bene meritam eſſe autumas, male mereri: quod interrogatione dedu-
ctum,facit enthymema: Bene quam meritam eſſe autumas, male mereri. Item id,quod ſcis prodeſt, nihil id,
quod neſcis obeſt, hoc quoque enthymema tali nectitur ſyllogiſmo,Nã ſi id,quod ſcis,prodeſt,& id,quod ne-
ſcis,non obeſt: at id,quod ſcis,prodeſt,obeſt igitur id,quod neſcis: hoc argumentũ ex ea propoſitione cõpo-
ſitum eſt, quae duabus affirmationibus iuncta accceperit mediam negationem, & inſuper denegata eſt.
Quod interrogatum, ſit enthymema, hoc modo; id, quod ſcis prodeſt, nihil id, quod neſcis obeſt. Om-
nium uero ſuperius exemplorum iſta ſententia eſt, Nam quiſque nihil accuſat, eam damnare recte non po-

eſt. Et eam, quam bene meritam eſſe autumat, male eandem mereri turpe eſt: Et ſi id, quod ſcit quiſque in cauſſa, proderit; oberit, ſi eſt contrarium, id, quod neſcit. Hunc uero locum communem eſſe oratoribus, ac philoſophis dicit. Sed apud illos tertium modum, apud rhetores enthymema nuncupari. Reliqui, inquit, modi plures ſunt, nam cum tres ſuperius enumeraſſet modos, adiungens quattuor, plures dixit. Hi ſunt, in diſiunctionibus conſtituti hocmodo, Aut hoc, aut illud, qui eſt quartus modus, a nobis quoque ſupra poſitus ita, Aut die seſt, aut nox eſt, dies autem non eſt, non igitur nox eſt. & ſemper, quod ait Cicero, hoc ad praecedens ſpectat. quod uero ait illud, ad conſequens, ſiue in connexis praepoſitionibus, ſiue diſiunctis. Item, aut hoc, aut illud, non autem hoc, illud igitur. Hic quoque quinctus modus eſt uelut in his exemplis, Aut dies, aut nox eſt, non autem dies, nox igitur eſt. Quarum concluſionum neceſsitatem ex eo dicit euenire, quia quae in diſiunctione ſunt poſita, mediũ non uidentur admittere, ut eſſe aliud praeter eorũ alterum posſit, atque ideo uno ſublato alterum eſſe, unoq. poſito alterum non eſſe concluditur: quod ſi ſit mediũ, quod praeter alterutrum eſſe posſit, nec uera eſt propoſitio, nec rata concluſio. Vel ut in his, Aut albũ eſt, aut nigrum, falſum eſt, eſſe enim praeterea rubrum poteſt. Sed, ſi ponamus eſſe album, uel auferamus, non neceſſe erit, non eſſe, uel eſſe nigrum, quia rubrum eſſe, quod eſt medium, poteſt. Deinde, inquit T. addunt coniunctionum negantia in diſiunctiuis, ſcilicet propoſitionibus, hoc modo, Non & hoc, & illud, hoc autem, non igitur illud. ideſt non & nox, & dies eſt: nox autem eſt, non igitur dies eſt. hic igitur ſextus modus eſſe praedictus eſt. Septimus autem ex eadem ueniens praepoſitione, hoc modo. Non & hoc, & illud: non autem hoc, illud igitur. uel ſi ita dicamus. Non & nox, & dies eſt, non autem nox eſt, dies igitur eſt. Quae propoſitiones niſi in diſiunctiuis medioq. carentibus rebus ratam concluſionem habere non poterunt, age enim ita dicamus, Non & album, & nigrum, ponamusq. non eſſe album, non conſequitur, ut ſit nigrum, poteſt enim eſſe, quod medium eſt. Huiuſmodi igitur per negationem coniunctionum, ut T. ait, propoſitio, ſi ratas factura eſt concluſiones, in diſiunctis rebus, medioque carentibus accommodatur, alias non erit rata concluſio. Diſtat uero propoſitio tertij modi a propoſitione ſexti, & ſeptimi, quod tertij modi propoſitio ex coniunctis naſcitur. Haec ſexti, & ſeptimi, ex diſiunctis terminis exſiſtit, ut in ſuperioribus patet exemplis. Ex his igitut, inquit, modis concluſiones innumerabiles naſcuntur. unus enim quilibet horum modorum infinitis concluſionibus aptari poteſt, ueluti primus, ac ſecundus in omnibus, quae ſibi connexa ſunt, quorum nullus eſt numerus, ſi quis proſequi uelit. Itemq. repugnantium infinita eſt multitudo, in quibus tertius modus eſt utilis. Item plura diſiuncta ſunt, in quibus quartus, & quinctus, & ſextus, & ſeptimus plurimum ualent. Atque in his, inquit, omnis fere eſt dialectica. ſed ad Topicos locos tres primi modi ſunt neceſſarij, qui anteceſsionem, conſecutionem, & repugnantiam tenent. Reliqui uero complendae diſputationis magis gratia, quam quod ad hanc inſtitutionem neceſſarij fuerint, uidentur adiecti.

GVEVARA. QVAE *ipſi enthymemata appellant.*] De quibus ſatis multa Ariſtoteles lib. ſecundo Priorum reſolutionum, & lib. primo Poſteriorum. Et in Rhet. ad Theodectem, lib. primo, & ſecundo. Et Quinctilianus, in Oratoriis Inſtitutionibus. VT *Homerus propter excellentiam, commune Poetarum nomen efficit apud Graecos ſuum;*] Iuſtinianus Imp. lib. primo Inſtitut. titulo ſecundo, de iure naturali gentium, & ciuili. Sed quoties, inquit, non addimus nomen, cuius ſit ciuitatis, noſtrum ius ſignificamus: ſicuti cum poetam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Graecos Egregius Homerus: apud nos Virgilius.

C I C E R O

*P*ROXIMVS *eſt locus rerum efficientium, quae cauſſae appellantur. deinde rerum effectarum ab efficientibus cauſſis. Harum exempla, ut reliquorum locorum, paullo ante poſui, & quidem ex iure ciuili: ſed haec patent latius. Cauſſarum igitur genera duo ſunt. Vnum, quod ui ſua id, quod ſub ea ſubiectum eſt, certe efficit, ut ignis accendit: Alterum, quod naturam efficiendi non habeat, ſed ſine quo effici non poſſit: ut ſi quis aes cauſſam ſtatuae uelit dicere, quod ſine eo non poſſit effici. Huius generis cauſſarum, ſine quo non efficitur, alia ſunt quieta, nihil agentia, ſtolida quodam modo, ut locus, tempus, materiae, ferramenta: & cetera generis eiuſdem: alia autem praecurſionem quandam adhibent ad efficiendum, & quaedam afferunt per ſe adiuuantia, etſi non neceſſaria, ut amori congreſſio cauſſam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere cauſſarum, ex aeternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur. Atque, ut earum cauſſarum, ſine quibus effici non poteſt, genera diuiſi, ſic etiã efficientium diuidi poſſunt. Sunt enim aliae cauſſae, quae plane efficiant nulla re adiuuante; aliae, quae adiuuari uelint: ut ſapientia efficit ſapientes ſola per ſe: beatos efficiat nec ne ſola per ſe, quaeſtio eſt.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. POST eum locum, qui in condicione eſt conſtitutus, conſequens erat is, qui conſiderabatur ex cauſsis, poſt hunc is enumeratus locus eſt, qui in effectis cauſſarum poſitus argumenta praeſtabat. Quorum quidem ſuperius M. T. exempla poſuit, nunc rationem latius tractat. Cum igitur Ariſtoteles quattuor poſuerit cauſſas, quibus unumquodque conficitur. Primam, quae mouendi principium eſt:

ſecun-

ſecundam, ex qua fit aliquid, quam materiam uocat tertiam rationem, ac ſpeciem qua unumquodque formatur: quartam, finem propter quem quodlibet efficitur. At uero uero M. T. principalem cauſſarum diuiſionem facit in ea, quae efficiant aliquid, & in ea ſine quibus effici nequeant, ut id, quod efficit ad eam cauſſam conferarur, in qua motus principium conſtitutum eſt, id uero, ſine quo non fit aliquid, tũ ad intellectum materiae transferatur, uel eorum, quae coniuncta materiae efficientis adiuuant facultatem, tum ad reliquas cauſſas ducatur, ut paullo poſterius apparebit. Eius igitur cauſſae, quae ui ſua id, quod ſub ea ſubiectum eſt, efficit, tale ponit exemplum: ut ignis accendit. nam accenſionis ipſius cauſſa ignis eſt, & id efficere poteſt, atque illud, quod accenditur, mouet, atque permutat. Eam uero cauſſam, ſine qua id, quod faciendum eſt fieri nequit, ab una eius parte deſignat, ueluti cum dicit, Aes cauſſam eſſe ſtatuae, quod ſine eo ſtatua non poſsit exſiſtere. Haec autem, ut per faciendam diuiſionem clareſcet, non ea ipſa eſt cauſſã, ſine qua non efficitur, ſed pars eius eſſe monſtrabitur. Eam uero cauſſam, ſine qua id, quod faciendũ eſt, effici non poteſt, diuidit hoc modo. Alia enim eius ſunt quieta, nihil agentia, ſtolida quodammodo, ac per ſe, niſi agendi extra motus acceſſerit, immobilia. horum exempla, ut locus, tempus, materia, inſtrumentum. Omne enim, quod fit, locum neceſſe eſt habere ſubiectum, in quo niſi aliquid fiat, locus ipſe immobilis eſt ad aliquid explicandum. Itemq. materia, & inſtrumenta, niſi manu moueantur artificis, ipſa naturaliter nihil egerint. Tempus quoque operationi ſubiectum eſt, quae ſi deſit, nihil ipſum propriae naturae ratione perfecerit. Atque haec quidem ſunt, quae nihil per ſe agunt, tamen cauſſae ſunt, ſi his efficiens operatio ſuperuenerit. Alia uero, quae in motu poſita praecurſionem quandam ad efficientiam, ac praeparationem uidentur afferre, ut amoris cauſſa eſt congreſsio, quae praeceſsit, & amor flagitij. Ex his, inquit, cauſsis Stoica diſputatio fatum connectit. Fatum enim dicunt eſſe praecedentium cauſſarum, ſubſequentiumq. rerum perplexionem quandam, & catenae more continentiam, hoc modo: Ideo profectus eſt peregre, quoniam parentum iracundiam ferre non poterat: iccirco parentum ſuccenſionem non ferebat, quia amicae amore detinebatur: iccirco amabat, quod ſaepe fuerat ante congreſsus. ideo congreſſus eſt, quia aliquid, ut congrederetur, praeceſsit: itaque ordine praecedentium conſequentiumq. rerum, Fatum (ut dicit) a Stoicis nectitur. Item diuidit eam cauſsam, quae ui ſua efficit aliquid, in eam, quae ad efficiendum ſibi ſufficiat, eamque, quae extrinſecus adminiculationis indigeat. Sufficit igitur ſibi ad efficiendum cauſſa, ut ſapientia efficere ſapientes per ſe nullo penitus adiuta ſolet. Sed haec an ſola beatos efficere poſsit, quaeritur, an ei ſint extrinſecus addenda, quae iuuent, uel fortunae bona, uel corporis. Itaque ea, quae ui ſua efficit aliquid, aut talis eſt, ut ei ſint extrinſecus adiumenta quaerenda, ueluti artifici inſtrumenta quaedam, quibus id, quod efficiendum eſt, explicet, atque conformet. Horum uero omnium, quae Tullius ſtatuit in alterutra diuiſione cauſſarum, illa quidem, quae ui ſua explicant ea, quorum cauſſae ſunt, omnia tam per ſe ad efficiendũ ualentia quam, quaeſiti extrinſecus iuuaminis indigentia, in ea Ariſtotelicae diuiſionis cauſſa locabuntur, quae eſt principium motus. Quamquam de ſapientia tali cauſſae non conueniat exemplum, ſed potius ad rationem formamq. contendat: namque ſapientia ratione quadam, atque forma efficit ſapientes. Eius uero cauſſae, quam Tullius refert, ſine qua non fit aliquid, materia quidem, tempus, & locus, ideſt, ex quo fit, uel in quo fit: quae ſunt efficientis ſubiecta naturae, ut uno intellectu comprehendantur, uel materiae ſunt, uel materiae uice ſuppoſita: inſtrumenta uero eius cauſſae ſunt, quae ad finem ſpectant, ſed non ipſa finis: quia non finis inſtrumenta reſpicit, ſed haec finem. inſtrumenta namque propter aliquem finem parantur. Sed mirum uideri poteſt, cur congreſsionem, amoris cauſſam, non inter ea numerauit, quae habent efficiendi uim, ſed inter eas poſuerit cauſſas, ſine quibus effici non poteſt, cum tamen agat aliquid, atque moueat. nam ipſa congreſsio aliquid uidetur efficere, ſimiliſq. eſt ei cauſſae, quae ipſa quidẽ habet efficiendi uim, ſed in adminiculo non poteſt: ueluti cum quaeritur de ſapientia, an ſola beatum poſsit efficere. Sed Merobaudes rhetorica ita diſſeruit, earum cauſſarum, quae efficiendi uim haberent, eam eſſe facultatem, ut, etiamſi adiumentis extrinſecus indigeant, effectus tamen earum ad id ſpectet, quod efficiendum eſt. at in his, quae ſunt praecurſoriae, etiamſi eis antecedẽtibus aliquid exſiſtit, non tamen id, quod exſiſtere intelligitur, praecurſio principaliter operatur. Sed iſta quidem ueluti ſub quadam occaſione praecurrit: illa uero res, quae exſiſtere dicitur, aliis operantibus naſcitur, ũelut in congreſsionem fieri ſolitũ eſt. Fortaſſe enim non propter amorẽ quiſque congreditur. Sed praecedente congreſsione amor exſiſtit, quem non congreſsio principaliter appetebat. Itaque, quoniam praeter congreſsionem amor exſiſtere non potuit, recte inter eas cauſſas locata uidetur, ſine quibus non efficitur. quoniam uero non efficit ui ſua, quandoquidem, nec principaliter, ut efficiat, ſpectat, ſed tantum ea antecedente aliquid exſiſtit, recte inter praecurſorias, ac non inter efficientes cauſſas eſt collocata.

GVEVARA. Proximvs *eſt locus efficientium, quae cauſſae appellantur.*] Cauſſarum igitur genera ſunt. In partitionibus oratoriis, idem Cicero ſcribit. Cauſſarum autem genera ſunt plura. Nam ſunt aliae, quae ipſae conficiunt, aliae quae uim aliquã ad conficiendum afferunt. Itaque illae ſuperiores conficientes uocentur, hae reliquae ponantur in eo genere, ut ſine his confici non poſsit. Conficiens autem cauſſa alia eſt abſoluta, & perfecta per ſe, alia aliquid adiuuans, & efficiendi ſocia. Cuius generis uis uaria eſt, & ſaepe aut maior aut minor, ut & illa, quae maximã uim habet, ſola ſaepe cauſſa dicatur. Sunt autẽ aliae cauſſae, quae aut propter principium, aut propter exitũ cõficientes uocantur. Et Plato in Ciuili, uel de regno. Quaecumque, inquit, rem ipſam non fabricant, ſed fabricantibus organa ſubminiſtrant, quibus abſentibus inſtitutum opus nequaquam perficeretur, concauſſas, ut ita dixerim nominamus: eas autem ipſas, quae principium faciũt, cauſſas appellamus. Idem in Timaeo. Duas, ait, cauſſarum ſpecies diſtinguere decet. Vnam quidem neceſ-

ſariam:

ſariam : alteram uero diuinam. Cauſſa autem quid ſit, in Hippia maiori : quomodo inueſtiganda in Phaedone : quomodo aſsignanda, & abeffectu diſtinguenda, in Eutyphro: idem Plato nos docuit. Ariſtoteles uero, quem ſunt plerique ſecuti, cauſſarum quattuor ponit ſpecies, materialem, efficientem, formalem, & finalem. Libro primo de Generatione, cap. primo, lib. de ſomno & uigilia. lib. 2. Poſteriorum reſolut. libro ſecundo Phyſic. Et lib. ſecundo Metaphyſ. Ac inter eas uult gradus conſtituens, finalem cauſſam principalem ceteris dixit, lib. primo de partibus anim. cap. primo. Efficientem quoque meliorem, & diuiniorem, quam materialem lib. ſecundo de Generatione, cap. primo; ubi de cauſsis ſatis multa, & cap. quarto. & lib. quincto, cap. primo. Et in libris Metaphyſ. ſaepe. Quarum omnium cauſſarum, proponi quidem multa poſſent exempla, uel ex ipſo Iure ciuili: nam & hoc quoque Cantiuncula in Topicis legalibus: Appellus in Methodica Dialectices ratione ad Iuriſprudentiam accommodata: Gammarus de modis diſputandi, ac ratiocinandi in Iure, non leuiter attigerunt. Verum haec me notaſſe capita ſatis eſt. Ex *hoc genere cauſſarum ex aeternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur.*] De fato plura Cicero libro ſingulari, Plato in Gorgia, & lib. duodecimo de legibus, Gellius lib. ſexto, Noct. Att. cap. ſecundo. Illud notandum eſt, docte Ciceronem, quod Chryſippus fecerat, fatum inter adiuuantia, non inter neceſſaria numeraſſe. Vt *ſapientia efficit ſapientes, ſola per ſe: Beatos efficiat, nec ne ſola per ſe, quaeſtio eſt.*] Stoici ſolam uirtutem per ſe efficere beatos aiunt: Peripatetici, non ſolam per ſe, ſed cum corporis, & fortunae bonis: ut a Cicerone in Paradoxis, & in libris de finibus bon. & mal. relatum eſt. Ex eo uero, quod ſapientiam efficere ſapientes ſolam per ſe Cicero ſcribit, illud conſequi putat Boetius, aliquando efficientem cauſſam, & formam, idem eſſe: Nam ſapientia ſapientis forma eſt: eademq. ſapientem efficiens cauſſa.

C I C E R O

Q*vare, cum in diſputationem inciderit cauſſa efficiens aliquid neceſſario, ſine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea cauſſa concludere. Cum autem erit talis cauſſa, ut in ea non ſit efficiendi neceſſitas; neceſſaria concluſio non ſequitur. Atque illud quidem genus cauſſarum, quod habet uim efficiendi neceſſariam, errorem afferre non fere ſolet, hoc autem, ſine quo non efficitur, ſaepe conturbat. Non enim, ſi ſine parentibus filij eſſe non poſſunt, propterea cauſſa fuit in parentibus gignendi neceſſaria. Hoc igitur, ſine quo non fit, ab eo, in quo certe fit, diligenter eſt ſeparandum. Illud enim eſt tamquam*

Vtinam ne in memore Pelio ſecuribus
Caeſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

niſi enim cecidiſsent abiegnae ad terram trabes, Argo illa facta non eſſet: nec tamen fuit in his trabibus efficiendi uis neceſſaria. At, cum in Aiacis nauim criſpiſulcans igneum flumen iniectum eſt, inflammatur nauis neceſſario.

E X P L A N A T I O

BOETIVS. Prima quidem cauſſarum diuiſio, ſecundum Tullium, fuit in ea, quae efficerent aliquid, & ea ſine quibus effici non poſſet. atque illud quidem, quod efficeret, in gemina item partitus eſt. ſ. in id, quod ad efficiendum aliquid neceſſariã uim poſsideret: neque illius indigeret extrinſecus adiumenti: & in id, quod niſi aliis adiuuantibus operari, atque efficere non poſset. Ac primum quidẽ de ea loquitur cauſſa, quae efficiendi uim tenet. Eius enim ea pars, cui efficiendi neceſsitas adeſt, ſtatim ſecum concluſionem comitem trahit. dicta enim cauſſa, quae neceſſario aliquid efficit: effectus etiam neceſſe eſt, conſequatur; ueluti ſi ſolem affuiſſe quis dixerit: lucem quoque affuiſſe monſtrabit: aut cum alicubi adeſſe ſapientiam dixerimus ſapientem neceſſe eſt eſſe fateamur. At in his cauſsis efficientibus, quae extra poſitis indigent adiumentis, non eadem ratio eſt. neque enim, ut quaeque huiuſmodi cauſſa dicitur, ita neceſſe eſt effectum ſequi. Non enim huiuſmodi cauſſa neceſſario efficit, quod uult, niſi extra poſitis auxiliis adiuuetur, idem eſt etiam in ea cauſſa, quae ipſa quidem efficiendi uim non habet, ſed ſine ea prouenit effectus. Nam, ut Tullius quoque cõmemorat, nullam in efficiendis rebus adhibet neceſsitatem. Atque ideo dicta cauſſa non ſtatim ſequitur effectus. Neque enim ſi congreſſus eſt, mox amauit, nec ſi fuit aes, ſtatuam quoque fuiſſe neceſſe eſt, ex quo aliarum cauſſarum partitio naſcitur. Aliae namque cauſſae ſunt neceſſariae, aliae minimae. Non neceſſariarum aliae ſunt efficientes, aliae ſine quibus non efficitur. Neceſſariarum uero cauſſarum concluſio non ſolet perturbare. ut enim haec cauſſa fuerit, dicta ſtatim in concluſione ſequuntur effectus. Non neceſſariarum uero, quae ſunt partim efficientes, quod nunc tacuit, ſed paulloante praedixit, non habent ſubſequentẽ effectae rei concluſionem. Neque enim ſi liberi ſine parentibus non ſunt, iccirco in parentibus efficiendi cauſſa neceſſaria fuit, cum uideamus in hominum eſſe poteſtate ne gignant. Ea uero cauſſa, quae ipſa quidem non efficit, ſed ſine ipſa effici non poteſt, huiuſmodi eſt, quemadmodum in Enniano uerſu declaratur. Niſi enim cecidiſſent abiegnae trabes ad terram, ergo illa facta non eſſet. Ex trabibus namque ergo facta eſt, ſed nulla inerat trabibus neceſsitas, ut ex eis fieret nauis. At uero ea cauſſa, quae eſt efficiens, & quae in ſe ſuam continet neceſsitatem, talis eſt, quale cum in Aiacis nauim igneum fulmen ſulcans iniectum eſt, ſtatim enim accendi neceſſe eſt nauim, quia ignis accendendi neceſſaria cauſſa eſt, & ſenſus quidem eſt. huiuſmodi. ordo autem paullo confuſior eſt. ait enim hoc modo, atque illud quidem genus cauſſarum, quod habet uim efficiendi neceſſa-

riam

riam errorem afferre non fere ſolet. Hoc autem, ſine quo non efficitur, ſaepe conturbat. quod cum dixiſſet, cumq. uel utriuſque, uel alterius exemplum ponere debuiſſet, neutro conuenientem exemplo ſimilitudinem dedit. Namque, cum uel neceſſariam cauſſam efficientem, uel eam, ſine qua non efficitur, propoſuiſſet, eius cauſſa poſuit exemplum, quae efficiat quidem aliquid, ſed non ſine extra poſitis adiumentis, hoc modo. Nō enim, ſi ſine parentibus filij eſſe non poſſunt, propterea cauſſa fuit in parentibus gignendi neceſſaria. Parentes enim, & maxime maſculi ſexus efficiens cauſſa eſt, ſed non ſine femina, ideſt non ſine materia quadā, & ea cauſſa, ſine qua fieri non poſsit, cum ipſa uim eficiendi non habeat: itaque nec cauſſae neceſſariae, & efficientis poſuit exemplum, nec eius, ſine qua fieri nihil poſsit, ſed efficientis quidem non tamen neceſſariae, ſed uidetur tacuiſſe in propoſitione id, cuius poſuit exemplum. Ita enim apertius dici potuiſſet, atque illud quidem genus cauſſarum, quod habet uim efficiendi neceſſariam errorem afferre ſolet, hoc autem, quod non habet efficiendi uim neceſſariam, uel hoc, ſine quo non efficitur, ſaepe conturbat. Itaque ſic intelligendum eſt; quaſi ita ſit dictum, nam de neceſſaria cauſſa nullum poſuit exemplum. Quod uero ſubiecit utriſq. cauſsis conuenit poſterius enumeratis, tam efficienti non neceſſariae, quam eius, ſine qua nihil efficitur. Parentes namque tam maſculini ſexus, quam feminini eſſe dicuntur, quorum quidem maſculini ſexus ea cauſſa eſt, quae efficiat, ſed non neceſſaria. Feminini uero ea, quae non efficiat, ſed ſine qua eſſe non poſsit. Quae cum ita ſint, diſcernendae ſunt cauſſae, & praeuidenda neceſsitas, nec omnis cauſſa praemittenda, ut ſubſequatur effectus, ſed ea tantum, in qua eſt efficiendi neceſsitas, etiam ſi extrinſecus adiumenta defuerint.

GVEVARA. QVARE, *cum in diſputationem inciderit cauſsa efficiens aliquid neceſsario, ſine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea cauſsa concludere.*] Vt ſi ſol lucet, ergo dies eſt. Sapientia eſt praeditus, ergo ſapiens eſt. CVM *autem erit talis cauſſa, ut in ea non ſit efficiendi neceſſitas, neceſsaria concluſio non ſequitur.*] Vt congreſſus eſt, ergo amauit: aes eſt, ergo ſtatua. NON *enim, ſi ſine parentibus filij eſſe non poſſunt,*] Exemplum cauſſae efficientis, ſed non neceſſario. VTINAM *ne in nemore Pelio*] Senarij ſunt ex Medea Ennij. Quinctilianus lib. quincto cap. decimo. Recte autem monemur, cauſſas non utique ab ultimo eſſe repetendas, ut Medea: Vtinam ne in nemore Pelio. Quaſi uero id eam fecerit miſeram, aut nocentem, quod illae ceciderint abiegnae ad terram trabes. Et auctor ad Herennium lib. 2. Ne Ennium, & ceteros poetas imitemur, quibus hoc modo loqui conceſſum eſt: Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus. Quod ad fabulam attinet, apud Orpheum, Apollonium, Flauium Diodorum, Strabonem, Crinitum libro decimo quincto, cap. ſexto. Et Politianus, cap. uigeſimo ſeptimo Miſcell. lector inueniet. AT *cum*] Exemplum cauſſae efficientis neceſſario. IN *Aiacis nauim criſpiſulcans igneum fulmen iniectum eſt,*] Ob compreſſam Caſſandram Priami filiam, in templo Palladis, ab Aiace Oileo, quam Pallas ulta eſt. Virgilius primo Aen. Pallas ne exurere claſſem Argiuum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto, Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei? Ipſa Iouis rapidum iaculata e nubibus ignem Diſiecitq. rates, euertitq. aequora uentis. Illū exſpirantem transfixo pectore flammas Turbine corripuit, ſcopuloq. infixit acuto.

CICERO

ATQVE etiam eſt cauſſarum diſſimilitudo; quod aliae ſunt, ut ſine ulla appetitione animi, ſine uoluntate, ſine opinione ſuum quaſi opus efficiant, uelut omne intereat, quod ortum eſt. aliae autem aut uoluntate efficiuntur, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut caſu. Voluntate, ut tu cum hunc libellum legis. Perturbatione, ut ſi quis euentum horum temporum timeat. Habitu, ut facile, & cito iraſcatur. Natura, ut uitium in dies creſcat. Arte, ut bene pingat. Caſu, ut proſpere nauiget. Nihil horum ſine cauſsa, nec quidquam omnino, ſed huiuſmodi cauſſae non neceſſariae.

EXPLANATIO

BOETIVS. FACIT aliam rurſus cauſſarum diuiſionem ita. Cauſſarum enim aliae ſunt, quae ſua quadam ui ſine appetitione, ſine uoluntate, ſine opinione, unum atque eundem efficiendis rebus ordinē tenent, ut eſt interire omnia, quae orta ſunt. Nam, quia ortum eſt, iccirco etiam neceſſe interire, nec tamen ipſe ortus, ut cetera, intereat, uel appetitu aliquo, uel uoluntate, uel opinione efficit, ſed ita eſt ab aeterno rerum ſtatu, ut, quidquid ortum eſt, quia accepit eſſe, aliquando etiam eſſe deſiſtat. Item aliae ſunt cauſſae, quae aut in uoluntate, aut in perturbatione animi, aut in habitu, aut in natura, aut in arte, caſu ue conſiſtunt. Voluutate, ut, ſi quaerat aliquis, cur Trebatius librum legat, reſpondebitur, quia legendi uoluntas eſt. Perturbatione animi, ut ſi quis timore palleſcat, aut urbem fugiat bellis ciuilibus cōturbatus. Habitu, ut, ſi iccirco Trebatius facile de iuris ratione reſponderit, quoniam multo uſu conſtantem ciuilis ſcientiae habitum tenet: uel ſi quis iccirco iraſcatur facile, quia eius animus per iracundiae habitum efferatus eſt. Natura, ut, ſi quis iccirco dicatur iraſci, quia naturaliter iracundus eſt, idq. ei in dies uitium creſcat. Arte, ut, ſi iccirco bené quiſque pingat, quia eius artis peritus eſſe proponatur. Caſu, ut quae in noſtra poteſtate nullo modo ſunt, fiunt tamen uelut incerto praeſertim tempore proſperitas nauigandi: atque horum omnium nihil cauſſa uacuum eſt. nec quidquam eſt in rebus, quod non aliqua cauſſa perficiat. Omnia enim, quae fiunt, habent aliquam rationem, cur facta ſint, quam ſi quis reddere poſsit, cauſſam quoque reddiderit. Idem enim eſt cauſſa, propter

quam

quam unumquodque fit. Omnes uero cauſſae, quae uel ex uoluntate, uel perturbatione animi intelliguntur, ad eam cauſſam pertinent, quae eſt mouendi principium, ut in Ariſtotelica diximus diuiſione. Haec enim, ut aliquid efficiatur, mouendi principium ſunt. At in arte, uel habitu, uel natura illa cauſſa eſt, quae in ratione conſiſtit. Species enim ac ratio uniuſcuiuſque efficiendae rei in arte,& habitu,& natura poſita eſt. Caſus uero exterior cauſſa,nec inter principales annumeratur ſecundum Ariſtotelem. Secundum uero M.T. caſus eſt latens effectae rei cauſſa,quod quale ſit,paullo poſterius deſignabitur.

GVEVARA. Atqve *etiam eſt cauſſarum diſſimilitudo.*] Haec cauſſarum diuiſio eſt, ut Latomus notat, non ſecundum uim,qua efficiunt, ſed ſecundum modum efficiendi. Natvra, *ut uitium in dies creſcat.*] Memineris, inquit, Viſorius,naturam hoc in loco, pro facilitate quadam,& naturali promptitudine capi: ut,adoleſcentes ſuapte natura ad libidinem prompti ſunt. Et Latomus ait: Hic naturam accipe, non in uniuerſum, ſed pro ingenio cuiuſque,quod cum delectum agit,ut in iracundo,& libidinoſo, qui natura tales ſunt, in quibus cum ualet uitium, natura id fieri dicitur.

C I C E R O

O Mnivm *autem cauſſarum in aliis ineſt conſtantia, in aliis non ineſt. In natura, & in arte conſtantia eſt, in ceteris nulla. Sed tamen earum cauſſarum, quae non ſunt conſtantes, aliae ſunt perſpicuae, aliae latent. Perſpicuae ſunt, quae appetitionem animi,iudiciumq. tangunt. Latent, quae ſubiectae ſunt fortunae. cum enim nihil ſine cauſſa fiat, hoc ipſum eſt fortunae, euentus obſcura cauſsa, quae latenter efficit. Efficitur etiam,ut ea,quae fiunt, partim ſint ignorata,partim uoluntaria: Ignorata, quae neceſſitate effecta ſunt: Voluntaria, quae conſilio. Quae autem fortuna, uel ignorata, uel uoluntaria. Nam iacere telum uoluntatis eſt: ferire quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille ſubiicitur, in ueſtris actionibus: Si telum manu fugit magis, quam iecit. Cadunt enim in ignorationem, atque in imprudentiam perturbationes animi,quae quãquam ſint uoluntariae (obiurgatione enim, & admonitione deiiciuntur) tamen habent tantos motus, ut ea, quae uoluntaria ſunt, aut neceſſaria interdum, aut certe ignorata uideantur.*

E X P L A N A T I O

BOETIVS. Rvrsvsq. cauſſarum diuiſionem aliam claram, ac perſpicuam tradit. Caauſſarum namque aliae ſunt conſtantes, aliae uero inconſtantes. Conſtantes ſunt, quarum non fere uariatur effectus. Inconſtantes uero, quae huc, atque illuc facilioribus mutationibus transferuntur. Omnia igitur, quae ex natura, atque arte deſcendunt, conſtantia ſunt. Natura quippe, atque ars ſuum ſemper opus efficiunt,niſi ſubiectae materiae obſtet incertum. Nam, quod unus idemq. artifex ex eadem ſaepe materia non admodum ſimiles ſtatuas format, non eſt haec in arte uarietas: ſed tum in artificis manu, quae integritatem artis aſſequi non poteſt,tum in ipſa materia, quae efficientiae, atque formae non aequaliter cedit. Idem eſt in natura: ſeruat namque conſtantiam ſuam, cum hominem format ex homine. Itaque ſimilia in ceteris ex ſimilibus gignit. At,cum monſtruoſum aliquid effertur, non naturae uitio, ſed materiae potius applicatur, ex qua id,quod efficere contendebat, non ita potuit natura explicare, ſed inter conſtantes cauſſas habitus quoque debuit adiungi. nã, quod ex habitu cuiuſque fit,id conſtans,nec mutabile eſſe ſolet,quandoquidẽ iccirco habitus dicitur,quia diuturnitate habendi in naturae ſimilitudinem uertitur. Sed forſitan illud Tullius uidit, quod natura, atque ars non tam in effectibus conſtantes, quam in propria ratione eſſe intelliguntur in tantum,ut,quod ars ac natura delinquit,materiae ſaepius imputetur. Habitus uero ipſe conſuetudine quadam collectus eſt, qui non ratione aliquid, & propria conſtantia, ſed uſu facit, atque iccirco forſitan habitum, qui inter cetera praeter artem,uel naturam uidebatur eſſe conſtantior, a cauſsis conſtantibus ſegregauit. Ea uero,quae non ſunt conſtantia,in ea diuidit,quae ſunt perſpicua,& in ea,quae latent. Perſpicua ſunt, quae ab animi quolibet motu, uel appetitione, uel iudicij ratione profecta ſunt. Latent uero, quae fortunae ſubiacent. nam quia non ignorat animus, in quam partem declinet, qui tametſi boni aliquando iudicium, numquam tamen eius rei,quam efficit,notionem relinquit praeter eos, qui funditus mente capiuntur, & in quibus iam nulla uoluntas eſt, neceſſe eſt nota eſſe, quae ex uoluntate uel animi iudicio fiunt. Fortuna uero, atque caſus ſemper ignotus eſt. Cuius quidem natura aeque incerta eſt,atque ea,quae ipſis caſibus fiunt. Sed M. T. definit eſſe caſum, euentum cauſsis latentibus effectum, quae non uidetur integra definitio. Quid enim ſi adhuc lateret,quibus cauſsis ſolaris defectus, & lunaris contingeret,num iccirco caſu ac fortunae fierent,quae conſtantibus caeli motibus adminiſtrantur. An caſus quidem putaretur ab his, qui defectus rationem reperire non poſſent, per ſe autem conſideratus nullo quidem modo eſſet caſus. Sed M. T. non qui uideretur eſſe caſus his,qui eius naturam minime perſpexiſsent,ſed qui omnino fortunae euentus eſset, definitionis rationem monſtrabat. Euentum uero latentibus cauſsis Cicero caſum eſse ita concludit. Cum omnia certis de cauſsis fiant, quorum ratio cognoſcitur,eorum euentus caſu fieri non putatur, ſed putatur aliquid fieri caſu eorum,quorum cauſsa nulla ratione cognoſcitur. Ex quo uenit,ut fortuna ſit euentus,qui latentibus cauſsis efficitur. Hic igitur in rebus quidem ipſis conſtantiam ponit, caſum uero non re, ſed opinione metitur. Quo fit,ut,ſi aliter effectae rei nouerit cauſsam,id,quod accidit,non ſit fortunae euentus. Idem tamen fortunae euentus ſit,ſi rationẽ aliter ignoret. Quod uero omniũ rerum cauſsas eſse dicit, non determi-

nat

nat quales, atque ideo nec de fortuna ipſa quorum euentuum cauſſa ſit, monſtrat. Nec me laeuae hominum mentes arrogantiae notent, quod uelut affectata auctoritate Tullianis ſententiis impugnem, cum aduerſus eas ſi quid uidebitur non noſtra, ſed ab antiquiſsimis tractata compenſem: quod ſi noſtra quoque diceremus, oporteret tamen eos non perſonarum uetuſtatem, ſed eorum, quae proponuntur conſiderare rationem, nec odiſſe potius, quae aduerſus magni nominis uiros dicuntur, quam contraria ſi poſſent argumentatione reuincere. Nam ſi eis M. T. in definitione rerum nimium placet, quae nam eſt inuidia nos quoque Ariſtotelicā rationem probare. quod ſi intēperanter moleſtiſsimi eſſe pergunt, audiant M. T. ſecundo Tuſculanarum diſputationum libro adhortantem potius, atque ad certamen uocantem, hoc modo: Sed tamē tantū abeſt, ut ſcribi cōtra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. Ipſa enim Graeciae philoſophia numquā in honore tantū fuiſſet, niſi doctiſsimorū contentionibus, diſſenſionibuſq. creuiſſet. Quamobrem hortor omnes qui facere id poſſunt, ut eius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant, & transferant in hanc urbem, ſicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, ſtudio, atque induſtria ſua maiores noſtri tranſtulere. & rurſus nos qui ſequimur probabilia, nec ultra, quā, quod uerisimile occurrit, ꝑgredi poſſumus, & refelli ſine pertinacia, & refellere ſine iracundia parati ſumus. quo circa, quae malum ratio eſt ipſius M. T. uoluntatem iudiciumq. conuellere, cum eiuſdem contra nos ſententiis, atque auctoritate nitantur. Sed ſi commentarios noſtros inſpicere uacuum fuerit, ſciat haec nos ex Ariſtotelis ſecundo phyſicorum uolumine aduertiſſe. quae tam & ſi altioris philoſophiae diſputationes tangunt, nō eſt tamen ſtudiis inuidendum, ſi rhetoricis quoque ac dialecticis diſputationibus admiſceamus, quae ſunt profundiora naturae, neque pigeſcere, ac dilaſſari animos dignum eſt, quos intentiores, ac uegetos ipſa rerum ambiguitas, & uariarum cognitio ſpeculationū deberet efficere: cum praeſertim ea librorum natura ſit, ut ad legendum ſtudioſos teneat, nullum cogat ignauū. Dicamus igitur, quid euentus ſit fortunae, uel quarum rerum fors cauſſa eſſe dicatur. Omnia igitur ſunt, uel immutabiliter, ac ſemper, ut, quod ſol oritur: uel ſaepius, ut quod equus quadrupes naſcitur; uel raro, ut ſi equus, cū quinque uel tribus pedibus proceretu; uel aeque, ut in quibus faciendarum rerū nihil intereſt, quo potius uoluntatem uergamus. atque illud quidem, quod ſemper fit, nihil habet oppoſitum, quod ullo modo aliter fiat. Id uero, quod ſaepe contingit, habet aduerſum, id, quod rarius euenit: neque enim ſaepius fieret, ac non ſemper, niſi diuerſum, raro quidē, ſed aliquando contingeret. Quod igitur ex fortuna fit, in ſempiternis non eſt. Quis.n. caſu ſolem dicat oriri, ne in his quidē, quae frequentius fiunt? Nullus enim caſu equum dixerit eſſe quadrupedem. Nec uero in his, quae fieri aequaliter ſolent. nā, quae uoluntaria ſunt, non uidētur eſſe fortuita. Reſtat igitur, ut in his fortunae euentus ſit, quae ratius fiunt. Eorū uero, quae fiunt, partim finē aliquē ſpectant, partim minime. Quis enim finis eſſe poteſt, ſi manū extendā, ſi genua complicem, atque aliquid iacens humi tollam, quod nullis uſibus applicē. At uero ea, quae aliquē finem ſpectant, partim uoluntatis ſunt, partim naturae. Voluntatis, ut ſi quis icc irco domo egrediatur, ut uideat amicū. Naturae, ut quod animalibus, omnia, quae ab ea fiunt, certā animalis reſpiciunt utilitatē, atque ad huius ſalutē conſeruationēq. omniū membrorū monumenta ſunt conſtituta. Caſum igitur, ac fortuitos euentus in his eſſe ponimus, quae cū rarius fiant, in his tamen per accidens eueniunt, quae ꝑꝑ aliud. Veluti quis egreſſus domo, ut amicum uideret praeteriēs cadente deſuper lapide ictus eſt: id igitur, quod euenit, in rariore cauſſa ponendū eſt: acceſsit uero ei uoluntati, quae certū reſpiciebat finē. Ea uero fuit, domo egrediendi cauſſa, ut amicū uideret. Rurſus, quoniā lapis naturaliter grauis eſt, grauitas uero terrā petit, caſus quidem lapidis propter aliquid naturaliter factus eſt. Ad id enim lapidis natura tendebat, ut in ſuum locum pondus ueniens conquieſceret. Sed huic naturali intentioni accidit id, quod rarius euenit, ſ. ut percuteret, quo fit, ut ſit fortuna, uel caſus, cauſſa per accidens rarius euenientiū in his rebus, quae propter aliquid fiunt. Quae cū ita ſint, cumq. definitio Ariſtotelica a Tulliana plurimum diſcrepet: illud tamen in utriſque conſtat, id, quod fortunae ſubiectum eſt, incertis caſibus ſemper eſſe ſuppoſitum. Nā licet in his rebus ſaepe fortuna ſuos experiatur actus, quae uolūtariae ſunt, & ad aliquem finē referūtur; extra tamen accidit, quod fortunae eſt, nec ab eo fine, quē ſibi animus ante praeſtruxerat. Sed, cum Cicero diuiſiſſet cauſſas in eas, quae perſpicuae ſunt, & in eas quae laterent, cumq. eas, quae perſpicuae ſunt, diceret eſſe, quae appetitionē animi iudiciumq. tangerent, manifeſtum eſt eū uel artem, uel uoluntatem, uel perturbationem, uel habitum in his cauſsis ponere, quae perſpicuae ſunt. Voluntas quippe, atque animi perturbatio in appetitione ponitur. Saepe enim perturbatione aliquid appetimus, artem uero, uel habitum in iudicio. arte namque iudicamus, habitus uero ad utrumque pertinet. Nam & uoluntates cōſuetas miniſtrat, & multo uſu peritiaq. fit quaedam conſtantia iudicandi. Caſum in non perſpicuis poſuit. De natura incertum eſt, utrum inter perſpicuas, an inter latentes ipſam naturam collocet. Nam ſi inter latentes, ipſam naturam caſum uideretur putare, cuius opinionis nulla ratio eſt. Quod ſi inter perſpicuas, quae nam appetitio animi, uel iudicium in natura eſt. Neque enim appetendo aliquid, uel iudicādo facit natura, niſi forte, quoniam ex ipſa ſaepe habilitas, quaedam mentis, & corporis exſiſtit. Quae habilitas ad unamquamq. rē adiuuat uoluntatem, id enim maxime uolumus, ad quod habiles ſumus. Natura inter perſpicuas cauſſas ponitur, quae iudicio quoque coniuncta eſt, ut ſi naturaliter ſano quiſque iudicio compoſitus eſt, appetitioni etiam ſi naturaliter aliquid animus petat. His adiungit aliam cauſſarum diuiſionem. ait enim alias cauſſas eſſe uoluntarias, alias ignoratas. Voluntarias eas, quaecumque ex iudicio ueniunt animi. Ignoratas, in quibus neceſsitas domina eſt, ideſt, in q uibus, aut omnino non uolumus, aut ne ſi uelimus quidem aliter facere poſſumus, ut in natura, atque caſu. Neceſsitate enim quadam natura grauia deorſum ferētur: neceſsitate item factum dicimus, ut aliquis ignorans iacto trans parietē lapide praeteruntem hominem peremerit. quae neceſſitas talis eſt, non quo aliter fieri non potuiſſet, niſi ut lapide iacto percuteret, ſed quia uoluntas defuit, & non

iccirco quae uoluit fecit. Prior uero neceſsitas talis eſt, in qua nulla uoluntas eſt, uel ea, qua eſt, ne id, quod cupit efficiat, ualidiore neceſsitate cõſtringitur. Nam, cum lapis deorſum propria grauitate deponitur, nulla uoluntas eſt, ſed tantum naturae neceſsitas. At, ſi homo deorſum cadat, eſt quidem non cadendi uoluntas, ſed ferri quo non uult, ualidior naturae cauſſa compellit. Voluntatem uero a fortuitis euentibus uno eodemq. aptiſsimo ſecreuit exemplo, ueluti ſi telum manu iaciat, nolenſq. feriat praetereuntem. Nam ieciſſe ex uoluntatis principio naſcitur. Iccirco enim iecit, quia uoluit. Ignorauit uero, quod percuteret, neque enim iaceret, ſi ſe percuſſurum praeuidere potuiſſet. Neque iecit, quia uoluit percutere. Si autem non ignoraſſet, non percutere potuiſſet. Vnde etiam machinamentum quoddam, atque defenſio in iuriſperitorũ reſponſionibns inuenitur, hoc modo: Si telũ manu fugit magis, quam iecit. Nã ſi quis caedis accuſetur, optima ſolet eſſe defenſio, Si alia non ſuppetit fugiſſe telũ, & magis, quã uoluiſſet ieciſſe, ut non uoluntati, quae condemnatur in culpis, ſed ignorantiae factũ tribuatur. De perturbationibus animorum paullo confuſius iudicium eſt. Dubitari nõ poteſt, ex uoluntate, an neceſsitate, an ex ignorantia uenerit, quod perturbatione peccatur. Videntur.n.eſſe uolũtaria peccata, quoniã qui perturbatus eſt appetit aliquid, aut fugit, ſed in hoc perturbatio eius apparet, quod non fugienda uitiat, & nõ appetenda nimium exoptat. Porro aũt qm̃ in perturbationibus ſunt confuſa iudicia, neque enim aliter id, quod fugiendum eſt, ſaepe appetunt perturbati, niſi obcaecato obſcuratoq. iudicio. Quod uero fit animi confuſione ſaepe talis eſt, ut nollet admiſiſſe, qui fecit, & euenit, ut non inter uoluntarias ſed inter ignoratas, uel neceſſarias cauſſas animorum perturbatio ſit. In tantum uero, qui perturbatus eſt, a uera diſcretione diſcedit, ut in eam poſsit ſaepe recta bene conſulentium admonitione reduci. Quo fit, ut animorum perturbatio iure a cauſsis uoluntariis ſegregetur, & aut in ignorantia, aut in neceſsitate ponatur. Nam, quod ait tamen habent tantos motus, ut ea quae uoluntaria ſunt, aut neceſſaria interdũ, aut certe ignorata uideantur, ita intelligendũ eſt, qm̃ omnis animi paſsio iudicium turbat. Confundit uero rectã diſcretionem, ſi acrior fuerit, quã ut retinaculis temperetur, & fit quaedam ex perturbationibus ueluti uiolenta neceſsitas, ut dubium ſit utrũ is, qui aliquid perturbatus animo facit, ignorans faciat, ueluti cum caſu ignorans delinquit, cum futurum non prouidet caſum. an ſciens faciat, ſed neceſsitate ducatur. Quod igitur dixit, aut neceſſaria eſſe, aut ignorata, & diuiſit a neceſſariis ignorata, non pugnat contra id, quod ſuperius dixit ea, quae ignorata ſunt eſſe neceſſaria. Nam id, quod eſt ignoratum, quodammodo diuidit Ignoratorum alia quadam neceſsitate fiunt, dum aut nulla uoluntas eſt, aut ea quae eſt neceſsitati nequit obſiſtere. Alia caſu, cum in his faciendis, quae ignorantur, nulla uoluntas eſt. Quod igitur dixit perturbationes animi, aut in neceſſariis cauſsis poni, aut in ignoratis, id ſine dubio ſenſiſſe intelligitur, perturbationes animi, aut in his eſſe ignorati, in quibus ea neceſsitas eſt, ut uoluntas obſtare non poſsit, aut in his in quibus nulla uoluntas eſt, ſed fit delictum caecitate iudicij. Velut in his qui immoderatius amoris cupiditati deſeruiunt, aut enim confuſo iudicio ab honeſtate diſcedunt, & dum quaſi bonum appetunt, in malum decidunt ignorantes, atque in caſu quodam, atque errore ponitur amor immodicus aut nouit quidem quod appetit eſſe uitandum, ſed maioris actu cupiditatis impeditur, atque inter ea neceſſaria ponitur, quae aut non habent uoluntatem: aut eam ita infirmã, ac debilem, ut nullo modo ualidioribus paſsionibus obnitatur.

GVEVARA. IN *natura, & in arte conſtantia eſt, in ceteris nulla*.] Ergo habitus inconſtanter agit: idq. Boetius probat: Viſorius improbat, atque habitum conſtanter agere, & ipſum putat ſenſiſſe Ciceronem. HOC *ipſum eſt fortunae, euentus obſcura cauſſa quae latenter efficitur*.] Iſtam ſententiam euertere Boetius nititur multis argumentis, potiuſq. ex Ariſtotele dicendum, forunam uel caſum eſſe, cauſſam per accidens rarius euenientium in his rebus, quae propter aliquid fiunt. EX *quo aries ille ſubiicitur in ueſtris actionibus: ſi telum manu fugit, magis quam iecit*.] Ideſt fortiſsima defenſio, ad liberandum reum, ſumpta metaphora ab Ariete bellico, de quo Vegetius & alij: per imprudentiam, & fortuito telum manu fugiſſe. Cuius exceptionis uim, multa capita Iuris ciuilis, & Pontificij oſtendunt, in titulis de iniuriis, & de homicidio uoluntario, uel caſuali. Et nos notauimus ad legem primam, ff.lib. quincto, de ratione praemij, & paenae. CADVNT *in ignorationem, atque in imprudentiam perturbationes animi, quae quamquam ſint uoluntaria (obiurgatione enim, & admonitione deiiciuntur) tamen habent tantos motus, ut ea, quae uoluntaria ſunt, aut neceſſaria interdum, aut certe ignorata uideantur*.] Ideſt, ut recte Boetius, Viſorius, Latomus, Foxius, Barba interpretantur, perturbationes animi, tametſi uoluntarias eſſe, uel illud probet, quod admonitione quandoque obiurgatione ſedantur, tamen, quoniam animi paſsio iudicium turbat, confunditq rectã diſcretionem, ſi acrior fuerit, quam ut rationis retinaculis temperetur: plerumq. tales ex perturbationibus ueri motus uidemus, ut uel ignorantia, uel neceſsitate potius commiſſum peccatum eſſe uideatur.

C I C E R O

*T*OTO *igitur loco cauſſarũ explicato, ex earum differentia in magnis quidem cauſſis uel oratorum, uel philoſophorum magna argumentorum ſuppetit copia: in ueſtris autem ſi non uberior, at fortaſſe ſubtilior. priuata enim iudicia maximarum quidem rerum, in iuriſconſultorum mihi uidentur eſſe prudentia. nam & adſunt multũ, & adhibebtur in conſilia, & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus haſtas miniſtrant. In omnibus igitur iis iudiciis, in quibus, ex fide bona, eſt additum primus cauſſarum uſus eſt, ut inter bonos bene agier oportet; in primiſq. in arbitrio rei uxoriae, in quo eſt, Quid aequius, melius, parati eſſe debent. illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi aequum bonum, illi quid ſocius ſocio, quid eum, qui negotia aliena curaßet,*

ei,

ei cuius ea negotia fuiſſent, quid eum, qui mandaſſet, eumue, cui mandatum eſſet, alterum alteri praeſtare oportet, quid uirum uxori, quid uxorem uiro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis non modo oratoribus & philoſophis, ſed iuris etiam peritis copioſe de conſultationibus ſuis diſputare.

EXPLANATIO

BOETII LIBER VI. Fore quoſdam, Patrici Rhetorum peritiſsime, ſi dubitauerim, qui hunc in Topicis altiorem ex philoſophia tractatum uaria obtrectatione reprehendant, quia inter logicam diſputationem phyſicam interpoſuit. Hi uero ſunt, uel quibus hoc totum philoſophari diſpliceat, uel qui in argumentorum locis naturales admiſceri cauſſas oportuiſſe non exiſtiment, ſed contra priores quidem a M. T. & ab ipſa quodammodo humana ratione, quae in motu poſita aliquid ſemper inquirit, atque amore ſcientiae neque decipi patitur, neque ullo modo a ueritatis ratione traduci, ſaepe multumq. reſponſum eſt. His uero, qui ſequeſtrandas ab oratoria facultate philoſophiae diſciplinas putent, reſpondendum breuiter exiſtimo, ratione quidem reperiri, quid poteſt: ſed id melius, atque facilius artifex facies, ſi in opere conſtruendi artis facultatem, atque elegantiam comparet. In argumentis quoque idem eſſe manifeſtum eſt: ui namque naturalis ingenij argumenta promuntur. Sed ars facultate imitatà naturae uiam quandã rationemq. repetit, qua id effici facilius, ac melius poſsit. In qua re illorũ neceſſe eſt reprehendatur error, qui rhetoricam facultatem naturalem eſſe dixerunt, quoniam quilibet totius artis alienus, & intendere in alterum crimen, & ſeſe purgare ſolet, & argumento aliquid probare contendit. Reprehendendiq. ſunt, qui eandem facultatem in ſola arte poſitam eſſe dixerunt. Oportuit enim eos animaduertere: Omnem quidem artem ſui materiam effectus ex natura ſuſcipere, ſed in ea tamen ratione propria facultatem elegantiamq. experiri. Haec itaque, quae artium ratio perficit, ab imperitis etiam fieri, ut cumq. contigerit poſſunt. Bene autem, ac facile nemo efficit, niſi artis ratione fuerit inſtructus. Cum igitur totius operis haec ſit intentio, ut argumenta, quae confuſa, & ueluti clauſa natura ſuppeditat, artificialiter ueſtigentur, quod ſit, per quod efficere id, quod promittit ars ualeat, ſub exempli notatione demonſtrat. ut enim facilius argumenta reperiantur, illa res efficiet, ſi demonſtrentur loci, in quibus argumenta ſunt collocata. Etenim, ut, ſi quis aliquid quaerat, facilius id inueſtigare poſsit, atque inuenire ſi locus ei monſtretur, ubi ſit poſitum id, quod inquirit, ita etiam, cum quis argumẽtum inuenire conatur, ſi ei locus ubi argumentum ſit poſitum declaretur, facilius argumentum, quod quaerit, ualeat inuenire: ita enim Ariſtoteles, & ita Tullius appellat eas ſedes, in quibus argumenta ſunt collocata, ideſt locos, qui ab Ariſtotele Topica uocati ſunt. Sed, quoniam de ſedibus argumentorum loquimur, hi cuiuſmodi ſint, paullo altius expediamus; locus enim non uno modo intelligitur. Ac relinquamus quidem eos locos, quos Victorinus fruſtra, atque inconuenienter interſerit, uelut eos, qui corpora concludunt. Ac ſimpliciter intelligamus eos locos argumeutorum eſſe, qui intra ſe continent argumenta, in quibus exponendis poſterius, quid ſit, quod dicimus, clarius apparebit. Nunc communiter de tota locorum ratione, deq. argumentatione, ac de quaeſtionibus, & propoſitionibus, earumq. terminis uidetur eſſe tractandum. Ac primum, quoniam locus, qui tractatur in Topicis, non cuiuſlibet rei, ſed tantum locus eſt argumenti, expoſito prius argumenti intellectu, deinceps de loci ratione tractabimus. definit igitur Tullius argumentum, hoc modo. Argumentum eſt ratio, quae rei dubiae faciat fidem. Sumpſit igitur rationem, ut genus. Omnes enim iniurioſi ſunt, qui orationis uirtutem a ſapientiae ratione ſeiungunt, aliamq. eſſe dicendi artem uelint, aliam intelligendi. Nam ſi nihil oratione aliud agimus niſi interius cogitata uulgamus; quae, malum, ratio eſt, orationis elegantiam a ſententiarum grauitate ſeponere? quae porro ſententiarum grauitas eſſe poteſt ſine earum rerum de quibus dicendum eſt comprehenſione? Quae uero alia diſciplina naturam, proprietatemq. rerum omnium docet, uel quae omnino eorum, quae intelligi poſſunt, ſcientiam profitetur, niſi haec tantum, ex qua nos pauca praeſumpſimus philoſophica, quae longiter de his ipſis in proprio ſapientium tractatu diſputare ſolẽt. Neque ita curſim ut nos, quae ſi ut in illorum libris ſolet prolixus differenda ſumpſiſſem, quis ferret inſolentiũ hominum temeritatem prouectus ſuos culpare uiolentium, quibus prouectibus proficerent ſi ſtudioſi potius, quam queruli eſſe mallent. Sed his contentionibus neque antiqua caruit aetas, nec nos ita delicati ſumus, ut, quibus patientia doctiſsimorum hominum ſaepius obſtitit, ferre nolimus, & pluribus prodeſſe poſsimus, & ſapientium iudicia conſequamur, ad quem finem hic noſter & labor & totius operi ſumma contendit. Sed haec hactenus. Nunc ſuſceptae expoſitionis ordinem perſequamur.

Divisio cauſſarum loco, atque ordine ſuis partibus diſtributo de loci eiuſdem facultate, quibuſq. uberius, quibuſq. anguſtius accommodetur, uti ſaepe Ciceroni mos eſt, dixerit. Primum enim, inquit, oratoribus, ac philoſophis quorum, in diſputationibus larga materia eſt, multa ex cauſſarum loco argumentorum ſuppetit copia. Communis quippe oratoribus, ac philoſophis hic locus eſſe proſpicitur, qui eſt a cauſsis, His naturas rerum, quod eſt philoſophiae proprinm, illis, quod oratoriae facultatis eſt facta probantibus. Nam, & cum res quaelibet, quaeritur, eius cauſsae a philoſophis ueſtigari ſolent. Quibus praetermiſsis, ut ſuperius dictum eſt, comitatur ſtatim, quod concludendum eſt, & oratores ad ſuſpicionẽ mouendam, detergendam ue factorum cauſsas requirunt. Hoc quippe ſtabile in hominum mentibus manet, quod neque factum, neque res ullam praeter illam omnium principẽ naturã ſine propriis cauſsis poſsit exſiſtere. quo fit, ut uberrimus cauſſarũ uſus ſit in rhetorum orationibus, philoſophorũq. tractatu: ſed ut hunc libellum Marcus Tullius ſcribens pleraque omnia Trebatio dediſse uideatur. Hunc locum iuris quoque conſultis attributum demonſtrat, dicens: Et ſi non tam uberes opportunitates habeat hic locos in iuriſperitorum reſponſionibus, ſubtilius

certe,atque acutius pro ipſius artis natura tractari poteſt, ſcilicet ubertatem,quae dederat,ſubtilitate,quae poterat ineſſe compenſans. habent enim etiam ipſi proprium campum, in quo eorum uirtus poſsit enitere. Eſt enim iuriſconſultorum prouincia priuatarum quaeſtio cauſſarum, maximeq. in illis negotiis, hic cauſſarum locus examinabitur, in quibus bonae fidei iudicia nectuntur. In his enim,qui fuerit animus contrahentium, quaeri ſolet, qui deprehendi uix poterit, niſi praecedentibus cauſsis intelligatur. In his igitur iudiciis, in quibus additur, ut ex bona fide iudicent,ideſt,ubi ita iudices dantur,ut non ſtrictas inter litigantes ſtipulationes, ſed bonam fidem, quaerant, Plurimus cauſſarum uſus eſt, additur,ut inter bonos bene agi oportet, conſiderantur mores,inquiruntur conſilia, ſtatuitur,quibus quidq. de cauſsis adminiſtratum ſit, in primiſq. in iudicio uxoriae rei uberrimus cauſſarum tractatus eſt. Eſt autem iudicium uxoriae rei, quoties poſt diuortium de dote contentio eſt, Dos enim licet matrimonio conſtante in bonis uiri ſit, eſt tamen in uxoris iure, & poſt diuortium uelut res uxoria peti poteſt. Quae quidem dos interdum his condicionibus dari ſolebat, ut, ſi inter uirum uxoremq. diuortium contigiſſet, quod melius aequius, apud uirum remaneret, reliquum dotis reſtitueretur uxori,ideſt,ut,quod ex dote iudicatum fuiſſet melius,aequius eſſe,ut apud uirum maneret,id uir ſibi retineret;quod uero non eſſet melius aequius apud uirum manere, id uxor poſt diuortium reciperet. In quo iudicio non tantum boni natura ſpectari ſolet, uerumetiam comparatio bonorum fit, ut non tam, quod aequum, ſed melius aequiuſq. eſt,id ſequendum eſt: quae omnia ex praecedentibus cauſsis inueſtigari ſolent. Nam ſi uiri culpa diuortium factum eſt, aequius melius eſt, nihil apud uirum manere. Si mulieris eſt culpa,aequius melius eſt ſextas retineri. In hiſq. omnibus peritiſsimi iuriſconſulti eſſe debent, quo fit, ut Trebatium quoque hortetur ad ſtudium, Multa enim eſſe dicit, quae eorum operam expectant, illi enim, inquit, dolum malum, illi bona fidem, illi aequum,& bonum, illi etiam, quid ſocius ſocio praeſtare debeat, quid is, qui alienum in ſe gerendum ſponte negotium ſuſcepiſſet,ei, cuius id negotium fuerit,quid is,qui mādauerit ei,cui mandauerit ſuorum negotiorum actiones, quid uir uxori,quid uxor uiro tradiderunt.quae omnia ad poſteriora cauſſae ſunt,atque exinde iudicia rumuntur. Iccirco enim,uerbi gratia, quodlibet illue iudex pronunciare debet in uxoris,ac uiri cauſſa, quia uirum hoc praeſtare oportet uxori: iccirco etiam mandator ei,cui mandauerit, obligatus eſſe iudicandns eſt,quia inter mandatorem ſuſceptoremq. negotij illud eſt obſeruandū,omnia quoque,quae quiſque alteri praeſtare debet ea in tractandis iudicandiſq. negotiis cauſſae ſunt. quocirca recte concluſit,diligenter cognitis argumentorum locis,& oratoribus,& philoſophis, & iuriſconſultis argumentorum copiam non defuturam.

GVEVARA. Privata *enim iudicia maximarum quidem rerum, in Iuriſconſultorum mihi uidentur eſſe prudentiam.*] Priuata iudicia, plerique interpretantur, ciuiles controuerſias apud Centumuiros. Sed uerius eſt, priuatum iudicium eſſe,quod rei priuatae cauſſa inſtituatur, nec ad remp.directo pertineat: uelu ti cum de re pecuniaria,aut priuati hominis iniuria quaeritur. Publicum, quod eius iniuriae cauſſa ſuſceptū ſit, quam reſp. lege aliqua lata, ad ſe pertinere ſtatuat: atque hoc ſemper in crimine aliquo cognoſcendo uerſatur: ut recte Othomanus de uerbis iuris, & Sigonius lib. ſecundo cap. decimooctauo,de Antiquo iure Ciuium Rom. probauerunt. Et Platonis ſententia lib.ſexto de legibus conſtitutum eſt. Reliqua, inquit, iudicia duo ſint: Alterum quando priuatus iniuriam a priuato pati conqueritur, eumque in iudicium trahit. Alterum quando Reip. iniuriam a Ciuium aliquo fieri arbitratus aliquis,communibus rebus auxiliari conatur. Nam *& adſunt multum,*] Adeſſe dicebantur actores, uel conſulti, qui litigantibus,iuris perſequendi uias tradebant. Cicero pro Caecina. Per commode cecidit,quod non adeſt is, qui paullo ante adfuit,& adeſſe nobis in hac cauſſa ſolet Caius Aquilius. Quinctilianus lib.duodecimo,cap,tertio. Quid fiet in alteratione, ubi occurrendum continuo,nec libera ad diſcendum mora eſt? Quid ſi forte peritus iuris illi non aderit? & notat Briſſonius lib. primo ſelect.cap. uigeſimo. Et *patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus, haſtas miniſtrant.*] Sic lib. primo de Oratore. Itaque illi diſertiſsimi homines miniſtros habent in cauſsis Iuriſperitos,cum ipſi ſint peritiſsimi,& qui,ut abs te paullo ante dictum eſt, pragmatici uocantur. Et Quinctilianus lib.duodecimo, cap.tertio, Neque ego ſum noſtri moris ignarus,oblitusue eorum, qui uelut ad arculas ſedent,& tela augentibus ſubminiſtrant: neque ide Graecos quoque neſcio factitaſſe: unde nomen his pragmaticorum datum eſt. Ceterum haſtas Cicero appellat, inſtrumenta defenſionis,aut accuſationis, ſiue argumenta. Sicut & in Partitionibus. Accuſator rerum ordinem proſequitur, & ſingula argumenta, quaſi haſta in manu collocata,uehementer proponit,concludit acriter: confirmat tabulis,decretis, teſtimoniis.

- Res,
  - Efficientes, ſiue cauſſae
    - Sua ui efficientes,
      - Nulla re adiuuant.
      - Quae adiuuari uolunt.
    - Sine quibus effici non poteſt,
      - Quietae & ſtolidae.
      - Praecurſiuae & adiuuantes.
  - Effectae,

- Cauſſa
  - Efficiens neceſſario
  - Sine qua effici non poteſt,
    - Quieta
      - Materia
      - Locus.
      - Tempus
      - Inſtrumentum
    - Agens, ut praecurſiones; & auxilia

- Cauſſa
  - Cum delectu agens, ut
    - Voluntas / Perturbatio
    - Natura / Habitus
    - Ars / Caſus
  - Sine delectu agens, ut natura ſenſu carens. quae in hoc mundo, ac deinceps in ceteris omnibus rebus infuſa eſt.

- Cauſſa
  - Conſtanter agens, ut
    - Natura
    - Ars
  - Inconſtanter agens.
    - Perſpicua.
      - Voluptas
      - Perturbatio
      - Habitus
    - Latens, ut caſus.

- Quae fiunt partim, ſunt
  - Ignorata, ut quae neceſſaria fiunt. Vrit ignis
  - Voluntaria, quae conſilio fiunt. Vt cum haec ſcribo.
  - Vel ignorata, uel uoluntaria, quae fortuna fiunt. Iacere telum uoluntatis eſt: ferire quem uolueris fortunae.

- Comparatio.
  - Aequalium
  - Inaequalium.
    - Maiorum
    - Minorum

- In comparatione ſpectantur.
  - Numerus / Species
  - Vis / Affectio

Atque numerum quidem ad quantitatem, ſpeciem ad ſubſtantiam: uim ad qualitatem: Affectionem ad relationem pertinere Latomus ait. Speciem Viſorius, uel Dialecticam formam, ut & Latomus, & Barba: uel pulchritudinem cum Boetio interpretatur.

CICERO

Coniunctus huic cauſſarum loco locus ille eſt, qui efficitur ex cauſſis. Vt enim cauſſa effectum indicat, ſic, quod effectum eſt, quae fuerit cauſſa, demonſtrat. Hic locus ſuppeditare ſolet oratoribus & poetis, ſaepe etiam philoſophis, ſed iis, qui ornate, & copioſe loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi, cum denunciant quid ex quaque re ſit futurum. Cauſſarum enim cognitio cognitionem euentorum facit.

EXPLANATIO

BOETIVS. Omnia, quae ad ſe referuntur, recte dicuntur eſſe coniuncta: ipſa enim relatio rerum efficit coniunctionem. quod ſi cauſſa alicuius cauſſa eſt, non alterius niſi ſui effectus eſt, cauſſa. Itemq. ſi eſt aliquis effectus, cauſſarum principiis uenit. iure igitur ab effectis locus, cauſſarum loco debet eſſe coniunctus. quoniam uero ſemper, quae ad ſe referuntur, aequantur, neceſſe eſt, quae ubertas ſit cauſſarum, eadem quoque ſit effectorum. Quoniam enim cauſſa praeter effectum eſſe non poteſt, cum ſit cauſſa ſuper effectum, neceſſe eſt, ut ex euentibus quoque, atque effectibus plurima argumenta ſuppetant. Siquidem ex cauſis etiam plurima contrahuntur. nam ſicut cuiuſlibet effectus poteſt cauſſa tractari, ſic ex qualibet cauſſa poteſt, qui ſit euentus, oſtendi. Recteq. ait, cauſſarum cognitio euentorum cognitionem facit. ut enim in praedicamentis oſtenditur, ſciri relatiuum aliquod non poteſt praeter reliqui ſcientiam relatiui.

CICERO

RELIQVVS eſt comparationis locus, cuius genus & exemplum ſupra poſitum eſt, ut ceterorum: nunc explicanda tractatio eſt. Comparantur igitur ea, quae aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur, in quibus ſpectantur haec numerus, ſpecies, uis, quaedam etiam ad res aliquas affectio. Numero ſic comparabuntur, ut plura bona paucioribus bonis anteponantur; pauciora mala malis pluribus; diuturniora bona breuioribus; longe & late peruagata anguſtis; ex quibus plura bona propagentur, quaeq. plures imitentur, & faciant. Specie autem comparantur, ut anteponantur quae propter ſe expetenda ſunt, iis, quae propter aliud: & ut innata, atque inſita, & aſſumptis & aduenticiis; integra, contaminatis; iucunda, minus iucundis; honeſta, ipſis etiam utilibus; procliuia, laborioſis; neceſſaria, non neceſſariis; ſua, alienis; rara, uulgaribus; deſiderabilia, iis, quibus facile carere poſſis: perfecta, inchoatis; tota, partibus: ratione utentia, rationis expertibus: uoluntaria, neceſſariis: animata, inanimatis: naturalia, non naturalibus: artificioſa, non artificioſis. Vis autem in comparatione ſic cernitur, efficiens cauſſa grauior, non efficiens: quae ſe ipſis contenta ſunt, meliora, quam quae egent aliis: quae in noſtra, quam quae in aliorum poteſtate ſunt: ſtabilia, incertis: quae eripi non poſſunt, iis, quae poſſunt. Affectio autem ad res aliquas eſt huiuſmodi. principum commoda maiora, quã reliquorum, itemq. quae iucundiora, quae pluribus probata, quae ab optimo quoque laudata. Atque ut haec in comparatione meliora, ſic deteriora quae iis ſunt contraria. Parium autem comparatio nec elationem habet, nec ſubmiſſionem: eſt enim aequalis. Multa autem ſuut, quae aequalitate ipſa comparantur, quae ita fere concluduntur: Si conſilio iuuare ciues & auxilio, aequa in laude ponendum eſt, pari gloria debent eſſe qui conſulunt, & ii qui defendunt: at quod primum eſt; quod ſequitur igitur.

EXPLANATIO

BOETIVS. OMNIS comparatio duplex eſt. aut enim aequalia ſibimet comparantur, aut inaequalia. ſed in his, quae ſunt aequalia, ſemper eadem eſſe notatur aequalitas. Inaequalia autem in gemina ueluti membra diuiduntur minoris ſcilicet, atque maioris. Nam, quod minus eſt, non per ſe minus eſt, ſed comparatione maioris. Itemque, quod maius eſt, minoris comparatione dicitur maius. Quae cum ita ſint diuidit, atque ante oculos ponit omnium comparationum modos, & quod raro in ſuperioribus locis fecit, ipſas maximas propoſitiones ponit in comparationibus conſtitutas, ut, ſi quando loco ſit nobis comparationis utendum, habeamus quoddam uelut inuentionis exemplar, ad quod quaerẽtem animum poſſumus aduertere. Omnis igitur cõparatio aut in numero conſtat, aut in ſpecie, aut in ui, aut in aliqua locata extrinſecus affectione. Nã quodcũque conferre contendimus, aut numero cõparamus, & ſecundũ id, aliud maius, aliud minus eſſe decernimus, aut ſpciẽ ipſam intuentes, eãq. alij comparantes de excellentia iudiciũ damus, aut aliud conſideramus, quid res quaeq. poſsit efficere, & in quãtum eius poſsit progredi natura, aut ex aliorũ quodãmodo continentia, & ex circumſtantiũ affectione rem, quã alij ſi ex eodem ſint genere, plura paucioribus anteponuntur, uelut ſi bona omnia ſint aequalia, iure quiſquam plura bona paucioribus anteponit. Et eſt haec maxima propoſitio Plura bona paucioribus anteponuntur. & in ceteris quoque eadem ratio perſpicitur maximarum propoſitionum. at ſi omnia in contrario ſint genere, pluralitati paucitas praeferenda eſt, ut pauca mala pluribus malis, mala uero ipſa bonis nullo modo conferuntur. Quae enim ullo modo compenſantur, in eodem eſſe genere debent, non in contrario. Nam, cum aduerſum ſe contraria e regione locata ſunt conferri compárariq. non poſſunt, quia ſubintelliguntur eſſe inimica. Eſt etiam ſecundum numerum comparatio in temporis quoque ratione. Nam, cum tempus certis quibuſdam ſpatiis diuidatur, uelut horae diei, menſis, atque anni. Ex aequalibus bonis ea magis eligenda ſuut, quae diuturnius perſeuerant, quod in numero poſitum eſſe nullus ignorat. Ipſa enim diuturnitas plurimos eſſe, uel dies, uel menſes, uel annos fatetur, quibus duret id, quod eligitur. Longe, & late peruagata bona anguſtiis, & in unum minimum locum coartatis numeri comparatione praecedunt. Nam, quae longe lateq. peruagata ſunt, ea in plurimas gentes regioneſq. diffuſa ſunt, pluralitas uero cuiuſlibet rei numerum ſpectat. Iam uero, ex quo plura propagantur bona, quis non iudicet eſſe meliora his, quorum eſt inos bonorum contractiorq. fecunditas. Quis etiam bonum, quod plures imitentur, ut faciant ceteris, quae ita non ſint excellere non arbitretur, quae in numero conſtare quis neſciat, quando in numero pluralitas conſtat. Specie uero comparantur, quae per ſe ipſa coſiderata ſuae quodammodo pulchritunis merito ceteris anteferuntur. Meliora enim ſunt, quae per ſe, quam quae propter aliud expetuntur, ueluti ſalus, quae per ſe expetitur, medicina propter ſalutem. Quocirca melior, quam medicina, atque haec non ad aliquem numerum non poſtremo ad aliquam quantitatem, ſed ad ipſam ſpeciem ſalutis, ac medicinae conſiderationem referentes iudicium promimus. Illa quoque quae innata, atque inſita ſunt, aſſumptis, & aduenticiis meliora iudicantur, unde innata moribus grauitas longeamplius excellit eam, quae per imitationem affectatur. Integra etiam potius, quam contaminata melioris iudicium ferunt. Nam, quae integra ſunt, ſuã ſpeciem ſeruan;tquae contaminata ſunt, atque ex aliqua parte uitiata, ſi qua eſſet, inerat, ſpeciei pulchritudinem perdiderunt. Iocunda minus iocundis meliora, communis omnium animalium diiudicat. Honeſta utilibus ſapientes anteponunt. procliuia laborioſis anteferri illa res monſtrat, quod nemo eundem finem per laborioſam, atque aſperam uiam tendre cupiat, ad quem poſsit procliui, faciliq. itinere peruenire. Labor quippe omnis iniocundus eſt iocnnda eſt facilitas. Neceſſaria etiam non neceſſariis partim praeferi, partim eã

poſt-

poſtponi debent. Quod Marcus Tu llius tacuit. Neceſſaria praeferuntur his non neceſſariis, quae non boni ratione, ſed uoluptatis appetitione ſunt conſtituta: Veluti luxu regio parata conuiuia nullus ſapiens iudicet eſſe meliora his, quae naturae expleant indigentiam. Quaedam uero ſunt, quae ipſa ſpecie boni, cum non neceſſaria ſint, meliora ſunt neceſſariis. Nam uiuere neceſſarium eſt, & ſine eo ſubſiſtere animal nequit. Philoſophari uero non eſt neceſſarium, melius tamen longeq. excellentius philoſophum uiuere, quam tantum uiuere: illud enim raro, paucisq. etiam utentibus ratione conceſſum, illud pecudibus commune nobiſcum. Sua quoqe alienis iure meliora eſſe dicuntur, ueluti hominibus ratio potius, quam uoluptatis appetitio, illud enim proprium eſt hominis, illud alienum, rara quoque uulgaribus meliora ſunt. Atque hic locus approbat id, quod ſuperius dictum eſt: Philoſophantem uitam ipſa uita eſſe meliorem: nam quae rara ſunt, facile id, quod uulgare eſt, antecedunt. Deſiderabilia etiam his, quibus facile carere poſsis, illa res approbat eſſe meliora, quod maxime deſiderantur, & ſine his anxia uita eſt: ueluti ſi quis capillis uiſum conferat, aegrius enim toleramus carere uiſu, quam capillis, itaque ex hoc meliorem eſſe uiſum capillis iudicamus, quod his facile, illo aequo animo carere poſſumus. Perfecta etiam imperfectis naturaliter excellunt, illa enim ſuam formam adepta ſunt, illa minime. Tota etiam partibus eodem modo excellentiora eſſe arbitramur: nam, quod totum eſt, habet natura propriam formam, quod uero pars eſt, & ad totius nititur perfectionem, nondum ſuae pulchritudinis ſpeciem cepit, niſi ad totius integritatem referatur. Iam uero ratione utentia rationis expertibus nullus dubitat eſſe meliora. Voluntaria quoque neceſſariis iure anteponuntur. Nam, quae uoluntaria ſunt, libera ſunt, quae neceſſaria quodam nos ueluti dominio neceſsitatis aſtringunt, atque ideo meliora eſſe uoluntaria neceſſariis exiſtimamus: quamquam in hoc etiam illud intelligi poſsit, quod a nobis ſuperius dictum eſt. Non neceſſaria ſaepe neceſſariis anteponi, quandoquidem ea, quae uoluntaria ſunt, non ſunt neceſſaria. Voluntaria uero meliora ſunt neceſſariis, non neceſſaria igitur ſaepe neceſſariis excellunt. Animata quoque inanimatis, ipſius animi uegetatione conſiderata, anteponenda eſſe ratio perſuadet: naturalia etiam, non naturalibus: & artificioſa inartificioſis. Optimuſq. hic gradus eſt, ut naturam arti, artem praeferas inertiae, ars quippe imitatur naturam, quo fit, ut id, quod in ſe retinet pulchri, ex natura ueniat, cuius imitari ſpeciem cupit. Longe uero poſtrema ſunt, quae cum artificio carent, non a ſpecie ſolum naturae, uerum etiam ab imitatione diſcedunt: atque haec quidem de ſpecie in comparationibus conſiderantur. Vis autem in eo conſiſtit, in quo conſideratur, quid unaquaeq. res poſsit efficere: nam, quod quaeq. res poteſt, ea uis eius rectiſsime dicitur. Efficiens igitur cauſſa grauiorē uim habet, quam ea, quae nihil efficit, uelut artifex melior, quam materia, illa quippe ſtolida eſt, atque immota. Nec aliquid efficiens, niſi formam ab artifice, ideſt ab efficiente cauſſa ſuſceperit. Item quae ſeipſis contenta ſunt, meliora eſſe his uidentur, quae egent aliis, ueluti omnium deus optimus eſt, quia nullo indiget, & ipſo cuncta ſunt indiga. Item, quae in noſtra ſunt poteſtate, magis eligenda ſunt, quam, quae in aliena manu poſita facile labuntur, quo fit, ut ſit uirtus melior, quam diuitiae: Nam uirtus eſt in noſtra poteſtate, diuitiarum fortuna domina eſt. Iam uero ſtabilia incertis, quae eripi non poſſunt his, quae poſſunt, ſi tamen bona ſunt, quis non intelligat meliora. quorum tamen locorū pars contraria contrarium tenet, in pectis quippe his, quae meliora ſnnt ſi aduerſa uidemus, deteriora ſunt. Reſtat in affectione poſita comparatio, quae ita tractatur, ut non per ſemetipſam res, quae alij confertur, ſed ex alterius cuiuſlibet conſideratione penſetur; in tribus quibuſdam rebus, ſi duae ad ſe inuicem comparentur, eo, quod ad tertiam plus minus ue iungantur. Sunt enim duo quaedam humanis rebus accommodata, quarum una principibus, atque etiam ipſi reipublicae accommodatior eſt. Hic igitur iudicabimus eam rem eſſe meliorem, quae melioribus prodeſt, ideſt, aut reipublicae, uel principibus, non conſiderantes, ut ſe res habeat, ſed quantum reipublicae, uel principibus adiuncta ſit. Haec igitur res ex affectione eſt comparata, meliuſq. iudicatur id, quod principibus commodum eſt, quam id, quod aliquibus priuatis, quoniam principes reliquorum etiam continent ſtatum. Eodem modo, quae ſequuntur, ut, quae iucundiora pluribus, quae clariora inter multos, quae pluribus comprobata ſunt, meliora ducantur: nam, etiam ſi minus ipſa huius naturae ſint, ſed affectione tamen, ut dictum eſt, eorum quibus, uel iucundiora, uel inter quos clariora ſunt, aut a quibus probantur, meliora exſtimanda ſunt. Sed quamquam id, quod a pluribus bonum ducitur, ſuperius in ea comparationis parte poſuerat in qua fiebat ſecundum numerum comparatio, nil tamen impedit eundem locum ſecnndum aliam, & aliam conſiderationem diuerſis generibus ſubdi, uelut ala auis, cum ſubſtantia ſit, eadem tamen ad aliquid eſſe intelligitur, ſi ad alatum conſideretur. Illa quoque ex affectione uidentur eſſe meliora, quae ab eo laudata ſunt, contra quem dialectica ratione, uel rhetorica facultate diſſeritur. Nam ut reuincere aduerſarium poſsis ſat eſt, ſi eum tibi conſenſiſſe monſtraueris, atque id aliquando uelut optimum praedicaſſe, quod tu melius re propoſita monſtrare contendas. Dictis igitur omnibus meliorum locis his oppoſitis, quae deteriora ſunt, continebunt. Parium uero nulla diſcretio eſt, neque enim quod par eſt, aut intenſionem ſumere, aut remiſsionem poteſt. Quibus autem inter ſe maiora minoraq. penduntur, iiſdem inter ſe patria conferuntur. Nam, quae uel numero, uel ſpecie, uel ui, uel affectatione fuerint, aequa paria eſſe dicuntur. Commune autem cunctorum exemplum eſt, quod Cic. in aequalitate conſtituit, quae aequalitas in cunctis paribus aequa eſt. Sed uel numero, uel ſpecie, uel ui, uel affectione paria ſunt. Nam in eorum comparatione, quae maiora, uel minora ſunt, una quaedā qualitas eſt, ſed horum acceſsione uariantur. Nā quibus in eadem qualitate eſt maior numerus, pulchrior ſpecies efficaciorq. uis ad pretioſiora coniunctior affectio, ea meliora eſſe exiſtimabuntur. Quae ſi aequa fuerint, in eadem qualitate paria ſunt. Exemplum uero, quod poſuit ad eblandiendum Trebatij animum ualet, cum propriam ideſt oratoriam facultatem, cum iuriſperitorum laude coniungit, hoc modo: Si conſilio iuuare ciues, quod iuriſperitorum eſt, & auxilio, quod oratorum

torum

torum eſt, aequa in laude ponendum eſt. pari gloria debent eſſe hi, qui conſulunt,ideſt periti iuris ; & hi qui defendunt,ideſt oratores. At, quod primum eſt,ideſt conſilio autem iuuare ciues,& auxilio aequa in laude ponendum eſt quod ſequitur igitur,ideſt infertur. ea uero concluſio eſt,per quam dicimus,hi igitur,qui conſulent, & hi qui defendunt, pari gloria eſſe debent. Hic autem breuiter dialecticorum more protulit, qui ſic enunciant: Si dies eſt, lucet. at,quod primum eſt,id autem tantundem eſt, ac ſi dicatur, Atqui dies eſt. in propoſitione enim, quae eſt, Si dies eſt lux eſt: prior eſt propoſitio,dies eſt.concludunt,quod ſequitur, Ideſt igitur eſſe lucem. Id enim in prima parte propoſitionis,quae erat, Si dies eſt,lux eſt,ſequebatur. Hic quoque Cicero ſic protulit, At,quod primum eſt,ideſt conſilio, & auxilio iuuare ciues,aequa in laude eſſe ponendum: id enim erat primum in ea propoſitione,quae dicebat, Si conſilio,& auxilio ciues iuuare aequa in laude poneretur, pari gloria eſſe oratores iuriſq. conſultos: quod ſequitur igitur, ideſt pari gloria debent eſſe, qui conſulunt ac defendunt, id enim erat conſequens in ea propoſitione, quae ſtatuebat,ſi conſilio, & auxilio ciues iuuare par eſſet, pares eſſe qui conſulunt ac defendunt.

GVEVARA. Nvmero *ſic comparabuntur, ut plura bona paucioribus bonis anteponantur.*] Tractationi comparationum,inſerit maximas propoſitiones, quod non in omnibus locis fecerat. Divtvrniora *bona breuioribus: longe & late peruagata anguſtis.*] Ipſa enim diuturnitas, ut Boetius ſcribit, plurimos eſſe dies, uel menſes, uel annos fatetur, quibus duret id,quod eligitur. Longe lateq. peruagata: ea in plurimas gentes, regioneſq. diffuſa ſunt. Pluralitas autem in his ad numerum ſpectat, ſicut & ſequentia. Ex quibus plura bona propagentur: quaeq. plures imitentur, & faciant. Si *conſilio iuuare ciues.*] Exemplum in Trebatij gratiam, aequat Iuriſprudentiam,cum Oratoria facultate: ut Boetius,& alij interpretantur. Pro Murena aduerſus Sulpicium militarem artem, Iuriſprudentiae longe anteferendam probat.

CICERO

Perfecta eſt omnis argumentorum inueniendorum praeceptio, ut cum profectus ſis a definitione, a partitione, a notatione, a coniugatis, a genere, a forma, a ſimilitudine, a differentia, a contrariis, ab adiunctis, a conſequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a cauſſis, ab effectis, a comparatione maiorum, minorum, parium, nulla praeterea ſedes argumenti quaerenda ſit.

EXPLANATIO

BOETIVS. Tametsi ex his,quae praedicta ſunt, intelligitur, nullum argumenti locum eſſe praeteritum,breuiter tamen Ciceronis concluſionem,qua ſe nihil omiſiſſe commemorat, ad ampliorem doctrinae fidem approbandam reor: in his enim nihil omnino praetermittitur, quae certa ratione tractantur. Nulla uero certior ratio diuiſione. quod enim quiſque patitur, a communibus in particularia deducens, cum rectum iter inſiſtat, labi,atque ad errorem deduci non poteſt. locorum igitur omniũ prima diuiſio fuit in ea,quae in ipſis haerent,& ea,quae aſſumerentur extrinſecus. Cuius diuiſionis nihil medium reperiri poteſt.aut enim in ipſo eſt aliquid de quo quaeritur,an extrinſecus neceſſe eſt aſſumatur. Videamus igitur nunc quemadmodum diſputatio per nihil omittentem diuiſionem feratur. Eorũ igitur locorum, qui in ipſis ſunt, de quibus agitur, nunc ex toto,nunc ex partibus,nunc ex uocabulo,nunc ex affectis ſumitur argumẽtum. In his igitur,quod nihil relictum ſit,perſpicue apparet. In eo enim, quod coniunctum eſt,duplex diſcretio eſt, una ex ipſo, quod formatum eſt,atque compoſitum,quod totum eſt. In quo etiam definitiones adhibentur,alia in eius partibus inſpiciendis, ex quibus compoſiti forma iuncta eſt. Sed, quoniam natura hominum id,quod intelligit, uoce ſaepius prodit, neceſſe eſt, ut nomen quoque, quod ad intellectus declarationem adhibetur,oſtendat aliquam rei,quam ſignificat,proprietatem. Intellectus quippe qualitatem rei,quam intelligit, capit. Quo circa nomen quoque intellectus qualitatem deſignat. Iure igitur dictum eſt, proprietatem quandam rei uocabulo ſignificari: atque ita ex eo trahi argumentum poteſt, quod uocatur nota. Horum uero locorum alias partitiones dedit,quas paullo poſt breuius colligemus. Affecta uero,quae,ut ſuperius dictum eſt,in relatione conſiſtunt, ipſa etiam rite diuiſa ſunt. Nam, quae referuntur ad aliquid, aut ſubſtantialia,aut accidentia. Subſtantialia,ut coniugata, nam iuſto in eo,quod iuſtus eſt, iuſtitia ſubſtantia facit; nec id dico, quod homini eſſe ex iuſtitia conſtituatur, ſed iuſto,qui iuſtitia diſcedente corrumpitur. Similis & de eo,quod eſt iuſte aduerbio, ratio eſt,eſt etiam ſubſtantiale genus,ſpecies, differentia, cauſſa, effectus. Accidentia,ut contrarium, ſimile, adiunctum,paria,maiora,minora. Conſequentia uero, atque repugnantia,quoniam, ut ſuperius dictum eſt,in condicione poſita ſunt, nec ſubſtantialia reperiuntur, nunc uero in accidentibus conſiderantur. Subſtantialia,ut cum genus antecedentem ſpeciem; accidentia uero,ut cum nigredo praecedentem ſequitur eorum. quamquam etiam in cauſis aliquae accidentes eſſe poſsint. De quarum omnium proprietatibus Tullius ſupra diſſeruit. atque ut in breuiſsimam deſcriptionem tota locorum diuiſio colligatur, erit, hoc modo. Omne argumentum aut ex his locis ducitur,quae in ipſo, de quo quaeritur,inhaerent,aut extrinſecus aſſumuntur. Is uero locus,qui in ipſis de quibus ambigitur poſitus eſt, diuiditur in eum locum, qui eſt ex toto,& in eum,qui eſt ex partibus,& in eum qui eſt ex nota,& in eum, qui eſt ab affectis. is autem qui a toto eſt,a definitione locus uocatur. definitionum uero aliae ſunt propriae, aliae

non

non propriae. Non propriarum uero aliae ſunt, quae ſingulis nominibus denotantur, aliae, quae oratione pādũtur. Earum uero, quae ſingulis nominibus fiunt, aliae ſunt, in quibus pro nomine redditur nomen, quae dicuntur κατ᾽ἀντίλεξιν: aliae, quae exempli gratia nomini ſubiiciuntur, quae dicuntur τύποι. Earum uero, quae oratione declarātur, aliae fiunt a partitione, aliae a diuiſione, aliae a differētiis, praeter genus, quod ἐννοηματικὸν dicitur, aliae quae ex plurimis qualitatibus fiunt, etiam in ſingulis totum id ſignificantibus, quod omnis qualitatum collectio declarat, quae uocatur ποιότης, aliae quae ex accidentibus non ſingulis, ſed cunctis unũ aliquid efficientibus conſtant, aliae quae ad differentiam dantur, aliae per tranſlationem, aliae quae ex priuatione cōtrarii, aliae quae propriis nominibus aptantur, quae etiam ὑποτυπώσεις, aliae per indigentiam pleni, aliae per proportionem, aliae per relationem, aliae per cauſſam. Item alia definitionis diuiſio ſecundum Tullium principalis, quod aliæ corporalium rerũ ſint, aliae incorporaliũ. & definitionis quidem locus ita diuiſus eſt. A partibus autem locus diuiditur in partitionem, & diuiſionem. A nota uero locus ſimplex eſt ab affectis autē alii ſunt, a coniugatis, alij a genere, alij a forma, alij a ſimili, alij a differentia, alij a contrarijs, alij ab adiunctis, alij a conſequentibus, antecedentibus, & repugnantibus, alij a cauſſa, alij ab effectis, alij a cōparatione partium, maiorum, uel minorum. Genus uero diuiditur in ſuprema genera, & in ea, quae etiā ſpecies eſſe poſſunt. Species quoque diuiditur in ultimas ſpecies, & in ea, quae etiam genera eſſe poſſunt. Smilium quoque alia in ſingulis conſiderantur, & uocantur exempla: alia in pluribus, & appellatur inductio: alia in cōiunctis, & uocatur proportio. Item differentiarum aliae ſunt ſubſtantiales, aliae etſi non ſubſtantiales, inſeparabiles tamen, aliae neque ſubſtantiales, neque inſeparabiles. contrariorum alia dicuntur aduerſa, alia priuantia, alia negantia, alia relatiua. adiunctorum uero alia ſunt, quae ante rem exſiſtunt, alia quae cum re, alia uero poſt rem. Locus uero condicionalis diuiditur in antecedens, conſequens, & repugnans. cauſſarum quoque multiplex locus eſt. aliae namque ſunt, quae ui ſua efficiunt, aliae ſine quibus effici non poteſt. Earum uero, quae ui ſua efficiunt, aliae ſunt neceſſariae, nihilo indigentes, ut efficiant; aliae uero indigentes, ut efficiant; aliae uero non indigentes, & non neceſſariae. Eorum uero, ſine quibus non efficitur, aliae ſunt mobiles, aliae immobiles. Itē cauſſarũ, aliae ſunt non ſpontaneae ex uoluntate, aliae ex perturbatione, aliae ex habitu, aliae ex natura, aliae ex arte, aliae ex caſu. Rurſus cauſſarum aliae ſunt cōſtantes, aliae inconſtantes. Amplius cauſſarum aliae ſunt uoluntariae, aliae ignoratae. Ignoratarum pars in caſu, pars in neceſsitate eſt conſtituta. neceſſariarum pars in ui, pars in inſciētia poſita eſt. effecta uero in tantũ diuidi poſſunt, quantũ ad ſuperius dictas cauſſas referuntur. locus uero a comparatione minorũ, parium, atque maiorum diuiditur in numerũ, ſpeciē, uim, ad res alias affectionem. Quae cum ita ſint, cumq. nihil ſit in diuiſione praetermiſſum, recte M. T. partitionem concluſit, dicens nullā argumenti ſedem eſſe praeteritam. Reſtat igitur locus qui extrinſecus ſumitur, quem, quoniam nihil iuriſconſultis eſt utilis, non Trebatij cauſſa, ſed ne quid perfecto operi deeſſe uideatur, adiungit.

GVEVARA. Perfecta *eſt omnis argumentorum inueniendorum praeceptio*,] Recte dixit, inueniendorum. Nam. ut Viſorius ſcribit, quae a locis intrinſecis depromuntur, ea dicitur Orator inuenire: de quibus hactenus dictum eſt. Quae autem extrinſecus aſſumuntur, quorum tractatio ſequitur, ad inuentionem Oratoris non pertinent; ſed foris ad eũ deferuntur. Immo in Partitionibus Cicero locos enumerās, eos tantũ repetit, qui ad Oratorem maxime attinēt, ceteros praetermittit. Atque eadē eſt ratio cur teſtimonia non dicantur affecta ad id de quo quaeritur, quamquam ad ea, quorum ſunt teſtimonia, referri uideantur: quemadmodum ſimilitudo, differentia, contrarium; eis, quibus ſimilia, differentia, contraria ſunt: nimirum, ut Boetius ait, quia ex affectis argumenta, quae fiunt ab oratore inueniuntur, eiuſque opera, atque induſtria naſcuntur. Ea uero quae extrinſecus poſita ſunt, rei tantum teſtimonium praebent. Non enim inueniuntur ab Oratore, ſed iis orator utitur poſitis, atque ante conſtitutis.

CICERO

SED, *quoniam ita principio diuiſimus, ut alios locos diceremus in eo ipſo, de quo ambigitur, haerere, de quibus ſatis eſt dictum; alios aſſumi extrinſecus; de his pauca dicamus: etſi ea nihil omnino ad ueſtras diſputationes pertinent, ſed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem coepimus. neque enim tu is es, quem nihil niſi ius ciuile delectat: &, quoniam ad te haec ita ſcribuntur, ut etiam in aliorum manus ſint uentura, detur opera, ut quamplurimum iis, quos recta ſtudia delectant, prodeſſe poſſimus.*

EXPLANATIO

BOETIVS. NE locus nihil iuris perito profuturus negligentem ſui faceret Trebatiũ, ueluti quibuſdam prooemij machinis orator reddit attentum. ait enim ita ſeſe diuiſiſſe in principio, ut alios locos in ipſis haerere diceret, de quibus ageretur, alios extrinſecus aſſumi. Et cũ de ſuperioribus locis idoneae diſputatum ſit, in tractatam reliquam partem non oportere praeteriri. Neque enim hunc eſſe Trebatium, qui ſua arte contentus ceterorum ſtudia negligat, uerum diligentia, atque ingenio plurimum ualens, cuncta ad ſe pertinere ducat, quae liberalibus ſtudiis annumerentur. ſimul dandam eſſe operam dicit, quoniam beneuolo animo Ciceronis opus Trebatius eſſet editurus, ut, cum in multorum manus ueniſſet, prodeſſe his integrum poſſet, qui rectis ſtudiis tenerentur, hoc quoque Trebatio beneficij nomine concedens, quod ad eum ſcripta, & per eum edita, profutura plurimis conſcriberet.

CICERO

*H*AEC *ergo argumentatio, que dicitur artis expers, in teſtimonio poſita eſt. Teſtimonium autem nunc dicimus, omne, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendum fidem.*

EXPLANATIO

BOETIVS. EXTRINSECVS poſitum argumenti locum, quem M.T. uocat artis expertẽ, in teſtimonio poſitum eſſe pronunciar. Dubitari autẽ põt, quid hic locus a ſuperioribus differat, quos in affectis locauit: nã uti affecta ſemper in relatione ſunt conſtituta, ita ẽt teſtimonia ad ea quorum ſunt teſtimonia referuntur. omne.n.teſtimonium teſtatae rei eſt teſtimonium. Quocirca cur, aut ea, quae affecta dudum uocata ſunt, nõ extrinſecus collocentur, aut ea, quae nunc uocantur extrinſecus, non inter affecta ponãtur, quaeri poteſt. cum praeſertim ea, quae adiuncta eſſe negocio ſuperius diximus, ueluti quoddã teſtimoniũ ſaepe rebus afferant, cũ ex eorũ, quae praeceſſerunt, uel conſecuta ſunt figuris, quid geſtũ conſiderari ſoleat. Quorũ omniũ cõis ſolutio eſt, quod ex affectis argumenta quae fiunt, ab oratore inueniuntur, eiuſq. opere, atque induſtria naſcuntur. ea uero, quae extrinſecus poſita ſunt, rei tantum teſtimoniũ praebent. non enim inueniũtur ab oratore, ſed his orator ntitur poſitis, atque ante conſtitutis. Nam, quae a genere, uel a ſpecie, uel a ceteris affectis argumenta ſunt, ab ipſo quoddãmodo oratore pariuntur. Teſtimonia uero ſibiipſe non efficit, ſed ad cauſſam utitur ante praeparatis: quo fit, ut argumẽta ex affectis in cauſſa ſtatim, atque ex tpe naſcantur: ea uero, quae in teſtimoniis poſita ſunt, ante rẽ praecurrentia, confirmando uſum negotio poſterius praeſtent, & in adiunctis ab oratore coniectura colligatur, & auditorum mentibus intimetur. Teſtimonia uero non in coniectura, aut in ſuſpicionibus, ſed in rei geſtae narratione conſiſtunt. Oſtendit autẽ uehementius, quid eſſet teſtimonium, cum dicit, id a ſe teſtimonium uocari, quod ab aliqua re externa ſumitur. Omnia quippe affecta ab eis, ad quae affecta ſunt, non uidentur externa. Teſtis uero, cum re teſtificata nulla cognatione coniungitur, niſi ſola notitia, quae nihil ad rem quae geſta eſt attinet: cum ſi geſtum negotium nullus agnoſceret, nihilominus tamẽ geſta res eſſet: ſed id poterat ẽt ad ſimilitudinẽ duci. quid enim minus eſſet aliquid, ſi ei ſimile nihil reperiretur: ſed, quod ſimile eſt, ei cui ſimile eſt, eadẽ qualitate coniungitur, quae qualitas utrumque conformat. Sciẽtia uero quamuis efficiat teſtem, nulla tamen qualitate coniungitur cum re, cuius illa notitia eſt. neque enim ſcientis notitia rei geſtae qualitas dici poteſt: cum ſi notitia qualitas rei poſſet intelligi, pereuntibus his, qui rem norunt, res uel interiret, uel mutaretur; quod neutrum euenire neceſſe eſt. Quandoquidem abſumptis ſcientibus, res ignorata poterit permanere.

CICERO

*P*ERSONA *autem non qualiſcumque teſtimonij pondus habet: ad faciendam enim fidẽ auctoritas quaeritur. ſed auctoritatem, aut natura, aut tempus affert. Naturae auctoritas in uirtute ineſt maxime. In tempore autem multa ſunt, quae afferant auctoritatem, ingenium, opes, aetas, fortuna, ars, uſus, neceſſitas, concurſio etiam nonnumquam rerum fortuitarum.*

EXPLANATIO

BOETIVS. QVONIAM locum artis expertẽ in teſtimonio eſſe poſitum dixit, in teſtimoniis uero perſonarum fidem ſuam interponentium auctoritas quaeritur, neceſſarium fuit, quibus rebus fieri ſoleat auctoritas expedire. ac cetera quidẽ clariſsime, atque apertiſsime dicta ſunt. Sed, quod auctoritatem in naturã tẽpuſq. diuiſit, cumq. in tempore ingenium, opes, aetatem, uſum, neceſsitatem; concurſionem etiam nonunquam rerum fortuitarum locauit, quaeri poteſt. Quid enim attinet ad tempus ingenium, quid ars, quid uſus? Nam aetas, atque opes, fortuna & fortuitarum rerum conuerſio ſubiecta ſunt tempori. Quoniam unumquodque horum uariis temporum uicibus permutatur. Ingenium uero naturae potius oportuit tribui, artem atque uſum tertium quiddam: quoniam, neque tempori, neque naturae ſubiiciuntur. Quamquam uirtus quoque ipſa quam M. T. in naturae ratione conſtituit, quibuſdam non naturalis, ſed tum doctrina, tum recta exercitatione uiuendi uideatur adſcita. Sed haec intelligenda diuiſio eſt, quod omnis auctoritas aut ex magnis, atque excellentibus rebus, & per naturam optimis uenit, aut ab his, quae inferiore loco ſunt conſtituta, fidem non ex naturae qualitate, ſed ex uulgo inſitis opinionibus capit. Et maximas quidem excellenteſq. res in natura conſtituit, quae ſemper, ut ipſe Tullius multis in locis defendit, boni eſt appetens. at uero, quae poſteriora ſunt, ſub tempore poſuit. Iccirco, quod omnia temporibus ſubiecta principalis boni non retinent ſtatum. Virtus quidem in deterius flecti non poteſt. Ingenium uero, atque opes, fortuna, & ars, & uſus ſaepe non recta exercitatione deprauantur. Nam quidquid horum fuerit a uirtute ſeiunctum, dignitatẽ uerae laudis amittit & de uirtute quidẽ diſtulit dicere. Poſteriorẽ uero partẽ, ideſt in tpe poſitae auctoritatis diuiſit, & euidẽtiſsimis patefecit exẽplis. Nã & ingeniis fides adeſt, atque ex ea praeſto eſt auctoritas plurima. Eos quippe ſapientius loqui homines credunt, quorũ ingeniũ ad expediẽda quae propoſuerint ſufficit, opibus quoque praepotẽtes dignos fide iudicãt, fortuna quoque & dignitate praeclaris maieſtatẽ auctoritatis impertiunt, nõ recte fortaſſe, ſed & iudiciũ in negotiis, & exiſtimatio uitae opinione hominũ maxime continetur.

quae quia mutari non poteſt, ad ea cuncta rediget, eamq. ſibi tractandam regendamq. proponet orator. Ars etiam, atque uſus plurimum ualent. In utriſque enim fidem notitia facir. Neceſsitas quoque quaſi id, quod latebat, extorquēs auctoritate ſubnixa eſt, quae tū ab animo, tū a corporibus uenit. A corporibus, cū igni ferro, ac uerberibus uerum, quod latet, aperitur. Ab animo, cū mens quadā perturbationis, uel ignorantiae caecitate confunditur. Tunc enim, quid dici, quid taceri debeat, minime diſtinguens uerum, quod occultū erat, prodit, atq; effundit in lucē. Nā iracūdia ſaepe, & quaelibet animi perturbatio, quod occultandū foret, haud cōtinet, quae iccirco habent auctoritatē ad fidem, quia ſimpliciter prodita ſunt, nec ulla calliditatis arte prolata, quinetiam ignorantia puerorum, uinolētia, ſomnus, quaedā ſaepe produxit in medium, in quibus ſi iudicium fuiſſet ullum, prolata non eſſent. Saepe etium homines praeter ullam animi perturbationē imprudentes propria confeſsione obligati ſunt, dum cuncta ſimpliciter effundūt, quae ſibi nocitura non exiſtiment, ut Staterio enenisse propoſuit, qui interpoſito pariete teſtibus ea confeſſus eſt, imprudens ſe ab inſidiantibus audiri, quibus uulgatis, in iudiciumq. prolatis, capitali ſentent a condemnatus eſt. Atque haec quidem ignorantia in neceſſitate eſt conſtituta: nam, qui neſcit id, quod ignorat, ne ſi uelit quidem poterit euitare. Quae autem neceſsitas extorquet, ipſa quodammodo uidetur ueritas dicere, atque ideo eis ueluti auctoritate ſubnixis fides adhibetur. Concurſio etiam rerum fortuitarum facit fidem, quae cū aliquoties falſa deſignet, tamen ita eſt uehemēs, ut ſe ab ea ueritas explicare uix poſsit. quale eſt, quod de Palamede narratur, Phryx extinctus qui quaſi a Priamo miſſus uideretur repertae Priami litterae, Phrygia manus imitata, quae cōcurrentia fidem facerent proditionis. Hinc dicit, Talis etiam fortuitarum rerum concurſio eſt.

GVEVARA. NATVRAE *auctoritas in uirtute ineſt maxime. In tempore autem multa ſunt, quae afferant auctoritatem, ingenium, opes, aetas, ars, uſus.*] Imo uero uirtutem ipſam, non natura contingere, ſed tum doctrina, tum recta exercitatione uiuendi conſequi, quidam probaueruut. Ingenium naturae donum eſſe: artem, atque uſum, partim naturae, tēpori partim tribuenda. Verū, ut Boetius ſcribit, maximas quidē, excellenteſq. res, recte Cicero in natura cōſtituit: quae uero poſteriora ſunt, ſub tēpore poſuit, iccirco, quod omnia tempori ſubiecta, principalis boni non retinent ſtatum. Virtus in deterius ipſa non flectitur. Ingenium atque opes, fortuna & ars, & uſus ſaepe non recta exercitatione deprauantur. Viſorius & Barba, uirtutem aiunt ad naturam referri, quia, ut natura conſtans & ſtabilis eſt, ſic uirtus firma eſt, & immota. Ingenium quoque deberi naturae, ſed non immerito ſub tempore cenſeri, quia ut artis principium eſt natura, tempus uero finem arti imponit, & quod natura inchoatum eſt arte perficitur: ſic ingenij rudimenta, naturae deberi; tempori perfectionem, Quinctilianus lib. quincto cap. primo, & ſequentibus: probationis inartificialis partes facit, praeiudicia, rumores, tormenta, tabulas, iuſiurandum, teſtes.

C I C E R O

NAM & ingenioſos, & opulentos, & aetatis ſpatio probatos, dignos, quibus credatur, putant: non recte fortaſſe: ſed uulgi opinio mutari uix poteſt, ad eamq. omnia dirigunt & qui iudicant, & qui exiſtimant. Qui enim his rebus, quas dixi, excellunt, ipſa uirtute uidentur excellere. Sed reliquis quoque rebus, quas modo enumeraui, quamquam in iis nulla ſpecies uirtutis eſt, tamen interdum confirmatur fides, ſi aut ars quaedam adhibetur, magna enim eſt uis ad perſuadendum ſcientiae, aut uſus; plerumque enim creditur iis, qui experti ſunt. Facit etiam neceſſitas fidem, quae cum a corporibus, tum ab animis naſcitur. Nam & uerberibus, tormentis, igni fatigati quae dicunt, ea uidetur ueritas ipſa dicere: & quae a perturbationibus animi ſunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia neceſſitatis uim habent, afferunt auctoritatem, & fidem. Cuius generis etiam illa ſunt, ex quibus nōnumquam uerum inuenitur, pueritia, ſomnus, imprudentia, uinolentia, inſania. Nam & pueri ſaepe iudicauerunt aliquid, ad quod pertineret, ignari: & per ſomnum, uinum, inſaniam multa ſaepe patefacta ſunt. Multi etiam in res odioſas imprudentes inciderunt, ut Staleno nuper accidit, qui ea locutus eſt bonis uiris ſubauſcultantibus pariete interpoſito, quibus patefactis, in iudiciumq. prolatis, rei capitalis iure damnatus eſt. huic ſimile quidam de Lacedaemonio Pauſania accepimus. Concurſio autem fortuitorum talis eſt, ut ſi interuentum eſt caſu, cum aut ageretur aliquid, quod proferendum non eſſet, aut diceretur. In hoc genere etiam illa eſt in Palamedem coniecta ſuſpicionum proditionis multitudo: quod genus refutare interdum ueritas uix poteſt. Huius etiam generis eſt fama uulgi quoddam multitudinis teſtimonium. Quae autem uirtute fidem faciunt, ea bipertita ſunt. Ex quibus alterum natura ualet, alterum induſtria. Deorum enim uirtus natura excellit, hominum autem induſtria. Diuina haec fere ſunt teſtimonia: Primum orationis: oracula enim ex eo ipſo appellata ſunt, quod ineſt in his deorum oratio. Deinde rerum, in quibus inſunt quaſi opera diuina quaedam. Primum ipſe mundus: eiuſq. omnis ordo, & ornatus: deinceps aerei uolatus auium, atque cantus: deinde eiuſdem aeris ſonitus, & ardores: multarumq. rerum in terra portenta, atque etiam per exta inuenta praeſenſio. A dormientibus quoque multa ſignificata uiſis, quibus ex locis ſumi interdum ſolent ad fidem faciendam teſtimonia deorum. In homine uirtutis opinio ualet plurimū. Opinio autem eſt, non modo eos uirtutem habere, qui habeant, ſed eos etiam, qui habere uideantur. itaque, quos ingenio, quos ſtudio, quos doctrina praeditos uident, quorumq. uitam cōſtantem, & probatam, ut Catonis, Laelij, Scipionis, aliorumq. plurium, rentur eos eſſe quales ſe ipſi uelint. Nec ſolum eos cenſent tales, qui in honoribus populi, atque in rep. uerſantur, ſed & oratores, & philoſophos, & poetas, & hiſtoricos, ex quorum & dictis, & ſcriptis ſaepe auctoritas petitur ad faciendam fidem. Expoſitis omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum eſt, nec ullam eſſe diſputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quaeſtionem, & quibuſdam quaeſtioni-

bus alios, quibuſdam eſſe alios aptiores locos. Quaeſtionum duo ſunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum eſt, quod ὑπόθεσιν Graeci, nos cauſſam. Infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propoſitum poſſumus nominare. Cauſſa certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorum. Propoſitum autem in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propoſitum pars cauſſae eſt. Sed omnis quaeſtio earum aliqua de re eſt, quibus cauſſae continentur, aut una, aut pluribus, aut nõnumquam omnibus. Quaeſtionum autem, quaecumque de re ſint, duo ſunt genera, unum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis ſunt eae, quarum finis eſt ſcientia: ut ſi quaeratur, a natura ne eius profectum ſit, an ab aliqua quaſi condicione hominum, & pactione. Actionis autem huiuſmodi exempla ſunt: Sit ne ſapientis ad remp. accedere. Cognitionis quaeſtiones tripertitae ſunt, cum, an ſit, aut quid ſit, aut quale ſit, quaeritur. Horum primum coniectura, ſecundum definitione, tertium iuris, & iniuriae diſtinctione explicatur. Cõiecturae ratio in quattuor partes diſtributa eſt. Quartum una eſt, cum quaeritur, ſit ne aliquid. Altera, unde ortum ſit. Tertia, quae id cauſſa effecerit. Quarta, in qua de mutatione rei quaeritur, ſit, nec ne ſit: Ecquidnam honeſtum ſit, ecquid aequum: re uera, aut haec tantum opinione ſint: Vnde autem ſit ortum, ut cum quaeritur, natura an doctrina poſſit effici uirtus. Cauſſa autem efficiens ſic, ut cum quaeritur, quibus rebus eloquentia efficiatur. De commutatione ſic: Poſſit ne eloquentia commutatione dliqua conuerti in infantiam. Cum autem quid ſit quaeritur, notio explicanda eſt, & proprietas, & diuiſio, & partitio. haec enim ſunt definitioni attributa. additur etiam deſcriptio, quam Graeci χαρακτῆρα uocant. Notio ſic quaeritur, ſit ne id aequum, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt. Proprietas ſic: In hominem ne ſolum cadat, an etiam in belluas aegritudo. Diuiſio & eodem pacto partitio, ſic: Tria ne genera bonorum ſint. deſcriptio, Qualis ſit auarus, qualis aſſentator, ceteraq. eiuſdem generis, in quibus natura & uita deſcribitur. Cum autem quaeritur, quale quid ſit, aut ſimpliciter quaeritur, aut comparate. Simpliciter, Expetenda ne ſit gloria. Comparate, Praeponenda ne ſit diuitiis gloria. Simplicium tria genera ſunt, de expetendo ſugiendoque; de aequo & iniquo; de honeſto & turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem & alio; alterum de maiore & minore. De expetendo & fugiendo, huiuſmodio: Si expetendae diuitiae, ſi fugienda paupertas. De aequo & iniquo: Aequum ne ſit ulciſci a quocumque iniuriam acceperis. De honeſto & turpi. Honeſtum ne ſit pro patria mori. Ex altero autem genere, quod erat bipertitum, unum eſt de eodem & alio: ut ſi quaeratur, quid interſit inter amicum & aſſentatorem, regem & tyranuum. Alterum, de maiore, & minore; ut ſi quaeratur, eloquentia ne pluris ſit, an iuris ciuilis ſcientia. De cognitionis quaeſtionibus hactenus. Actionis reliquae ſunt, quarum duo ſunt genera, unum ad officium, alterum ad motum animi gignendum, uel ſedandum, plane ue tollendum. Ad officium ſic, ut cum quaeritur ſuſcipiendi ne ſint liberi. Ad mouendos animos, cum fiunt cohortationes ad defendendam remp. ad gloriam, & ad laudem: quo ex genere ſuut querellae, incitationes, miſerationeſq. flebiles, rurſusq. oratio, cum iracundiam reſtinguens, tum metum eripiens, tum exſultantem laetitiam comprimens, tum aegritudinem abſtergens. Haec cum in propoſitis quaeſtionibus genera ſint, eadem in cauſſas transferuntur. Loci autem qui ad quaſque quaeſtiones accommodati ſunt deinceps eſt uidendum. Omnes quidem illi, quos ſupra diximus, ad pleraſque ſunt: ſed alij ad alias, ut dixi, aptiores. Ad coniecturã igitur maxime apta, quae ex cauſſis, quae ex effectis, quae ex coniunctis ſumi poſſunt. Ad definitionem autem pertinet ratio & ſcientia definiendi. Atque huic generi finitimum eſt illud, quod appellari de eodem & altero diximus: quod genus, forma quaedam definitionis eſt. Si enim quaeratur, idem ne ſit pertinacia & perſeuerantia; definitionibus iudicandum eſt. Loci autẽ conuenient in eius generis quaeſtionem conſequentes, antecedentes, repugnantes, adiunctis etiam duobus iis, qui ſumuntur ex cauſſis effectis. Nam ſi hanc rem illa ſequitur, hanc autem non ſequitur: aut ſi huic rei illa antecedit, huic non antecedit: aut ſi huic rei repugnat, illi non repugnat: aut ſi huic rei, haec illius alia cauſſa eſt: aut ſi ex alio hoc, ex alio illud effectum eſt: ex quouis horum id, de quo quaeritur, idẽ ne an aliud ſit, inueniri poteſt. Ad tertium genus quaeſtionis, in quo, quale ſit, quaeritur, in cõparationem ea cadunt, quae paullo ante in comparationis loco enumerata ſunt. In illud autem genus, in quo de expetendo fugiendoq. quaeritur, adhibetur ea, quae ſunt aut animi, aut corporis, aut externa, uel commoda, uel incommoda. Itemq. cum de honeſto turpiq. quaeritnr, ad animi bona uel mala omnis dirigenda oratio eſt. Cum autem de aequo, & iniquo diſſeritur, aequitatis loci colliguntur: hi cernuntur bipertito, & natura, & inſtituto. Natura partes habet duas, tuitionem ſui, & ulciſcendi ius. Inſtitutio autem aequitatis tripertita eſt. Vna pars legitima eſt, altera conueniens, tertia moris uetuſtate confirmata. Atque etiam rurſus aequitas tripertita dicitur eſſe, una ad ſuperos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia iuſtitia, aut aequitas nominatur. De propoſito ſatis multa: deinceps de cauſſa pauciora dicenda ſunt. pleraque enim ſunt ei cum propoſito communia. Tria ſunt igitur genera cauſſarum, iudicij, deliberationis, laudationis. quarum fines ipſi declarant, quibus utendum locis ſit. Nam iudicij finis eſt ius, ex quo etiam nomen. Iuris autem partes tum expoſitae, cum aequitatis. Deliberandi finis utilitas; cuius eae partes, quae modo expoſitae, rerum expetendarum. Laudationis finis, honeſtas, de qua item eſt ante dictum. Sed definitae quaeſtiones a ſuis quaeque locis quaſi propriis inſtituuntur in accuſationem defenſionemq. partitae. In quibus exſiſtunt haec genera, ut accuſator perſonam arguat facti, defenſor aliquid opponat de tribus, aut non eſſe factum: aut, ſi ſit factum, aliud eius facti nomen eſſe: aut iure eſſe factum. Itaque aut infitialis, aut coniecturalis prima appelletur, definitiua altera, tertia, quamuis moleſtum nomen hoc ſit, iuridicialis uocetur. Harum cauſſarum propria argumenta ex iis ſumpta locis, quos expoſuimus, in praeceptis oratoriis explicata ſunt. Refutatio autem accuſationis, in qua eſt depulſio criminis, quae Graece ςάσις dicitur, Latine appelletur ſtatus: in quo primum inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. Atque etiam in deliberationibus & laudationibus iidem exſiſtunt ſtatus. Nam & negantur ſaepe ea futura, quae ab aliquo in ſententia dicta ſint fore, ſi aut omnino fieri non poſſint, aut ſine ſummo

difficul-

difficultate non poſſint. In qua argumentatione ſtatus coniecturalis exſiſtit. At, cum aliquid de utilitate, honeſtate, aequitate diſſeritur, deq. iis rebus, quae his ſunt contrariae; incurrunt ſtatus aut iuris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. nam aut negari poteſt id factum eſſe, quod laudetur: aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit: aut omnino non eſſe laudabile, quod non recte, non iure factum ſit. quibus omnibus generibus uſus eſt nimis imprudenter Caeſar contra Catonem meum. Sed quae ex ſtatu contentio efficitur, eam Graeci κρινόμενον uocant: mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, qua de re agitur, uocari. Quibus autem hoc, qua de re agitur, continetur, haec continentia uocentur, quaſi firmamenta defenſionis, quibus ſublatis defenſio nulla ſit. Sed, quoniam lege firmius in controuerſiis diſceptandis eſſe nihil debet, danda eſt opera, ut legem adiutricem & teſtẽ adhibeamus. In qua re alij quaſi ſtatus exſiſtunt noui, ſed appellantur legitimae diſceptationes. Tum enim defenditur, non id legem dicere, quod aduerſarius uelit, ſed aliud. Id autem contingit, cum ſcriptum ambiguum ſit, ut duae differentes ſententiae accipi poſſint. Tum opponitur ſcripto uoluntas ſcriptoris; ut quaeratur, uerba ne plus, an ſententia ualere debeat. Tum legi lex contraria affertur. Ita ſunt tria genera, quae in controuerſiam in omni ſcripto facere poſſunt, ambiguum, diſcrepantia ſcripti & uoluntatis, ſcripta contraria. Iam hoc perſpicuum eſt, non magis in legibus, quam in teſtamentis, in ſtipulationibus, in reliquis rebus, quae ex ſcripto aguntur, poſſe controuerſias eaſdem exſiſtere. Horum tractationes in aliis libris explicantur. Nec ſolum perpetuae actiones, ſed etiam partes orationis iiſdem locis adiuuantur, partim propriis, partim communibus: ut in principiis, quibus ut beneuoli, ut dociles, ut attenti ſint qui audiant, efficiendum eſt propriis locis. Itemq. narrationes, ut ad ſuos fines ſpectent, ideſt, ut planae ſint, ut breues, ut euidẽtes, ut incredibiles, ut moratae, ut cum dignitate. quae quamquam in tota oratione eſſe debent, tamen ſunt propria narrandi. Quae autem conſequitur narrationem fides, ea perſuadendo quoniam efficitur, qui ad perſuadendum loci maxime ualeant, dictum eſt in iis, in quibus de omni ratione dicendi. Perroratio autem & alia quaedam habet, & maxime amplificationem: cuius effectus is debet eſſe, ut aut perturbentur animi, aut tranquillentur; &, ſi ita iam affecti ante ſunt, ut augeat eorum motus, aut ſedet oratio. Huic generi, in quo & miſericordia, & iracundia, & odium, & inuidia, & ceterae animi affectiones perturbãtur, praecepta ſuppeditantur aliis in libris, quos poteris mecum legere, cũ uoles. Ad id autem, quod te uelle ſenſeram, cumulate ſatisfactum eſſe debet uoluntati tuae. nam, ne praeterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura, quam a te deſiderata erant, ſum complexus: feciq. quod ſaepe liberales uenditores ſolent, ut, cum aedes fundum ue uẽdiderint, rutis caeſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſſa apte, & loco poſitum eſſe uideatur. ſic tibi nos ad id, quod quaſi mancipio dare debuimus, ornamenta quaedam uoluimus non debita accedere.

EXPLANATIO

GVEVARA. VT *Staleno nuper accidit,*] Cicero pro Cluentio: Iã cetera nota ſunt omnibus, ut, cum illo Oppianicus egerit de pecunia, ut ille ſe rediturum eſſe dixerit, ut eorum ſermonẽ omnem audierint uiri boni, qui tum conſulto prope in occulto ſtetiſſent, ut res patefacta, atque in forũ prolata, & pecunia omnis a Staleno extorta, atque erepta ſit. HVIC *ſimile quidã de Lacedaemonio Pauſania accepimus.*] Pauſania Argilo litteras ad Xerxẽ, uel ad Artabũ an Xerxis praefectũ dedit, quibus Lacedaemonios ꝓdebat. Argilus ſuſpicatus aliquid de ſe ſcribi, reſignatis cognouit, ſi ad regẽ referret, ſibi moriendũ eſſe, ne ꝓditio umquã uulgaretur: quare litteras ad Ephoros potius detulit, a quibus hortatus, ut in Neptuni templũ cõfugeres, in quo ſubterraneus locus erat, ex quo, quidquid loqueretur, audiri poterat, Pauſanias ad eũ ueniẽs orat ne ſe proderet: atque ita ab Ephoris auditus, proprio teſtimonio conuictus eſt. Auctores Aemilius Probus in Pauſania. Et Thucydides lib. 1. uerum Iuſtinus lib. 2. Pauſaniam non ab Argilo proditum ſcribit, ſed ab Ariſtide Athenienſium duce, eius collega. IN *hoc genere etiam illa eſt in Palamedem coniecta ſuſpicionum proditionis multitudo.*] Aiunt Vlyſſem Palamedi inſidiatum, conficto in eum proditionis crimine, aurum in tentorio eius clam poſuiſſe, litteras Priami ad eum finxiſſe: accuſaſſe denique, & effeciſſe, ut damnatus lapidarentur. Cauſſas autem odij fuiſſe, quod eum inuitum, & inſaniam ſimulantem Palamedes ad bellum coegerit. Item, quod Palamedes multũ frumẽti aduexiſſet ex Thracia, unde nihil aduexerat Vlyſſes. Vnde Virgilius in ſecundo, Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures, Belidae nomen Palamedis, & inclyta fama, Gloria, quem falſa ſub proditione Pelaſgi Inſontem infando indicio, quia bella uetabat Demiſere neci, nunc caſſum lumine lugent. Dictys Cretenſis lib. 2. de bello Troiano aliter narrat. Per idem, inquit, tempus Diomedes, & Vlyſſes conſilium de interficiendo Palamede ineunt, more ingenij humani, quod imbecillum aduerſum dolores animi, & inuidiae plenum, anteiri ſe a meliore haud facile patitur. Igitur, ſimulato, quod theſaurum repertum in puteo cum eo partiri uellent, remotis procul omnibus, perſuadent, ut ipſe potius diſcederet. Eumque nihil inſidioſe metuentem, adminiculo funis uſum deponunt: ac propere arreptis ſaxis, quae circum erãt, deſuper obruunt. Ita uir optimus acceptuſq. in exercitu, cuius neque uirtus fruſtra fuerat, circumuentu a quibus minime debuerat, indigno modo interiit. Sed fuere, qui eius conſilij haud expertem Agamemnonem dicerent, ob amorem ducis in exercitum: & quia pars maxima regi ab eo cupiens, tradendum ei imperium, palam loquebantur. Igitur a cunctis Graecis ueluti publicum funus eius crematum igni, aureo uaſculo ſepultum eſt.

- Teſtimonium
  - Diuinum
    - Oracula
    - Auſpicia
    - Vaticinationes
    - Reſponſa
  - Humanum in
    - Scriptis, ut,
      - Chirographa
      - Tabulae
    - Oratione
      - Libera, ut
        - Fama
        - Virorum ſententiae
        - Dicta teſtium
      - Expreſſa
        - Religione
        - Tormentis.

- Teſtimonium ad fidē faciendam, auctoritatem quaerit. Auctoritatem autem affert,
  - Natura, cuius auctoritas in uirtute ineſt maxime,
    - Natura diuina enim uirtus natura excellit.
    - Cuius ſunt teſtimonia
      - Orationis. oracula, ex eo ipſo appellata, quod inſit in eis diuina oratio.
      - Rerum, in quib. inſunt quaſi quaedam opera diuina.
        - Mundus eiuſq. ordo
        - Aerei uolatus auium
        - Auium cantus
        - Aeris ſonitus
        - Ardores
        - Portenta
        - Praetenſio per exta
        - Viſa dormientium.
  - Quae autem uirtute fidem faciunt, ualent,
    - Induſtria, qua homines excellunt. In homine enim uirtutis opinio ualet plurimum. Opinio autem eſt non modo eos uirtutem habere, qui habeant; ſed eos etiam, qui habere uideantur. Itaque ex ſcriptis, dictis Oratorum, Philoſophorum, Poetarum, Hiſtoricorum, aliorumq. quos ingenio, quos doctrina, quos ſtudio praeditos cenſemus, quorumq. uitam conſtantem, & probatam iudicamus, auctoritas petitur ad faciendam fidem.
  - Tempus, in quo ſunt,
    - Ingenium
    - Opes
    - Aetas
    - Fortuna
    - Ars
    - Vſus
    - Concurſio fortuitorum
    - Fama uulgi
    - Neceſsitas, quae naſcitur tū ab
      - Animo cuius ſunt
        - Dolor
        - Cupiditas
        - Iracundia
        - Metus
        - Pueritia
        - Somnus
        - Imprudentia
        - Vinolentia
        - Inſania
      - Corpore, nā & uerberibus, tormentis, igni, fatigati quae dicunt, ea uidetur ueritas ipſa dicere.

QVAESTIONVM *duo ſunt genera, alterum infinitum, alterum definitum.*] Definita quaeſtio dicitur, quod definitis circumſtantiis perſonarum, locorum, temporum actionum, negotiorū decernatur: An Gallus Aquillius optimam inſtituendorum poſtumorum formulam tradiderit. Propoſitum, nullam certam circumſtantiam habet, ſed abſolute ponitur. An neceſſario ſit poſtumus inſtituendus. Vbi & ſunt circumſtantiae, ſed indeterminatae: Atque hoc eſt, quod Cicero ait. Nec tamen in maximis. Maximas circumſtantias uocans certas, & expreſſas. ITAQVE *propoſitum pars cauſſae eſt.* Quia quaeſtio infinita, in quaeſtione definita comprehenditur, ſicut genus in ſpecie. Nam, ut ſpecies, & genus, & differentias habet; ita cauſſa, propoſitum, & circumſtantias. Vnde, ſi ſit cauſſa, An Marcellus praeteritus agere poſsit de iniuſto Sempronij parentis teſtamento. Primum quaerendum propoſitum, An filij neceſſario ſint inſtituendi, uel exheredandi. Nam, ſi probetur id non eſſe neceſſarium, patebit, Marcello actionem non eſſe. Atque hoc modo hunc locum interpretandum, ex iis, quae lib. ſecundo de Oratore, & in Partitionibus Cicero ſcribit, conſtat manifeſtius.

- Quaeſtionum genera.
  - Definitum. Ideſt cauſſa, quae cernitur in
    - Perſonis
    - Locis
    - Temporibus
    - Actionibus
    - Negotiis.
  - Infinitum, Ideſt propoſitum, quod cernitur uel in aliquo, uel in pluribus, ut cauſſa; nec tamen in maximis. Vnde pars cauſſae dicitur.

SED

SED *omnis quaeſtio.*] Scilicet infinita. EARVM *aliqua de re eſt, quibus cauſſae continentur.*] Ideſt, eaſdem latentes habet circumſtantias, quas quaeſtio definita, ſiue cauſſa. VT *ſi quaeratur, a natura ne ius profectum ſit.*] Ius conſtet ne opinione, uel natura, Plato libro primo de repub. & Connanus libro primo Comment. Iuris ciuilis, cap. primo. CVM *autem quid ſit quaeritur, notio explicanda eſt: & proprietas, & diuiſio, & partitio.*] Notionem ad genus, proprietatem ad differentiam, diuiſionem ad formas, partitionem ad partes pertinere, Viſorius, & Latomus ſcribunt. HAEC *enim ſunt definitioni attributa.*] Supra in tractatione definitionum, Eſt tamen, inquit, quaedam informatio inſignita & impreſſa intelligentia, quam notionem uoco, ea ſaepe in argumentado, definitione explicanda ſunt. Atque etiam definitiones aliae ſunt partitionum, aliae diuiſionum. Legenti igitur illa, hic locus erit facillimus. ADDITVR *etiam deſcriptio, quam Graeci Charactera uocant.*] Recte Petrus Victorius pro, catagraphin, poſuit Charactera. quod & ſecutus eſt Paullus Mannuccius: Nam in Oratore idem Cicero ſcribit: ſed iam ipſa forma reſtat, & Character ille qui dicitur: qui qualis eſſe debeat, ex ipſis, quae ſupra dicta ſunt, intelligi poteſt. Et libro ſecundo Ep. ad Q. F. in fine. Dic mihi uerum, num, aut res eum, ant character non delectat? Nihil eſt, quod uereare. SI *ne id aequum, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt.*] Id affirmabat Thraſymachus apud Platonem de Rep.

Quaeſtio finita ſeu infinita refertur uel ad
- Cognitionem, cuius finis eſt ſcientia.
  - An ſit. Ideſt coniectura, cuius partes
    - 1. Sitne aliquid
    - 2. Vnde ortum
    - 3. Quae cauſſa effecerit
    - 4. In qua de mutatione rei agitur
  - Quid ſit, ideſt definitio: Cuius partes ſunt
    - Notio
    - Proprietas
    - Diuiſio
    - Partitio
    - Deſcriptio
  - Quale ſit. Ideſt iuris, & iniuriae diſtinctio, ea fit
    - Simpliciter
      - De expetendo & fugiendo
      - De aequo, & iniquo
      - De honeſto, & turpi
    - Comparate.
      - De eodem, & alio
      - De maiore, & minore.
- Actionem, cuius duo genera referuntur, uel ad officium, uel ad motum animi gignendum, ſedandum, uel plane tollendum.

HAEC *cum in propoſitis quaeſtionibus genera ſint, eadem in cauſſas transferuntur.*] Ideſt, haec omnia, quae de theſi ſunt dicta, ad hypotheſin quoque transferri poſunt. AD *coniecturam igitur maxime apta, quae ex cauſſis, quae ex effectis, quae ex coniunctis ſumi poſſunt.*] Sic ſupra in tractatione loci ab adiunctis. Sed locus hic magis ad coniecturales cauſſas, quae uerſantur in iudicijs, ualet, cum quaeritur quid aut euenerit, aut futurum ſit, aut quid omnino fieri poſſit. Et in Partitionibus: In coniectura igitur, inquit, cum eſt in infitiando reus, accuſatori haec duo prima ſunt, ſed accuſatorem pro omni actore, & peritore appello: poſſunt enim etiam ſine accuſatore in cauſſis haec eadem controuerſiarum genera uerſari: ſed haec duo ſunt ei prima, cauſſa, & euentus. Cauſſam appello rationem efficiendi; Euentum, id, quod eſt effectum. AD *definitionem autem pertinet ratio, & ſcientia definiendi. Atque huic generi finitimum eſt illud, quod appellari ab eodem, & altero diximus.*] Certe paullo ante ad qualitatem dixit pertinere. Ex altero autem genere, inquit, quod erat bipartitum, unum eſt de eodem, & alio. Hic uero, & in Partitionibus, definitioni haec tribuit. Atque utrumque, ut Viſorius ſcribit, uerum eſt: idem enim & diuerſum duobus modis accipiuntur: ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum accidens. Secundum ſubſtantiam, idem & diuerſum ad definitionem pertinent: nam, quae ſunt eadem, eorum eſt eadem ſubſtantia, & definitio. At, quod ſecundum accidens, uel idem, uel diuerſum eſt, qualitati tribuitur. SI *enim quaeratur, idem ne ſit pertinacia, & perſeuerantia, definitionibus iudicandum eſt,*] De pertinacia Ariſtoteles lib. ſecundo Ethic. Et Cicero libro primo de offic. Pertinacia eſt abſque ratione ſtabilis, & perpetua manſio. Et libro ſecundo de Inuentione: Perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua manſio. Et Varro de lingua Latina ad M. Tullium libro quarto: Quomodo uniuculuſque uerbi naturae ſint duae; a qua re, & in qua re uocabulum ſit impoſitum (itaque a qua re ſit pertinacia, cum quaeritur; oſtenditur eſſe a pertendendo, in qua re ſit impoſitum, dicitur; cum demonſtratur, in quo non debet pertendi, & pertenditur; pertinaciam eſſe: quod in quo oporteat manere, ſi in eo perſtetur, perſeuerantia ſit,

Aequitas, quae erga
- Superos, Pietas.
- Manes, Sanctitas.
- Homines, Iuſtitia.

Dicitur. Bipartio cernitur.
- Natura, quae duas habet partes.
  - Tuitionem ſui:
  - Vlciſcendi ius.
- Inſtituto, quae uel
  - Legitima.
  - Conuentis inſtituta.
  - Moris uetuſtate confirmata.

De aequitate, & eius partibus diximus ſatis multa ad legem primam Digeſtorum, lib. quarto de Iuris definitione. IVDICII *finis eſt ius. Deliberandi finis utilitas.*] *Lautationis finis honeſtas.*] Frequentiſsima pro ſolis comprehendit, quia, licet omnia omnibus cauſsis, tamen alia aliis aptiora. Atque id eſt, quod Quinctilianus lib. tertio, cap. quarto. Ne his quidem, inquit, acceſſerim, qui laudatiuam materiam honeſtorum; Deliberatiuam utilium; Iudicialem iuſtorũ quaeſtione contineri putant: celeri magis, ac rotunda uſi diſtributione, quam uera. Stant enim quodammodo mutuis auxiliis omia. Nam & in laude iuſtitia utilitaſq. tractantur: & in conſiliis honeſtas: & raro iudicialem inueneris cauſſam, cuius non parte aliquid eorum, quae ſupra diximus, reperiatur. Illud quoque Cicero in Partitionibus, Delectationem in laude, ſpem & metum in ſuaſione, ſaeuitiam, & miſericordiam in accuſatione, fines poſuit: non de cauſſarum, ſed de motuum finibus dictum, Viſorius notat. REFVTATIO *autem accuſationis, in qua eſt depulſio criminis, quae Graece Staſis dicitur, Latine appelletur Status: in quo primum inſiſtit quaſi ad repugnandam congreſſa defenſio.*] Quinctilianus lib. tertio, cap. ſeptimo. Vnde ducatur ſtatus, & reus an actor ſtatum faciat. Alij, inquit, ſtatum crediderunt, primam eius, cum quo ageretur, deprecationem, uel depulſionem. Quam ſententiam his uerbis Cicero amplectitur. In quo primum inſiſtit, quaſi ad repugnandam congreſſa defenſio. Et lib. ſecundo de Inuentione, ſcribit in omni cauſſa eſſe intentionem, depulſionem, quaeſtionem, rationem, infirmationem rationis, iudicationem. Ideſt in omni cauſſa eſſe ſtatum, ſed eum magis in concertando apparere. Omnemq. orationem circa coniecturam, finitionem, & qualitatem uerſari: & quae ex depulſione naſcatur, quaeſtionem, ſtatum dici: ſed et hunc in certaminibus, in aliam quaeſtionē deſcendere, quae hincinde ex firmamentis nata, appelletur iudicatio. Eam hoc loco Cicero, quod ad Trebatium ſcribat, rem de qua agitur, uocat. ATQVE *etiam in deliberationibus & laudationibus iiſdem exſiſtunt ſtatus.*] In eadē ſententia eſt Quinctilianus lib. tertio, cap. ſexto inquiens. Statum nonnulli ad iudiciales tantum pertinere materias putauerunt. Quorum inſcitiam, cum omnia tria genera fuero exſecutus, res ipſa deprehendet. QVIBVS *omnibus generibus uſus eſt nimis impudenter Caeſar contra Catonem meum.*] Plutarchus ſcribit, Caeſarem duos libros ſcripſiſſe Anticatones, in Vticenſem, quem Cicero laudauerat. Et Quinctilianus lib. tertio, cap. nono. Itaque, ait, ut non conſenſi, hoc laudatiuum genus circa ſolam uerſari honeſti quaeſtionem: ſic qualitate maxime contineri puto: quamquam omnes res ſtatus cadere in hoc opus poſsint, iiſq. uſum C. Caeſarem in uituperando Catone, notauerit Cicero. QVIBVS *autem hoc, qua de re agitur, continetur, haec continentia uocentur: quaſi firmamenta defenſionis, quibus ſublatis nulla ſit.*] Immo Firmamentum accuſatoris eſſe, aduerſus rationem defenſoris, idem Cicero ſcribit in Partitionibus, inquiens. Rationem appellamus eam, quae affertur a reo, ad recuſandum, depellendi criminis cauſſa. Quae niſi eſſet, quid defenderet non haberet. Firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. Ex rationis autem, & ex firmamenti conflictatione, & quaſi concurſu, quaeſtio exoritur quaedam, quam diſceptationem uoco: in qua quid deueniat in iudicium, & de quo diſceptetur, quaeri ſolet. Vnde Quinctilianus libro tertio, cap. decimotertio, tractans, quid quaeſtio, & quae ſit ratio, iudicatio, continens, & quatenus neceſſaria. Paullum in his, inquit, ſecum etiam Cicero diſſentit. Nam in rhetoricis quemadmodum ſupra dixi, Hermagoram eſt ſecutus, in Topicis ex ſtatu affectam contentionem κρινόμενον exiſtimat. Idque Trebatio, qui Iuris erat conſultus, alludens, qua de re agitur appellat, quibus id contineatur, continentia, quaſi firmamē ta defenſionis, quibus ſublatis defenſio nulla ſit. At in Partitionibus Oratoriis firmamentum, quod opponitur defenſioni, quia continens quod primum ſit, ab accuſatore dicatur, ratio a reo, ex rationis, & firmamenti quaeſtione diſceptatio ſit iudicationum. Sed profecto iſtam contradictionem non multum habere momēti, atque anxiam iſtam, & ſcrupuloſam uerborum obſeruationem, non eſſe, quod nos torqueat, uerba ipſa Ciceronis eodem loco ſubindicant. Itaque ea, ait, quae ſic referuntur, continentia cauſſarum uocentur, quamquam non ea magis, quae contra rationem defenſionis afferuntur, quam ipſae defenſionis rationes continent cauſſas, ſed piſtinguendi graria rationem appellemus eam, quae affertur a reo. Et idē Quinctilianus ubi ſupra. Verum haec, ait, affectata ſublimitas circa nomina rerũ, ambitioſo labore a nobis in hoc aſſumpta ſolum, ne parum diligenter inquiſiſſe de opere, quod aggreſsi ſumus, uideremur. Simplicius autem inſtituenti non eſt neceſſe per tam minutas rerum particulas, rationem docendi concidere. IN *qua re alij quaſi ſtatus exſiſtunt noui: ſed appellentur legitimae diſceptationes.*] Exempla ſunt in libro primo ad Herennium, & in libris de Inuentione, & apud Quinctilianum libro ſeptimo. ITA *ſunt tria genera, quae controuerſiam in omni ſcripto facere poſſint, ambiguum, diſcrepantia ſcripti, & uoluntatis ſcripta contraria.*] Sic etiam in Partitionibus, & in libris de Oratore. At in libris de Inuentione & Quinctilianus lib. ſeptimo, cap. nono, Quartum genus addunt Ratiocinationem. IAM *hoc perſpicuum eſt, non magis in legibus, quam in teſtamentis, in ſtipulationibus, in reliquis rebus, quae ex ſcripto aguntur, poſſe controuerſias eaſdem exſiſtere.*] De eadem re agens Quinctilianus ſcribit, libro ſeptimo, cap. ſexto. Quod de legibus dico, idem accipi uolo de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto: idem de uoce. FECI, *quod ſaepe liberales uenditores ſolent,*

ut

ut, cum aedes fundum ue uendiderint, rutis caeſis & receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſſa apte, & loco poſitum eſſe uideatur.] Sic libro ſecundo, de Oratore: An iure ciuili? eſt paternum, ſed dicet te, cum aedes uenderes, ne in rutis quidem & caeſis ſolium tibi paternum recepiſſe. Et in Partitionibus: Cum ex teſtamentis quaeritur, quid ſit penus: aut cum ex lege praedij quaeritur, quae ſint ruta caeſa. Ruta caeſa, ſine copula pronunciantur, ſicut & alia multa. Sic autem, Feſto auctore dicebantur, quae uenditor poſſeſsionis, uſus ſui cauſſa conciderat, ruendaq. contraxerat quaſi eruta. Quod & Nonius Marcellus annotauit. Eſt autem illud V productum, ut Varro ſcribit libro octauo de lingua Latina. In lege fundi, inquit, ruta caeſa ita dicimus, ut, u, producamus. Recipere eſt, ut Nonius Marcellus ait, exceptum facere. Et Gellius, Quando mulier, inquit, dotem marito dabat, tunc quae ex ſuis bonis retinebat, neque ad uirum tranſmittebat, ea recipere dicebatur: ſicuti nunc quoque in uenditionibus, quae excipiuntur, neque ueneunt. Quid uero, rutis caeſis receptis, contineatur, ſequentibus Iuriſconſultorum reſponſis manifeſtum erit: quae Budaeus etiam in annotationibus prioribus ad Pandectas: Alciatus in l. in rutis caeſis. ff. de uerborum ſignificatione, Connanus libro ſeptimo Commentariorum Iuris ciuilis cap. ſeptimo, Othomanus de uerbis iuris, & Briſſonius lib. 16. de Verborum, quae ad ius pertinent, ſignificatione, notauerunt. Vlpianus lege decima ſeptima §. tertio. ff. de actionibus empt. Si ruta & caeſa excipiantur in uenditione, ea placuit eſſe ruta, quae eruta ſunt: ut arena, creta, & ſimilia. Caeſa ea eſſe, ut arbores caeſas, & carbones, & his ſimilia. Gallus autem Aquilius, cuius Mela refert opinionem, recte, ait, fruſtra in lege uenditionis de rutis, & caeſis contineri: quia, ſi non ſpecialiter uenierunt, ad exhibendum de his agi poteſt. Neque enim magis de materia caeſa, aut de caementis, aut de arena cauendum eſt uenditori, quam de ceteris, quae ſunt pretioſiora. Iabolenus lege decima octaua, eo. tit. Granaria, quae ex tabulis fieri ſolent, ita aedium ſunt, ſi ſtipites eorum in terra defoſsi ſunt: quod ſi ſupra terram ſunt rutis, & caeſis cedunt. Tegulae, quae nondum aedificiis impoſitae ſunt, quamuis tegendi gratia allatae ſunt, in rutis & caeſis habentur. Aliud iuris eſt in his, quae detractae ſunt, ut reponerentur, aedibus enim accedunt. Pomponius lege ſexageſima ſexta, ff. de contrahen. empt. Quinctus Mucius ſcribit, qui ſcripſit, Ruta caeſa quaeque aedium fundi ue non ſunt. Bis idem ſcriptum: nam ruta caeſa ea ſunt, quae neque aedium, neque fundi ſunt. Scaeuola, lege ducenteſima quadrageſima prima, ff. de ueb. ſig. In rutis caeſis ea ſunt, quae terra non tenentur, quaeq. opere ſtructili, tectorio ue non continentur.

IN
M. TVLLII. CICERONIS
DE. PARTITIONE. ORATORIA
DIALOGVM

Commentarius M. Antonij Maioragij.


M. ANTONIVS MAIORAGIVS ANNVM AGENS XLI. MDLV.

PRAESTANTI
VIRO
PETRO · GALESINIO
PROTONOTARIO
APOSTOLICO

Aldus Mannuccius, Paulli F. Aldi N.

NIHIL mihi poterat hoc tempore iucundius accidere, quam Tui memoriam, praeſtantiſſime GALESINI, renouare. Renouauit autem Commentarius Maioragii in Ciceronis Partitiones, Tibi inſcriptus. Quem item uolui meo quoque nomine ad Te mittere. ut Maioragium, qui Mediolanum, dum uiueret, ornauit, & a cuius doctrina multi tamquam ex equo Troiano inſignes uiri prodiere, a me quoque haberes; doctiq. uiri hoc commodi & Tibi, & mihi acceptum referrent. Ego certe, dum Mediolani fui, (agitur autem nunc annus) multa, in ea ciuitate, praeclara uidi, quae oculos paſcerent; multa ſuſpexi, a Carolo Borromaeio Cardinali, antiquae probitatis, & religionis uiro, ad ueterem formam reſtituta: ſed Tuum indefeſſum in omnibus quae ad Religionem pertinent, laborem maxime admiratus ſum. Diuinitus ut ei ciuitati Borromaeius, Borromaeio autem Tu datus ſis. hoc praeſtat ſingularis uitae integritas, & ad Diuinum cultum directa norma. Omnia conſilia Borromaeii unum illud ſpe-

ant,

ctant, ut grata ſint Deo, quae agit; omneſq. eius conatus eo diriguntur, ut omnes, qui eius egent auxilio, & ſalutari pabulo alantur, & opibus quoque iuuentur. Quo fit, ut homines ſumma quaeque ei deberi affirment, perpetuamq. a Deo tranquillitatem precentur, ut inchoata multa quae habet ad exitum perducere poſſit. Te autem, optime, idemq. doctiſſime Galeſini, Deus Opt. Max. diu nobis ſeruet incolumem; ut ex doctrina Tua uberiores quotidie fructus percipere poſſimus, qui a Te praeſtantiores proficiſcuntur: cum Te quoque ipſum in dies uincas. Pontificum uitas, a Te breuiter, ornatiſſimeq. deſcriptas, quas mihi, dum iſtic fui, oſtendiſti, promiſiſtique, ſi ad me miſeris; efficiam, ut in iis ornandis nihil a me deſiderare poſſis. Bene uale. Venetias kal. Oct. CIↃ IↃ XXCIII.

PRIMVS . COMES
PETRO . GALESINIO
S. D.

CVM te nuper (quod facere conſueui) inuiſiſſem; & cum caſu in M. Antonij Maio-
ragij, conſobrini, diſcipuliq. mei, mentionem incidiſſem: magna mea cum uolupta-
te intellexi, eius ſcripta tibi, homini excellenti ingenio, magnaq. doctrina. tantopere
probari; ut non ſolum ea diligenter, quaecumque iam ſunt edita, conquiſiueris, at-
que in bibliothecam tuam comportaris, ſed etiam cognoueris omnia. immo in eo
longo ſermone, quem tum habuiſti mecum de iiſdem ſcriptis, oſtendiſti, te non mo-
do ſic illa percurriſſe, ut multos multorum libros ſoles; ſed etiam ſtudioſe legiſſe, ut
illa ſoles, quae te plurimum delectant. Ac primum multa memoriter recitaſti ex
orationibus, quas ſcripſit uario, ac diuerſo argumenti genere, in Aleatores, de nuptiis Philippi Sacci ſenis, de
mutatione Nominis, de laudibus ſummi uiri Ioannis Arcimboldi Archiepiſcopi Mediolani, de laudibus Mag-
dalenae Comitis matris ſuae mortuae; itemq quaſi iocatus, & uires ingenij ſui expertus, de laudibus luti.
Deinde complexus es paucis, quaecumque multis ille expoſuiſſet in quinque & uiginti Deciſionibus in
Coelium Calcagninum, in Antiparadoxorum aduerſus M. Tullium Ciceronem libris ſex, in duobus libris
Reprehenſionum contra Marium Nizolium, in libro de Senatu Romano, in duobus item libris Epiſtoli-
carum quaeſtionum. Poſtremo docuiſti, quantum fructum cepiſſes ex tribus Ariſtotelis Rhetoricorum li-
bris, ab eodem Latinitate donatis, ex Paraphraſi ſcripta in quattuor eiuſdem libros de Caelo, & in duos de
Generatione & interitu, ex Commentario in Ciceronis Oratorem ad Brutum; & denique ex iis omnibus,
quaecumque ab eo conſcripta in manus hominum iam peruenerunt. Placuit igitur tum id mihi mirandum
in modum, meq. iuuit plurimum, quod te cognouerim incredibiliter delectari propinqui mei ſcriptis, homi-
nis ingenij laude florentis, & ualde docti, & ad dicendum copioſi, & propterea longiori etiam uita digni.
Longiori uita dignum eo dixi, quod ille abhinc annos tredecim mortem obierit in ipſo uitae flore, & quo
tempore eius ſtudia uehementius uigebant, id quod facile inteligi poteſt ex eius ſepulcro, quod in ea porticu,
quam Ludouicus Sfortia Mediolaneſium Dux dextro Ambroſiani templi lateri adiecit, cum hiſce litteris
conſpicitur.

M . A N T O N I O
MAIORAGIO
DICENDI . MAGISTRO
SINGVLARI
LATINIS . GRAECISQ. LITTERIS
PERPOLITO
ET . LIBRIS . EDITIS . ILLVSTRI
QVI . PVBLICE . DOCVIT . ANN . XIIII
VIXIT . XLI
BARTHOLOMAEVS . COMES
VXORIS . FRATRI
B . M . POSVIT

Vnde quiuis poteſt coniicere, quanto non ſolum plura, ſed etiam meliora ſcripſiſſeitis, quae reliquit, imma-
tura morte nobis praereptus, ſi ad ſenectutem perueniſſet; & quae iam ſcripſerat emendare, & corrigere, &

quae

quae inſtituerat, expolire atque abſoluere potuiſſet. etenim inchoatos reliquit libros quattuor de Nominibus propriis ueterum Romanorum, duos de Riſu oratorio & urbano, unum de Officio parentum & filiorũ, unum item de Ratione proficiendi in ſtudiis, in Ciceronis Paradoxa Explicationem, Sympoſiacon ad Plutarchi imitationem libros decem. inſtituerat multa quoque alia, de quibus non ita multum habeo compertum: quae quin plurimum adiumenti ſtudioſis eſſent allatura, nemini dubium eſſe poteſt, cui notum ſit, quantum uir ille in dicendo excelluerit. Sed, mittam haec, in quae paene imprudens ſum delapſus; & ad propoſitum, hoc eſt illud, quod hoc tempore me ad ſcribendum impulit, reuertur. Cum igitur cognouerim, te optime animatum eſſe erga Maioragium meum; cenſui mihi faciendum eſſe, ut aliis eius ſcriptis, quae habes, ſcripta cumularem. Nam, cum penes me eſſet exemplar Commentarij in Ciceronis Partiones oratorias, ipſius auctoris manu exaratum; exiſtimaui, me tibi gratum eſſe facturum, ſi illud tibi dono mitterem. ſum etiam arbitratus, ſi hoc facerem, te nequaquam paſſurum, tantum theſaurum quaſi ſub terra defoſſum, in tenebris iacere; ſed ad communem allaturum fructum, atque in adſpectum lucemq. prolaturum eſſe. quippe qui comis erga omnes & humanus ſemper fuiſti, & quamplurimis prodeſſe ſemper ſtuduiſti: quo nomine potiſsimum ita carus es noſtro Archiepiſcopo, Carolo Cardinali Borromaeio, nouo ueteris Chriſtianae ſeueritatis ac ſanctitatis exemplo, ut nulla ratione illi carior eſſe poſsis. Et, quoniam ita te comparaſti, ut non tibi, ſed aliis natum eſſe exiſtimes; & ubi hoc ipſum munus tibi ipſi gratum fuerit, tibi cum ſtudioſis aliis omnibus illud commune eſſe uoles: in animo eſt commendare etiam tibi, quaſi quaedam alia eiuſdem Maioragij opera, quae & ipſa non dum in lucem prodierunt. Inter quae iure primum ſibi locum uindicabunt doctiſsimi, & uberes, omniq. doctrinae genere elaborati commentarij in tres Rhetoricorum Ariſtotelis libros; quos ab ipſo Latine redditos fuiſſe, ſupra commemorauimus. poſt hos inſequetur non minus dilucida, quam longa libri primi de Orarore Ciceronis ad Q Fratrem, Explanatio. in tertio loco erunt, in eos auctores, quos ſubinde publice enarrabat, Praefationes aliquot eruditionis pleniſsimae. his addemus eas Orationes, quas a ſe, cum aetate floreret, editas, poſtremo uitae tempore ſic emendauit, locupletauit, expoliuit, immutauit: ut non cognoſcas eaſdem eſſe; ſed illae declamatoris cuiuſdam iuueniliter exſultantis, hae pleni & quodam modo perfecti oratoris eſſe uideantur. adiungemus etiam alia quaedam, quae non ſine magna iucundiſsimae lectionis uoluptate lectoribus maximo uſui futura eſſe cõfidimus. Quae quidem omnia ſi & ego tibi permittam, & tuae mandabo fidei, ut certe faciam; & ipſe eadem in tuam clientelam recipies, & emittes, ut te facturum ſperamus: quam multas, magnaſq. commoditates ambo ſimul uno atque eodem tempore creabimus; uide. principio ego tibi talium librorum cupido gratificatus fuero, tu uero ex eorundem lectione incredibilem pro tua conſuetudine ceperis uoluptatem. poſtea ego meo in propinquum mortuum fuero functus officio; tu uero magnam inieris gratiam a ſtudioſis omnibus, qui uel hoc uno nomine tibi plurimum debebunt. huc accedit, quod ipſe Maioragius mortuus uoti compos fiet, cuius in omni uita illud fuit conſilium, ut labores maximos pro communi litteratorum hominum utilitate ſuſciperet: idem etiam hoc noſtro facto uehementer gaudebit, cum ſuo nomini ac famae tam bene conſultum fuiſſe ſentiet. Tu uero interim, humaniſsime, atque doctiſsime Galeſine, hilari uultu accipe hunc in Ciceronis Partitiones oratorias Commentarium, ab eodem Maioragio, a quo multa alia quae tibi iucundiſsima, & fructuoſiſsima uideri ſolent, lucubratum: & cum ipſe libenter legeris, atque aliorum item lectione digniſsimum iudicaueris; tu operam dabis, ut in apertum proferatur, atque in hominum manus perueniat, & longum noto ſcriptori proroget aeuum. Vale. Mediolani, Kal. Febr. M D LXIX.

M. ANTONII. MAIORAGII
PROOEMIVM
IN. DIALOGVM
DE. PARTITIONE. ORATORIA
M. TVLLII. CICERONIS.

PARVVM quidem Ciceronis librũ de Partitione oratoria, & nullo fere cum alio eiuſdem auctoris, magnitudine comparandum, interpretandum ſuſcepimus hoc anno; ſed ita praeclarus eſt, atque adeo egregius, ut nihil ſit hoc in genere, quod ulla ex parte cum eo conferri poſſe uideatur; neque tantum aureolus, ſed etiam gemmeus, is merito poſsit appellari. quidquid enim ad artis oratoriae praecepta tradenda pertinet, id miro quodam ordine breuiterq. ſatis & dilucide complexus eſt hoc uno libro Cicero. Quare nullum omnino, neque breuius opus, neque iuuentuti utilius, quod quidem ex hoc genere ſit, inueniri poſſe exiſtimo. nam quae fuſius & enodatius aliis in libris tradita ſunt, ea per capita quaedam ita digeruntur, ut cum nihil, quod ad rem propoſitam faciat, praetermittatur, tum diligenter omnia pertractentur. Itaque non modo in manibus frequenter habendus, & ſtudioſe legendus eſt, ſed etiam, ſi fieri poteſt, ad uerbum ediſcendus. Nec uero quiſquam operis paruitatem aſpernabitur, qui plurimas res inueniri cogitauerit, quae, quamuis minimo corpore ſint, maximis tamen rebus anteponantur, & multo pretioſiores eſſe iudicentur. Quis enim neſcit ſmaragdos, adamantes, carbunculos, uniones, ceteraq. huius generis, quamuis admodum parua ſint, pretio tamen atque aeſtimatione longe ſaxis ingentibus antecellere? Quis neſcit paruam auri maſſam, magnis ferri molibus eſſe pretioſiorem? Quin etiam ita natura comparatum eſſe uidetur, ut pretioſiſsima quaeque paruo corpore contenta ſint. Vt enim lapillos, gemmas, margaritas praetermittam, quae quam puſilla ſint omnes intelligunt; quid in humano corpore oculis praeſtantius eſt? qui, quod ait Plato, duces nobis ad Dei cognitionem, & ad maximas quaſque res eſſe ſolent; eos tamen admodum paruam corporis partem eſſe ſcimus omnes. Quid? quod Ariſtoteles, & Plinius ſcribunt, animalia, quibus cor ipſum paruũ eſt, audentia; quibus praegrãde, pauida exiſtimari? illud perſpectum etiam, & exploratum eſt, etiam homines, qui nimis magno corpore ſunt, hebetiores, & ignauiores exſiſtere ſolere, tradit ille poetarum princeps Homerus, Tidaeum Diomedis patrem, paruo quidem corpore fuiſſe, ſed praeſtanti animo, & maximo. quare factum eſt, ut ille dixerit;

> Vtilior Tidaeus, qui, ſi quid credis Homero,
> Ingenio pugnax corpore paruus erat.

hinc etiam Papinius eleganter & uere cecinit:

> Maior in exiguo regnabat corpore uirtus.

quod multo ingenioſius & politius ad apes tranſtulit Maro, de quibus in Georgicis, ubi ait:

> Ingentes animos anguſto in pectore uerſant.

Ac mihi quidem, res ſingulas diligentiſsime conſideranti, uidentur omnia non tam magnitudine, quam uirtute eſſe ponderanda. ut non quaerendum ſit, quantum quidque ſit, aut quam magnum, ſed quam

bonum, quam utile, quam praeclarum. Quis enim umquam poetam ideo laudauit, quod multa carminum millia facile conſcriberet? Quis oratorem ideo celebrandum exiſtimauit, quod maximam uerborum multitudinem ex tempore profunderet? Quis librum ideo magni faciendum duxit, quod magnus, atque amplus eſſet? nemo hercle tam rerum ignarus eſt, quin intelligat, doctiſsimorum hominum libellos, magnis imperitorum uoluminibus, in quibus nulla ſit eruditio, nullus lepos, ac uenuſtas, nullus uerborum ſplendor, nulla ſententiarum grauitas, anteponendos eſſe. Quocirca, meo quidem iudicio, plus multo hae Ciceronis Partitiones, ſi quis eas recte perceperit, & memoriae mandarit, ad dicendi rationem proderunt, (dicam audacter, quod ſentio) quam ſi quis totum Hermogenem, aut Quinctilianum euoluerit. neque hoc ideo dico, quod hi ſcriptores artis, ingenio, & eloquentia careant, ſed quod, ſi cum Cicerone conferantur, uix quinctae claſsis eſſe uideantur. Cum igitur tanta ſit huius operis breuitas; apparet id diligenter ſeruaſſe Ciceronem, quod iis, qui praecipiunt, ſeruandum eſſe cenſet Horatius in Arte poetica, quando ait:

Quidquid praecipies, eſto breuis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, deneantq. fideles,
Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.

Sed nos perſpicuitatis gratia fuſiorem, & enodatiorem interpretationem adhibere, & exempla ex optimis auctoribus petita adiungere cogitamus. nam haec ipſa Ciceronis praecepta ſic illuſtrantur explanatione, tamquam agri foſsione fuerint ſubacti: ut exemplis mox, quaſi imbribus molliti, uberiores efferant fruges. In qua quidem explanatione non tantum ea dicendi praecepta complectar, quae rhetorum in libris tradi ſolent, ſed nonnulla etiam, quae ad diſſerendi rationem, & dialecticam ſpectant, ſine quibus non ſatis commode hoc opus intelligi poteſt, & uera non poteſt eloquentia conſtare. Nam cum omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, auctore Cicerone pro Archia, quoddam habeant commune uinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe contineantur, tum illae praecipue duae, quae probabilem & politam orationem efficere nos docent, non tantum cognatae, atque adeo ſorores uidentur eſſe, uerum etiam ita coniunctae ſunt, & connexae inter ſe, ut uix alteram queas ab altera diſcernere. qua de cauſſa factum eſt, ut grauiſsimi auctores, forma tantum & quaſi habitu, differre a dialectica rhetoricam exiſtimarint. nam Zeno ille, qui auctor & princeps ſtoicorum fuit, manu demonſtrare ſolebat, quid inter has artes intereſſet. cum enim compreſſerat digitos, pugnumq. fecerat, dialecticam aiebat eiuſmodi eſſe; cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmae illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat. atque etiam ante hunc Ariſtoteles principio artis rhetoricae dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticae. ut hoc uidelicet differant inter ſe, quod haec ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior. id quod lib. ſecundo de finib. & in oratore ſcribit Cicero. itaque idem de claris oratoribus ait dialecticam quaſi contractam eloquentiam putandam eſſe, eloquentiam uero dialecticam eſſe dilatatam exiſtimari. & Alexander Aphrodiſienſis eo dialecticam a rhetorica differre tradit, quod dialectica non utatur oratione copioſa, lateq. diffuſa, quemadmodum rhetorica ſolet. cum igitur in eadem materia uerſentur dialecticus, & orator, neque ſubiectis rebus, ſed ratione differant, priuſquam in oratione quaeratur probabilitas, quam ornatus, ſequitur ut artem oratoriam conſequi nemo poſsit, niſi qui dialecticas etiam rationes percepit. Addit enim oratoria facultas dialecticis inuentionibus uerborum ſplendorem, & ornamenta; quo fit, ut rhetoricae quaſi fundamentum quoddam dialectica ſubſternatur. unde Quinctilianus lib. ſecundo ait, His fere ueteres facultatem dicendi exercuerunt, aſſumpta tamen a dialecticis argumentandi ratione. quin Ariſtoteles libro artis rhetoricae ex dialectica, & ciuili ſcientia, quam politicam uocat, rhetoricam uult eſſe compoſitam. nam cum, ut Cicero in Topicis ſcribit, omnis ratio diſſerendi duas habeat partes, unam inueniendi, alteram iudicandi, prior illa pars, quae ad inueniendum pertinet, tota dialectico, & oratori communis eſt; ideo Cicero locos, ac ſedes argumentorum, quae traduntur in Topicis, ab oratore bene percipi cenſet oportere, ut eos locos tum hoc in opere tangit, tum in lib. ſecundo de oratore exemplis illuſtrat, tum in Topicis copioſe perſequitur. alteram uero dialecticae partem, quae iudicandi uiam aperit, maiori etiam ex parte ſumit orator. Cum enim dialectici officium ſit diuidere, definire, & argumentari, quis primo non intelligit diuidendi rationem eſſe oratori neceſſariam? neque enim aliter, quomodo cauſſarum genera, conſtitutionesq. inter ſe differant, quid ſibi cum aduerſario conueniat, quid in controuerſia ſit, quid prius, quid poſterius dicere oporteat, qua ratione, quoue ordine diſponenda ſint argumenta, intelligere poterit? cum autem, Ariſtotele teſte, prima uirtus orationis ſit perſpicuitas, nullo modo fieri poteſt, ut orator perſpicue dicat, niſi rem uniuerſam, cum opus eſt, in partes certas, ut nulla neque praetermittatur, neque redundet, ſciat tribuere; ut mox prima quaeq. pars, ut expoſita fuit in Partitione, ſic ordine tranſigatur; & nihil confuſe, nihilq. permixte dicatur. nam, ut libro primo de Inuentione docet Cicero, recte habita in cauſſa pertitio illuſtrem & perſpicuam totam efficit orationem; & Hermogenes ubi de ſtatu, ideſt de controuerſiarum generibus agit, ſtatim diuiſionem non paruam eſſe rhetoricae partem, uel potius maximam eſſe dicit. Quae cum ita ſint, non mirum eſt, ſi aureolus hic Ciceronis libellus a Partiendo ſuam habet inſcriptionem: ut oratoriae Partitiones ideo dictae uideri poſsint, quod partiendi, atque diuidendi rationem orator tenere debet. Quid de ratione definiendi commemorem? quam licet orator non ita curioſe perſequatur, ut dialecticus, ea tamen ſolet uti frequentiſsime, quotieſcumque rei alicuius uim, atque naturam explicare contendit. quin totas aliquando cauſſas in definiendo conſumit. unde etiam controuerſiae quoddam genus a definiendi ratione definitiuum appellatur: neque ſane rem ullam apte deſcribere poteſt orator, quod illi frequentiſsime faciendum eſt, niſi definiendi ſcientiam habet. Iam uero tota argumentandi ratio

niſi

niſi oratori notiſsima fuerit, quid eſt, in quo magnus eſſe poſsit? aut quam uim habere poteſt oratio ſine argumentis? fieri quidem poteſt, ut aliquis naturae ipſius inſtinctu, probabilem aliquam, etiam ſine dialecticae cognitione, orationem habeat, quoniam hae nobis duae ſcientiae, ſicuti cenſet Ariſtoteles, ſunt quodammodo naturales. ſed tamen quoniam, ut ait Cicero, certior dux eſt ars, quam natura, notam illi dialecticam eſſe oportet, quicumque certa ratione probabiliter aliquid concupiſcit. cum praeſertim tota ſpes uincendi, ratioq. perſuadendi poſita ſit in confirmatione, & confutatione, quae certe ſine argumentatione conſtare nullo modo poſſunt. Atque, ut totam hanc quaeſtionem abſoluam, tria ſunt, quae maxime laudabilem orationem efficiunt, reliqua ſuam dignitatem in oratione retinere nullo modo poſſunt. debet enim oratio eſſe emendata, probabilis, & polita, quorum primum ſola grammatica praeſtare poteſt, alterum dialectica, tertium rhetorica. grammaticorum enim officium eſt, ea tradere praecepta, quae ad pure, & emendate loquendum pertinent; dialecticorum uero ea eſt reperire, quae audientium approbationem moueant, & quid uerum, quid falſum ſit, quid conſequens, quid repugnans in oratione nos doceant; rhetorum denique unum eſt maxime proprium, quae quodammodo nuda ſunt, & impolita, ueſtire atque ornare oratione. Quare, quicumque aliquid cum laude dicere, uel ſcribere ſtudet, is artes has tres plane cognitas habeat, oportet; ut omnia, quaecumque dicere, aut ſcribere inſtituerit, ad earum praecepta reuocare poſsit.

M · ANTONII · MAIORAGII

IN . DIALOGVM

DE · PARTITIONE · ORATORIA

M · TVLLII · CICERONIS

Commentarius.

PRIMVM omnium quaerendum uidetur, quid Partitio ſit, & cur hae Partitiones oratoriae ſint appellatae. neque enim aliter quid ſit propoſitum auctori, quo curſum ſuum dirigere uelit, ſcire poſſumus, niſi prius, quae uis tituli ſit, & inſcriptionis, intelligamus. Tradunt Dialectici tria praecipue diuidendi genera. quorum unum eſt, cum genus uniuerſum in ſpecies, ac formas ſuas diducitur, ut cum dicimus animalium alia eſſe terreſtria, alia uolatilia, alia aquatilia; uel cum uirtutem diuidimus in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam. quo in genere ſemper ſpecies, ſeu forma generi ſubiecta nomen ipſius generis tenet. ut ſi dicamus elementum in quattuor ſpecies diuidi, terram, aquam, aerem, ignem. certe quaelibet ſpecies dicetur elementum, ut terra eſt elementum, aqua eſt elementum, & ita in reliquis. Et quia prudentia ſpecies eſt uirtutis, recte prudentia uirtus eſſe dicetur. atque hoc primum & praecipuum diuiſionis genus eſt. Alterum genus eſt diuiſionis, quando aliqua dictio plures habet ſignificationes, quas omnes notas facere uolumus, ut cum dicimus canem tria ſignificare, primo terreſtre animal, quod latrat, deinde piſcem marinum, tum caeleſte ſidus; & taurum primo bouem ſignificare, deinde ſidus, tum montem, denique uiri etiam proprium eſſe nomen. ad hoc genus etiam ea reducuntur, quae uariis modis dicuntur, ut ſanum tribus dicitur modis, primo quod in ſe morbi nihil habet, ut animal ſanum; ſecundo quod conficiens eſt ſanitatis, ut cibum ſanum eſſe dicimus, & exercitationem ſanam; tertio, quod ſanitatis ſignum eſt, ut urinam dicimus eſſe ſanam. Tertium genus diuiſionis eſt, cum res aliqua tota ſuas in partes, quaſi in membra quaedam, diuiditur; ut ſi quis totum corpus diuidat in caput, humeros, brachia, thoracem, crura, pedes, aut ſi quis rem aliquam multis diſtribuat, ut apud Virgilium. lib. 1. Aen.

> Aeneas ſocios partitur in omnes
> Vina bonus quae deinde cadis onerarat Aceſtes.

atque haec proprie partitio nuncupatur, cum totum in partes diſtribuitur, in qua ſaepenumero accidit, ut partes totius nomen retinere non poſsint. neque enim recte quis dixerit, caput, aut humeros eſſe hominis corpus, ſicuti neque trabem, aut parietem aedificium eſſe, licet ſint aedificij partes. Atque his quidem tribus diuiſionis generibus frequenter utitur Cicero Libr. officiorum pri. ſed nos ſingulis cuiuſque generis exemplis contenti erimus. primo, honeſtum, quod genus eſt, in ſuas ſpecies ita diuidit; Sed omne quod honeſtum eſt, id quattuor partium oritur ex aliqua. aut enim in perſpicientia ueri, ſollertiaq. uerſatur, aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq. ſuum cuique, & rerum contractarum fide, aut in animi excelſi, atque inuicti magnitudine, ac robore, aut in omnium quae fiunt, quaeq. dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia, & temperantia. Pro A. Caecina docet, quot modis hoc aduerbium VNDE dicatur, ſic enim ait, Hoc uerbum, VNDE, utrumque declarat, & ex quo loco, & a quo loco unde deiectus eſt Caecina? ex urbe, unde deiecisti? ab urbe, unde deiecti Galli? a Capitolio, unde, qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. uidetis igitur hoc uno uerbo ſignificari res duas, & ex quo loco & a quo loco. In orationibus uero plerumque totas cauſſas in partes certas diuidit, ut eas deinde ſigillatim tractet, ut pro lege Man. Primum mihi

uidetur

uidetur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Ex his igitur tribus diuiſionis generibus, tertium ſolum Partitio dicitur, quo res aliqua tota & uniuerſa in ſuas partes tribuitur. ſic fit, ut diuiſio ſit tamquam genus, partitio uero tamquam ſpecies: nam omnis partitio, poteſt ēt diuiſio dici, ſed non contra. neque enim omnis diuiſio, eſt partitio, quemadmodum omnis homo dicitur animal, non autem contra, omne animal homo eſt. Cicero in Topicis ita Partitionem a diuiſione ſecernit; In partitione quaſi membra ſunt, ut caput, humeri, manus, latera, crura, pedes. In diuiſione, formae, quas Graeci εἴδη uocant, noſtri ſi qui forte haec tractant, ſpecies appellant. Quinctiliaſius eaſdem ſicacute diſtinguit lib. 7. Diuiſio eſt plurium rerum in ſingulas, Partitio ſingularum in partes diſcretus ordo. Graeci etiam haec habent diſtincta nomina. nā quae diuiſio eſt generis in ſpecies diaereſis ab illis dicitur, quae uero totius in partes, meriſmos appellatur. Hanc igitur cum praeclare diſtinctionem Cicero intelligeret, noluit hoc opus diuiſiones, ſed partitiones oratorias appellare. non enim hic aliquod genus, quod plures formas ſpecie diſtinctas complectatur, ſibi diuidendum proponit; ſed totam dicendi rationem ſic amplectitur, ut eam ſigillatim in partes ſuas diſtribuat, & in ſingulis praecepta tradat. quae uia, ratioq. docendarum artium pulcherrima eſt, & Graeco nomine Methodus appellatur. Poteſt etiam quaedam altior eſſe cauſſa, cur has Cicero Partiones uocarit, quoniam ab Academicis, quos ubique fere ſequitur Cicero, ſic oratoriae ſcholae ſolerent appellari, cum praeſertim in extrema huius operis parte ſic ipſe ſcribat, Expoſitae ſunt tibi omnes oratoriae partittones, quae quidem e media illa noſtra Academia floruerunt, neque ſine ea aut inueniri, aut intelligi, aut tractari poſſunt. Nam Plato, quod ſatis conſtat, rerum omnium uim, atque naturam diuidendo, & partiendo potiſſimum inueſtigandum eſſe cenſebat. unde quaerit Ariſtoteles Primo de anima: Quaenam ratio definitionis ſit; utrum ea, quae per diuiſionem fit, an ea, quae per compoſitionem. ſingularum enim partium cognitio totius etiam cognitionem afferre ſolet. Omnem igitur dicendi doctrinam in hoc opere, primo tres in partes Cicero diſtribuit, in uim oratoris, in orationem, in quaeſtionem; deinde iterum in unamquamque partem in alias partes diducit; quibus expoſitis ac declaratis, operi finem imponit.

DE DIALOGO

QVONIAM hoc Partitionum opus dialogo conſcriptum eſt primum mihi quaerendum eſſe uidetur, quid ſit dialogus, & unde originem traxerit. fuerunt enim quidam imperiti homines, qui nominis etymologiam ſecuti, dialogum eſſe duorum ſermonem definierunt, quorum ignorantiam res ipſa coarguit, quoniam in pleriſque dialogis non duo tantum, ſed plures ſaepenumero inter ſe colloquentes inducuntur. quod in Platonis dialogis pluribus in locis uidere licet. melius igitur ij ſenſiſſe uideri poſſunt, qui dialogum e uerbo Graeco dialegomae, quod eſt differere, ſeu diſputare dictum uelint, quoniam in eo ſemper de aliqua re inter plures diſſeritur. quare Diogenes Laertius in Platonis uita dialogum ita definit, ut dicat eſſe ſermonem ex interrogatione, & reſpōſione compoſitum, de iis rebus, quae uel philoſophiam, uel reipub. partes attingant, cum decora, congruentiq. perſonarum, quae inducuntur, expreſsione, accurataq. uerborum compoſitione. Cicero uidetur dialogum interpretari diſputationem. ſic enim ait ad Lentulum ſcribens lib. primo fa. Scripſi igitur Ariſtotelico more, quemadmodum quidem uolui, tres libros in diſputatione, ac dialogo de oratore; & in Bruto: Diſputatioq. eſſet inter eos, ut eſt conſuetudo dialogorum: & ad Atticum lib. 5. Nos Tarenti quos cum Pompeio dialogos de repub. habuerimus ad te perſcribemus. Tradit autem Diogenes Laertius Zenonem Eleatem primum fuiſſe, qui dialogos conſcripſerit. Ariſtoteles. In poet. Alexamenum Styreum, ſiue Teium dialogorum auctorem facit, ſicut etiam Phauorinus in commentariis. Ceterum Plato rude adhuc, & impolitum, tantumq. inchoatum dialogorum genus expoliuit, illuſtrauit, atque perfecit; tantumq. huic generi ſcribendi adiumenti attulit, ut non ſolum exonerationem, atque expolitionem; ſed etiam maiorem inuentionis partem merito ſibi uindicare poſsit. apud Latinos inuenio genus hoc ſcribendi etiam ante Ciceronis tempora fuiſſe in conſuetudine. nam M. Brutus iuris conſultus, qui ante Lucium Craſſum oratorem fuit, tres libros de iure ciuili in dialogo ſcripſit, quemadmodum apud Ciceronem Caeſar oſtendit lib. 2. de oratore. quin etiam Curio pater, ut in Bruto legimus, dialogos ſcriptitauit. uerum ut in aliis ſcribendi generibus, maiores ſuos omnes Cicero ſuperauit in, ita etiam in dialogis, quos multos accuratiſsime conſcripſit. cum enim duo ſint dialogorum genera a Platonicis uſurpata, quorum alterum yphigiticon appellant, alterum xititicon, utrumque genus ita Cicero amplexus eſt, ut nihil ad eorum perfectionem poſteris reliquerit. dicitur autē dialogus yphigiticos is, in quo praecepta quaedam, uel ad mores, uel ad doctrinam ſpectantia traduntur, qualis eſt hic Partitionum liber, & Laelius ſiue de amicitia, & Cato maior de ſenectute, & ſecundus, ac tertius liber de oratore. quod quidem dialogorum genus Latine, ſi libet, diſputatio diſciplinabilis dici poteſt. Zitticos uero dicitur is dialogus, in quo diſputatur in utramque partem, & opiniones uariae traduntur. quemadmodum in primo de oratore, in libris de finibus, in Lucullo, in Diuinatione; atque hoc genus latine diſputatio controuerſa poteſt appellari. Eſt igitur hoc in opere diſputatio diſciplinabilis, quoniam interrogatus a filio pater, docet eum, quaecumque ad oratoriam facultatem pertinent.

M. TVLLII. CICERONIS
DE·PARTITIONE·ORATORIA
Dialogus.

HANC inſcriptionem iam declaraſſe uideri poſſumus, cum, quid Partitio ſit, & quid Dialogus, oſtenderimus; ſed tamen adhuc quaeri poteſt, cum hoc in opere permultae Partitiones ſint, cur Cicero non in multitudinis numero de Partitionibus oratoriis, ſed in ſingulari de Partitione oratoria librum inſcripſerit? cum praeſertim in ſuis inſcriptionibus Cicero multitudinis numero delectari uideatur, ut de Officiis, de finibus bonorum & malorũ, de legibus, Academicarum quaeſtionũ, Tuſculanarũ quaeſtionũ. ſed ſciendum eſt id eſſe uerũ, quod nos olim in Deciſionibus contra Calcagninum diximus, qui Ciceronem reprehenderat, quod non potius de Officio, quã de officiis titulum appoſuiſſet. quoties, inquam, de arte aliqua ſpeciatim tractandum eſt, aut de aliquo ordine, ſiue magiſtratu, melius in ſingulari numero titulus, & inſcriptio ponitur, ut de Inuentione, de Oratore, de Amicitia, de Senectute, de Natura Deorum, de Diuinatione, de Vniuerſitate, de Conſulis officio, de Praetoris officio, atque ita de reliquis. quoties autem ad uarias artes, aetates, ordines, res aliqua tractatio pertinet, tunc in numero multitudinis inſcriptio ſolet adhiberi, ut de officiis, de finibus, de legibus, de claris oratoribus, de rebus domeſticis, de rebus publicis, de moribus, de magiſtratibus. recte igitur Cicero, cum Partitionem, generale uocabulum eſſe intelligeret, & ad alias etiam artes, quam oratoriam pertinere ſciret, neque de omnium artium Partitionibus hoc in opere tractaturus eſſet, ſed de oratoria facultate tantum, non de Partitionibus abſolute, ſed de Partitione oratoria librum inſcripſit. quamuis, ut uerum fatear, ſi quis ad uarias artis oratoriae partes reſpiciat, recte etiam Partitiones oratoriae dici poſſunt. quatenus igitur haec pertractatio diſtinguitur a reliquis artibus, Partitio oratoria dicitur; quatenus autem dicendi facultas in uarias partes diſtribuitur, etiam Partitiones oratoriae dicuntur. Quare per utrumque numerum haec inſcriptio recte proferri poteſt, ut uel, de Partitione oratoria dicatur, uel Partitiones oratoriae.

M. TVLLII. CICERONIS

DE·PARTITIONE·ORATORIA

Dialogus.

CICERO

STVDEO, *mi pater, Latine ex te audire ea, quae mihi tu de ratione dicendi Graece tradidiſti, ſi modo tibi eſt otium, & ſi uis.*

EXPLANATIO

CICERO filium habuit ſuo ingenio, atque moribus ualde diſsimilem, quem Val. Max. inter eorum exempla connumerat, qui a claris parentibus degenerarunt; nam ualde ignauus, fuit, & uino deditus, adeo ut Plinius ſcribat 14. cap. 22. eum binos congios ſimul haurire ſolitum. & cum aliquando eſſet ebrius, M. Agrippae ſcyphum impegiſſe. Plutarchus tradit Ciceronis filium, cum Athenis eſſet, a Gorgia rhetore, cui operam dabat, ad uoluptates & potationes allectum fuiſſe, atque ideo patrem Ciceronem, cum hoc audiuiſſet, a Gorgia filium abduxiſſe, iuſsiſſeq. ut Cratippo peripatetico philoſopho operam daret, quo tempore tres de officiis libros ad eum ſcripſit. tradunt etiam propter ebrietatem, omnem fere memoriam amiſiſſe. prima tamen adoleſcentia non tantum in litteris, ſed etiam in arte militari magnam de ſe ſpem concitauit: nam & Latine, & Graece apte, diſtincte, & ornate declamabat, & ſcribebat, & in bello ciuili ſub Pompeio militans egregie ſe geſsit, ut ipſe pater Cicero lib. 2. de offic. teſtatur his quidem uerbis: Quo tamen in bello cum te Pompeius alae alteri praefeciſſet, magnam laudem, & a ſummo uiro, & ab exercitu conſequebare, equitando, iaculando, omnia militari labore tolerando. Quin etiam poſt mortem patris, cum iam Auguſtus Caeſar Antonium deuiciſſet, & ſolus rerũ potitus eſſet, hic Ciceronis filius cum ipſo Auguſto conſul factus, ut Plutarchus, & Plinius lib. 22. ſcribunt. ridiculus ſane hac in re Raphael Volaterranus, qui miratur Ciceronem de filij ſui conſulatu mentionem non feciſſe, cum poſt Ciceronis mortem multos annos Auguſtus ob honorem patris Ciceronem filium ſibi collegam in ſenatu delegerit, ut Plutarchus auctor eſt. Hoc igitur in dialogo Cicero filium ſuum inducit, de ratione dicendi percunctantem ea Latine, quae iam ipſe pater illi Graece tradiderat: & quod in dialogis praecipue ſpectatur, perronae decorum ſeruat. primo enim filius deſiderium ſuum, & ſtudium exponit, deinde patris occupationes, & uoluntatem excipit. Meum quidem, inquit, hoc ſtudium, & deſiderium eſt, ut eadem mihi Latinis uerbis explices, quae iam de arte rhetorica Graeco ſermone pertractaſti, ſed tamen nollem ſeria negotia tua interpellare, aut uoluntati tuae refragari. quod ſi tibi otium eſt, & ſi fert ita animi tui uoluntas, uelim huic deſiderio meo ſatisfacias. STVDEO,] artificioſe filius incepit ab eo uerbo, quod auribus patris gratiſsimum fore intelligebat. nihil enim eſt, quod magis parentes concupiſcant, quam ut filij bonarum artium ſtudioſi ſint. quare blandam etiam, & comem appellationem adiecit, dicens, MI *pater*,] ut magis eum ad ſibi gratificandum moueret. Latine uero uult rhetoricam audire, quoniam artes omnes liberales & ingenuae Graece traditae fuerant, & adhuc litterarum Latinarum luce carebant, eas autem Cicero princeps illuſtrauit. DE *ratione dicendi*,] Bene Graecum uerbum expreſsit, nam quae Rhetorica graeco nomine dicitur, ea, Latine, Ratio

dicendi

dicendi rectiſsime dici poteſt. nihil eſt enim aliud rhetorica, quemadmodum ait Quinctilianus lib. 2. cap. 15. niſi bene dicendi ſcientia. licet ab artis ſcriptoribus uariis modis definiatur, ut idem copioſe docet. GRACE *tradidiſti*] Cicero non tantum Latine, ſed etiam Graecae multa ſcripſit, ut de cõſulatu ſuo, de ratione dicẽdi, nonnullaq. alia. nam adeo Graecae linguae peritus erat, ut, cum aliquãdo Rhodi Graecae declamaſſet, & eum Apollonius Molonius celeberrimus rhetor audiuiſſet, facere non potuit Apollonius, quin uehementer ingemiſceret; cuius rei cauſſam interrogatus reſpondit, ſe antea credidiſſe Graecos a Romanis in arte tantum militari fuiſſe ſuperatos, tunc uero ſe gemitum continere non potuiſſe, cum etiam eloquentia ſuam gentem ſuperatam eſſe intelligeret, auctor Plutarchus. nam ipſe Cicero ad Atticum ſcribens de conſulatu ſuo Graece ſcripto ſic ait lib. 2. Ep. Meus autem liber totum Iſocratis myrothecium, atque omnes eius diſcipulorum arculas, ac non nihil etiam Ariſtotelica pigmẽta conſumpſit. & paullo poſt, Quid quaeris? conturbaui Graecam nationem, ut inepti ſint, & nequaquam audiendi, qui Ciceronem, tamquam imperitum Graecae linguae, damnant. quorum in numero fuit Argyropylus, & Budaeus, cũ praeſertim multis in locis ſe Graecorum amatorem uocet, & Quinctiliano teſte, uim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatẽ Iſocratis effinxerit. quod certe ſine ſumma Graecae linguae cognitione facere nullo modo potuiſſet. Huc accedit, quod ſemper cum Graecis Latina coniunxit, neque id in philoſophia ſolum, ſed etiam in dicendi exercitatione, ſicut ipſe teſtatur in prooemium offic. SI *modo tibi*] Duas exceptiones opponit, ut amabiles ſuos mores oſtendat, dũ neque ſe patris negotia impedire uelle, neque eius uoluntati reſiſtere docet. debet enim filij erga parentes ſumma uti obſeruantia.

CICERO

C. PATER. An eſt, mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctiſſimum eſſe? Otium autem primum eſt ſummum, quoniam aliquando Roma exeundi poteſtas data eſt, deinde iſta tua ſtudia uel maximis occupationibus meis anteferrem libenter.

EXPLANATIO

DVO ſunt, quae Cicero filius exceperat, otium patris, & uoluntas. pater igitur filio reſpondens, prius de uoluntate, quae maioris eſt momenti, deinde de otio, quod in eiuſmodi diſputationibus quaeritur, rationẽ reddit. poſtremo ſtudia filij cuiuis negotio ſibi anteferenda eſſe aſſerit. Putas ne, inquit, o fili, aliquid mihi magis in optatis eſſe, quam ut te omni ſcientiae genere expolitum aliquando uideam? atque hoc ſane tempore primum a negotiis uacare coepi, & maximum mihi eſt otium, eo quod urbem, in qua ſemper occupatus ſum, iam tandem reliquerim. quod ſi etiam mihi maximae eſſent occupationes, tamen, cum te tam diſcendi cupidum uideam, eas omnes propter ſtudia tua libentiſsime relinquerem. MI *Cicero,*] Docent artis ſcriptores in appellationibus illud obſeruandum eſſe, ut, quoties ſuperiores alloquimur, eos non proprio nomine, ſed nomine dignitatis, aut reuerentiae uocemus, quod etiam inter aequales frequentiſsime faciendum eſt, ut filius hoc loco non dixit, mi Cicero, ſed, mi pater. ita ſubditi Regem, diſcipuli magiſtrum, ſerui dominum non proprio nomiue debent appellare. quoties autem inferiores alloquimur, tunc propria nomina ſunt uſurpanda. hoc diligenter Virgilius 1. Aen. ſeruat, ut Iuno, cum Regem uentorũ inferiorem alloqueretur, proprio nomine eſt uſa non dignitatis, cum ita inquit,

Aeole, namque tibi diuum pater, atque hominum Rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere uento.

At Ilioneus, Troianorum orator, cum ad Didonem, ut ueniam oraret, perueniſſet, non eam proprio nomine uocauit, ſed ita,

O Regina, nouam cui condere Iuppiter urbem
Iuſtitiaq. dedit gentes frenare ſuperbas.

Hoc tamen non eſt perpetuum, ſed pro oratoris prudentia uaria uſurpari poteſt. Hermogenes propria nomina maximam uim habere cenſet, quia certa ſunt; proximam uero uim habere illa, quae cũ aliquo conferuntur, & ſub eandem rationem cadunt, ut pater, & filius. QVOD *ego malim,*] Nemo eſt enim fere pater, qui non filios ſuos & doctiſsimos, & florentiſsimos uidere cupiat, ideo permulti fuerunt clariſsimi uiri, qui filiorum ſuorum ipſi praeceptores, & magiſti eſſe uoluerunt, ut de Catone Cenſorio Plutarchus tradit; & de Themiſtocle, qui Graeciae princeps fuit, hiſtoriae narrant. OTIVM *autem*] fruſtra Gallus quidam hoc loco multa uerba iactat, ut probet, ſummum otium, pro extremo & ultimo intelligi debere. quod abſurdum ſane mihi uidetur, licet non negauerim ſummum pro ultimo nonnumquam inueniri, ut apud Hora i um in epiſtolis.

Prima dicte mihi, ſumma dicende camoena, & apud Virgilium lib. 2. Aen.
Venit ſumma dies.

Sed hoc loco non conuenit, ut ſummum pro ultimo capiamus, quia neque re uera fuit ultimum, neque, ſi fuiſſet, ipſe Cicero diuinare poterat. melius eſt igitur ut ſummum pro maximo capiamus, quod & frequentiſsimum eſt, & huic loco mirifice conueniens. quomodo uero fuerit otium primum, & ſummum, ſiue maximum, declarat illis uerbis; *Quoniam aliquando Roma exeundi poteſtas data eſt*] Nam circiter idus Sextiles iudicia dimittebantur, quoniam dies ludorum ſequebantur, & tunc plerique nobiles ruſticari conſueuerant,

rant, neque fere ad Ianuarium menſem calere iudicia incipiebant. quod oſtendit Cicero, cum ad Atticum ita ſcribit lib primo ep. Et fortaſſe, quoniam uidetur in ſuffragiis multum poſſe Gallia, cum Romae a iudiciis forum refrixerit, excurremus menſe Septembri legati ad Piſonem, ut Ianuario reuertamur. Sunt qui putant hoc opus tunc a Cicerone conſcriptum, quo tempore Caeſar dominatu regio ciuitatem occuparat. & ſane Plutarchus tradit eo tempore Ciceronem ruri degere ſolitum, & iuuenes in declamationibus exercere, philoſophiaq. incumbere, plurimaq. conſcribere. qua fortaſſe de cauſſa dixit hoc loco ſummum ſibi otium eſſe. DEINDE *iſta tua ſtudia*] Hoc enim patris officium eſt, ut filios ſuos quam diligentiſſime curet, & ne ullis quamuis maximis occupationibus ab eorum cogitatione diſtrahatur; quoniam hoc eſt in omni repub. praecipuum, ſicut Plato in Euthyphrone docet, ut iuuentus quam optime erudiatur? hoc etiam initio ſuarum Inſtitutionum Quinctilianus admonet, cum ita, inquit, Igitur nato filio, pater ſpem de illo primum quam optimam capiat, ita diligenter a principio fiet. Lacedaemonij certe maxima cum diligentia ſuam iuuentutē erudiebant, ut in Lycurgi uita Plutarchus docet; Xenophon narrat lib. 1. de doc. Cyri, apud Perſas quanta fuerit erudiendae iuuentutis cura, quamque iuſte, frugaliter, modeſte uiuere doceretur. Romani ueteres patruis ſolebant filios erudiendos dare, quod non eſſent tam indulgentes in eos, ut patres ipſi ſolent; ſed potius uehementer obiurgarent, ac reprehenderent, ſi quando aliquem errorem incidiſſent. Cicero pro M. Coelio, Fuit in hac cauſſa quidam patruus, cenſor, magiſter. Horatius. *Metuentes patruae uerbera linguae.*] Ariſtoteles Politicorum librum ſic exorditur; Nemini quidem dubium eſt, quin is, qui leges ſcribit, adoleſcentum diſciplinae, atque educationi in primis conſulere debeat, quandoquidem, quibus in ciuitatibus rei huius cura praetermittitur, aut negligitur, magnum ex eo reſpub. detrimentum capit. bene igitur Cicero ſtudia filij ſui uel magimis occupationibus anteferenda eſſe cenſet.

CICERO

C. FILIVS. *Vis ne igitur, ut tu me Graece ſoles ordine interrogare, ſic ego te uiciſſim eiſdem de rebus Latine interrogem?*

EXPLANATIO

CVM patris uoluntatem filius audiuiſſet, poſtea coepit modum quaerere, uiamq. ac rationem, qua poſſet ad id, quod cupiebat, peruenire. & quoniam quaſi exemplar ante oculos habebat patris dialogum, de ratione dicendi Graece ſcriptum, petit a patre, num ei placebat, ut eundem ipſe ordinem Latine ſequatur in interrogando, quem ille Graece iam ſecutus fuerat. Placet ne igitur, inquit, tibi pater, quoniam ſtudia mea tanti facis, ut eaſdem res a te Latine, quaeram, atque eodem ordine, de quibus tu me, in eo dialogo, quem Graeco ſermone mecum habuiſti, ſoles interrogare? laudat autem Cicero quaſi aliud agens, dialogum ſuum Graece conſcriptum, quod non perturbate, & confuſe, ſed ordine ſcriptus eſſet. nihil enim, ut Xenophon ait, ex omnibus rebus melius, & laudabilius eſt ipſo ordine; neque quidquam eſt omnino, quod ſine ordine diutius conſiſtere ualeat; ut, quaecumque, diuturna ſunt, & ſtabilia, & aeterna, propter quendam diuinum talia ſint. Deus enim omnia numero, menſura, & ordine conſtituiſſe dicitur. Sed in diſciplinis & ingenuis artibus nemo poteſt ordine procedere, niſi dialecticam perceperit. nam L. Craſſus apud Ciceronem primo de orat. tria ponit, ex quibus ars omnis conſtat, hoc eſt genera, ſpecies, definitiones. cum enim aliquis artem tradere uult, primo rem omnem illi arti ſubiectam in certa genera digerat, quae perpauca ſunt, deinde eorum generum quaſi quaedam membra diſpertiat; tum propriam cuiuſque uim definitione declaret; atque ita perfectam artem habebit. ſola uero dialectica, genera, ſpecies, definitiones rerum docet, & ordine cuncta digerit. ex quo ſane perſpicuum eſt, quantis in tenebris illi uerſentur, qui dialecticae prorſus imperiti ſunt. atque hac de cauſſa iure ac merito quidam ſcientiam ſcientiarum, & artem artiū dialecticam appellarunt. & Ariſtoteles illos ueteres philoſophos ſola dialecticae ignoratione lapſos in multos errores putat. hanc enim artem philoſophiae totius clauem, & organum eſſe affirmat; ſine cuius praeſidio de nullo genere litterarum quiſquam recte iudicare poteſt. Cicero in Bruto ſcribit, Ser. Sulpicium omnium iuriſconſultorum principem fuiſſe, propterea quod eam artem didiciſſet, quae doceret rem uniuerſam tribuere in partes latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambiguam primum uidere, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua uera & falſa iudicarentur, & quae, quibus propoſitis eſſent, quaeq. non eſſent conſequentia. Hic enim, inquit, attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea, quae confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Iambicus ad Dexippum ſcribens, Re uera, inquit, Deus quiſpiam fuit, qui dialecticam homines docuit, & caelitus eam demiſit. Plato etiam in Philaebo, dialecticam eſſe Dei donum affirmat, & perfectum dialecticum, tamquam Deum eſſe colendum cenſet. quare diligenter a nobis haec ars eſt amplectenda, ſine cuius intelligentia nullo modo fieri poteſt, ut aliquid recto ordine pertractetur, aut hoc pulcherrimum Ciceronis opus intelligatur.

CICERO

C. P. Sane, ſi placet. ſic enim & ego te meminiſſe intelligam, quae accepiſti; & tu ordine audies, quae requiris.

EXPLANATIO

DVABVS de cauſsis oſtendit Cicero ſibi gratum eſſe, ut eum filius interroget; primo ut intelligat an earum meminerint, quas Graece iam audierat, deinde ut ipſe filius ordine percipiat ea, quae requirit. Si tibi, inquit, o fili, ſic interrogare gratum eſt, neque mihi ingratum. nam ex iſta tua interrogatione duplex commodum ſequetur. primo ego non mediocrem animo laetitiam capiam, quod ea memoriae mandaris, quae tibi iam Graece tradidi, deinde tu Latinis uerbis ea percipies, quorum te cupidum eſſe oſtendis. ſed cur eadem cupit filius audire? nonne ſatis eſt ſemel artis praecepta intellexiſſe? minime uero. nam nemo fere tanta memoria praeditus eſt, aut tam docilis, ut, ſi ſemel tantum artem aliquam audiat, eam bene intelligere, aut meminiſſe poſsit. ideo Plato in Philebo, cum eadem repeteret, quae ante dixerat, bene, inquit, prouerbio dictum eſſe uidetur, ut, quod pulchrum eſt, iterum & tertio repetatur: & in Gorgia, Atqui honeſtum eſt, quod aiunt, ea, quae pulchra ſunt, bis, & ter reperere, atque conſiderare. huc accedit, quod artium praeceptores diſcipulis ſuis eadem ſaepius inculcare debent, alioquin eis e memoria facile excidunt. quod M. Antonius apud Ciceronem lib. 2. de orat. eleganti metaphora ſic expreſsit. Ego autem ſi quem nunc plane rudem inſtitui ad dicendum uelim, iis potius tradam aſsiduis, uno opere eandem incudem, die, noctuq. tundentibus. non eſt igitur mirum, ſi Cicero, qui filium ſuum quam doctiſsimum eſſe uehementiſsime cupiebat, eadem illi praecepta ſaepius inculcauit. cũ praeſertim etiam alia ſatis magna cauſſa ſubeſſet, ut, quae Graece tradita erant, Latinis litteris illuſtraret.

CICERO

C. F. Quot in partes diſtribuenda eſt omnis doctrina dicendi? C. P. In tres. C. F. Cedo quas? C. P. Primum in ipſam uim oratoris deinde in orationem, tum in quaeſtionem.

EXPLANATIO

IAM primum Partitionem ingreditur, qua omnem dicendi doctrinam tres in partes diſtribuit, hoc eſt in orationem, & quaeſtionem. Ratio enim artis & doctrinae hoc poſtulat, ut totum primo diuidatur in partes ſuas, deinde ſingulae partes ita tractentur, ut diſtributae fuerint. Sed quaeri poteſt, cur hae partes doctrinae dicendi uocentur a Cicerone, cum in unaquaque harum partium tota ſit eloquentia? uis enim oratoris certe totam eloquentiam complectitur. & oratio non pars eſt eloquentiae, ſed opus ipſius oratoris, quaeſtio denique ciuilis materia eſt, quam tractat, & in qua uerſatur orator. quidam Gallus putat ſe magnifice dubitationem hanc ſuſtuliſſe, dicens Quinctiliano placere Rhetoricen in actu conſiſtere, atque iccirco practicen eſſe, unde ſit haec nata partitio. ſed nec Quinctilianus abſolute uult in actu conſiſtere rhetoricam, cum fateatur etiam cognitione contentam eſſe poſſe. Erit enim, inquit, Rhetorice in oratore etiam tacente, & dicat etiam poſt actum ſaepe oratoris opus remanere, quae ſunt orationes, nec ad practicen quidquam haec Ciceronis partitio pertinet, ſed potius ad Theoricen, & praecipiendi rationem. Dicendum eſt igitur Ciceronem hoc loco non tradere partes Rhetoricae, quae ſpectantur agendo, quaeq; quinque numerantur, inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio. nemo enim poteſt orationem recte habere, niſi has partes bene intellexerit, ut infra ſuo loco dicetur; ſed eas partes docere, quae in praeceptis artis ſpectari diligentiſsime debent. nam in omni arte, primo ipſum artificem praeceptis artis ſuae inſtructum eſſe oportet, antequam opus aliquod appareat, neque opus ullum exſtare poteſt, niſi ſubſit materia. tria ſunt igitur in omni arte neceſſaria, artifex, opus, materia. ac primum uidendum eſt, quam uim, & facultatem artifex comprehendere debeat; deinde quod opus faciat, tamquam materiam tractet, quo fit, ut non tantum doctrina dicendi, ſed cuiuſlibet artis doctrina tres in partes diſtribuenda ſit. ut architectus primo diſcit proportionem aedificiorum, & conuenientiam partium; deinde totum aedificium conſiderat quomodo faciendum ſit; tum quae ſit apta ad aedificandum materia, ſpectat. & quamuis in ui, & facultate artificis omnia ſint, quae ad artis doctrinam pertinent, tamen ars non cognoſcitur, niſi opus aliquod uideatur, neque opus ſine materia poteſt eſſe. quare, quoquo te uertas, hae tres doctrinae partes in omni arte ſpectandae ſunt. ſed cũ haec tria requirantur in omni arte, ac ſcientia, cur Cicero rhetoricae propria facit? nam primo ſcientiae omnes, & artes ingenuae, uim artificis, orationem, & quaeſtionem poſtulant. ut exempli gratia, Geometria doceri non poteſt, niſi adſit artifex, qui eius praecepta teneat, & oratione utatur, qua praecepta explicet, & denique materiam amplectatur, in qua Geometria uerſetur. Verum haec quamuis omnium diſciplinarum communia ſint, tamen addito ipſius artificis, & operis, & materiae nomine, propria ſingularum artium fiunt; atque hac de cauſſa non dixit Cicero doctrinam dicendi diſtribui in uim artificis, ſed in uim oratoris; neque in opus, ſed in orationem, neque in materiam, ſed in quaeſtionem. cum oratio ſit opus oratoris, quaeſtio uero materia, neque refert, quod oratio & quaeſtio tam ad dialecticum, quam ad oratorem pertineat, quoniam, ut ait in Bruto Cicero, dialectica eſt quaſi contracta quaedam eloquentia. & quamuis aliae

tares

artes orationes,& quaeſtione utantur,tamen oratio nullius artis niſi rhetoricae,& dialecticae opus eſt,neque quaeſtio materia.Sunt autem haec tria quaſi media quaedam ad finem rhetoricae conſequendũ, qui eſt, ut ait Cicero, perſuadere dictione. primo enim loco ars conſtituitur, quae praecepta tradit, ex praeceptis emergit uis oratoris, ex oratoris ui oratio naſcitur, in oratione quaeſtio tractatur. quaeſtio uero omnis ad perſuadendi finem dirigitur. ſecutus eſt igitur Cicero naturae ordinem in hac prima partitione, & ſicut propoſuit, ita primo de ui oratoris tractat, deinde de oratione, tum de quaeſtione, quibus explicatis operis finem facit.

CICERO

C. F. in quo eſt ipſa uis? C.P. In rebus & uerbis. ſed & res & uerba inuenienda ſunt & collocanda. Proprie autem in rebus inuenire, in uerbis eloqui dicitur. Collocare autem, etſi eſt commune, tamen ad inueniendũ refertur. Vxor, motus, uultus. atque omnis actio eloquẽdi comes eſt, earumq. omnium cuſtos eſt memoria.

EXPLANATIO

ANTEQVAM tres partes illas doctrinae dicendi, quas propoſuit, ſigillatim pertractet, eas primo breuiter explicat, & in alias particulas ſubdiuidit, ut totam operis faciem quaſi oculis ſubiiciat. Ac primo quidem quaerit, qua in re ſit poſita facultas oratoris, & ait in rebus, & uerbis eſſe. nam, ut ait Quinctilianus, omnis oratio conſtat ex iis, quae ſignificantur, & ex iis, quae ſignificant. quae ſignificantur ſunt, res, & ſententiae; quae ſignificant, ſunt ipſa uerba. ſunt enim uerba quaedam quaſi rerum notae, ſicut Ariſtoteles initio lib. de interp. teſtatur nam omnia conſtant ex materia ſua, & forma, ſicuti philoſophi docent, nihil autem effici poteſt ſine ui aliqua mouente. quam efficientem cauſſam uocant, uis uero illa rerum effectrix dicitur ineſſe in materia, atque forma, quoniam ex eis res uniuerſas componit. Eſt igitur uis oratoris cauſſa efficiens; res ipſa, de qua agitur, eſt materia; ſermo denique, quo res exprimitur, forma quaedam dici poteſt. Cum autem haec duo ſint tantum, in quibus uis oratoria uerſetur, res, inquam, & uerba; factum eſt etiam, ut apud rhetores duo figurarum, ſiue exornationum genera tradantur. quorum unum rerum, ſeu ſententiarum dicitur, alterum uerborum, ut poſtea docebimus. Quinque uero ſunt oratoris officia, primũ ut excogitet, & inueniat, quid dicendum ſit, alterum inuenta bene diſponat & collocet, tertium ut inuenta, & collocata poliat, & exornet, quartum, ut qua uoce, motu, uultu, quae iam inuenta, & collocata, & expolita ſunt, enunciet, intelligat, poſtremum ut haec omnia bene memoria comprehendat. itaque inuenire, diſponere, eloqui, meminiſſe, pronunciare, quinque ſunt oratoris officia. quae ſi ad nomina transferantur, partes rhetoricae dicuntur. & hoc eſt, quod rhetores dicunt, quinque partes eſſe rhetoricae, inuentionem diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem. quae ita facultati oratoriae accommodantur, ut & res & uerba ſit opus inuenire, & collocare. neque enim ſatis eſt res inuentas habere, niſi etiam uerba rebus accommodata reperiantur; neque res, & uerba ſatis eſt inueniſſe, niſi etiam bene diſponantur, & collocentur. ſed apud rhetores illa partitio, ſiue diſtributio ſeruari ſolet, ut, cum haec quinque ſint, inuentio propria ad res pertineat, elocutio ad uerba, diſpoſitio ad utrumque, hoc eſt & ad res, & ad uerba pronunciatio cum elocutione coniungatur, memoria ſit quaſi theſaurus quidam & cuſtos reliquarum rerum omnium. nam, ut eſt apud Ciceronem lib. 1. de orat. niſi memoria cuſtos inuentis, cogitatisq. rebus, & uerbis adhibeatur, intelligamus omnia, etiam ſi praeclariſsima fuerint, in oratore peritura. IPSA *uis?*] Vis oratoris natura potiſsimum conſtat, ſic enim Craſſus tradit, naturam primum, atque ingenium uim habere maximam. & Quinctilianus eod. lib ait, ei, cui deeſt ingenium, non magis rhetoricae praecepta prodeſſe, quam de agrorum cultu ſterilibus terris, ſed natura, & ingenium arte perficitur. ars enim, ut ait Cato lib. 3. de Fin. certior dux eſt quam natura. & Horatius in Odis.

Doctrina ſed uim promouet inſitam,
Rectiq. cultus pectora roborant.

Vſu uero, atque exercitatione & natura, & ars adiuuatur. & hoc eſt, quod ait Cicero pro M. Coelio, ingenium ali induſtria ſolere. Horum igitur trium ſi unum aliquod deſit, nequaquam exſiſtere poteſt illa, quae facultas oratoria dicitur. opus eſt igitur ingenio, arte, & exercitatione. nam imitatio arti ſubiicitur. IN *rebus & uerbis*] Nemo poteſt uim oratoriam aſſequi, niſi rerum multarum ſcientiam, & cognitionem comprehenderit. nam, ut ait Craſſus, rerum copia uerborum copiam alit, & Horatius lib. 3. de oret,

Scribendi recte ſapere eſt, & principium, & fons,
Rem tibi Socraticae poterunt oſtendere chartae
Verbaq. prouiſam rem non inuita ſequentur,

Cicero item ſcribit, Ac, mea quidem ſententia, nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſecutus. etenim ex rerum cognitione efflo reſcat, & redundet oportet oratio. praeterea uerborum etiam delectum habere opus eſt; hoc enim, ut Caeſar aiebat, eloquentiae principium eſt, quod Cicero eodem loco ita praecipit; Et ipſa oratio conformanda non ſolum electione, ſed etiam conſtructione uerborum. Neceſſe eſt igitur in his duobus, hoc eſt in rebus, & uerbis omnem ineſſe uim oratoris. ſed habent haec duo ſic inter ſe momenta diſpertita, ut, quamuis etiam uerba inueniantur, tamen rerum propria ſit inuentio, quam ita definiunt, Inuentio eſt rerum, aut uerarum,

aut uerisimilium excogitatio, quae cauſſam probabilem reddant. Verborum autem elocutio propria ſit, quae ita definiri ſolet, Elocutio eſt idoneorum uerborum, & ſententiarum ad inuentionem accommodatio. Diſpoſitio uero, & rerum, & uerborum ſit communis, quae ita definiri poteſt; Diſpoſitio eſt ordo & diſtributio rerum ac uerborum, quae demonſtrat quid quibus in locis ſit collocandum. Pronunciatio, quae etiam actio dicitur, comes eſt elocutionis, quam ita Cicero definit, Pronunciatio eſt, ex rerum, & uerborum dignitate, uocis, & corporis moderatio. Memoria denique harum rerum omnium theſaurus eſt, quae ita definitur, Memoria eſt firma animi rerum, ac uerborum ad inuentionem perceptio. atque in his quinque officiis omnis uis, ac facultas oratoria conſumitur, & in eis res tantum & uerba tractantur, ut ex definitionibus patet, ideo fit, ut tantum in rebus & uerbis uis oratoris eſſe dicatur. Actionem uult hoc loco Cicero eſſe comitem elocutionis, quoniam, ut alio loco docet, Elocutio ſola uidetur oratoris eſſe propria, cum alij etiam artifices inueniant, & diſponant, & memoriae mandent, ſolus autem orator eloquatur, & orationem exornet; ſed quamuis polita ſit, & ornata oratio, tamen eam indecora, parumq. apta pronunciatio totam uitiat, & corrumpit, ut non ſine cauſſa Demoſthenes primas, & ſecundas, & tertias partes in oratione pronunciationi dediſſe ſcribatur. praecedit igitur in oratoria facultate elocutio, quam ſtatim primo loco quaſi comes & ſocia pronunciatio ſubſequitur.

CICERO

C. F. *Quid, orationis quot ſunt partes?* C. P. *Quattuor. Earum duae ualent ad rem docendam, narratio, & confirmatio: Ad impellendos animos duae, principium, & peroratio.*

EXPLANATIO

SECVNDA pars doctrinae dicendi orationem continet, quod eſt opus oratoris. eam igitur hoc loco Cicero quattuor in partes diſtribuit. nihil enim aliud in oratione ſua quaerit orator, niſi ut auditores ſuos doceat, & moueat, ac, quo uelit, eorum animos impellat. ſed ad docendos auditores duae partes orationis ſufficiunt, hoc eſt narratio, & confirmatio. cum enim auditor per narrationem rem intellexerit, & argumẽtis, exemplis, teſtibus probatum cognouerit, ſatis iam doctus eſſe uideri poteſt; ut autem moueatur, & impellatur, duae partes aliae requiruntur, principium, ſeu exordium orationis, quo efficitur, ut auditor animi propenſione ad cauſſam noſtrã inclinet, & nobis fauere incipiat; & peroratio, qua grauiores affectus concitantur, & animi uel ad ſaeuitiam, uel ad miſericordiam impellantur. Cicero primo lib. de Inuen. ſex orationis partes eſſe uult, exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehenſionem, concluſionem. Sed ex hoc numero. Quinctilianus lib. 3. Partitionem tollit, & recte ſentit non eſſe partitionem inter orationis partes numerandam, cum ſit diſpoſitionis ſpecies, & in omni quaeſtione locum habere poſsit. itaque concludit eſſe quinque partes orationis. uult enim omnino refutationẽ eſſe orationis partem, cum ſic ait, Nec iis aſſentior, qui detrahunt refutationem, tamquam probationi ſubiectam, ut Ariſtoteles: haec enim eſt, quae conſtituat; illa, quae deſtruat. uidetur autem Quinctilianus hunc Ciceronis locum non aduertiſſe, aut non meminiſſe, cum non tantum Ariſtoteles, ut ipſe ſentit, ſed etiam Cicero refutationem probationi ſubiiciat. neque enim ille bene probare dici poteſt, qui non aduerſariorum argumenta refutarit. Sunt igitur tantum quattuor partes orationis, ut etiam Ariſtoles lib. 3. Rhe. ſentit, duae neceſſariae, ut propoſitio, ſiue narratio, & probatio, ſiue confirmatio; & duae utiles ad mouendum, ut prooemium, ſiue exordium, & peroratio, ſiue concluſio. Exordium igitur eſt orationis principium, quo animus auditoris idonee comparatur ad reliquam dictionem. Narratio eſt rerum geſtarum, uel perinde ut geſtarum expoſitio. Confirmatio eſt per quam argumentando noſtrae cauſſae fidem, & auctoritatem adiungit oratio. Concluſio eſt artificioſus terminus, ac finis orationis. Ariopagitae duas tantum orationis partes admittebant, hoc eſt narrationem, & confirmationem, cum enim orator in eorum conſeſſu cauſſam dicturus exſurgeret, aderat praeco, qui ediceret, ut neque exordio, neque peroratione uteretur. Vnde Ariſtoteles lib. primo Rhet. hanc Ariopagitarum cõſuetudinem laudat. Neque enim, inquit, iudicem conuenit diſtorquere, atque inflectere ad indignationem, uel inuidiam, uel miſericordiam, idem enim eſt, ac ſi quis eam, qua uſurus eſt, regulam obliquam, ac tortuoſam efficeret. QVID *orationis*] oratio non numquam pro omni locutione ponitur, ut Cicero in Bruto, Quamquam omnis locutio oratio eſt, tamen unius oratoris locutio hoc ſignato nomine eſt; & de oratore, Illa, quae a bono poeta lib. 2. dicta eſt flexanima, atque regina rerum oratio; hinc illud celebre dictum, Qualis uir, talis oratio. Sed proprie oratoris eſt oratio. Idem alio loco ita ſcribit, lib. 2. Sed cum duplex ſit ratio orationis, quarum in altera ſit ſermo, in altera contentio, non eſt id dubium, quin contentio orationis plurimum poſsit, & maiorem uim habeat ad gloriam, ea eſt enim, quam eloquentiam dicimus, ſed tamen difficile dictu eſt quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasq. ſermonis. Eſt autem ſermo familiaris oratio, qua cum domeſticis utimur, & quotidie cum omni fere hominum genere, atque in epiſtolis, comoediis, & ſatyris. qua de cauſſa Horatius ſatyras ſuas appellauit ſermones; Contentio uero uel in iudiciis ſpectatur, & tunc actio dicitur, ut actiones in Verrem, uel in ſenatu, & tunc ſententia uocatur, uel in multitudine hominum, quae concio nominatur, eſt etiam quaedam orationis ſpecies, quam ueteres diuinationem uocabant, quando duo, uel plures contra aliquem nominis delationem, atque accuſationem petunt, & de conſtituendo

tuendo accuſatore controuerſia eſt: qualis eſt prima Ciceronis in Verrem. Ad *rem docendam*,] Omnis oratio eſt interpres mentis, ut ait Cicero. nam dicendo animi ſenſa exprimimus; itaque primum hoc & proprium orationis officium eſſe uidetur, ut aliquid doceat eum, qui audit. Placet autem maximis auctoribus tria eſſe, quae perfecta oratione fiant, ut doceat, ut moueat, ut delectet. ſed aliqua poteſt eſſe oratio, quae tantum docet, nihil uero moueat, aut delectet; mouere autem, uel delectare, niſi doceat, non poteſt. uerum ita nonnumquam docemus, ut auditor tantum intelligat, & percipiat ea, quae dicuntur; interdum, ut fides illi fiat, & quae dicuntur ei plane probentur; quorum alterum narratione fit, quae ſolam dicentis mentem explicat, alterum argumentatione, & confirmatione, quae rei, de qua uerba fiunt, fidē facere conatur. itaque duae partes orationis ad rem docendam ualent, narratio, & confirmatio. Ariſtoteles loco narrationis propoſitionem ponit. eſt autem propoſitio genus, narratio ſpecies, ut Quinctilianus ait, quare propoſitio narrationem complectitur. hoc uero feciſſe uidetur Ariſtoteles, quoniam in oratione non ſemper narratione opus eſt, ſatis eſt illud proponere, quod probare uelimus. Ad *impellendos animos*] Duo tradunt eſſe perturbationum, ſiue commutionum animi genera, quae bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciant; quorum alterum eſt, quod Graeci ethicon uocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem uitae conſuetudinem accommodatum, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum, quo genere in exordiis utendum eſt; alterum, quod iidem Graeci patheticon nominat, quo perturbantur animi, & concitantur, in quo uno regnat oratio; quo cauſſae eripiuntur, quod rapide fertur, ſuſtineri nullo modo poteſt, hoc perorationibus accommodatum eſt; duae igitur partes orationis ad impellendos animos parantur, Principium, & Peroratio.

CICERO

C. *F. Quid, quaeſtio quaſnam habet partes? C. P. Infinitam, quam conſultationem appello; & definitam, quam cauſſam nomino.*

EXPL N TIO

Tertia & ultima doctrinae dicendi pars in quaeſtione uerſatur, quae eſt totius rhetoricae materia. nō autem omnis quaeſtio propria eſt oratoris, quoniam aliis etiam in artibus plurimae ſunt quaeſtiones, ſed quaeſtio ciuilis propriam oratoris materiam amplectitur, ut Hermogenes recte ſentit. Oratoriam uero quaeſtionem duas in partes Cicero diſtribuit, hoc eſt infinitam, & definitam. Infinita eſt, quae alio nomine conſultatio dicitur, & propoſitum, & Graeco nomine θέσις, cum de aliqua re generatim quaeritur, remotis perſonis, & temporibus, & locis, ceteriſq. ſimilibus, & in utramque partem tractatur, unde locus etiam cōmunis dicitur. haec uel ad ſcientiam pertinet, ut an Mundus prouidentia regatur; uel ad actionem, ut an ſit ad Rempub. adminiſtrandam accedendum. ſed quae ad ſcientiam pertinent, infinitae quaeſtiones a philoſophis potius, quam ab oratoribus tractantur; quae uero ad actiones, magis oratorum ſunt propriae. Definita uero quaeſtio dicitur alio nomine cōtrouerſia, & cauſſa, Graece hypotheſis, & eſt, ut ait Cicero in Top. quae certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorum. ut, An Clodius inſidias Miloni fecerit. Amplior eſt, ait Quinctilianus lib.3. cap. 5. r ſemper infinita, inde enim finita deſcendit. quod ut exemplo pateat; infinita eſt, An uxor ducenda; finita, an Catoni ducenda: quoties enim infinitae quaeſtioni certae perſonae adiunguntur, ex infinita fieri ſolet definita; ut haec infinita eſt, An inſidiator iure poſsit interfici; illa uero definita, An Clodius inſidiator iure ſit interfectus. In oratore ad Brutum ait Cicero, excellentem oratorem a propriis perſonis, & temporibus ſemper, ſi poteſt, auocare controuerſiam. Latius enim, inquit, de genere, quam de parte diſceptari licet, ut, quod in uniuerſo ſit probatum, id in parte ſit probari neceſſe. Haec igitur quaeſtio a propriis perſonis, & temporibus ad uniuerſi generis orationem traducta appellatur theſis. In hac Ariſtoteles adoleſcentes non non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorum in utramque partem, ut ornatius, & uberius dici poſsit, exercuit. Ab hac infinita quaeſtione uis omnis probationis pendet. cuius rei cauſſa eſt, quia nulla argumentatio neceſſariam habet concluſionem, in qua non una ſaltem propoſitio generalis collocetur, ex qua tota uis concluſionis eliciatur, hoc enim dialectici docent, ex iis propoſitionibus tantum, quae in parte traduntur, nihil poſſe, aut ſolere neceſſario concludi. Quare totum probationis, & eloquentiae lumen a locis communibus emanat, qui ſi artificioſe tractentur, admirabilem totam efficiunt orationem, ut pro Roſcio Am. de ſupplicio parricidarum; ultima actione in Verrem, de ciuibus Romanis ſupplicio affectis; pro Milone, de ui repellenda ex naturali lege; quin etiam cauſsis omnibus, ac finitis quaeſtionibus adiungitur communis locus, & infinita quaeſtio, ut Cicero non ſimpliciter in Catilinam inuehitur, ſed in Catilinam patriae proditorem, quoniam omnes patriae proditores exterminandi ſunt; neque ſimpliciter dicit Clodium iure interfectum, ſed Clodium inſidiatorem, quoniam omnes inſidiatores iure interficiuntur. haec eſt cauſſa, quare Cicero in oratore ad Brutum hanc quaeſtionem infinitam maxime luminoſam, & quaſi actuoſam appellarit; quoniam magnum ſplendorem & uim orationi tribuit, & ad probandum ſumme neceſſaria eſt.

CICERO

CICERO

C. P. Quoniam igitur primum eſt inuenire oratoris, quid quaeret? C. P. Vt inueniat quemadmodum fidem faciat etiam eis, quibus uolet perſuadere, & quemadmodum motum eorum animis afferat.

EXPLANATIO

REDIT ad primam partem doctrinae dicendi, quae uis eſt oratoris, & eam copioſius pertractat. cum autem quinque ſint oratoris officia, primum omnium eſt inuenire. nam, niſi res ueras, aut uériſimiles orator excogitauerit & inuenerit, nihil erit, quod aut diſponere, aut eloqui poſsit. eſt autem inuentio rhetoricae pars difficillima illa quidem, ſed etiam omnium utiliſsima. ea duplex eſt, altera dialectica, alteta rhetorica; dialectica inuentio Topice dicitur, quae locos docet, & ſedes argumentorum, quibus utirur etiã orator ad fidem faciendam; rhetorica uero inuentio illa excogitat, quibus animi concilientur, & impellantur, quocumque orator uoluerit, quibus in exordiis, & concluſionibus orator utitur. duo ſunt igitur eorum genera, quae orator quaerere debet: primum debet inuenire quomodo fidem faciat; deinde quo modo motum animis afferat. cum enim omnia ſint ad finem dirigenda, qui eſt perſuadere dictione; nemo finem aſſequi poterit, niſi quibus rebus fides fiat intellexerit; & quia commoto animo facilius homines credunt, quam ſedato, & tranquillo, ideo debet etiam inuenire, quae ad mouendos animos pertinent. PRIMVM *eſt inuenire*] Cicero initio Topicorum ait, omnem rationem differendi duas habere parces, unam inueniendi, alteram iudicandi, atque utriuſque principem eſſe Ariſtotelem. Artem autem inueniendi, quae Topice dicitur, ad uſum priorem eſſe, & ordine naturae priorem. Sed inuentio non tantum argumenta, uerum etiam partes orationis complectitur, quod ad argumentorum rationem attinet, eaden. fere eſt cum dialectica, quod ad oratlonis partes diſtinguitur, quoniam dialectici neſciunt orationem ſuam ita diſtribuere, ut orator ſolet. QVID *quaeret?*] Quia quaerenda ſunt ea, quae dici debent, ideo quaeſtio ciuilis materia eſt oratoris. itaque Cicero lib. I. merito reprehendit Hermagoram, quod philoſophicas quaeſtiones, quae ad ſcientiam pertinent, oratori ſubiecerit. quaeret igitur orator ea, quae ad uſum ciuilem pertinent. hinc eſt quoſt Cicero lib. I Rhet. rhetoricam ciuilis ſcientiae partem eſſe putat; & Ariſtoteles lib. I Eth. ait ex Dialectica, & Politica conflatam eſſe rhetoricam. atque etiam in Ethicis rhetoricam ciuili ſcientiae ſubiicit. VT *inueniat*] Ex hoc loco intelligitur, non tantum argumenta, duasq. partes orationis,, quae ad docendum ualent, hoc eſt narrationem, & confirmationem, ſed etiam affectus & leniores & grauiores, quibus animi mouentur, & duas reliquas partes orationis, quae ad impellendos animos adhibentur, hoc eſt exordium & perorationem, inuentioni ſubiectas eſſe. FIDEM *faciat*] Proprie dixit, quoniam facere fidem oratoris proprium eſt. tria ſunt enim, quae ex argumentandi ratione gignuntur in animo noſtro, fides, opinio, ſcientia, quae a tribus diſtinctis artibus proficiſcantur neceſſe eſt, quoniam ipſa ſunt inter ſe diſtincta. neque enim omnino eſt eadem fides, quae opinio, utraque a ſcientia multum differt. ſed fides fit perſuadendo, opinio ratiocinando, ſcientia demonſtrando. rhetorica uero perſuadendi eſt opifex; dialectica ratiocinandi; demonſtratio neceſſario probandi. ſed, quoniam parua eſt inter fidem, & opinionem differentia, niſi quod fides magis ſingularia reſpicit, opinio magis ea, quae generalia ſunt; ideo fit ut etiam inter rhetoricã & dialecticam non multum interſit; ſed ſicut fides eſt quaedam opinionis pars, ita etiam rhetorica pars eſt dialecticae. Sed ita rhetorica, atque dialectica ſeiungi poſſunt, primo quod orator magis ea pertractat, quae ad mores, & actiones pertinent; dialecticus, quae ad cognitionem; deinde quod rhetor de animi cõmotionibus uerba facit, quas dialecticus non attingit; tum quod rhetoris auditor quilibet etiam rudis & imperitus eſſe commode poteſt, dialectici non niſi paullo ingenioſior; poſtremo quod rhetorica magis ea, quae ſingularia ſunt pertractat, dialectica uero potius generalia. quae licet ita ſint, adeo tamen inter ſe coniunctae ſunt hae duae artes, ut eaedem paene uideantur. quare Cicero dialecticam ait eſſe contractam quandam eloquentiam, & adſtrictam; eloquentiam uero dilatatam dialecticam. & Ariſtoleles initio Rhetoricorum ait, rhetoricam ex altera parte dialecticae reſpondere.

CICERO

C. P. Quibus rebus fides fit? C. P. Argumentis, aut aſſumptis quae ducuntur ex locis, aut in re ipſa inſitis.

EXPLANATIO

CVM duo ſint in oratoris facultate, hoc eſt fidem facere, & mouere; prius de fide, poſtea de motu Cicero uerba facit. argumentis autem ait fidem fieri: nam argumenta uocat omnem ad probandum materiam deſtinatam, quae etiam enthymemata uocantur, ut argumentum Ciceroni, ſit idem, quod enthymema Ariſtoteli. quam rem his uerbis Quinctilianus affirmat. Igitur enthymema & argumentum ipſum, id eſt rem, quae probationi alterius adhibetur, appellant & argumenti elocutionem. Argumentum igitur, uel

enthymema communiter dictum, continet omnia, quae oratori ad probandum ſubiecta ſunt, ſiue illa probabilia ſint, ſiue neceſſaria, ſiue ſigna, ſiue exempla, ſiue teſtimonia. quod cum ex hoc Ciceronis loco poteſt intelligi, ubi fidem omnem argumentis ait fieri, tum ex ſecundo libro rhetoricorum Ariſtotelis, ubi ſic ait, ut nos conuertimus, Ea, ex quibus enthymemata fiunt, quatenus numero ſunt, probabile exemplum, indicium, ſignum. Nam enthymemata, quae conſtant ex iis, quae plerunque ita fiunt, uel fieri uidentur, ea ſunt ex probabilibus; quae autem inductione conſtant ex uno ſimili, uel pluribus, hoc eſt cum quis poſito generali, uult illud ex ſingulis probare, ſunt ab exemplo; quae uero conſtant ex neceſſario ſigno, ſunt ab indicio; quae denique fiunt, uel ex generali ſigno, uel ſingulari, ſiue illud uerum ſit, ſiue non, ſunt à ſignis. ſed haec copioſius in Reprehenſionibus noſtris contra Nizolium probauimus, ubi multis, & apertis rationibus docuimus enthymema communiter pro omni probatione Rhetorica poni: proprie diſtingui ab exemplo, ſicut in dialectica ſyllogiſmus ab Inductione ſeparatus; maxime uero proprie ſignificare argumentationem, quae a contrariis & repugnantibus ducitur. Quin apud Latinos argumentum plura ſignificat, ut tradit Quinctilianus, cap. 10. & cap. 5. nam & fabulae ad actus ſcenarum compoſitae, argumenta dicuntur, & orationum Ciceronis uelut thema ipſe exponens Pedianus, Argumentum, inquit, tale eſt. Et ipſe Cicero ad Brutum ita ſcribit, Ritus fortaſſe, ne nos in Catonem noſtrum transferamus illinc mali quid, & ſi argumentum ſimile non erat. quo appareret omnem ad ſcribendum deſtinatam materiam ita appellari. nec mirum, cum inter opifices quoque uulgatum ſit, vnde Virgilius, Argumentum ingens. Vulgo quoque paullo numeroſius opus dicitur argumentoſum. porro argumentum dicitur a rhetoribus, quod rem probat & oſtendit, quocumque modo fiat, uel undecumque deducatur. nam uerbum etiam arguo, unde fit argumentum, probare, & oſtendere ſignificat, Virgilius.

Degeneres animos timor arguit.

igitur argumentum & probatio idem eſt. Latent autem argumenta in locis, tamquam in ſedibus, & latibulis quibuſdam, unde ſunt ab oratoribus eruenda. Sed loci partim inſiti ſunt in re, de qua agitur, & illi cohaerent, ita ut diuelli non poſsint; partim aſſumuntur extrinſecus: quam locorum partitionem deinceps explicabimus. nunc quaerendum uidetur, cum orator non tantum fidem facere, ſed etiam motum animis afferre ſtudeat; & prius in exordio mouere conetur, quam in oratione & confirmatione fidem faciat, cur non prius de motu Cicero, quam de fide pertractet? ſed haec quaeſtio facile explicatur. prius enim ea pertractanda ſunt, quae ſunt neceſſaria, & in re poſita, quam quae minime ſunt neceſſaria, neque in re poſita. ſed fidem facere neceſſarium eſt, & cum ipſa re cohaeret; mouere autem non eſt neceſſarium, quamuis ſit utile, & eſt extra rem poſitum. itaque de fide priuſquam de motu tractandum eſt. hoc autem, quod dicimus, Ariſtoteles his uerbis confirmat: Probationes enim ſolae ad artes pertinent, reliqua uero non ſunt additamenta. at iſti nihil de enthymematihus loquuntur, quod corpus eſt, ac fundamentum fidei faciēdae; de iis uero, quae ſunt extra rem poſita, plurima pertractant. nam criminatio, miſericordia, iracundia, ceteraeq; huiuſmodi animi perturbationes nequaquam ipſius rei propriae ſunt, ſed ad mouendum iudicem pertinent.

C I C E R O.

C. F. Quos uocas locos? C. P. Eos, in quibus latent argumenta. C. F. Quid eſt argumentum? C. P. Probabile inuentum ad faciendam fidem.

E X P L A N A T I O.

QVONIAM argumenta ducuntur ex locis, uidendum eſt, quid ſit locus, & quid ſit argumentum. Ac primo ſciendum eſt locum hic accipi translate, non proprie. nam locus proprie is eſt, de quo tractat Ariſtoteles libro Phyſicorum quarto, quem uult eſſe partem extremam corporis ambientis. ſed ea loci conſideratio pertinet ad philoſophum naturalem; uulgo uero communiter locus dicitur, ubi aliquid poſitum & locatum eſt, uel poni & locari poteſt, ut apud Virgilium.

Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt;

& in ſexto Aeneidos,

Deuenere locos laetos, & amoena uireta.

qua in ſignificatione frequenter etiam ab orationibus capitur; & a loco multa deducuntur argumenta, de quibus infra dicemus. ab hac ſimilitudine per translationem a dialecticis, & rhetoribus locus dicitur ſedes argumenti. ut enim earum rerum, quae abſconditae ſunt, demonſtrato & notato loco facilis eſt inuentio; ſic cum peruestigare argumentum aliquod uolumus, locos noſſe debemus. apte uero mihi uidetur Agricola locum ita definire: Locus eſt communis quaedam rei nota, cuius admonitu, quid in quaque re probabile ſit, inueniri poteſt. ſed illud aduertendum eſt, eſſe locos quoſdam communes, qui ad omnem diſputationem, & ad omne cauſſarum genus pertinent. de quibus in Topicis tractat Cicero libro 2. de orat. & hoc in opere paullo poſt eos tantum enumerat; & alio loco M. Antonius etiam exemplis illuſtrat. atque hi communes loci proprie dialecticae arti ſubiiciuntur, & de illis tractare non rhetoris, ſed dialectici officium eſt. ſed, quia rhetorica dialecticae propago quaedam eſt, & ſimulacrum, ut ait Ariſtoteles lib. 1. Rhet. ideo locis his communibus tāquam ſuis, ac propriis etiam rhetores utuntur. Verum in ſingulis cauſſarum generibus in arte dicendi proprij loci traduntur, qui tantum a rhetoribus tractantur. Vt in demonſtratiuo genere loci ſunt,

ci ſunt, unde ea, quae ad laudandum & uituperandum pertinẽt, argumenta ducuntur; in deliberatiuo, quae ad ſuadendum,& diſſuadendum, in iudiciali; quae ad accuſandum,& defendendum, de quibus Ariſtoteles eodem libro copioſe tractat, & Cicero libro 2.de orat,tum in libris de Inuentione, tum de Oratore, tum infra longe ſubtilius, & accuratius hoc in opere. Prius igitur breuiter locos omnium generum communes explicat, deinde ad proprios cuiuſque generis accedit. quoniam autem e locis argumenta ducuntur, antequam de locis uerba faciat, ipſum definit argumentum, & ait eſſe,inuentum probabile ad faciendam fidem. Sciendum eſt autem idem eſſe argumentum Ciceroni, quod dialecticis, & Ariſtoteli medium. Vocant enim medium id, unde tota uis argumentationis emanat, quod cum inuentum fuerit, facile propoſitum probari poteſt, ut exempli gratia, Si quis probare uelit, uoluptatem eſſe bonam, aliquid oportet ut inueniat, quod & uoluptati, & bono conſentaneum ſit, alioqui, quod uult,probare non poterit. dicet igitur uoluptatem eſſe naturae accommodatam, quoniam omnes animantes eam naturae inſtinctu ſequuntur, atque ita ratiocinabitur; Quod naturae accommodatum eſt id eſt bonum,ſed uoluptas eſt naturae accommodata, igitur uoluptas eſt bona. illud igitur inuentum, quo probatum eſt, uoluptatem eſſe bonam, uocatur a dialecticis medium,a Cicerone argumentum.quod facile inuenitur ab iis, qui ſunt in Topicis exercitati. ſed quaeri poteſt, cur Cicero dixerit, inuentum probabile, cum interdum orator etiam neceſſario concludat, interdum ex eis, quae probabilia quidem uidentur, ſed non ſunt. tria ſunt enim argumentationum genera.quorum unum neceſſario concludit, & ſcientiam gignit, quo Mathematici potiſsimum utuntur, & Philoſophi; alterum probabiliter tantum colligit, & eo dialectici, & rhetores utũtur; tertium copioſe, fallaciterq. ratiocinatur,quod Sophiſtarum eſt proprium,uerumtamen orator non ſemper tantum probabiliter, ſed interdum neceſſario, interdum fallaciter argumentatur. cur igitur Cicero dixit, argumentum eſſe probabile inuentum? quia ſolẽt oratores ab eo, quod frequentius fit, rem definire, non ab eo, quod rarius. frequentius autem rhetorica probabiliter tantum concludit, quam uel neceſſario, uel fallaciter. Adde,quod, quae neceſſaria ſunt, ſunt etiam probabilia, quamuis non contra. neque enim,quidquid eſt probabile, id continuo neceſſarium eſt,itaque ſub probabili continetur etiam neceſſarium. Probabilia autem ſunt, ut ait Ariſtoteles primo lib.Top.& Rhetor. quae probantur aut omnibus,aut pluribus,aut certe ſapientibus, atque iis, uel omnibus,uel plurimis,uel iis, quorum ſpectata eſt, & perſpecta ſapientia. quoniam autem orator probabilia fere tantum ſectatur, ideo Cicero in prooe.de orat.alibi ſcribit, omnem dicendi rationem in medio poſitam,communi quodam in uſu, ait, que in hominum more, & ſermone uerſari, & uitium eſſe maximum in dicendo a uulgari genere orationis, atque conſuetudine communis ſenſus abhorrere.

C I C E R O

C. F. Quomodo igitur duo genera iſta diuidis? C. P. Quae ſine arte putantur, ea remota appello, ut teſtimonia. C. F. Quid inſita? C. P. Quae inhaerent in ipſa re.

E X P L A N A T I O

HAEC eſt prima locorum, ſiue argumentorum diuiſio, quae ab Ariſtotele tradita, ſicut ait Quinctilianus, lib. 5. cap. 38.conſenſum fere omnium meruit, alia eſſe argumenta, quae extra dicendi rationem acciperet orator,alia quae ex cauſſa traheret ipſe,& quodammodo gigneret,atque hac de cauſſa,priora illa uocat Ariſtoteles atechna, ideſt artis experta, ſicuti Cicero interpretatur, idemq. ſaepe remota nominat. poſteriora dicuntur ab Ariſtotele entechna, ideſt artificioſa, Cicero uocat inſita, quoniam haerent in ipſa re. Sed,ut haec diuiſio melius intelligatur,ſciendum eſt, ea,quibus orator utitur ad probandum, aut ab ipſo excogitari & inueniri; aut extrinſecus aſſumi. quae ab oratore excogitantur, neceſſe eſt, ut rei, de qua agitur, inhaereant; neque enim rem probare poſſent, ſi ab ea penitus diſcreparent, ideo uocantur inſita, uel inhaerentia, uel artificioſa, ut definitio, partium enumeratio, genus, forma, & reliqua. Quae autem extrinſecus aſſumuntur, ea maxime ex auctoritate ducuntur, & in teſtimoniis poſita ſunt. nam Cicero & hoc in loco, & in Topicis, teſtimonium uocat, omne id, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem, ut praeiudicia, rumores, tormenta, tabulae, iuſiurandum, teſtes. quoniam igitur haec orator non ipſe excogitat, ſed extrinſecus oblata ſibi aſſumit, & tractat, ideo remota dicuntur, & artis expertia, non quia ſumma arte tractari non debeant, ſed quia ab oratoris arte non inueniuntur. alioqui ſummis eloquentiae uiribus indignẽt, quoniam in eis pars maxima forenſium contentionum conſiſtit, ut Quinctilianus teſtatur. DVO *genera.*] Atqui,ſi proprie loqui uolumus, haec non duo genera ſunt, ſed duae locorum, uel argumentorum differentiae. nam in eo differt a teſtimonio definitio, quod teſtimonium remotum eſt, definitio uere inſita.ſicut homo differt a bellua, quod homo particeps eſt rationis, bellua uero expers. uerum Ariſtoteles 1.Topic.differentiam generi aſſociat, ſicut etiam ſpeciem mediam, uel, ut dialectici uocant, ſubalternam. quoniam differentia non aliter atque genus multas ſaepenumero ſpecies complectitur. ut terreſtre, uolucre, aquatile,quae ſunt animalium differentiae, multas ſpecies continent. hac de cauſſa fit, ut & a Cicerone, & a reliquis bonis auctoribus ipſae differentiae frequentiſsime genera uocentur. DIVIDIS.] Proprie locutus eſt, & melius,quam ſi dixiſſet,*Partiris*, quoniam generis diſtributio in ſpecies, uel differentias, non proprie dicitur partitio, ſed diuiſio, ut initio docuimus, cum interim partitio proprie ſit, totius in partes diſtributio. SINE *arte putantur,*] Scite addidit uerbum illud, *Putantur*, quia re uera non ſunt ſine arte. quamuis enim orator

ea non

ia non inueniat, tamen ſumma cum arte tractare ſolet, & ſaepe in utramque partem, unde loci communes a teſtibus,& contra teſtes, a tabulis,& contra ta bulas,a quaeſtionibus,& contra quaeſtiones. quas aliquando Cicero diuinitus tractat, ut pro L.Flacco totam Graecorum nationem exagitat, quod teſtimoniorum religionem,& fidem nonnumquam coluerit.&Quinctilianus ait,maximum patronis circa teſtimonia laborem eſſe, Domitius Afer ſatis egregius orator duos libros de teſtimoniis conſcripſiſſe dicitur. quae uel per tabulas dicuntur, uel a praeſentibus, quae per ſcripta, uel tabulas dantur, ea uocantur a Graecis ſurda teſtimonia, uel muta, ut in Prouerbiis notatum eſt.

C I C E R O

C. F. *Et teſtimoniorum quae ſunt genera?* C. P. *diuinum,& humanum: diuinum, ut oracula, ut auſpicia, ut uaticinationes, & reſponſa ſacerdotum, haruſpicum, coniectorum.*

E X P L A N A T I O

QVAERI poteſt, cur hoc loco Cicero prius de remotis argumentis tractet, quam de inſitis, cum in Topicis alium ordinem ſecutus ſit? nam ibi prius rationem eorum expoſuit, quae inſita ſunt, deinde ad remota aggreſſus eſt. ſed ſciendum eſt, in artibus tradendis duplicem eſſe methodum; alteram, qua progredimur a propioribus,& uicinioribus, ad ea, quae remotiora ſunt, ut Philoſophi naturales, qui per ea, quae ſenſibus ſubiecta ſunt, paullatim ſeſe erigentes, ſpecies,& genera rerum,& denique ipſas cauſſas uenãtur; alterã, qua incipientes a remotioribus, quodam ordine reuertimur ad ea, quae propiora ſunt, & uiciniora. ut Theologi, qui de Deo loqui incipiunt,& paullatim ad res ab ipſo Deo cõditas,& ad ea, quae ſenſibus ſubiiciuntur, deſcendunt. atque ideo Philoſophis, & Theologis fortaſſe ordinem ſuum in docendo mutare non conuenit; reliqui uero artifices, ut rhetores,& dialectici ſuo arbitrio, prout commodius uidetur, uel hanc, uel illam methodum ſequuntur, non eandem ſemper. quare non mirum eſt, ſi Cicero nequaquam hoc loco ſecutus eſt eundem ordlnem, quem in Topicis. Diuidit igitur teſtimonium in duo genera, hoc eſt diuinum, & humanum: ac prius diuinum teſtimonium in ſuas partes diſtribuit, quas ſex enumerat, oracula, auſpicia, uaticinationes, reſponſa ſacerdotum, haruſpicum, cõiectorum; deinde ad humanum tranſit. haec autem duo teſtimoniorum genera perquam ſcite Lucanus in 1. lib. tangit, cum ita inquit.

Quis iuſtius induit arma.
Scire nefas homini, magno ſe iudice quiſque tuetur.
Victrix cauſſa Deis placuit, ſed uicta Catoni.

Inter diuina teſtimonia primo loco ponuntur oracula, quae ex eo ipſo ſunt appellata, ſicut ait in Topicis Cicero, quod ineſt eis deorum oratio. ut ſi quis probaret Socratem omnium eſſe ſapientiſsimum, quod Apollinis oraculum talem eum eſſe dixerit. magnam autem antiqui fidem oraculis habebant,& iis praecipue, quae ab Apolline reddebantur. unde, quae ueriſsima uideri uolebant, oraculis comparabant: Cicero ad Brutum, Haec ex oraculo Apollinis Pythij, edita tibi puta. Terentius:

Non Apollinis magis uerum, atque hoc reſponſum eſt.

huic ſimile eſt illud, quod ait Iuuenalis,

Credite me uobis folium recitare Sibyllae.

nam ſibylla, ut M. Varro teſtatur, in foliis palmarum ſolebat oracula ſcribere. Virgilius lib. 3. Aeneid.

Inſanam uatem ſpecies quae rupe ſub ima
Fata canit, foliisq. notas, & nomina mandat.

Plato in Phaedro, atque in Timaeo magni facere uidetur oracula, cum ait, ea de diuinis affirmanda eſſe, quae oracula comprobarunt. Cicero primo de Diuinatione tradit Graecos nullam unquam coloniam miſiſſe ſine Pythio, aut Dodonaeo, aut Hammonis oraculo. Sed oracura pleraque, ambigua, atque obſcura reddebantur, ut illud Croeſo Regi datum fuiſſe ſcribit Herodotus,

Croeſus Halym penetrans magnam peruertet opum uim.

hoſtium uim ſeſe peruerſurum putauit, (inquit Cicero,) peruertit autem ſuam,& illud quod Pyrrho datum ſcribit Ennius,

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe.

quin etiam quoddam genus ſomnij dicitur oraculũ, ut Macrobius ſcribit, quando in ſomnis parens, uel alia grauis perſona, ſeu ſacerdos, aperte euenturum, quid, aut non euenturum denunciat. Cicero de Diuinatione ſecundo uehementer oraculorum fidem labefactat. ſic enim ait, Demoſthenes quidem, qui abhinc annis prope trecentos fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, ideſt, quaſi cum Philippo facere. hoc autem eo ſpectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret. ex quo licet intelligi in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non ſinceri fuiſſe. nos oraculorum uice poſſumus ad probandum afferre, quaecumque in ſacris litteris diuina uoce, atque in Euangeliis a Chriſto Domino pronunciata ſunt. quod argumẽti genus apud Chriſtianos firmiſsimũ eſſe debet. VT *auſpicia.*] Secundũ genus diuini teſtimonij cõtinetur auſpiciis, ſiue auguriis, quorũ apud Romanos maxima erat cura, quoniã Romulus auſpicato dicitur urbem condidiſſe; atque ẽt ipſe augur fuiſſe.

quocirca deinceps iidē erāt Reges,& augures, & Collegiū augurū ſummo in honore fuit Romae,ita ut patricij, & Principes Ciuitatis in illud Collegiū cooptari magna cū ambitione conarentur. ac primo quidē tres tantū fuere, deinde numerus auctus, donec ſenatuſconſulto cautum fuit, ne ultra nouē eſſent augures. ſed L. Sylla dictator huic numero quindecim adiecit, itaque poſtea uigintiquattuor fuerunt. mittebatur autem in Etruriam adoleſcentes principium filij, ut artem augurandi perdiſcerent, quoniam in ea plurimum excellere Etruſci putabantur, ut Val. Max. ſcribit. tribus autem modis auguria captabantur, primo ab adſpectu auium, quae praepetes, & anoſcines dicebantur, & id proprie auſpicum erat, ab auibus adſpiciendis dictum. ut Romulus, cum urbem conderet, duodecim uultures adſpexiſſe perhibetur; ſecundo a cantu, & auium, quae oſcines uocabantur, & hoc eſt proprie augurium, ſic ab auium garritu nominatum; tertio a paſtu pullorum, qui cauea incluſi tenebantur, & id tripudium Solliſtimium dicebatur. Augurum etiam erat de caelo ſeruare, fulmina, tonitrua, tempeſtates procurare, magiſtratibus obnunciare, cum de caelo ſeruatum eſſet. his rebus tamquam oraculis, & diuinis teſtimoniis credendum putabant. Cicero 1. de diu. Cilicum, inquit, & Piſidarum gens, & his finitima Pamphilia uolatibus auium, cantibuſq. certiſsimis ſignis declarari res futuras putant. idem in M. Antonium uehementer inuehitur, quod artem augurandi prorſus ignoraret, & ementitus eſſet auſpicia. Hector apud Homerum lib. 12. Iliad. contemnit auguria, atque ait ſe nolle aues curare utrum ad dextram, an ad laeuam uolent, quoniam unum tantum eſſet optimum augurium, pro patria pugnare, cuius ſententiam expreſsit Q. Fabius Max. ut eſt apud Ciceronem in lib. de ſenect. is enim cum eſſet augur, dicere auſus eſt, optimis auſpiciis ea geri, quae pro ſalute reipub. fierent, quae contra rempub. ferrentur, contra auſpicia ferri. Cicero 2. de leg. tamen ſic ait, Maximum autem, & praeſtantiſsimum in rep. ius eſt augurum; & alio loco ſcribit, Augures Iouis Opt. Max interpretes, internunciosq. conſtitutos eſſe. quod ex duodecim tabulis ſumpſit, ubi erat ea lex. Interpretes autem Iouis Opt. Maximi publici augures ſignis, & auſpiciis poſtera uidento, diſciplinam tenento. nos Chriſtiani auſpicia omnia negligenda eſſe cenſemus. VT *uaticinationes*.) Tertium genus a uatibus ducitur. nam quae uates praedixiſſent diuina eſſe teſtimonia ceſebant. unde libros Sibyllinos Romani frequenter adibant, quod Sibyllam uatem fuiſſe optimam acceperant. Cicero 2. de Nat. Deorum, Multa, inquit, ex Sibyllinis uaticinationibus, multa ex haruſpicum reſponſis commemorare poſſum. Erat autem apud uetere firma opinio quoſdam homines, diuino furore afflatos, futura praeuidere, qui uates dicebātur: qualis ille Proteus, de quo ita Virgilius 4. Georgicor.

> Nouit namque omnia uates,
> Quae ſint, quae fuerint, quae mox uentura trahantur.

talis fuit etiam Chalcas apud Homerum, & Melampus, de quo ita Plinius, Melampodis fama diuinationis artibus nota eſt, & Tages, de quo Ouidius, ſic ait:

> Indigne dixire Tagem, qui primus Etruſcam
> Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Multi etiam alij tamquam uates optimi celebrantur. huc referuntur etiam prodigia, ut Platoni infanti apes mella in os intulerunt, quod diuinae eloquentiae prodigium fuit. & Midae paruulo formicae grana tritici in os congeſſerunt, quod maximas eius futuras diuitias ſignificauit. & monſtra, ut cum in exercitu Xerſis equa leporem peperit, quod Regis turpem fugam portendit. Chaldaeorum etiam, & Aſtrologorum praedictiones referuntur ad uaticinationes. Cicero lib. epiſt. fam. 6. ad Caecinam ſcribens docet, ex prudentia, & uſu rerum ſaepe homines futura ſolere uaticinari; cum ita ait: Si te ratio quaedam Etruſcae diſciplinae, quam a patre nobiliſsimo, atque optimo uiro acceperas, non fefellit, nec nos quidem noſtra diuinatio fallet, quam tum ſapientiſsimorum uirorum monumentis, atque praeceptis, plurimoque, ut ſcis, doctrinae ſtudio, tum magno etiam uſu tractandae reipub. magnaq. noſtrorum temporum aetate conſecuti ſumus: cui quidem diuinationi hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in his tam obſcuris rebus, tamq. perturbatis umquam omnino fefellit. & paullo poſt, Quare, quando, ut Augures, & Aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus ex meis ſuperioribus praedictis conſtitui apud te auctoritatem augurij, & diuinationis meae, debet habere fidem noſtra praedictio. Solon orientem tyrannidem multo ante proſpexit; Thales Mileſius omnē oleam, antequā florere coepiſſet, in agro Mileſio coemiſſe dicitur. animaduerterat enim quadam ſcientia olearum ubertatem fore; ſed tales uiri, non uates, neque diuini, ſed prudentes, ideſt prouidentes dicuntur, ut Q. Ciceroni lib. 5. de diuin. placet. Ariſtoteles Eudaemiorum ſeptimo, prudentum ait, & ſapientum hominum celerem eſſe diuinationem, & eos ſolos diuinere. unde Cicero lib. 2. docet illum uerſiculum uulgo celebratum olim fuiſſe,

> Qui bene coniiciet, uatem hunc perhibebo optimum.

Erant olim uates in ſummo pretio, ut Chalcas ille, quem Homerus ſcribit Graecorum nauibus propter diuinandi ſcientiam praefectum fuiſſe. RESPONSA *ſacerdotum*.] Quartum genus diuini teſtimonij ducitur a ſacerdotum auctoritate. Nam Romani ueteres ius ſuum pontificium, & ſacras ſuas litteras habebant, quas ſacerdotes interpretabantur, & eis credendum eſſe cenſebant. cuius rei perſpi cuum exemplum eſt apud Ciceronem 1. ad Lentulum de Sibyllini carminis interpretatione. multa uero librorum genera habebant, ex quibus in rebus dubiis ſacerdotes periti conſulta dabant; erant Sibyllini, quos Tarquinio Priſco ipſa Sibylla dediſſe traditur. erant libri lintei, de quibus T. Liuius frequenter meminit. erant pontificij, erant haruſpicini, fulgurales, rituales, augurales, de quibus Q. Cicero 1. de diuinat. mentionem facit. His litteris ſacerdotes ſtudebant, & quae ad religionem ſeruandam pertinerent, populo nunciabant.

HARV-

Harvspicvm.] Quinctũ genus ab Hauriſpicibus. erant autẽ Haruſpices, qui, caeſis uictimis, in ara diligenter exta conſiderabant, & quid boni, uel mali portenderent, imperatori, uel populo ſignificabant. eorũ ars Haruſpicina dicebatur. Cicero 2. de diuinat. Vt ordiar, inquit, ab haruſpicina, quam ego reipub. cauſſa communisq. religionis colendam cenſeo. exſtat oratio luculenta Ciceronis de reſponſis haruſpicum, in qua docte, & copioſe, quae dicta fuerant ab haruſpicibus, interpretatur. & tertia in Catilinam actione docet, quanti facerent Romani haruſpicum reſponſa. ſic enim ait, Quo quidem tempore haruſpices ex tota Etruria conueniſſent caedes, atque incendia, & legum interitum, & bellum ciuile, ac domeſticum, & totius urbis, imperij occaſum appropinquare dixerunt, niſi dij immortales omni ratione placati ſuo numine prope fata ipſa flexiſſent. itaque illorum reſponſis, tunc, & ludi decem per dies facti ſunt, neque res ulla, quae ad placandum deos pertineret, praetermiſſa eſt. ſaepe etiam impedimento erant haruſpices, ne bellum ſuſciperetur, & ne quid publice ageretur, ut Virgilius 8. Aeneid.

Retinet longaeuus haruſpex.
Fata canens,

itaque caeſa hoſtia, ſi litatum non fuiſſet, ſacrificium inſtaurabatur, neque ullum negotium aggredi audebant, priuſquam litatum eſſet, & exta ſecunda apparuiſſent. Virgilius de Didone:

Inſtauratq. diem donis pecudumq. recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

Donatus in Phormione Terentij ſcribit haruſpices dictos ab haruga, hoc eſt uictima. porro harugam dictam eſſe ab hara, ideſt ſtabulo, in quo clauſa conſeruabatur ad ſacrificium. multa uero ſunt in hiſtoriis exempla eorum, quae haruſpices praedixerunt, ſed illud maxime memorabile, quod Suetonius de Spurina haruſpice memorat. Is enim Caeſarem admonuerat, ut Idus Martias tamquam pernicioſas, & uitae periculum minitantes euitaret; cum autem idus Martiae ueniſſent, Caeſar irridens ipſum Spurinam, eiuſq. ſcientiam dixit; Ecquid ſcis o Spurina idus Martias ſine ulla mea noxa ueniſſe? cui Spurina reſpondit, Ecquid ſcis Caeſar idus Martias nondum praeteriiſſe? at uero paullo poſt Caeſar a coniuratis eo ipſo die in ſenatu trucidatus eſt. Quamuis autem haruſpices non eſſent in tanto honore, ac pretio, quanto augures, tamen honores adipiſcebantur, & in ſenatum legebantur. quod Cicero lib. 6 ep. ad Leptam ſcribens, ita oſtendit, neque enim erat ferendum, cum qui hodie haruſpicinam facerent, in Senatu Romae legerentur: eos, qui aliquando praeconium feciſſent, in municipiis decuriones eſſe non licere. Coniectorvm.] Sextum & ultimum genus diuini teſtimonij ſumitur a coniectoribus, & interpretibus ſomniorum. putabat enim antiquitas a Ioue ſomnia mortalibus immitti, quae ſub inuolucris, & integumentis quibuſdam futura ſignificarent. unde Homerus 2. Iliadis Graece in hanc ſententiam dixit, Etenim ſomnium ab Ioue eſt. Cicero 2. de diuinat. narrat hanc hiſtoriam, Defert ad coniectorem quidem ſomniaſſe ſe ouum pendere ex faſcia lecti ſui cubicularis, reſpondit coniector theſaurum defoſſum eſſe ſublecto, fodit, inuenit auri aliquantum, idq. circumdatum argento. miſit coniectori quantum uiſum eſt de argento, tum ille, nihil ne de uitello? ſed etiam multa exempla ſomniorum Q. Cicero lib. 1. de diu. colligit, quorum exitus mirabiles exſtiterunt. Eſt apud Platonem Socrates, cum eſſet in cuſtodia publica, dicens Critoni ſuo familiari, ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum, uidiſſe ſe in ſomnis pulchritudine eximia feminam, quae ſe nomine appellans diceret Homericum quendam eiuſmodi uerſum;

Tertia te Phthiae tempeſtas laeta locabit,

Quod, ut eſt dictum, ſic ſcribitur contigiſſe.
Xenophon Socraticus in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus eſt, ſua ſcribit ſomnia, quae ueros exitus habuerunt. Ariſtoteles uir ab omni ſuperſtitione remotiſsimus, putat in ſomnis homines ſaepe futura praeuidere. ſcripſit apud Graecos Artemidorus de ſomniorum interpretatione libros quinque ſane perquam eleganter, & polite. Sed haec in praeſenti miſſa faciamus.

CICERO

Hvmanvm, *quod ſpectatur ex auctoritate, & ex uoluntate, & ex oratione aut libera, aut expreſſa: in quo inſunt ſcripta, pacta, promiſſa, iurata quaeſita.*

EXPLANATIO.

Secvndvm genus teſtimonij uocatur humanum, quoniam eius uis tota pendet ab hominibus, hoc autem a tribus quaſi fontibus naſcitur, hoc eſt, ab auctoritate, a uoluntate, & ab oratione. Sed oratio duplex eſt, aut libera, cum ſua ſponte quis loquitur, aut expreſſa per uim, cum quis inuitus aliquid fateri cõpellitur. ſub oratione quinque ſpecies continentur, hoc eſt, ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quaeſita. de quibus ſingulis accurate poſtea diſſeremus. nunc de auctoritate uideamus, quae in teſtimoniis humanis maximam fidem, & uim habere ſolet, unde Cicero, cum aliquem teſtem commendare uult, eum ab auctoritate, fide, religione plurimum laudat, ut pro Archia poeta, Adeſt uir ſumma auctoritate, & religione, & fide L. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed uidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. hoc eſt, quod affirmat Cicero 2. lib. Tuſcul. auctoritatẽ in omnibus cauſis & debere, & ſolere plurimum ualere. ſpectatur autem in eo potiſsimum auctoritas, ſi quid uiſum ſit eruditis. nam unicuique credendum eſt in

arte ſua ſapientibus, qui magnam rerum omnium cognitionem habent probis & fide dignis hominibus, qui nequaquam mentiri ſolent. Itaque multa confirmantur auctoritatibus ſapientiſsimorum hominum, ut Platonis, Ciceronis, Ariſtotelis. cum enim de aliqua re diſceptamus, ſi probare poſſumus id Platoni, uel Ariſtoteli placuiſſe, ſaepenumero tollitur omnis dubitatio. ita Pythagorae diſcipuli, ſatis ſe probaſſe putabant id, de quo ambigebatur, ſi potuiſſent illud afferre. IPSE *dixit.*] Ipſe uero Pythagoras erat; neque tantum ſapientes, ſed etiam artifices omnes in artibus ſuis auctoritatem habent ad probandum, & eorum dicta pro teſtimoniis adducuntur, ut ſic aiunt Geometrae, ſic Muſici, ſic Medici, Dialectici, ſic Agricolae. atque ita de reliquis. Cicero libro ſecundo de diuin. inquit, Docet enim ratio Mathematicorum, quanta humilitate luna feratur, terram paene contingens; & in Academicis, Solem Mathematici amplius duodeuiginti partibus confirmant maiorem eſſe, quam terram; Errare me hercule malo cum Platone, 1. Tuſculanar. quam cum iſtis uera ſentire. neque tantum artes, & ſcientiae, ſed etiam uſus & experientia magnam auctoritatem habet ad perſuadendum. plerumque enim creditur iis, qui experti ſunt. unde apud Virgilium ita Diomedes ait:

Experto credito, quamuis,
In Clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam.

Praeterea quae uiſa ſunt gentibus, populis, nationibus, auctoritatem habent, ut Lucilius Balbus, apud Ciceronem lib. 5. ideo probat eſſe deos, quia nulla gens eſt tam barbara cuius mentem non imbuerit deorum religio. Quinctilianus ſic ait, An uero me de incommodis uitae differentem, non adiuuabit earum perſuaſio nationum, quae fletibus natos, laetitia defunctos proſequuntur? aut ſi miſericordiam commẽdabo iudici, nihil proderit, quod prudentiſsima ciuitas Athenienſium non eam pro affectu, ſed pro numine accepit? Nam illa ſeptem praecepta ſapientum, nonne quaſdam uitae leges exiſtimamus? Si cauſſam ueneficij dicat adultera, non Marci Catonis iudicio damnata uideatur, qui nullam adulteram non eandem eſſe ueneficam dixit. Iam ſententiis quidem poetarum non orationes modo ſunt refertae, ſed libri etiam philoſophorum, qui quamquã inferiora omnia praeceptis ſuis ac litteris credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis uerſibus non recuſarunt. Neque eſt ignobile exemplum, Megaraeos ab Athenienſibus, cum de Salamine contenderent, uictos Homeri uerſu, qui tamen ipſe non in omni editione reperitur, ſignificans Aiacem naues ſuas Athenienſibus iunxiſſe. Ea quoque, quae uulgo recepta ſunt, hoc ipſo, quod incertum auctorem habent, uelut omnium fiunt. quale eſt:

Vbi amici, ibi opes. Et conſcientia mille teſtes.

& apud Ciceronem, Pares autem, ut eſt in ueteri prouerbio, cum paribus facillime congregantur, neque enim duraſſent haec in aeternum, niſi omnibus uera uiderentur. In ſenibus etiam, quia longo uſu periti putantur, magna eſt auctoritas, ut Latinus apud Virgilium 7. Aen.

Atque equidem memini, fama eſt obſcurior annis,
Auruncos ita ferre ſenes, his ortus ut oris.
Dardanus ideas Phrygiae penetrarit ad ad urbes.

Principes etiam uiri diuiteſq. ſibi auctoritatem uindicant. quo fit, ut eorum teſtimonia magni ponderis aeſtimentur. Non recte fortaſſe, inquit Cicero. ſed uulgi opinio mutari uix poteſt. Quin acutum ingenium ſolet auctoritem habere. nam ingenioſos putant eſſe dignos, quibus fidem adhibeant. Sed omnium maximam auctoritatem probitas, & uirtus complexa eſt. quis enim probis, & magna uirtute praeditis hominibus non facile credit? hoc eſt quod ſcribit Cicero, 2. de offic. Iuſtis & fidis hominibus, ideſt uiris bonis ita fides habetur, ut nulla in his fraudis ſit, iniuriaeq. ſuſpicio. & paullopoſt, Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici poteſt. ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam. haec eſt cauſſa, cur Cicero quoties teſtes in iudicium adducit, eos honeſtos, & probos uiros eſſe oſtẽdat; quibus uero fidem adimere uult, leues, improbos eſſe dicat. Ex *uoluntate*.] Voluntas & uiuorum & mortuorum hominum ſaepe primo teſtimonio ualet. eſt autem uoluntas (ut ait Cicero) quae aliquid cum ratione deſiderat. differt a cupiditate, quae ſine ratione eſt. mortuorum uoluntas ex teſtamentis, & ſcriptis maxime cernitur. unde iuriſconſulti teſtamenta uocant extremas uoluntates, quae pro teſtimonio ſaepiſsime proferuntur. cum ergo ex mortui uoluntate quaerimus teſtimonium, inueſtigandum eſt, quid dixerit, quid fecerit, quid mandarit, quid ſcripſerit, cui ſententiam ſuam communicarit, & ſi quae ſunt eius generis. Sic Clodius teſtimonium uoluntatis ſuae dederat, cum Fauonio fortiſsimo uiro, quaerenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone uiuo, reſpondit triduo illum, ad ſummum quatriduo periturum. ſic accuſator Roſcij Amerini Erucius a facto patris uoluntatem eius, & odium in filium conatus eſt oſtendere, quod filium in praedia ruſtica relegarat, & quod eum exheredare cogitabat. Viuentium uoluntas eodem modo cernitur ex dictis, ex factis, ex mandatis, ex ſcriptis. ſic dicta Catilinae, & mãdata, ut Cicero cõſul interficeretur, coniurationis teſtimonium fuere. ſic litterae Lentuli, atque Cethegi uoluntatis eorum apertiſsima fuerunt teſtimonia. Cicero pro Milone uoluntatem ex factis ita probat: Dederas enim, quam contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima. *Ex oratione*.] Oratio duplex eſt, aut libera, aut expreſſa. uel enim ſponte dicuntur teſtimonia, uel coacte, quae ſponte dicuntur, ea libera uocantur; quae coacte, expreſſa. in utroque genere magnus oratori labor, ſiue ea confirmare uelit, ſiue refutare, ut Quinctilianus ait. Porro libera oratio, uel incerto auctore uagatur, ut rumor, fama; uel certũ habet auctorem, ut praeiudiciũ, & praeſentia dicta, & tabulae, & iuſiurandum. rumor ſiue fama, uulgi & multitudinis teſtimonium a Cicerone uocatur in Topicis. hinc locus communis a rumoribus, & contra rumores. nam, ſi quis rumorem uelit defen-

dere,

dere,& approbare,dicet non eum temere naſci ſolere,quin ſubſit aliquid,&uelut publicum eſſe teſtimonium. nam Heſiodus dixit famam non omnino uanam eſſe, aut prorſus interire,quae in ore multorum fuerit,quoniam etiam ipſa dea quaedam eſt. cuius carmina Demoſthenes contra Aeſchinem citat, & Ariſtoteles lib.7. Ethic.contra rumorem, ſi quis dicat eum eſſe ſermonem, cui malignitas initium dederit, incrementum, credulitas; & ait Quinctilianus, aut in arbitrio cuiuslibet eſſe falſum aliquem rumorem confringere etiam contra uiros honeſtiſsimos, & innocentiſsimos. Praeiudicium plurimum uale, ſit iam de eadem cauſſa iudicatum eſt, aut de pari, aut de ſimili, aut ſi iudices iam ſententiam ſuam, priuſquam iudicent, patefecerint, ut in Milonem dicebant aduerſarij tribus praeiudiciis eum iam eſſe damnatum. nam primo negabant intueri lucem fas eſſe ei, qui a ſe hominem occiſum eſſe fateretur; ſecundo aiebant,caedem, qua P.Clodius occiſus erat, ſenatum iudicaſſe contra rempub. eſſe factam; tertio dicebant Cn. Pompeium rogatione ſua, & de re,& de cauſſa iudicaſſe. quae omnia ſigillatim, & accurate Cicero confutat. Idem pro A. Cluentio iudices deprecatur,ne praeiudicia contra Cluentium ualeant, Primum, (inquit,) id quod aequiſsimum eſt, poſtulo, ut nequid huc praeiudicati afferatis. etenim non modo auctoritatem, ſed etiam nomē iudicum amittemus,niſi hic ex ipſis cauſsis iudicabimus,ac ſi ad cauſſas iudicia iam facta domo deferemus. Praeſentium dicta confirmantur eorum, qui dicunt, auctoritate, fide, religione, ut ſupra iam dictum eſt. Expreſſa oratio neceſsitatem habet, de qua ita Cicero in Topicis: Facit etiam neceſsitas fidem, quae tum à corporibus, tum ab animis naſcitur. nam & uerberibus torti, & igni fatigati,quae dicunt,ea uidetur ueritas ipſa dicere,& quae a perturbationibus animi ſunt,dolore,cupiditate,iracundia,metu,quia neceſsitatis uim habēt, afferunt auctoritatē,& fidē.cuius generis ēt illa ſunt,ex quibus nōnūquā uerū inuenitur,pueritia,ſomnus,imprudentia,uinolentia,inſania.nam & pueri ſaepe iudicauerunt aliquid,ad quod pertineret,ignari;& per ſomnum, uinum, inſaniam multa ſaepe patefacta ſunt. multi etiam in res odioſas imprudentes inciderunt, ut Staleꝛio nuper accidit, qui ea locutus eſt, bonis uiris ſubauſcultantibus, pariete interpoſito, quibus patefactis, in iudiciumq. prolatis rei capitalis iure damnatus eſt. Sub oratione continentur quinque ſpecies, ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quaeſita. ſcripta magnam uim habent ad probandum, cum tabulae proferuntur, uel chirographa, uel ſyngraphae, uel epiſtolae, quae rem incertam ſaepiſsime confirment, quamuis etiam contra tabulas, ut ait Quinctilianus, ſaepe dictum ſit, & ſaepe dicendum, cum eas non ſolum refelli, ſed etiam accuſari ſciamus eſſe uſitatum. Cicero pro Archia poeta commendat eas tabulas, quibus Archias profeſſus fuerat. ſic enim ait, Immo uero iis tabulis profeſſus eſt, quae ſolae ex illa profeſsione collegioq. praetorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Ariſtoteles docet quibus rationibus, & pro ſcriptis, & contra ſcripta dicere poſsimus. nam maior pars eorum, quae homines inter ſe contrahunt, & ſua ſponte faciunt, ſcriptis continetur. itaque ſi quis ſcripta tollat, omne commercium hominum e uita auferetur. Pacta uel in ſcripto, uel ſine ſcripto eſſe poſſunt, ea Cicero libro 2. de inuentione iure conſuetudinis contineri putat, & ita definit; Pactum eſt, quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iuſtum putatur,ut iuri praeſtare dicatur. quibus ex uerbis intelligitur quanta uis pactorum ſit,ut etiam legibus praeſtent. quod etiam Cornificius ad Herennium libro ſecundo ſic affirmat, Sunt item pacta, quae ſine legibus obſeruantur ex conuentu, quae iuri praeſtare dicuntur. Si tamen pacta contra leges fuerint, nullam omnino uim habent, quod Antoninus Imperator ita Baſilicae reſpondit; Pacta, quae contra leges, conſtitutioneſque, uel contra bonos mores fiunt, nullam habere uim, indubitati iuris eſt. quo in loco multa ſubtiliter, & ingenioſe de pactis Alciatus noſter diſputat. PROMISSA.] differunt a pactis, quod promiſſum debilius eſt, & unius tantum hominis eſſe poteſt; pactum eſt ualidus, & ſemper inter plures eſt, qui ſe fatetur promiſiſſe, contra ſeipſum teſtimonium dicit, niſi uel metus, uel doli mali exceptionem opponat. Cicero lib.3.de offic. diſputat, & exemplis probat, non ſemper promiſſa eſſe ſeruanda. idem,Scelerum (inquit) promiſsio, & iis,qui exſpectant,pernicioſa eſt, & iis, qui promittunt. Idem, iam illis promiſsis non ſtandum eſſe, quis non uidet, quae coactus quis metu, aut deceptus dolo promiſerit, quae quidem pleraque iure praetorio liberantur, nonnulla legibus. IVRATA.] Cicero quodam loco ita ſcribit; Sed in iureiurando non qui metus, ſed quae uis ſit, debet intelligi. Eſt enim iuſiurandum affirmatio religioſa, quod autem affirmate quaſi deo teſte promiſeris, id tenendum eſt. iam enim non ad iram deorum, quae nulla eſt, ſed ad iuſtitiam, & fidem pertinet. nam praeclare Ennius.

O fides alma, apta pinnis, & iuſiurandum Iouis.

Qui igitur iuſiurandum uiolat, is fidem uiolat, quam in Capitolio uicinam Iouis Opt.Max.ut in Catonis oratione eſt, maiores noſtri eſſe uoluerunt. Ariſtoteles in extremo. 1.lib. Rhetor. multa uerba de iureiurando facit, & docet quomodo in cauſis tractari debeat, & Quinctilianus libro quincto ait; Monent tamen nos rhetores, ne facile iuſiurandum aduerſariis deferamus. nam ſi fuerint improbi, facile peierabunt. Apud Graecos tria iuriſiurandi genera traduntur, primum quod affirmandi gratia ſponte ſuſcipitur; alterum, quod infitiandi gratia, & tertium,cum quis non ſponte, ſed inuitus iurare cogitur. Graeci poſt teſtimonij dictionem ad aras iurandi gratia accedebant.quod cū facere uellet Xenocrates (lib. 1. ad Att.) a Iudicibus prohibitus eſt. illi enim iniurato magis, quam ceteris iuratis ſe credere dixerunt. QVAESITA.] Quaeſtiones, ait Ariſtoteles,teſtimonia quaedam ſunt, quae uidentur ea de cauſſa fidē facere, quia neceſsitas quaedā eis ineſt. nam quae ſunt extorta uel minis,uel pollicitationibus,uel cruciatu,uidetur ueritas ipſa dicere. Apud Romanos ſerui tantum inueniendi ueri gratia torquebantur, non autem liberi, ſed apud Athenienſes, & Rhodios etiam liberi,ſicuti noſtro quoque tempore.Sed,qua ratione quaeſtiones tractentur,infra ſuo loco dicetur.

CICERO

C. F. Quae ſunt, quae dicis inſita? C. P. Quae infixa ſunt rebus ipſis tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex ijs rebus, quae quodammodo affectae ſunt ad id, de quo quaeritur, & ad id totum, de quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio uerbi.

EXPLANATIO

LOCOS, qui inhaerent in ipſa re, alij aliter diuiſerunt. nos Ciceronem ſequimur, qui ubique ſibi ipſe
conſentit. Nam & in ſecundo de oratore, & in Topicis, & hoc in loco eandem ſequitur diuiſionem.
Quatuor (inquit) genera ſunt locorum, quae dicuntur inſita, totum, partes, notatio, res affectae. Sed ad
totum adhibetur definitio, partium enumeratio, notatio uerbi. Quare bimembris diuiſio fieri poteſt hoc
modo: Locorum inſitorum alij ſunt in toto, alij ſunt affecti ad totum. prius de iis, qui ſunt in toto, uerba fa-
ciemus, poſtea de aliis. Totum uocamus rem uniuerſam, de qua uerba facturi ſumus, cuius primo quaere-
re definitionem debemus, deinde partes, tum nominis uim, & originem, poſtremo eas res, quae quodam-
modo ſunt affectae ad id, de quo quaeritur. primus igitur omnium locus eſt definitio. ideo uiri docti praeci
piunt, ut, cum aliquid tractare uolumus, a definitione ſemper incipiamus. ſic enim Cicero libro primo de of-
fic. Omnis, quae a ratione ſuſcipitur de aliqua re, inſtitutio debet a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid
ſit id, de quo diſputatur. Hoc omnes, qui ſcriptis artem aliquam mandant, diligenter obſeruare ſolent. ut
initio rem uniuerſam definiant, deinde partes quaerant, ut Grammatici primo quaerunt quid Grammatica
ſit, deinde partes etiam eius explicant definitione, ut quid ſit littera, quid ſyllaba, quid dictio, quid oratio.
Sic rhetores primo quaerunt, quid ſit Rhetorica, deinde quid ſingulae rhetoricae partes, ut quid inuentio,
quid diſpoſitio, quid elocutio. Merito igitur primus locus definitioni datur, ſine qua nulla res quid ſit intel
ligi poteſt. Laurentius Valla definitionem uocat regium cenſorem, quaeſtoremq. aerarium. quod cuiuſque
rei naturam proprietatemq. explicet. Quaeramus igitur primo quid definitio ſit. Cornificius ad Heren-
nium libro quarto. Definitio eſt, (inquit) quae rei alicuius proprias amplectitur poteſtates breuiter, & ab-
ſolute, hoc modo, Maieſtas reipub. eſt in qua continetur dignitas, & amplitudo ciuitatis. Cicero in To-
picis ita inquit, Definitio eſt, quae id, quod quaſi inuolutum eſt, euoluit. Quinctilianus libro ſepti-
mo. Definitio (inquit) eſt rei propoſitae propria, & dilucida, & breuiter comprehenſa uerbis enunciatio.
talis eſt illa Horatij:

Virtus eſt medium uitiorum utrimque reductum.

& illa Ciceronis; Virtus eſt animi habitus, naturae, modo, rationi conſentaneus. Ex definitione firmiſsima
deducuntur argumenta, ut ſi quis ita colligat, Res quaedam egregia eſt polite, & eleganter dicere, ergo rhe
torica eſt perdiſcenda, quae eſt ars bene dicendi. Cicero pro P.Sextio probat Sextium in numero optima-
tium eſſe hac definitione: Omnes optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furio-
ſi, nec malis domeſticis impediti. Duplex autem eſt definitio, altera nominis, altera rei. Definitio nomi-
nis ipſa eſt etymologia, ſiue notatio, de qua paullo inferius dicemus. Definitio rei conſtat ex genere, & dif
ferentiis, ſiue proprietatibus. Sed aliqui tradunt quinque definitionis ſpecies, quae ſunt omnes ad proban-
dum utiliſsimae. Nam aliqua eſt definitio ſubſtantiae, aliqua cauſſarum, aliqua effectorum, ſiue officiorum,
aliqua partium, aliqua accidentium. Definitio ſubſtantiae illa eſt, qua philoſophi potiſsimum utuntur, quia
rei naturam explicat, & uera eſt definitio, quae conſtat ex genere, & differentiis; ut homo eſt animal ratio-
nis particeps, & morale. animal eſt corpus uiuum, & ſentiens. Linea eſt longitudo ſine latitudine. color eſt
qualitas patibilis, quae ſenſum mouet oculorum. Ab hac huiuſmodi argumenta ducuntur, ſpongia eſt ani-
mal, quia uiuit, & ſentit. rhetorica eſt uirtus, quia animi habitus eſt naturae conſentaneus. dialectica eſt ho-
mini neceſſaria, quia eſt ueri, & falſi diſceptatrix. Oratio noſtra debet eſſe perſpicua, quia mentis eſt inter-
pres. Genus inuenire, quoties aliquid definire uolumus, facile eſt. Sed non ita facile differentias inuenire
poſſumus, quoniam earum paenuria laboramus. ideo frequenter oratores, cum differentias non inueniunt,
accidentium congerie utuntur in definiendo, ut Cicero 1. de legibus hominem ita definit, Homo eſt ani-
mal prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij, praeclara quadam condicione
generatum a ſummo Deo, & M.Antonius 2. de oratore ſic definit hiſtoriam, Hiſtoria eſt teſtis temporum,
lux ueritatis, uita memoriae, magiſtra uitae, nuncia uetuſtatis. ſed haec eſt accidentium definitio, de qua po-
ſtea dicemus. Definitio cauſſarum, uel omnes, uel ſaltem aliqua rei, quae definitur, cauſſas exprimere ſolet.
ſunt autem cauſſae quatuor, materia, forma, efficiẽs, finis. ut in aedificio, materia ſunt lapides, caementum,
ligna, forma, uel quadrata, uel fornicata; efficiens, architectus, & operarij, finis ipſa habitatio. ſic igitur o-
mnes cauſſas una definitio complectetur; Domus eſt ſubſtructio quadrata, uel fornicata, ex lapidibus, & li
gnis ab architecto, fabrisq. formata habitationis gratia. Fit etiam tantum ab una cauſſa definitio, ut Ariſto
teles 2. de Anima a materia. ira eſt ſanguinis feruor circa cor. a fine, ut idem Ariſtoteles 2. Rhetor. 1. Ethic.
ira eſt appetitus ultionis, & alio loco, Felicitas eſt bonum, quod omnia expetunt. ab efficiente, ut Felicitas
eſt uirtutis praemium; a forma, ut Mundus eſt uniuerſa complexio globoſa. Definitio effectorum, uel of-
ficiorum frequens eſt apud auctores, ut Magnes eſt lapis, qui ferrum attrahit; Luna ſidus eſt, cuius ui ma-
ria fluunt, ac refluunt. Sic ab officiis, quae parum ab effectis diſtant, niſi quod effecta magis ad res natura

agentes

agentes pertinent, ut Venus eſt ſtella, cuius ui omnia gignuntur; officia uero ad eas, quae agunt conſilio, ut praetor eſt, qui iuri dicendo in ciuitate praeeſt. Iuſtitia eſt uirtus, ius ſuum unicuiq. tribuens. Definitio partium debet omnes rei, quae definitur, partes complecti, ut menſis eſt ſpatium triginta dierum; Dies ciuilis eſt ſpatium uiginti quattuor horarum. Rhetorica eſt inueniendi, diſponendi, & eloquendi ſcientia; Grammatica eſt ars recte loquendi, recteq. ſcribendi. Oratio rhetorica eſt, quae conſtat exordio, narratione, confirmatione, concluſione. Definitio accidentium eſt ea, quae tot accidentia colligit, ut quod definitur, ab aliis omnibus ſeparetur; ut Homo eſt animal bipes, erectum, & ſine plumis. Mulus eſt animal quadrupes, ungula ſolida, ex equa & aſino genitum. hoc genere definitionis utitur ſaepe Cicero 1. de nat. deorum, & praecipue quando declarat, quae ſint aues illae, quae ibes dicuntur. ſic enim ait, Ibes ſunt aues excelſae, cruribus rigidis, corneo proceroq. roſtro, quae auertunt peſtem ab Aegypto, cum uolucres angues, ex uaſtitate Libyae, uento Africo inuectas interficiunt, atque conſumunt. Sed haec definitio, quae ab accidentibus ducitur, proprie uocatur deſcriptio, quae per omnes, quas appellant, circumſtantias ducitur. Eſt enim deſcriptio rei, cauſſae, perſonae, temporis, loci, modi. Deſcriptio rei uocatur ea, quae rem quaſi ante oculos ponit, & eius uires explicat. qualis eſt ea Lucilij Balbi; Canum uero tam fida cuſtodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumq. odium in externos, & tam incredibilis ad inueſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in uenando, quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos? apud Virgilium 4. Aeneid. pulcherrima eſt famae deſcriptio:

Fama, malum, quo non aliud uelocius ullum,
Mobilitate uiget, uireſq. acquirit eundo. & quae ſequuntur.

Ouidius 2. Metam. eleganter inuidiam deſcribit:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.
Nuſquam recta aues, lucent rubigine dentes
Pectora felle uirent, lingua eſt ſuffuſa ueneno,
Riſus abeſt, niſi quem uiſi fecere dolores, &c.

Sic per apoſtrophen ſomnum ſuauiſsime deſcribit,

Somne, quies rerum, placidiſsime ſomne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparaſq. labori.

Sunt etiam breues quaedam rerum deſcriptiones ab effectis, ut, Auditus eſt ſenſus, quo uoces ac ſonos percipimus. Viſus eſt ſenſus, quo rerum differentias, & colores diſtinguimus. ſed haec eadem eſt cum definitione effectorum, & officiorum, de qua diximus. Deſcriptio cauſſae eſt, quae explicat cur aliquid factum ſit, aut non factum, qua hiſtorici frequentiſsime utuntur, & ſaepe etiam oratores. ut Cicero deſcribit cauſſas, cur Clodius Miloni fuerit inſidiatus, quia uidebat eum conſulem futurum, & ſuis conatibus obuiam iturum; quia hoſtis eius erat; quia a Milone fuerat in iudicium uocatus, & accuſatus. Liuius cauſſas bellorum, induciarum, foederum, pacis ſemper explicat, quoniam ea res non tantum lucem hiſtoriae, ſed etiam iucunditatem affert. Virgilius in Aenid. cauſſam deſcribit, cur Aeneas, cum eſſet maxime pius, Turno, uitam precanti, non pepercerit.

Stetit acer in armis,
Aeneas, uoluens oculos, dextramq. repreſsit,
Et iam iamq. magis cunctantem flectere ſermo
Coeperat, infelix humero cum apparuit alto
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri, uictum quem uulnere Turnus
Strauerat, atque humeri inimicum inſigne gerebat.
Ille oculis poſtquam ſaeui monumenta doloris
Exſuuiaſq. hauſit, furiis accenſus, & ira
Terribilis. Et reliqua.

Deſcriptio perſonae magnam interdum uim affert orationi, ut Cicero pro Roſcio Am. facetiſsime C. Fannij Chereae perſonam, & faciem deſcribit his uerbis: Faciem conſiderate, nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem uidentur? nonne ab imis unguibus, uſque ad uerticem ſummum, ſiquam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus uidetur. qui iccirco capite, & ſuperciliis eſt raſis, ne ullum pilum uiri boni habere dicatur. cuius perſonam praeclare Roſcius in ſcena tractare conſueuit: neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. nam Ballionem illum improbiſsimum, & periuriſsimum Lenonem cum agit Cheream, perſona illa lutulenta, impura, inuiſa, in huius moribus, natura, uitaq. eſt expreſſa. Sic Virgilius 2. Aeneid. Sinonis perſonam & naturam breuiter exprimit, cum ait:

Fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu uerſare dolos, ſeu certae occumbere morti.

ſed tamen perſonae deſcriptio potius ad corpus, quam ad animum referri ſolet, qualis eſt illa:

Talis prima Dares caput altum in proelia tollit,
Oſtenditq. humeros latos, alternaq. iactat,
Brachia protendens, & uerberat ictibus aures.

Deſcriptio

Deſcriptio temporis frequens eſt apud oratores, quoniam plurimum ualet ad probandum. ſic Cicero deſcribit tempus, quo Roſcius fuit interfectus, rediens a cena, cum gladiatorum maxima eſſet impunitas. Et pro Milone, a tempore Clodium oſtendit inſidiatorem, cum praeturam peteret, & Milonem eodem tempore futurum conſulem uideret. ſed in hoc potiſsimum deſcriptionis genere poetae ſaepiſsime ludunt, & omnes temporis partes ingenioſe deſcribunt. ut Virgilius mediam noctem, ita breuiter deſcribit:

Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes
Alituum, pecudumq. genus ſopor altus habebat.

Matutinum tempus ſic in ſeptimo:

Iamq. rubſcebant radiis mare, & aethere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat bigis.

Meridiem ſic in quarto Georgicorum:

Ipſa ego te medios cum Sol accenderit aeſtus,
Cum ſitiunt herbae, & pecori iam gratior umbra eſt,
In ſecreta ſenis ducam.

Veſpertinum tempus hoc modo:

Ni roſeus feſſos iam gurgite Phoebus Ibero
Tingat equos, noctemq. die labente reducat.

Deſcriptio loci non minus frequens eſt apud oratores, hiſtoricos, & poetas ut Cicero in Verrem, Latumias Syracuſanas breuiter ita deſcribit, Latumias Syracuſanas omnes audiuiſtis, plerique noſtis, opus eſt ingens; magnificum, regum, ac tyrannorum, totum eſt e ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo, nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſaeptum undique, nihil tam tutum ad cuſtodias nec fieri, nec cogitari poteſt. Loci deſcriptione multa, & firma idem ducit argumenta. Videamus num, inquit, id quod caput eſt, locus ad inſidias ille ipſe ubi congreſsi ſunt, utri tandem fuerit aptior, & quae ſequuntur. Hiſtorici ſaepiſsime locorum deſcriptionibus utuntur, ut Salluſtius primum Africam deſcribit, deinde etiam ſyrtes, & ſaepe ciuitates, apud quas pugnatum eſt, ita etiam Liuius. Poetae uero, ſicuti in ceteris deſcriptionibus, ita etiam in hac uarie ludunt, & modo ueros locos deſcribunt, quae topographia dicitur, modo ipſi ſuo arbitrio fingunt, quae topotheſia uocatur. topographia eſt illa Ouidij.

Separat Aonios Actaeis Phocis ab aruis
Terra ferax, dum terra fuit, ſed tempore in illo
Pars maris & latus ſubitarum campus aquarum
Mons ibi uerticibus petit arduus aſtra duobus
Nomine Parnaſus, ſuperatq. cacumine nubes.

illam uero topotheſiam eſſe uolunt, qua Virgilius 1. Aeneid. utitur, quia ſit ficta deſcriptio:

Eſt in ſeceſſu longo locus, inſula portum
Efficit obiectu laterum,

& quae ſequuntur. eſt enim notiſsimus locus.

Deſcriptio modi ſic rem geſtam ante oculos ponit, ut uideri uideatur. quam Cornificius demonſtrationem uocat. ea frequenter utitur Cicero, ut pro Milone: Obuiam fit ei Clodius, expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut ſolebat ſine uxore, quod numquam fere. cum his inſidiator, qui inter illud ad caedem faciẽdam apparaſſet, cum uxore ueheretur in rheda, paenulatus, uulgi magno impedimento ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorumq. comitatu, & cetera. Rurſus in eadem, Videte nunc illum primum egredientem e uilla ſubito, & quae ſequuntur. Modus enim, quo res res aliqua geſta dicitur, plurimum ualet ad rem exprimendam. in hac re, ſicut in ceteris Virgilius 5. Aeneid. admirabilis eſt, ut cum pugnam Daretis, & Entelli deſcribit:

Conſtitit in digitos ex templo arrectus uterque,
Brachiaq. ad ſuperas interritus extulit aureas.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,
Immiſceutq. manus manibus, pugnasq. laceſſunt.

Quid? quam expreſſa eſt illa tempeſtatis deſcriptio, qua naues Aeneae ſunt a uentis agitatae:

Incubuere mari, totumq. a ſedibus imis
Vna Eurusq. Notusq. ruunt, creberq. procellis
Africus & uaſtos uoluit ad litora fluctus.

Hae ſunt deſcriptiones, quae a definitionibus eruuntur: quae licet, quid ſit res ipſa, quam deſcribunt, non explicent, oſtendunt tamen, qualis ſit. quod in hac arte plerumque ſufficit. neque enim rhetores tam accurate ſolent rerum definitiones inueſtigare, ſicuti philoſophi faciunt; ſed quauis explicatione perſpicua, & ueriſimili contenti. Habent etiam quoddam genus controuerſiae, quod definitiuum appellant, quia definitione ſit explicandum, de quo inferius ſuo loco dicemus. Tvm *partium enumeratio*.] Secundus hic locus ab enumeratione partium tribus potiſsimum modis tractatur. uel enim affirmatis omnibus partibus totum affirmatur, uel negatis omnibus partibus totum negatur, uel denique remotis ceteris partibus omnibus una ſola relinquitur. Ac primo, cum totum affirmare uolunus, ſingulas partes diligenter conſiderare debemus. ut, ſi probare uelit Cicero Milonem ab uniuerſo populo Romano diligi, uideat primo quae

ſint

ſint populi R.partes, et cum inuenerit eſſe tres, hoc eſt ſenatum, equeſtrem ordinem, et plebem, tunc ita formabit argumentationem ab enumeratione partium, Milo et ſenatu, et equeſtri ordine et plebe Romana diligitur,ergo ab uniuerſo populo Romano diligitur. aut ſi probare uelimus Ariſtotelē totius Philoſophiae principem exſtitiſſe; uideamus,quae ſint Philoſophiae partes, quae tres enumerantur, moralis,naturalis, & diuina, quam metaphyſicam uocant. ſic igitur argumentari licebit; Ariſtoteles primus & moralem, & naturalem, & diuinam Philoſophiam illuſtrauit; ergo totius philoſophiae princeps exſtitit. Cum autem totum negare uolumus, ad ſingulas partes infirmandas accedere debemus. ſic enim totum corruet. ut quoniam tribus tantum modis apud antiquos ſerui libertatem acquirebant,uel cenſu,uel uindicta, uel teſtamento;ſiquis quempiam liberum eſſe negare uelit,qui prius ſeruus exſtitiſſet, ita formabit argumētum;ut,ſi neque cenſu, neque uindicta,nec teſtamento liber factus eſt,non eſt liber,neque eſt ulla earum rerum,non eſt igitur liber. Cum uero remotis ceteris partibus una ſola relinquitur, ita ſolemus argumentari; Hanc pecuniam, aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti, aut inueniſti, aut ſurripuiſti; ſed neque ipſe habuiſti, nec ab aliquo accepiſti,nec inueniſti; reliquum eſt igitur, ut ſurripueris. Quinctilianus libro quincto uocat hoc argumenti genus a remotione.quod tamen ait eſſe periculoſum,ne,ſi unam fortaſſe partem praetermittamus,merito rideamur. Partes apud Ciceronem duobus modis intelliguntur. ſunt enim partes totius, ut caput, humeri, brachia,torax,crura,ſunt totius corporis partes; & ſunt partes generis, quae propriae ſpecies, ſeu formae dicuntur,ut prudentia, iuſtitia,fortitudo,temperantia,ſunt partes uirtutis. Partes autem totius numquam ſpecies, neque formae dici poſſunt. ſed partes generis,& ſpecies,& formae dicuntur.hoc eſt quod in Topicis ait Cicero, Formas qui putat idem eſſe,quod partes,confundit artem, & ſimilitudine quadam conturbatus non ſatis acute, quae ſecernenda ſunt, diſtinguit. Formae igitur ſunt illae, in quas genus diuiditur; vt, ſi quis ius,quod eſt genus,diuidat in legem,morem,& aequitatem,quae ſunt iuris ſpecies. Partes autem ſunt illae, in quas totum diuiditur,ut totus mundus in quinque corpora ſimplicia diuiditur,in caelum,ignem,aerem,aquam, terram,quae ſint principales totius mundi partes. Poſſunt igitur ſpecies,ſeu formae,etiam partes dici, ſed non contra. neque enim partes totius dicuntur ſpecies, aut formae. quo fit, ut pars generalius uocabulum,quam ſpecies eſſe uideatur. Sed quatenus ad argumentandi rationem,nihil differt utrum partes, an formas enumeres. Erit enim argumentum ab enumeratione partium,etiam ſi quis ita colligat, In omnibus actionibus ſuis Socrates,prudenter,iuſte,fortiter,& modeſte ſemper ſe geſsit; ergo fuit omni uirtute praeditus.quamuis prudentia,iuſtitia,fortitudo,modeſtia,ſint uirtutis ſpecies.habet autem maximam uim hoc argumenti genus,nā plerumque totas orationes,aut maiorem earum partem amplectitur,ut oratio pro lege Man. tota fere pendet ab uno argumento, quo partes imperatoriae numerantur. uult enim Cicero Quiritibus perſuadere, ut Cn. Pompeium ad bellum cōtra Mithridatem gerendum mittant,quoniam in eo bello, ſummo imperatore opus eſſet,& Pompeius ſummus eſſet imperator. quid ergo? numerat Cicero quattuor res,quas ait in ſummo imperatore eſſe oportere, ſcientiam rei militaris,uirtutem, auctoritatem, felicitatem, & eas omnes in Pompeio maximas eſſe oſtendit, itaque concludit Pompeium ad id bellum eſſe deligendum, ut ſit haec argumentatio ab enumeratione partium: Quicumque rei militaris ſcientiam habet, & uirtutem, & auctoritatem,& felicitatem,is eſt ſummus imperator: ſed in Pompeio haec inſunt omnia, quod ab eius rebus praeclare geſtis copioſiſsime probat Cicero, ergo Pompeius ſummus eſt imperator, qui bellum magnum & neceſſarium conficere facile poſsit. Haec enumeratio partium appellatur etiam inductio: nam inductionis tres ſunt praecipuae ſpecies: prima ducitur ab exemplis,quae apud oratores frequētiſſima eſt. nam,ut ait Ariſtoteles, exemplum eſt inductio rhetorica,ut Cicero pro Cor.Balbo ſic argumentatur. ſi M.Craſſus,ſi Q Metellus,ſi L. Silla,ſi C.Marius,ſi ſenatus, ſi populus R. iure foederatos homines ciuitate donauit, etiam Cn.Pompeius Cor. Balbum foederatum iure potuit ciuitate donare. Secunda ducitur a ſimilibus, quae Socratica inductio uocatur,quoniam ea frequenter Socrates utebatur.ut,ſi agricola bonus eſt,qui fertiliores & meliores agros reddit; & paſtor ille probandus eſt, qui meliores pecudes efficit, ita etiam princeps laude dignus eſt, qui ſubditos ſuos facit eſſe meliores. Tertia ducitur a partibus,& totum colligit, quae dicitur partium enumeratio, de qua iamdudum loquimur; ut,ſi animantes,quae in terra uiuunt,& uolucres,& aquatiles,mouentur & ſentiunt, ergo omne animal ſentit & mouetur. Plebs Romana male de Catilina ſentit, & equeſter ordo, & ſenatus, totus ergo populus R.de Catilina male ſentit. TVM *notatio uerbi.*] Haec Etymologia Graece dicitur, cum ex ui nominis argumentum elicitur. id eſſet Latine uerbum ex uerbo Veriloquium, nos autem, (inquit Cicero in Cop.)nouitatem uerbi, non ſatis apti, fugientes,genus hoc Notationem appellamus,quia ſunt uerba rerum notae. itaque hoc idem Ariſtoteles ſymbolum appellat,quod Latine eſt Nota. Sed,cum intelligitur, quid ſignificetur,minus laborandum eſt de nomine. multa igitur in diſputando notatione eliciuntur ex uerbo;ut,cum quaeritur poſtliminiū quid ſit, hoc eſt cum ipſius poſtliminij uis quaeritur, & uerbum ipſum notatur, quod Scaeuola iunctum putat eſſe uerbum,ut ſit in eo,& poſt, & limen; ut, quae a nobis alienata ſunt,cum ad hoſtem peruenerint,& ex ſuo tamquam limine exierint, hinc cum redierint, poſt ad idem limen poſtliminio uideantur rediiſſe. M.Antonius 1.de Oratore ſic ex uocabulo ducit argumentum, Si conſul eſt, qui conſulit patriae,quid aliud fecit Opimius?Quinctilianus putat in argumentis raro locum habere uerbi notationem,niſi ex cauſſa prouenerit, ut Laelius ſapiēs,Pompeius Magnus. ſed apud me potior eſt Ciceronis ſententia, qui docet in diſputando multa elici ex uerbo argumenta. quod idem probat etiam Ariſtoteles. nam primo de caelo probat caelum in gyrum perpetuo torqueri,eo argumento,quod aether, quaſi perpetuo currens ab antiquis fuerit appellatum, id quod etiam Plato teſtatur, & Plinius mundum eſſe rotundum ideo probat, quod orbis appellatur; & perfectam elegantiam,atque ornatum habere eo,quod a noſtris mundus,

a Graecis coſmos dicatur. Quin idem Quinctilianus notationem tradit uſum aliquando neceſſarium habere, ut M. Coelius probare uult ſe hominem frugi, non quia temperans ſit, ſed quia utilis. Rodulphus Agricola fruſtra conatur Ciceronem improbare, quod nomen inter ea, quae naturam exprimunt, poſuerit, cum potius accidens, quam ſubſtantiam ſignificet. neque enim Cicero dixit nomen rei naturam ſignificare, quamuis aliqui putent Platonem in ea ſententia fuiſſe, ut exiſtimaret pleraque nomina eſſe naturalia; quod etiam Nigidius apud A. Gellium acute probare contendit; ſed dixit Cicero nomen ad id totum, de quo agitur, adhiberi. quod ueriſsimum eſt. neque enim ulla res exprimi poteſt. niſi nomine ſuo; & argumenta, quae ducuntur a nomine, totam rem attingunt. ideo etiam in definitionibus aſsignatur Etymologiae locus, ut, Philoſophus eſt amator ſapientiae, Conſul eſt, qui reipub. cōſulit, Geometra eſt, qui terram dimetiri nouit. praeterea multam eruditionem continet etymologia, eo, quod uerborum originem quaerit, ut Plato copioſe docet in Cratylo, & Lucilius Balbus apud Ciceronem 2. de Nat Deorum. Quin etiam hiſtorias ſaepe continet, ut unde dicti ſint Bruti, Publicolae, Torquati, cur Latium, cur Italia dicta. Dupliciter ex hoc loco ducimus argumenta, primo ex ipſa nominis interpretatione, ſeu definitione; ut ſi quis animam ex aere conſtare dicat, quia ſit idem anima, quod aer, aut uentus; uel pecuniam inſtrumentum eſſe, quoniam domum inſtruat; uel ſapientiam in corde ſedem habere, quod cordati ſapientes dicantur. excordes uero inſipiētes. Secundo ex cognominatione, uel, ut uulgo dicunt, ex aequiuocatione, cum unum uerbum duo uel plura ſignificat; uel cum per tranſlationē in alia, quia in propria ſignificatione capitur; ut peſsime faciunt, qui plebem cōtra patres concitant, quoniam nullum nomen ſanctius eſſe debet. Iſocrates in Encomio Helenae pulchritudinem ideo laudabilem & admirabilem eſſe concludit, quia uirtutem maxime probamus, quae rerum omnium eſt pulcherrima. Ouidius a tranſlatione nominis pulchrum duxit argumentum hoc modo;

> Quis enim celauerit ignem,
> Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Ignem enim pro amore poſuit, & tamen tamquam a uero igne duxit argumentum. Sed aliquando haec nominis ambiguitas ridiculum facit, ut apud Suetonium de Nerone?

> Quis neget Aeneae magna de ſtirpe Neronem:
> Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Sic Auguſtus Caeſar, cum quidam araret locum paternae ſepulturae hoc eſt (inquit) patrem colere Ita Martialis Quirinalem quendam ait eſſe uerum patrem familias, quia multos filios ex ancilla ſuſtulerat. Quin etiā ſaepe nomen iocandi materiam praebet, ut Cicero iocatur in nomen Verris, quod omnia uerrat, quod tamquam Verres in uolutabro coeni libenter iaceat; quod male fecerit ſacerdos, qui tam malum Verrem non ſuſtulerit. Ita pro Roſcio Am. Venio nunc ad illud nomen aureum Chryſogoni. Idem pro A Caecina, Sex Clodius, cui nomen eſt Phormio, nec minus niger. nec minus cōfidens, quam ille Terentianus eſt Phormio. Sed hic locus longe lateq. patet, ſiquidem repertorum omnium uerborum originem inueſtigat.

CICERO

EX iis autem rebus, quae quodammodo affectae ſunt ad id, de quo quaeritur, alia coniugata appellantur.

EXPLANATIO

IAM tres locos explicuimus, qui ad totum adhibentur, hoc eſt, definitionem, partium enumerationem, & notationem uerbi: nunc illi ſunt explicandi, qui in iis rebus ſunt, quae quodammodo affectae ſunt ad id, de quo quaeritur. qui tredecim a Cicerone numerantur: hoc eſt, coniugata, genus, forma, ſimilitudo, differentia, contrarium, coniuncta, antecedentia, conſequentia, repugnantia, cauſſae, effecta, comparatio. Putat autem Boetius affecta dici a Cicerone, quae quodammodo ad aliquid referri poſſunt, ſiue ſint amica inter ſe, ſiue diſsidentia. qua in opinione fuit etiam Quinctilianus, qui ſic ait: Cicero genus & ſpeciem, quam eandem formam uocat, a finitione deducit, & iis, quae ad aliquid ſunt, ſubiicit. Vt non audiendi ſint, qui Boetium reprehendant, quaſi male Ciceronis lib. 5. cap. 10. ſententiā perceperit. uolunt enim affecta dici, quae non ad finē ipſum, ſed proxime finem progreſſa deductaue ſunt. quam affecti ſignificationem notauit Gellius, ut de prouinciis conſularibus Cicero, Bellū affectum uidemus, &, uere, ut dicam, prope cōfectum. uolunt igitur affecta dici, quae totum non conficiunt, ſed tantum ex parte faciūt. quae interpretatio falſa eſt omnino, quoniam contraria, repugnantia, differentia, quae inter affecta numerantur a Cicerone, neque totū, neque partem faciunt, ſed potius deſtruunt. melius eſt igitur, ut affecta ſint ea, quae ad aliquid referūtur. & quāuis definitio, partes, & notatio uideantur ad aliquid eſſe, res tamen eaedem ſunt, licet uoces referātur. quod in aliis locis accidit. Primus igitur locus affectorum a coniugatis dicitur. Sunt autē coniugata, ſicut ait Cicero in Top. quae orta ab uno uarie commutantur, ut ſapiens, ſapientia, ſapienter. quae uerborum coniugatio, ſizya Graece dicitur, ex qua huiuſmodi eſt argumentū, Si compaſcuus eſt ager, ius eſt compaſcere. M. Antonius ponit hoc exemplum: Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, debetis moueri, cum Q. Metellum tam pie lugere uideatis. Locus autem hic (ut ait Cicero) notationi finitimus eſt. quoniam a nomine deflectitur, ut ſi quis probare uelit Tyranniddm non eſſe appetendam, quoniam tyranni uitam quietam agere non poſſunt, & ſunt in perpetuo metu, ac periculo. nam uerum ideſt, quod Iuuenalis ait:

Ad

Ad generum Cereris ſine caede & ulnere pauci
Deſcendunt reges & ſicca morte tyranni.

Quinctilianus uidetur hunc locum quodam modo contemnere, ac pro nihilo putare. ſic enim ait, His illud adiicere ridiculum putarem, niſi eo Cicero uteretur, quod coniugatum uocant, ut eos, qui rem iuſtam faciant, iuſte facere, quod certe non eget probatione. Sed ego cum uideam non tantum Ciceronem, ſed etiam Ariſtotelem ipſum diligenter hunc locum in Topicis tractare, nullo modo Quinctiliano poſſum acquieſcere, cum praeſertim ſaepe numero uim maximam ad perſuadendum habeat; ut ſi quis dicat non eſſe regnum expetendum, cum regibus tot immineant pericula, tot curae, tot ſollicitudines: aut doctrinam ſummo ſtudio complectandem, cum doctis uiris tanta ſint & ad opes, & ad dignitates propoſita praemia: Et militiam eſſe fugiendam, cum milites tot labores, tot miſerias, tot diſcrimina quotidie experiantur: Et ſatius eſſe litteris, quam mercaturae operam dare; quoniam litterati uiri maiore ſint in honore, minoresq. curas habeant, quam mercatores. haec enim omnia coniugata ſunt, regna reges, doctrina, docti, militia milites, litterae litterati, mercatura mercatores. multum igitur prodeſſe poteſt huius loci cognitio, contra quam ſentit Quinctilianus. Ariſtoreles inter coniugata, & caſus aliquam ponit differentiam. nam coniugata uocat nomina & uerba, ut ſapiens, ſapientia, ſapere; Caſus autem uocat aduerbia deducta, uel a nominibus, uel a uerbis, ut ſapienter. Erit igitur argumentum a coniugatis, id, quo utitur Erupides in Bacchis. ſtultus enim ſtulta loquitur; & illud Terentij, Homo ſum, humani nihil alienum a me puto; & illud Ciceronis pro Roſcio Am. Etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur. & lib. quarto Tuſcul. Quis enim poteſt, in quo libido cupiditas ue ſit, non libidinoſus, & cupidus eſſe? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus? M. Coelius ad Ciceronem, Vide, ne dum pudet te parū optimatē eſſe, parum diligenter, quod optimum ſit, eligas. A caſibus uero id, quod M. Antonius ponit ſecundo de oratore, ut ſupra diximus, eſt illud, Si ſumma iuſtitia eſt nemini nocere, qui neminem offendit, is omnino iuſte ſe gerit, & illud: Neceſſe eſt maximo ingenio praeſtitiſſe Ciceronem, qui tam ingenioſe multa conſcripſit. Sed Cicero nullam inter caſus, & coniugata differentiam ponit.

CICERO

Alia *ex genere*

EXPLANATIO

A Genere ſic ducitur argumentum, ait in Topicis Cicero, Quoniam argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ei pecunia, quae numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Forma enim a genere, quoad ſuum nomen retinet, numquā ſeiungitur, numerata aūt pecunia nomen argenti retinet, legata igitur uidetur. M Antonius utitur hoc exemplo, ſi magiſtratus in populi R. poteſtate eſſe debent, quid Norbanū accuſas, cuius tribunatus uoluntati paruit ciuitatis? Genus a Cicerone in Top. ita deſcribitur, Genus eſt notio ad plures differentias pertinens. Dialectici uero genus ita deſcribunt, Genus eſt, quod dicitur de multis rebus differentibus ſpecie, ut animal, quod genus eſt, de homine, equo, & leone dicitur, quae diuerſae ſunt inter ſe ſpecies: Et uirtus eſt genus, nam de prudentia, iuſtitia, fortitudine, temperantia dicitur, quae ſunt uirtutis ſpecies. Porphyrius ait genus tria ſignificare, primo principiū illud, unde aliqua multitudo originē habet, ut pater, & patria, ſic dicimus Iulium Caeſarē ab Aenea genus ducere; Fabium Maximū ab Herculē, & Platonē eſſe genere Athenienſem, Pindarū genere Thebanum. Secundo ponitur pro ipſa multitudine, quae ab uno principio ducat originē, ut Romanos eſſe dicimus Romuli genus. & Atheniēſes eſſe genus Cecropis. Tertio dicitur genus, quod multas ſpecies amplectitur, ut arbor, quod pyrum, perſicū, ficum, multasq. alias ſpecies continet, qua in ſignificatione capitur hoc loco, ut magiſtratus eſt genus, cuius ſpecies ſunt, conſulatus, praetura, aedilitas, quaeſtura, tribunatus, atque hoc modo formatur argumentum a genere: Si priuati ciues magiſtratibus obtemperare debent, ergo ēt praetoribus. Quinctilianus ſcribit, genus ad probandam ſpeciem minimū ualere, plurimum ad refellendam; ut ſi arbor eſt (inquit) ergo eſt platanus, hoc poteſt eſſe falſum; at ſi quis dicat non eſt arbor, ergo non eſt platanus, omnino uerum eſt. contra ſpecies, inquit, firmā probationē habet generis, infirmā refutationem; ut iuſtitia eſt, ergo eſt uirtus, ualet; non eſt iuſtitia, ergo non eſt uirtus, nō ualet. haec quidem ita Quinctilianus. uerum illud ſciēdum eſt, quod, quotieſcumque generi ſignum add tur generale, ut omne, quodlibet, quodcumque; uel quoties genus ipſum uniuerſe capitur, etiam unaquaeque ſpecies confirmatur, ut, ſi omnes magiſtratus ſunt in poteſtate populi Romani, ergo etiam tribunatus. Si omnes ſcientias calluit Ariſtoteles; ergo etiam Geometriam: ſi omne argentum legatum eſt, ergo etiam pecunia numerata. Si ius in ciuitate ſeruandum eſt, non ſunt leges uiolandae. Si uero generale quidem ſignū, ſed negans generi adiungatur, etiam omnes ſpecies negantur, & amouentur; ut ſi nulla uirtute praeditus Catilina fuit; ergo neque fortitudine. Si nullam ſcientiam Marius didicit, ergo neque muſicam. Sed aduertendum eſt, in hoc argumentandi genere etiam ſpecies uim generis obtinere; ut, Si omnes homines natura doctrinae ſunt capaces, ergo ēt Therſites. Si nullus homo uolare poteſt, ergo neque Daedalus. Si Epicurei putant Deum iraſci nemini, ergo etiam Lucretius ita cenſet. Si Philoſophi rerum diuinarum & humanarum ſcientiam habent, ergo etiam Socrates. Latiſsime uero patet hic locus, quoniam omnes cauſſae, atque omnia argumenta confirmantur a genere. neque ulla penitus argumentatio uere neceſſarioq. concludi poteſt, niſi aliquod in ea

generale pronunciatum conſtituatur, & hoc eſt, quod aiunt dialectici tantum ex ſingularibus propoſitionibus nihil concludi ſolere. quod etiam M. Antonius teſtatur, cum ait, Omnes controuerſias ad uniuerſi generis uim, & naturam referri. & paullo poſt ita inquit, Nulla denique eſt cauſſa, in qua id, quod in iudicium uenit, & eorum perſonis, ac non generum ipſorum uniuerſa diſputatione quaeratur. & ad Brutum ita ſcribit Cicero in Oratore: Latius enim de genere, quam de parte, diſceptare licet, ut, quod in uniuerſo ſit probatum, id in parte ſit probari neceſſe. Genus autem uocat Cicero omne commune, generaleq. uocabulum, quod plura complectatur, ſiue id re uera genus ſit, ſiue ſpecies, & tantum indiuidua contineat. ut pro Murena comparat ipſum Murenam cum Seruio Sulpicio, ut probet utiliorem eſſe reip. Murenam, quã Seruium: quid ergo facit? relinquit proprias Murenae Seruiiq. perſonas, & generaliter belli duces cum iuriſconſultis comparat, atque oſtendit duces belli multo utiliores eſſe reip. quã iuriſconſultos. Sic enim, quod in genere probatum fuerit, id etiam in parte probari neceſſe eſt, hoc modo, Belli duces in rep. ſunt utiliores, quam iuriſconſulti, Murena eſt dux belli, Seruius eſt iuriſconſultus, ergo utilior eſt reip. Murena, quam Seruius. quod argumentandi genus multo firmiſsimum eſt. Sic pro Milone, Inſidiatori uero & latroni, quae poteſt afferri iniuſta nex. probat enim omnem inſidiatorem iure interfici poſſe. quo probatur etiam Clodium, qui fuit inſidiator, iure interfectum. hoc in cauſsis omnibus ualet, ut quare Catilina exterminandus eſt? quia proditor eſt patriae, & omnes patriae proditores ſunt exterminandi. quare Corinthus eſt euertenda, quia ius gentium uiolauit, & quaecumque ciuitas ius gentium uiolat, euerti debet. Sic igitur a genere plurima ducuntur argumenta.

C I C E R O

Alia *ex forma.*

E X P L A N A T I O.

Forma dicitur etiam ſpecies, ut Cicero in Topicis docet. quae proprie de ſingularibus tantum, & indiuiduis dicitur, ut homo de Socrate, Platone, Ariſtotele. equus de hoc & illo equo, ſed interdum etiam de pluribus dicitur, quae ſpecie differant, & tunc eadem eſt ſpecies, & genus, ſpecies quidem quatenus aliquo ſuperiore genere continetur. ut uirtus eſt ſpecies qualitatis. genus autem quatenus plures ſub ſe ſpecies continet, ut uirtus eſt genus prudentiae, iuſtitiae, fortitudinis, & temperantiae. quatenus autem ad argumentandi rationem, ſi ea, quae generi, & ſpeciei ſubiiciuntur, ſpectare uolumus, nihil differt, ſiue a genere, ſiue a forma ducamus argumentum. nam eadem eſt ratio, ut ſi omnes inſidiatores iure interficiuntur, etiam Clodius iure fuit interfectus. hoc enim argumentum a genere uocatur, quamuis inſidiator ſpecies ſit improbi hominis. Tale eſt illud argumentum, quod M. Antonius ita adhibet, Ex parte autem ea, quae eſt ſubiecta generi, Si omnes, qui reip. conſulunt, cari nobis eſſe debent, certe in primis imperatores, quorum conſiliis uirtute, periculis, retinemus & noſtram ſalutem, & imperij dignitatem. Et haec eſt cauſſa, quare Cicero in Topicis argumentum a genere modo diſtinguat ab argumento, quod eſt a forma, modo coniugat; & Ariſtoteles in Topicis non diſtinguat. Si uero, quae ſupra ſpeciem ſunt, ſpectemus, hoc eſt ipſa genera, tunc magna erit in argumentando differentia. nam ſpecies, ut ait Quinctilianus, firmam generis probationem habet, infirmam refutationem; ut, ſi dixero, Patientia eſt eſt fortitudo, ergo eſt uirtus, ualet argumentum? at, ſi dicam, iuſtitia non eſt fortitudo, ergo neque uirtus eſt, non ualet: neque enim, negata una ſpecie, ſtatim negatur genus. Deducuntur a ſpecie huiuſmodi argumenta: Laudabile eſt & honeſtum res ſuas curare, quoniam ad prudentiam ſpectat. eſt enim prudentia ſpecies honeſtatis. Turpe & uituperandum eſt, e qualibet re lucrũ quaerere; quoniam hoc auari hominis eſt. auaritia enim turpitudinis ſpecies eſt. Ariſtarchus inter doctos numeratur, fuit enim excellens grammaticus. Nonnumquam per comparationem a ſpecie praeclara ducuntur argumenta, ut Cicero pro Q. Ligario, Nulla de uirtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt: homines enim ad deos nulla re propius accendunt, quam ſalutem hominibus dando. In prima Philippica ſic a ſpecie, ſeu forma Cicero argumentatur: Et uos acta Caeſaris defenditis, qui leges eius euertitis? nam leges Caeſaris ſub actis eius continentur, ut forma ſub genere.

C I C E R O

Alia *ex ſimilitudine.*

E X P L A N A T I O

Similidvdines repertae ſunt ad inferendam rebus lucem, ut Quinctilianus ſcribit. Earum aliae ſunt, quae probationis gratia inter argumenta ponuntur; aliae ad exprimendam rerum imaginem compoſitae. Quae probationis gratia ſumuntur, tres habent ſpecies inductionem, collationem, exemplum. Inductio, quae a ſimilitudine ducitur, ea eſt, qua Socrates plurimum utebatur; ut ſicuti pomum, id nobile dicitur,

citur, non quod ex praeſtanti arbore decerptum ſit, ſed quod ſuauitatem habeat: & equus nobilis eſt, non qui ſit ex equa nobili natus, ſed qui curſu & robore ceteris antecellit: ita homo nobilis eſt, non qui natalium ſplendore glorietur, ſed qui maxima uirtute praeditus ſit. Ciceronis illud exemplum eſt, Si tutor fidē praeſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. hoc autem ſimilitudinis genus plura colligit ſimilia, ut quod uult, tandem concludat. Alterum genus parabola Graeco nomine, Latino collatio dicitur, quod apud auctores cuiuſque generis frequentiſsimum eſt. M. Antonius ponit exemplum collationis; Si ferae partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? tale eſt illud, quemadmodum agricultura fecundiores euadunt, ita noſter animus diſciplinis melior fit. hoc in genere frequentiſsimus eſt, & elegantiſsimus Quinctilianus, ut libro primo, Sicut aues ad uolatum, equi ad curſum, ad ſaeuitiam ferae gignuntur; ita nobis propria eſt mentis agitatio, atque ſollertia, unde origo animi caeleſtis creditur. Et paullo poſt, Natura tenaciſsimi ſumus eorum, quae rudibus annis percepimus, ut ſapor, quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elici poſſunt. & alibi, Vt uaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem influentibus, uel etiam inſtillatis complentur; ſic animi puerorum, quantum accipere poſſunt, uidendum eſt. Apud Ciceronem ſunt multae praeclare ſimilitudines; ut poſt reditum, Sed tamquam bona ualetudo iucundior eſt eis, qui e graui morbo recreati ſunt, ſic patria, ceteraq. fortunae bona deſiderata magis, quam quotidie percepta delectant. In Vatinium, Repente enim te, tamquam ſerpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus intuliſti. Pro P. Sextio, Vt ſi gladium paruo puero, aut ſi imbecillo ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat; ſin ad nudum uel fortiſsimi uiri corpus acceſſerit, poſsit acie ipſa, & ferri uiribus uulnerari; ita cum hominibus eneruatis, atque exanguibus conſulatus tamquam gladius eſſet datus, qui per ſe pungere neminem umquam potuiſſent, hi ſummi imperij nomine armati, remp. contrucidauerunt. Sed, ut dixi, multae ſunt, & elegantes, apud Ciceronem collationes. Tertium ſimilitudinis genus eſt exemplum, quod rei alicuius geſtae auctoritate nititur. itaque tantum inter homines proprie ponitur. Quinctilianus tria ponit exemplorum genera, ſimile, diſsimile, contrarium. Simile eſt, iure occiſus eſt Saturninus, ſicut Gracchi. Diſsimile, Brutus occidit liberos, proditionem molientes; Manlius uirtutem filij morte multauit. Contrarium, Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit, Verres eadem ſocij abſtulit. Sed exemplum partim ad locum ſimilitudinis, partim ad comparationis locum refertur. ut infra docebimus. uidendum eſt autem diligenter, ne quod ſimilitudinis gratia adſciſcimus, aut obſcurum ſit, aut ignotum: quod licet poetis interdum concedatur, non tamen oratoribus: cum praeſertim ſimilitudo non alia de cauſſa uideatur eſſe inuenta, niſi ut lucem rebus afferat. Quinctilianus ait hoc ſimilitudinis genus, quod ad argumenta pertinet, orationem ſublimem, floridam, iucundam, mirabilem efficere. Nam, quo (inquit) quaeque longius petita eſt hoc plus affert nouitatis, atque inexſpectata magis eſt. Illa uulgaria uideri poſſunt, & utilia tamen ad conciliādam fidem, ut, terram cultu, ſic animum diſciplinis meliorem uberioremq. fieri: &, ut medici abalienata morbis membra praecidunt, ita turpes, ac pernicioſos, etiam ſi nobis ſanguine cohaereant, amputandos. Iam ſublimius illud pro Archia, Saxa, atque ſolitudines uoci reſpondent; beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt: nos instituti rebus optimis, non poetarum uoce moueamur? Pulchra eſt in oratione pro Murena ſimilitudo illa, Vt, aiunt, in Graecis artificibus eos aulaedos eſſe, qui citharaedi fieri non potuerunt; ſic nos uidemus, qui oratores fieri non potuerunt, eos ad iuris ſtudium deuenire. Quin etiam fabulae ad hunc locum ſimilitudinis pertinent, qualis illa fuit Menenij Agrippae de membris ceteris cum uentre diſcordia, qua plebem patribus reconciliauit. Sic Horatius muris ruſtici, & urbani fabulam adducit ad probandum longe felicius eſſe, in paupertate quietum ac liberum uiuere quam in diuitiis cum curis, & ſolicitudine. Cicero pro lege Manlia fabula declarat, quo modo Mithridates ex Ponto profugerit: Primum (inquit) ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur, quam praedicant in fuga fratris ſui membra in iis locis, qua ſe parens perſequeretur, diſsipauiſſe, ut eorum collectio diſperſa maeror q. patrius celeritatem perſequendi retardaret, & reliqua. Habet interdum acrimoniam ſimilitudo; ut Aeſchines Demoſthenem tibiis aſsimilauit, quibus ſi collum demas, reliquum corpus erit inutile, cum oſtendere uellet eum tantum oratione ualere & Demoſthenes Aeſchinem trutinae ſimilem, quae a quacumque parte infunditur, eo inclinat. Sunt aliquae facetae iocoſaeq. ſimilitudines, ut apud Ciceronem de accuſatoribus, quos canibus & anſeribus qui in Capitolio paſcebātur, ſimiles eſſe dicit. aliquae breues, ut, Vagi per ſiluas ritu ferarum; Cicero Pro Roſcio Am. de Clodio, Quo ex iudicio uelut incendio nudus effugit. Poetae ſimilitudine frequenter uti ſolent iucunditatis & ſublimitatis gratia. qua in re ſicut in ceteris feliciſsimi ſunt Virgilius lib. 12. Aeneid. & Homerus, ut Turni uiolentiam Leonis ſimilitudine ſic exprimit:

> Vltro implacabilis ardet,
> Attollitq. animos, Poenorum qualis in auris
> Saucius ille graui uenantum uulnere pectus.
> Tum demum mouet arma Leo.

quin etiam Lucanus hac potiſsimmum laude cenſetur, quod egregias ſimilitudines habeat. qualis eſt illa:

> Caeſaris an curſus ueſtrae ſentire putatis
> Damnum poſſe fuga? ueluti ſi cuncta minentur
> Flumina quos miſcent pelago ſubducere fontes,

Non

Non magis ablatis umquam decreuerit aequor
Quam nunc creſcit aquis.

Ex oratoribus nemo eſt in hac re Quinctiliano felicior, apud quem plurimae ſunt, elegantiſsimaeq. ſimilitudines.

CICERO.

ALIA *ex differentia.*

EXPLANATIO

DIFFERENTIAM hoc loco pro diſsimilitudine poſuit Cicero, ſicut etiam in Topicis, ubi ita ſcribit, Sequitur ſimilitudinem differentia, rei maxime contraria ſuperiori, ſed eſt eiuſdem diſsimile, & ſimile inuenire. M. Antonius poſt exemplum ſimilitudinis ſtatim ea uerba ſubiungit; At ex diſsimilitudine. Si barbarorum eſt in diem uiuere, noſtra conſilia in ſempiternum tempus ſpectare debent. Sunt autem hi duo loci copioſi, & uulgi opinioni, ſenſibusq. aptiſsimi: quod ſiquis a ſimilitudine nouit argumenta ducere, is etiam a diſsimilitudine facile poterit, nam eadem eſt contrariorum diſciplina. Quinctilianus coniunxit utrumque locum hoc modo; Non enim uox illa praeceptoris, ut cena minus pluribus ſufficit, ſed ut ſol uniuerſis idem lucis, calorisq. largitur. Cicero diſsimilitudine uſus eſt, cum ita inquit; Certus autem dies, non ut ſacrificij, ſic conſilij exſpectari ſolet.

CICERO.

ALIA *ex contrario.*

EXPLANATIO

CONTRARIORVM Cicero in Top. quattuor genera facit, primum eorum, quae, in eodem genere poſita, plurimum inter ſe differunt. Vt candor nigror, ſapientia ſtultitia, dulce amarum, celeritas tarditas, quae proprio nomine aduerſa dicuntur. Secundum genus eſt eorum, quae priuantia Latine dicuntur, quod alterum eorum declaret rem eſſe priuatam eo, quod illi aptum eſt a natura, ut uiſus caecitas, dignitas indignitas, loquens mutus, lux tenebrae. Tertium eorum, quae cum aliquo conferuntur, ut duplum ſimplum, multa pauca, longum breue, maius minus. Quartum & ultimum eorum, quae negantia uocantur, ut ſi hoc eſt, illud non eſt. ab his omnibus generibus argumenta plurima ducuntur. Ac primo ab aduerſis hoc modo; Si uitium fugiendum eſt, uirtus eſt amplectenda. Si ſtultitiae nomen oderunt, ſummo ſtudio ſapientiae danda eſt opera. Si patrum ſeueritas filios ad res honeſtas impellit, eorundem indulgentia faciet, ut filij patrare turpia non dubitent. Si mentiri turpe eſt, igitur honeſtum uera dicere. Habet hoc contrariorum genus in oratione miram gratiam, ideo ponitur inter exornationes oratorias. Cornificius, Contrarium (inquit) eſt, quod ex rebus diuerſis duabus alteram breuiter & facile confirmat hoc pacto; Nam qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quomodo alienis rebus amicum fore ſperes? Nam quem in amicitia perfidioſum eſſe cognoueris, eum quare putes inimicitias cum fide habere poſſe? Haec ad fidem faciendam pertinent, illa ad exornationes, quae contentiones dicuntur; Habet aſſentatio iucunda principia, eadem exitus amariſsimos habet, inimicis te placabilem, amicis exonerabilem praebes. quo in genere Cicero mirus eſt artifex: ut pro lege Man. Cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis praeceptis, ſed ſuis imperiis, non offenſionibus belli, ſed uictoriis, non ſtipendiis, ſed triumphis eſt traducta. Rurſus in eadem, Non auaritia ab inſtituto curſu ad praedam aliquam reuocauit, non libido ad uoluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem. Illa uera pulcherrima ex aduerſis contentio. Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querella? quem iure, quem tempore, quem impune non eſt auſus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitauit occidere? Sed quid unum aut alterum exemplum profero, cum totus ubique ſcateat huiuſmodi contrariis Cicero Itaque praecipit in Oratore ad Brutum. ut hoc genere contrariorum frequenter orationem noſtram illuſtremus, quod & ad fidem ualet plurimum, & ad orationem ornatam, & numeroſam efficiendam. Priuantia proprie dicuntur ea, quae nos aliqua naturali facultate ſpoliant, ut caecitas, ſurditas, obliuio, tarditas. itaque lapis proprie caecus dici poteſt, quia natura uiſum ei non dedit, neque catuli priuſquam nonum diem expleuerint. Cicero in Topicis dicit ea eſſe priuantia, quibus praepoſitio in adiungitur, ut humanitas inhumanitas, ſed hoc non ſemper uerum eſt, plurima ſunt enim priuantia, quibus praepoſitio in non adiungitur. nam uidens, caecus; audiens, ſurdus; loquens mutus, ſine ulla dubitatione ſunt, & tamen eis non adiungitur in praepoſitio. Contra uero iuſtitia & iniuſtitia, probitas & improbitas, non priuantia ſunt, ſed aduerſa. Ariſtoteles ait a priuatione ad habitum non eſſe regreſsionem, & tamen in hiſtoriis legimus Croeſi regis Lydorum filium, & Aeglem Samium ex mutis loquentes euaſiſſe. Ab hoc contrariorum genere poſſunt hoc modo argumenta deduci;

Non

Non eſt quod uereare, praeſente Craſſo, mecum arcana communicare, non enim audire poterit, quia ſurdus eſt. Non poterit Aegles, quae domi facta ſunt, uerbis enunciare, cum mutus ſit. Quid eſt, quod ſperes in iudicio poſſe te ab homine infantiſsimo defendi? pulcherrimum uero illud Ciceronis eſt in hoc genere: Exſiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſsimimum caecus ille, minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non uidebit. Quae cum aliquo conferuntur, numquam per ſe intelligi poſſunt, ſed ſemper ad alterum reſpiciunt, ut pater filius, dominus ſeruus, creditor debitor, dux comes, plura pauciora, colles campi. Ab hoc genere nonnumquam firma deducuntur argumenta, ut, Quos ex collibus deiecimus, cum iis in campo metuimus dimicare? Qui cum plures erant, paucis nobis exaequari non poterunt, hi poſtquam pauciores ſunt, metuimus, ne ſint ſuperiores? Ab hoc loco deduxit illud pulcherrimum argumentum Horatius:

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Cicero ſic ait: In iis rebus, quae ſub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile conſiderantur: Nam ſi Rhodiis turpe non eſt portorium locare, nec Hermacreonti quidem turpe eſt conducere. In Oratore ad Brutum ita argumentatur: Cur aut diſcere turpe eſt, quod ſcire honeſtum eſt? aut quod noſſe pulcherrimum eſt, id non glorioſum docere? Pro M. Marcello pulchrum eſt huius generis argumentũ: ex quo perfecto intelligis, quanta in data ueneficio ſit laus, cum in accepto tanta ſit gloria. Negantia dicuntur etiam contradicentia quae ſunt eius naturae, ut, ſi unum uerum ſit, alterum neceſſario ſit falſum; & contra, niſi de rebus futuris eiuſmodi uerba faciamus, quae aut euenire, aut non euenire poſsint. Cicero 2 de inuen. uidetur argumentationem, quae ducitur ab hoc loco, ſimplicem concluſionem appellare, cuius eſt hoc exemplum: Si quo tempore me iſtud feciſſe dicitis, ego trans mare fui; relinquitur, ut id, quod dicitis, non mòdo non fecerim, ſed ne potuerim quidem facere contradicunt enim, me hic fuiſſe, & trans mare fuiſſe. nam ſi hoc eſt, non eſt illud. Ita Clodius, cum accuſaretur de pollutis ſacris bonae Deae, dicit eo die ſe non Romae, ſed Interamnae fuiſſe. Nam haec contradicentia ſunt, Romae non fuiſſe, & Romae ſacra polluiſſe. In ſumma dicitur ille contradicere, quicumque rem, aut ab alio, aut a ſe prius affirmatum negat, aut negatam affirmat, ut accuſator Roſcij Amerini ait: Roſcius patrem interfecit. patronus contra, Roſcius patrem non interfecit. T. Labienus ait, C. Rabirio, Maieſtatem populi R. imminuiſti, Rabirius reſpondet, Immo non imminui. Sunt autem omnium maxime contraria, quae per negationem opponuntur, ut interfecit, non interfecit, imminuit, non imminuit. itaque turpiſsimum putant ſibi ipſum contradicere. quod iis aliquando accidit, qui uel diſſerendi rationem ignorant, uel contra ueritatem ſuſcipere diſputationem auſi ſunt. Generaliter autem omnes ſententiae, quae a contrariis ducuntur, enthymemata uocantur, ut ait Cicero in Top. quae maximam habent uim & uenuſtatem. ut ſeruare potui, perdere an poſsim rogas? Cicero pro Q. Ligario, Quorum igitur impunitas, Caeſar, tuae clementiae laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio. Pro Milone, Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per uos reſtitui poſſe, noletis? nonnumquam etiam totas fere orationes contraria conſumunt, ut octaua Philippica Cicero, pacem fieri cum Antonio turpe eſſe oſtendit, ut bellum ſuadeat.

CICERO

ALIA *ex coniunctis.*

EXPLANATIO

CONIVNCTA uocat hoc loco, quae in Topicis adiuncta dixit; M. Antonius 2. de Orat. huius loci non meminit, uel potius cum antecedentibus, & conſequentibus coniunxit. ſicut etiam Quinctilianus facere uidetur. Sed Cicero diſtinxit adiuncta ab eo loco, in quo ſunt antecedentia, & conſequentia. quoniam adiuncta non ſunt neceſſaria, ſed tantum ueriſimilia, & ſigna, uel circumſtantiae rerum. Antecedentia uero, & conſequentia neceſsitatem habent, vt poſtea docebimus. Admonet autem hic locus, ut ait Cicero, ut quaeratur quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. eſt igitur magna ex parte oratorius. Ante rẽ enim quaeruntur, quae talia ſunt, apparatus, colloquia, locus, conſtitutum, conuiuium: cum re autem, pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum umbrae, & ſi quid eiuſmodi. At poſt rem rubor, pallor, titubatio, ſi qua alia ſigna conturbationis, & conſcientiae. Praeterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, cetera, quae ſuſpicionem facti mouere poſſunt. Continet igitur hic locus omnia ſigna, quae tãtum probabilia ſunt, nõ autem illa, quae ſunt neceſſaria, quae Graeco nomine Tecmiria uocantur, ut, Si lac habet mulier, ergo peperit. haec autem uel rem antecedunt, ut erat inimicus, & contra illum homiues, & arma parauerat, ergo illum interfecit: Vel cum re ipſa ſunt, ut uiſus eſt in eo loco, ut uox eius audita, cum caedes fieret; Vel rem conſequuntur, ut ſanguine reſperſus fuit, expalluit. Eſt autem hic locus in cauſsis coniecturalibus maxime neceſſarius. itaque diligenter eum tractat pro Milone Cicero. Ante rem oſtendit apparatum Clodij, qui

ſeruos

ſeruos quoſdam barbaros, quibus uti ad maleficia ſolebat, ſecum haberet; quod Miloni mortem minatus eſſet. In ipſa re, quod expeditus in equo Miloni obuiam factus eſſet; quod nulla ſecum impedimenta, nullos Graecos comites, non uxorem, ut antea ſemper ſolebat, adduxiſſet. Poſt rem, quod Milo recta Romam ueniſſet, quod ſe populo R. quod iudicio commiſiſſet. Eodem modo Lentulus, & Cethegus in coniurationis ſuſpicionem uenerunt, quod enſes, & tela cuiuſque generis praeparaſſent; quod in domo Porcij Leptae conuentus nocturnos gererent. Ita filij Bruti, & Aquillij, & Vitellij, quia frequenter cum Tarquinij legatis loquerentur, in ſuſpicionem proditionis Vindicio ſeruo uenerunt. Coniuncta ſunt etiam illa praecipue, perſona, locus tempus, modus. Vnde quaecumque a perſona, a loco, a tempore ducuntur argumenta, ea dicuntur a coniunctis duci. A perſona, ut non eſſe uirginem Atalantam, quae cum iuuenibus per ſiluas uagetur; non eſſe parricidam Roſcium, qui ruſticana uita, ſimpliciq. delectetur. Chaeream a Roſcio comoedo non fuiſſe pecunia fraudatum, cum Roſcius innocens ſit, & maxime liberali. Sic Areopagitae puerum damnarunt, cothurnicibus oculos eruentem, & eas deinde caecas emittentem, quod malae mentis id eſſet indicium. Loco, ut ſacrilegum eſſe, qui pecunias in templo furatus ſit. Corinthum facile bellum reparare poſſe, quod in Iſthmo poſita ſit. nam Cicero tradit Romanos, opportunitatem loci ſecutos, Corinthum euertiſſe, ne quando bellum reparare poſſet. Sic Hannibal apud Liuium militibus ſuis neceſſario pugnandum eſſe a loco argumentatur, quod a tergo alpes, a fronte Romanos haberent. Sic Aiax apud Ouidium a loco ſuam orationem incipit: Agimus, pro Iuppiter, inquit, Ante rates cauſſam & mecum confertur Vlyſſes. Et Miloni obiectum eſt, quod in monumentis maiorum ſuorum Clodium occidiſſet. A tempore Cicero pro Milone argumentatur, non eſſe ueriſimile uoluiſſe Milonem Clodio inſidias ſtruere, quo tempore conſulatum petebat. Ita Cicero non caruit reprehenſione, quod in bello ciuili, cum ceteri ualde maererent, ipſe dicax fuerit. Ita Virgilius inuictum Priami animum a tempore oſtendit, cum ita inquit:

Hic Priamus quamquam in media iam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec uoci, iraeq. pepercit.

& Dido a tempore ducit argumentum, quo Aeneam a diſceſſu reuocet:

Quin etiam hiberno moliris ſidere claſſem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum
Crudelis.

Sed communiter omnia ſigna, ſicut initio diximus, quae non habent neceſſariam concluſionem, ſed quandam tantum probabilitatem, coniuncta, uel adiuncta uocantur, ut Simo Terentianus, Non dubium eſt, quin uxorem nolit filius, ita Dauum timere ſenſi. Sic ij, qui aliquem accuſant, anteactam uitam diligenter excutiunt, ſi quid a reo peccati commiſſum fuit. nam, qui ſemel malus fuit, ſemper talis exiſtimatur. Haſdrubal apud Varum fluuium cognouit auctas eſſe Romanorum copias, cum ſcuta uetera hoſtium notaſſet, ut ait Liuius, & ſtrigoſiores equos. Et Hannibal, cum exercitum urbi admouiſſet, nondum fractas Romanorum opes agnouit, quoniam ager, in quo caſtra locauerat, proſcriptus ſit, & & emptorem inuenerit. Cicero Catilinam oſtendit, neceſsitate coactum, mali aliquid meditari, quod magna rei familiaris anguſtia premeretur; & aeris alieni plurimum haberet. Talia erunt argumenta ab adiunctis, ſi quis pauperem, quia ſumptuoſe uiuat, furem eſſe dicat; & Matronam, quia noctu per uiam ambulet, adulteram eſſe.

CICERO

ALIA *ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus.*

EXPLANATIO

CICERO in Topicis de hoc loco ſic ait, Deinceps eſt locus Dialecticorum proprius ex conſequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus, qui etiam ab adiunctis longe diuerſus eſt. nam adiuncta, de quibus paullo ante diximus, non ſemper eueniunt; conſequentia autem ſemper. Ea enim dico conſequentia, quae rem neceſſario conſequuntur, itemq. & antecedentia, & repugnantia. Quidquid enim antecedit quamque rem, id cohaeret cum re neceſſario; & quidquid repugnat, id eiuſmodi eſt, ut cohaerere numquã poſsit. Cum tripartito igitur diſtribuatur locus hic, in conſecutionem, anteceſsionem, repugnantiam; reperiendi argumenti locus ſimplex eſt, tractandi triplex. Haec ibi Cicero. In quibus duo notanda ſunt, primum, quod argumenta, quae ex hoc loco ducuntur, omnia ſunt neceſſaria; ſecundum, quod unus quidem locus eſt, quatenus ad inuentionem, ſed triplex quatenus ad tractationem. Et antecedens quidem id dicitur, quo poſito, neceſſe eſt, ut aliud ſequatur: Vt, ſi patientia fortitudo eſt, neceſſe eſt, ut etiam ſit uirtus. ſi Socrates eſt homo, etiam neceſſario eſt animal. Conſequens id uocatur, quod rem aliquam neceſſario ſequitur; ut, Mors neceſſario ſequitur cordis uulnerationem; & uita neceſſario reſpirationem ſequitur. nam, ſi reſpirat animal, neceſſe eſt, ut uiuat. Repugnans appellatur id, quod cum re numquam cohaerere poteſt; ut, nocendi cupiditas amicitiae repugnat. Fiunt autem argumentationes hoc in genere fere tantum ex connexis pronunciatis, & ab antecedente quidem, plerumque affirmando; a conſequente, plerumque negando; a

repugnan-

repugnante utroque modo, & affirmando, & negando. Porro ab aſſumptione cognoſciturargumentum, nam, ſi in ipſa aſſumptione fuerit antecedens; erit argumentum ab antecedente, ut, Si nemini nocere iuſtitia eſt, etiam virtus eſt; ſed nemini poteſt eſſe dubium, quin iuſtitia ſit nemini nocere: quare uirtus etiam erit neceſſario. Talia ſunt illa, Si homo eſt, doctrinae capax eſt; ſed eſt homo, ergo doctrinae capax; Si color eſt, etiam qualitas eſt; ſed eſt color, ergo qualitas. Si uero in aſſumptione fuerit conſequens; argumentum erit a conſequente; ut, ſi Gracchus eſt orator, eſt etiam uir bonus; ſed non eſt uir bonus, non eſt igitur orator. Si lapis eſt animal, ſenſum habet; ſed nihil ſentit lapis, ergo non eſt animal. Quod ſi negetur antecedens; licebit interdum etiam affirmando argumentum a conſequente ducere; ut, ſi philoſophiae non eſt incumbendũ, neque honeſta, neque utilis eſt philoſophia; ſed eſt & honeſta & utilis, ergo illi incumbendum eſt. Verum ſaepius (ut dixi) per negationem a conſequente ducimus argumenta; ut, ſi Cornelius Balbus ciuitate priuatus fuerit, erit irritum Cn. Pompeij beneficium; non eſt autem irritum faciendum Pompeij beneficium, non igitur Cornelius ciuitate priuari debet. Si A. Caecina deiectus e fundo fuit, interdicto reſtituendus eſt; ſed non eſt reſtituendus, ergo non fuit deiectus. Repugnantia uocat Boetius, quae contrariorum ſunt conſequentia; ut dormire & uigilare ſunt contraria; conſequi autem plerumque ſolet, ut dormientes ſtertant, ergo haec repugnantia ſunt uigilare, & ſtertere. ita amicitia, & inimicia contraria ſunt. odium autem ſequitur inimicitiam, ergo amicum eſſe, & odio habere ſunt inter ſe repugnantia. Itaque a repugnantibus argumenta ſunt huiuſmodi; Si Plato ſtertit, certe non uigilat; Si Milonem odit Clodius, non eſt illi amicus. Cicero nobiliſsimam illam orationem pro Milone, a repugnantibus incepit. Etſi uereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſsimo uiro dicere incipientem timere. nam haec duo repugnantia ſunt, fortiſsimum eſſe, & timere. Quidam hunc locum a repugnantibus incipiunt a negatione hoc modo; Non, ſi iuſte fuit expulſus Tarquinius, etiam iuſte reſtituetur; atqui iuſte fuit expulſus, non igitur iuſte reſtituetur. Non, ſi hoſtis a ſenatu iudicatus fuit Antonius, copiis adiuuandus eſt; eſt autem iudicatus hoſtis, non igitur copiis eſt adiuuandus. quo genere argumentandi frequentiſsime Stoici utebantur, ut in multis locis oſtendit Cicero. Quin pro Milone. ſic ipſe Cicero argumentatur; Eſt, eſt profecta illa uis, neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod uigeat, & ſentiat; & non ineſt in hoc tanto naturae, tam praeclaro motu. Illud etiam a repugnantibus eſt in eadem oratione: Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam, ſi putetis per uos reſtitui poſſe, nolitis? repugnant enim haec, mortem alicuius ulciſci, & eidem uitam nolle reſtitui. Sed ſciendum eſt hunc triplicem locum apud Dialecticos, quorum proprius eſt (ut ſentit Cicero) uariis modis tractari per ſyllogiſmos, quos uocant hypotheticos, quorum tria ſunt genera. nam aliqui fiunt ex connexis pronunciatis, aliqui ex diſiunctis, aliqui ex copulatis. Connexum pronunciatum illud dicitur, cui adiungitur coniunctio illa, Si, quae oſtendat poſteriorem partem ex priore neceſſario ſequi; ut, Si currit, mouetur: Si ſpirat, uiuit: Si peperit, cum uiro concubuit. Diſiunctum uocatur, quod pluribus conſtat ſimplicibus pronunciatis, per illam coniunctionem, aut diſtincte coniunctis; ut, Voluptas aut eſt bonum, aut malum, aut neutrum. Omne corpus aut eſt animatum, aut inanime. Omne animal aut eſt particeps rationis, aut expers. Haec autem quae in diſiunctis pronunciatis ponuntur, contraria, ſeu oppoſita eſſe debent; quorum unum ſatis eſt eſſe uerum. Copulatum illud appellatur, in quo plura pronunciata colligantur per illam coniunctionem, &, ut, Scipio & ducis & militis officio fungitur: Homo & animal, & corpus, & ſubſtantia eſt. Copulati partes omnes uerae eſſe debent: nam ſi una tantum pars falſo fuerit adiuncta, totum pronũciatum falſum erit. Ex his pronunciatis ſeptem fiunt argumentandi formulae, quas in Topicis Cicero numerat, ſed paullo cõfuſius; nos ita diſtinguemus, ut tres primae formulae connexis accommodentur, quarta & quincta diſiunctis, ſexta & ſeptima copulatis. Prima igitur argumentandi formula in connexis, ita ab antecedentibus ducitur: Si grauida eſt mulier, cum uiro concubuit; eſt autem grauida, concubuit igitur. Si pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri; eſt autem pecunia ſignata argentum, legata igitur eſt. Secunda formula ducitur a conſequentibus, ut, Si orator eſt Plinius, apte, diſtincte, & ornate dicit; ſed non apte, diſtincte, & ornate dicit, non eſt igitur orator. Si Cicero non fuit bonus conſul, remp. ſua ſapientia non conſeruauit, ſed remp. conſeruauit, fuit igitur bonus conſul. Si numerata pecunia non eſt legata, non eſt numerata pecunia argentum; eſt autem numerata pecunia argentum, legata igitur eſt. Tertia formula ducitur a repugnantibus, ut, Non, ſi Chryſippus ualens eſt Dialecticus, non acute diſputat; atqui Chryſippus eſt ualens Dialecticus, igitur acute diſputat: Non, ſi Clodius Miloni inimicus eſt, eum non odit, eſt autem inimicus, odit igitur: Non, & legatum argentum eſt, & non eſt legata numerata pecunia; legatum autem argentum eſt, legata igitur numerata pecunia eſt. Quarta formula ducitur a diſiunctis, cum prior pars affirmatur, alia uero, uel aliae, ſi plures fuerint, negantur; ut, Aut eſt ſapiens Socrates, aut inſipiens; atqui ſapiens eſt, non eſt igitur inſipiens. Si arbor corpus eſt, aut eſt animatum, aut inanime; ſed inanimatum corpus eſt, non eſt igitur inanime. Voluptas aut eſt bona, aut mala, aut neutra; ſed bona eſt, igitur neque mala, neque neutra. Quincta formula ducitur etiam a diſiunctis, cum prior pars negatur, altera confirmatur: Aut dimicandum eſt a Cicerone contra Clodium, aut Roma exeundum; ſed dimicandum non eſt in multorum ciuium perniciem, Roma igitur exeundum. Aues aut participes ſunt rationis, aut expertes; ſed nequaquam rationis participes ſunt, igitur ſunt expertes. Iudicium aut a Cluentio, aut ab Oppianico corruptum eſt, ſed a Cluentio non eſt corruptum, igitur ab Oppianico: Sic enim Cicero pro A. Cluentio argumentatur. Sexta formula ducitur a copulatis, cum prior copulati pars affirmatur, altera negatur; ut, Non & dux eſt, & miles in eodem bello Scipio; dux autem eſt, non igitur miles. Non, & animal eſt; & planta Spongia; ſed eſt animal, non igitur planta. Septima formula etiam a copulatis ducitur, cum prior copulati pars negatur, altera confirmatur;

Non, & ſaluam uult eſſe patriam Antonius,& eſt hoſtis patriae; ſed non uult patriam eſſe ſaluam, eius igitur hoſtis eſt. Non, & pacem cum Pompeio uult habere Caeſar, & dominatum regium occupare, ſed cum Pompeio pacem habere non uult,ergo dominatum regium occupare cupit. Haec paullo fuſius, & copioſius perſecuti ſumus. quia neque Cicero,quamuis innuat, ſatis ea diſtinxit,neque Topicorum interpretes ſatis aduerterunt. ſunt autem hae formulae potius Dialecticorum,quam rhetorum propriae.

CICERO

Alia *ex cauſis.*

EXPLANATIO

Cavssarvm locus latiſsime patet,& maximam oratori dicendi copiam ſubminiſtrat.cum enim orator in ciuilibus quaeſtionibus,& in actionibus hominum ſit occupatus; neque quidquam fere homines ſine cauſſa faciant; certe ſiquis factorum omnium cauſſas explicare nouerit, ei numquam dicendi materia deeſſe poterit. Omnes autem cauſſae ad quattuor genera reducuntur,hoc eſt, ad materiam, ad formam,ad efficientem, & ad finem. Materia illa dicitur, ex qua fit aliquid; ut, Ex ferro fit enſis, ex ligno ſcamnum, ergo ferrum eſt materia enſis, & lignum ſcamni materia. Forma uocatur ea, quae rebus omnibus nomina dat, & a qua res appellantur; ut, Domus non a lapidibus, aut lignis, ex quibus ſubſtructa eſt, ſed a forma nomen habet: poſſunt enim eſſe lapides & ligna, neque tamen erit domus, niſi poſtquam ſuam formam habuerit. Efficiens cauſſa eſt, quae facit, ut aliquid ſit; ut architectus cauſſa efficiens eſt aedificij; & ignis cauſſa incendij, & ſtudium doctrinae. Finis denique eſt, cuius gratia reliqua omnia fiunt. quidquid enim fit, alicuius gratia fieri uidetur, & cum finem ſuum, quidquam fuerit adeptum, tunc quieſcit. itaque cauſſarum omnium praeſtantiſsimum & optimum dicunt eſſe finem, qnoniam aliae omnes ad hanc referuntur; ut cur imperator militum delectum habet, arma & commeatum parat, in hoſtes proficiſcitur, ſigna cõfert, proelium committit? certe ut uictoriam conſequatur. igitur uictoria, quae ultima eſt ac finis, omnium eſt optima. Quo fit, ut in omni deliberatione duo potiſsimum conſiderari ſoleant; fieri ne poſsit id, de quo deliberatur, & an expediat? quorum alterum ab efficientibus cauſsis colligimus, alterum a fine,ut Cicero pro Lege Man. probat bellum contra Mithridatem confici poſſe, ſi Pompeius ſummus imperator illi praeficiatur, quod argumentum eſt ab efficiente cauſſa; probat etiam eſſe ſuſcipiendum, quoniam eſt honeſtum, & utile: honeſtum, quia gloriam Romanis afferet, & iam ſuſceptam ignominiam eluet; utile, quia uectigalia maxima, quae percipiuntur in Aſia, conſeruabit, & bona multorum ciuium, & ſociorum; quae argumenta ducuntur a fine. Quamuis autem quattuor ſint genera cauſſarum; tamen,quia materia, & forma partes ſunt rei, ideo fere ſolent oratores tantum efficientem, & finem cauſſas appellare, & eis uti frequentiſsime. Licet etiam a materia ſaepe firma ducantur argumenta; ut, imaginem eſſe mollem: quia ſit ex cera, aut duram, quia ſit ex aere; aut nummum, uel anulum eſſe pretioſum, quia ſit ex auro factum; ita etiam a forma, ut caelum facile circumagi, quia ſit rotundum, & talum ſemper rectum conſiſtere, quia ſit quadratus. Sed oratores tamen, ut dixi, ſaepius efficientes, & fines conſiderant. Efficiens cauſſa duplex eſt. uel enim a neceſsitate pendet, uel a delectu. nam duo ſunt, quae ſemper alicuius gratia faciunt, nempe natura, & uoluntas. in natura neceſsitas eſt; ut cum Sol oritur, neceſſario fit dies; Ignis, admota materia ſicca, neceſſario comburit: Quod ſemel ortum eſt, neceſſario moritur. In uoluntate eſt delectus, ut homo ſibi parat, quae ſunt utilia; & quae honeſta ſunt agit. Beſtiae mediam quandam uiam habent, ut partim a natura, partim a uoluntate quadam, & appetitu trahantur. Sed nos de hominibus loquamur, in quibus duae cauſſae efficientes eſſe ſolent, hoc eſt, ratiocinatio, & impulſio. Ratiocinatio eſt, ut ait Cicero libro ſecundo de Diu. diligens & conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio; ut, ſi amicitiae quid cauſſa factum dicatur, ſi inimici ulciſcendi, ſi metus, ſi gloriae, ſi pecuniae, ceteraq. eius generis explicantur; ut pro lege Man. Maiores ueſtri ſaepe mercatoribus, ac nauiculatoribus, iniurioſius tractatis, bella geſſerunt. Item,Legati, quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres ueſtri,totius Graeciae lumen extinctum eſſe uoluerunt. Talis eſt illa ratiocinatio pro Mil. P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in praetura uexare remp. uideretq. ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes praetura gerere poſſet. Et quae ſequuntur. Impulſio eſt, quae ſine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia,aegritudo,uinolentia, ceteraq. ſimilia. nam interdum ſic animus occupatur a perturbationibus, ut nullus ſit rationi, aut conſilio locus; ut Alexander Magnus ira commotus Clytum amicum, & familiarem ſuum interfecit. quo facto deinde magnopere doluit, ita Theſeus propter iram filium ſuum Hippolytum deuouit. Cicero pro Milone tangit impulſionem, cum ita inquit: At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus,fecit ultor iniuriae, punitor doloris. pro M. Coelio idẽ errata Coelij diluere conatur ea ratione,quod propter aetatem & adoleſcentiam ad ea fuerit impulſus. Idem alio loco docet, leuiora eſſe peccata, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata,& praeparata inferuntur. Eſt etiam illa in cauſsis efficientibus differentia, quod aliquae principales ſunt, aliae ſecundariae. principales ſunt, in quibus initium eſt efficiendi, ut imperator cauſſa principalis eſt uictoriae; ſecundariae uero dicuntur, quae principalibus

auxilio

auxilio ſunt, atque illis ſubſeruiunt, ut milites, tela, tormenta. nam etiam inſtrumenta ponuntur inter cauſſas efficientes, ſed ſecundarias; ut libri doctrinae cauſſa ſunt; uerum per ſe nihil inſtrumenta poſſunt efficere, niſi, prius cauſſae principales accedant, ut praeceptor, & ſtudium. Ab efficientibus igitur ita poterimus argumentari: Qui ſibi cupit eloquentiam parare, eum multa diligenter audire, legere, ſcribere oportet. haec enim tria ſunt, quibus dicendi facultas acquiritur. talis eſt ea ſententia:

Labor omnia uincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Et Platonis illud, Gloria eſt laboris filia: Et illud Ciceronis, Nihil eſt, quod ſtudio & amore effici non poſſit: & Senecae illud, Animus hominis, quidquid ſibi imperauit, obtinuit. Cicero ſeptima in Verrem actione, Marcelli uirtute captae, miſericordia conſeruatae ſunt Syracuſae. Praeterea caſus & fortuna ponuntur inter cauſſas efficientes: nam multa caſu fortuitoq. eueniunt, praeter ſpem & cogitationem noſtram, ut Adaſtrus cum aprum uenabulo peteret, imprudens Croeſi filium, cuius cuſtos erat, interemit. hoc igitur caſu fortuitoq. dicitur eueniſſe. Ita ſi quis agrum fodiens theſaurum inueniret, id a fortuna diceretur accidiſſe; ſed haec cauſſa latens & incerta eſt; quo fit ut in ciuilibus controuerſiis raro locum habeat. Iam uero finis, quē omnium cauſſarum optimum eſſe diximus, plurima nobis argumenta ſuppeditare ſolet. tria ſunt enim, quae ſibi homines, tamquam fines expetendos, proponunt, hoc eſt honeſtas, utilitas, uoluptas. itaque cum aliquid ſuadere uolumus, id uel honeſtum, uel utile, uel iucundum eſſe, probare debebimus. ſic enim facile mouebitur animus ad illud amplectendum. ut Cicero pro P. Sextio ſic adhortatur a fine: Haec imitamini per deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaeritis: haec ampla ſunt, haec diuina, haec immortalia, haec fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur. A fine duxit illud argumentum Iuuenalis:

Quis enim uirtutem amplectitur ipſam,
Praemia ſi tollas?

& Horatius illud,

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Sic Turnus milites ſuos hortatur, ut pro coniugibus, & domeſticis ſuis, & pro gloria dimicet: ſic enim ait:

Nunc coniugis eſto
Quiſque ſuae, tectiq. memor, nunc magna referto
Facta patrum, laudes.

Sed finis longe lateq. patet. quidquid enim ſibi homines proponunt, & cuius gratia faciunt aliquid, is finis dicitur, &, cum ab eo ducuntur argumenta, dicuntur a fine duci.

CICERO

Alia *ex effectibus.*

EXPLANATIO

QVAE efficiuntur ex cauſis, a Cicerone modo effectus, modo euenta dicuntur. Locus autem hic ab effectibus, iis, qui ornate & copioſe loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi ſuppeditare ſolet, cum denunciant, quid ex quaque re ſit futurum. cauſſarum enim cognitio, cognitionem euentorum facit. M. Antonius apud Ciceronem ſic ait, Ex iis autem, quae ſunt orta de cauſis, Si aerarij copiis, & ad belli adiumenta, & ad ornamenta pacis utimur, uectigalibus ſeruiamus. Cicero pro Lege Man. Etenim, ſi uectigalia neruos eſſe reip. ſemper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte eſſe dicemus. In eadem oratione probat ab effectis Pompeium rei militaris eſſe peritiſsimum, quod nullum belli genus eſſe poſſet, quod non ille cum laude confeciſſet. atque in eodē Pompeio magnam eſſe uirtutem, & auctoritatem etiam ab effectis probat. Quin quoties aliquem laudamus, aut uituperamus, ſemper fere ab effectis argumenta ducimus. Igitur huiuſmodi argumenta ducuntur ex effectibus. Socrates gaudet officio, neminem offendit, ergo uir bonus eſt. M. Antonius contra patriae liberatores bellum gerit; ergo eſt hoſtis patriae. Lac habet mulier, ergo peperit. Melior dux Scipio, quam Hannibal, uicit enim Hannibalem. Cato bonus eſt agricola, nam uberes fructus ex praediis ſuis colligit. Cicero res a ſe geſtas plurimum laudat, ergo eſt ambitioſus. Acute diſputat Chryſippus, ergo ualens eſt dialecticus. In ſumma, quoties ex factis alicuius, aut ex euentis aliquid colligimus, tunc ex hoc loco ducimus argumentum, quod quidē & apud oratores, & apud reliquos ſcriptores frequentiſsimum eſt.

CICERO

Alia *ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum.*

EXPLA-

EXPLANATIO

COMPARATIO dicitur, quoties duo, uel plura ſic inter ſe conferuntur, ut intelligatur, quid maius ſit, & quid par, quid minus. Qui locus eſt copioſiſsimus, ut cum quaerimus, quid honeſtius, aut aeque, aut minus honeſtum; quid utilius, aut aeque, aut minus utile; quid iucundius, aut aeque, aut minus iucundum: quae diligenter in Topicis Cicero perſequitur, & longe diligentius Ariſtoteles tertio Topicorum. Honeſtius, ut illud, Si bona exiſtimatio diuitiis praeſtat, & pecunia tantopere expetitur; quanto gloria magis eſt expetenda. Aeque honeſtum, ut illud, Si conſilio iuuare ciues, & auxilio, aequa in laude ponendum eſt, pari gloria debent eſſe ij, qui conſulunt, & ii, qui deſcribunt. Minus honeſtum, ut illud, Hic paruae conſuetudinis cauſſa huius mortem fert tam familiariter, quid ſi amaſſet, quid mihi hic faciet patri? Eodem modo etiam contraria comparantur, ut quid turpius, quid aeque turpe, quid minus turpe. ut, Si turpius eſt, improbum eſſe, quam pauperem; & omnes paupertatem tantopere fugiunt; quare non magis fugienda eſt improbitas. Si aeque turpe eſt, & per malitiam fallere, & per imprudentiam falli, utrumque eodem modo cauendum eſt. Si minus peccat, qui mendacium dicit, quam qui peierat; & uir bonus ab omni mendacio abſtinet, quanto magis periurium uitabit? Iam in utilibus eadem eſt comparationis ratio; ut melius eſt eſſe ſanum, aut pauperem, quam diuitem, & aegrotnm. Aeque utile eſt, opulento uiro ſuas res domeſticas curare, & opifici in arte ſua diligentem eſſe: Minus utile eſt, litterarum ſtudiis inhaerere, quam mercaturam exercere. Quod autem in rebus honeſtis & utilibus fit, idem etiam in iucundis. ut longe iucundius eſt, in rerum altiſsimarum contemplatione uerſari, quam remp. adminiſtrare. Aeque iucundum eſt bonam amici fortunam, atque ſuam intueri, minus delectat iuri ciuili operam dare, quam Philoſophiae. Atque hae quidem comparationes ſunt de rebus expetendis, aut fugiendis. Sunt aliae, quae ducuntur ab hominum actionibus, uel a maiori, uel a minori, uel a pari. A maiore, ut qui fallere conſueuit patrem, tanto magis audebit ceteros. Siquis ſacrilegium fecit, faciet etiam furtum. Omnium eſt communis inimicus, qui fuit hoſtis ſuorum. Quid putandum eſt Verrem in Sicilia & externis locis feciſſe, qui Romae tam improbe latrocinatus eſt. Si Hannibal imperium Romanum euertere non potuit, multo minus Antiochus poterit: Caeſarem ferre non potuimus, & Antonium perferemus? A minore, An uero uir ampliſsimus P. Scipio pontifex Max. Tib. Graechum, mediocriter labefactantem ſtatum reip. priuatus interfecit; Catilinam uero orbem terrae caede, atque incendiis uaſtare cupientem nos conſules perferemus? Virgilius:

Lacrymisq. coacti,
Quos neque Tydides, nec Lariſeus Achilles
Non anni domuere decem, non mille carinae, Horatius:
Nam cur
Quae laedunt oculos feſtinas demere, ſi quod
Eſt animum differs curandi tempus in annum.

Cicero pro Lege Man. Illi libertatem ciuium imminutam non tulerunt; uos uitam ereptam negligetis? ius legationis uerbo uiolatum illi perſecuti ſunt; uos legatum populi R. omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? A pari, ut lib.4. Aeneid.

Si te Carthaginis altae
Phoeniſſam, Libycaeq. adſpectus detinet urbis,
Quae tandem Auſonia Teucros conſidere terra
Inuidia eſt, & nos fas extera quaerere regna.

Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit; & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Eiuſdem eſt & eripere contra remp. & largiri pecunias. Differt ab exemplo comparatio, quoniam exemplum eſt comparationis ſpecies, nam multae comparationes ſunt, quae non ſunt exempla, ut illud L. Craſsi contra Philippum: Ego te conſulem putem, cum tu me non putes conſularem? Quinctilianus, Tu ſi tribunus eſſes, hoc feciſſes? ſi miles, hoc tuliſſes. Cicero pro Milone, Facere enim probus adoleſcens periculoſe, quam perpeti turpiter maluit. Exemplum uero comparatio quaedam eſt, ut illud Lucuni:

Nec longe factorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Rodolphus Agricola comparationem a ſimilitudine ſic diſcreuit, quod comparatio ſit, cum duo uel plura ſic inter ſe conferuntur, ut tertio aliquo, quod commune ſit eis, uel quaſi commune, conueniant; ut, ſi Catoni licuit bellum ciuile ſequi, licuit etiam Ciceroni. Similitudo uero, cum duo ſic inter ſe conferuntur, ut quemadmodum hoc in iſto, ſic illud etiam ſe habeat in illo, ut apes mellis ſaporem ex multis floribus conficiunt, ita eloquentia pluribus conſtat ſcientiis. Mihi magis placet ea diſtinctio, quod exempla proprie comparationesq. tantum ad homines & ad hominum res & facta pertinent: Similitudines autem ad res omnes tam inanimatas, ut longe ſit amplior ſimilitudo, quam comparatio proprie dicta. Nam communiter omnis ſimilitudo dicitur etiam comparatio, & contra. quo fit, ſi communiter loqui uelimus, nulla ſit inter comparationem & ſimilitudinem differentia; ſi proprie, comparatio tantum ad homines referatur, ut ab exemplis ſupra poſitis intelligi poteſt.

CICERO

VT definitio, ut contrarium, ut ea, quae ſunt ipſi contrario ue eius, aut ſimilia, aut diſſimilia, aut conſentanea, uel diſſentanea.

EXPLANATIO

HVNC locum nemo hactenus interpretum, quod ſciam, intellexit. nan Valla putat Ciceronem locos poſitos breuiter tractare. quod ineptum eſſet in tanta breuitate. ſupra enim locorum tantum nomina poſuit. Catomius putat, haec eſſe tamquam exempla locorum ſupra poſitorum, quemadmodum etiam ante dixit Cicero, diuinum teſtimonium eſt, ut oracula, ut auſpicia, ut uaticinationes: ſed, quam ridiculum eſſet, ſi quis ita diceret, definitio, contrarium eſt, ut contrarium? eſt enim abſurdum idem per idem exponere. Strebaeus putat hos non eſſe ueros locos, ſed locorum ſimilitudinem habentes. eſt enim aliqua uera definitio, de qua ſupra dictum eſt: eſt etiam, quae re uera non eſt definitio, ſed ut definitio, hoc eſt quae definitionis ſpeciem habet, licet re uera non ſit definitio, atque ita de aliis ſentit. Sed haec interpretatio ideo falſa eſt, quia non tam exquiſite rhetores locos tractant, ut dialectici, ſed quidquid definitionis ſimilitudinem habet, id uocant definitionem, etiam ſi non ſit uera definitio, ut non ſit opus duos locos facere, quorum alter dicatur Definitio; alter ut Definitio. Quid ergo? quomodo nos locum hunc interpretabimur? equidem exiſtimo continuandam eſſe cum ſuperiore loco ſententiam, ut ſignificare uelit Cicero comparationem omnes fere locos peragrare. ut ſit ſenſus, Alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum, ut definitio, ut contrarium, & reliqua; hoc eſt alia uocantur argumenta ex comparatione, ut quando definitio cum definitione comparatur, aut contrarium cum contrario, aut ſimile cum ſimili, & ita de reliquis. Vt haec omnia, quae deinceps enumerantur, ad unum comparationis locum pertineant, quem & in Topicis lib. 2. de Orat. & alio loco, & hic, locorum affectorum poſtremum facit. Non eſt autem dubiũ, quin in comparatione ponantur aliquando & definitiones, & contraria, & ſimilia, & diſſimilia, & cetera, quae hic ponuntur, ut docet Ariſtoteles, & ipſe Cicero in Topicis. Quam interpretationem meam adiuuant ea uerba Ciceronis, quae in extrema parte huius loci ponuntur, cum ita inquit: In quibus aut naturae rerum, aut facultates comparantur. cum enim in comparatione definitiones ponuntur, tunc naturae rerum inter ſe comparantur; cum autem contraria, uel ſimilia, uel cauſſae adhibentur, tunc comparantur facultates. Interdum igitur ad comparationis locum definitio refertur. ut, Quemadmodum Rhetorica eſt bene dicendi ſcientia, ita Dialectica bene iudicandi. Sicut optimates ij dicuntur, qui conſilia ſua optimo cuiq. probari uolunt: ita populares, qui populi ſalutem curant. Melius eſt diuinarum atque humanarum rerum ſcientiam habere, quam polite loqui; ergo Philoſophia Rhetoricae praeſtat. Huc refertur quaeſtio de eodem, & altero, quae ad definitionem pertinet, ut Ariſtoteles eſt auctor, & per comparationem explicatur, ut Cicero pro M. Coelio. Sed aliud eſt maledicere, aliud accuſare; accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem, ut notet, argumento probet, teſte confirmet; Maledictio autem nihil habet propoſiti praeter contumeliam, quae ſi petulantius iactatur, conuicium; ſi facetius, urbanitas nominatur. Idem pro Roſcio: Aliud eſt iudicium, aliud arbitrium, iudicium eſt pecuniae certae, arbitrium incertae. Non idem rex eſt, & tyrannus, Rex enim is eſt, qui iuſtitiam, & leges plurimum ualere uult, & non tantum ſuam, quam ſubditorum utilitatẽ quaerit: tyrannus autem eſt, qui contemptis legibus ad utilitatem ſuam omnia refert, & pro libidine cuncta adminiſtrat. Quod autem quæſtio de eodem & altero ſub comparatione contineatur, auctor eſt etiam in Topicis Cicero. ut non dubitandum ſit, quin interdum definitionis locus in comparatione ponatur. VT *contrarium.*] Saepe etiam inter ſe contraria comparantur; ut, Quemadmodum ſapor dulcis, guſtu iucundus eſt; ſic amarus eſt moleſtus; ut, Laborioſus homo, quaecumque uult, efficit, ita ignauus nullum recte negotium exſequitur. Sicuti melior eſt uir iuſtus, quam fortis; ita deterior eſt iniuſtus, quam ignauus. Longe utilior eſt bonae ualetudinis exercitatio, quam otium. Magis obeſt puerorum ingeniis patrum indulgentia, quam ſeueritas. VT *ſimilia.*] Interdum aliqua comparantur inter ſe non alia de cauſſa, niſi ut ſimilia uideantur. Vt adulter prodigo perquam ſimilis eſt, ambo enim pecunias temere profundunt. Cicero de Antonio: Quid intereſt, utrum hanc urbem oppugnet, an huius urbis propugnaculum? Forti uero ſimilior eſt audax, quam patiens. Nam patiens tantum ea, quae iam euenerunt, mala tolerat; audax uero ſine ullo timore uenientibus periculis occurrit. VT *diſſimilia.*] Non eodem modo procurator fidem praeſtare debet, quo tutor: neque enim procurator parentis loco eſt, ſicuti tutor. Non ex poetarum lectione tanta utilitas percipitur, quanta ex libris philoſophorum. nam poetae iucundis fabellis oblectare ſolent; philoſophi uero utiliſsima ad bene beateq. uiuendum praecepta tradunt. CONSENTANEA,] Qui melior ciuis eſt, is etiam melius remp. adminiſtrabit. Si Caeſar ſupplicantibus aliis pepercit, etiam Ligario ſupplicanti parcet. Si Stalenus in aliis iudiciis corruptus fuit, etiam in iudicio Cluentij corruptum fuiſſe uериſimile eſt. DISSENTANEA.] ſic inter ſe comparantur, ſi aegrotus eſt Plato, non poteſt eſſe bene coloratus. Si formoſa eſt mulier, & audax, pudica eſſe non poteſt. haec enim diſſentanea ſunt; eſſe aegrotum, & eſſe bene coloratum; eſſe formoſam, atque audacem, & eſſe pudicam.

CICERO

Avt *ea, quae ſunt quaſi coniuncta.*

EXPLANATIO

Comparantvr ea ſaepe inter ſe, quae quaſi coniuncta ſunt, & rem uel antecedunt, uel cum ea cohaerent, uel eam ſequuntur. cuius rei pulcherrimum eſt exemplum apud Ciceronem illis uerbis: in orat. pro Roſcio Am. Reſtat, iudices, ut haec dubitemus, uter potius Sex. Roſcium occiderit te, ad quem morte eius diuitiae uenerint, an is, ad quem mendicitas; is, qui antea tenuis fuerit, an is, qui poſtea factus ſit egentiſsimus; is, qui, ardens auaritia, feratur infeſtus in ſuos, an is, qui ſemper ita uixerit, ut quaeſtum noſſet nullum, fructum autem eum ſolum, quem labore peperiſſet; is, qui omnium ſectorum audaciſsimus, an is, qui propter fori iudiciorumq. inſolentiam non modo ſubſellia, uerum etiam urbem ipſam reformidat. Haec enim omnia, quae ponuntur in hac comparatione, quaſi coniuncta ſunt; & declarant, uter magis culpae ſit affinis. Tale eſt illud, Audacior & confidentior is eſſe ſolet, qui inter militem & armatos aſsidue uerſatur, quam qui uitam amat ruſticanam. Impudentior eſt mulier, quae frequenter cum uiris familiariter loquitur, quam quae uirorum congreſſum fugit.

CICERO

Avt *ea, quae ſunt quaſi pugnantia inter ſe.*

EXPLANATIO

Ea, quae ſunt inter ſe pugnantia, cum in comperatione ponuntur, magnam ſaepe uim habent, ut Cicero, tanto magis eſſe laudandum Octauium adoleſcentem ait, quod exercitum contra M. Antonium coegiſſet, quo minus id ab eo exſpectabatur. ſunt enim haec quaſi pugnantia, Eſſe adoleſcentem, & exercitum contra ſummum imperatorem ex tempore cogere. Talia ſunt illa, Eo laudabilior, & admirabilior Themiſtoclis uirtus imperatoria fuit, quo ille intemperantiorem egit adoleſcentiam. Tanto maiorem ignominiam ſubiit Demoſthenes, cum, in conſpectu Philippi uerba facturus, obmutuit, quanto praeſtantior apud Athenienſes orator habebatur.

CICERO

Avt *earum rerum, de quibus agitur, cauſſae.*

EXPLANATIO

Saepe etiam cauſſae rerum inter ſe comparantur, & praecipue in coniecturalibus controuerſiis, cum de facto quaeritur. ut pro Milone Cicero probat, multo plures cauſſas habuiſſe Clodium, cur inſidias Miloni ſirueret, quam Milonem, cur Clodio inſidiaretur. Quid enim, inquit, odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuae gloriae, praeter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat, ut odiſſet primum defenſorem ſalutis meae, deinde uexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremo etiam accuſatorem ſuum. Ita in oratioue pro Roſcio Am. docet, in Roſcio nullam fuiſſe cauſſam, cur patrem interficeret, in accuſatoribus autem plurimas. Talia ſunt illa argumenta: Magis ciuilis belli Cato cauſſa fuit, quam Pompeius. Cato enim Caeſari ſemper infeſtus fuit, & Pompeium etiam contra Caeſarem incitauit. Non Clodius auctor fuit, ut in exſulium Cicero proficiſceretur, ſed Caeſar, qui Clodij conatibus auxilio fuit. Cicero in Antonium, Tibi certe confitendum cauſſam pernicioſiſsimi belli in tua perſona conſtitiſſe.

CICERO

Avt *cauſſarum euentus, ideſt, quae ſunt effecta de cauſſis.*

EXPLANATIO.

Eventvs, uel effecta ſi comparentur inter ſe, declarant quanta ſit inter cauſſarum efficientium praeſtantiam differentia. nam, cuius artificis opera praeſtantiora ſunt, & pulchriora, is etiam melior haberi ſolet. ut ſi Phidiae ſimulachra ſtatuaeque, Lyſippi ſtatuis antecellunt; ergo Phidias Lyſippo melior artifex eſt. Si Demoſthenis orationes maiorem dicendi uim in ſe habent, quam orationes Ciceronis; ergo Demoſthenes in eloquentia Ciceroni praeſtat. Huc ſpectat ea Caeſaris uox, quam emiſir, Pharnace Ponti Rege deuicto, O te felicem Pompeium, cui contigit, cum tam imbelli hominum genere dimicare. nam hac uoce declarauit,

clarauit, ſe praeſtantiorem eſſe imperatorem, quam Pompeius fuerit, quoniam ipſe Heluetios, Germanos, & Gallos, qui populi bellicoſiſsimi, ſunt, deuicerat, Pompeius autem Aſiae populos imbelles ſuperarat. Cicero in Piſonem res a ſe geſtas,& earum euentus,honoresq.ac dignitates,quas adeptus fuerat, cum rebus a Piſone geſtis comparat,ut oſtendat ſe meliorem,& reip.utiliorem eſſe uirum, quam eſſet ipſe Piſo. Idem pro lege Man.facta Pompeij cum reliquorum imperatorum factis comparat: Nam ea magis,inquit;aliorum contentione, quam ipſa per ſe cognoſci,atque intelligi poſſunt.

CICERO

VT *diſtributiones*.

EXPLANATIO

DISTRIBVTIO eſt, ut ait Cornificius, cum in plures res, aut perſonas certas negotia quaedam diſpertiuntur hoc modo. Accuſatoris officium eſt inferre crimina, defenſoris diluere,& propulſare. Cicero de prouinciis conſularibus, Actum eſt de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii exempla quaerebant,alij tempus diferebant,alij ſine ullis uerborum ornamentis dabant. Pro M Coelio, Si uoluit accuſare, pietati tribuo; ſi iuſſus eſt,neceſsitati: Si ſperauit aliquid, pueritiae. In eadem,Sed iſtarum partium culpa eſt eorum, qui te agere uoluerunt, laus pudoris tui,quod ea te inuitum dicere uidebimus; ingenij, quod ornate, politeq. dixiſti. Rurſus in eadem: Cum triſtibus ſeuere, cum remiſsis iucunde, cum ſenibus grauiter, cum iuuentute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe uiuere. Eſt autem hoc genus quoddam comparationis,ut ſatis apparet, quod per diſtributionem fit. ut,Sicut ſenatus officium eſt conſilio ciuitatem iuuare, ita magiſtratus opera, & diligentia conſequi ſenatus uoluntatem, populi uero, idoneos uiros ſuis ſuffragiis eligere.

CICERO

VT *genera partium, genera generum ue partes*.

EXPLANATIO

EX comparatione generũ inter ſe plerumque ſpecies, ſeu partes cognoſcuntur, ita etiam contra, ſi partes inter ſe comparentur, ſaepe genera dignoſcuntur. ut, quemadmodum uirtus, & uitium in genere qualitatis ſunt; ita etiam Sapientia, & ſtultitia, ſapientia enim uirtutis pars eſt, ſtultitia uitij. Si belli duces utiliores ſunt reip.quam iuriſconſulti: L. Murena,qui belli dux eſt, Seruio Sulpicio iuriſconſulto eſt anteponendus. Haec enim duo genera ſunt,duces belli, & iuriſconſulti; partes autem eorum ſunt ſinguli homines,qui fiunt belli duces, aut iuriſconſulti. Grauius peccatum eſt ſenis, quam adoleſcentis: Senex enim cum propter aetatem,quae iam deferbuit, tum propter uſum rerum prudentior eſſe debet; adoleſcenti uero conceſſu omnium datur aliquis ludus,& ipſa natura profundit adoleſcentiae cupiditates. Itaque maiori dignus eſt reprehenſione Cato cenſorius, qui iam octogenarius puellam liberti ſui filiam uitiauit, quam Coelius, qui florenti aetate Clodiae amoribus deditus fuit. hoc enim argumeutum ex comparatione ſenum & adoleſcentium ductum eſt,quae duo ſunt hominum genera: partes autem ſunt, Cato, Coelius. Nam apud Oratores quidquid multa complectitur, genus dicitur, etiam ſi illa, quae continentur, ſingularia ſint,& indiuidue,ut Murena, Seruius, Cato, Coelius; quae uero continentur, partes appellantur. Cicero lib. 2 de of. cum probare uelit,multas res urbanas maiores clarioresque,quam bellicas fuiſſe, commemorat Solonis urbanum factum, quo Areopagitas conſtituit, & illud eum uictoriis Themiſtoclis comparat: Et Lycurgi leges cum Pauſaniae Lyſandriq. rebus geſtis confert, itaque ex partium collatione, probat id, quod in genere poſuerat. quare,licet uel ex generum comparatione de partibus aliquid concludere; uel contra,ex contentione partium, de generibus concludere, quae uolumus.

CICERO

VT *primordia rerum, & quaſi praecurrentia,in quibus ineſt aliquid argumenti*.

EXPLANATIO

QVAE rem praecedunt, & eius quaſi primordia ſunt, inter ſe collata, nobis interdum argumenta nd facultatem praebent: ſunt enim tamquam praeiudicia, quaedam. hoc argumentandi genere copioſiſsime Cicero utitur in ea oratione, quae Diuinatio inſcribitur,ubi ſe cum Caecilio comparat,& oſtẽ

dit

dit ſe longe meliorem Verris accuſatorem futurum, quam Caecilium; quod ipſe magno ſtudio a pueritia in arte dicendi elaboraſſet, quod in foro, iudiciisq. ita uerſatus eſſet, ut eiuſdem aetatis aut nemo, aut pauci plures cauſſas defendiſſent, & omne tempus, quod ſibi ab animorũ negotiis daretur, in ſtudiis laboribusq. conſumeret, quo paratior ad uſum forenſem promptiorq. eſſe poſſet; cum interim Caecilius nihil laboraſſet, nihil de iis ſtudiis cogitaſſet. Nam haec, quibus ſe ſtuduiſſe dicit, ſunt primordia boni oratoris, & quaſi praecurrentia ad fortem, & conſtantem accuſatorem. Talia ſunt illa argumenta; Caeſar in bello ciuili ſuperior ea de cauſſa fuit, quod robuſtiores & magis ueteranos milites habebat, quam Pompeius. Cicero non alia de cauſſa Caeſare fuit eloquentior, niſi quia Caeſar rei militari magis ſtuduit: Cicero autem magno ſtudio fere quotidie in dicendi ratione ſe exercuit.

CICERO

VT rerum contentiones, quid maius, quid par, quid minus, in quibus, aut naturae rerum, aut facultates comparantur.

EXPLANATIO

IN comparationis loco ſpectantur rerum contentiones, ex quibus intelligitur, quid ſit maius, quid par, quid minus. Comparantur autem inter ſe naturae rerum, ut ſciri poſsit, quae melior, & quae deterior natura ſit: & facultates, ut quae res maiorem uim habet, quae parem, quae minorem. In natura ſpectatur numerus & ſpecies. Numero ſic comparantur, ut plura bona paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala malis pluribus. Specie comparantur, ut quae propter ſe expetenda ſunt iis, quae propter aliud, anteponantur: Honeſta utilibus, procliuia laborioſis; neceſſaria non neceſſariis: In facultate ſpectatur uis & affectio. uis in comparatione ſic cernitur, efficiens cauſſa grauior, quam non efficiens. Quae ſeipſis contenta ſunt, meliora, quam quae egent aliis; ſtabilia, incertis. Affectio, ut principum commoda maiora, quam reliquorum; quae iucundiora; quae pluribus probata; quae ab optimo quoque laudata. Parium uere comparatio, nec elationem habet, nec ſubmiſsionem, eſt enim aequalis. ſed haec Ariſtoteles copioſe pertractat. Exempla poſſunt haec eſſe; primo quid maius. ferrum auro multo utilius eſt, quoniam eo pluribus in rebus, quam auro utimur: ſecundo quid minus, Philoſophi ſunt iuriſconſultis inferiores; quoniam uitam ſolitariam amant, & ſibi tantum ſtudent; iureconſulti autem ciuibus auxilio ſunt, & remp. iuſte adminiſtrant. Tertio quid par. Non minus debent Athenienſes Soloni, qui leges condidit, quam Themiſtocli, qui patriam ſeruauit. Sed a Cicerone ſumamus exempla, quae frequentiſsima ſunt, ut, A maiori, pro Cor. Balbo, Etenim cũ pro ſua patria pauci poſt genus hominum natum reperti ſunt, qui nullis praemiis propoſitis uitam ſuam hoſtium telis obiecerint, pro aliena rep. quemquam fore putamus, qui ſe opponat periculis, non modo nullo propoſito praemio, ſed etiam interdicto? A minori, ut in eadem oratione: Cum Graeci homines, ſpectati uiri, noluerint religione uideri potius quam ueritate fidem eſſe conſtrictam, uos etiam in ipſa religione & legum & foederum cõſeruanda, qualis fuerit Cn. Pomp. dubitamus. A pari, ut in eadem, Quod ſi ciui Romano licet eſſe Gaditanum, ſiue exſulio, ſiue poſtliminio, ſiue reiectione huius ciuitatis, quid eſt, quamobrem ciui Gaditano in hanc ciuitatem uenire non liceat?

CICERO

C. F. Omnibus ne igitur ex his locis argumenta ſumemus? C. P. Immo uero ſcrutabimur, & quaeremus ex omnibus: ſed adhibebimus iudicium, ut leuia ſemper reiiciamus, nonnumquam etiam communia praetermittamus, & non neceſſaria.

EXPLANATIO

POSTQVAM enumeratos a patre locos, & argumentorum ſedes, Cicero filius audiuit; nunc petit, an oporteat ſemper ex omnibus argumenta ſumere; hoc eſt, cum de aliqua re diſputare uolumus, an ſemper opus ſit locos omnes perſcrutari, & uidere, quae argumenta poſsint ex eis erui, ad probandam rem propoſitam. & reſpondet pater, opus quidem eſſe ſcrutari, & quaerere argumenta ex locis omnibus, ſed tamen id eſſe cum iudicio faciendum. Tria ſunt enim argumentorum genera, quae uel nihil, uel parum admodum in cauſsis proſunt, hoc eſt, Leuia, communia, & non neceſſaria. Leuia dicuntur, quae probandi uim non habent; ut, Erucius dicebat a Roſcio patrem interfectum fuiſſe, propterea quod eum pater rus ablegarat. hoc eſſe leuiſsimum Cicero oſtendit. itaque hoc genus ab oratore prorſus eſt reiiciendum, quoniam ab aduerſariis, atque etiam a iudicibus contemnitur. Communia dicuntur, quibus etiam aduerſarij poſſunt uti, atque in nos retorquere; ut idem Erucius dixerat a Roſcio filio patrem interfectum eo tempore, quo

magna

magna erat impunitas gladiorum; hoc in accuſatores Roſcij Cicero retorquet, quod eſſent ſicarij, & audaciſsimi homines. quare debet orator etiam haec argumenta, quae communia ſunt, praetermittere. Non neceſſaria dicuntur illa, quae concluſionem neceſſariam non habent, etiam ſi uera ſint, ut eum, qui domi fuit, furtum feciſſe. ut Ciceronem mortis Caeſaris & coniurationis in eum fuiſſe conſcium, quod M. Brutus pugionem, quo Caeſarem trucidarat, cruentum tenens, Ciceronem nomine compellaſſet. haec interdum ſunt omittenda, quando parum adiuuant; interdum adhibenda, quando multa ſimul concurrunt Nam quamuis ſingula parum firma ſint, tamen conglobata, & coaceruata ualent. Sicut etiam communia quandoque propter multitudinem uim habent maximam. Imitabitur autem orator bonum imperatorem, qui, cum delectum militum habet, pueros & ſenes reiicit; eos autem, qui uirili ſunt in aetate conſtituti, potiſsimum eligit. deinde quos fortiſsimos eſſe intelligit, eos in cornibus & a fronte, atque a tergo collocat, infirmiores autem in medio ſtatuit, ut uel inuiti pugnare compellantur. quod ordinis & diſpoſitionis genus apud Homerum Neſtor uehementer approbat. Sic orator initio confirmationis ſuae ſemper aliqua firmiſsima collocare debet argumenta, ita etiam in fine, ſed in medio poterit etiam leuiora, & non neceſſaria plerumque ponere, quae a circumſtantibus probandi uim accipient. Quoniam igitur Cicero praecipit, ut ſcrutemur, & quaeramus ex omnibus locis argumenta; uideamus quomodo id facere poſsimus, in aliquo propoſito themate, ut ſi probandum ſit hoc. Philoſophiae danda eſt opera, uel Philoſophia eſt expetenda. primum igitur a Philoſophiae definitione ſic argumentari licet. Rerum diuinarum, atque humanarum cognitio, quae noſtros animos perficit, magnopere eſt expetenda; ſed Philoſophia nihil aliud eſt, quam rerum diuinarum & humanarum cognitio; quare philoſophia magnopere expetenda eſt, Ab enumeratione partium: Tria ſunt, quae debent homines uehementer expetere, hoc eſt prudenter loqui, honeſte ſe gerere, & rerum cauſſas intelligere; ſed haec omnia ſola philoſophia docet; igitur philoſophia uehementer eſt expetenda. A Notatione uerbi: Sapientiae ſtudium maxime laudabile eſt, & expetendum; ſed philoſophia nihil aliud ſignificat, quã ſapientiae ſtudium; ergo philoſophia laudabilis eſt, et expetenda. A coniugatis, Res quaedam praeclara eſt, & oratione, & uita philoſophari, ut mores honeſti probatae orationi reſpondeant; itaque, ſi quis, & uiuere & loqui philoſophice cupit; is philoſophiae det operam oportet. A genere: Liberalibus quidem ſcientiis omnibus incumbendum eſt, ſed iis praecipue, quae reliquis antecellunt; philoſophia uero quaſi regina eſt optimarum artium: quamobrem ei potiſsimum eſt incumbendum. A forma: Si ciuilis ſcientia, quae ſpecies quaedam eſt, & pars philoſophiae, propterea, quod magnos honores, & utilitates affert, tantopere eſt expetenda; quanto magis uniuerſa philoſophia expeti debet, quae non tantum ciuilem ſcientiam, ſed etiam alias multas egregias artes continet? A ſimilitudine, Quemadmodum ea ſtudioſe quaerimus, quibus corpus adiuuatur & exornatur; ita etiam philoſopiam ſtudioſe amplecti debemus. quae plurimum animum adiuuat, & exornat. A differentia, Non ut diuitiatum, ſic etiam philoſophiae poſſeſsio eſt. nã diuitias auferre nobis facile fortuna poteſt: Philoſophiae uero firma eſt, & ſtabilis poſſeſsio; multo igitur magis philoſophiae, quam diuitiis operam dare debemus. A contrario, Inſipientia totis uiribus fugienda eſt, quare philoſophiae danda opera eſt, quae ſapientiam praeſtat. A coniunctis, Praeclarum eſt ſumma cum animi tranquillitate uiuere, ea contemnere, quae ceteri mirantur, nemini nocere, prodeſſe quamplurimis; haec autem philoſophicae uitae coniuncta ſunt; igitur philoſophiae danda eſt opera. Ab antecedentibus, Si philoſophia magnum eſt animi ornamentum & perfectio; uehementer expetenda eſt; eſt autem philoſophia magnum animi ornamentum & perfectio; expetenda igitur. A conſequentibus: Si Philoſophia non eſt expetenda, aut damnum aliquod affert hominibus, aut nihil prodeſt; ſed nullum damnum affert, & plurimum prodeſt; igitur eſt expetenda. A repuganantibus: Non ſi honeſta & utilis eſt philoſophia, non eſt expetenda, repugnat enim aliquid eſſe honeſtum & utile, & id non eſſe expetendum; eſt autem philoſopia honeſta & utilis; expetenda igitur. A cauſsis, hoc eſt ab efficiente & fine; cum omnes homines naturae ipſius inſtinctu bene beateq. uiuere cupiant, & felicitatem conſequi, id autem Philoſophiae ſtudium praeſtare poſsit; quis eſt, qui philoſohiae non operam magnam dandam eſſe cenſeat? Ab effectis, Philoſophia eſt uitae dux, uirtutis indagatrix, expultrixq. uitiorum, quae nobis tranquillitatem uitae largitur, & terrorem mortis aufert; totis igitur eam uiribus amplecti debemus. A comparatione, Si tanto ſtudio diuitias accumulare ſtudemus, quae momento temporis amitti poſſunt, neque nos meliores efficiunt; quanto magis philoſophiae ſtudendum eſt, quam nemo nobis eripere poteſt, & bonos ac beatos efficit? Ab exemplo, quae ſpecies eſt comparationis, ut antea docuimus: Pythagoras, Democritus, Plato plurimiq. alij diuerſas mundi regiones magno cum uitae diſcrimine peragrarunt, philoſophiam ut diſcerent; nos domi noſtrae quieti atque ſecuri philoſophiae operam non dabimus? Hoc igitur modo ſcrutabimur, & quaeremus ex omnibus locis argumenta; quinetiam ab iis, quae aſſumuntur extrinſecus, quae teſtimonia uocantur, poſſumus hoc idem affirmare. A diuino teſtimonio, Socrates, quia moralis philoſophiae fuit auctor, & illi maxime deditus, ab Apollinis oraculo ſapientiſsimus omniũ iudicatus fuit; igitur, ut ſapientes habeamur, philoſophiae eſt incumbendum. Ab humano teſtimonio, Plato ait, Nullum bonum optabilius philoſophia, nullum praeſtantius, neque datum eſſe mortalium generi deorum conceſſu, neque datum iri; quapropter maiorem in modum eſt expetenda philoſophia. Iam ſatis conſtat, qua ratione ſint ex locis argumenta ducẽda. quod enim nos in uno themate ſiue pronunciato fecimus, idem etiam in aliis fieri poteſt. quod ſi non omnes loci cuilibet pronunciato conueniant, plures tamen ſemper conuenient, ut ei, qui locos in promptu habeat, numquam omnino ſint in re qualibet, argumenta defutura.

CICERO

C. F. *Quoniam de fide reſpondiſti, uolo audire de motu.* C. P. *Loco tu quidem quaeris, ſed planius quod uis explicabitur, cum ad orationis ipſius, quaeſtionumq. rationem uenero.*

EXPLANATIO

QVONIAM duo dixerat eſſe, quae orator quaerere debet, hoc eſt quemadmodum fidem faciat eis, quibus uolet perſuadere; & quemadmodum motum eorum animis afferat, iamq. de primo ſatis dixit, & docuit, quibus rebus fides fit, conſequi uidetur, ut doceat, quemadmodũ motus animis afferatur. hoc eſt, quod filius ait, iam explicata ſunt, quae ad fidem pertinent, ſupereſt ut de motu dicatur. pater aũt reiectione utitur, ut de cauſſa & collocatione prius aliqua dicat. quae uerba reiectionis ideo interponit, ne ordinem propoſitum confundere uideatur. nam filij quidem interrogationem probat, quod loco, & tempore de motu uelit audire, ſed tamen quae ad motum attinent, ſe commodius tunc explanaturum ait, cum de oratione & quaeſtione praecepta dabit. hoc enim docendi ratio poſtulat, ut interdum aliqua differantur, & in opportunum tempus omittantur. quod Horatius etiam poetis praecipit.

Pleraque differat, & praeſens in tempus omittat.

CICERO

C. F. *Quid ſequitur igitur?* C. P. *Cũ inueneris, collocare, cuius in infinita quaeſtione ordo eſt idem fere, quem expoſui, locorum. in definita autem adhibenda ſunt illa etiam, quae ad motus animorum pertinent.*

EXPLANATIO

PRIMA rhetoricae pars eſt inuentio. debet enim orator primo inuenire res ueras, aut ueriſimiles, quae cauſſam ſuam probabilem reddant; & quae rationes aduerſariorum refellant; deinde quae inuenit, ordiſponere, & collocare: quo fit, ut ſecunda rhetoricae pars ſit collocatio, quae duplex eſt rerum, & uerborum. Collocatio rerum proprie diſpoſitio uocatur, uerborum autem collocatio uocatur compoſitio. de qua Quinctilianus multa dicit. Sed, cum duo ſint quaeſtionum genera, alterum infinitum, finitum alterum. in quaeſtione infinita fides tantum quaeritur, neque ad aliud quidquid reſpicitur, niſi ut probentur ea, quae propoſita ſunt. itaque debemus eum ordinem locorum ſequi; de quo ante iam diximus, ut primo definitionem eius rei, de qua differendum eſt, quaeramus, deinde partes eius, tum uerbi notationem, denique ea, quae quodammodo ſunt affecta ad eam, de qua ſuſcepta eſt diſputatio, ut coniugata, genus, forma, & reliqua. nam in quaeſtionibus infinitis ſola probatio ſufficit, motus autem animorum, uel numquam, uel certe rariſsime adhibentur. & haec eſt cauſſa, cur Dialectici, Philoſophi, Mathematici, numquam animos commouere, aut perturbare tentant, quia quaeſtiones tantum generales, & infinitas tractant; Singularia uero, & indiuidua tamquam incerta, innumerabilia praetermittunt, quia comprehendi ſcientia non poſſunt. Quin artium fere omnium praecepta generalia ſunt, & communia, ſiue infinita, hoc eſt, non ad hanc tantum, aut ad illam rem pertinentia, ſed ad omnes, quaecumque ſunt eiuſdem generis. Cicero tamen in oratione pro Roſcio Am. uidetur in quaeſtione infinita uoluiſſe animos commouere, cum in parricidas inueheretur. Sed in cauſsis, & definitis quaeſtionibus fere ſemper motus adhibentur, praeſertim in exordiis, & perorationibus, quamuis apud Areopagitas, & multis in ciuitatibus cautum eſſet, ne oratores animos commouere tentarent, ut ſcribit Ariſtoteles. uerum Cicero lib. 1. Rhet. & Quinctilianus in hac una re putant orationem maxime regnare, ſi animos uehementer commoueat.

CICERO

C. F. *Quomodo igitur iſta explicas?* C. P. *Habeo cõmunia praecepta fidem faciendi, & commouendi. quoniam fides eſt firma opinio, motus autem animi incitatio, aut ad uoluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem, tot enim ſunt motus genera, partes plures generum ſingulorum.*

EXPLANATIO

CVM oſtenderit Cicero pater, in cauſſa & quaeſtione definita non tantum fidem, ſed etiam motum adhibendum; nunc petit filius, quomodo haec duo ſint explicanda, quaq. ratione ſimul & fides fieri, & motus adhiberi poſsit? cui reſpondet pater utriuſque rei communia quaedam eſſe praecepta, licet ipſa differãt inter ſe. neque enim idem eſt fides & motus. nã, quorum definitiones ſunt diuerſae, ipſa quoque inter ſe diuerſa ſunt. Sed fidei & motus diuerſae ſunt definitiones. nã fides ita definitur, Fides eſt firma opinio. Motus autem hoc modo. Motus eſt incitatio animi, aut ad uoluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem. Definitio fidei conſtat ex genere, & differentia. nam opinio, fidei genus eſt, firma uero, differentia. Definitio motus conſtat ex partium enumeratione. quattuor enim tantum ſunt animorum incitationes,

nes, uoluptas, moleſtia, metus, cupiditas. quamuis unicuique harum motionum plures partes ſubiiciantur, ut Cicero lib. 4. diſp. Tuſc. docet. uoluptas alio modo laetitia, & gaudium dicitur. Moleſtia dicitur etiam aegritudo, & maeror. hae perturbationes non ab animo, ſed a corpore naſcuntur, ut ait Virgilius lib. 4. Aen.

Igneus eſt ollis uigor & caeleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq. hebetant artus, moribundaq. membra,
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentq. nec auras
Reſpiciunt clauſae tenebris, & carcere caeco.

Vbi Seruius ait Varronem & omnes Philoſophos exiſtimare quattuor eſſe perpesſiones, duas a malis, & duas a bonis opinatis. nā dolere, & timere duae ſunt opiniones malae, una praeſentis, altera futuri temporis: gaudere & cupere duae ſunt opiniones bonae, una praeſentis, altera futuri. quo fit, ut hae opiniones temporibus diſtribuantur, & duae ſint praeſentis temporis, duae uero futuri. Praeſentis temporis ſunt uoluptas & moleſtia; futuri ſunt metus & cupiditas. ergo uoluptas eſt opinio boni praeſentis, quo animus gaudet & laetatur, unde etiam gaudium & laetitia, & iucunditas, & delectatio uocatur. Moleſtia eſt opinio praeſentis mali, quo animus dolet & contriſtatur, ideo dicitur etiam dolor & triſtitia, & maeror, & aegritudo. Cupiditas eſt opinio futuri boni, quod animus ſperat & deſiderat, atque ideo uocatur etiam ſpes & deſiderium, & libido. nam hoc loco Valla decipitur, qui putat a Cicerone uoluptatē pro ſpe poſitam eſſe, quod omni prorſus ratione caret. Metus eſt opinio futuri, quod animus timet, ne accidat, & timor, & formido etiam appellatur. hos Stoici uolunt eſſe quaſi morbos animi, & ſapientem eis carere. nam in opinione eſſe uolunt, & contra naturam; ſed Academici & Peripatetici naturales eſſe dicunt hos motus, & utiliter nobis a natura datos. nam Plato animum in duas partes diuidit, alteram rationis participem, alteram expertem. In participe rationis ait eſſe tranquilitatem placidamq. conſtantiam, in illa altera motus turbidos, tum irae, tum cupiditatis, tum aliarum perturbationum, qui contrarij ſunt, atque inimici rationi. ſed de his Cicero copioſe quarto Tuſculanarum libro diſputat. FIRMA *opinio*.] Ex hoc loco facile refellitur Laurentius Valla, & eius ad ſtipulator Longolius, qui putant a Chriſtianis non recte, neque Latine Fidē dici, pro illa perſuaſione, quam habemus de Chriſtiana religione. Nam ſi perſuaſio, quod ait Valla, pro certa opinione, atque ſententia ponitur, & fides, ut ait hoc in loco Cicero, eſt firma opinio, ſequitur ut fides ſit idem, quod perſuaſio cum eandem habeat definitionem: & apud Latinos, idem eſt fidem facere, & perſuadere. quod mirum eſt a Valla non fuiſſe animaduerſum.

CICERO

OMNEM *collocationem ad finē accommodo quaeſtionis. nam eſt in propoſito finis, fides, in cauſſa, & fides, motus. quare, cum de cauſſa dixero, in qua eſt propoſitum, de utroque dixero.*

EXPLANATIO

QVIA dixerat ſe praecepta quaedam habere communia fidem faciendi, & commouendi; nunc oſtendere uult ea praecepta proprie ad cauſſas pertinere. cum enim omnis collocutio ſit ad quaeſtionis finem accommodanda, & Propoſitum, hoc eſt infinita quaeſtio, in eo differat a cauſſa, quod in propoſito ſatis eſt probare, & fidem facere, in cauſſa uero & quaeſtione finita non tantum facere, ſed etiam animos mouere oporet; ſi quis bene intelligat, quomodo cauſſa ſit tractanda, idem etiam ſciet, quomodo tractandū ſit propoſitum. Omnis igitur collocatio eſt ad finem quaeſtionis accommodāda; finis autem quaeſtionis infinitae eſt fides; finis cauſſae, eſt fides, & motus; ergo omnis collocatio eſt accommodanda ad fidem, & motum. Hic quaeri poteſt, quare dicat Ciceco propoſitum eſſe in cauſſa? cum potius contrarium eſſe uideatur. nam propoſitum idem eſt, quod infinita quaeſtio, quae eſt multo latior, quā cauſſa, multoq. plura continet, & eſt tamquam totum: Cauſſa uero eſt tamquam pars. ſed totum nequaquam recte dicitur eſſe in parte, uerum pars eſſe in toto recte dicitur. Eodem igitur modo uidetur non recte dici propoſitum, quod totum quoddam eſt, in cauſſa eſſe, quae eſt pars, ſed potius cauſsā eſſe in propoſito, ut pars in ſuo toto. Cur igitur dixit Cicero propoſitum eſſe in cauſſa? duobus modis haec quaeſtio ſolui poteſt: primo, quia nulla cauſſa probari plene poteſt, niſi ad propoſitum referatur. & hoc eſt, quod in Oratore ad Brutum ait Cicero, excellentem oratorem ſolere ſemper cauſſam, quam tractat, ad infinitam quaeſtionem traducere, quia latius licet de genere diſputare, &, quod in genere probatum fuerit, id etiam in parte probari neceſſe eſt. Quoniam igitur in cauſſa propoſitum etiam tractatur, & adiungitur, tamquam id, unde uis omnis probationis manat, ideo dixit Cicero propoſitum in cauſſa. Deinde quia genus in definitione ſpeciei poni ſolet, ut cum hominem definimus, dicimus eſſe animal particeps rationis, fit, ut hac ratione genus ſit tamquam pars ſpeciei, quo modo etiam propoſitū erit pars cauſſae. nam, ſi quis propoſito certas aliquas perſonas adiunxerit, ſtatim efficietur cauſſa. ut Propoſitū eſt, An ſit uxor ducenda? Cauſſa, An ſit uxor Catoni ducenda. Ita Propoſitum eſt, An inſidiator iure poſſit interfici. Cauſſa, An Clodius inſidiator iure poſsit interfici. Qua ſane ratione cauſſa plura, quam propoſitum, complecti uidetur, quia certas perſonas propoſito adiungit, & hoc modo propoſitum eſſe in cauſſa dicitur. Bene igitur dixit Cicero, quae de cauſſa dicuntur, etiam ad propoſitum pertinere: &, qui bene cauſſam tractare nouerit, eundem etiam recte propoſitum tractaturum.

CICERO

C. F. Quid habes igitur de cauſſa dicere? C. P. Auditorum eam genere diſtingui. nam auſcultator eſt modo, qui audit, aut diſceptator, ideſt rei ſententiaeq. moderator, ita ut delectetur, aut ſtatuat aliquid. Statuit autem aut de praeteritis, ut iudex; aut de futuris, ut ſenatus. Sic tria ſunt genera, iudicij, deliberationis, exornationis. quae quia in laudationes maxime confertur, proprium habet iam ex eo nomen.

EXPLANATIO

IAM ad cauſſas tranſit, & eas in tria genera partitur, hoc eſt iudiciale, deliberatiuum, & demonſtratiuum, licet his uocabulis ipſe non utatur. Sic autem probat eſſe tria cauſſarum genera. Cauſſae coram auditoribus aguntur, itaque, quot auditorum genera ſunt, tot ſunt etiam genera cauſſarum. Sed, qui audiunt, aut tantum auſcultatores ſunt, aut diſceptatores, qui de re, quae tractatur, ſententiam ferre poſſint. Auſcultatores delectationem tantum quaerunt. Diſceptatores uero ſtatuunt aliquid, uel de praeteritis rebus, ut iudices ſolent; uel de futuris, ut ſenatus, & qui deliberant. Hoc modo ſunt tria genera cauſſarum, unum, quod ad auſcultatores pertinet, quam Cicero exornationem uocat, & quia in eo laudare maxime ſolemus, ideo laudatio etiam uocatur; alterum, quod pertinet ad iudices, quod iudicium appellatur; tertium, in quo de futuris ſtatuitur, & dicitur deliberatio. Auſcultator eſt modo, ideſt, tantum auditor, ut nihil de re ſtatuat. Eſt tamen aliqua inter auditorem, & auſcultatorem differentia. nā auſcultator eſt, qui diligenter audit. multiq. audiunt, ſed non auſcultant. apud Gelliū Cato lib. 5. c. 15. ita eſt cupidus orationis, ut conducat, qui auſcultent, itaque auditis, non auſcultatis, tamquam pharmacopolam. Cicero primo de Diuinat. Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo. Diſceptator quid ſit, declarat ipſe Cicero, cum addit, ideſt rei ſententiaeq. moderator. Eſt enim is diſceptator, qui auditis utriſque partibus ſuam de re tractata ſententiam fert. &, Diſceptare controuerſias eſt lata ſententia finire, quod etiam decidere dicitur. Hanc partitionem cauſſarum omnes fere boni ſcriptores ab Ariſtotele acceptam ſecuti ſunt, ut ait Quinctilianus. quamuis apud Ciceronem libro tertio. M. Antonius duo tantum genera faciat, hoc eſt iudiciale, & deliberatiuum. Nam laudationem per ſe non eſſe genus cenſet, uerum cum illis duabus commiſceri. Quinctilianus duabus rationibus eſſe tria genera probat, hoc modo, omne oratoris officium, aut in iudiciis eſt, aut extra iudicia. Eorum, de quibus iudicio quaeritur, manifeſtum genus eſt; ea, quae ad iudicem non ueniunt, aut praeteritum habent tempus, aut futurum; praeterita laudamus, aut uituperamus; de futuris deliberamus. haec eſt prima ratio. Deinde ſubiungit alteram hoc modo. Omnia, de quibus dicendum eſt, aut certa ſint neceſſe eſt, aut dubia; certa, ut cuique eſt animus, laudat, aut culpat: ex dubiis partim nobis ipſis ad electionem ſunt libera, de his deliberetur, partim aliorum ſententiae commiſſa, de his lite contenditur. Ariſtoteles uocat haec tria rhetoricae genera, quoniam in ſingulis tota rhetorica uerſatur, hoc eſt uis oratoris, oratio, quaeſtio. Noſtri potius genera cauſſarum uocare uoluerunt; quoniam oratores ſoli cauſſas forenſes, & ciuiles tractant. Iudiciale genus, in quo eſt actor, & reus, & accuſationem, atque defenſionem cōtinet, uel petitionem, & recuſationem. Ad hoc genus referuntur reprehenſiones, obiurgationes, comminationes, excuſationes, purgationes. Deliberatiuum uocatur etiam ſententiae dictio, & ſententia, & conſiliū, & a Quinctiliano ſuaſorium; continet ſuaſionem, & diſſuaſionem. Ad hoc deducuntur conſolationes, exhortationes, petitiones, commendaticiae litterae. Demonſtratiuum, dicitur etiam exornato, & laudatio, & a Quinctiliano laudatiuum, continet laudem, & uituperationem. Ad hoc referuntur gratiarum actiones, funebres orationes, Epitaphia, orationes nuptiales. copioſum autem hoc genus eſt, & in omnia dicendi genera ſpargitur. Iudicialis generis apud Ciceronem multae ſunt orationes, ut actiones in Verrem, pro Milone, pro Roſcio, pro Murena. Deliberatiui etiam multae, ut omnes Philippicae, pro lege Man. in Catilinam. Demonſtratiui pauciores, quia raro hoc genus per ſe tractatur, tan huc refertur illa, quam habuit in ſenatu poſt reditum, & quam habuit ad Quirites, quae gratiarum actiones continet. item ſecunda Philippica, quae in uituperatione uerſatur, & in Piſonem. Sunt aliquae mixtae, ut pro lege Man. quae Pompeij laudes complectitur. ut nona Philippica, in qua Ser. Sulpicium laudat. Quin omnibus cauſſis iudicialibus admiſcetur laus & uituperatio; ut pro Milone uehementer extollit, ac laudat Milonem, Clodium autem deprimit, & acerrime uituperat. Itaque recte ſenſit Iſocrates, qui, ut Quinctilianus auctor eſt, in omni genere ineſſe laudem ac uituperationē exiſtimauit. Poteſt autem quaeri, cum in demonſtratiuo genere non minus uituperatio ſit, quam laudatio, cur proprium nomen a laudatione ſumat. ut ait hoc loco Cicero. & hanc quaeſtionem ipſe Cicero ſoluere uidetur, cum ait, Quia in laudationes maxime confertur. Semper enim ab eo, quod maxime excellit in aliqua re, tota res appellatur: frequentius autem in publicis orationibus laudare, quam uituperare conſueuimus. Et hoc genus ideo repertum eſt, ut excellentes uiri, qui rerum geſtarum gloria floruerunt, dignis laudibus exornarentur, unde exornatio dicitur.

CICERO

C. F. Quas res ſibi proponet in iſtis tribus generibus orator? C. P. Delectationem in exornatione, in iudicio aut ſaeuitiam, aut clementiam iudicis, in ſuaſione autem aut ſpem, aut reformidationem deliberantis.

EXPLA-

EXPLANATIO

EXPOSITIS tribus cauſſarum generibus, nunc quaerit quid in ſingulis orator ſibi proponere debeat,ut audientium animos moueat. Duo ſunt enim in unoquoque genere fines. alter, qui ad genus ipſum pertinet, de quo poſtea ſuo loco dicetur; alter,qui ad motus animorum adhibetur,de quo nunc uerba facit; ut in demonſtratiuo genere, finis, qui ad ipſum genus refertur, eſt honeſtas,ut infra docebit: finis autem, qui ad motus animorum accommodatur, eſt delectatio: in iudiciali genere finis ipſius generis eſt aequitas;finis mouendi in accuſationibus ſaeuitia; in defenſionibus clementia; in deliberatiuo finis generis eſt utilitas; finis mouendi eſt in ſuaſionibus ſpes: in diſſuaſionibus reformidatio. ita ſunt in unoquoque genere duo fines. quorum unus refertur ad fidem, & ad genus ipſum; alter ad motum, & ad iudices uel auditores. Hic igitur de illo fine agit, qui ad motum animorum refertur. Ac primo ait in exornatione,hoc eſt in demonſtratiuo genere,oratorem ſibi delectationē proponere. Cum enim ij,qui tantum ſunt auſcultatores, de nulla re ſententiam laturi ſint,niſi de oratoris ingenio & facultate; debet orator ſumma ope niti,ut auſcultatorū animis magnam delectationem afferat: ſic enim illi oratoris ingenium admirabuntur. eſt enim hoc genus ad oſtentationem fere comparatum, itaque ſcatere debet omni floſculorum genere, & amplificationibus praecipue cumulari, quod admirabiliter Cicero facit in utraque oratione poſt reditum ſuum. Prodeſt enim in hoc genere artem, & ingenium oſtendere, atque adeo oſtentare,cum in aliis generibus ſit ars occultanda. nam (ut ait Ouidius)

Si latet ars, prodeſt, affert deprehenſa pudorem.

Delectant autem res nouae, magnae, admirabiles,magnificae, praeclarae,liberales,carae,denique quidquid cum honeſtate coniunctum eſt. nam demonſtratiui generis finis eſt honeſtas. quid enim iucundius, & ſuauius illa Ciceronis oratione: Quae tanta poteſt exiſtere ubertas ingenij, quae tanta dicendi copia, quod tam diuinum,atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſsit ueſtra in nos uniuerſa promerita non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? qui mihi fratrem optatiſsimum, me fratri amantiſsimo,liberis noſtris parentes,nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui ampliſsimam rēp. qui patriam,qua nihil poteſt eſſe iucundius,qui denique noſmet ipſos nobis reddidiſtis, & quae ſequuntur. nam tota eſt multo iucundiſsima. In iudiciali primo ſaeuitia quaeritur, quia prius eſt accuſare,quam defendere; tanto autem maior in reum ſaeuitia concitatur, quanto pluribus ſceleribus infectus oſtenditur, ut in Verrem Cicero: Non enim furem,ſed raptorem,non adulterum,ſed expugnatorem pudicitiae, non ſacrilegum,ſed hoſtem ſacrorum religionumque,non ſicarium, ſed crudeliſsimum carnificem ciuium ſociorumq. in ueſtrum iudicium adduximus. Contra uero in defenſionibus clementia comparatur uirtutibus ipſius Rei cōmemorādis,& amplificandis.ut pro Milone: Vos in uiri, & ciuis inuicti appello periculo centuriones,uosq. milites. uobis non modo inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic iudicio praeſidentibus, haec tanta uirtus ex hac urbe expelletur,exterminabitur,eiicietur? & paullo poſt: Hunc ſua quiſquam ſententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulſum a uobis ad ſe uocabunt? o terram illam beatam, quae hunc uirum exceperit; ingratam, ſi eiecerit; miſeram, ſi amiſerit. In deliberatiuo, cum ſuademus,ſpem proponere debemus, quae concitatur enumeratione commodorum, quae ſucceſſura dicuntur; ut praemiorum, gloriae, dignitatis, utilitatis, aut contrariorum uitatione; ut pro lege Manilia Cicero ſuadet bellum contra Mithridatem ſuſcipiendum, quod ea ratione Romani ſint gloriam ſuam, ſalutem ſociorum,atque amicorum, populi R.uectigalia,bona multorum ciuium conſeruaturi,quae omnia commoda copioſe perſequitur. Contra in diſſuaſionibus metum, & refomidationem incutere debemus, incommoda proponendo, & damna; & ignominias,atque dedecora, ut Philippica decima tertia Cicero pacem cum Antonio fieri diſſuadet, quod ea reip. pernicioſa ſit futura, quod maximum dedecus, & ignominiam ſit allatura,maximasq. calamitates importatura, quod denique uel nulla,uel non diuturna poſsit eſſe. Duo uero hi motus ſpei & reformidationis, maximam omnium uim habent ad perſuadendum. quantum enim utilitatis & honeſtatis ſpes poteſt ad ſuadendū; tantum damni & turpitudinis formidatio ad diſſuadendum.

CICERO

C. *F. Cur igitur exponis hoc loco genera controuerſiarum?* C. *P. Vt rationem collocandi ad finem cuiuſque accommodem.*

EXPLANATIO

POSTQVAM expoſuit pater cōtrouerſiarū genera,atque earum fines,qui ad mouendos animos pertinēt; quaerit cauſſam filius, cur hoc in loco potiſsimū genera cauſſarum exponantur; & ait pater ideo ſe feciſſe,ut melius collocandi rationē explicare poſsit,quae ſolet ad finem cuiuſque generis accōmodari. Non enim eadem eſt in omnibus generibus collocatio; ſed aliam exquirit exornatio,aliā iudicium,aliā deliberatio. Quare nemo recte collocandi rationē intelliget,niſi qui prius cauſſarū genera cognouerit; ut unicuique generi ſuā collocationē attribuere poſsit,quo facilius finem propoſitum aſſequatur. Omnis enim inuētio,& collocatio, & denique omnis actio ad unum aliquem finem dirigitur,cuius gratia fiunt omnia,quae praecedunt.

CICERO

CICERO

C. F. Quonam tandem modo? C. P. Quia quibus in orationibus delectatio finis eſt, uarij ſunt ordines collocandi. nam aut temporum ſeruantur gradus, aut generum diſtributiones; aut a minoribus ad maiora adſcendimus, aut a maioribus ad minora delabimur, aut haec inaequabili uarietate diſtinguimus, cum parua magnis, ſimplicia coniunctis, obſcura dilucidis, Laeta triſtibus, incredibilia probabilibus inteximus, quae in exornationem eadunt omnia.

EXPLANATIO

PRIMO demonſtratiui generis collocationem explicat, de quo poſtea ſuo loco plura tractabit. Sunt (inquit) in exornatiune, quae delectationis gratia comparata eſt, plures collocãdi ordines. ſed duo praecipui, prior eſt, cum gradus temporum ſeruantur, ut cum aliquem laudantes, prius eius genus, patriam, parentes explicamus; deinde, quomodo educatus fuerit, quibus ſtudiis deditus, quos praeceptores habuerit, tum in adoleſcentia, quam temperate uixerit, quam fortiter, quam iuſte, quam prudenter iuuenilem aetatem tranſegerit; denique, quas res praeclare geſſerit, quoque tempore; poſtremo, ſi de mortuo uerba facimus, quo genere mortis fuerit exſtinctus, & quam magno animo mortem ſubierit. ſic enim temporum gradus ſeruari facile poterunt. atque, ut quidque primum geſtum eſt; ita etiam primo narrari poterit. quem ordinem Iſocrates in Euagora Cypri rege exornando ſeruauit; & Cicero ſecunda Philippica parum ab eo declinauit. Dum enim Antonij uitia recenſet, & eum acriter uituperat, temporum gradus magna ex parte ſeruat. Secundus ordo eſt, cum generum diſtributiones ſequimur, nulla temporum habita ratione. ut, ſi primo fortunae bona explicemus, qualia ſunt nobilitas, diuitiae, opes, poteſtates: deinde ponamus bona corporis, ut bonam ualetudinem, robur, pulchritudinem; tum ad animi bona ueniamus, quae ſunt artes, ſcientiae, uirtutes. Vel, quia uera laus omnis a uirtute proficiſcitur, proſequamur genera uirtutum & ad ea ſigillatim referamus eius facta, quem laudamus. ut ad prudentiam, quaecumque ille ſcienter, ingenioſe, callide, ſapienter geſſerit; ad iuſtitiam, quaecumque iuſte, legitime, religioſe, pie, uere, amice, beneuole, liberaliter fecerit; ad fortitudinem, quaecumque magno animo, conſtanter, fidenter, patienter ſubierit; ad temperantiam denique quidquid modeſte, decore, temperate, continenter factum ab eo fuerit. Sic enim generum diſtributiones ſeruabuntur. Interdum etiam noſtro arbitrio genera quaedam in laudando ſtatum, ad quae laudes omnes referamus, quod Cicero pro lege Man. fecit. Cum enim Pompeium tamquam ſummum imperatorem exornaturus eſſet, quattuor res eſſe dixit in ſummo imperatore ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, uirtutem, auctoritatem, felicitatem; & ad haec quattuor quaſi genera laudes omnes Pompeij reducit. Atque hi ſunt duo collocationis modi, quos in exornatione ſequi debemus. licet etiam alij ſint ordines, quos, ſi libet, ſeruare poſſumus. ut ſi a minoribus incipiamus, & paullatim adſcendamus ad maiora, donec in fine, quae maxima ſunt omnium, collocemus. Qui ordo etiam in accuſationibus interdum ſeruari ſolet, ut Cicero in Verrem primo rapinas eius commemorat, deinde ſacrilegia, tum ciuium Romanorum atrociſsima ſupplicia. Sic orator ille Troianus, apud Virgilium Didonem laudans, a minori progreditur ad maius:

O regina, nouam cui condere Iuppiter urbem,
Iuſtitiaq. dedit gentes frenare ſuperbas.

Miuus eſt enim urbem condere, quam gentes ſuperbas iuſtitia frenare. Ita Cicero, ubi de ſcientia militari Pompeij uerba facit, primo dicit eum e ludo, atque pueritiae diſciplina ad patris exercitum profectum fuiſſe; deinde extrema pueritia militem fuiſſe ſummi imperatoris; tum ineunte adoleſcentia fuiſſe maximi exercitus imperatorem; poſtremo multa bella confeciſſe, & multas inſigner uictorias reportaſſe. ſic enim a minoribus ad maiora adſcendit. Poſſumus etiam ordine contrario procedere, hoc eſt a maioribus incipere, & paullatim ad minora delabi. quod Cicero pro Cor. Balbo feciſſe uidetur; ubi Pompeium laudat. primo enim triumphos eius & uictorias ponit, quae res maximae ſunt, & maxime glorioſae, deinde laudat eius ingeniũ, tum pudorem, poſtremo auctoritatem. Hunc ordinem egregie Virgilius lib. 4. Aen. expreſsit, cum Didonẽ de laudibus Aeneae cogitantem facit. ſic enim ait:

Multa uiri uirtus animo, multusq. recurſat
Gentis honos, haerent infixi pectore uultus,
Verbaq.

Poſſunt etiam eius eius facta, quem laudamus, inaequabili uarietate diſtingui, ut cum parua magnis intexuntur. ut ſi quis inter egregias Socratis uirtutes etiam memoret, eum iam ſenem fidibus diſcere uoluiſſe. Aut ſi quis, Ciceronis laudes maximas perſequens, dicat etiam, quam facetus, & urbanus fuerit. Ita Cicero pro lege Man. inter maximas Pompeij laudes, narrat etiam eius facilitatem in audiendis priuatorum iniuriis; & continentiam, quod ea, quae ceteri tollenda eſſe arbitrantur, ille ne uiſenda quidem exiſtimaret. Vel cum ſimplicia coniunctis adiunguntur. Simplicia dicuntur, quae ad unam tantum uirtutem pertinent, ut ad fidem, ad temperantiam, qualia ſunt illa pro lege Man. Fidem uero eius inter ſocios quantam exiſtimari putatis, quam hoſtes omnium gentium ſanctiſsimam eſſe iudicarunt. humanitate iam tanta eſt, ut difficile dictu ſit, utrum hoſtes magis uirtutem eius pugnantes timuerrint, an manſuetudinem uicti dilexerint. Coninncta uero dicuntur, quae ſimul ad plures uirtutes pertinent: quale eſt illud in eadem oratione:

Iam quantum conſilio, quantum dicendi grauitate, & copia ualeat, in quo ineſt quaedam dignitas imperatoria, uos Quirites hoc ipſo in loco ſaepe cognouiſtis. Vel cum obſcura dilucidis immiſcentur; ut Cicero inter ea, quae dilucide Pompeij ſummam auctoritatrm declarabant, poſuit etiam illud, quod erat obſcurum: Idem ipſe Mithridates, nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum uſque in Hiſpaniam miſit? eumq. Pompeius legatum ſemper iudicauit; ij, quibus ſemper erat moleſtum, ad eum potiſsimum eſſe miſſum, ſpeculatorem quam legatum iudicare maluerunt. Vel cum laeta triſtibus adduntur, quae res magnopere delectat; ut pro lege Man. Nam quid ego Hoſtienſe incommodum, atque illam labem, atque ignominiam reip. querar? cum prope inſpectantibus uobis, claſsis ea, cui conſul populi R. praepoſitus eſſet, a praedonibus capta, atque oppreſſa eſt. Pro dij immortales, tanta ne huius hominis incredibilis, ac diuina uirtus tam breui tempore lucem afferre reip. potuit, ut nos, qui modo ante oſtium Tiberinum claſſem hoſtium uidebatis, ij nunc nullam intra Oceani oſtium praedonum nauem eſſe audiatis. Ita ſi quis Brutum laudaret, poſſet laeta triſtibus permiſcere: Laeta ſunt enim illa, quod prudenter ſtultitiam ſimularit; quod oraculum de matre oſculanda ingenioſe interpretatus fuerit; quod Tarquinium Superbum expulerit; quod patriam a dominatu regio in libertatem uindicarit. At uero illa triſtia, quae in Bruto laudando commemorari neceſſe eſt, Tarquinij crudelitas cum in alienos, tum in ſuos: Lucretiae conſtupratio illata a Tarquinij filio; morsq. ipſius Lucretiae pudicíſsimae feminae; filiorum Bruti caedes, quos ipſe pater proditionis damnatos interfici iuſsit; denique ipſius Bruti mors, qui pro patria fortiter dimicans occubuit. Vel cum incredibilia probabilibus adiungimus; ut pro lege Man. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium ſicut aliquem non ex urbe miſſum, ſed de caelo delapſum intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuiſſe homines Romanos hac quondam abſtinentia, quod iā nationibus exteris incredibile ac falſo memoriae proditum uidebatur, nunc imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet. & quae ſequuntur. Ita ſi quis Romulum laudet, poterit ea, quae ſunt incredibilia, probabilibus immiſcere. Incredibilia ſunt illa, quod a Marte genitus fuerit, quod a lupa lacte nutritus, quod expoſito picus auis cibum ſaepe tulerit, quod in caelum adſcenderit, & in deorum numerum cooptatus fuerit: Illa uero probabilia, quod expoſitus fuerit, & a paſtore nutritus, quod Amulium occiderit, & Numitori auo materno regnum reſtituerit, quod urbem Romam condiderit, & eam ſapienter longo tempore adminiſtrarit. Nam in laudando licet interdum ueritatem excedere, & delectationis gratia ēt incredibilia miſcere; ut Cicero dicit, Pompeij uoluntatibus non modo ciues ſemper aſſenſiſſe, ſocios obtemperaſſe, hoſtes oboediſſe; ſed ēt uentos tempeſtatesq. ſemper obſecundaſſe: quae aperte ſunt incredibilia. Sed haec omnia, quae diximus, in exornationem, & propter uarietatem mirifice delectant.

CICERO

C. F. Quid in deliberatione. quid ſpectas? C. P. Principia uel non longa, uel ſaepe nulla, ſunt enim ad audiendū, qui deliberant, ſua cauſſa parati. nec multum ſane ſaepe narrandum eſt. eſt enim narratio praeteritarum rerum, aut praeſentium, ſuaſio autem futurarum. quare ad fidem, & ad motum adhibenda eſt omnis oratio.

EXPLANATIO

DOCVIT, quae collocatio ſeruari debet in demonſtratiuo genere, nunc ad deliberationem tranſit, & ait in deliberatione uel parua eſſe exordia, uel nulla; rationemq. affert, quoniam, qui deliberat, ſua ſponte paratus eſt ad audiendum. Addit etiam non eſſe narrationem neceſſariam, quia narratio uel de praeteritis rebus eſt, uel de praeſentibus: Suaſio autem tantum de futuris eſt. Quare duae tantum orationis partes neceſſariae ſunt in deliberatione, hoc eſt confirmatio, & concluſio; ita, ut confirmatio ad fidem referatur, concluſio uero ad motum. Haec quidem ita praecipit Cicero, ſed tamen ipſe interdum in deliberationibus longiſsimis utitur exordiis, ut pro lege Man. & de lege Agaria contra Rullum, quae concio pulcherrima eſt, & a Plinio mirifice cōmendatur. Habet tamen, ut dixi, perquam longum exordium, quia ſcilicet ipſa cauſſa hoc poſtulabat. Neque enim ſemper artis praecepta ſequenda ſunt, cum res aliter poſtulare uidetur. Quod autem ait hoc loco ſaepe in deliberatione nulla eſſe principia, ſic intelligendum eſt, nulla eſſe talia, qualia ſunt in iudiciis: alioqui principium omne prooemij ſpeciem aliquam habere debet, ut ait Quinctilianus. Nec abrupte incipiendum, cum in omni materia ſit aliquid naturaliter primum, Nullum exordium eſſe uidetur in Philippica decima tertia, quam ita incepit, In principio huius belli P. C. quod cum impiis ciuibus ſceleratisq. ſuſcepimus, timui, ne condito inſidioſa pacis, libertatis recuperandae ſtudia reſtingueret. Item Philippica decima quarta. Si, ut ex litteris, quae recitatae ſunt, P. C. ſceleratorum hoſtium exercitum caeſum, fuſumq. cognoui, ſic, id quod & omnes maxime optamus, & quae ſequuntur. Hoc autem cum ratione fit, ut exordia praetermittatur in deliberatione. nam exordium non alia de cauſſa adhibetur, niſi ut animi praeparentur ad audiendum; ſed qui deliberant, ſua ſponte parati ſunt ad audiendum; ergo ſuperuacaneum eſt exordium. Eodem modo etiam narratio praetermittitur, quamuis ſaepe multa extrinſecus narrentur, ad cauſſam pertinentia, ut pro lege Man. narrat Cicero res geſtas a L. Lucullo contra Mithridatem, ut declaret, quomodo bellum adhuc magnum reſtet; & de lege Agraria narrat, quid a Rullo factum ſit, & quid fiat, ut oſtendat eum nihil ſani cogitare. Sed, quid ſi populo R. ſuadendum ſit, ut Carthaginem deſtruat, an non erunt narranda dam-

na,

na, periculaq. in Romanos ab ea ciuitate illata? non exponendum, quid primo bello Punico, quid ſecundo, quid tertio geſtum ſit? non narrabitur Reguli calamitas, non Sempronij, non Flaminij, non Paulli Aemilij, non Marcelli? certe hae narrationes extrinſecus aſſumentur, non tamquam eius rei, de qua deliberatur, propriae narrationes, ſed tamquam argumenta, cauſſaeq. ſuaſionis; ut, ſi quis Corinthum euertendam dicat, & eam afferat cauſſam, quod Romanorum legatos uiolarit, narretq. quomodo legati uiolati fuerint, haec non erit narratio, ſed potius ſuaſionis confirmatio, non aliter, atque ſi quis iuuenem quempiam ad ingenuarum artium ſtudia adhortetur, narretq. quot honores, quot dignitates, quot praemia conſequantur ij, qui ſe ſtudiis litterarum dediderunt. narratio illam cauſſam confirmabit; neque tamen erit propria cauſſae narratio. Cum igitur neque principium, neque narratio neceſſaria ſit in ſuaſione, duae tantũ orationis partes ſuperſunt, confirmatio, & peroratio, quarum altera fidem, altera motum quaerit. hoc eſt, quod ait Cicero in ſuaſione ad fidem, & ad motum omnem orationem eſſe adhibendam.

CICERO

C. F. Quid in iudicijs, quae eſt collocatio? C. P. Nõ eadem accuſatoris, & rei, quod accuſator rerum ordinem perſequitur, & ſingula argumenta, quaſi haſta in manu collocata uehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, teſtimoniis, accuratiusq. in ſingulis commoratur, perorationisq. praeceptis, quae ad incitandos animos ualent, & in reliqua oratione paullulum digrediens de curſu dicendi, utitur, & uehementius in perorando. eſt enim propoſitum, ut iratum efficiat iudicem.

EXPLANATIO

IN iudicijs duplicem ait eſſe collocationem, alteram accuſatoris, alteram defenſoris. prius explicat quo genere collocationis accuſator utatur, deinde quo defenſor. Accuſator, inquit, ſolet ordinem uerum in accuſando perſequi, ut, quod prius commiſſum eſt a reo, prius explicet; uel, ut omnia, quae ſunt eiuſdem generis, crimina in unum locum coniiciat; & non aliter, atque miles ſtrenuus, hoſtem inuadens, proponit argumenta, quae acriter concludat; & quae dicit, teſtimoniis corroborat, & unumquodque amplificat, tum in reum iudicum animos incitat, partim in media oratione per digreſsionem, partim in extrema parte cum perorationem adhibet. nihil enim aliud ſtudet, niſi ut iram iudicis in reum incitet. RERVM *ordinem*.] Ita Cicero cum ſibi accuſandum Verrem ſuſcepiſſet, eum ordinem ſecutus eſt, ut primo, quid in quaeſtura turpiter geſſerat, explicaret; deinde quid in legatione, tum quid in praetura urbana, denique quid in praetura Sicilienſi. atque hoc ordine, quae prius a Verre nefarie geſta fuerant, prius etiam expoſuit; ipſam uero Sicilienſem adminiſtrationem, pro qua totam accuſationem ſuſceperat, quattuor in partes diſtribuit, quas ordine ſuo ſingulas perſequitur. Ac primo quidem, quae ad iuriſdictionem attinent, explicat, deinde, quae ad rem frumentariam, tum quae ad ſigna deorum ablata, poſtremo quae ad ſupplicia ciuium Romanorum, & ſociorum. quae quoniam omnium grauiſsima, atque atrociſsima ſunt, ideo poſtremo loco poſuit. Sic Aiax apud Ouidium Meta. 13. rerum ordinem in accuſando Vlyſſe perſequitur. Primo quod ſanguine Syſiphio cretus, fraudibus & furtis patri ſimilis eſſet; deinde quod ficto furore militiam detractaſſet; tum quod Philotecti maximarum miſeriarum auctor fuiſſet; denique quod Palamedem innocentem falſis criminibus oppreſsiſſet; poſtremo quod in proelio Neſtorem, ſuum auxilium implorantem, deſeruiſſet. QVASI *in manu*.] Translatio ſumpta a militibus, dum hoſtem, magno animo tenentes haſtam, aggrediuntur. Eodem modo primo de oratore, firma argumenta uocat haſtas amentatas. & in Bruto ſic ait: Vt haſtae uelitibus amentatae, ſic apta quaedam & parata ſingulis cauſſarum generibus argumenta traduntur. Sic dicimus haſtas miniſtrare, ideſt argumenta ſuppeditare. Debet autem accuſator in ſingulis criminibus amplificandis occupatus eſſe, ut maiora uideantur. ſic enim acrius in reum iudices inflammatur, quod in Verrem Cicero diligentiſsime ſeruat. ut in tertia actione, de prodito Carbone, de ſupplicio Philodami, de ſpoliatione pupilli Iunij. VEHEMENTER *proponit*.] Hoc dicit, quia ſolet interdum accuſator crimina ſimul plurima proponere, quae deinde ſuo ordine ſingula copioſius & accuratius pertractet. Hoc facit Cicero tertia in Verrem actione. ibi enim breuiter omnia proponit, quae Verres turpiter, & improbe, & in quaeſtura, & in legatione, & in praetura urbana, & in praetura Sicilienſi geſſerat: hoc modo, Quaeſtura primus gradus dignitatis, quid aliud habet in ſe, niſi Cn. Carbonem ſpoliatum a quaeſtore ſua pecunia publica? nudatum & proditum conſulem? deſertum exercitum? relictam prouinciam? ſortis neceſsitudinem, religionemq. uiolatam? Deinde ita de legatione, Cuius legatio exitium fuit Aſiae totius & Pamphilae. quibus in prouinciis multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus eſt: Tum de praetura urbana: Cuius praetura urbana aedium ſacrarum fuit, publicorumq. operum depopulatio; ſimul in iure dicendo bonorum poſſeſsionumq. contra omnium inſtituta addictio & condonatio: Denique de Sicilienſi praetura: Iam uero omnium uitiorum ſuorum plurima & maxima conſtituit monumenta, & iudicia in prouincia Sicilia, quam iſte per biennium ita uexauit, ac perdidit, ut ea reſtitui in antiquum ſtatum nullo modo poſsit. Hae ſunt uehementes ſane propoſitiones, quas deinde ſigillatim acerrime perſequitur. CONCLVDIT *acriter*.] Hoc ad ſingula crimina referri poteſt, quae poſtquam expoſita fuerint, acriter concluduntur,

duntur,& amplificantur, ut poſt quaeſturae crimen Cicero, O ſcelus, o portentum in ultimas terras exportandum. non enim poteſt ea natura, quae tantum facinus commiſerit, hoc uno ſcelere eſſe contenta, neceſſe eſt, ſemper aliquid eiuſmodi moliatur. Et poſt Philodami condemnationem: Quid lacrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quem fletum totius Aſiae fuiſſe? quem luctum & gemitum Lampaſcenarum? Sic Aiax poſt crimen detrectatae militiae apud Ouidium:

Atque utinam aut uerus furor ille, aut creditus eſſet
Nec comes hic Phrygias umquam ueniſſet ad arces,
Hortator ſcelerum.

Confirmat *tabulis*.] Tabulas, Et *ſcripta profert*.] Cicero ex tabulis ipſius Verris probat ab eo deceptum Carbonem, atque ex litteris eiuſdem Verris ad Neronem ſcriptis, probat iniuſte damnatum fuiſſe Philodemum. Decretis.] Vel ab ipſo reo factis, qualia ſunt edicta Verris, quae a Cicerone multis in locis uehementer reprehenduntur, uel in reum editis, qualia ſunt multa decreta, & ſenatuſconſulta ciuitatum Sicilienſium in Verrem, quae Cicero recitat. Testimoniis.] quae plurimum in iudiciis ualent, ut Quinctilianus teſtatur; & ideo Cicero paſsim in Verrem plurimorum teſtimonia profert. Quod probationis genus uſurpat etiam Aiax in eadem oratione, cum ait:

Non haec mihi crimina
Fingi ſcit bene Tydides
Qui non me ſaepe uocatum
Corripuit, trepidoq. fugam exprobauit amico.

Haec tria probationis genera, quae ducuntur a tabulis, teſtimoniis, decretis, ſunt quidem artis expertia, quae ab oratore non inueniuntur, ſed extrinſecus aſſumuntur; uerumtamen maxima arte pertractari debent, ut a Cicerone fieri uidemus. Debet autem accuſator in ſingulis criminibus accuratius commorari, & ea amplificare, ut grauiora uideantur, non enim ſceleris magnitudo poteſt apparere, niſi accurate explicetur, & amplificetur. Qaam enim diu commoratur Cicero in crimine Verris de P. Annij filia? quamdiu de aede Caſtoris a P. Iunij filio pupillo ſarta tecta? quam diu in cauſſa Philodami, & eiuſdem filiiq. ſupplicio? Sic Aiax apud Ouidium in crimine Philoctetis diu moratur, ut grauius Vlyſſem premat. ſic enim ait:

Non te Paeantia proles
Expoſitum Lemnos noſtro cum crimine haberet,
Qui non, ut memorant, ſilueſtribus abditus antris
Saxa moues gemitu, Laertiadaeq. precaris.
Quae meruit, quae, ſi dij ſunt, non uana precaris.
Et nunc ille eadem nobis iuratus in arma
Heu pars una ducum, quo ſucceſſore ſagittae
Herculis utuntur, fractus morboq. fameq.
Velaturq. aliturq. auibus, uolucresq. petendo,
Debita Troianis exercet ſpicula fatis.

Perorationisq. *praeceptis*.] Praecepta perorationis ſunt, quibus iudex ad ſaeuitiam concitatur in accuſando. ea praecepta uel locum proprium habent, cum adhibentur in peroratione, quae motum animorum potiſsimum requirit; uel in alium locum transferuntur, cum in media oratione digredimur de curſu dicendi, ut, quae crimina commemorauimus, per digreſsionem augeamus. Cuius rei plura ſunt in accuſationibus Ciceronis exempla. ſed illud unum ſatis erit huic loco, quod in ſexta actione contra Verrem, de pretioſiſsimo illo candelabro, quod Verres a filio regis Antiochi per uim abſtulerat. Quae nox, quae latera, quae uires huius carminis querimonium poſſunt ſuſtinere, & quae ſequuntur. Et paullo poſt: Hoc loco, Q. Catule, te appello. loquor enim de tuo clariſsimo pulcherrimoq. monumento, non iudicis ſolum ſeueritatem in hoc crimine, ſed prope inimici, atque accuſatoris uim ſuſcipere debes, & cetera. Eſt enim perquam ſane longa digreſsio. Sed in perorando uehementius agendum eſt, ut in fine: Potero ſilere, Hortenſi? potero diſsimulare? cum tantum reſp. uulnus acceperit, ut expilatae prouinciae, uexati ſocij. dij immortales ſpoliati, ciues Romani cruciati, & necati impune me actore eſſe uideantur. Est *enim propoſitum*.] Haec eſt ratio ſumpta a fine, quare uehementius in perorando ſint animi cōcitandi, nempe ut iudex reo ſit irator. Quod peccatorum aggeratione facile fieri poteſt; ut Cicero, Vti C. Verrem, ſi eius omnia ſunt inaudita, & ſingularia facinora ſceleris, audaciae, perfidiae, libidinis, auaritiae, crudelitatis, dignus exitus eiuſmodi uita, atque factis ueſtro iudicio conſequatur.

C I C E R O

C. F. *Quid faciendum eſt contra reo? C. P. Omnia longe ſecus, ſumenda principia ad beneuolentiam conciliandam, narrationes, aut amputandae, quae laedunt, aut relinquendae, ſi totae ſunt moleſtae. firmamenta ad fidem poſita, aut per ſe diluenda, aut obſcuranda, aut digreſſionibus, obruēda, perorationes autem ad miſericordiam conferendae.*

EXPLANATIO

Docvit, quo genere collocationis accuſator uti debeat, nunc defenſorem etiam inſtruit. Eſt autem multo difficilius defendere, quam accuſare. ſicuti ſanare difficilius eſt, quam uulnerare. nam accuſator uulnera facit, patronus eis medetur. nullum uero letalius reo uulnus eſt, quam ira iudicis. Itaque totum exordium patronus in eo conſumet, ut iudicem ab accuſatore criminibus exaſperatum mitiget, & eius beneuolentiam ſibi conciliet. Quod ſane magnae prudentiae eſt, ita iudicum animos ab aſperitate criminum ad clementiam traducere, ut beneuoli reddantur, & attẽte defenſionem audiãt. quod cum in exordio factum fuerit, tunc ad narrationem accedendum eſt, in qua ſi quid eſt, quod reum laedat, id totum eſt amputandum; aut ſi forte tota narratio fuerit reo contraria, tota eſt relinquenda. In confirmatione ita laborandum eſt, ut crimina uel prorſus diluantur, & falſa eſſe oſtendantur; aut ſaltem imminuantur, & defendendo obſcurentur; uel, ſi neutrum fieri poteſt, digreſsionibus utendum eſt, quibus ad alias res animi iudicum abſtrahantur, & ita crimina obruentur. Denique in perorationibus commouenda miſericordia eſt, ut facilius a commotis iudicibus reus abſoluatur. Fingit igitur breuiter hoc loco Cicero, quid in ſingulis orationis partibus a reo faciendum ſit. Ac primo docet in exordio conciliandam eſſe beneuolentiam; hoc autem fit commemorandis rei uirtutibus, ut ſi uir fortis eſſe dicatur, ſi iuſtus, ſi amans patriae, quod Cicero pro Milone ſtatim initio facit: Etſi uereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſsimo uiro dicere incipientem timere, minimeq. deceat, cum T. Annius Milo ipſe magis de reip. ſalute, quam de ſua perturbetur, me ad eius cauſſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe; & cetera. Ita pro L. Flacco, ſtatim docet Flaccum, quem defendit, ſocium, atque adiutorem ſibi in liberanda patria fuiſſe. quod idem in exordio pro P. Sextio facit. Aliquando patronos non a perſona rei, ſed a ſua ſumit exordium; ut pro Archia poeta Cicero: Si quid eſt in me ingenij, iudices, quod ſentio, quam ſit exiguum, & quae ſequuntur. Ita pro Deiotaro: Cum in omnibus cauſsis grauioribus, C. Caeſar, initio dicendi commoueri ſoleam uehementius, quam uidetur uel uſus, uel aetas mea poſtulare, tũ in hac cauſſa ita me multa perturbant, & reliqua. Nonnumquam ab ipſis aduerſariis exordium ſumitur, ut pro P. Quinctio, Quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia, quarum alteram, C. Aquilli uereor, alteram metuo, eloquentia. Q. Hortenſij ne me dicendo impediat, nõ nihil cõmoueor; gratia Sex. Naeuij ne P. Quinctio noceat, id uero non mediocriter pertimeſco. Et pro A. Caecina, ſtatim aduerſarium criminari incipit. quod ingenioſe Turnus apud Virgilium contra Drancem accuſatorem facit ſic. enim incipit:

Larga quidem ſemper, Drances, tibi copia fandi
Tunc cum bella manus poſcunt, patribusq. uocatis,
Primus ades, ſed non replenda eſt curia uerbis,
Quae tuto tibi magna uolant.

Interdum a re ipſa defenſor incipit, ut pro A. Cluentio, Animaduerti, iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes, quarum altera mihi niti, & magnopere confidere uidebatur inuidia iam inueterata iudicij Iuniani. Saepe etiam ipſos iudices patronus in exordio laudat, ut pro domo ſua ad Pontifices. Cum multa diuinitus, pontifices, a maioribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt, tum nihil praeclarius, quam quod uos eoſdem & religionibus deorum immortalium, & ſummae reip. praeeſſe uoluerunt. Sed nullum eſt artificioſius exordij genus ad beneuolentiam conciliandam, quam cum reus oſtendit uoluntatem ſuam cum iudicum uoluntate ſemper fuiſſe coniunctam. ſic enim ſumma oſtenditur amicitia. quod pro Cn. Plancio Cicero facit; cum multis uerbis oſtendit Plancium eiuſdem ſemper fuiſſe uoluntatis cum iudicibus ipſis in ſalute ſua cuſtodienda, atque in patria defendenda. Hoc idẽ ingenioſiſsime facit Vlyſſes, apud Ouidiũ, lib. 13. Met. ubi criminibus Aiacis reſpondet. ſic enim incipit:

Si mea cum veſtris valuiſſent nota Pelaſgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis heres,
Tuq. tuis armis, nos te potiremur Achille.

Sic igitur exordia ſunt ad beneuolentiam conferenda. Narrationes uel pro nobis faciunt, uel nos laedunt, uel partim adiuuant, partim offendunt. Si pro nobis faciunt, eas, quantum utile eſſe uidentur, dilatabimus, ut pro Roſcio Am. longiſsima narratione utitur, & pro P. Quinctio, & pro Milone. Si uero nos laedunt, totae ſunt relinquendae, ſtatimq. poſt exordium argumentationibus utendum, quibus crimina diluamus, ut pro L. Murena Cicero nulla narratione utitur, ſed poſt exordium, aduerſarios refellere incipit, ex eo loco: Intelligo, iudices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unã in reprehenſione uitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe uerſatam. Ita pro Deiotaro totam narrationem praetermittit, niſi quod aduerſariorum narrationem breuiter repetens tribus fere uerſibus expedit. Si partim adiuuant, partim offendunt, ea pars, quae offendit, amputanda eſt, ut pro Coelio nonnullae ſunt narrationes, quas breuiter Cicero proponit, & ſtatim refellit, ac diluit. Iam uero firmamenta, quae poſuit accuſator ad fidem faciendam, tribus modis a defenſore tractantur. uocat autem hoc loco Cicero firmamenta, firma accuſatoris argumenta, quae defenſor uel per ſe diluit, oſtendens eſſe falſa, uel obſcurat, uel digreſsionibus obruit. Sed omnium tutiſsimum eſt, (ut ait Quinctilianus) ſi crimina negare poſsumus, ut Cicero pro Roſcio Am. negat a Roſcio patrem interfectum; pro Deiotaro, negat Deiotarum de interficiendo Caeſare cogitaſſe; pro Coelio, negat Coelium Clodiae uenenum paraſſe; & in his defenſionibus firmamenta accuſatorum per ſe diluit. tale eſt illud Turni, apud Virgilium:

Pulſus

Pulſus ego? aut quiſquam merito foedisſime pulſum.
Arguet? Iliaco tumidum qui creſcere Tibrim
Sanguine, & Euandri tota cum ſtirpe uidebit
Procubuiſſe domum, atque exſutos Arcadas armis?

Tale illud pro Deiotaro, Quae crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicij afferre? Deiotarum ſaltantem quiſquam aut ebrium uidit umquam? Per ſe diluuntur illa, quae uel ficta, uel falſa eſſe oſtenduntur. Ficta, ut, quod Roſcius patri non placeret, quod ita diluit Cicero: Illę, quomodo crimen commenticium confirmaret, non inueniebat, ego res tam leues qua ratione infirmem, ac diluam reperire non poſſum. Item illud, quod Roſcium pater exheredare uellet: Quid ergo affers, quare id factum putemus? uere nihil potes dicere; finge aliquid ſaltem commode, ut ne plane uidearis id facere, quod aperte facis, huius miſeri fortunis, & horum uirorum talium uirtuti illudere. Facta, ut pro Milone Cicero, cum aduerſarij dixiſſent, nefas eſſe lucem intueri, qui a ſe occiſum hominem fateretur. Probat hoc eſſe falſum. quia multa tempora accidere poſſunt, quibus liceat hominem interficere. Illa uero, quae per ſe diluere non poterimus, obſcurare contendemus, ut Cicero gloriatus eſt in cauſſa Cluentij ſe tenebras iudicibus offudiſſe. Pro L. Murena, cum negare largitionem non poſſet, negat ambitum a Murena commiſſum, ſed liberalitate, & magnificentia populi R. uoluntatem conciliatam. Pro Deiotaro, non exercitum contra Caeſarem, ſed ad fines ſuos tuendos praeparatum ait. ſic Vlyſſes, apud Ouidium crimen detrectatae militiae Achillis exemplo obſcurat, hoc modo:

Quid? quod me duri fugientem munera belli
Arguit incepto ſerum acceſsiſſe labori
Nec ſe magnanimo maledicere ſentit Achilli,
Si ſimulaſſe uocas crimen, ſimulauimus ambo,
Si mora pro culpa eſt, ego ſum maturior illo.
Me pia detinuit coniux, pia mater Achillem.

Pro Coelio Cicero pluribus uerbis occupatus eſt in explicandis iuuenum uoluptatibus, ut crimina in Coelium illata facilius obſcuret, ex eo loco, Deliciarum obiurgatio fuit longa, & ea lenior, plusq. diſputationis habuit, quam atrocitatis. Sed ea crimina, quae neque per ſe diluere, neque obſcurare poſſumus, digreſsionibus obruere tentabimus, quod efficere poterimus, ſi uel ad hilaritatem & riſum iudices adducemus; ut pro L. Murena, Ser. Sulpicio auctoritatem adimit dum ius ciuile facetiſsime ridet; & M. Catoni, dum Stoicorum diſciplinam iudicibus ipſis deridendam propinat. Itaque totum illud iudicium riſu diſſolutum fuiſſe dicitur. Vel rem aliquam triſtem in medium adducemus, ut pro Coelio, cum dixiſſent aduerſarij uenenum a Coelio comprobatum in ſeruo quodam, ad rem ipſam parato, ſtatim Q. Metelli interitum deplorare incipit, ut digreſsione crimen illud Coelij obruat, Vidi enim & illum hauſi dolorem uel acerbiſsimum in uita, cũ Q. Metellus abſtraheretur e ſinu, gremioq. patriae. Et in eadem oratione, cum eſſet obiecta Coelio Catilinae familiaritas, digreditur a cauſſa, & Catilinae perſonam deſcribit, a quo multi decepti fuerant. Sic Vlyſſes crimen illud, quod Neſtorem in bello deſeruiſſet, quod negare non poterat, obruit digreſsione illa, qua commemorat in bello multos a ſe interfectos. ſic enim ait:

Quid Lycij referam Sarpedonis agmina ferro
Deuaſtata meo? cum multo ſanguine fudi
Ceranon, Iphytidemque, Alaſtoraq. Chroniumq.
Alcandrumque, Haliumque, Nomenaq. Prytanimq.

Obruuntur etiam artificioſe crimina, cum aut rem pro perſona, aut perſonam pro re, aut perſonam pro perſona ſubiicimus. ut ſi quis Manlium Capitolinum defendat reum affectati regni, dicatq. donandam ei uitam eſſe, quamuis deliquerit, pro eo ſummo beneficio, quod in remp. intulit, cum Gallos a Capitolio deiecit. Sic enim rem pro perſona ſubiiciet. Perſonam uero pro re Cicero pro Coelio ſubiicit, cum ait ignoſcendum eſſe Coelio, quamuis in aliquos errores propter adoleſcentiam inciderit, quoniam iuuenis ſit bonae indolis ac ſpei, ſtudiisq. optimarum artium deditus. Rem pro re, ut ſi Epaminondas accuſatus, quod legibus non paruerit, neque exercitum nouo imperatori tradiderit, defendatur, quod eodem facto patriam a Lacedaemoniorum impetu liberarit. Perſonam pro perſona, ut ſi quis dicat parcendum eſſe filiis Bruti, proditionem molientibus, propterea quod eorum pater libertatis auctor fuerit. Hoc igitur modo, quae ad fidem attinent, in defenſionibus collocanda ſunt; in perorationibus uero miſericordia concitanda eſt. nuſquam enim magis uis oratoris apparet, quam cum in perorationinibus iudices, uel inuitos, & repugnantes lacrymare compellit. hac in re merito gloriatur Cicero ſe excelluiſſe. Quid ego (inquit) de miſerationibus loquar? quibus eo ſum uſus pluribus, quod, etiam ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. in quo ut uiderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar. haec Cicero. In quibus licet ingenium diſsimulet, tamen in omnibus eius defenſionibus maxime apparet. Quis enim perorationem pro Milone legere poteſt, quin eius animus ad lacrymas moueatur? idem pro Cn. P. Plancio, pro P. Sulla, pro L. Flacco, multisq. aliis. Praecipiunt tamen rhetores, ut haec orationis pars, in qua lacrymae concitantur, breuis ſit, quoniam, ut Apollinius Molonus aiebat, lacryma nihil citius areſcit.

CICERO

C. F. *Semper ne igitur ordinem collocandi, quem uolumus, tenere poſſumus?* C. P. *Non ſane. nam auditorum aures moderantur oratori prudenti, & prouido, & quod reſpuunt immutandum eſt.*

EXPLANATIO

HACTENVS qui ſit ordo collocationis in omnibus generibus oſtenſum eſt; nunc quaerit filius an eundem ſemper ordinem in collocando ſeruare poſsimus, ut numquam ab eo recedamus. cui reſpondet pater, hoc a conſilio & prudentia oratoris pendere, qui diligenter aduertere debet, quid aures auditorum requirant, quid cupiant, quid reſpuant; ut ea, quae reſpuunt, immutare poſsit; quae uero cupiunt, ſequi ualeat. nam haec quidem praecepta dicendi frequentius obſeruari ſolent; ſed non tamen ita firma ſunt, ut mutari nō queant. neque enim tamquam decretis, & legibus adſtrictus eſt orator, ut locus, tempus, cauſſa poſtulat, nō mutare praeceptorum ordinem poſsit. nam (ut ait Quinctilianus) res in oratore praecipua conſilium eſt. ut pro Milone Cicero, priuſquam narrat, praeiudicia refutat. pro P. Sulla, ultimo fere loco de eius uita uerba facit. Ordo quidem naturalis eſt, ut primo loco exordiamur, deinde narremus, tum confirmemus, poſtremo peroremus; ars autem naturam, quantum poteſt, imitatur; ſed tamen interdum cauſſa poſtulat, ut ordo naturalis immutetur. nam ueluti Citharoedus cantus numerosq. arbitrio multitudinis moderatur, & adſtantibus placere ſtudet; ſic orator, quid auditorum aures poſtulent, diligenter aduertet. Neque enim laudanda eſt in hoc genere uox illa Antigenidae, qui, cum eius diſcipulus, in corona canens, non probaretur, exclamauit, Mihi cane & muſis. perinde quaſi cantor ſibi canat, & non audientium delectationem quaerat. Tota igitur popularis eſſe debet oratio; cum illa uitioſa ſit, quae populari conſuetudine abhorret. Quare neceſſe eſt etiam orationi multitudinis ineptias deuorare, quas qui pati non poſſunt, in magnis oratoribus non ſunt habendi, ut Cicero in Bruto de M. Piſone, Hominū, inquit, ineptias, ac ſtultitias, quae deuorandae nobis ſunt, non ferebat, iracundiusq. reſpuebat. & haec fuit cauſſa, cur Piſo, quamuis eſſet eloquentiſsimus, tamen non magnam gloriam ſit adeptus.

CICERO

C. F. *Expone deinceps, quae ipſius orationis, uerborumq. praecepta ſunt.* C. P. *Vnum igitur genus eſt eloquendi ſua ſponte fuſum, alterum uerſum, atque mutatum.*

EXPLANATIO

DE inuentione & diſpoſitione breuiter tractauit, nunc ad elocutionem tranſit, quae cum tribus conſtet, elegantia, compoſitione, dignitate; primo de elegantia agendum eſt. Eſt autem elegantia in uerborum delectu, ſicuti compoſitio in concinnitate, iunctura, & numero; dignitas in exornationibus, hoc eſt figuris uerborum, & ſententiarum. Petit igitur filius a patre, ut deinceps exponat, quae praecepta ſint orationis & uerborum, quoniam de oratoris ui, quae in inuentione, & diſpoſitione uerſatur, iam dictū eſt. cui reſpondet pater, duo eſſe genera eloquēdi, unum quodammodo naturale, & ſua ſponte fuſum; alterum artificioſum, quod uerſum, atque mutatū uocat. Illud, quod ſua ſponte fuſum eſt, quotidiano ſermoni, familiaribusq. epiſtolis fere conuenit, in quibus ita loqui ſolemus, ut nobis dictat ipſa natura, neque admodum in eis elaborandum eſſe cenſemus. Quod autē uerſum atque mutatū eſt, cōtentionibus, & grauioribus orationibus eſt aptiſſimum: in eoq. uis omnis eloquentiae perſpicitur, quod exemplo declarandum eſt. quod enim ſua ſponte fuſum eſt, ideſt ſimplex, ut, Virtus poteſt omnia: Sed uerſum atque mutatum, uarium, & multiplex eſt, & plane oratorium: ut ſi eandem ſententiam ita per interrogationem proferamus, Quid eſt, quod uirtus efficere non poſsit? uel per negationem, ut Nihil eſt, quod uirtute non poſsit effici; uel per circuitionem, ut, Nihil tam alte poſitum eſt a natura, quo uirtutis amor eniti non ualeat. Quod ſi quis hoc idem ſublimius enunciare uelit, ita per cognominationem amplificare poterit? Quid eſt enim in omni rerum natura, atque in uniuerſo caeli ambitu tam arduum, tam difficile, abditum, quod non facile uirtus amplecti, ſuperare, atque in lucem educere poſsit? uel per epiphonema, ſeu acclamationem, ut, Tanta eſt uis, ac poteſtas in uirtute poſita, ut quae plerique nullo modo fieri poſſe exiſtimant, ea ſine ulla paene difficultate perficiat. atque hoc modo poteſt eadē ſententia uarie proferri, ſicut infra clarius etiam oſtendetur.

CICERO

PRIMA *uis eſt in ſimplicibus uerbis, in coniunctis altera. ſimplicia inuenienda ſunt, coniuncta collocanda.*

EXPLANATIO

CVM de uerborum praeceptis hoc loco ſit dicturus, primo uerba ipſa diſtinguit. nam ex uerbis alia ſimplicia ſunt, alia coniuncta. itaque fit, ut prima uis orationis in ſimplicibus uerbis ſit; altera uero in coniunctis.

iunctis. Oportet autem,ea,quae ſimplicia ſunt,excogitare & inuenire; quae uero ſunt coniuncta,diſtinctè atque apte collocare. Quamobrem ita ſunt inuenienda ſiugula uerba,ut in eis diligenter intueamur,an ſint Latina, an perſpicua,an ornata. nam hae tres ſimplicium uerborum uirtutes, ut Quinctilianus docet. quibus ex altera parte totidem uitia reſpondent, ut ſi barbara ſint uerba, ſi obſcura, ſi ſordida. nam, quae humilia, & obſcena ſunt, etiam ſordida uocantur. Summa igitur diligentia utendum eſt, cum aliquid uel dicere,uel ſcribere uolumus, ut illud in primis Latinis,perſpicuis, & ornatis uerbis efferamus. nam, ut alebat. C. Caeſar, initium eloquentiae eſt, uerborum delectum habere. hoc autem plurimi laboris eſt, & longa exercitatione, longoq. tempore indiget, ut ex probatis auctoribus magnam nobis uerborum optimorum ſupellectilem comparemus. quod minime nos pigere debet, cum eis prima uis ſit eloquentiae. nam idem Caeſar admonebat, ut inſolens uerbum in oratione, non aliter atque ſcopulum in mari, uitaremus. Cum autem ſimplicia uerba inuenerimus, quae bene Latina ſint, & perſpicua, & ornata; tunc ſupereſt, ut ea artificioſe coniungamus,ita ut recta ſtructura ſeruetur; primo ne ſoloeciſmi foeditas orationem inquinet, deinde ne hiulca,aut aſpera ſit compoſitio;tum ut pluribus figuris tamquam ſtellis,aut luminibus illuſtretur. Tres enim uirtutes in coniunctorum uerborum collocatione eſſe debent, primo ut ſint emendata, nequid in conſtructione, contra rationem artis grammaticae peccetur. ſecundo, ut ſint bene compoſita, ne uel concurſus uocalium nimis hiantem, uel conſonantium continuatio nimis aſperam orationem efficiat. tertio, ut ſint figurata, ne dignitas & maieſtas in oratione deſideretur. nihil enim eſt,quod admirabiliore eloquentiam faciat, quam acutae,crebraeq. uerborum,& ſententiarum figurae,quibus quia frequentiſsime Demoſthenes utitur, ideo princeps oratorum ſemper habitus eſt.

CICERO

ET ſimplicia uerba partim natiua ſunt,partim reperta: natiua ea quae ſignificata ſunt ſenſu,reperta, quae ex ex his facta ſunt & nouata,aut ſimilitudine, aut imitatione,aut inflexione,aut adiunctione uerborum.

EXPLANATIO

QVIA prima uis eloquẽtiae perſpicitur in ſimplicibus uerbis,ideo Cicero prius de illis tractat,& in duo genera diuidit. nam alia dicit eſſe natiua, alia uero reperta. Et natiua quidẽ uocat illa, quae non ab alis uerbis deducta ſunt, ſed primo impoſita fuerunt ad rem ſignificandam,& ad ſenſa mentis exprimenda: Reperta autem appellat ea, quae a natiuis deducta ſunt,& quaſi deriuata, quod quattuor modis fieri potuiſſe docet,uel per ſimilitudinem, uel per imitationem, uel per inflexionem,uel per uerborum adiunctionem. Natiua autem dicuntur,non quia cum ipſis rebus nata ſint. neque enim naturalia ſunt uerba, ſed ab hominum inſtitutione profecta. quamuis apud Platonẽ Socrates multis exemplis oſtendere conetur,uerba pleraque naturam rerum exprimere. quod etiam Lucilius Balbus apud Ciceronẽ lib. 2. de Nat. deorum facit. Sed aliud eſt, eſſe naturalia, aliud rerum naturã aliquo modo exprimere,concedimus enim rerum naturas uerbis ſignificari, ſed uerba eſſe naturalia non concedimus. quamuis P. Nigidius,ut A. Gellius ſcribit,argutiſsime probare tentauerit,nomina non eſſe hominum arbitrio poſita, ſed naturalia. Natiua igitur ea uocantur, quae primo ſenſu res ipſas ſignificant, quae a dialecticis primae intentionis,uel primae impoſitionis nomina uocantur, ut homo,equus,arbor, uel ea, quae a nullo alio uerbo deducta ſunt,quae Grammatici primitiua appellant,quae non ad aliud uocabulum, ſed ad ſenſum ipſius rei, atque intelligentiam referuntur. Reperta uero dicuntur illa, quae a natiuis deducuntur, & a Grammaticis deriuatiua nominantur; quorum infinita eſt multitudo, ut ab hoc uerbo amor fit, amo, amator, amicus, amicitia, amice, multaq. alia. In natiuis praecipue ſpectanda eſt proprietas, quae octo modis (ut docet Quinctilianus) intelligitur. Primo ratio ipſa ſignificandi, & ſua cuique appellatio, hoc eſt, cum unamquamque rem ſuo nomine exprimimus, tunc proprie loqui dicimur; ut cum hominem uocamus hominem, & equum equum. ſed hac proprietate non ſemper utimur. nam & obſcena, & ſordida, & humilia uitanda ſunt. Quod ſi neceſsitas cogat, per circuitionem ea nominabimus,non propriis nominibus,ut liberis dare operam,uentrem exonerare. Secundo cum unum uerbum principaliter unam habet ſignificationem, ſed etiam ſimilitudine quadam ad alias transfertur,ut uertex proprie eſt contorta in ſe aqua,ſed flexum etiam capillorum in ſumma capitis parte ſignificat, & montium eminentiam. ita ſanum proprie de animali non aegroto dicitur, ſed cibus etiam ſanus dicitur,& & urina ſana. Tertio,cum res cõis pluribus in uno habet nomen eximium,ut uoces & ſcripta, quae rhythmum, & metrum habent carmina uocantur, ſed carmen funebre proprie naenia dicitur. E quibus milites in caſtris teguntur cõmuniter tabernacula uocantur, ſed tabernaculum ducis proprie dicitur Auguſtale. Quarto, cum nomen commune multis uni peculiariter propter excellentiam attribuitur, ut cum dicimus, Vrbem,proprie Romam intelligimus;cum Poetam, Virgilium;cum Oratorem, M. Tullium. Quincto, proprium uocatur, quo nihil ſignificantius eſſe poteſt, ut Cato dixit C. Caeſarem ad euertendam rempub. ſobrium acceſsiſſe; Virgilius, deductum carmen; Horatius Hannibalem dirum. Sexto, ex adiectis nominibus proprium dicitur, ut dulce muſtum, & cum dentibus albis. Septimo,quod bene tranſlatum eſt,proprium eſſe dicitur, ut ira ardere, inflammatum eſſe cupiditate. Octauo,quod in aliquo praecipuum eſt,ut Fabius proprie Cunctator dictus,& Plato Diuinus. Hae uero proprietates perſpicuã & illuſtrem orationẽ efficiunt. Reperta uero nomina quattuor

tuor potiſsimum modis efficiuntur,primo ſimilitudine, quae analogia Graeco nomine uocatur, ut ſicut bonus bonitas facit,ita beatus beatitas,& uerus ueritas,& falſus falſitas,& prauus prauitas, ita Cicero perſpicientiam dixit ſicut ſapiētiam, & fauorem ſicut pauorem,quod in uerbis etiam fit,ut ſicut ferueſco,ita iuueneſco, & ignoſco,ut Virgilius,Et laetis iuueneſcit in herbis,& alibi,Igneſcunt irae.quae tamen ratio non vbique ualet.neque enim,ſicut ab amo amabilis,& a paro parabilis,ita etiam deriuare,licet a dono donabilis, aut a neco necabilis.ita ne latum quidem unguem ab ijs,quae boni ſcriptores uſurparunt,diſcedere debemus. bene enim Quinctilianus ſenſit,Analogiam non eſſe legem loquendi,ſed obſeruationem.Secundo modo uerba reperiuntur imitatione,cum uel Graecos imitamur, unde maiori ex parte Latina lingua fluxit,uel ipſam ſoni naturam. & Graecos quidem imitari concedit etiam Horatius cum ait.

Et noua fictaq.nuper habebunt uerba fidem,Si
Graeco fonte cadant,parce detorta.

Sic Cicero multa uerba noua Graecorum imitatione reperit,ut de Fato moralem philoſophiam dixit, de uniuerſitate medietates,in Academicis incomprehenſibile,in Tuſculanis plurima,ut uitioſitas,mulieroſitas, patibile,laetabile, ceteraq. eius generis. Et Sergius Flauius (ut Quinctilianus teſtatur) Graecorum imitatione dixit ens, & eſſentiam.quo in genere philoſophi recentiores modum exceſſerunt, nihili enim dicendi elegantiam facientes,barbaris uerbis omnia repleuerunt.nobis igitur,qui muſas colimus politiores, ut ait ille: modus in omnibus ſeruandus eſt.Interdum ſoni naturam imitantes, noua uerba ſcriptores reperiunt, ut balare, tinnire, murmurare, qua in re Graeci longe Latinis feliciores ſunt. Tertio modo per inflexionem uerba reperiuntur,uel,ut grammatici dicunt, per deriuationem, ut in nominibus comparatiua & ſuperlatiua, ut doctus,doctior,doctiſsimus,poſſeſsiua ut rex regius;deminutiua,ut cor corculum,liber libellus; uel a uerbis, ut a bibo bibax, a fido fiducia; uel partium mutatione,ut a membro membratim,a ſenex ſeneſco, ab intelligens intelligentia.ſed huiuſmodi uerba ſunt innumerabilia. Quarto adiunctione uerborum noua uerba repeririuntur,quae a Grammaticis compoſitio uel figura compoſita uocatur.ut expectorare, quo Ennius uſus eſt, ut L.Craſſus tertio de oratore citat,Tum pauor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat. Num non uis huius me uerſutiloquas malitias.uidetis,inquit,Craſſus,& uerſutiloquas expectoras, ex coniunctione facta eſſe uerba.ita Cicero lib. 5. Tuſc.ſoliuagas beſtias dixit,Horatius de hac re ſic ait.In arte poet.

Dixeris egregie,notum ſi callida uerbum.
Reddiderit iunctura nouum.

Sunt autem in hoc genete plurima,uel poetica,uel oratoria,poetica,ut,ueliuolum mare, terrificum monſtrū, horrifer boreas.Oratoria,ut conſceleratus,contrucidare,circumuallatus.Atque haec de prima ſimplicium uerborum partitione.

CICERO

Atque etiam eſt haec diſtinctio in uerbis, altera natura,tractatione altera,natura ut ſint alia conſonantiora,grauiora,leniora,& quodammodo nitidiora,alia contra.

EXPLANATIO

Haec eſt ſecunda partitio ſimplicium uerborum,quod alia ſpectentur a natura ſua, alia uero ex tractatione.ſed prius de natura uideamus,poſterius de tractatione. Sunt igitur aliqua uerba natura ſua magis alia conſonantia, alia minus. Item aliqua maiorem habent grauitatem, alia minorem. Item aliqua ſunt auditu leniora,mitiora,alia duriora,& aſperiora. Item aliqua ſunt magis nitida & polita, alia minus. de quibus omnibus, & praecepta, & exempla quaeramus. Sed prius ſciendum eſt hic de ſynonymis uerbis agi: hoc eſt de ijs, quae ſunt eiuſdem ſignificationis, quae licet idem ſignificant, tamen primo ſunt alijs alia conſonantiora, quibus in exordiis, & in ſublimi dicendi genere utimur. Alia uero minus ſonantia,quibus & in epiſtolis,& in ſermonibus,& in orationibus etiam,cum preſſe ſubtiliterq. loquimur, uti conſueuimus. Sed qua ratione, quae conſonantiora ſunt intelliguntur? hoc quidem ex ipſo uerborum ſono facile poteſt intelligi, ſed tamen ex multis nos quinque potiſsimum regulas annotauimus, quibus uti Cicero ſolet,ut uerba conſonantiora uideantur. Prima eſt, ut ſuperlatiua pro abſolutis ponantur, nam omne ſuperlatiuum nomen longe conſonantius eſt,quam ſuum abſolutum, uel, ut Grammatici uocant, poſitiuum, ut Cicero pro lege Man. Quamquam mihi frequens conſpectus ueſter multo iucundiſsimus, hic autem locus ad agendum ampliſsimus, ad dicendum ornatiſsimus eſt uiſus,Quirites. hoc in uno membro tria ſunt ſuperlatiua,quae ſiquis tollat,& eorum loco poſitiua ſubijciat,uidebit profecto, quantus ſonus, & quanta uenuſtas auferatur.Ita pro L.Flacco,Cum in maximis periculis huius urbis,atque imperij, grauiſsimo, atque acerbiſsimo reip. caſu ſocio,atque adiutore conſiliorum,& cetera.Haec etiam conſonantiora fiunt, ſi non in ſingulari numero, ſed in plurali proferantur, ut pro Cor. Bal. Si auctoritates patronorum in iudicijs ualerent, ab ampliſsimis uiris L.Cornelij cauſſa defenſa eſt; ſi uſus, a peritiſsimis;ſi ingenia,ab eloquentiſsimis; ſi ſtudia,ab amiciſsimis. Secunda regula eſt, ut uerbalia pro abſolutis ponantur. ſaepius enim,quae a uerbis deducuntur, conſonantiora ſunt,ut dominatrix animi cupiditas, apud Ciceronem conſonantius eſt; quam ſi domina dixiſſet.li. 5. Tuſ.ita Virgilius Regnatorē Aſiae dixit,quia conſonantius erat,quā regem,& Ductores Danaū dixit, quod

quod ſit grandius quam duces. Haec eſt cauſſa, quare Cicero frequenter uerbalia uſurpat, ut, O uitae philoſophia dux, o uirtutis indagatrix, expultrixq. uitiorum. in oratore ad Brutum, Moderator ille, & quaſi tempetator huius uarietatis. in prooemio librorum de Oratore, philoſophiam ait laudandarum artium omnium procreatricem quandam, & quaſi parentem eſſe; tertio de officijs libidines autem conſectatrices uoluptatis; primo de legibus, quae eſt conciliatrix humanae maxime ſocietatis. ſed hoc generatim uidere licet, ut, quoties datur occaſio, & apte ſublimiterq. fieri poteſt, Cicero uerbalia nomina libenter uſurpet. Tertia regula eſt, quod uerba compoſita grandiora & conſonantiora habentur, ut pro Roſcio Am. Parentum poenas a conſcelelератiſsimis filiis repetunt, conſceleratiſsimis dixit, quia grandius eſt, quam ſceleratiſsimis. Quarta in Verrem Actione, Timarchides omnium rerum tranſactor & adminiſter, ita conſtuprare, pernoſcere, excruciare, conſonantiora ſunt, quam ſtuprare, noſcere, cruciare. pro P. Sextio, Debilitatum corpus, & contrucicidatum. ita praeclarus, perobſcurus, praepotens, grandiora ſunt, quam clarus, obſcurus, potens. Et hoc in omnibus fere compoſitis planum & manifeſtum eſt. Quarta regula, quae plures habent ſyllabas, conſonantiora ſunt, quam quae pauciores, ut tempeſtas, quam tempus, moderatio, quam modeſtia, illuſtris quam clarus, immenſus, immanis quam magnus, conflictari quam uerſari, dimicare uel confligere, quam pugnare, ceteraq. eius generis exempla paſsim occurrunt. ut, Qua tempeſtate Poenus in Italiam uenit. contra Rullum, adhibebitur a me certa ratio moderatioq. dicendi. illuſtri loco natus. immenſae cupiditates. Nam qui cum ingeniis conflictatur huiuſmodi, Terentius. Pro Archia, Qui de uita gloriae cauſa dimicant. pro lege Man. Qui ſaepius cum hoſte conflixit. Quincta regula, quae ſyllabas habēt longiores, & ſi pares numero ſint, grandiora uidentur, quā quae breuiores, ut princeps conſonantius, quam primus, parens quam pater, ingens quam magnus, & ſi; quam licet. ut Herodotus, qui princeps hoc genus ornauit. Parentes ſuos liberi orabant. Ingens immanisq. praeda. Etſi uereor, iudices, ne turpe ſit. haec enim ex plurimis pauca exempla ſumpta ex Cicerone ſufficiunt. Sunt etiam aliae fortaſſe regulae, quibus conſonantiora uerba poſsimus inuenire, ſed quae nobis eminere uiſae ſunt, eas recitauimus. Sequuntur grauiora uerba, quidam grandiora legunt, ſed mendoſe, quia de grandioribus iam dictum eſt: ſunt enim eadem conſonantiora & grandiora. Quattuor autem regulas notauimus, quibus, quae grauiora uerba ſunt, dignoſcere poſsimus. Prima eſt, ut grauiora ſint illa, quae maiorem uim bonitatis oſtendunt, ut caritas & pietas grauius eſt, quam amor & beneuolentia. Cicero primo Epiſtolarum, Te perſpicere meam in te pietatem, quid enim dicam beneuolentiam, cum illud ipſum grauiſsimum, & ſanctiſſimum nomen pietatis leuius mihi meritis erga me tuis eſſe uideatur? pro P. Sextio, Sed beneuolentiam, & caritatem illius oeceſsitudinis mors filiae non ademit. ita clementia grauius eſt, quam lenitas; magnificentia quam liberalitas. Secunda regula eſt ea, quae maiorem uim uitioſitatis oſtendunt, grauiora ſunt, ut latro, praedo, raptor, ſunt grauiora, quam fur, & carnifex quam ſicarius, & parricida quam homicida, & impius, ac nefarius, quam improbus, ac ſceleſtus, & gladiator quā ferox, & profligatus quam malus. haec autem paſsim apud Ciceronem occurrunt. Tertia regula, quae magis prodeſſe uidentur, grauiora ſunt, ut curare grauius, quam mederi, reſtituere, quam reducere, ſuſtentare, quam nutrire, confirmare quam ſanare, ita opes grauius, quam d uitiae, robur quam ualetudo. Quarta regula, quae maiorem nocendi uim habent, grauiora ſunt. ut uulnerare & ferire grauius quam percutere, exterminare quam eiicere, trucidare quam occidere, cruciare quam torquere; ita mendicitas grauius, quam paupertas, inualetudo quam morbus, relegatio quam exſalium. His, atque ceteris, ſiquae ſunt, huiuſmodi regulis intelligitur, quae grauiora ſint, & quae minus grauia uocabula. Sunt etiam ſaepe quaerenda leniora, & quodammodo nitidiora, quae rei quidem, de qua agitur, accommodata ſint, ſed tamen decorem ſeruent, ne oratio ſordida, aut abiecta uideatur. Sunt qui legant hoc loco leuiora, quod non procedit, quia non hic ponit contraria, cum poſtea dicat alia contra. Vt autem lenis, & nitida ſit oratio, uerba omnia pudenda, & inquinata refugiet orator; & pro illis alia ſubijciet, quae nitorem aliquem habeant. quod ſi uno uerbo non poterit, quod uult, exprimere, pluribus explicabit, nequid omnino ſordidum, aut abiectum enunciet, ut Cicero, cum eſſet illi mentio de re ſordida facienda, non ita protulit, ut Martialis in eo uerſu.

Non miror merdam, ſi libet eſſe cani,

Sed illud uocabulum inquinatum refugiens dixit, detractionem confecti conſumptiq. cibi. Lib. 3. de orat. Sic Virgilius membrum equarum pudendum eleganter & nitide genitale aruum appellauit. De hoc genere toto tectiſsime praecipit L. Craſſus. Fugienda (inquit) eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahit ſimilitudo; nolo morte dici Africani caſtratam eſſe remp. nolo ſtercus curiae dici Glauciam, quamuis ſit ſimile; tamen eſt in utroque deformis cogitatio ſimilitudinis. Ita Quinctilianus ait lib. 8. cap. 3. Nec ſordidis umquam in oratione erudita locus. itaque inter illa etiam, quae ſunt eiuſdem ſignificationis, aduertendum eſt, quae leniora, & nitidiora ſint, ut eis potius utamur. nam in oratione boues potius dixerim quam uaccas, eunuchum potius quam ſpadonem, urinam reddere, potius quam mingere, candidam faciem potius quam albam, atque ita de reliquis. In inueniendis autem nitidis uerbis Virgilius eſt mirus artifex, ut in primo Aeneidos:

Reſtitit Aeneas, puraq. in luce refulſit,
Os, humerosq, deo ſimilis, namq. ipſa decoram
Caeſariem nato genitrix, lumenq. iuuentae
Purpureum, & laetos oculis afflarat honores,
Quale manus addunt ebori decus. & cetera.

Sunt enim illa omnia lenia nitidaque. Poſſunt etiam leniora dici, quae molliter inflectuntur, ut meliuſcule;

candidulus,

candidulus, corculum, Tulliola, quae potius epiſtolis, & quotidiano ſermoni, quam orationibus conueniunt, niſi forte ridiculi gratia ponantur; ut Cicero pro Coelio de fratre Clodiae, Puſio, qui cum maiore ſorore cubitauit. Sunt alia his, de quibus diximus, contraria, hoc eſt minime ſonantia, leuia, humilia, aſpera, atque horrida; quibus tamen in orationibus frequenter utimur, praecipue contra aduerſarios; & alias, quotieſcumque res ipſa poſtulare uidetur. nam rebus ipſis uerba ſunt accommodanda. recte enim praecepit Horatius, in Ar. poe.

Triſtia maeſtum
Vultum uerba decent, iratum plena minarum,
Ludentem laſciua, ſeuerum ſeria dictu.

Ita Quinctilianus, li. 8. ca. 3. Nec augenda ſemper oratio, ſed ſubmittenda nonnunquam eſt; uim rebus aliquã do etiam ipſa uerborum humilitas affert. An cum dicit in Piſonem Cicero, Cum tibi tota cognatio in Sarraco aduehatur, incidiſſe uidetur in ſordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem deſtructum uolebat, auxiſſe? Iam uero quid illis uerbis in eundem Piſonem abiectius? Nemo queritur Syrum neſcio quem de grege nouitiorum factum eſſe conſulem. non enim color iſte ſeruilis, non piloſae genae, non dentes putridi deceperunt. Et inferius, Meminiſti ne coenum, cum ad te quincta fere hora cum C. Piſone ueniſſem, neſcio quo e gurguſtio te prodire, inuoluto capite, ſoleatum, & cum iſto ore fetido taeterrimã nobis popinam inhalaſſes, & cetera. Illa uero ſunt aſperrima, O tenebrae, o lutum, o ſordes, o paterni generis oblite, materni uix memor. Ita neſcio quid iſtuc fractum, humile, demiſſum, ſordidum. Aſpera ſunt illa in Catilinam: Quamdiu nos etiam iſte furor tuus eludet? quem ad finem ſeſe effrenata iactabit audacia? Nonnumquam etiam nitidis contra aduerſarios utimur, praecipue cum eorum delicias inſectamur; ut Numanus apud Virgilium, lib. 9. Aen.

Vobis picta Croco, & fulgenti murice ueſtis
Deliciae cordi, iuuat indulgere choraeis,
Et tunicae manicas, & habent redimicula mitrae.

praeterea ſaepe in ironia lenibus, & nitidis utimur, ut Iuno, apud Virgilium. lib. 4. Aen.

Egregiam uero laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuq; puerq. tuus, magnum & memorabile nomen,
Vna dolo diuum ſi femina uicta duorum eſt.

Hoc autem diligenter orator aduertere debet, quando conſonantibus, grauibus, & lenibus uerbis utendum ſit, & quando contrarijs. Nam oratio illa maxime laudabilis eſt, quae ita rebus accommodatur, ut eas ita explicet, ut uideri uideantur. qua in re Cicero mirus eſt artifex.

CICERO

TRactatione autem cum aut propria ſumuntur rerũ uocabula, aut addita ad nomen, aut noua, aut priſca, aut ab oratore modificata, & inflexa quodammodo, qualia ſunt ea, quae transferuntur, aut immutantur, aut ea, quibus tamquam ab utimur, aut ea, quæ obſcuramus, quae incredibiliter tollimus. quaeq. mirabilius, quam ſermonis conſuetudo patitur, ornamus.

EXPLANATIO

IN tractatione uerborũ uis eloquentiae maxime perſpicitur. neque enim orator tantum uidere debet, ut Latina uocabula ſint, & perſpicua, & ornata; ſed iudiciũ adhibebit, quae cuique loco cõueniant: ut non confuſe, & perturbate omnia admittat; ſed ut architectus, qui certo ordine lapides & ligna digerit. Nam illa etiam, quae optima ſunt, uocabula uenuſtatem omnem & gratiam amittunt, niſi quis eis opportune uſus fuerit. Ponit autem hoc loco Cicero quinque tractandi modos. quorum primus eſt, cum propria ſumuntur; ſecundus, cum addita ad nomen; Tertius cum noua; Quartus, cum priſca; Quinctus, cum modificata, & inflexa. Sed hic quinctus modus in uarias ſpecies diducitur: nam omnes tropos continet, ut poſtea docebimus. Propria nomina maximam omnium uim habent, ut Hermogenes tradit: ideo primo loco ponuntur in tractatione. ſed, quot modis proprietas in uerbis cernatur, iam ſupra docuimus. Hic própria intelligimus, quae rem unã tantum ſingularem ſignificant, ut Homerus, Cyllarus, Eridanus, Roma, ceteraq. eius generis. Haec autem ita tractantur, ut uel ſuo nomine proferantur, ut Socrates, uel circuitione uerborum notentur, ut Saphroniſci filius. ſic Horatius in arte nomen Homeri ponit.

Quo ſcribi poſſent numero, monſtrauit Homerus.

Sed in epiſtolis ita per uerbum circuitionem idem indicat,

Troiani belli ſcriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneſte relegi.

Hac uerborum circuitione frequenter poetae utuntur in explicandis propriis nominibus, ut Homerus ita nomen Vlyſsis declarat in princ. Odyſſ.

Dic mihi, muſa, uirum, captae poſt moenia Troiae
Qui mores hominum multorum uidit, & urbes.

Ita Virgilius Aenean deſcribit:

Arma, uirumq. cano, Troiae qui primus ab oris, &c.

Quod ſaepenumero facit etiam Cicero, ut, Hic,cuius in poteſtate ſumus, ideſt Caeſar. Importuni gladiatoris amentia,ideſt, Antonij. Furia muliebrum religionum, ideſt Clodius. Ergo uel propria nomina ſumet orator,ut pro Milone,Atqui Milone interfecto Clodius hoc aſſequebatur. Nihil per uim umquam Clodius, omnia per uim Milo. Vel eadem circumſcribet,ut in eadem oratione, Quo tandem animo tyrannum tuliſſe creditis? Atque illam belluam iudicij laqueos declinantem irretitam teneret. Magnum fuit Miloni conficere illam peſtem nulla ſua inuidia. Nam ipſum Clodium modo tyrannum,modo belluam, modo peſtem uocat. Poſſumus etiam propia hoc loco intelligere, quae nō ſunt aliunde tranſlata, ſed primo ſenſu ſignificata ſunt. Nam idem uerbum proprie rem unam ſignificabit, tranſlate alteram; ut ignis proprie calidum & ſiccum elementum ſignificat, ſed tranſlate pro amore ponitur,ut, Et caeco carpitur igni. Ardere proprie de igne dicitur, tranſlate de irato homine. ſed huis generis ſunt innumerabilia. Itaque orator prudenter aduertet, quando propriis, & quando tranſlatis utendum ſit. Addita ad nomen, ſunt qui intelligant appellationes, quibus propria nomina ſignificantur, ut pater, mater, ſoror, frater, doctor, diſcipulus, uxor, maritus, ſocrus, nurus, atque eius generis cetera, quae ſane plerumque multo maiorem uim habent, quam propria; ut pro A. Cluentio, Oppugnat filium mater; longe grauius eſt, quam ſi dixiſſet, Oppugnat Cluentium Saſſia. Et in eadem oratione, Nubit genero ſocrus, ſine dubio maius eſt, quam, Nubit Melino Saſsia. Sed mihi uidetur Cicero, Addita ad nomen ea uocare, quae Graeco nomine Ephiteta dicuntur,& a Grammaticis Adiectiua nomina, in quibus magnus eſt orationis ſplendor, magna dignitas. ut Cicero pro lege Man. poterat ita proponere Dicendum eſt enim de Cn. Pompeij uirtute; ſed duobus adiectis epithetis mirandum in modum membrū illud illuſtrauit,hoc modo, Dicendum eſt enim de Cn. Pompeij ſingulari eximiaq. uirtute. Quo in genere tantopere excellit Cicero, ut aliqui exiſtiment eius eloquentiam, ideo tum admirabilem eſſe, quod ubique tam appoſite ſciat epitheta copulare. Quam rem uel illud unum exemplum pro Marcello poteſt oſtēdere: Tantam enim manſuetudinem,tam inuſitatam,inauditāq. clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam,ac paene diuinam tacitus nullo modo praeterire poſſum. Sed hoc unuſquiſque poteſt in Ciceronis libris aduertere,quam crebro epitheta ſoleat uſurpare, ut nulla paene ſit periodus in orationibus, quae non epithetis ſcateet. Quo in genere Virgilius etiam excellit, ut, de Polyphemo lib. 3. Aen.

Monſtrum horrendum,informe, ingens, cui lumen ademptum.

Licet autem uno exemplo demonſtrare, quantam orationi maieſtatem afferant adiectiua nomina. nā, ſi quis ita dicat,Bruti prudentia Tarquinium expulit,Latine,& eleganter dixiſſe nidebitur: ſed quanto grauius, & ſublimius hoc idem erit, ſi quis hoc modo epithetis exornet: Incredibilis, ac prope diuina Iunij Bruti prudentia ſuperbiſsimum, atque crudeliſsimum regem Tarquinium,ab urbe Romana dominatu regio priuatum expulit. Eandem fere uim etiam aduerbia opportune uerbis addita frequenter habere ſolent, ut, ſi quis ita dicat: Apollonius Ciceronem, Graece declamantem, audiens, admiratus eſt: Latine loquetur: Sed ſi addat aduerbia, quae ſint accommodata, tunc certe intelliget, quantopere creſcat oratio, hoc modo: Apollonius apte,diſtincte, & ornate Ciceronem Graece declamantem diligenter audiens, maiorem in modum admiratus eſt. Quae conſonantiora fient etiam,ſi per ſuperlatiua enuncientur,ut ſupra docuimus. Quod igitur adiectiua ſubſtantiuis ſunt, id uerbis etiam adiectiua uidentur eſſe. Saepe etiam adiectiua uim efficientis cauſſae exprimunt, praecipue apud Poetas. Quam figuram Grammatici metonymiam uocant,ut Virgilius.li.6.Aen.

Luctus & ultrices poſuere cubilia curae,
Pallentesq. habitant morbi,triſtisq. ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas.

Tale eſt illud:

Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenae.

ſic Horatius:

Pallida mors aequo
Pulſat pede pauperum tabernas,regumq. turres.

Sic laetam uictoriam dicimus,calamitoſam offenſionem,bellum triſte, pacem ſalutarem, ab effectu; quibus epithetis etiam in ſoluta oratione frequenter utimur. Noua uocabula non ita frequenter licet uſurpare, niſi quando neceſsitas cogit; ut,cum res aliquae nouae reperiuntur. nā rebus nouis,noua etiam uerba ſunt adiungenda. Sed recte Quinctilianus ait: Vſitatis tutius utimur; noua non ſine quodā periculo fingimus. Ideo putat idem Quinctilianus lib. 1. c. 5. non eſſe conceſſam nobis onomatopaeam, ideſt, ut Cornificius interpretatue,nominationem,Graecis autem magis conceſſum & noua uerba figurae. qua de cauſſa dixit Horatius:

Et noua, fictaq. nuper habebunt uerba fidem,
Graeco fonte cadant parce detorta.

Tamen etiam Latini nonnumquam noua fingunt, ut Cicero dixit Appietatem, Lentulitatem, Syllaturire, multaq. eius generis,ut de ſenectute, Terra diffundit,& elicit herbeſcentē ex eo uiriditatem. Et ibidem,ne ſiluescat ſarmentis. Meſſalla primus reatum dixit, Auguſtus munerarium, Terentius etiam primus obſequium dixit, & Hortenſius ceruicem in ſingulari, cum antea ceruices tantum dicerentur. Neque omnino interdictum eſt Latinis noua fingere, praeſertim in eo genere, quae reperta dicuntur, ut Quinctilianus putat, quod ſi quid periculoſius finxiſſe uidebimur,quibuſdā remediis uti debemus,quaſi praemunientes, Vt ita dicam,Si licet dicere,Vt hoc uerbo utar,Permitte mihi ſic dicere. hanc Graeci,quaſi praecaſtigationem uocāt. qua etiam Cicero nonnumquam utitur,ut in Academicis, Audebimus ergo nouis uti te auctore. Primo de

Natura Deorum, aut iſta ſiue beatitas, ſiue beatitudo dicenda eſt, utrumque omnino durum. Nobis interdum nouis uti neceſſe eſt, ut ſi bombardam dicamus, aut Baptiſmum, aut Miſſam, ant alia multa, quae ſunt in religione noſtra iam uſurpata. Priſca & inuſitata uerba nonnumquam maieſtatem quandam afferunt orationi, ſi raro eis utamur. nam & auctoritatem antiquitatis habent, &, quia intermiſſa ſunt, gratiam nouitati ſimilem parant. ſed opus eſt modo (ait Quinctilianus lib. 1. c. 6.) ut neque crebra ſint haec, neque manifeſta, quia nihil ē odioſius affectatione. Salluſtius notatus fuit hoc crimine, qđ nimis priſca & antiqua uerba quaereret:

Et uerba antiqui multum furate Catonis,
Criſpe, Iugurthine conditor hiſtoriae:

Hi dicuntur antiquarij, qui uerba antiqua ſcrutantur, ut Iuuenalis de muliere huius rei ſtudioſa:

Ignotosq. mihi tenet antiquaria uerſus.

L. Craſſus apud Ciceronem lib. 3. de orat. ſic ait. Inuſitata ſunt priſca fere, ac uetuſta, & ab uſu quotidiani ſermonis iamdiu intermiſſa, quae ſunt poetarum licentia liberiora, quam noſtra; ſed tamen non raro habet etiā in oratione poeticum aliquod uerbum dignitatem. neque enim illud fugerim dicere, ut Coelius, Qua tempeſtate Poenus in Italiam uenit, nec prolem, aut ſobolem, aut effari, aut nuncupari, ant, ut tu ſoles, Catule, non rebar, aut opinabar, & alia multa, quibus loco poſitis grandior, atque antiquior oratio ſaepe uideri ſolet. Sed haec ſi nimis frequentia fuerint, aut nimis obſoleta in uituperationem incidunt. quare merito ridiculi uidentur ēt hoc noſtro tempore quidam, qui ſe magnifice loqui exiſtimant, cum uel ex Plauto, uel ex Catone, uel aliquo uetuſtiſsimo ſcriptore potuerint aliquod obſoletū & prorſus inuſitatum uerbum expiſcari, quod orationi ſuae inſerant. Contra laudatur Virgilius, quod raro quidem, ſed opportune priſca uſurpet, ut

Tros Rutulus ue fuat, nullo diſcrimine habebo.
Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi. &:
Ignus eſt ollis uigor.

Avt *ab oratore modificata, & inflexa quodammodo.*] Hoc loco tropos, & figuras omnes tam uerborum, quā ſententiarum innuit: ideo Modificata dixit, quod modo quodam a propria ſignificatione & forma deducuntur. nam tropus etiam modum ſignificat, & Quinctilianus, Figuram ita definit. Figura eſt arte aliqua nouata dicendi forma. Non autem ſigillatim omnes figuras perſequitur, ſed tantum quibuſdam exemplis docet, qua ratione ab oratore uerba modificentur, & inflectantur. neque enim uitioſum eſt, in re infinita praetermittere aliquid. & ait in Topicis Cicero, quod idem in diuiſione uitioſum eſt. Formarum enim certus eſt numerus, quae cuique generi ſubiiciantur. Partium diſtributio eſt infinitior, tamquam riuorum a fonte deductio. Itaque in oratoriis artibus quaeſtionis genere propoſito, quot eius formae ſint, ſubiungitur abſolute. At, cum de ornamentis uerborum ſententiarumq. praecipitur, ſchemata non fit idem. res enim eſt infinitior. Haec ibi Cicero. Quare nemo iure poteſt eum reprehendere, quamuis hoc in loco non omnes oratorias figuras perſecutus ſit, ſed quaſdam tantum attigerit. Qvalia *ſunt ea, quae transferuntur.*] Quoniam tranſlatio frequentiſsima eſt, ideo poſuit eam primo loco. Atque hic tropus quodammodo naturalis eſſe uidetur, quoniam etiam indocti eo ſaepiſsime utuntur. ut ardere ira dicunt, & inflammari deſiderio, & uites gemmare. haec metaphora Graeco nomine dicitur, quae iucundam, atque nitidam totam efficit orationem. L. Craſſus duas cauſſas affert, cur inuenta tranſlatio ſit, neceſsitatem & delectationem. Sicut ueſtis, inquit, frigoris depellendi gratia primo reperta, poſt adhiberi coepta eſt ad ornatum etiam corporis & dignitatem. primo igitur inopiae cauſſa tranſlatio inuenta eſt, deinde propter delectationem frequentata fuit. Neceſsitate cogimur uerbum transferre, cum proprium deeſt, quae tamquam mutatio quaedam eſt, cū quod non habemus aliunde ſumimus, ut luxuriem eſſe in herbis, laetas ſegetes etiam ruſtici dicunt, ita ſitire agros, fructus laborare. ſicut etiam durum hominem & aſperum dicimus, quoniam aliud non habemus, quo illas affectiones exprimamus. Delectationis tranſlatio eſt, quae uel clariorem efficit orationem, uel ſignificantiorem, uel decentiorem, uel breuiorem. Tranſlatio clarior mire ad ornatum facit, ut lumen orationis, ſplendor generis, concionum procellae, orationis flumina. ſic Cicero uocat Clodium fontem gloriae Milonis, ſegetem, ac materiam laudis. aureum flumen orationis Ariſtotelis. Significantior tranſlatio ad dicendi ſublimitatem adhibetur, ut Pericles orator dictus eſt tonare, fulminare, permiſcere totam Graeciam. Sic ira incenſum, inflammatum cupiditate, errore lapſum dicimus. Decentior eſt tranſlatio, qua parum ſpecioſa dictu explicamus, ut uentrem exonerare, liberis operam dare. tale eſt illud Virgilij, in Georg.

Hoc faciunt nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.

Breuior tranſlatio uim habet uel maximam, ut ſi telum manu fugit. Imprudentia (inquit Craſſus) teli emiſsi propriis uerbis breuius exprimi non potuit, quam eſt uno ſignificata tranſlato. tale eſt illud, lib. 7. Aen.

Telumq. armare ueneno.

Et pro Ligario, Qui ſenſus erat armorum tuorum? Ducuntur a ſenſibus omnibus elegantes metaphorae, & maxime oculorum, qui eſt ſenſus acerrimus. A uiſu igitur primo, ut lumen, & ornamentum reip. ſpecimen ingenij, exemplar religionis, ſplendor uirtutis, obſcuritas generis, decus patriae, pulchritudo uirtutis. Ab auditu, ut ſtrepitus comitum, murmur multitudinis, ſonitus orationis. Ab olfactu, ut odor urbanitatis, ſagaciter odorari. A tactu, mollitudo humanitatis, aſperitas uerborum, duritia mentis. A geſtu, dulcedo orationis, hoſtis amarus, Virgilius:

Hoſtis amare, quid increpitas.

Hae uero metaphorae paſsim occurrunt apud bonos auctores. Quinctilianus ait metaphorae uim eſſe quadruplicem. uel enim ab animato ad animatum transfertur uerbum; uel ab inanimato ad inanimatum; uel ab animato ad inanimatum, uel ad inanimato ad animatum. Quae ſic exemplis illuſtrantur, primo ab animato ad animatum, ut T. Liuius Scipionem a Catone allatrari ſolitum refert. ita ciuitatis gubernator dicitur, & uoluptatis architectus. Ab inanimato ad inanimatum, ut lib.6. Aen.

Claſsiq. immittit habenas. Et alibi: lib.2. Aen.

Infrenat alij currus.

Ita fontem gloriae dicimus, & gaudij cumulum, & uirtutis magnitudinem, & irae feruorem. Ab animato ad inanimatum, ut lib. 12. Aen.

Sedet inſcius alto,.
Accipiens ſonitum ſaxi de uertice paſtor.

Talia ſunt illa pro Ligario, Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat, cuius latus ille mucro petebat? qui cenſus erat armorũ tuorum? Ab inanimato denique ad animatũ, ut lib. 11. Aen.

Proinde tona eloquio ſolitum tibi.

Ita ardeo cupiditate incredibili; accenſus ſnm deſiderio tui. In tranſlatione ſeptem uitia uitanda ſunt: primum, ne penitus diſsimilis ſit, ut, Caeli ingentes fornices: alterum, ne longe petita, ut, ſyrtis patrimonij, Charybdis bonorum: tertium, ne turpis, ut, Stercus curiae Glaucia: quartum, ne ſit maior, quam res poſtulet, ut Tempeſtas comeſſationis: quinctum, ne ſit minor, ut ſcintilla proditionis: ſextum, ne ſit dura, ut, Iuppiter hibernas cana niue conſpuit alpes: ſeptimum, ne ſit tantum poetica, ut, paſtor populi pro rege. His uitiis declinatis, maxime laudabilis erit tranſlatio. Iam cum fluxerunt continuae plures tranſlationes, alia plane fit oratio, ut in Oratore ad Brutum ait Cicero. itaque genus hoc Graece appellant Allegoriam. Quinctilianus inuerſionem interpretatur, Cornificius permutationem uocat. Ea fit, quoties plures tranſlationes copulantur, ut, Si canes funguntur officio luporum, cui nam praeſidio pecuaria credemus? tale eſt illud Terentij, Sceleſta, ouem lupo commiſiſti. Eſt autem allegoriae frequens uſus & apud poetas, & apud oratores, & in uulgari etiam, atque quotidiano ſermone. Apud poetas, ut Horatius totam unam odam per allegoriam ſcripſit:

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus, o quid agis fortiter occupa Portum.

Vbi nauim pro rep. fluctuum tempeſtates pro bellis ciuilibus, portum pro pace, atque concordia dicit. tale eſt illud Virgilij in Georgicis:

Sed uos immenſum ſpatiis confecimus aequor,
Et iam tempus equum fumantia ſoluere colla.

Apud oratores etiam allegoria reperitur, ſed frequenter, ut pro Milone, Et quidem ceteras tempeſtates, & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas. Sed illa ſpecioſiſſima eſt allegoria, quae permixta eſt cum ſimilitudine, & tranſlatione, ut pro Murena, Quod fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam uarias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos aeſtus habet ratio comitiorum. In uulgari, atque quotidiano ſermone frequẽter utimur allegoria. ſi quidem omnia fere uulgata prouerbia per allegoriam anunciantur, ut Similes habent labras lactucas. Aſinus ſtramenta mauult, quam aurum. Aquila non capit muſcas. Luſciniae cantus non deeſt, & huius generis paene infinita, quibus aliud dicitur, aliud intelligitur. Ad hoc genus referuntur illi Pythagorae uocata Symbola, ut Ne guſtaris eos, quibus eſt nigra cauda: A fabis abſtineto. Quae ſunt uncis unguibus, ne nutrias: Hirundinem ſub eodẽ tecto ne habeas. Hanc figurã Ariſtoteles lib.3. Rhe. ſub tranſlatione comprehendit. quoniam re uera nihil aliud eſt allegoria, quam continuata tranſlatio. atque ideo Cicero Ariſtotelis ſententiam approbat. Quidam faciunt etiam Ironiam allegoriae ſpeciem, quoniam in ea aliter intelligi uelimus, quam enunciamus, ut pro Milone. P. Clodij mortem aequo animo ferre poteſt, luget ſenatus, maeret equeſter ordo: tota ciuitas confecta ſenio, ſqualent municipia, aflictantur coloniae; agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum ciuem deſiderant. Sed de Ironia multa diximus in Oratore ad Brutum. mihi enim a tranſlatione, & allegoria uidetur eſſe diuerſa. nam irriſionis gratia reperta eſt. AVT *immutantur*.] Hanc figuram, ut ait Cicero in orat. ad Brut. hypallagen Rhetores uocant, quia quaſi ſubmutantur uerba uerbis, metonymiam grammatici, quod nomina transferuntur. Hypallage Latine ſubmutatio dici poteſt, metonymia uocatur a Cornificio denominatio. Quinctilianus metonymiam nominepoſitionem interpretatur, ut Horatius:

Receptus terra Neptunus claſſes aquilonibus arcet.

Neptunum pro mari poſuit. Inter tranſlationem, & metonymiam haec eſt differentia, quod tranſlatio ſimilitudine quadam ab alia re ducitur: Metonymia pro uerbo proprio ſubiicit aliud, quod idem ſignificet, ſumptum ex aliqua re conſequenti, ut arma pro bellis, Virgilius, Arma utrumque cano: Bacchus pro uino, Ceres pro pane. Terentius, Sine Cerere, & Baccho friget uenus. Cicero pro Fonteio, Iſti immani, atque intolerandae barbariae reſiſtimus, pro barbaris hominibus. Ita dicimus totam Italiam eſſe commotam, ideſt homines qui ſunt in Italia. Haec autẽ figura fit multis modis, ſed praecipue ſeptem, quos hic ponimus. Primo cum inuentor pro re inuenta ponitur, ut Mars belli communis, Vulcanum in laterna gerit: Sine Cerere & Baccho friget uenus. Secundo, cũ ponitur id, quo continet, pro re, quae cõtinetur, ut Africa terribili tremit horrida terra tumultu: Caeſar uniuerſam Galliam decem annis domuit: Italia tota eſt in armis: Pompe-

iu cum tota domo interiit. Tertio, cum ſignum pro re ſignata ponitur, ut, Cedant arma togae, concedat Laurea linguae: Plus in toga reip. profuit Cicero, quam in bello Pompeius. Quarto, cum ab effectu res aliqua denominatur, ut Lex horrendi carminis, ſegne otium, ira praeceps. Pallentesq. habitant morbi, triſtisq. ſenectus. Sic pallida mors dicitur, & egeſtas turpis. Quincto, cum inſtrumentum pro re ipſa ponitur, ut Arma uirumq. cano. Ordior arma, quibus caelo ſe gloria tollit, ſic dicimus libris inuigilare, ideſt ſtudiis. Sexto, cum auctorem pro opere uſurpamus, ut Cicero numquam de manibus eſt deponendus, Ariſtoteles diligenter euoluendus eſt, Cicero, Mitte mihi Theopraſtum. Ariſtoteles ab ipſis philoſophis praetr admodum paucos ignoratur. Septimo, cum uirtutes & uitia pro ipſis, in quibus illa ſunt, ponimus, ut Luxuries in quam domum non penetrauit: Nihil eſt tam ſanctum, quod auaritia non uiolet. Clementia Caeſaris etiam inimicis pepercit. Catilinae ſcelus Romanam remp. paene ſubuertit. Pro Milone, Oppreſſa uirtute eſt audacia. His & aliis quibuſdam huius generis mediis uerba immutantur. AVT *ea, quibus tamquam abutimur*) Haec figura Catacheſis Graece, Latine Abuſio dicitur, quae interdum eſt neceſſaria, ſicut ait Quinctilianus. quoniam non habentibus ſuum nomen accommodat, quod in proximo eſt. ut

Equum diuina Palladis arte
Aedificant.

Craſſus ait, abuſionem non tam elegantem eſſe, quam tranſlationem. Sed (inquit) etiam licentius, abutimur tamen interdum non impudenter, ut cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. Tale eſt illud Virgilij:

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Ita cum paricidam pro matris interfectore ponimus, augurium pro oraculo, Auguriis agimur diuum. raro tamen abuti uerbis oportet, ne fiat impropria, nimisq. licentioſa elocutio. AVT *ea, quae obſcuramus.*] Haec eſt obſcurior allegoria, quae ſi frequens fuerit, in uitium euadit, & aenigma uocatur; ut illud Virgilij:

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat caeli ſpatium non amplius ulnas.

Si uero rarius adhibeatur, gratiam habet, ut Cicero pro Roſcio Am. Te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum facit, multos caeſos non ad Thraſymenum lacum, ſed ad Seruilium uidimus. quis ibi non eſt eſt uulneratus ferro Phrygio? talia ſunt, quae uulgo ioci gratia proponuntur ſoluenda, ut illud, Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me. Sunt qui ad hunc locum referant obſcuriores ſententias & prouerbia, ut, Bos laſſus fortius figit pedem. Ignem gladio ne fodias. Aduerſus ſolem ne meiito. ceteraq. eius generis, quibus interdum expolitur oratio, ſed, ut diximus, rara eſſe debent, ne in uitium obſcuritatis incidamus. QVAE *incredibiliter tollimus.*] Hyperbole dicitur, cum aliquid incredibiliter extollimus: Cornificius ſuperlationem uocat, Quinctilianus ſuperiectionem ementientem; ut pro lege Man. Qui ſaepius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertauit, plura bella geſſit, quam ceteri legerunt, plures prouincias confecit, quam alij concupiuerunt. Haec pluribus modis fieri ſolet. aut enim plus facto dicimus, ut uomens fruſtis eſculētis gremium ſuum, & totum tribunal impleuit. Aut res per ſimilitudinem attollimus, ut, credas innare reuulſas Cycladas, & alio loco, Oculis micat acribus ignis. Aut comparationem, ut, Fulminis ocyor alis.

Qui candore niues anteirent, curſibus auras.

Aut ſignis quibuſdam utimur, ut Virgilius de Camilla,

Illa uel intactae ſegetis per ſumma uolaret
Culmina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas,
Vel mare per medium curſu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter caelo, nec tingeret aequore plans.

Aut per traſlationem fit hyperbole, ut Iuuenalis r

Semper & aſſiduo ruptae lectore columnae.

& Pericles tonare, fulminare, permiſcere Graeciam dictus. Interdum creſcit hyperbole alia ſuperaddita, ut, Quae Charybdis tam uorax, Charybdim dico, quae ſi fuit, fuit animal unum. Oceanus medius fidius uix uidetur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Et alio loco, Non enim Charybdim tam infeſtam, neque Scyllam nauibus, quam iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. QVAEQVE *mirabilius, quam ſermonis conſuetudo patitur, ornamus.*) Valla putat hoc loco Ciceronem de periphraſi tantum, ſeu de uerborum circuitione ſentire. quod omnino falſum eſt. neque enim ſola periphraſis mirabilius exornat, ſed aliae multae uerborum ſententiarumq. figurae. Latomus de amplificatione putat a Cicerone uerba fieri, quod etiam ratione caret. nam amplificatio uehementior quaedam argumentatio eſt, ut infra dicetur, & potius in rebus, quam in uerbis perſpicitur. Praeterea non unam exornationem amplificatio, ſed plures & fere omnes amplectitur. Mihi ſentire melius uidentur ij, qui ceteras omnes figuras a Cicerone hoc loco notari exiſtimant. neque enim ulla alia cauſſa eſt, cur orator admirabilius, quam ſermonis conſuetudo patitur, uerba faciat; niſi quia uariis figuris & exornationibus totam orationem ſuam illuſtrat. At dicet aliquis, cur eas ergo figuras non enumerando perſequitur? quia ſatis habet hoc in opere capita complecti rerum illarum, quas aliis in operibus copioſe pertractauit. ut paullo ſupra locos, & ſedes argumentorum tantum enumerauit, & non explicuit, quoniam de ilis iam copioſius in Topicis tractauerat; ita hoc loco ſatis eſt ipſas exornationes nominare, de quibus alio loco permul-

ta dixit.Lib.3.de orat.Oportet igitur in oratione mirabilius dicere,quam ſermonis conſuetudo patiatur; ut in familiari collocatione ſatis eſt animi ſenſa exprimere.Quin ille ridiculus eſſe uideretur, qui uel in ſermone,uel in epiſtolis familiaribus uim & neruos oratorios adhibere contenderet.Epiſtolas enim (ut ait Cicero) quotidianis uerbis texere ſolemus . Figurae autem, atque exornationes, tamquam ſtellae quaedam maxime illuſtrant,& admirabilem efficiunt orationem.quam enim admirabilis eſt illa pro Milone conuerſio,atque cõformatio.Vos Albani tumuli,atque luci,uos,inquam,imploro,atque obteſtor,uoſq.Albanorũ obrutae arae, ſacrorum populi R.ſociae & aequales,quas ille praeceps amentia,caeſis proſtratisq.ſanctiſsimis lucis,ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat Quam acris illa conduplicatio cum repetitione? Valeant ciues mei, ualeant,ſint incolumes,ſint florentes,ſint beati.Quid exclamationes illae,O fruſtra ſuſcepti mei labores, o ſpes fallaces,o cogitationes inanes meae. Iam uero illa contentione nihil fieri uehementius poteſt; Reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos; ego te in patria per eoſdem retinere non potero? Quid? illla ſubiectio praecedente contentione quantam uim habet? Me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet?at in qua cauſſa non potuiſſe? quae eſt grata gentibus; a quibus non potuiſſe?ab his, qui maxime P Clodii morte acquieuerunt.quo deprecante?me.Hae,ceteraeq. huiuſmodi figurae, quibus paſsim abundat Cicero,ſunt,quae orationem mirabilius,quam ſermonis conſuetudo patitur, exornant.

C I C E R O

C. F.Habeo de ſimplicibus uerbis,nunc de coniunctione quaero.C.P.Numeri quidam ſunt in coniunctione ſeruandi, conſecutioq. uerborum. Numeros aures ipſae metiuntur,ne aut non compleas uerbis, quod propoſueris,aut redundes.

E X P L A N A T I O

TRanſitione utitur,qua repetit breuiter,quae dicta ſunt,& proponit dicenda. Dixerat enim primam uim in ſimplicibus uerbis eſſe;ſecundam in coniunctis.Iamque ſatis multa uerba de ſimplicibus fecit, reſtat igitur,ut etiam de coniunctis tractet. Duo ſunt autem in coniunctione uerborum ſeruanda, hoc eſt numerus,& conſecutio.Numerum uero hoc loco,non quo numeramus intelligere debemus,ſed uel concinnitatem quandam in oratione,cum paria paribus,contraria contrariis reſpondent, quam Gorgias Leontinus inueniſſe dicitur;uel rhythmum,quo pedes etiam in oratione quodammodo notantur. quorum obſeruandorum princeps fuit Thraſymachus Calcedonius,ut docet Cicero;quamquam idem in Bruto huius inuentionis palmam Iſocrati tribuit.In orat.Concinnitas fit tribus modis, primo cum paria paribus reſpondent, ut pro P.Sextio, Qui auctoritate,qui fide,qui conſtantia, qui magnitudine animi, conſilijs audacium reſtiterunt, ij graues, ij principes,ij duces,ij auctores huius dignitatis, atque imperij ſemper habiti ſunt. Secundo,cum opponuntur contraria,ut in eadem oratione,Sed mihi omnis ratio eſt cum uirtute,cum deſidia;cum dignitate non cum uoluptate;cum ijs,qui ſe patriae,qui ſuis ciuibus,qui laudi,qui gloriae, non qui ſomno & conuiuiis, & delectationi natos arbitrantur.Tertio,cum caſus ſunt in exitu ſimiles, ut in Piſonem; An opidorum turpis amiſsio? an ſociorum direptio?an agrorum depopulatio?Quoties haec tria in oratione adhibẽtur,ſua ſponte numeroſa fit oratio.Sed,cum de numeris multa uerba Cicero fecerit in oratore ad Brutum; ideo nihil de illis hic agit, ſed auribus omne iudicium committit.nos etiam cum in commentariis noſtris in Oratorem, partem hanc copioſe tractauerimus,hoc in loco dedita opera breuiores erimus. Obſeruantur igitur pedes & initio & in fine periodorum.ſed finis diligentiam maiorem exquirit,initium liberius eſt.In uniuerſum breuiores ſyllabae & in principio,& in fine minus habent grauitatis;ideo Trochaeus ſiue Tribrachus, qui ex tribus breuibus ſyllabis conſtat,uel rariſsime,uel numquam,aut in principio,aut in fine ponitur. Longiores autem ſyllabae maiorem habent grauitatem,modo ne plures quam tres,aut quatuor continuae ponantur.Illud uitandum eſt, ne in oratione ſit carmen,neue deſinat in carmen oratio,quoniam hoc maximum uitium eſſe putant. Initio tamẽ principium heroicum laudatur,& in hiſtoria praecipue,ut T.Liuius ſic incepit, Facturus ne operae pretium ſim; & Salluſtius,Bellum ſcripturus ſum,quod populus Romanus.Iambus,Pyrrhichius,Tribrachus, Choraeus pedes ſunt humiles, qui in oratione neque principio,neque fini ſatis conueniunt, quotidiano ſermoni & epiſtolis magis aptantur.Spõdaeus, Dactylus,Anapeſtus,qui pedes heroici uocantur, & Creticus optime orationẽ incipiunt;ideo Ciceronis maxime familiares ſunt hi pedes in exordiis.In fine duo, uel etiam tres,ut uult Cicero,pedes obſeruantur.Habẽt autem hi pedes uel duas ſyllabas,uel tres,uel quattuor.ex ijs,qui duas habent ſyllabas,ſpondaeus optime claudit orationem,niſi uel dactylus,uel alter ſpondeus praecedat.hinc enim malus fit numerus.iambus autem & choraeus fini uenuſtatem addunt,quoties ultimum ſpondaeum antecedunt. Triũ ſyllabarum pedes omnes praeter trochaeum bene claudunt,ſed omnium optime Creticus, deinde Bacchius, & Palimbacchius.Quattuor ſyllabarum pedes in fine frequentiſsimi ſunt,& magnam orationi dignitatem afferunt,ſed tamẽ diſpondaei nimis tardi uidẽtur.Dichoraei ſunt omnium pulcherrimi,peſsimi dijambi, Paeones laudabiles & Epitriti Quin etiam ambo Tonici commendantur.Horum exempla paſsim occurrunt in Orationibus Ciceronis,& nos in Oratore multa congesſimus.Multi ſunt etiam quinque ſyllabarum pedes, quorum maxime dochimum Cicero probat,qui conſtat ex palimbacchio & iambo,ut Amicos tenes. Sed haec pedum obſeruatio acri aurium iudicio indiget. cum enim aures implentur, non poteſt non eſſe numeroſa oratio; cum autem aliquid deeſt, aut redundat, tunc perit orationis numerus, ut illa Ciceronis eſt plena periodus:

Num-

Numquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur. nec ad conſilium caſus admittitur. Cum autem non completur uerbis, quod propoſitum eſt, numeroſa eſſe non poteſt oratio, ut ſiquis ita dicat, Numquam enim temeritas cum ſapientia commiſcerur, nec cum conſilio caſus. Neque cum aliquid redundat, ſeruari numerus poteſt; ut ſi quis dicat, Numquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, aut copulatur, nec ad conſiliũ caſus admittitur, aut aggregatur. Itaque diligenter uidendum eſt, nequid aut deſit, aut redundet. quo in genere qui ſunt artis imperiti, permulta peccant.

CICERO

Conſecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus perturbetur oratio. nam, ut in ſimplicibus uerbis, quod non eſt Latinum, ſic in coniunctis, quod non eſt conſequens, uituperandum eſt.

EXPLANATIO

Conſecutionem uocat, Cicero partium conuenientiam, quam Grammatici concordantiam uocant, ut nullum ſit uitium in generibus; ut Virgilius, Imo de ſtirpe reciſum: aut in numeris, ut Turba ruunt in me, aut in temporibus, ut Ciſsis par increat: aut in perſonis, ut, Diuellimur inde Iphitus, & Pelias mecum. Aut in caſibus, ut It clamot caelo. haec enim in poetis tolerantur, in quibus longe maior eſt licentia. ſed in oratore, quidquid non eſt conſequens, uituperatur. Nam duo conſiderare debet orator in uerbis, primo ut ſint Latina; deinde, ut ſint conſequentia, quod niſi fecerit, in duo uitia facile incurret, hoc eſt barbariſmum, & ſoloeciſmum. nam in ſimplicibus uerbis quidquid nõ eſt Latinum, barbarum dicitur; in coniunctis, quidquid non eſt conſequens, ſoloecum appellatur. hoc eſt quod Quinctilianus praecipit, ut primo barbariſmi, ac ſoloeciſmi foeditas abſit. Tribus autem modis barbariſmus intelligitur. Primo cum aliquod uocabulum non Latinum orationi inſeritur: Secundo, cum aliquid inſolenter crudeliterq. dictum ſit. is enim barbare loqui dicitur, qui nimis inſolenter loquitur. Tertio, cum alicui uerbo littera uel ſyllaba detrahitur, uel adiungitur, uel mutatur. qua in re Q. Hortenſius Tincam Placentinum reprehendebat, quod duos in uno uerbo barbariſmos committeret, cum diceret, preculam pro pergula. Soloeciſmus multis fit modis, primo genere, ut, Imo de ſtirpe; numero, ut ſiquis unum uocet, et dicat, Venite; adiectione, ut Venio de Roma. Quarto, detractione, ut Ambulo uiã. Quincto, tranſmutatione, ut, Enim ego, Autem tu. non eſt autem in ſenſu Soloeciſmus, ſed in complexu uerborum. Fiunt etiam multi ſoloeciſmi, leuiores illi quidem, ſed tamen diligenter euitandi, cum generum, numerorum, temporum, caſuum, perſonarum ordinem non ſeruamus; ut, ſiquis dicat, Caeſar Gallos domuit, & Pompeium deuicit. uitandum igitur eſt, quidquid eſt anacoluthon, ideſt non conſequens, ut Terentius, Principio amico filium reſtitueris, tibi generum firmum, & filiae inuenies uirum. Mutauit enim modum. quod in ſoluta oratione uitium haberetur.

CICERO

Communia autem ſimplicium, coniunctorumq. ſunt haec quinque quaſi lumina, dilucidum, breue, probabile, illuſtre, ſuaue.

EXPLANATIO

Hactenus ſeparatim de ſimplicibus uerbis, & coniunctis praecepta dedit: nunc uero, quae communia ſint, docet. ſiue igitur ſimplicia ſint, ſiue coniuncta uerba, quinque illas uirtutes habere debent, a quibus maxime luminoſa fiunt, ut claritatem habeant, ut breuitatem, ut probabilitatem, ut illuſtrationem, ut ſuauitatem. In his enim quinque quaſi luminibus eloquentiae tota uirtus elucet. Debet enim oratio eſſe clara, ut intelligatur; breuis, ne taedium afferat; probabilis, ut fidem faciat; illuſtris, ut moueat; ſuauis, ut delectet. Claritas eſt prima uirtus orationis, ut Ariſtoteles ait. Breuitas, quae ſuperuacanea ſunt, reſecat; non autem tollit neceſſaria, aut debita, aut honoraria. Probabilitas docet; illuſtratio motum animis affert; ſuauitas ad delectationem refertur. Dilucidum, quod etiam apertum, & clarum, & perſpicuum dicitur, totius quidem orationis lumen eſt; ſed tamen magis exponendis rebus conuenit, ideo praecipiunt rhetores, ut narratio dilucida ſit, & aperta. Triplex autem eſt perſpicuitas, una rerum, altera uerborum, tertia rerum & uerborum ſimul. Poteſt enim eſſe res aperta; ſed uerba, quibus ea res exprimitur, obſcura; ut, ſiquis pro cochlea dicat, Terrigenam, herbigradã, domiportam, ſanguine caſſam. Sic apud Pacuuium Amphio de teſtudine:

> Quadruples, tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
> Capite breui, ceruice angina, adſpectu truci.

Poſſunt etiam eſſe uerba clara, & aperta, ſed res obſcurae, qualia ſunt Ariſtotelis opera, in quibus, ut ait Cicero, flumen orationis aureum eſt, ſed magna rerum obſcuritas. Verum orator & rerum & uerborum perſpicuitatem diligentiſsime ſeruare debet. nam in oratione uitium uel maximũ eſt, a uulgari genere ſermonis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Videndum eſt igitur, qua ratione dilucida fiat oratio.

CICERO.

CICERO

*D*ILVCIDVM *fit uſitatis uerbis, proprijs, diſpoſitis aut circumſcriptione concluſa, aut intermiſſio ne, aut conciſione uerborum.*

EXPLANATIO

DILVCIDVM tam in ſimplicibus uerbis ſpectatur, quam in coniunctis. In ſimplicibus uerbis fit oratio dilucida, primo ſi uerba ſunt uſitata, deinde ſi propria. Vſitata uocantur ea, quae a bonis auctoribus frequenter uſurpantur, & a communi conſuetudine non recedunt; ut ab oratore ſenex potius dicetur, quam caſcus, aut caſnar; percutere potius quam occillare; ualde potius quam oppido; furari potius quam manuari. uehementer en m aduertendum eſt, ne, ut quidam, inuſitata, obſoleta uerba inculcantes, iure optimo rideamur. Propria ſunt, ſua rerum uocabula, non tranſlata, ueque aliunde ducta, de quibus iam ſupra diximus, nam, quae ſunt improprie dicta, praeterquam quod uitioſa ſunt, etiam orationem obſcurant. In coniunctis uerbis diſpoſitio triplex conſideratur. uel enim circũſcriptione concluduntur, uel intermiſsione, uel conciſione. Circumſcriptio eſt ea, quae Graeco nomine periodus appellatur, Latine etiam ambitus, & circuitus, & comprehenſio, & continuatio uerborum dicitur, ut ait Cicero, Ariſtoteles Periodum, ita definit, ut nos cõuertimus: Periodus eſt oratio quae principium, & finem ex ſeſe habet, & eam magnitudinem, quae facile perluſtrari poſsit. Ex qua definitione ſatis intelligitur, Ariſtotelem damnare longas periodos, quippe qui uelit periodi partes mẽtis oculis facile omnes ſimul perluſtrari poſſe. quae ſi talis fuerit, etiam iucunda & facilis erit, ut idem ſentit Ariſtoteles. Cicero plenam, atque integram periodum e quattuor membris conſtare uult, ut aures impleat; neque breuior, neque longior ſit, quam ſatis ſit. Talis ea periodus, qua orationem pro A. Caecina exorſus eſt; Si, quantũ in agro, locisq. deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque in iudiciis impudentia ualeret; non minus in cauſſa cederet A. Caecina Sex. Aebutij impudẽtiae, quam tum in ui facienda ceſsit audaciae. Sed tamen haec regula non poteſt eſſe perpetua: quoniam frequenter accidit, ut aut citius inſiſtendum ſit, & tantum duo, aut tria mẽbra ponenda ſint, aut longius procedendum; ut non tãtum quattuor, ſed interdum etiam plura in uno ambitu membra ponantur. Hoc autem fit, ne, ſi breuis periodus fuerit, aures non impleantur; aut, ſi nimis longa, obtũdantur. Quidã a membrorum numero periodos appellãt, ut unimembres dicantur, quae unum tantum mẽbrum habent; bimembres, quae duo; trimembres, quae tres; quadrimembres, quae quattuor. Quamuis enim Cicero periodum duobus membris non eſſe breuiorem uelit; tamen, cum integra ſententia membro uno clauditur, poteſt etiam quodammodo periodus appellari. Vnimembres igitur periodi uocantur, quae uno tantum membro clauduntur, ut, Nihil eſt, quod ſtudio, & amore effici non poſsit. Nullum eſt officium referenda gratia magis neceſſarium. Inſidiatori uero & latroni quae poteſt afferri iniuſta nex? Bimembres, quae duo membra comprehendunt; ut, Quorum igitur impunitas, Caeſar, tuae clementiae laus eſt; eorum ipſorum tead crudelitatem acuet oratio? Pro Q. Ligario. Et Pro Milone, Eius igitur mortis ſedetis ultores; cuius uitam ſi putetis, per uos reſtitui poſſe, noletis? Salluſtius, Equidem ego regnum uobis trado firmum, ſi boni eritis: in mali, imbecillũ. Trimembres, quae tribus membris continentur, ut pro Archia, Saxa & ſolitudines uoce reſpondent; beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt; nos, inſtituti rebus optimis, nõ poetarum uoce mo ueamur? Quadrimẽbres; quae quattuor membra cõplectuntur, quae plenae ſunt, atque integrae; ut, pro Arch. Homerum Colophonii ciuem eſſe dicunt ſuum; Chij ſuum uindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei uero ſuum eſſe confirmant. Huius generis plurimae ſunt, atque in exordijs praecipuae. nam omnia fere exordia Cicero periodis quattuor membrorũ incipit; ut pro Milone, Etſi uereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſsimo uiro dicere incipientem timere; hoc eſt unum membrum; Minimeq. deceat, cum T. Annius Milo ipſe magis de reip. ſalute, quam de ſua perturbetur, me ad eius cauſſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe; hoc eſt alterum membrum; Tamen haec noui iudicij noua forma terret oculos; hoc eſt tertium; Qui quocumque inciderint ueterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minime uident; hoc eſt quartum. Atque ita perfecta eſt periodus ex quattuor membris. Sunt qui plurium etiam membrorum, ut quinque, aut ſex periodos putent; ſed diligenter cauendum eſt, ne longior ſit, quam oporteat, ne forte uel obſcura, uel affectata oratio eſſe uideatur. Intermiſsio uocatur hoc in loco, quod alibi membrum orationis dicitur; quod aliquando periodi pars eſt. conſtat enim ipſa periodus e membris & inciſis. ſunt autem inciſa quaedam membrorum partes, ut in eo uerſu Virgilij:

Ante focum, ſi frigus erit; ſi meſsis, in umbra.

Duo membra ſunt, & quattuor inciſa. Aliquando uero per ſe membrum conſideratur, ſicut etiam inciſum. Vocatur autem intermiſsio, quoniam ſaepe curſus orationis intermittitur, cum membratim dicimus, ut Terẽtius, Vbi quaeram? ubi inueſtigem? quem percuncter? quam inſiſtam uiam? Cicero pro Milone, Quid iam reſtat? quid dicam? quid faciam pro tuis in me meritis? Conciſio uerborum dicitur alio nomine inciſum, & Graece comma, ſaepe fit ſingulis uerbis; ut, Abiit, exceſsit, euaſit, erupit. Et pro Milone, Haec tanta uirtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, eiicietur? Saepe etiam pluribus fit uerbis, ut, Domus ſibi deerat? at habebas, pecunia ſuperabat? at egebas. His quaſi luminibus dilucida fit oratio. Cum autem in periodo ſint membra, & inciſa, ſolent ita punctis ſignari, & diſtingui, ut inciſum dextra ſemicirculi parte notetur, membrum duobus punctis, periodus uno puncto. quae res clariorem etiam efficit orationem.

CICERO

O*bscurum autem aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione, atque immutatione uerborum.*

EXPLANATIO

NON ſatis eſt uirtutes diſcere, niſi etiam uitia relinquantur. docet igitur Cicero, quomodo obſcura fiat oratio, non ut eam affectemus, ſed ut fugiamus. Ergo quattuor modis oratio ſolet obſcurari, hoc eſt, Longitudine, contractione orationis, ambiguitate, inflexione uerborum. Longitudo primo obſcuritatem inducit. quare non debemus periodos nimis in longum protrahere, ſicut inepti quidam ſolent, qui putant ſe tunc grauiſsime dicere, cum uerborum comprehenſiones quam longiſsimas adhibent. naſcitur enim longitudo orationis ſaepiſsime ab ignorantia, quae uerba confundit, neque umquam ſe ſatis dixiſſe putat. Cleomenes Rex Lacedaemoniorum ſalſe riſit Samiorum legatos, quod apud ſe nimis longa oratione uſi fuiſſent. Quae (inquit) primo loco dixiſtis, non memini, & ob id ne media quidem intelligo: quae uero dixiſtis omnium poſtrema, non probo. Cicero ridet orationem Rulli, quae a nullo intelligeretur. Auguſtus Caeſar tamquam uitium magnum obiecit Antonio, quod ea ſcriberet, quae potius homines admirarentur, quam quae intelligerent. Contractio orationis tunc uitioſa eſt, cum neceſſaria omittit. alioqui breuitas eſt uirtus, ut poſtea uidebimus. ſed nunc eam breuitatem intelligimus, de qua ſic Horatius in Ar. poet.

Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio.

In hac re notatus eſt a quibuſdam Thucydides apud Graecos, & Salluſtius apud nos. Poetae ſaepe, fabulas tantum attingentes, obſcuri fiunt, ut primo Aeneidos, Manet alta mente repoſtum Iudicium Paridis. Heraclitus Epheſius breuitatem & obſcuritatem in dicendo affectabat, unde cognomento Scotinos, ideſt obſcurus dictus eſt, de quo Lucretius,

Clarus ob obſcuram linguam.

Ambiguitas ſemper obſcura eſt, niſi diſtinguatur, ut illud Oraculum; Croeſo Lydorum regi datum; Croeſus Halym penetrans magnam peruertet opum uim. Sunt autem ambigua ſemper uitioſa, ut Audiui Chremetē percuſsiſſe Demeam, niſi forte dedita opera quaerantur. tunc enim ſaepe uenuſtatem habēt, & acumen; ut Cicero in Plaetorium Fonteii accuſatorem, cuius matrem dixit, dum uixiſſet, ludum, poſtquam mortua eſſet, magiſtros habuiſſe. Huiuſmodi ambigua in primis acuta putantur. Inflexio atque immutatio uerborum ſaepe obſcuritatem parit, cum aliud dicitur, aliud intelligitur. quod in allegoria fit, & in prouerbijs, & in aenigmatibus. Allegoria, ut, Occurſare capro, cornu ferit ille, caueto. Prouerbium, ut Corchonis in lachanis Aenigma, ut Cicero de Q. fratre ſuo, Frater meus maior eſt dimidius, quam totus. Haec autem ideo ſunt obſcura, quia uerba ſunt inflexa, atque immutata a propria ſignificatione in aliam. Quinctilianus docet obſcuritatem uel in ſimplicibus uerbis, uel in coniunctis eſſe; atque in ſimplicibus, tribus modis, primo, ſi ſunt ab uſu remota, ut caſcus pro ſene, antegerio pro ualde. Secundo, ſi propria regionum, aut artium, ut Atabulus uentus, & in Geometria Scalenus, aut Iſoſceles. Tertio, ſi homonyma, ideſt ſi plures habent ſignificationes, ut Taurus animal, & Mons, & ſignum in caelo, & proprium nomen uiri. In coniunctis uero ſunt plures modi, ut Hyperbaton, Parentheſis nimis longa, ambiguitas, periphraſis affectata, breuitas, mutatio ſignificationis, aut conſtructionis. quorū omnium exempla ponit. ſed omnium peſsima ſunt illa, unde nullus ſenſus erui poteſt. Illud obſeruatum eſt, optimos quoſque auctores claritatem orationis quaeſiuiſſe, & obſcuritatem fugiſſe. unde bene Quinctilianus dixit, Erit eo obſcurior, quo quiſque deterior.

CICERO

B*reuitas autem conficitur ſimplicibus uerbis, ſemel unaquaque re dicenda, nulli rei, niſi ut dilucide dicas, ſeruiendo.*

EXPLANATIO

BREVITAS interdum in oratione laudatur, & praeſertim in narratione. docent enim rhetores, narratio nem eſſe breuem, apertam & probabilem oportere. ſaepe etiam in hiſtoria breuitas commendatur, quā C. Caeſar in ſuis cōmentariis obſeruauit, & Salluſtius in hiſtorijs, & apud Graecos Thucydides, & Xenophon. Duplex traditur breuitas apud Graecos, hoc eſt Syntomia, quae Latine contractio orationis dici poteſt; Brachylogia, & inter exornationes rhetoricas ponitur, quae rem uelociter expedit; ut, Veni, uidi, uici. Terentius in Andria, Effertur, imus, in ignem poſita eſt, fletur. Hinc contrarium uitium Battalogia dicitur, cum ſaepius idē repetitur, a Batto quodam Poeta, qui deorum hymnos prolixos ſcripſit, in quibus eadem ſaepe repetebat. uidetur hoc in loco Cicero de prima breuitatis ſpecie ſentire, quae Syntomia dicitur, qua in narrationibus interdum utuntur oratores, & in contentionibus, atque confirmationibus, ſaepius etiam in concluſionibus augmentationum, ubi breuiter ea repetunt, quae iam confirmata ſunt. qua in re mirus artifex eſt Cicero; ut, pro Milone, ante narrationem breuiſsime repetit omnia, quae iam confirmarat hoc modo; Si neque omnis confeſsio

feſsio facti eſt inuſitata;neque de cauſſa quidquam noſtra aliter,ac nos uellemus,a ſenatu iudicatum eſt, & lator ipſe legis,cum eſſet controuerſia nulla facti,iuris tamen diſceptationem eſſe uoluit,& electi iudices, & iſti praepoſitus quaeſtioni, qui haec iuſte ſapienterq. diſceptet, reliquum eſt, & cetera. Ita pro lege Man. quinque uerſibus omnia complexus eſt,quae in tota oratione copioſe diſputarat,cum ita concludit, Quare cum & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſsit; ita magnum, ut accuratiſsime ſit adminiſtrandum; & cum ei imperatorem praeficere poſsitis,in quo ſit eximia belli ſcientia,ſingularis uirtus,clariſsima auctoritas, egregia fortuna;dubitabitis,Quirites,& quae ſequuntur.Illam uero breuitatem,quae in narrationibus & confirmationibus interdum laudatur, ſi ſequi uolumus, tria nobis obſeruanda ſunt, ut oſtendit hoc in loco Cicero, primo,ut ſimplicibus uerbis utamur, hoc eſt detractis omnibus epithetis & circumlocutionibus; ut ſi dicas, Cicero patriam liberauit,longe breuius dixeris,quam ſi ita pronuncies; Incredibilis ac prope diuina Ciceronis prudentia remp. Romanam à perditiſsimorum ciuium nefarijs conatibus eripuit. Hac autem uirtute maxime Caeſar excellit,qui tamen tantam uim habet,ut ait Quinctilianus, id acumen,eam concitationem, ut illum eodem animo dixiſſe,quo bellauit,appareat.Secundo,ut ſemel tantum unamquamque rem dicimus, nulla commoratione, aut repetitione utamur. Saepe enim accidit, ut uno in loco diu commorentur oratores, & eandem rem ſaepius repetant, quod in amplificationibus frequentiſsime fieri ſolet, quod pluribus in locis apud Ciceronem uidere licet. Verum, qui breuitatem ſequi uoluerit, omnes commorationes & repetitiones eiuſdem rei ex oratione ſua remouebit,quod uno exemplo demonſtrare ſatis eſt. Cicero ſic ait, Ph.7. Equidem non deero,monebo,praedicabo,denunciabo, teſtabor homines deosq quid ſentiam. Si breuitati ſtudere uoluiſſet,ſatis erat dicere, Equidem denunciabo quid ſentiam. Tertio, breues erimus, ſi nulli rei ſeruiamus.niſi ut dilucide & aperte dicamus.hoc eſt ſi exornationes omnes,tanquam ueſtes, orationi detrahamus, & res nudas exponamus.quod frequenter in narrationibus facit Cicero; ut in ora pro Milo. Milo autem cum in ſenatu fuiſſet eo die,quoad ſenatus dimiſſus eſt, domum uenit, calceos & ueſtimenta mutauit, paulliſper, dum ſe uxor,ut fit,comparat,commoratus eſt.Haec praecepta ſunt breuitatis oratoriae.nam Dialectici etiam, & Philoſophi contractione orationis utuntur,ſed fere perpetua, unde Cicero dialecticam uocat contractam eloquentiam.Lacedaemonij praeter ceteros dicendi breuitate ſemper delectati ſunt, unde etiam apud auctores Laconiſmus pro breuiloquentia ſaepe reperitur. hinc eſt,quod Homerus Menelaum Lacedaemoniorum regem à dicendi breuitate commendat.Pauca quidem,inquit,ſed ualde argute loquebatur.neque enim multis uerbis utebatur.Multa Laconicae breuitatis exempla paſsim in hiſtorijs reperiuntur,ſed illud in primis. cum enim Philippus Macedonum Rex quiddam pluribus uerbis a Lacedaemonijs petiſſet, illi unico uerbo reſponderunt,Non & cum ille minacem epiſtolam,iterum lōgam,ad eoſdem miſiſſet,ſi in Peloponneſum ueniſſet,ſe de illis poenas ſumpturum;illi iterum unico uerbo reſponderunt,Si.Quin ijdem Lacedaemonii Cteſiphontem oratorem e ciuitatē ſua expulerunt,quoniam dicebat de quacumque re,quae ſibi proponeretur,ſe totum diē poſſe dicere.ſed haec Laconica breuitas oratori nihil prodeſt.cum eloquentia ſit copioſe loquens ſapientia,& parua laus dicendi ſit in breuitate,niſi quando neceſsitas breuiter dicere nos compellit.

C I C E R O

P*ROBABILE autem genus eſt orationis, ſi non nimis eſt comptum atque expolitum; ſi eſt auctoritas & pondus in uerbis;ſi ſententiae uel graues, uel aptae opinionibus hominum,& moribus.*

E X P L A N A T I O

PROBABILE duobus modis conſideratur,primo in inuentione,deinde in elocutione.Quinct.Li.8.inſt. or.De probabili,quod ad inuentionē pertinet,iā generaliter ſupra dictū eſt, cum locos & ſedes argumētorum explicuimus.nam argumentum probabile eſt inuentum ad faciendam fidem hoc autem in loco de probabili,quod in elocutione ſpectatur,agit Cicero,quoniam elocutionis praecepta perſequitur.Itaque probabilis,inquit,ea eſt elocutio,quae non nimis eſt compta,atque expoſita.Nimius enim ornatus,ait Quinctilianus, & eloquentia reſupina, atque molliter effeminata, non eſt probabilis. Intelligendum eſt autem de elocutione iudiciali,& deliberatiua,quae quidem ornata eſſe debet,non ita tamen,ut ars appareat aut praemeditata uideatur,quoniam ea res fidem abrogat oratori. Nam elocutio demonſtratiua nullum genus exornationis reſpuit. Et,quoniam ad delectationem tantum comparatur;prodeſt etiam in ea & artem, & ingenium oſtentare. Tria ſunt autem,quae iudicialis,& deliberatiua elocutio habere debet, ut probabilis fiat; primum ne nimium ſit compta atque expolita; Alterum, ut ſit auctoritas,& pondus in uerbis; Tertium, ut ſententiae graues, & aptae opinionibus hominum,& moribus adhibeantur.Quae ſingula quomodo fiant,uideamus. Primum igitur fit,cum exornationes illas praetermittimus,quae floridam,& nitidam orationem efficiunt;ut,ſunt concinnitates uerborum,in quibus paria paribus,contraria contrarijs reſpondent;in quibus ſunt iterata, duplicata, ſimiliter cadentia, agnominata,ceteraq. eius generis; quae in demonſtratiuo genere frequentiſsima ſunt. quas quidem exornationes Cicero in narrationibus refugere plerumque ſolet, ut probabiliores uideantur. Demoſthenes a quibuſdam reprehenſus eſt, quod in exornandis orationibus ſuis nimis eſſet diligens. Vnde eius orationes lucernam olere dictae ſunt. Quidam autem hoc ad maximam laudem teferunt,quod magno ſtudio rebus ipſis orationem accommodaret Secundum,ut auctoritas, & pondus ſit in uerbis, fit,cum uerba rebus ipſis accōmodantur,quae uim in ſe magnā habeant.Pro A. Cluētio,uxor generi,nouerca filij,filiae pellex.

pro Roſcio Amerino, Quid tam eſt commune, quam ſpiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis, & quae ſequuntur. Tale eſt illud Ennij:

Quo nobis mentes, rectae, quae ſtare ſolebant,
Antehac, dementi ſeſe flexere ruina?

& illud Laocoontis apud Virgilium lib. 2. Aen.

O miſeri, quae tanta inſania ciues
Creditis auectos hoſtes, aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? ſic notus Vlyſſes?

Cicero pro Milone, Sin hoc & ratio doctis, & neceſsitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa praeſcripſit, ut omnem ſemper uim, quacumque ope poſſent, a corpore, a capite, a uita ſua propulſarent; non poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut ueſtris ſententiis eſſe pereundum. In his enim uerbis magna certe auctoritas & pondus ineſt. Tertium magnopere mouere ſolet propter ſententiarum grauitatem, ut Cicero, Conſcientia rectae uoluntatis maximum eſt in rebus aduerſis ſolatium. Nihil praeter culpam accidere poteſt homini, quod horribile ſit, ac pertimeſcendum. pro Lege Man. Neque enim exercitum poteſt is continere imperator, qui ſeipſum non continet; neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non uult? Maxime uero probabiles ſunt illae ſententiae, quae aptae ſunt opinionibus hominum, ut pro Archia poeta, Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloria ducitur. pro Milone, Fecerunt ſerui Milonis, quod quiſque in tali re ſeruos ſuos facere uoluiſſet. Nam probabile eſt, uel quod fere fieri ſolet, ut, Si mater eſt, diligit filium; ſi auarus eſt, negliget iuſiurandum; uel quod eſt in opinione poſitum, ut impiis apud inferos poenas eſſe praeparatas; uel quod ſimilitudinem habet, ut, quemadmodum non omnes agri frugiferi ſunt, qui coluntur; ita non omnes, qui docentur, in ſcientiis excellunt.

C I C E R O

ILLVSTRIS *autem oratio eſt, ſi & uerba grauitate delecta ponuntur, ac tranſlata, & ſuperlata, & ad nomen adiuncta & duplicata, & idem ſignificantia, atque ab ipſa actione, atque mutatione rerum non abhorrentia.*

E X P L A N A T I O

SEPTEM modis oſtendit orationem illuſtrem fieri poſſe, primo ſi uerba grauitate delecta ponuntur, ut pro L. Man. Aguntur certiſsima populi R. uectigalia, & maxima, quibus amiſsis, & pacis ornamẽta, & ſubſidia belli requiretis. Pro Milone, Dederas .n. quam contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia documenta maxima. In Verrem, Repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & uirgas expediri iubet. Secundo, Tranſlata uerba plurimum illuſtrant orationem, ut ſeptima in Verrem. Ipſe inflammatus ſcelere, & furore, in forum uenit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. pro Lege Man. Nunc imperii noſtri ſplendor illis gentibus lucet. pro Milone, Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem & materiẽ gloriae ſuae? Tertio ſuperlata uerba, hoc eſt quae per hyperbolen ſeu ſuperlationem efferuntur, illuſtrem faciunt orationem; ut pro M. Marcello, Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. Pro Lege Man. Qui ſaepius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertauit, plura bella geſsit, quam ceteri legerunt, plures prouincias confecit, quam alij concupiuerunt. Quarto, Adiuncta ad nomen poſſunt orationem illuſtrare, ut pro Lege Man. Aſia uero tam opima eſt, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & uarietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. Pro Milone. P. Lentulus ultor ſceleris illius, propugnator ſenatus, defenſor ueſtrae uoluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meae. Quincto, Duplicata, ut pro Milone. Vos, uos appello, fortiſsimi uiri. Valeant, inquit, ualeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Adſpicite, adſpicite iudices ſqualorem ſordesq. ſociorum. Sexto, idem ſignificantia, ut abijt, exceſsit, euaſit, erupit. & pro A. Caecina. Qui manum fecerit, copias pararit, multitudinem hominum coegerit. pro Milone, Haec tanta uirtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? Septimo, uerba, quae actionem aut rem imitantur, uim habent illuſtrandi, ut inter dolorem crepitumq. plagarum uidebar uidere alios intrantes, alios uero exeuntes, quoſdam ex uino uacillantes, quoſdam heſterna potatione oſcitantes. Secunda Philippica, Perſonabant omnia uocibus ebriorum, natabant pauimenta uino, madebant parietes, ingenui pueri cum meritorijs, ſcorta inter matresfamilias uerſabantur. Pulcherrima uero eſt ea oratio, quae uel haec omnia ſimul, uel pleraque continet, quales multae ſunt apud Ciceronem.

C I C E R O

EST *enim haec pars orationis, quae rem conſtituat paene ante oculos. is enim maxime ſenſus attingitur: ſed ceteri tamen, & maxime mens ipſa moueri poteſt.*

EXPLA-

EXPLANATIO

HANC exornationem uocant ſubiectionem ſub oculos, quae tum fieri ſolet, ut ait Quinctilianus, cum res non geſta indicatur, ſed ut ſit geſta oſtenditur. haec Hypotypoſis Graece dicitur. Cornificius demõſtrationem appellat, ut pro Milone. Res loquitur, iudices, ipſa, quae ſemper ualet plurimum, ſi haec non geſta audiretis, ſed picta uideretis, tamen appareret uter eſſet inſidiator. & c. Mouet autem haec exornatio animum, quia rem ante oculos conſtituit: & oculorum ſenſus in nobis eſt acerrimus, ut ait Cicero. quamuis enim etiã alij ſenſus afficiantur, ut auditus propter lamentationes, & lacrymas ad miſericordiam mouet; cant u uero ac fidibus ad delectationem. ita reliqu i, ut odoratus, guſtus, tactus, atque etiam mens ipſa, quae nequaquam proprie ſenſus dici poteſt, niſi quatenus ab affectionibus corporeis mouetur, tamen magis nos mouent ea, quae uidemus, quam quae uel audimus, uel cogitamus, uel alio ſenſu aliquo percipimus. Vnde bene dixit Horatius Segnius irritant animos demiſſa per aurem, Quam quae ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & cet.

CICERO

SED quae dicta ſunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illuſtrem omnia. eſt enim plus aliquanto illuſtre, quam illud dilucidum. altero fit, ut intelligamus; altero uero, ut uidere uideamur.

EXPLANATIO

OSTENDIT hoc loco illuſtre eſſe tamquam ſpeciem dilucidi. quare, quaecumque de dilucido dicta ſunt, poſſunt etiam de illuſtri dici. hoc eſt omnia praecepta, quae docent dilucidam facere orationem, proſunt etiam ad illuſtrem faciendam, ſed tamen illuſtre plus eſt quam dilucidum. ſicut homo plus eſt, quam animal. nam animal id eſt tantum, quod mouetur & ſentit, homo uero non tantum mouetur, & ſentit, ſicuti cetera animalia, ſed etiam eſt praeterea rationis particeps. ita dilucidum efficit tantum, ut id, quod dicitur, intelligamus, illuſtre uero facit, ut & intelligamus, & uidere uideamur. ut, ſiquis ita dicat, Subito magna tempeſtas exorta eſt, quae caelum obſcurauit, cum tonitru, & fulminibus, ut magnum terrorem incuteret. haec certe oratio dilucida erit, ſed illa Virgilii in primo Aeneidos, non tantum dilucida, ſed etiam illuſtris, qua ita tempeſtatem deſcribit:

Eripiunt ſubito nubes caelumq. diemq.
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra,
Intonuere poli, & crebris micat ignibus aether,
Praeſentemq. uiris intentant omnia mortem.

Plus igitur eſt illuſtre, quam dilucidum.

CICERO

SVAVE autem erit genus dicendi primum elegantia, & iucunditate uerborum ſonantium, & lenium. deinde coniunctione, quae neque aſperos habeat concurſus, neque diſiunctos, atque biantes, & ſit circumſcripta non longo amfractu, ſed ad ſpiritum uocis apto, habeatq. ſimilitudinem, aequalitatemq. uerborum.

EXPLANATIO

SVAVITAS in oratione duplex eſt, altera uerborum, altera rerum. ſed Cicero prius de uerborum ſuauitate tractat, poſtea etiam de ſuauitate rerum tractabit. Verborum igitur ſuauitas tribus potiſsimum rebus comparatur, elegantia, compoſitione, figuris. Elegantia fit uerborum delectu. nam, ut aiebat Caeſar, delectus uerborum initium eſt eloquentiae: uerba autem deligi debent, iucunda, ſonantia, lenia. Hoc eſt, quod ait Cicero, ſuaue dicendi genus primum fieri elegantia, & iucunditate uerborum ſonantium & lenium. Iucunda uerba ſunt, ut illa Ciceronis poſt reditum in ſenatu, Qui mihi fratrem optatiſsimum, me fratri amantiſsimo, liberis noſtris parentes, nobis liberos, qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunam, qui ampliſsimam remp. qui patriam, qua nihil poteſt eſſe iucundius, qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis. Sonantia ſunt, ut ibidem. Si P.C. pro ueſtris immortalibus in me, fratremq. meum, liberosq. noſtros meritis, parum uobis cumulate gratias egero, quaeſo obteſtorq, & cetera. Lenia ſunt, ut illa, Princeps P. Lentulus, parens, ac Deus noſtrae uitae, fortunae, memoriae, nominis, hoc ſpecimen uirtutis, hoc indicium animi, hoc lumen conſulatus ſui fore putauit, ſi me mihi, ſi meis, ſi uobis, ſi reip. reddidiſſet. Erit igitur elegans, & ſuauis oratio, quae conſtabit ex iucundis, & ſonantibus, & lenibus uerbis, ut illa Virgilij:

Reſtitit Aeneas, clariq. in luce refulſit
Os humerosq, Deo ſimilis, namque ipſa decoram
Caeſariem nato genitrixq. lumenq. iuuentae
Purpureum, & laetos oculis afflarat honores.

Coniunctio uerborum, ſiue compoſitio quattuor modis erit ſuauis; primo, ſi non habeat aſperos concurſus.

Sunt enim quaedam conſonantes, quae quoties concurrunt, aſperam & moleſtam efficiunt orationem. ut, Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat, ita ſiquis diceret, Rex Perſarum Xerxes Pontum pedibus pertranſiuit, Montes ſtratos Claſtibus nauigauit; aſpera ſane. & iniucunda eſſet haec oratio, propter aſperos conſonantium concurſus. Quod ſiquis ita commutet, Xerſes ille ditiſsimus, Perſarum Rex, cum in Graeciam uenire decreuiſſet, ſuper Helleſpontum fabricato ponte, pedibus ipſum mare pertranſiuit; & Atho monte perforato, per eum armatam claſſem facile traduxit; longe ſuauior euadet oratio. Secundo ſuauis erit; ſi non diſiunctos & hiantes concurſus habuerit. cum enim crebrae uocales inter ſe concurrunt, nimis hiatem orationem efficiunt. ut, Ego omni officio, ac potius pietate, quod licet in epiſtolis, & familiari collocutione toleretur; eſt tamen in oratione uitioſum, niſi quando quis in tenui genere uerſatur. tunc enim hiatus ille conceditur, de quo ſic ait Cicero: Habet enim ille tamquam hiatus concurſu uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis, magis quam de uerbis laborantis. In graui autem oratione fugiendus eſt ille uocalium cōcurſus, nam princeps oratorum Demoſthenes eum diligenter euitat, ut ait in Oratore Cicero. in carminibus etiam magnopere uituperatur. unde Catullus reprehenſione non caruit, apud quem ſunt huiuſmodi uerſus:

Quam modo qui me unum, atque unicum amicum habuit,
Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

Haec enim prorſus iniucunda ſunt. Tertio fit iucunda compoſitio, ſi ſit circumſcripta non longo amfractu, ſed ad ſpiritum uocis apto. Longitudo periodorum parit obſcuritatem; ut iam ſupra docuimus. Obſcura uero oratio ſuauis eſſe non poteſt. quare non admodum longae debent eſſe periodi, neque longos amfractus habere. ſunt autem amfractus uiae tortuoſae atque in ſe recurrentes, ſed hic tranſlate pro uerborum circuitu ponitur. Notatus eſt a M. Antonio Demoſthenes, quod in una continuatione verborum binas contentiones uocis, & remiſsiones complecteretur. quae res obſcuram efficit orationem. debet enim tantum verborum ambitus protrahi, quantum ſpiritus apte percipere, ac pronunciare poteſt. Quarto ſuauis eſt compoſitio, ſi habeat ſimilitudinem, aequalitatemq. uerborum. Quidam hunc locum ita intelligunt, ut uerba ſimilia ſint, & aequalia rebus ipſis, ne grandia humilibus, magnifica abiectis miſceantur. nam & in tragoedia comicum uitioſum eſt, & in comoedia turpe tragicum. neque conuenit, ut ait Quinctilianus, infanti cothurnos Herculis aptare; & Ageſilaus dixit non ſibi cerdonem bonum uideri, qui paruo pedi magnum calceum induceret; neque bonum oratorem, qui de rebus leuibus grauiter, & copioſe diceret. Itaque rebus uerba debent eſſe ſimilia, & aequalia, ne uel in nugis, quod aiūt, tragoedias excitemus, uel in grauibus rebus frigeamus. Mihi uidetur Cicero ſignificare idem, quod ait in Oratore ad Brutū, nempe aequabile & temperatum orationis genus maxime eſſe ſuaue; & quoties ſuauitatem in dicendo quaerimus, debere nos ad ſimilitudinem aequalitatemq. uerborum confugere. nam in aequabili & temperato genere dicendi plurimum ſuauitatis ineſt, ut ipſe teſtatur Cicero. Quo in genere Demetrius Phalereus ceteris omnibus antecelluit. in hoc omnes uerborum, omnes ſententiarum illigantur lepores. hoc uſus eſt Cicero in orat. pro lege Man. & poſt reditum ſuum in ſenatu, & ad Quirites.

CICERO

TVM ex contrariis ſumpta uerbis crebra crebris, paria paribus reſpondeant, relataq. ad idem uerbum, & geminata, atque duplicata, uel etiam ſaepius iterata ponantur, conſtructioq. uerborum tum coniunctionibus copuletur, tum diſſolutionibus relaxetur.

EXPLANATIO

TANGIT octo exornationes rhetoricas, quae maxime ſuauem efficiunt orationem. Earum prima eſt, cum contraria contrariis referuntur. haec antitheſis Graeco nomine dicitur, Latine contentio a Cornificio, ut Cicero poſt reditum in ſenatu, Qui me a morte ad uitam, a deſperatione ad ſpem, ab exitio ad ſalutem reuocauit. Idem efficiunt etiam negantia, ut pro lege Man. Cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis praeceptis, ſed ſuis imperijs, non offenſionibus belli, ſed uictoriis, non ſtipendijs, ſed triumphis eſt traducta. Secunda eſt, cum crebra crebris reſpondent, quae congeries, uel frequentatio dicitur, & ſaepe fit in contrariis; ut pro Milone, Eſt enim haec iudices, non ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus. Protrahitur alquando haec exornatio in longum multarum rerum contentione, ut pro lege Man. Maiores ueſtri ſaepe mercatoribus, ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt; uos tot ciuium Romanorum millibus uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? & quae ſequuntur. Tertia eſt, cum paria paribus reſpondent, hoc Graece Iſocolon dicitur, Cornificius compar appellat, ut, Illi fortuna felicitatem dedit, huic induſtria uirtutem comparauit; Cicero pro A. Caecina, Non minus in iudicio cederet Sex. Aebutij impudentiae, quam tum in ui facienda ceſsit audaciae. Haec exornatio fit, cum duo, uel plura membra pari numero ſyllabarum proferuntur, hoc eſt quod ait in Oratore Cicero, Cum uerba uerbis quaſi demenſa, & paria riſpondent. quod frequentiſsime facit Iſocrates. Cicero pro Lege Man. Extrema hieme apparauit, ineunte uere ſuſcepit, media aeſtate confecit; haec tria membra ſingula nomen habent. ſed huius generis plurima ſunt apud Ciceronem exempla. Quarta eſt, Relata ad idem uerbum, quae adiunctio uel coniunctio dicitur, cum uni uerbo multa membra copulantur, ut pro A. Cluentio, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Prima in Catil. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor umquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore reuocauerit. Quincta eſt geminatio, & duplicatio, ut pro Milone, Occidi, occidi, non Sp. Melium, & quae ſequuntur. Duplicantur non tantum uerba, ſed interdum etiam ſententiae, ut, In horum etiam conſpectum uenire audes proditor patriae, proditor, inquam, patriae uenire audes in horum conſpectum? Sexta eſt, cum iterata uerba ponuntur, quae Latine repetitio, Graece anaphora dicitur, & frequentiſſima eſt. fit autem, cum multa membra ab eodem uerbo incipiunt, ut prima in Catil. Nihil ne te nocturnum praeſidium palatij, nihil urbis uigiliae, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſsimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora uultusq mouerunt? pro Milone, Fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor iniuriae, punitor doloris ſui. Aliquando & in principio, & in fine uerba iterantur, quae complexio dicitur a Cornificio; ut, contra Rullum de lege Agraria, Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorē partem populi ſuffragiis priuauit? Rullus. Quis comitiis praefuit? Rullus. pro Milone, Quis eos poſtulauit? Appius. quis produxit? Appius. Aliquando tantum fine iterantur, quae Conuerſio dicitur; ut pro Fonteio, Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus ampliſsimae copiae e Gallia, equites numero plurimi e Gallia. Septima eſt, quae coniunctionibus copulatur, & dicitur polyſintheton, ut, Et nomen pacis dulce eſt, & res ipſa ſalutaris. pro Milone, Sin hoc & ratio doctis, & neceſsitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa praeſcripſit. Octaua, quae diſſolutionibus relaxatur, aſyntheton dicitur, ſuperiori contraria, & Ciceroni maxime familiaris, Articulus a Cornificio dicitur, ab aliis Congeries; ut octaua Philippica At uero erecti, incitati, parati, armati animis iam eſſe debemus. In Catilinam: Abiit, exceſsit, euadit, erupit. Pro Milone, Tu ſpoliatum imaginibus, exſequiis, pompa, laudatione, infeliciſsimis lignis ſemiuſtulatum, nocturnis canibus dilaniandarum reliquiſti. Fit etiam aſyntheton, cum multa membra ſuo uerbo ſeparatim ſine coniunctione concluduntur, & tunc diſiunctio, uel diſſolutio nominatur, ut pro lege Man. Siciliam adiit, Africam explorauit, inde in Sardiniam cum claſſe uenit. Pro Milone, Conuocabat tribus, ſe interponebat, coloniam nouam, delectum perditiſsimorum ſcribebat ciuium. Atque haec quidem ad uerborum ſuauitatem pertinent. Deinceps autem de rerum ſuauitate dicendum eſt.

CICERO

Fit etiam ſuauis oratio, cum aliquid aut inuiſum, aut inauditum, aut nouum dicas. delectat enim quidquid admirabile.

EXPLANATIO

Svavitatem in rebus quinque modis potiſsimum fieri docet, hoc eſt, inuiſo, inaudito, nouo, permotione, more. Inuiſum id dicitur, quod ab iis, qui audiunt, numquam antea uiſum fuit, quod maxime delectat, uel cum eſt pulcherrimum, uel cum eſt deformiſsimum, uel cum eſt ridiculum. haec enim admirationem mouent, & omnis admiratio delectationem habet. haec fuit cauſſa, cur Romani ueteres in ſpectaculis & ludis publicis, aliqua ſemper antea Romanis inuiſa proponerent, ut eos delectarent, ut eos delectarent, quod fit etiam noſtro tempore in liberalibus. ſtudent enim iuuenes eas perſonas, atque eos amictus habere, qui non antea uiſi fuerint, ut maiorem ſpectantibus delectationem afferant. quin omnes fere res, quas numquam antea uidimus, primo adſpectu nos magnopere delectare ſolent, ut qui numquam elephātum uiderat, cum in eum incidit, multum admiratur, & diligenter intuetur. quin etiam, quae ridicula ſunt, primo adſpectu multum delectant. Cicero pro Coelio faceti ſsime ludit in hoc genere, cum ait, Praegeſtit animus iam uidere primum lautos iuuenes, mulieri beatae, ac nobilis familiares, deinde fortes uiros ab imperatrice in inſidiis, atque in praeſidio balnearum locatos, ex quibus quaerā quonā modo latuerint, aut ubi, alueus ne ille, an equus Troianus fuerit, qui tot inuictos uiros muliebre bellum gerentes tulerit, ac texerit. Inauditum id eſt, quod nūquam antea audiuimus, quod nos maxime delectat, ſiue ſit hiſtoria, ſiue fabula, ſiue cantio, ſiue quid aliud. nam prima quidem ſenſus delectatio eſt in uiſu, quoniam oculis rerum pulchritudinem, & deformitatem percipimus, & oculos ideo maxime diligimus, quia nobis rerum differentias oſtendunt, neque minus interdum delectat inſignis deformitas, ut Therſitae, & Aeſopi, quam inſignis pulchritudo, ut Nirei, & Achillis. Secunda uero delectatio eſt in auditu, quo ſermonem, harmoniam, & denique uocem ac ſonum omnē percipimus, & quo ſcientiam, cuius a natura ſumus auidi, percipimus. unde Ariſtoteles, quaerens, uter ſenſus praeſtantior ſit, uiſus ne, an auditus, concludit, per ſe quidem uiſum praeſtare, quia rerum differentias nobis oſtendit, ſed auditum per accidens longe praeſtantiorem eſſe, quia ſenſus doctrinae ſit. nam, ſi quis caecus naſcatur, & omnino uidendi ſenſu priuatus, poteſt multo prudentior, & ſapientior euadere, quam ſi naſcatur ſurdus, & uidēdi ſenſum habeat. itaque fit, ut auditus hoc modo ſit uiſu praeſtabilior. Quonam igitur res inauditae plerumque ſolent magnam afferre delectationem, ideo frequenter Cicero, cum aliquid extollere uult, ait illud inauditum, atque inuſitatum eſſe, ut pro M. Marcello, Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam, inauditāq. clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac paene diuinam tacitus ullo modo praeterire poſſum. Hoc ualet etiam ad exagitandos aduerſarios, ſi quid ab eis inauditum factum eſſe dixerimus. ut contra Vatinium, Feceris ne quod in hac rep. non modo factum ante,

numquam

numquam eſt, ſed in omni memoria ſit inauditum. Ita pro A. Cluentio de Saſsia Cluentij matre; O mulieris ſcelus incredibile, & praeter hanc unam in omni uita inauditam. Tractatur aliquando copioſe hic locus, ut in Vatinium, Quid in epulo Q. Arrij cum toga pulla accubuiſſet, id multis uerbis reprehendit Cicero tamquam inauditum, & inuſitatum. Nouum uidetur ad tempus proprie referri, quod nuper euenerit, aut non ita pridem factum ſit. eorum uero, quae dicta ſunt, utrumque comprehendit quidquid enim inuiſum, & inauditum eſt, id etiam nouum dicitur. Sed generaliter nouum dicitur, quidquid antea non fuit. Solent autem res nouae non mediocriter delectare, quod uulgari prouerbio comprobatur. Omnia noua placent, & Grata nouitas. quod Odyſſeae primo libro Homerus affirmat, ubi aiteam uocem, & cautionem ab hominibus praecipue commendari ſolere, quae omnium nouiſsima fuerit. Hoc autem adeo uerum eſt, ut frequētiſsime familiares & amicos noſtros, atque etiam peregrinos interrogare ſoleamus, an aliquid noui habeāt, quod nobis nuncient, ita noui flores, noui fructus. noua denique omnia mirifice delectant. ergo etiā in oratione, quod nouum eſt, ſolet eſſe ſuaue & iucundum. itaque Cicero pro Archia poeta proponit ſe uelle uti nouo, & prope inuſitato dicendi genere. concitatur enim ſtatim auditoris animus nouitatis exſpectatione. Quin, quod nouum eſt, ita mouet animos, ut, etiam ſi per ironiā dicatur, tamen delectet. quid enim illa pro Q. Ligario ironia ſuauius? Nouum crimen, C. Caeſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe. Praeter haec etiam ad periculum nouitas interdum refertur, & tamen animum oblectat audientium; ut pro Milone, Haec noui iudicij noua forma terret oculos. Quare autem ea, quae ſunt inuiſa, inaudita, & noua delectent, ſubiungit Cicero, quoniam admirabilia ſunt, & quidquid eſt admirabile delectat. cauſſarum enim ignoratio mouet admirationem. ideo cenſet Ariſtoteles propter admirationem homines coepiſſe philoſophari. Cicero, cum aliquid magnopere uult extollere, uocat illud admirabile, ut pro Q. Ligario, O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, litteris, monumentisq. decorandam.

C I C E R O

MAXIMEQ. *mouet ea, quae motum aliquem animi miſcet, oratio.*

E X P L A N A T I O

PERMOTIO animi, quae fit oratione, Suauis ſemper eſſe ſolet, etiam ſi res ipſa moleſta ſit. cū enim quattuor ſint permotionum genera, hoc eſt laetitia, cupiditas, aegritudo, metus; duo prima genera ſuapte natura ſuauia ſunt, ac iucunda, reliqua duo quamuis triſtia ſint, tamen tractatione fiunt auditoribus iucunda. Quam enim ſuauis eſt illa Milonis oratio, Valeant, inquit, ualeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. ſtet haec urbs praeclara, mihiq. patria cariſsima, quoquo modo merita de me erit, tranquilla rep. ciues mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur. Ego cedam, atque abibo. Si mihi rep. bona frui non licuerit, at carebo mala. & quam primum tetigero bene moratam, & liberam ciuitatem, in ea conquieſcam, O fruſtra ſuſcepti mei labores, o ſpes fallaces, o cogitationes inanes meae, & quae ſequuntur. in quibus licet res moleſtae ſint ac triſtes, oratio tamen eſt auditu iucunda. ſed huius generis in perorationibus Ciceronis ſunt exempla plurima.

C I C E R O

QVAEQ. *ſignificat oratoris ipſius amabiles mores, qui exprimuntur, aut ſignificando iudicio ipſius ex animo humano, ac liberali, aut inflexione ſermonis, cum aut augendi alterius, aut minuendi ſui cauſſa, alia dici ab oratore, alia exiſtimari uidetur: idq. comitate fieri magis, quam uanitate.*

E X P L A N A T I O

SVAVIS eſt etiam illa oratio, quae mores oratoris amabiles oſtendit, ii uero tribus potiſsimum rationibus exprimuntur. Primo, ſi animum ſuum humanum oſtendit orator, cum de aliqua re iudicium ſuū profert, aut ſententiam dicit: Secundo, ſi ſe benignum ac liberalem facit: Tertio, ſi ſermonem inflectit, ut alterum commendet, & ſibi ipſi anteponat, quamuis re uera non ſit anteponi dignus; ſe uero minuat, ita tamen ut qui audiunt, aliter exiſtiment, quam ipſe dicit orator, ſed hoc cum quadam comitate fieri debet, non autem uanitate. Sunt igitur tres uirtutes, quae cum in oratione exprimuntur, faciunt oratorem amabilem, hoc eſt, humanitas, liberalitas, modeſtia. nemo enim fere eſt, qui non uirum humanum liberalem, & modeſtum diligat. Humanitas oſtenditur, cum libenter afflictis opem ferimus, ut Cicero in Diuin. Adductus ſum, iudices, officio, fide, miſericordia, multorum bonorum exemplo, ueteri conſuetudine, inſtitutoq. maiorum, ut onus hoc laboris, atque officij, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. Liberalitas non tantum in dandis pecuniis, ſed etiam in ferendo auxilio perſpicitur, utraque uero maxime commendatur; ut primo de officiis, Nihil honeſtius magnificentiusq. quam pecuniam contemnere, ſi

non

non habeas; ſi habeas, ad beneficētiam liberalitatemq. conferre. Item, Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis. Modeſtia ſuauem efficit orationem, cum orator alterum auget, ſeipſum minuit, modo ne id uanitate fiat, ſed comitate, ut pro Cor. Balbo Cicero Pompeij & Craſsi eloquentiam magnopere commendat, ſuam autem minuit. nam de Pompeio ſic ait, Quae fuerit heſterno die Cn. Pompeij grauitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita ueſtrorum animorum, ſed perſpicua admiratione declarari uidebatur, & quae ſequuntur. De ſe autē ita, Quo mihi difficilior eſt hic extremus perorationis locus. etenim ſuadae orationi, quae non praterucēta ſit aures ueſtras, ſed in animis omnium penitus inſederit, ut plus uoluptatis ex recordatione illius orationis, quam non modò ex mea, ſed ex cuiuſquam oratione capere poſsitis. Idem pro P. Quinctio, laudat Q. Hortenſij dicendi facultatem, ſuam autē deprimit. ſic Aeneas apud Virgilium lib. 11. Aen. dum legatos Latini regis alloquitur, haec diligenter ſeruat. nam, ut mores ſuos amabiles oſtendat, humanitatem, liberalitatem, modeſtiam praeſefert, his quidem uerbis:

Quae nam uos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem ne exanimis, & Martis ſorte peremptis
Oratis? equidem et uiuis concedere uellem.
Nec ueni, niſi fata locum, ſedemq. dediſſent.
Nec bellum cum gente gero.

CICERO

SED multa ſunt ſuauitatis praecepta, quae orationem aut magis obſcuram, aut minus probabilem faciunt. Itaque etiam hoc loco nobis eſt ipſis, quid cauſſa poſtulet, iudicandum.

EXPLANATIO

TRADIDIT hactenus ea ſuauitatis praecepta, quae in cauſsis iudicialibus, & deliberatiuis prodeſſe poſſunt; & orationē apertā, atque probabilē efficiunt. nunc admonet ab oratore non oīa ſuauitatis praecepta perpetuo quaeri debere. quoniā aliqua ſunt huiuſmodi, ut orationē obſcuram, & minus probabilem reddant. quare diligenter aduertere debet orator, quid ipſa cauſſa poſtulet. neque enim florido & picto dicendi genere, quali Sophiſtae apud ueteres uti conſuerant, in iudiciis utendum eſt, licet in laudationis concedatur. de quo ita Cicero in orat. ad Brut. Eſt quoddam etiam inſigne, & florens orationis, pictum, & expolitū genus, in quo omnes uerborum, omnes ſentētiarum illigantur lepores. hoc totum e Sophiſtarū fontibus defluxit in forum, ſed ſpretum a ſubtilibus, repulſum a grauibus, in ea, de qua loquor, mediocritate cōſedit. Hoc genus apud Graecos feliciſsime ſecutus eſt Iſocrates, & Demetrius Phalereus, item alij multi Sophiſtae, quorum ſcripta non exſtant. Apud ueteres Latinos, qui floridum & pictum genus hoc ſecutus fuerit, nō ſane traditur: Poſtea uero, iam amiſſa paene eloquentia, Appuleius Madaurēſis hoc in genere luſit ingenioſe quidem & ſatis erudite, ſed parum Latine. Quin A. Gellius noctes ſuas Atticas hoc dicēdi genere conſcribere conatus eſt. Sed, ut ait Cicero, ſpernitur a ſubtilibus oratoribus, & repellitur a grauibus, quia probabilitatem non habet, & ſaepe obſcuriorem reddit orationem.

CICERO

C. F. Reliquum eſt igitur, ut dicas de conuerſa oratione, atque mutata. C. P. Eſt itaque id genus totum ſitum in commutatione uerborum, quae ſimplicibus in uerbis ita tractantur, ut aut ex uerbo dilatetur, aut in uerbum contrahatur oratio.

EXPLANATIO

DVO genera fecerat eloquendi, unum ſua ſponte fuſum, alterum conuerſum, atque mutatum. de priore genere, quod in ſimplicibus, & coniunctis uerbis ſpectatur, ſatis dictum eſt. & egregia praecepta tum ſimplicium uerborum, tum coniunctorum tradita ſunt; ſequitur, ut etiam de altero genere uerba faciamus, quod uerſum, atque mutatum appellatur, in quo eloquendi exercitatio maxime uerſatur. Saepe enim idem dicendum eſt, ſed conuerſis atque mutatis uerbis, & oratione. Legimus Ciceronem ipſum cum Roſcio Comoedo certare ſolitum, utrum eandem ſententiam Roſcius pluribus geſtibus exprimeret, an ipſe pluribus modis dicendo uariaret. hoc etiam in orationibus apparet, in quibus eandē rem ſaepiſsime conuerſis uerbis, & oratione pronunciat, unde nonnulli litigatores Ciceronem reprehendere non dubitarunt, tamquam Aſianum, & nimis abundantem, & in repetitionibus odioſum, ſicuti Quinctilianus ſcribit. Sed tales ſunt, quibus glandes magis, quam fruges placent, & quos ieiunitas magis, quam ubertas, & copia delectat. Nos optimū in dicendo magiſtrum ſequamur, & uideamus quale ſit hoc eloquendi genus, quod totum in commutatione

uerborum

uerborum ſitum eſt. Eodem enim modo ſicut illud, de quo iam dictum eſt, ſua ſponte fuſum, etiam hoc uerſum atque mutatum, & in ſimplicibus, & in coniunctis uerbis perſpicitur. Ac primo quidem in ſimplicibus uerbis, cum unum uerbum uarie dilatatur, & ampliatur, ut ex eo fiat oratio; uel contra, cum ita oratio contrahitur, ut ad unum uerbum reducatur. Eiuſdem enim artificis eſt, & orationem ampliare, & eandem contrahere. Sicut apud Platonem Gorgias in Dialogo ſui nominis gloriatur, nullum hominem ſe uel copioſius, uel contractius, cum opus eſt, poſſe dicere. hanc laudem etiam Homero tribuunt. aiunt enim nullum eſſe poetam, qui plenius, ac uberius rem aliquam explicet, aut breuius, & contractius, cum opus eſt, rem eandem expediat. idem de Virgilio Macrobius praedicat. tota igitur ſimplicium uerborum commutatio in dilatatione, & contractione poſita eſt, quoniam oratoria facultate hoc profitetur, eandem rem modo late, modo anguſte dicere. late dicitur, cum ex uerbo fit oratio; anguſte, cum in uerbum contrahitur oratio. Videamus igitur primo, qua ratione ex uerbo fiat oratio, quoniam hoc ad ubertatem, & copiam ſpectat.

CICERO

Ex *uerbo, cum aut proprium, aut idem ſignificans, aut factum uerbum, in plura uerba diducitur.*

EXPLANATIO

VERBA, uel propria ſunt, hoc eſt in propria ſignificatione capiuntur, ut bellum, pax, patria; uel idem ſignificant, quod propria; ut Mars pro bello, toga pro pace, penates pro patria. Vel facta ſunt, & compoſita ab ipſo oratore, de quibus ſupra dictum eſt. Siue igitur proprium ſit uerbum, ſiue idem ſignificans, ſiue factum, cum orationem dilatare uolumus, id in plura uerba diducemus. Hoc autem quattuor potiſsimum rationibus a Cicerone fieri notauimus, hoc eſt: uel per definitionem, uel per enumerationem, uel per interpretationem, uel per increpamentum. Ac primo per definitionem ſiue deſcriptionem, ut pro Milone, cum poſſet dicere, uidimus curiam incendi, tamen illud uerbum, curiam definiens ita dilatauit, uidimus templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab uniuerſo populo R. conceſſam uni ordini inflammari, excindi, funeſtari; ita ſi quis pro Philoſopho dicat eum, qui rerum omnium diuinarum, & humanarum ſcientiam habet; pro Oratore, uirum bonum dicendi peritum; pro homine dicat animal ſagax, prouidum, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilij, ſicut Cicero primo de legibus, unum uerbum in plura diducit. Secundo per enumerationem partium, ut pro Milone, cum ſatis eſſet dicere, Omnes lugent Clodium, tamen ita partibus enumeratis dilatat orationem: P. Clodij mortem aequo animo nemo ferre poteſt, luget ſenatus, maeret equeſter ordo, tota ciuitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, affictantur coloniae, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum ciuem deſiderant. Ita in Catilinam ad Quirites, cum ſatis eſſet dicere, urbem hodie Quirites conſeruatam uidetis, tamen ita amplificauit, remp. Quirites uitamq. omnium ueſtrum, bona, fortunas, coniuges, liberoſq. ueſtros, atque hoc domicilium clariſsimi imperij, fortunatiſsimam, pulcherrimamq. urbem, hodierno deorum immortalium ſummo erga uos amore, laboribus, conſiliis, periculiſq. meis ex flamma, atque ferro, ac paene ex faucibus fati ereptam, & uobis conſeruatam, ac reſtitutam uidetis. Haec autem dilatandi ratio pulcherrima eſt, & frequentiſsima, cum totum in partes diducimus, ut domus euerſa eſt, tecta, parietes, fundamenta diruta ſunt. Et elementis conſtat omnia, nullum eſt corpus, quod ex terra, aqua, aere, igni non componatur. Cicero in Piſonem, oculi, ſupercilia frons uultus denique totus. Tertio per interpretationem ex uerbo dilatatur oratio, cum, quod ſemel uno uerbo dictum eſt, idem aliis uerbis eiuſdem ſignificationis repetitur, ut ſeptima in Verrem, remp. radicitus euertiſti, ciuitatem funditus deleuiſti. pro Milone, An uero, iudices, uel ſoli ignoratis, uos hoſpites in hac urbe uerſamini, ueſtrae peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone uerſantur. Secunda Philippica, Tu ingredi in illam domum auſus es, tu illud ſanctiſsimum limen intrare, tu illarum aedium diis penatibus os illud importuniſsimum oſtendere. Sed huius generis paene innumerabilia ſunt apud Ciceronem exempla. Quarto per incrementum. ut, Abiit, exceſsit, euaſit, erupit. in Verrem, Non enim furem, ſed ereptorem, non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiae, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumq. non ſicarium, ſed crudeliſsimum carnificem ciuium, ſociorumq. in ueſtrum iudicium adduximus. Item, Huius furta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, ſuperbiam, ſcelus, audaciam imperatoriis laudibus tegere conaris. His & aliis, ſiquae ſunt, huiuſmodi rationibus unum uerbum in plura diduci poteſt.

CICERO

EX *oratione autem, cum aut definitio ad unum uerbum reuocatur, aut aſſumpta uerba remouentur, aut in circuitus diriguntur, aut in coniunctione fit unum uerbum e duobus.*

EXPLA-

EXPLANATIO

QVATTVOR etiam modis docet orationem contrahi poſſe, qui ſunt ſuperioribus oppoſiti. Quemadmodum enim, cum orationem dilatare uolumus, unum uerbum per definitionem in plura diducimus; ita cum orationem contrahere cupimus, definitionem ad unum uerbũ reuocamus, ut ſi quis pro eo, qui militari laude antecellit, imperatorem dicat. Pro eo, qui poteſt conſilio, atque oratione, & ſenatus, & populi, & eorum, qui res iudicant, mentes permouere, dicat oratorem. Pro Troiani belli ſcriptore, dicat Homerum. Pro laudatarum artium omnium procreatrice, atque parente, philoſophiam dicat. atque hic eſt primus orationem contrahendi modus. Secundus eſt, cum aſſumpta uerba remouentur, ut ſi quis in ea Ciceronis oratione, Nos deorum immortalium templa, Nos muros, nos domicilia, ſedesq. populi R. penates, aras, focos, ſepulcra maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus; remoueat alia omnia uerba; & tantum dicat, nos patriam defendimus, ita ſi quis ex hac oratione, Tecta, parietes, fundamenta, domus tota ſubuerſa eſt, cum plura uerba, tantumq. dicat, Domus tota ſubuerſa eſt, facile contrahet orationem. Tertius modus eſt, cum plura membra, idem paene ſignificantia, in unum circuitum diriguntur; ut ſi quis illa tria Virgilij carmina, lib. 3. Aen.

Poſtquam res Aſiae, Priamiq. euertere gentem
Immeritam uiſum ſuperis, ceciditq. ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia,

ſic contrahat, Poſtquam deorum uoluntate Troia diruta eſt. Quartus modus eſt, cum duobus uerbis in cõiunctione fit unum, ut cum pro patris interfectore, parricidam dicimus, pro populi fautore, popularem, pro cultore publicolam. ita irretitus, pro eo, qui nullum habet effugium, eliminare, pro eo, quod eſt foras enunciare, & in aperto dicere, & alia paene infinita reperiuntur. haec enim ratio facilis eſt orationis contrahendae. Quod ſi quis dilatare ſciat, is etiam facillime contrahet. Iiſdem enim rationibus, quibus oratio dilatatur, in contrarias mutatis, eadem oratio contrahitur.

CICERO

IN coniunctis autem uerbis triplex adhiberi poteſt commutatio, non uerborum, ſed ordinis tantummodo, ut cum ſemel dictum ſit directe, ſicut natura ipſa tulerit, inuertatur ordo, & idem quaſi ſurſum uerſus, retroq. dicatur, deinde idem interciſe, atque permiſte. eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto conuertendi genere uerſatur.

EXPLANATIO

DOCVIT, quomodo ſimplicia uerba, uel dilatari contrahi poſſunt. nunc accedit ad coniuncta, & docet qua ratione uertantur, atque commutentur. Triplicem autem eſſe uult commutationem in coniunctis uerbis, tantum ordine uerborum mutato, ſed iiſdem uerbis manentibus. Prima eſt, cum directe aliquid dicimus, ſicuti fert ipſa natura, ut Cicero liberauit patriam a coniuratione Catilinae; Secunda eſt, cum idem quaſi ſurſum uerſus retroq. dicitur, ut, a Catilinae coniuratione patriã liberauit Cicero: Tertia eſt, cum idem interciſe, atque permiſte profertur, ut, patriam a coniuratione Catilinae Cicero liberauit. Haec autem commutandi ratio facillima eſt, quia eadem uerba manent, & tantum uerborum ordo commutatur. qua in re ſunt aures conſulendae, & is ordo, qui magis aures implet, adhibendus eſt, ut, ſi ita Cicero dixiſſet, Quae poteſt iniuſta nex afferri latroni, & inſidiatori? parum acrimoniae, & grauitatis habuiſſet, ſed ordine uerborum commutato, illo modo, Inſidiatori uero, & latroni, quae poteſt afferri iniuſta nex? longe acrior & uehementior ſententia fit. Interdum igitur, ut natura poſtulat, ſententias proferimus, ut, Honos alit artes, omnesq. accenduntur ad ſtudia gloria; interdum ſurſum uerſus retroq. dicuntur, ut Fortem, & conſtantem uirum oſtendunt ipſa pericula; interdum permiſte, & interciſe, ut, Trahit ſua quemque uoluqtas. In hoc autem toto conuertendi genere, quod uel in ſimplicibus, uel in coniunctis uerbis ſpectatur, eloquendi exercitatio maxime uerſatur. Cornificius hoc eloquendi genus expolitionem uocat, in quo uariis modis eandem ſententiã commutamus. Exſtant adhuc mira quaedam huius commutationis experimenta Virgilij, de imagine in unda, de amne glacie concreto, de Iride, de Quattuor anni temporibus, de Ortu Solis. in quibus rem eandem uariis modis exprimit. Quae ſane exercitatio non eſt ei difficilis, qui magnam optimorum uerborum copiã frequenti lectione ſibi comparauerit, & haec Ciceronis praecepta diligenter aduerterit. nam in orationibus Ciceronis plurima ſunt exempla, ubi rem eandem commutatis uerbis, atque ſententiis uarie tractat, & iudicibus inculcat.

CICERO

C. F. Actio igitur ſequitur, ut opinor. C. P. Eſt ita, quae quidem oratori, & cum uerborum momentis commutanda maxime eſt. facit enim & dilucidam orationem, & illuſtrem, & prababilem, & ſuauem, non uerbis, ſed uarietate uocum, motu corporis, uultu, quae plurimum ualebunt, ſi cum orationis genere conſentient, eiusq. uim, ac uarietatem ſubſequentur.

EXPLANATIO

ACTIO illa eſt,quae etiam pronunciatio dicitur,quamuis actio a geſtu,pronunciatio a uoce dicatur. Cicero dicit actionem eſſe quandam corporis eloquentiam. Demoſthenes & primas,& ſecũdas, & tertias partes in eloquentia pronunciationi tribuit. ideoq. ipſe tam diligenter, apud Andronicum hypocritem ſtuduit,ut admirantibus eius orationem Rhodiis,non immerito Aeſchines dixiſſe uidetur, Quid ſi ipſum audiuiſſetis? Et Cicero unam in dicendo actionem dominari putat. Hac Cn. Lentulum plus opinionis conſecutum,quam eloquentia tradit; eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece, totius populi R. lacrymas concitaſſe: Antonium & Craſſum multum ualuiſſe,plurimum uero Q. Hortenſium. cuius rei fides eſt, quod eius ſcripta tantum intra famam ſunt,qui diu princes oratorum, aliquando aemulus Ciceronis exiſtimatus eſt,nouiſsime quoad uixit, ſecundus,ut appareat placuiſſe aliquid eo dicente,quod legentes non inuenimus. Haec Quinctilianus. Apud Graecos Demadem, & Hyperidem tantum actione ualuiſſe legimus, ut etiam Demoſtheni ipſi ſaepe anteponerentur. Tribus autem rebus actio conſtat: hoc eſt uarietate uocis, motu corporis, & uultu, quae maximam uim habent, ſi rebus ipſis,de quibus agitur,accommodentur. Neque enim cõuenit, frigidis in rebus exclamare, neque in grauibus languere. hoc eſt, quod Cicero praecipit, ut actionem maxime commutemus cum rerum, & cum uerborum momentis. Nam diſtinctio pronunciationis totam orationem dilucidam facit; imitatio rei facit illuſtrem,dignitas probabilem,tacita modulatio ſuauem. Tria uero, ut dixi, in ipſa actione ſpectantur, uarietas uocis, motus corporis,& uultus. uocis uarietas,aut in quãtitate,aut in qualitate eſt. In quantitate ut grandis, exigua, media; in qualitate, ut clara,ſuauis,aſpera. Motus corporis, in toto eſt, uel in partibus; in toto corpore, utcum ambulat orator, cum ſe totum huc aut illuc torquet. In partibus,ut cum ſupplodit pedibus,cum extendit, aut contrahit brachia, Qui motus qua ratione ſoleant adhiberi,ſatis recte Cornificius docet. uultus res ipſas imitari debet. ideo dixit Horatius:

Triſtia maeſtum
Vultum uerba decent, iratum plena minarum,
Ludentem laſciue, ſeuerum ſeria dictu.

Haec autem tria, nempe uarietas uocum, motus corporis, & uultus, plurimum in oratione ualebunt; ſi uim orationis ipſius & uarietatem ſubſequatur. & ſi cum ipſa oratione conſentient. Oportet igitur, & in rebus,& in uerbis,& in actione magnam eſſe uarietatem,quia ubique ſimilitudo eſt ſatietatis mater.

CICERO

C. F. Numquidnã de oratore ipſo reſtat? C. P. Nihil ſane praeter memoriã, quae eſt germana litteraturae quodãmodo, & in diſſimili genere perſimilis. Nã, ut illa conſtat ex notis litterarũ, & ex eo, in quo imprimũtur illae notae: ſic confectio memoriae, tãquam cera locis utitur, & in his imagines, ut litteras collocat.

EXPLANATIO

QVATTVOR hactenus rhetoricae partes,quae in oratoris ui ſpectantur, explicuit,hoc eſt inuentionẽ, diſpoſitionem,elocutionem,& actionem. reſtat etiam memoria, de qua nunc uerba facit. eſt autẽ duplex memoria,hoc eſt naturalis,& artificioſa. ſed de naturali nihil dicit hoc loco Cicero, quoniã non de natura, ſed de arte praecepta tradit. Verũ ẽt naturalis memoria plurimũ exercitatione poteſt augeri, quare Craſſus lib. 1. de or. ait exercendam memoriam ediſcendis ad uerbũ quamplurimis,& noſtris ſcriptis,& alienis. Ariſtoteles lib. de me tradit a meditatione, & agitatione mentis ipſam memoriã,& conſeruari, & augeri. Pythagorici memoriae confirmandae gratia ſolebant quotidie ueſperi,& priuſquam cubitum irent, mente repetere quidquid toto die egiſſent,ſicut ait apud Ciceronem Cato. Artificioſam memoriam inueniſſe dicitur Simonides poeta, in Cranone Theſſaliae opido,cum in conuiuio cuiuſdam uiri fortunati, qui Scopas dicebatur, triclinium corruiſſet. quam hiſtoriam M. Antonius apud Ciceronem lib. 2. de orat. copioſius explicat. In hac deinde plurimi praeſtiterunt, ut Theodectes Ariſtotelis auditor,& Cyneas Pyrrhi legatus, & Charmines, qui tota uolumina ſemel audita recitabat. Apud Romanos Lucullus magnam rerum memoriam habuit, maiorẽ uerborum Q. Hortenſius, qui ſemper eodem modo dicebat, quo ſcripſerat: Seneca, cuius mirifica fuit,ac paene incredibilis memoria. Quin aiunt Porcium Latronem, quae ſemel ſcripſiſſet, numquam relegere ſolitũ, ut ediſceret,& tamen ita recitare,ut erant ſcripta. Permultos etiam alios hac artificioſa memoria claruiſſe legimns, quam ait hoc loco Cicero, germanam eſſe litteraturae,& in diſsimili genere perſimilem. ut enim litteratura,ſiue ſcriptio duo requirit, hoc eſt tabulam, ſiue membranam,in qua notae litterarum imprimantur, & litterarum notas; ita artificioſa memoria locos ſibi proponit, tamquam membranam,ſiue ceram; imagines uero tamquam litterarum notas in locis collocat. Cornificius ſatis diligenter totum hoc artificium memoriae explicat,quod paucis quidẽ praecepts indiget, ſed longa exercitatione. nã locos ſibi plurimos oportet eligere, qui,quoties opus eſt,memoriae celeriter occurrant,non confuſe,ſed ordinate. quae enim ordine praecedunt,ea facile memoriae mandantur, ut Ariſtoteles ait. In eis uero locis,quos memoria cõprehenderimus,oportet rerum earum,quae meminiſſe uolumus, imagines collocare, quae quidẽ ſint illuſtres, ut excitare facile memoriam poſsint, exempli graia, in laudando Scipione, uolo quinque eius facta praecipua, hoc

ordine

ordine commemorare, primo, quod adoleſcentulus patrem ſuum oppoſitu corporis ab Hannibale defendit: Secundo, quod poſt Cannenſem pugnam ſtricto gladio iuuenes Romanos iurare coegit ſe patriam non deſerturos: Tertio, quod ſolutus legibus, ante aetatem legitimam Conſul factus fuerit: Quarto, quod in Hiſpania uictor puellam captiuam pulcherrima forma ſponſo ſuo intactam reddiderit: Quincto, quod in Africa feliciter Hannibalem deuicerit. Quinque igitur locos eligam, ut in caenaculo aliquo, uel in templo, uel in domo, uel in agro, uel ubicumque commodum fuerit, & in primo loco duos inter ſe dimicātes eſſe, cogitatione fingam, inter quos adoleſcentulus ſe interponat, & alteram repellere conetur, ſecundo loco, eundem adoleſcentulum imaginabor ſtricto gladio alios quoſdam adoleſcentes inuadere: tertio loco, toga praetexta ueſtitum eundem adoleſcentem ſtatuam: Quarto, puellam ab eodem adoleſcente ſponſo tradi fingam. Quincto, denique ſupplicem hoſtem eidem adoleſcenti faciam. Atque ita facillime quo ordine facta illa propoſita fuerint, quaſi ſubiecta mentis oculis memoria percurret. Itaque loci, tamquam charta, uel cera, uel membrana proponentur. in quibus imagines, tamquam litterae collocabuntur. ſed in primis aduertendum eſt, ut ordo diligentiſsime ſeruetur, qui paene ſolus artificioſae memoriae magiſter, & effector eſt.

CICERO

C. F. Quoniā igitur uis oratoris omnis expoſita eſt, quid habes de orationis praeceptis dicere? C. P. Quattuor eſſe eius partes, quarum prima, & poſtrema ad motum animi ualet. is enim initiis eſt, & perorationibus concitandus. Secunda narratio, & tertia confirmatio, fidem facit orationi.

EXPLANATIO

PRIMA pars doctrinae dicendi, quae eſt uis oratoris, tota expoſita eſt. nunc ſecundam aggreditur, quae eſt oratio, hoc eſt opus ipſum, quod a ui oratoris tāquam ab efficiente cauſſa proficiſcitur, & formae atque finis poteſtatē habet, nam quaeſtio ciuilis eſt oratoris materia. Quattuor igitur orationis partes eſſe ſtatuit, ſicut etiam initio dixit, quarum duae pertinent ad animos cōmouendos, hoc eſt exordium & peroratio. nam & in prima orationis parte, & in poſtrema concitandus eſt auditoris animus. Duae uero ad fidem faciēdam, hoc eſt narratio, & confirmatio. Duo ſunt enim quae praecipuae ſpectentur, ab oratore: primum, ut audientium animos moueat; alterum, ut eis fidem faciat. Motus in principio orationis, & in fine adhibendus eſt. ſed in principio leniores eſſe debent affectus, & mitiores, in peroratione uero grauiores, & concitatiores. Fides uero fit narratione, atqu e expoſitione cauſſae, qua docetur auditor, & confirmatione, quae argumentis ea probat, quae narrando fuerunt expoſita, ſub confirmatione refutatio continetur, ut Ariſtoteli, & Ciceroni placet: Quāuis aliter Quinctilianus ſentiat. Ariſtoteles duas tantum partes ait eſſe neceſſarias, hoc eſt propoſitionem, & confirmationem, quibus fides fieri ſolet. nam propoſitionem pro narratione ponit; exordium autem & perorationem, praeter ipſam rem eſſe ait, neque iuſte adhiberi. quoniam iudex non eſt, aut ad irā, aut ad miſericordiam concitandus, ut animo quiete uere iudicare poſsit. Quam Ariſtotelis ſententiam C. Caeſar, apud Salluſtium in coniuratione Catilinae, ſic expreſsit: Omnes homines P.C. qui rebus dubiis conſultāt, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia uacuos eſſe decet, haud facile animus uerum prouidet, ubi illae officiunt. Sed longe aliter rhetores ſentiunt, qui in permouendis animis maximā eloquentiae uim eſſe ſtatuunt, ideo primum & ultimum orationis locum affectibus tribuunt, ut initio ſibi animos concilient, in peroratione, quo uelint, impellant. Narratio non omnibus in cauſsis eſt neceſſaria. nam in deliberatiuo genere, in quo de futuro conſultatur, nihil eſt opus narratione, cum narratio ſit praeteritorū, deliberatio futurorum. In demonſtratiuo genere perpetua fere narratio eſt, cum amplificatione coniuncta; in iudiciali, non quidem ſemper, ſed tamen frequentiſsime narrare ſolent oratores. at uero confirmatio ſemper eſt neceſſaria, qua rationibus, & argumentis cauſſae noſtrae fidem adiungimus, & aduerſariorum argumenta refellimus. Sed multi longe melius aliena refutant, quam ſua confirmant, ideo Cicero ſic ait: Vtinam tam facile uera inuenire, quam falſa refutare poſſem. Et Cotta mihi non tam facile in mentem uenire ſolet, quare uerum ſit aliquid, quam quare falſum, & Diuus Hieronymus de Lactantio lib. I. de nat. D. ſic ait: Vtinam tam bene noſtra confirmaſſet, quam aliena deſtruxit. eſt etiam Ariſtotelis ſententia: multo facilius eſſe deſtruere, quam conſtruere.

CICERO

SED amplificatio quamquam habet proprium locum, ſaepe etiam primum poſtremum quidem fere ſemper, tamen reliquo in curſu orationis adhibenda eſt, maximeq; cum aliquid, aut confirmatum eſt, aut reprehenſum, itaque ad fidem quoque uel plurimum ualet.

EXPLANATIO

AMPLIFICATIO nō eſt uana pars orationis, ſed adhibetur ad animos uehemētius cōmouēdos, atque ēt ad fidem faciendam. Eius proprius locus eſt in peroratione, quoniā in fine orationis animi uehemētius

concitandi ſunt. itaque Cicero in perorationibus omni genere amplificationis exardeſcit,ut pro Milone,pro Plancio, pro Sulla, pro Flacco. Sed interdum etiam in exordio commode ponitur amplificatio, ut in Catilinam, Quouſque tandem abutere,Catilina,patientia noſtra? quamdiu nos etiam furor tuus eludet? quē ad finē ſeſe effrenata iactabit audacia? & quae ſequuntur. Poſt reditum in ſenatu: Quae enim tanta poteſt exſiſtere ubertas ingenij? quae tanta dicendi copia? quod tam diuinum, atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſsit ueſtra in nos uniuerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? Sic in exordio pro Marcello,pro Murena, pro Plancio amplificatione utitur. Sic Dido apud Virgilium ab amplificatione incipit:

Diſsimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum
Poſſe nefas? tacitusq. mea decedere terra?
Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?

In curſu orationis frequenter adhibetur amplificatio, poſt aliquam firmam argumentationem, qua uel aliquid confirmatum ſit, uel reprehenſum, ut pro Milone, An uero, iudices, uos ſoli ignoratis, uos hoſpites in hac urbe uerſamini, ueſtrae peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis ſermone uerſantur, quas ille leges,ſi leges nominandae ſunt, ac non faces urbis, & peſtes reip. fuerit impoſiturus nobis omnibus, atque inuſturus? Tertia in Verrem,Tantae ne, Verres,libidines tuae erant,ut eas non prouinciae populi R.non exterae nationes capere poſſent; tu ne quod uideris, quod audieris,quod concupiueris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum praeſto fuerit, niſi libidini cupiditatiq. tuae paruerit, imitentur homines, expugnabuntur domus? ciuitates non modo pacatae, uerum etiam ſociorum, atque amicorum ad uim, atque arma confugient, ut ab ſe, atque ab liberis ſuis legati populi R. ſcelus, atque libidinem propulſare poſsint? Item, Scelus eſt accipere ab reo, quanto magis ab accuſatore? quanto etiam ſceleratius ab utroque? Sed plurima ſunt huius generis apud Ciceronem exempla.

CICERO

Est *enim amplificatio uehemens quaedam argumentatio, ut illa docendi cauſſa ſit, haec commouendi.*

EXPLANATIO

HAEC eſt definitio per differentiam, qua declarat, quomodo ab argumentatione diſtinguatur amplificatio. uult igitur Cicero amplificationem eſſe tamquam argumentationis ſpeciem, cum eam ita definiat: Amplificatio eſt uehemens quaedam argumentatio. deinde ponit differentiam,quod argumētatio docendi tantum cauſſa ſit,amplificatio etiam commouendi. Duplicem igitur poteſtatem habet amplificatio. nā & ad fidem, & ad motum plurimum ualet. ideo bene Quinctilianus dixit, eloquentiae uim in amplificatione maxime conſiſtere. Facit autem Quinctilianns quattuor amplificationis ſpecies,hoc eſt incrementū,comparationem,ratiocinationem,congeriem. Incrementum cum a minoribus ad maiora procedimus,ita ut magna uideantur,etiam quae inferiora ſunt; ut ſeptima in Verrem actione, Facinus eſt uinciri ciuem Romanum, ſcelus uerberari, prope parricidium necari,quid dicam, in crucem tolli? Fit & aliter ſupra ſummum adiectio, ut apud Virgilium de Lauſo:

Quo pulchrior alter
Non fuit excepto Laurentis corpore Turni.

Fit etiam incrementum, quoties in orationis curſu ſemper aliquid priore maius inſequitur, ut In coetu uero populi R. negotium publicum gerens magiſter equitum,cui ructare turpe eſſet, is uomens fruſtis eſculentis uinum redolentibus gremium ſuum,& totum tribunal impleuit. Comparatio, cum diuerſa inter ſe cōferuntur,& minora cum maioribus,ut in Catilinam, Serui mehercule mei, ſi me iſto pacto metuerunt, ut te metuunt omnes ciues tui,domum meam relinquendam putarem. Tale eſt illud,An uero uir ampliſsimus P. Scipio pontifex Max.Tib.Gracchum,mediocriter labefactantem ſtatum reipu.priuatus interfecit,Catilinam,orbem terrarum caede,atque incendio uaſtare cupientem, nos conſules perferemus? Ratiocinatio eſt, cum ex alio ducitur aliud augendi gratia,ut, Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum uini Hippiae nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet,in populi R. conſpectu uomere poſtridie. Sic quoque ſolet aliud ex alio augeri,ut cum Hannibalis uirtus amplificatur,quo maior ſit Scipionis,qui eum debellauit, gloria. Virgilius Turnum magnopere laudat,ut maior Aeneae uictoris illius uirtus appareat. Et fortitudinem Gallorum Germanorumq. miramur, quo ſit maior C. Caeſaris gloria. Congeries eſt uerborum & ſententiarum, idem ſignificātium, aceruus,ut,Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quae tua mens,oculi,manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Pro Milone, Tu P. Clodij cruentum cadauer ieciſti domo; tu in publicum eieciſti; tu ſpoliatum imaginibus, exſequiis, pompa,laudatione, infeliciſsimis lignis ſemiuſtulatū, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti. Fit haec amplificatio duobus modis, uel cum una res multiplicatur, uel cum plures res congeruntur. Eſt autem apud Ciceronem frequentiſsima. quot uero modis amplificamus, totidem etiam minuere poſſumus. nam eadem eſt adſcēdendi graduum ratio. ſunt etiam aliae quaedam amplificationis ſpecies, quas tunc explicabimus,cum de peroratione uerba faciemus.

CICERO

CICERO

C. F. Perge igitur ordine quattuor mihi iſtas partes explicare. C. P. Faciam,& a principijs primum ordiar,quae quidem docuntur aut ex perſonis, aut ex rebus ipſis.

EXPLANATIO

PRIMA pars orationis multis nominibus appellatur,dicitur enim,initium,principium,exordium,exorſus,prooemium,ſed hoc ultimum nomen Graecum eſt.li 3.Rhet Ariſtoteles haec tria nomina, prooemium, prologus , proaulium ait ita inter ſe differre, ac diſtingui,quod prooemium ſit principium orationis, prologus principium poematis,proaulium principium tibicinis.Eius haec ſunt uerba,Prooemium igitur principium eſt orationis, ſicut in poeſi prologus, in tibicinis cantu proaulium. nam haec omnia principia ſunt, & quaſi uiae munitiones ei, qui pertranſire uelit. Quidam ponunt differentiam inter principium, & Inſinuationem,quod principium apertis rationibus audientium animos conciliare ſtudet; Inſinuatio uero diſsimulans idem obſcure tentat efficere.Ducitur autem omne principium uel a perſonis,uel a rebus ipſis. A perſonis, ut pro Roſcio Am.Credo uos,iudices,mirari,quid ſit,quod,cum tot ſummi oratores, hominesq. nobiliſsimi ſedeant,ego potiſsimum ſurrexerim,is,qui neque aetate,neque ingenio,neque auctoritate ſim, cum his,qui ſedent,comparandus. A rebus ipſis,ut pro P.Quinctio;Quae res in ciuitate duae plurimum poſſunt,eae contra nos ambae faciunt,in hoc tempore,ſumma gratia,& eloquentia.

CICERO

SVMVNTVR autem trium rerum gratia,ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur, quorum primus locus eſt in perſonis noſtris,diſceptatorum,aduerſariorum.

EXPLANATIO

CAVSSA, cuius gratia principium adhibetur in oratione, nulla alia eſt, quam ut auditorem praeparemus,quo ſit nobis in ceteris partibus accomodatior. hoc autem tribus rebus maxime fieri rhetores tradunt,primo ſi beneuolentiam eius itae nobis dicendo conciliauerimus,ut amico animo audiat; ſecundo,ſi fecerimus,ut,quae dicturi ſumus,intelligat;tertio, ſi eundem ſemper attentum habere curauerimus. Ac primus quidem ille locus beneuolentiae pendet a perſonis,quae tripertitito diſtribuuntur,ſunt enim aut noſtrae,aut aduerſariorum, aut diſceptatorum. Sed illud ſciendum eſt,patroni uel oratoris & rei perſonam pro una accipi.Itaque tam a ſua perſona dicitur orator beneuolentiam captare,cum a reo ipſo incipit, quam cum a ſe. Nã interdum a ſe tantum incipit;ut prima in Verrem actione,quae Diuinatio dicitur,Siquis ueſtrum,iudices, aut eorum,qui adſunt,forte miratur,me, qui tot annos in cauſſis iudiciisq. publicis ita ſum uerſatus, ut defenderim multos,laeſerim neminem,ſubito nunc mutata uoluntate ad accuſandum deſcendere; is ſi mei cõſilii cauſſam rationemq. cognouerit,una & id quod facio,probabit,& in hac cauſsa profecto neminem mihi eſſe praeponendum actorem putabit.Interdum a reo tantum orditur,ut pro P.Sulla: Maxime uellem, iudices, ut P. Sulla & antea dignitatis ſuae ſplendorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam modeſtiae fructum aliquem potuiſſet percipere.Interdum & a ſe,& a reo ſimul exorditur; ut pro Milone, Et ſi uereor, iudices, ne turpe ſit pro fortiſsimo uiro dicere incipientem timere;minimeq. deceat,cum T.Annius Milo ipſe magis de reip. ſalute, quam de ſua perturbetur, me ad eius cauſsam parem animi magnitudinem afferre non poſſe, & reliqua. Poteſt autem orator,uel a perſona ſua,uel a perſona aduerſariorum, uel a perſona audientium beneuolentiam ſibi conciliare.Primo igitur uideamus,quibus modis a perſona ſua beneuolentiam captet.

CICERO

E quibus initia beneuolentiae conciliandae comparantur aut meritis noſtris,aut dignitate, aut aliquo genere uirtutis, & maxime liberalitatis officii, iuſtitiae, fidei.

EXPLANATIO

TRIA ſunt,quae nobis maximam hominum beneuolentiem conciliare poſſunt,merita,dignitas, uirtus. Nam & eos uehementer amare ſolemus,a quibus beneficia multa acceperimus; & eos,quos ante ſtare ceteris dignitate intelligimus;& eos,qui uirtute magna praediti ſunt.Itaque primo ſibi orator beneuolentiam captabit,ſi merita ſua,uel eius,quem defendit,in remp.& in eos,qui audiunt,modeſte commemorabit. ut Cicero pro L.Flacco:Cum in maximis periculis huius urbis,atque imperii, grauiſsimo, atque acerbiſsimo reip. caſu ſocio,atque adiutore conſiliorum periculorumq. meorum L.Flacco:caedem a uobis,coniugibus, liberis ueſtris,uaſtitatem a templis,delubris,urbe,Italia depellebam,ſperabam, iudices,honorum potius L Flacci me adiutorem futurum,quam miſeriarum deprecatorem.Ita pro Cn.Plancio: Cum propter egregiam & ſingularem Cn.Plancii,iudices,in mea ſalute cuſtodienda fidem,tam multos & bonos uiros eius honori uiderem eſſe

fautores,

fautores,& reliqua. Eadem ratio eſt captandae beneuolentiae, ſi ipſorum iudicium, aut auditorum beneficia in uos collocata commemoremus. Hoc enim grati animi iudicium eſt; ut poſt reditum in ſenatu, Si P. C. pro ueſtris immortalibus in me fratremq. meum liberos noſtros meritis parum uobis cumulate gratias egero. Secundo loco beneuolentiam conciliat ipſa dignitas, ut pro L. Murena Cicero commendat ipſum Murenam a dignitate, quod eſſet conſul deſignatus; Idem, inquit, inſul eum ueſtrae fidei commendat, qui antea dijs immortalibus commendauit, ut eiuſdem hominis uoce, & declaratus conſul, & defenſus, beneficium populi R. cum ueſtra, atque omnium ciuium ſalute tueatur. Pro Cor. Balbo, Ac mihi quidem hoc dignum reo uidetur, hoc deberi huius excellentis uiri praeſtantiſsimae gloriae, & quae ſequuntur. Tertio genus omne uirtutis amicitiam conciliat. Habet enim hoc uirtus, ut eis ſpecies etiam in hoſte poſita delectet, & ſaepe quos numquam uidimus, propter uirtutem ipſam diligimus. Cum autem omnes uirtutes ſint amabiles, tum illae praecipuae, quae in aliorum commodis augendis uerſantur, qualis eſt liberalitas, iuſtitia, fides. ideo maxime omnium hae ſunt, ad captandam beneuolentiam accommodatae. Cicero, Proprium hoc inquit, ſtatuo eſſe uirtutis. conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adiungere. & item, uehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiae, iuſtitiae, fidei, omniumq. earum uirtutum, quae pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem. Hoc modo prima actione in Verrem Cicero beneuolentiam captat, Adductus ſum, inquit, iudices, officio, fide, miſericordia, multorum bonorum exemplo, ueteri conſuetudine, inſtitutoq. maiorum, ut onus hoc laboris, & officii, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. & pro C. Rabirio, Me cum amicitiae uetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meae uitae perpetua conſuetudo ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata. Idem fit, cum iudicium & audientium uirtutes extollimus; ideo Cicero in omnibus ſuis orationibus iudices ipſos uehementer laudare ſolet, ut eos ſibi conciliet, exempla paſsim occurrunt.

Contrariisq. rebus in aduerſarios conferendis.

In acquirenda iudicium beneuolentia multum prodeſt eorum animos ab aduerſarijs noſtris alienare. quod ita facile fiet. ſi res contrarias in eos conferamus, hoc eſt ſi oſtenderimus eorum maleficia, indignitatem, & improbitatem, maleficos enim homines, & abiectos, & improbos, omnes pene odio proſequuntur. Igitur ab aduerſariorum maleficijs ſaepe ſibi orator beneuolentiam captat, ut Cicero pro Roſcio Am. de Chryſogono; ſeſe, hoc incolumi, non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum & copioſum poſſe obtinere; damnato & eiecto ſperat ſe poſſe quod adeptus eſt, per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumare. Prima in Verrem, Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnes ſeſe hoc uno praetore per triennium pertuliſſe. Pro Milone, Vnum genus eſt aduerſum infeſtumq. nobis eorum, quos P. Clodii furor rapinis, & incendiis, & omnibus exitijs publicis pauit. Pro A. Caecina, Si quantum in agro locisq. deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque in iudicijs impudentia ualeret; non minus in cauſa cederet A. Caecina Sex. Ebutii impudentiae, quam tum in ui facienda ceſsit audaciae. Secundo, cum indignitas aduerſariorum oſtenditur, ab eorum perſona beneuolentia captatur; ut in Vatinium, Si tua tantummodo, uatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare uoluiſſem, feciſſem id, quod his uehementer placebat, ut, te, cuius teſtimonium propter turpitudinē uitae, ſordesq. domeſticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. pro Deiotaro: Fugitiui autem dominum accuſantis, & dominium abſentem, & dominum amiciſsimum noſtrae reip. cum os uidebam, cum uerba audiebam, non tam afflictam regiā conditionem delebam quam de fortunis omnibus extimeſcebam. Tertio improbitas aduerſariorum, & praecipue crudelitas iudices ab eis alienat, ut pro Deiotaro: Crudelis Caſtor, ne dicam, Sceleratum & impium, qui nepos autem in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiaeq. ſuae terrorem intulerit ei, cuius ſenectutem tueri, & tegere debebat. Pro Roſcio Am. Ab his hoc poſtulare homines ſicarios, atque gladiatores, non modo ut ſupplicia uitent, quae a uobis pro maleficiis ſuis metuere, atque horrere debent, uerum etiam ut ſpoliis Sex. Roſcij hoc iudicio ornati auctiq. diſcedant. Quod autem dicunt rhetores a nobis aduerſario in odium, contemptionem, & inuidiam eſſe trahendos, id facile fiet, ſi ea, quae diximus, obſeruauerimus, hoc eſt, ſi eorum maleficia, indignitatem, & improbitatem oſtenderimus. nam maleficia ducent eos in odium, indignitas in contemptionem, improbitas in inuidiam, hoc eſt in malam gratiam.

C I C E R O

ET *cum ijs, qui diſceptant aliqua coniunctionis aut cauſa, aut ſpe ſignificanda.*

E X P L A N A T I O

AB ipſis iudicibus & diſceptatoribus beneuolentia captatur, cum oſtendimus nos eorum uirtuti, & ſapientiae confidere, & ad eos etiam cauſſam pertinere; nosq. in eis ſolis ſpem habere; ut pro Roſcio Am. Fide ſapientiaq. ueſtra fretus plus oneris ſuſtuli quam ferre me poſſe intelligo. hoc onus. ſi uos, aliqua ex parte alleuabitis, feram ut potero, ſtudio & induſtria iudices. Pro P. Quinctio, Certe aut apud te, & eos, qui tibi adſunt, ueritas ualebit, aut ex hoc loco repulſa ui, & gratia locum ubi conſiſtat, reperire non poterit, non eo dico C. Aquili, quod mihi ueniat in dubium tua fides & conſtantia; aut quo non in iis, quos tibi aduocaſti, uiris electiſsimis ciuitatis ſpem ſummam habere P. Quintius debeat, & reliqua. pro Milone Si unquam de bonis & fortibus uiris, ſi unquam de bene meritis ciuibus poteſtas uobis iudicandi fuit, Si denique unquam

locus

locus ampliſsimorum ordinum delectis uiris datus eſt,ubi ſua ſtudia erga fortes & bonos ciues, quae uultu, & uerbis ſaepe ſignificaſſent,re & ſententiis declararent,hoc profecto tempore eam poteſtatem omnem uos habetis.

CICERO

ET ſi in nos aliquod odium,offenſione collata ſit, tollenda ea,minuenda, aut diluendo, aut extenuando, aut compenſando, aut deprecando.

EXPLANATIO

HOC defenſoris eſt, & ſecundo loco dicendis officium, ut odium, & offenſionem in ſe collatam ab aduerſarijs,uel prorſus tollere,uel ſaltem minuere ſtudeat. Hoc autem quattuor modis fieri poſſe docet Cicero,hoc eſt,uel diluendo, uel extenuando,uel compenſando, uel deprecando. Diluere eſt penitus negare & oſtendere falſum eſſe, quod ab aduerſariis obiectum eſt; ut pro Roſcio Am. Confictum eſſe parricidij crimen ab accuſatoribus oſtendit,ut impune Roſcij bona poſsiderent.Pro Deiotaro, ſeruum corruptum praemiis a Caſtore Deiotari nepote ueniſſe ait,ad accuſandum dominum. Pro Milone,priuſquam ad cauſſam ueniat;diluit ea,quae aduerſarij dicebant;primo nefas eſſe ei lucem intueri,qui a ſe hominem occiſum eſſe fateatur.deinde caedem,qua P.Clodius occiſus eſt,ſenatum iudicaſſe contra remp. eſſe factam. tum Cn. Pompeiũ rogatione ſua,& de re,& de cauſſa iudicauiſſe.Pro M.Coelio ſic ait,Ac mihi quidem uidetur, iudices, hic introitus defenſionis adoleſcentiae M.Coelij maxime conuenire, ut ad ea, quae accuſatores, deformandi huius cauſſa,detrahendae ſpoliandaeq. dignitatis gratia dixerunt, primum reſpondeam. atque ita diluit ea, quibus odium & offenſionem in Coelium aduerſarij contulerant.Extenuare eſt, oſtendere crimen non eſſe tantum, quantum obiicitur ab aduerſario,ut pro M.Coelio cum audiat nullum facinus,nullam audaciam, nullam uim in iudicium uocari,ſed adoleſcentem illuſtri ingenio,induſtria,gratia accuſari ab eius filio quem ipſe in iudicium & uocet & uocarit, oppugnari autem opibus meretriciis, & cetera. Compenſare eſt aliunde ſupplere, quod alicubi deeſt,ut Ouidius:

Tot tamen amiſsis te compenſauimus unum.

Cicero pro M. Coelio,cum Coelii flagitia negare non poſſet, ea cum eius ingenio & eloquentia compenſat. Pro Cor.Balbo dicit,illud praeſtantiſsimae gloriae Pompeii deberi,ut,quod Cn. Pompeium feciſſe conſtet,id omnes ei licuiſſe coucedant.Septima actione in Verrem Q.Hortenſium irridet,qui furta & latrocinia C.Verris,cum eius bellica uirtute compenſanda diceret,& oſtendit eum fuiſſe ignauiſsimum. nam praeſtantibus uiris,aliqua contra morem ciuilem conceduntur,quae licet uitioſa ſint, tamen cum eorum uirtutibus compenſantur.Cicero primo de officiis,Nec quemquam hoc errore duci oportet,ut,ſiquid Socrates, aut Ariſtippus contra morem,conſuetudinemq. ciuilem fecerint,locutiue ſint,idem ſibi arbitretur licere.magnis illi, & diuinis bonis hanc licentiam aſſequebantur.T.Liuius de Cicerone ſic ait,Siquis tamen uirtutibus uitia compenſarit,uir magnus,acer,memorabilis fuit.Deprecari eſt fateri crimen,& tamen petere, ut ignoſcatur, quod raro accidit in iudicio,niſi pro illo dicamns,qui maximis beneficiis remp.affecerit,ut Siquis Horatium abſoluendũ cenſeat,quamuis ſororem interfecerit, quoniam egregiam de hoſtibus uictoriam reportauit. Cicero pro Q. Ligario deprecatione utitur,quia Caeſarem non tamquam iudicem,ut ipſe teſtatur,ſed tamquam parentem alloquebatur.Frequenter tamen defenſioni deprecatio interponitur,praeſertim oblique, ut pro Milone, Nec deprecaturi ſumus,ut crimen hoc uobis multa propter praeclara in remp.merita condonetis;nec poſtulaturi,ut ſi mors P.Clodii ſalus ueſtra fuerit, iccirco eam uirtuti Milonis potiusquam populi R. felicitati aſsignetis.Septima in Verrem, de Q.Hortenſio Verris patrono, Tum deprecabitur a uobis,tum etiam pro ſuo iure contendat,ne patiamini talem imperatorem populi R.Siculorum teſtimoniis eripi,ne ue obteri laudem imperatoriam criminibus auaritiae uelitis.

CICERO

INTELLIGENTER autem ut audiamur,& attente,a rebus ipſis ordiendum eſt.

EXPLANATIO

SICVT a perſonis beneuolentia conciliatur,ita docilitas & attentio a rebus ipſis. ſtatim enim docilis fit auditor,cum rem intelligit,de qua dicturi ſumus; ideo frequenter in deliberationibus a rebus exordimur, ut Cicero de Prouinciis conſularibus: Siquis ueſtrum P.C.exſpectat,quas ſim prouincias decreturus, conſideret ipſe ſecum,qui mihi homines ex prouinciis potiſsimum detrahendi ſint.Ita Cato,apud Salluſtium, Longe mihi alia mens eſt, P.C.cum res atque pericula noſtra conſidero; & cum ſententias nonnullorum ipſe mecum reputo;illi mihi diſſeruiſſe uidentur de poena eorum,qui patriae,parentibus,aris,atque focis ſuis bellum parauere.res autem monet cauere ab illis magis,quam,quid in illos ſtatuamus conſultare. Saepe etiam in iudiciis a re ipſa exordiri licet,ut ſexta in Verrem, Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat ſtudium,

ut amici

ut amici eius, morbum & inſaniam, ut Siculi latrocinium. ego quo nomine appellem neſcio, rem uobis propo nam, uos eam ſuo nominis pondere, penditote. ita pro A. Cluentio ab accuſatoris oratione incipit.

CICERO

SED facilime auditor diſcit, & quid agatur intelligit, ſi complectare a principio genus, naturamq. cauſſae, ſi definias, ſi diuidas, ſi neque prudentiam eius impedias confuſione partium, nec memoriam multitudine.

EXPLANATIO

QVINQVE hoc loco ponit, quae ſingula docilem auditorem efficere poſſunt. primum eſt, ut a principio genus naturamq. cauſſae complectamur; ut pro lege Man. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeij ſingulari eximiaq. uirtute. Prima Philippicae Antequam de rep. P. C. dico ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam uobis breuiter conſilium, & profectionis & reuerſionis meae: Pro Milone, Quamquam in hac cauſſa, iudices, T. Annij tribunatu rebus omnibus pro ſalute reipu. geſti ad huius criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni a Ciodio factas. Sed hoc ubique fere facit Cicero, ut in exordio genus naturamq. cauſſae, & multis ſaepe numero uerbis complectatur. Hoc diligenter etiam poetae tum Graeci, tum Latini ſeruare ſolent, ut initio ſuorum operum proponant breuiter, quid in toto opere ſint acturi, ut Homerus in Odyſſea:

Dic mihi, muſa, uirum, captae poſt moenia Troiae,
Qui mores hominum multorum, uidit, & urbes.

Virgilius:

Arma uirumq. cano;

Secundum eſt, ut definitione utamur: nam definitio breuiter & aperte rei cuiuſq. naturam explicat, & ideo Cicero praecipit, ut in omni diſputatione incipiamus a definitione, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur. quod ex Phaedro Platonis ſumpſit. Sed oratores non tam anguſte, quam Philoſophi, definire ſolent, itaque deſcriptionibus potius utuntur, ut Cicero de lege Agraria contra Rullum pluribus uerbis definit, quid ſit populare, & quid non ſit, ex eo loco, Sed mihi ad huiuſce uerbi uim & interpretationem uehementer opus eſt ueſtra ſapientia. uerſatur enim magnus error propter inſidioſas nonnullorum ſimulationes, qui cum populi nō ſolum commoda, uerum etiam ſalutem oppugnant & impediunt, oratione aſſequi uolunt, ut populares eſſe uideantur. & quae ſequuntur. Ita ſextam actionem in Verrem a definitione incipit. Tertium eſt, ut diuiſionem adhibeamus. Nam diuiſio totam orationem dilucidam & illuſtrem reddit. a diuiſione incipit pro A. Cluētio, Animaduerti, iudices, omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes, quarum altera mihi niti, & magnopere confidere uidebatur inuidia iam inueterata Iudicij Iuniani, & reliqua. Diuiſio, ſeu partitio non nunquam ante narrationem ponitur, ut pro A. Cluentio, & tunc pars eſſe uidetur exordii; nonnunquam poſt narrationem, ut pro Roſcio Am. ſed ubicumque ponatur, ſemper eam uim habet, ut docilem auditorem efficiat. Neque enim tantum in exordio, ſed etiam in reliquis orationis partibus, & docilis & attentus auditor faciendus eſt. Quartum eſt praeceptum, ne prudentiam atque intelligentiam auditoris confuſione partium impediamus. hoc enim magnum uitium eſt, non tantum in exordio, ſed in tota oratione, cum quid perturbate, & confuſe dicitur. Sicut enim ordo certus, aptus, & diſtinctus partium, magnum ſplendorem & claritatem affert; ita ordinis perturbatio maximas orationis tenebras inducit, quod uitium in Rullo Cicero notauit. Debet igitur orator diligenter aduertere, nequid confuſe & perturbate dicat, ſed partes ordinate diſtribuat. Quinctum, atque ultimum eſt praeceptum, ne multitudine partium memoria impediatur. neque enim facile potuit auditor meminiſſe partium multitudinem. ideo Rhetores quidam praecipiunt, ut oratio tota uel in duas, uel in tres tantum partes, non in plures diſtribuatur, quod ſane frequentiſsime Cicero facit, ut pro lege Man. Primū mihi uidetur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Pro Roſcio Am. Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quae obſtent hoc tempore Sex. Roſcio, crimen aduerſariorum, & audacia, & potentia. Pro P. Quinctio, Oſtendam primum cauſſam non fuiſſe cur a praetore poſtulares, ut bona P. Quinctij poſsideres; deinde ex edicto te poſsidere non potuiſſe; poſtremo non poſſediſſe. Pro M Coelio duas tantum in partes defenſionem ſuam diuidit. Sunt autem, inquit, duo crimina, auri, & ueneni, in quibus una atque eadem perſona uerſatur, aurum ſumptum a Clodia, uenenum quaeſitum quod Clodiae daretur, dicitur. Interdum tamen etiam pluribus partibus utitur Cicero, ut pro P. Sextio, Dicam ego de omni ſtatu P. Sextii, de genere uitae, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de ſtudio conſeruandae ſalutis communis. Sed aduertendum eſt, ne tam conciſe & minute diuidatur oratio, ut omnes partes memoria complecti difficile ſit, quod nimis frequenter dialectici, & philoſophi facere ſolent.

CICERO

QVAEQ. mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt recte referri.

EXPLA-

EXPLANATIO

HOc corollarium eſt, quod ad docilitatem pertinet. Nam, quo dilucidior fuerit oratio, & facilius intelli getur. itaque praecepta omnia, quae dilucidam efficiunt orationem, ad hunc locum referri poſſunt. ut autem dilucida ſit oratio, duobus modis conſequimur, hoc eſt, & uerbis, & rebus. Sed, quomodo uerbis dilucida fiat, ſupra iam oſtenſum eſt, cum de uerborum luminibus tractaremus; quo modo autem rebus poſsit eſſe dilucida oratio, declarabitur infra, cum de narratione tractabimus. Quare & illa, quae iam dicta ſunt de uerbis, & quae poſtea de rebus dicentur in narratione, ad hunc locum referri recte poterunt.

CICERO

VT attente autem audiamur, trium rerum aliqua conſequemur: nam aut magna quaedam proponemus, aut neceſſaria, aut coniuncta cum ipſis, apud quos res agetur.

EXPLANATIO

TRia ſunt, quae mouent attentionem, hoc eſt, res magnae, res neceſſariae, & res coniunctae cum ipſis, qui audiunt. Itaque cum orator attente cupit audiri, uel haec tria omnia proponat, uel unum ſaltem eorum. Res magnae ſolēt admirationem, & exſpectationem concitare, ut Cicero, pro C. Rabirio, Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculoſam, magis ab omnibus uobis prouidendam, neque a trib. plebis ſuſceptam, neque a conſule defenſam, pro Roſcio Am. His de rebus tantis, tamq. atrocibus, neque ſatis me commode dicere, neque ſatis grauiter conqueri, neque ſatis libere uociferari poſſe intelligo. Res neceſſariae ſunt, ſine quibus eſſe non poſsimus, ut patria, cibaria, ueſtes, aut quae nobis cariſsimae ſunt, ut parentes, coniuges, liberi, aut quae ualde ſunt utiles, ut uectigalia, pecuniae, aut denique, quae ad honorem, gloriam, dignitatem pertinent. quas ita colligit Cicero in Catilinam ad Quirites, Remp. Quirites, uitamq. omnium ueſtrum bona, fortunas, coniuges, liberosq. ueſtros, atque hoc domicilium clariſsimi imperij, fortunatiſsimam, pulcherrimamq. urbem hodierno die deorum immortalium ſummo erga uos amore laboribus, conſilijs, periculisq. meis ex flamma, atque ferro, ac paene ex faucibus fati, ereptam, & uobis conſeruatam, ac reſtitutam uidetis. Pro lege Man. Quirites a rebus neceſſarijs attentos facit, cum ait, Genus eſt enim eiuſmodi, quod maxime ueſtros animos excitare, atque inflammare debet, in quo agitur populi Romani gloria, agitur ſalus ſociorum, atque amicorum, aguntur certiſsima populi R. uectigalia, & maxima, aguntur bona multorum ciuium. Septimam Philippicam ita incipit Cicero, Paruis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur, P.C. de Appia uia, & de Moneta. tertiam autem a maioribus, & magis neceſſariis, ita incipit, Serius omnino, P.C. quam tempus reip. poſtulauit, aliquando tamen conuocati ſumus. quod flagitabam equidem quotidie, quippe cum bellum nefarium contra aras & focos, contra uitam fortunasq. noſtras ab homine profligato, ac perdito non comparari ſed geri iam uiderem. Sic Dido apud Virgilium, li. 1. Aen.

Res dura & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & late fines cuſtode tueri.

Res coniunctae cum illis, qui audiunt, magnam concitant attentionem, quia omnes ſibi cauent, & ſuis commodis ſtudent. Cicero ſecundam actionem in Verrem ita exorſus eſt, Quod erant optandum maxime, iudices, & quod unum ad inuidiam ueſtri ordinis, infamiamq. iudiciorum ſedandam maxime pertinebat, id non humano conſilio, ſed prope diuinitus datum, atque oblatum uobis ſummo reip. tempore uidetur. Pro Roſcio Am. Hoc cogitetis, niſi in hac cauſſa qui ueſter animus ſit, oſtendetis, eo prorumpere hominum cupiditatem, & ſcelus, & audaciam, ut non modo clam, uerum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes ueſtros, iudices, inter ipſa ſubſellia caedes futurae ſint. Tertia in Verrem actione: Atque ego non dubito, quin ut mihi, cui filia maxime cordi eſt, res haec acerba uideatur, atque indigna, ſic unicuique ueſtrum, qui ſimili ſenſu, atque indulgentia filiarum commouemini. quid enim natura nobis iucundius, quid carius eſſe uoluit? quid eſt dignius, in quo omnis noſtra diligentia, indulgentiaq. conſumatur?

CICERO

SIT autem hoc etiam in praeceptis, ut, ſiquando tempus ipſum, aut res, aut locus, aut interuentus alicuius, aut interpellatio, aut ab aduerſario dictum aliquod & maxime in perorando dederit occaſionem nobis aliquam, ut dicamus aliquid ad tempus apte, ne derelinquamus.

EXPLANATIO

QVAE ſunt attributa negotiis, & perſonis, ab aliquibus circumſtantiae dicuntur; item ea, quae repente eueniunt, nonnunquam occaſionem exordii praebent oratori. ideo. Cicero ponit hoc in praeceptis, ut aliquando tempus, & rem, & locum conſideremus, an aliquam occaſionem exordii nobis praebeant. & praeterea ſiquis forte interuenerit, aut ſiqua interpellatio facta fuerit, deniq. ſiquid dictum eſt ab aduerſario, praecipue in extrema orationis parte, quod arripere poſsimus, ut eo utamur. Quorum omniū exempla multa reperiūtur.

At primo a tempore Cicero totum pro M. Coelio exordium duxit: Siquis,iudices, forte nunc adſit ignarus legum,iudiciorum,conſuetudinis noſtrae, miretur profecto, quae ſit tanta attrocitas huiuſce cauſſae, quod diebus feſtis,ludisq. publicis,omnibus negotijs forẽſibus intermiſsis,unum hoc iudicium exerceatur,& quae ſequuntur. Secundo,ab improuiſa,& inſolita re poſſumus exordiri,ut pro Milone,Haec noui iudicij noua forma terret oculos, qui quocumque inciderint, ueterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minime uident.non enim corona conſeſſus ueſtercinctus eſt,ut ſolebat,non uſitata frequentia ſtipati ſimus. Tertio,licet ab ipſo loco ſubdito interdum exordiri, ut Cicero pro Deiotaro, Moueor etiam loci ipſius inſolentia,quod tantam cauſſam,quanta nulla umquam in diſceptatione uerſata eſt, dico intra domeſticos parietes,dico extra conuentum,& eam frequentiam,in qua oratorum ſtudia niti ſolent. Quarto,ab interuentu alicuius attentio ſaepe captatur,ut tertia in Verrem,Eſt idem Verres, qui fuit ſemper, ut ad audendum proiectus,ſic paratus ad audiendum,praeſto eſt,reſpondet,defenditur,ne hoc quidem ſibi reliqui fecit, ut in rebus turpiſsimis cum manifeſto teneatur,impudentiae ſuae pudentem exitum quaeſiſſe uideatur. Aeneas apud Virgilium,ab interuentu ſuo ſumpſit occaſionem exordij.ſic enim incipit:

Coram quem quaeritis adſum,
Troius Aeneas Libycis ereptus ab undis.

Quincto,ab interpellatione,hoc eſt,ſi accidit,ut initio dicendi ab aliquo interpellemur; uel ut aliquis alius interpelletur,arripere occaſionem debemus;ut quarta Philippica,Nunc uero multo ſim erectior,quod uos quoque hoſtem illum eſſe,tanto conſenſu,tantoq. clamore approbauiſtis. pro A.Caecina, Monet amicus meus te L. Calpurnius, ut idem dicas,quod idem ante dixit. pro C. Rabirio, Nihil me clamor iſte commouet, ſed conſolatur,cum indicat eſſe quoſdam ciues imperitos,ſed non multos. nũquam,mihi credite,populus R. hic, qui ſilet,conſulem me feciſſet,ſi ueſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. quanto iam lenior eſt acclamatio.quin continetis uocem indicem ſtultitiae,teſtem paucitatis? Sexto,ab aduerſarii dicto poterimus interdũ exoriri,& ab eo praecipue,quod in peroratione dixerit, ut Cicero nona Philippica, Nihil praeter ſententiam dicerem,niſi P. Seruilio reſpondendum putarem,qui hunc honorem ſtatuae nemini tribuendum cenſuit, niſi qui ferro eſſet in legatione interfectus.ita Iuno apud Virgilium,li.10.Aen.

Aenean hominum quiſquam,diuumq. ſubegit
Bella ſequi? aut hoſtem regi ſe inferre Latino?

CICERO.

Et quae ſuo loco de amplificatione dicemus, multa ex his poterunt ad principiorum praecepta transferri.

EXPLANATIO

QVONIAM ſaepe accipit,ut in exordijs utãtur amplificatione,ideo nos admonet hoc in loco Cicero, ut ex praeceptis amplificationis,de qua tractabit inferius,ad exordia transferamus ea,quae nobis conuenire uidebũtur. Quod autem in exordio liceat amplificationibus,uti declarat ipſe Cicero,qui multis in locis hoc facit,ut in exordio pro Roſcio Am.pro P.Quinctio,pro C.Rabirio,perduellionis reo. Sed longe magis amplificat in exordijs contra Catilinam. Haec ſunt,quae de exordio praecipit hoc in opere Cicero. In primo uero de inuentione docet etiam,quot ſint uitioſorum exordiorum genera,ut ea uitare poſsimus,& ſeptem enumerat. primum uulgare dicitur,quod multis cauſſis accommodari poteſt;ſecundum commune,quo poteſt etiam aduerſarius uti;tertium commutabile,quod in auctorem retorqueri poteſt;quartum longum, quod nimis producitur;quinctum ſeparatum,quod ex ipſa cauſsa non ducitur,aut cum ea non conuenit;ſextum tranſlatum, quod aliud conficit,quã cauſſae genus poſtulat;ut ſi attentum faciat,cum beneuolentia concilianda eſt; ſeptimum,quod eſt contra praecepta,ut quod neque beneuolum,neque docilem, neque attentum auditorem facit. His uitijs declinatis,optimum erit exordium eo modo confectum,quo ſupra iam dictum eſt.

CICERO

C. F. Quid in narratione, quae tandem conſeruanda ſunt? C. P. Quoniam narratio eſt rerum explicatio,& quaedam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendae fidei:ea ſunt in ea ſeruanda maxime, quae etiam in reliquis fere dicendi partibus, quae partim ſunt neceſſaria, partim aſſumpta ad ornandum.nam,ut dilucide,probabiliterq. narremus,neceſſarium eſt, ſed aſsumimus etiam ſuauitatem.

EXPLANATIO

SECVNDA pars orationis eſt narratio,de qua iam tractare incipit,atque illam,ut artis ratio poſtulat, primo definit,deinde docet,quid in ea ſeruandum ſit. Definitio igitur narrationis haec eſt, Narratio eſt rerũ explicatio,& quaedam quaſi ſedes,ac fundamentum conſtituendae fidei. Neque enim alia de cauſſa narratione utuntur oratores,niſi ut res eas,de quibus agitur,explicent, atque in explicando ſemina quaedam argumẽtationum ſpargant,quae ſint tamquam totius confirmationis fundamenta.nam initium confirmationis eſt ipſa narratio, ſine qua non modo confirmari cauſſa non poteſt, ſed ne intelligi quidem, itaque ſemper in

iudicialibus controuerſiis eſt neceſſaria,niſi quando res ita peruulgata eſt, ut eam explicare nihil ultra referat. Eadem uero ſunt in narratione ſeruāda,quae etiam in reliquis orationibus partibus. ſunt enim quaedam praecepta omnium partium communia,quae ad claritatem,& probabilitatem orationis pertinent, quaedam etiam ad ſuauitatem.Siquidem haec ita diſtincta ſunt,ut alia ſint neceſſaria,quae nunquam omitti debent, ut perſpicuitas,& probabilitas;alia uero aſſumpta ad ornandum,ut ſuauitas,quae tamen non ſunt neceſſaria. Quinctilianus exiſtimat,narrationem omni qua poteſt uenere, & gratia ornandam, quoniam nulla in parte attentior eſt iudex & nihil recte dictum perit,quin facilius credit, quae iucunda ſunt. Hoc autem loco de ciuili narratione inteligimus.nam tria narrationum genera ſunt,ut Aphthonius teſtis eſt.Hiſtoricum,quo res uerae explicantur,quae hiſtoriae nominantur; Dramaticum,quo fabulae,& comoediae,atque tragoediae utuntur;Politicum,quod ad cauſſas ciuiles pertinet.Atque hoc ciuile narrationis genus duas habet partes, ut docet Cicero,unam in qua cauſſa,& omnis ratio controuerſiae continetur; alteram, in qua digreſsio aliqua extra cauſſam,aut criminationis,aut ſimilitudinis,aut delectationis, non alienae ab eo negotio,de quo agitur,aut amplificationis cauſsa interponitur.Saepe enim in una oratione plures narrationes adhibētur,ſed una ſolet eſſe principalis,quae totam cauſſam continet,de qua hoc in loco intelligimus. Huic autem narrationi ſex illae fere ſemper accidunt,quae uulgo circumſtantiae dicuntur. perſona,res,cauſſa,locus,tempus,modus, ut in narratione pro Milone,A perſona incipit,P.Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere,in praetura uexare remp.Rem, ideſt negotium factum exponit.Roma ſubito ipſe profectus pridie eſt.Cauſſas multas affert,ſed illā praecipue,Occurrebat mancam ac debilem praeturam ſuam futuram conſule Milone. locum ibi notat, ut,Ante fundum ſuum Miloni inſidias collocaret. Tempus etiam explicat. Fit obuiam Clodio ante fundum eius hora fere undecima, aut non multo ſecus. Modus denique ponitur. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum.Atque haec eadem in aliis etiam narrationibus diligenter obſeruari ſolent, quae ſi commode tractentur,dilucidam & probabilem narrationem efficiunt,quae duo ſunt in ea neceſſaria, ut hoc loco ſentit Cicero

CICERO

ERGO ad dilucide narrandum eadem illa ſuperiora explicandi, & illuſtrandi praecepta repetemus, in quibus eſt breuitas: eaq. ſaepiſsime in narratione laudatur, de qua ſupra dictum eſt.

EXPLANATIO

TRES aiunt eſſe narrationis uirtutes,ut dilucida ſit,ut breuis,ut probabilis:quae licet in tota oratione lucere debent,tamen in narratione maxime requiruntur,quoniam ea eſt quaſi ſedes,& fundamentum conſtituendae fidei.Sed iam ſupra,cum de uerborum luminibus uerba faceret,docuit Cicero, quibus modis dilucida,breuis,& probabilis fiat oratio.Quare illa praecepta ſunt hic repetenda.nam dilucida narratio fiet,ſi praeter ea,quae iam ſupra dicta ſunt,ſeruetur ordo rerum,& temporum,& nihil ambigue,nihil confuſe, nihil perturbate dicatur,nullaq. fiat in ea digreſsio,& nihil eorum,quae neceſſaria ſunt,praetermittatur. Breuis autem erit,ſi nimis alte non repetatur.quod Horatius etiam in poeta laudat cum ait:

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

Et,ſi non aberretur a propoſito,ſimpliciterq. res exponantur,non per uerborum circuitionem.quamuis enim non ſemper in aliis partibus breuitas laudetur, quoniam eloquentia copioſe loqui debet, tamen ſaepiſsime in narratione laudatur,ſed ea breuitas intelligitur,quae ſuperuacanea tantum reſecat, non quae omittit neceſſaria.nam in eo ponenda eſt breuitas, ut docet Quinctilianus, non ut minus,ſed ne plus dicatur, quam oporteat.Satius eſt enim aliquid narrationi ſupereſſe,quam deeſſe: nam ſuperuacua cum taedio dicuntur, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Itaque uidemus multas Ciceronis narrationes eſſe perquam ſane longas, ut pro Roſcio Am.pro P.Quinctio,pro Milone,quoniam opus erat in eis iudiciis bene cauſſam informare,cum aliter quam Cicero narret,ipſi iudices ſentire uiderentur.Aphthonius quatuor narrationis uirtutes numerat, perſpicuitatem,breuitatem,probabilitatem,ſermonis proprietatem. Sed praeter ceteras omnes, probabilitas eſt maxime neceſſaria.nam,niſi uerisſimilis narratio ſit,nullum erit fundamentum conſtituendae fidei, & omnis uis confirmationis interibit. quare diligentius etiam Cicero docet, quibus modis probabilis narratio fiat.

CICERO

PROBABILIS autem erit, ſi perſonis, ſi temporibus, ſi locis ea, quae narrabuntur, conſentient, ſi cuiuſque facti, & euenti cauſsa ponetur, ſi teſtata dici uidebuntur, ſi cum hominū opinione, auctoritate, ſi cū lege, cū more, cū religione coniūcta, ſi probitas narrantis ſignificabitur, ſi antiquitas, ſi memoria, ſi orationis ueritas, & uitae fides.

EXPLANATIO

QVindecim modis narrationem fieri probabilem oſtendit,prima a perſonis,in quibus conſideratur nomē, natura,uictus,fortuna,habitus,affectio,ſtudia,conſilia,facta,caſus,orationes. Nomen, ut P. Clodius, Annius Milo.nam in narratione ſaepe nomen explicatur.pro Roſcio Am. Nam duo iſti ſunt T. Roſcii, quorum

rum alteri Capitoni cognomen eſt;iſte,qui adeſt,Magnus uocatur.& paullo poſt,Occiſo Sex. Roſcio primus Ameriam nunciat Manlius Glaucia quidam,homo tenuis,libertinus,cliens & familiaris iſtius T.Roſcij. Sunt autem in narrationibus neceſſaria nomina propria,ut intelligatur, qui ſint illi, de quibus uerba facimus. Natura conſideratur,ut timidus,an audax,an fortis,prodigus, an auarus, an liberalis, robuſtus,an infirma ualetudine,atque ita de reliquis,ut Cicero de P.Clodio, Vbi uidit homo ad omne facinus paratiſsimus fortiſsimũ uirum,inimiciſsimum ſuum,certiſsimum conſulem. pro Roſcio Am. Homines antiqui,qui ex ſua natura ceteros fingerent,ſemper autem Cicero naturam eorum,quos defendit, optimam eſſe, aduerſariorum peſsimam oſtendit,niſi forte aduerſarii ſint amici,ut pro L. Murena, Cato, & Sulpicius, tunc enim modeſtius cum eis agit. Victus etiam ſpectatur, ut pro Roſcio Am. Cum hic filius aſsiduus in praediis eſſet, cumq. ſe uoluntate patris rei familiari, uitaeq. ruſticae dediſſet. Pro P.Quinctio docet Sex.Naeuium ſemper ſcurrilem uitam egiſſe, neque iura ſocietatis didiciſſe. Pro M. Coelio docet eum in adoleſcentia cum optimis uiris uixiſſe. Nemo hunc M. Coelium in illo aetatis flore uidit, niſi aut cum patre,aut mecum, aut in M. Craſsi caſtiſsima domo,cum artibus honeſtiſsimis erudiretur.In fortuna ſpectatur nobilitas,& diuitiae,atque his contraria.ut pro Roſcio Am.Sex.Roſcius pater huiuſce,municeps Amerinus fuit,cum genere,& nobilitate, & pecunia non modo ſui municipii,uerumetiam eius uicinitatis facile primus,tum gratia, atque hoſpitiis florens hominum nobiliſsimorum. Habitus longa conſuetudine acquiritur: nam,qui longo tempore ſe in aliqua re exercet,habitum contrahit, quem non ita facile deinde poteſt exſuere. Eſt autem & malus & bonus habitus. Malus,ut pro P.Quinctio de Sex.Naeuio,Fit magna mutatio loci,non ingenii.nam,qui ab adoleſcentulo quaeſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio, poſtea quam neſcio quid impendit, & in commune contulit, mediocri quaeſtu contentus eſſe non poterat.Bonus,ut pro Roſcio Am.Hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuiſſet,tum hoc tumultu proximo,cum omnium nobilium dignitas & ſalus in diſcrimen ueniret, praeter ceteros in ea uicinitate,eam partem cauſſamq. opera,ſtudio,auctoritate defendit. Affectio differt ab habitu, quia habitus eſt diuturnior,affectio facile mutatur,ut laetitia,ſpes,maeror,timor,Cicero pro Q Ligario, Quo audito,partim cupiditate inconſiderata,partim caeco quodam timore, primo ſalutis cauſſa, poſt etiam ſtudij ſui, quaerebant aliquem ducem.paullo poſt, Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium. Studium eſt uehemens animi applicatio ad aliquid agendum.quod in perſona conſideratur, ut pro Archia poeta, Nam, ut primum ex pueris exceſsit Archias,atque ab his artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet,ſe ad ſcribendi ſtudium contulit.Conſilia ſaepe explicantur in narrationibus,ut pro Roſcio Am.Conſilium ceperunt plenum ſceleris & audaciae,ut nomen huius de parricidio deferrent. Pro Milone, Qui non honoris gradum ſpectaret,ut ceteri, ſed & L.Paullum collegam effugere uellet, ſingulari uirtute ciuem, & annum integrum ad dilacerandam remp.quaereret.Facta uero ſaepiſsime narrantur; ut pro Milone, Subito reliquit annum ſuum,ſeq. in annum proximum tranſtulit.Item,Roma ſubito ipſe profectus pridie eſt.Caſus eſt, qui praeter ſpem atque opinionem accidit,ut pro Q.Ligario,Bellum ſubito exarſit,quod,qui erant in Africa,ante audierunt geri,quam parari. Orationes multo probabiliorem ſaepe narrationem faciunt, ut pro Milone, Palam agere coepit, & aperte dicere,occidendum Milonem. Item, Etenim palam dictitabat conſulatum Miloni eripi non poſſe,uitam poſſe Haec omnia ſunt in perſonis conſideranda.Secundo fit narratio probabilis a temporibus,ut pro Milone probat inſidias a Clodio Miloni factas, quoniam eodem tempore Milo conſulatum petebat quo Clodius praeturam.pro Q Ligar.Q.Ligarius,cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio,legatus in Africam cum proconſule C.Conſidio profectus eſt. pro M.Coelio docet a tempore Coelium Catilinae familiarem non fuiſſe.Tertio a loco fit probabilis narratio,ut pro Milone,Vt ante fundum ſuum inſidias Miloni collocaret.Saepe etiam a loco narrationes incipiunt, ut tertia in Verrem, Opidum eſt in Helleſponto Lampſacum,iudices.Interdum locus,& tempus una copulantur,ut pro Roſcio Am. Occiditur ad balneas Palatinas rediens a cena Sex. Roſcius. Pro Milone, Fit obuiam Clodio ante fundum eius hora fere undecima, aut non multo ſecus.Quarto,ſi cuiuſque facti,& eueti cauſſa ponetur,erit probabilis narratio. cauſſarum enim explicatio fidem facit,ut,Cur Clodius inſidias Miloni fecit? quia occurrebat ei mancam, ac debilem praeturam ſuam futuram conſule Milone.Cur ſeruos Clodius congregauit?delectum perditiſsimorum ciuium habuit?expeditus in equo,nulla rheda,nullis Graecis comitibus,ut antea ſolebat, nullis impedimentis Roma profectus eſt? nempe ut inſidias ſtrueret,cur igitur uictus eſt?quia non ſemper uiator a latrone,nonnumquam etiam latro a uiatore occiditur.quia quamquam paratus in imparatos Clodius,tamen mulier inciderat in uiros. Quincto, ſi teſtata dici uidebuntur, ut pro Milone, Quin etiam Fauonio fortiſsimo uiro,quaerenti ex eo, qua ſpe fureret,Milone uiuo,reſpondit triduo illum,ad ſummum quattriduo periturum.quam uocem eius ad hũc M.Catonem ſtatim Fauonius detulit.Sexto,ſi cum hominum opinione,ut pro Roſcio Am.de uita ruſtica,Quae uita maxime diſiuncta a cupiditate, & cum officio coniuncta. Pro Milone, Fecerunt ſerui Milonis, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere uoluiſſet. Septimo, ſi cum auctoritate coniuncta, ut pro Roſcio Am. Etenim rectum putabat pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſsimus inter ſuos numerabatur. Auctoritas enim maximam uim habet ad fidem faciendam, uel in eo qui dicit, uel in eo de quo dicitur. Nam auctoritate magna praeditis hominibus facilius creditur, quia non eſt in eis ulla mendacij ſuſpicio: & quae dicuntur de uiro magnae auctoritatis facile probantur, ut, ſiquis narret Catonem eſſe amantem patriae, alienum ab auaritia, fortem & conſtantem in negotiis. Poteſt etiam auctoritas ad imperium referri, ut in Verrini Cicero multa narrat, quae Verres pro auctoritate imperii, quod gerebat, flagitioſe perpetrarat. Octauo, ſi cum lege, ut pro Milone Cicero lege naturae probat unicuique licere uim ui repellere. Eſt enim, inquit, haec,iudices,non ſcripta, ſed nata lex,

quam

quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus, ad qu non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, & quae ſequuntur. Probat hoc idem etiam a legibus duodecim tabularum eſſe conceſſum. Nono, ſi cum more, & conſuetudine, ut in eadem oratione. Sin hoc, & ratio doctis, & neceſsitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa praeſcripſit, ut omnem ſemper uim, quacumque ope poſſent, a corpore, a capite, a uita ſua propulſarent, & cetera. Decimo, ſi cum religione cõiuncta, ut ibidem, Iter ſolenne, legitimum, neceſſarium Miloni eſſe Lanuuium ad flaminem prodendũ, quod erat dictator Lanuuij Milo. Vndecimo, Si probitas narrantis ſignificabitur. probis enim uiris facile credi ſolet. ideo Ariſtoteles lib. 1. Rhe. inter probationes artificioſas, mores etiam dicentis oratione expreſſos ponit. Idem ualent ſaepe mores etiam ipſius rei, ſi exprimantur, ut pro Milone: Nihil dico, quid reſp. conſecuta ſit, nihil, quid uos, nihil, quid omnes boni, nihil ſane id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, ut ne ſe quidem ſeruare potuerit, quin una remp. uosq. ſeruaret. Duodecimo, ſi antiquitas, hoc eſt orationis grauitas, quae antiquitatem quandam, & uenerationem praeſeferat, ut pro Milone, Qui non honoris gradum ſpectaret, ut ceteri; ſed & L. Paullum collegam effugere uellet, ſingulari uirtute ciuem, & cetera. Tertiodecimo, ſi memoria dicentis ſignificabitur. nam ea, quae prompte, & memoriter narrantur, uera eſſe uidentur; cum autem quis haeret in dicendo, ac uacillat, neque ſibi conſtat, ficta loqui uidetur, ideo prouerbio dicitur, Mendacem eſſe memorem oportere. Quartodecimo, Si orationis ueritas, hoc eſt, ſi antea ſolitus eſt uera dicere. probabile eſt enim, eum, qui ſemper antea ueridicus fuit, etiam nunc uera narrare; mendax autem id aſſequitur, ut, neque cum uera dicit, ei credatur. Vltimo, uitae fides maxime probabilem efficit orationem. uita enim anteacta firmum quoddam teſtimonium eſt. ſceleſtus enim & improbus nullam fidem habet, probo uero homini facile creditur; iccirco dicunt oratorem bonum uirum eſſe oportere.

CICERO

Svavis autẽ narratio eſt, quae habet admirationes, exſpectationes, exitus inopinatos, interpoſitos motus animorũ, colloquia perſonarũ, dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates. Sed iam ad reliqua pergamus.

EXPLANATIO

Decem res eſſe oſtendit, quae ſuauem orationem efficiant, primo admirationem, quae tum excitatur, cum aut magna, aut noua, & inaudita dicimus. Magna, ut ſi quis narraret a Scipione adoleſcente defenſum fuiſſe patrem, ac protectum, cũ Hannibal eũ urgeret in proelio. Ita Cicero Phil. 3. magnũ oſtendit fuiſſe factum Caeſaris Octauiani, quod adoleſcens, ac paene puer exercitum ueteranorum compararit, patrimoniũ effuderit & M. Antonij furori obſtiterit. Quin eiuſdem factum oſtendit eſſe nouum & inauditum, Multa, inquit, memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnium ſaeculorũ memoria tale cognoui. Ita pro A. Cluentio, O mulieris ſcelus incredibile, & praeter hanc unam in omni uita inauditum. Secundo exſpectationes concitatae multum delectant, cum dubitant auditores, quo res ſit euaſura, ut pro A. Cluentio, Summa omnium exſpectatio, quidnam ſententiae ferrent nummarij iudices. Pro eodem, Cum eſſent hae nuptiae plenae concordiae, repente eſt extorta mulieris importunae nefaria libido, non ſolum dedecore, uerum etiam ſcelere coniuncta. Hac de cauſſa, multi fiunt circuitus uerborum, & praeparationes in dicendo, ut maior exſpectatio concitetur. quod in Verrem frequentiſsime Cicero facit, in comoediis, & tragoediis exſpectationes rerum futurarum concitatae magnopere delectant. Tertio, exitus inopinati, quando felices apparent, ſummam afferunt iucunditatem. quod ita Cicero affirmat, At uiri ſaepe excellentis ancipites uariiq. caſus habent admirationem, exſpectationem, laetitiam, moleſtiam, ſpem, timorem: ſi uero exitu notabili concludun tur, expletur animus iucundiſsimae lectionis uoluptate. Tales ſunt omnes comoediarum exitus, hoc eſt inopinati, & felices. Quarto, ſuauis fiet narratio, ſi motus animi interponantur. Nam, ut ait Ariſtoteles, in omni animi motu ineſt quaedam iucunditas. Cicero pro A. Cluentio de Saſsia Cluentij matre: Deinde ita flagrare coepit amentia, ſic inflammata ferri libidine, ut etiam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiae, cum hominum fama, non filij dolor, non filiae maeror a cupiditate reuocaret, animum adoleſcentis nondum conſilio ac ratione firmatum pellexit, & reliqua. Quincto, collo, quia perſonarum in narratione delectãt, ut tertia in Verrẽ, Quaeſo, inquit, Philodame, cur, ad nos filiam tuam non intro uocari iubes. & paullo poſt, Tum ille, ut aliquid reſponderet, negauit moris eſſe Graecorum, ut in conuiuio uirorum accumberent mulieres. hic tum alius ex alia parte, Enimuero ferendum hoc non eſt, uocetur mulier, & quae ſequuntur. Sexto, dolores expreſsi delectant. ineſt enim quaedam etiam in dolore iucunditas. ut pro Roſcio Am. Quod Amerinis uſque eo uiſum eſt indignum, ut urbe tota fletus gemitusq. fierent. Pro A. Cluentio, in huius amantiſsimi ſui fratris manibus, & gremio, maerore & lacrymis conſeneſcebat. Septimo, iracundiae mouent delectationem. nam Homerus ita de ira cecinit, ut citat Ariſtoteles:

Dulcior effuſo quae melle in pectore gliſcit.

Cicero pro Roſcio Am. Nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam uidere in Sex. Roſcij optimi uiri, atque honeſtiſsimi bonis iactantem ſe ac dominantem T. Roſcium. Octauo, metus in narratione ſuauitatem afferunt, ut pro Roſcio Am. Vſque adeo autem ille pertimuerat, ut mori mallet, quam de his rebus Sul-

lam

lam doceri . tertia in Verrem, Haec ubi filio nunciata ſunt, ſtatim exanimatus ad aedes contendit, ut & uitae patris,& pudicitiae ſororis ſuccurreret. Nono, laetitiae faciunt iucundam narrationem,ut pro Cluentio, Tũ uero illa egregia, ac praeclara mater,palam exſultarelaetitia,ac triumphare gaudio coepit . tertia in Verrem, Fit ſermo inter eos,& inuitatio, ut Graeco more biberentur, hoſpes hortatur, poſcunt maioribus poculis, celebratur omnium ſermone laetitiaq. conuiuium. Decimo & ultimo cupiditates expreſſae delectant, ut pro Roſcio Am. Hoc conſilio,atque adeo hac amentia impulſi, quem ipſi cum cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulandum uobis tradiderunt. Pro Cluentio, Sanguinem ſuum profundere omnem cupit, dũ modo profuſum huius ante uideat.

CICERO

C. F. Nempe ea ſequuntur,quae ad faciendã fidẽ pertinent. C. P. Ita eſt,quae quidẽ in cõfirmationẽ, & reprehenſionẽ diuiduntur. nã in confirmando noſtra uolumus, in reprehendendo redarguere contraria.

EXPLANATIO

POST narrationem ſequitur confirmatio. Narratio enim ad rem docendam adhibetur, confirmatio uero ad faciendam fidem. Confirmationi adiungitur refutatio, ſiue reprehenſio,qua contraria redarguere conamur. haec autem interdum confirmationem praecedit,ut pro M Coelio, pro Milone; interdum ſubſequitur confirmationem,ut pro lege Manilia; ſaepe etiam confunditur,& commiſcetur in confirmatione, ut Murena, pro Flacco, pro Cluentio. Qua de cauſſa Cicero,& Ariſtoteles hanc unam tantum orationis partem efficiunt, quae ex confirmatione, & reprehenſione conſtat,licet Quinctilianus aliter ſentiat. Confirmationis initium ſaepe a partitione ducitur,ut pro P. Quinctio, Oſtendam primũ cauſſam non fuiſſe cura praetore poſtulares,ut bona P. Quinctij poſsideres, deinde ex edicto te poſsidere non potuiſſe, poſtremo nõ poſſediſſe. Eſt igitur partitio confirmationis principium,quae totam confirmationem in certas partes diſtribuit,in qua tria praecipue ſeruanda ſunt,primo ne partium multitudo fiat. nam duas,aut tres,aut ad ſummum quattuor tantum facere partes opus eſt deinde ut eodem ordine partes perſequamur,quo propoſuimus; tum ut ſumma genera complectamur, neque ſpecies cum generibus miſceamus.

CICERO

QVONIAM igitur omne, quod in controuerſiam uenit, id aut ſit, nec ne ſit, aut quid ſit, aut quale ſit, quaeritur, in primo coniectura ualet, in altero definitio, in tertio ratio.

EXPLANATIO

ANTEQVAM ad confirmationem cauſſae noſtrae accedamus,ſtatum eius,ſiue conſtitutionem agnoſcere debemus. Eſt autem ſtatus,ſiue conſtitutio, ea quaeſtio,quae prima conflictione exoritur; ex intentione,& depulſione hoc modo, Seruius Sulpicius Murenam accuſans ait: Murena ambitum commiſit: Cicero defenſor, Immo uero Murena ambitum non commiſit,quaeritur an commiſerit, haec quaeſtio ſtatus, uel conſtitutio dicitur, quoniam in ea tota cauſſa conſiſtit. hoc autem nomen ſtaſis ab Hermagora quidam inuentum putant,quidam ab Eucrate Socratis diſcipulo,quidam a Zopiro Clazomenio. quamquã Aeſchines contra Cteſiphotem petit a iudicibus, ut Demoſthenẽ dicere de ipſo cauſſae ſtatu cogant,neque euagari permittant. Hos igitur ſtatus alij aliter diuidunt. Cicero tres eſſe ſtatuit,quoniam de unaquaque re tria quaerere poſſumus,primum an ſit, nec ne ſit; ut ſi ſit de re aliqua diſputandum, primo quaeritur an ſit ea res. deinde quaeritur quid ſit,ut,poſtea quã probatum fuerit,illã rẽ eſſe, tunc eius natura explicatur,& quid ſit aperitur; tum quaeritur qualis ſit,ut ſi iam cõſtat eſſe illam rẽ,intelligatur quid ſit,illud unum ſupereſt, ut qualis ſit oſtẽdatur. Hac ẽt ratione Rhetores cauſſas ſuas diſtribuunt. Primo enim quaerunt, ſit nec ne id, de quo eſt controuerſia, & hunc ſtatum coniecturalem uocant, a coniectu, hoc eſt directione quadam rationis ad ueritatem, unde etiam ſomniorum, atque ominum interpretes coniectores uocantur. in Topicis a Cicerone dicitur etiam infitialis eo, quod fiat a reſpondente & infitiãte crimen, atque negante. & hunc ſtatum eſſe proprium Rhetorum uolunt,ut Cicero in Topicis, Ad Ciceronem,inquibat Gallus noſter,ſi quis ad eum quid tale retulerat,ut de facto quaereretur. in hoc ſtatu ſunt omnes cauſſae,in quibus factũ negatur,ut pro L. Murena,pro Flacco,pro Sulla, pro Roſcio Am. Secundo quaerunt Rhetores quid ſit,unde ſtatus definitiuus uocatur, qui tunc accidit,cum factum quidem conceditur, ſed de nomine facti controuerſia eſt. ut Labienus accuſat Rabirium,quod arma contra Saturninum ſumpſerit, atque ideo maieſtatem minuerit. Cicero Rabiriũ defendit,& concedit arma quidem a Rabirio contra Saturninum ſumpta,ſed non tamen laeſam eſſe maieſtatem. quaeritur ergo quid ſit maieſtatem laedere. ut pro A. Caecina, quid ſit deiicere. pro Murena, quid ſit ambitum committere. Tertio quaerunt quale ſit, ut cum de facto conſtat,& de nomine facti,ſed de qualitate controuerſia eſt, utrum iuſtum ſit, an iniuſtum,& haec dicitur ratio,uel qualitas,uel ſtatus iuridicialis, ut

recte

recte ne Milo Clodium interfecerit. potuerit ne iure Flaccus exigere pecunias a Graecis ad inſtruendam claſſem. iuſte ne ſumpſerit arma Rabirius Contra Saturninum.

CICERO

C. F. Teneo iſtam diſtributionem, nunc coniecturae locos quaero. C. P. In ueriſimilibus, & in propriis rerum notis poſita eſt tota. Sed appellemus docendi gratia ueriſimile, quod plerumq. ita fiat: ut adoleſcentiam procliuiorem eſſe ad libidinem. propriae autem notae argumentum, quod numquam aliter fit, certumq. declarat, ut fumus ignem.

EXPLANATIO

CONIECTVRA omnium quaeſtionum eſt difficillima, & utiliſsima, ideo primo eam loco tractat. diffunditur autem coniectura in omnes quaeſtiones, & in omne genus Rhetoricae. unde quidam exiſtimarūt eſſe tantum unum ſtatum coniecturalem, ut Quintilianus ſcribit lib. 3. inſt. or & certe proprius eſt oratoris hic ſtatus, ut in Topicis ait Cicero. Duobus autem modis confirmatur coniectura, hoc eſt ueriſimilibus, & propriis rerum notis. Veriſimilia ſunt, quae alio nomine probabilia & credibilia dicuntur. ea plerūque fiunt, & eodem modo maiori ex parte eueniunt, ſed non tamen ſunt neceſſaria; ut adoleſcentes ſunt ad libidinem procliuiores. Senes ad auaritiam, uerumtamen reperiuntur etiam adoleſcentes temperati, & ſenes liberales. Propriae rerum notae ſunt, quae alio nomine indicia, & argumenta neceſſaria uocantur, quae aliter eſſe non poſſunt, a Graecis appellantur τεκμήρια, quoniam rem certam, & indubitatam declarant, ut ait Ariſtoteles lib. primo Rhe. quemadmodum fumus ignem declarat, lac in muliere partum oſtendit. Veriſimilia ſunt illa pro Coelio, Datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus aetati, & ipſa natura profundit adoleſcentiae cupiditates, quae ſi ita erumpunt, ut nullius domum euertant, faciles, & tolerabiles haberi ſolent. propriae rerum notae ſunt huiuſmodi, Spiritum ducit, igitur uiuit. Peperit mulier, ergo cum uiro concubuit.

CICERO

VERISIMILIA reperiuntur ex partibus, & quaſi membris narrationis. ea ſunt in perſonis, in locis, in temporibus, in factis, in euentis, in rerum ipſarum, negotiorumq. naturis.

EXPLANATIO

CVM omnis coniectura probetur aut ueriſimilibus, aut propriis rerum notis, docet primo Cicero, unde ueriſimilia reperiantur, & ait ex partibus narrationis inueniri. nam in narratione, ſicut antea dictum eſt, argumentationum ſemina ſparguntur, ex quibus omnis coniecturae probatio poſtea ducitur. Sunt autē ſex quaſi partes narrationis, unde ueriſimilia ducuntur, perſonae, loca, tempora, facta, euenta, rerum negotiorumq. naturae. Sumamus exemplum ab oratione pro Roſcio Am. primo tractatur ita perſona Roſcij, ut non modo a parricidio, cuius accuſabatur, ſed etiam ab omni flagitio uideatur aliena, quod aſsiduus eſſet in praediis ruſticis colendis, quod uoluntate patris rei familiari, uitaeq. ruſticae ſe dediſſet, quod integris, & caſtis moribus eſſet. Contra docet aduerſarios ſceleſtos, audaces, inopes, Roſcij patris inimiciſsimos. ut ueriſimilius ſit ab ipſis, quam a filio patrem Roſcium interfectum. deinde loca tractat, quod Romae fuerit interfectus ad balneas Palatinas, ubi frequentes erant inimici, qui eius uitae inſidiabantur, cum interim filius eſſet Ameriae in rebus ruſticis occupatus. Tum etiam a tempore argumentatur, eum fuiſſe interfectum ueſperi a cena redeuntem, cum maxima eſſet gladiatorum impunitas propter Sullanas proſcriptiones, quo tempore filius Romae non eſſet. Quarto a factis aduerſariorum probat eos auctores caedis fuiſſe, quod Manlius Glaucia decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia ciſiis peruolarit, ut caedem factam Capitoni inimico Roſcij nunciaret; quod interfectū in proſcriptorum numero habendum curarint, quod Roſcij bona, ac fortunas impetum fecerint. Quincto ab euentis, quod filius domo fuerit eiectus, quod minas & tela inimicorum fugiens, Romam uenerit, & cauſſae ſuae patronum quaeſiuerit, quae ſigna ſunt hominis probi. Denique tractat etiam totius rei, negotiiq. natura, quod non alia de cauſſa Roſcius accuſaretur, niſi ut eo condemnato poſſent aduerſarij ſecure bona illius poſsidese.

CICERO

IN perſonis naturae primum ſpectantur ualetudinis, figurae, uirium, aetatis, marium, feminarum, atque haec quidem in corpore.

EXPLA-

EXPLANATIO

PERSONARVM tractatio magnam uim habet in coniecturalibus controuerſiis, ideo diligenter inueſtiganda ſunt ea, quae in perſonis ſpectantur. Sunt autem duo, quae potiſsimum in perſonis conſiderantur, hoc eſt natura,& fortuna,ſed natura duplex eſt, altera corporis,altera animi, quo fit, ut tria ſpectentur in perſonis, corpus,animus, fortuna. In ipſo corpore quinque potiſsimum ſpectari ſolent,ualetudo, figura,uires,aetas, ſexus. Valetudo conſideratur bona ne, an mala ſit, quoniam ueriſimile eſt, qui fuerit infirma ualetudine,domo non exiſſe, aut nulla negotia tractaſſe. Cicero tantis pedum doloribus premitur,ut ſe conueniri nolit. Pro Cluentio, Erat eo tempore infirma ualetudine. Figura,utrum ſit pulcher, an deformis. nā pudicitia magis periculoſa eſt in pulchro corpore,quam in deformi. Cicero pro M. Coelio, Nam,quod obiectū eſt de pudicitia, quodq. omnium accuſatorum non criminibus,ſed uocibus celebratum eſt, id numquam tam acerbe feret M. Coelius. ut eum paeniteat non deformem eſſe natum. Pro Roſcio Com.a figura Chaereae duxit argumentnm coniecturale, hoc modo: Nonne ab imis unguibus uſque ad uerticem ſummum, ſi quā coniecturam affert hominibus,tacita corporis figura ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus uidetur? Vires ideo ſpectantur, quoniam aliter robuſtus, aliter imbecillis ſe gerere ſolet. Cicero pro P. Sextio, Si gladium paruo puero, aut ſi imbecillo ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat. ſin ad nudum uel fortiſsimi uiri corpus acceſſerit, poſsit acie ipſa, & ferri uiribus uulnerari. Aetas mores maxime uariare ſolet. nam alij puerorum, alij adoleſcentium, alij ſenum mores ſunt, ut Ariſtoteles lib.2. Rhe. & Horatius:

Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores.

Cicero defendit M.Coelium ab aetate, quod eſſet adoleſcens, ideo illi ignoſcendum, ſi amoribus Clodiae deditus eſſet. Pro Deiotaro probat ab aetate Deiotarum non ſaltaſſe nudum in conuiuio, ut aduerſarij obiiciebant, quod eſſet iam ualde ſenex & nihil umquam in adoleſcentia tale feciſſet. Sexus conſideratur, quia ſe mares aliter, aliter feminae gerunt. mulier enim effrenatior, atque impudentior uiro eſt, ut ait Ariſtoteles, atque etiam inconſtantior. Cicero pro M. Coelio Clodiae mores deſcribit, & pro A. Cluentio Saſsiae. ſunt etiam timidiores feminae, quam uiri,ut pro pro Milone, Quae mulier ſceleratum, ac pernicioſum ciuem occidere non auderet, niſi periculum timeret? atque haec quidem ſunt,quae in corpore ſpectantur.

CICERO

ANIMI *autem, aut quemadmodum affecti ſint uirtutibus, uitiis, artibus, inertiis; aut quemadmodum commoti cupiditate, metu,uoluptate, modeſtia. atque haec quidem in natura ſpectantur.*

EXPLANATIO

IN animo ſpectantur habitus, & perturbationes. Habitus uel boni ſunt, ut uirtutes, & artes; uel mali, ut uitia,& inertiae, & perturbationes uel futuri temporis ſunt, ut cupiditas, & metus; uel praeſentis, ut uoluptas, & modeſtia. Haec ſunt, quae in natura ſpectantur, & magnam dicendi copiam afferunt. exempla paſsim apud Ciceronem, & reliquos bonos auctores occurrunt. Virtutes enim principales quattuor ſunt fortitudo,iuſtitia, temperantia, prudentia. Fortitudo oſtenditur in perſona, ut pro Milone,Propoſita inuidia,morte, poena, qui nihilo ſegnius remp. defendit, is uir uere putandus eſt. & paullo poſt. Viri fortis eſt ne ſuppliciis quidem moueri, ut fortiter feciſſe paeniteat. Iuſtitia, ut pro Roſcio Com. Nonne ut ignis in aquam coniectus continuo reſtinguitur, & refrigeratur, ſic referuens falſum crimen in puriſsimam & caſtiſsimam uitam collatum ſtatim concit, & exſtinguitur. quin tota illa oratione Roſcij iuſtitiam & bonitatem oſtendit. Temperantia, pro Deiotaro, Omnes ſunt in illo regiae uirtutes, quod te Caeſar ignorare non arbitror, ſed praecipue ſingularis, & admiranda frugalitas. Prudentia, pro Milone, Nec uero ſic erat umquam non paratus Milo contra illum,ut non ſatis fere eſſet paratus ſemper ille,& quantum intereſſet P.Clodij ſe perire, & quanto illi odio eſſet, & quantum auderet,cogitabat. Ita etiam a uitiis argumentari licet,ut a Clodio factas eſſe inſidias Miloni Cicero probat,quod Clodius improbus & nefarius eſſet,& a talibus uitiis numquam abhorruiſſet. pro Roſcio Am. ab aduerſariorum uitiis probat innocentem Roſcium accuſari. Artes etiam ſaepe ſpectantur in coniecturis, ut pro M. Coelio coniecturam facit Cicero Coelium non eſſe luxuriae deditum, propterea, quod artibus ingenuis intentus eſſet. Pro L. Murena probat Aſiae deliciis Murenam corruptum non fuiſſe, quod arti militari maxime ſtuderet. Inertiae dicuntur artium ignorantiae, ut qui dialecticae artis imperitus eſt, facile a uero abduci poteſt. Qui nullas artes ingenuas nouit, nihil ſcienter adminiſtrare poteſt. Perturbationes etiam animi coniecturam confirmant, ut Caeſar cupiditate regni bellum patriae inferet. Timidus numquam ſtatuet trophaeum: uoluptati deditus nullam rem magnam aggredietur. Iratus ulciſcendi libidine trahitur. Nulla uero eſt animi perturbatio, quae magis hominem tranſuerſum rapiat, & ad improbitatem impellat, quam cupiditas. atque ideo Cicero uocat caecam, & temerariam animi dominatricem

CICERO

CICERO

IN fortuna genus, amicitiae, liberi, propinqui, affines, opes, honores, poteſtas, diuitiae, libertas, & ea, quae ſunt iis contraria.

EXPLANATIO

POST naturae conſiderationem in perſonis fortuna ſpectatur. numerat autem Cicero decem, quae fortunae beneficio uidentur hominibus accidere. Primo loco genus ponitur. nam, ut quis claro genere & excelſo loco naſcatur, fortunae munus eſt. Cicero pro P. Sextio, Erat enim hominum opinioni nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus, omnes boni ſemper nobilitati fauemus. Secundo amicitiae, quae ſaepe nobilitatem ſequi ſolent. nam uiri nobiles, & felices amicis abundant, unde prouerbium illud, Felicium multi cognati. Dicuntur autem homines gratioſi, qui amicis abundant, ut pro P. Quinctio, P. Quinctius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorum copiae ſunt, cum aduerſario gratioſiſsimo contendat. Intelligendum autem eſt de amicitiis uulgaribus, & popularibus. nam uera amicitia non a fortuna, ſed a uirtute prouenit, ut in Laelio copioſe docet Cicero. Tertio liberi. nam bona proles, & liberorum multitudo fortuita eſt. uidemus enim aliquos copia filiorum abundare, aliquos uero, licet cupidiſsimi ſint, nullos tamen habere filios. felix hac in re Q. Metellus, qui eodem tempore tres filios conſulares, unũ etiam cenſorium, duos triumphales, & quartum praetorium uidit, tres filias nuptui dedit, earumq. ſobolem ſinu ſuo excepit. Propinqui quarto loco numerantur. ſunt autem propinqui eodem ſanguine progeniti, multa uero ope propinquorum fiunt. ut auxilio propinquorum L. Murena per largitionem conſulatum adeptus eſt. Fabij propinquorum multitudine freti bellum ſoli contra Veientes ſuſceperunt. Quincto affines: Sunt autem affines, qui per mulierum matrimonia coniuncti ſunt. & affinitas ea coniunctio dicitur, quae a mulieribus originem trahit. ut ideo Caeſar cum Pompeio affinitatem iunxit, ut tutius remp. inuadere poſſet, M. Antonius odio Ciceronem proſequebatur, quod is Lentulum affinem ſuum occidendum curauerat. Sexto opes, ut Sex. Naeuius cum ſe multum opibus & gratia ualere intelligeret, P. Quinctium, cui tenues erant opes, iniquo iudicio euertere tentauit. Septimo honores, ut P. Clodius cum praeturam peteret, non honoris gradum ſpectabat, ut ceteri, ſed remp. euertere cupiebat. Octauo poteſtas, ut, Chryſogonus autem is, qui plurimum poteſt, potentia pugnat. Item, Homo potens, & factioſus inopem circumuenire ſtudet. Nono diuitiae, quae ſaepe homines inſolentiores efficiunt, & praecipue ſi praeter ſpẽ, aut repente eueniunt, unde nuper ditati ſolent eſſe deteriores, ut docet Ariſtoteles lib. 2. Rhe. Decimo libertas, hoc enim etiam a fortuna prouenit, ut quis aut liber, aut ſeruus naſcatur. ſeruus autem ſemper libertatem concupiſcit, ut ſpe libertatis adducti ſerui in Milonem ementiti ſunt.

CICERO

IN locis autem & illa naturalia, maritimi, an remoti a mari, plani an montuoſi, leues an aſperi, ſalubres an peſtilentes, opaci an aprici: & illa fortuita, culti an inculti, celebres an deſerti, coaedificati an uaſti, obſcuri, an rerum geſtarum ueſtigiis nobilitati, conſecrati an profani.

EXPLANATIO

IN locis uel naturalia, uel fortuita ſpectantur. Naturalium quinque differentias ponit, totidem etiã fortuitorum. Naturales differentiae ſunt hae, maritimi ut Corinthus, Tarentum; remoti a mari, ut Roma, Capua. Plani, per quos equitatus facile decurrere poteſt. qui plerumque etiam leues ſunt, & aſperitate carẽt. Montuoſi qui ſunt peditibus aptiores, & plerumque ſunt etiam aſperi. Salubres, ut Croton, unde prouerbium, Crotone ſalubrius. Peſtilentes, ut Ampſancti ualles. Opaci, uel arborum dẽſitate, uel quod aduerſi ſint a ſole. Aprici, ſolibus expoſiti, quaſi ſine frigore dicti. Fortuitorum uero ſunt illae differentiae, Culti, ubi multi ſunt aratores, inculti neglecti, ſteriles. Celebres ubi frequens eſt multitudo; deſerti qui a paucis, uel nullis habitantur; Coaedificati ut urbes, opida, uillae. Vaſti ubi nulla ſunt aedificiorum ueſtigia, uel ubi multae ſunt parietinae; Obſcuri quis a paucis nominãtur. Rerum geſtarũ ueſtigiis nobilitati, ut Cannae, Thraſymenus lacus, Trebia; Conſecrati, ut Cliuus Capitolinus, campus Martius. Profani ubi nulla templa ſunt, ac nulla religio. Huc ea pertinent, quae ad patriae, uel loci, ubi quis educatus ſit laudem, aut uituperationẽ tractantur; ut pro Archia poeta, Primum Antiochiae. nam ibi natus eſt, loco nobili, & celebri quondam urbe, & copioſa. Huc etiam conſilia imperatorum ſpectant, per quae loca ducãt exercitum, ut Geographiae cognitio multum prodeſt; uel qua uenturi ſunt hoſtes, ut Macedones interrogabant, an Romani uolare poſſent, ut trans montes in Macedoniam uenirent. Hannibal milites ad fortiter procliandum adhortatur, quod nulla pateant effugia, cum alpibus a tergo, a latere duobus maribus clauſi ſint. Facti etiam controuerſias locus plurimum adiuuat, ut iam ſupra docuimus.

CICERO

In temporibus autem praeſentia, & praeterita, & futura cernuntur, in his ipſis uetuſta, recentia, inſtantia, & paullo poſt, aut aliquando futura.

EXPLANATIO

TEMPORA tripertito diſtribuuntur in praeteritum, praeſens, & futurum. ſed praeteritum duplex eſt, uetuſtum, & recens, ita etiam futurum duplex, paullo poſt, & aliquando. praeſens uero proprie nullum eſt tempus, niſi momentum, & nunc, ſed tamen populariter praeſens tempus dicimus, quod uel paullo ante fuit, au paullo poſt futurum eſt. itaque dicimus, Nunc uenit, nunc ueniet. Ducuntur autem a tempore plurima argumenta, ſicut iam ſupra docuimus. ut in narratione pro Milone tangit omnia tempora Cicero, praeteritum, ut, Videretq. ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes praeturam gerere poſſet. Futurum, ut, Occurebat mancam, ac debilem praeturam ſuam futuram conſule Milone. Praeſens, ut, Fit Obuiam Clodio ante fundum eius hora fere undecima, aut non multo ſecus.

CICERO

INSVNT *etiam in temporibus illa, quae temporis quaſi naturam notant, ut hiems, uer, aeſtas, autumnus, aut anni tempora, ut menſis, ut dies, ut nox, hora, tempeſtas, quae ſunt naturalia. fortuita autem, ſacrificia, feſti dies, nuptiae.*

EXPLANATIO

IN tempore conſiderantur naturalia, & fortuita. Naturalia, ut quattuor anni tempora, hiems, uer, aeſtas, autumnus. atque hiems, ut Virgilius lib. 4. Aen.

Quinetiam hiberno moliris ſidere claſſem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum.

Ver, ut lib. 2. Geor.

Ver adeo frondi nemorum, uer utile ſiluis,
Vere timent terrae, & genitalia ſemina poſcunt.

Aeſtas, ut in Bucolicis

Solſtitium pecori defendite iam uenit aeſtas,
Torrida, Autumnus. eod lib.
tibi pampineo grauidus autumno
Floret ager, ſpumat plenis uindemia labris.

In coniecturis autem plurimum ualet notatio menſis, diei, horae, tempeſtatis, ut pluuio, aut ſereno caelo, item aetatum notatio, ut pueritiae, adoleſcentiae, ſenectutis; & eorum temporum, quae rebus agendis conueniunt, ut meſsis, uindemiae, arandi, ſerendi. Quin in tempore ſumitur commoditas quaedam ad res conficiendas, quam occaſionem uocant, cuius (ut inquit Liuius) opportunitas momento praeteruolat, numquam reditura. ea eſt, ut ait Socrates, flos temporis, unde aliquid tempeſtiue, aut intempeſtiue, opportune, aut importune fieri dicitur. Ea uero, quae fortuita ſun in tempore. ut ſacrificia, dies feſti, nuptiae, uim eandem habent. hinc totum exordium pro M. Coelio; quod ea cauſſa diebus feſtis agitaretur, & pro Milone, Clodium probat tempus obſeruare potuiſſe ad inſidias faciendas, quia ſciebat Miloni inter ſollemne, ac legitimum eſſe Lanuuium ad flaminem prodendum.

CICERO

IAM *facta & euentus, aut conſilij ſunt, aut imprudentiae, quae eſt, aut in caſu, aut in quadam animi permotione. caſu cum aliter accidit, ac putatum ſit. permotione, cum aut obliuio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis cauſſa permouit. eſt etiam in imprudentia neceſſitas ponenda.*

EXPLANATIO

IN coniecturis facta etiam & euenta ſunt explicanda; ut pro Milone facta Clodij diligentiſsime Cicero perſequitur, ut oſtendat eum inſidiatorem fuiſſe. Quae uero facimus, & quae nobis eueniunt, aut a conſilio, aut ab imprudentia proficiſcuntur. Conſilium animi deliberati eſt, & a diligenti rerum conſideratione naſcitur, ut Clodius cum ſibi Milonem rebus in omnibus aduerſari uideret, eius interficiendi conſilium cepit. Pro Roſcio Am. Conſilium, inquit, ceperunt plenum ſceleris, & audaciae, ut nomen huis de parricidio deferrent. Imprudētia aut a caſu, aut ab animi permotione prouenit. A caſu, ut curator Atys filij regis Croeſi

dum

dum aprum cuperet occidere, ipſum Atym interfecit. Miles quidam, putans hoſtem necare, fratrem ſuum occidit. Permotione animi multa peccantur. ut Alexander iratus Clytum familiarem ſuum trucidauit: Catilina, captus amore Oreſtillae, filium e medio ſuſtulit. In permotioue ſunt obliuio, error, metus, cupiditas. Obliuio, ut Icarus paterni praecepti oblitus in mare decidit. Error, ut Mucius pro rege Porſena ſcribam obtruncauit. Metus, ut Demoſthenes abiecto clypeo fugit. Cupiditas, ut Dominandi libidine Caeſar coniurauit. Neceſsitas ſub imprudentia ponitur, quoniam interdum ab ea naſcitur, ut Poſtumius per imprudentiam furcas Caudinas ingreſſus, cum deinde nullo modo poſſet effugere, neceſſario ſe hoſtibus dedidit.

CICERO

*R*ERVM *autem bonarum & malarum tria ſunt genera. nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra eſſe poſſunt. huius materiae ad argumentum ſubiectae perluſtrandae animo partes erunt omnes, & ad id, quod agetur, ex ſingulis coniectura capienda.*

EXPLANATIO

QVIA dixerat in coniecturis conſiderandum eſſe rerum, atque negotiorum naturam; nunc ait res, aut bonas, aut malas eſſe; easq. tribus in generibus conſiſtere, aut in animis, ut artes, ſciẽtiae, uirtutes; aut in corporibus, ut ualetudo, robur, pulchritudo; aut extra, ut genus, patria, diuitiae, poteſtates, de quibus in demonſtratiuo genere plura dicemus. Haec autem bona, uel his contraria mala, perſonis, locis, & temporibus ita annexa ſunt, & cohaerent, ut non re ipſa, ſed cogitatione tantum ſeparari poſsint. haec eſt uerisimilium materia, quam perluſtrare diligenter oportet, ut ex ea facti, uel non facti coniecturam capere poſsimus; ut an Roſcius patrem interfecerit? an L. Flaccus Claſsis nomine ſocios expilarit? an Cn. Pompeius imperator eligi debeat contra Mithridatem? an A. Cluentius pecunia iudices corruperit, ut Oppianicum innocentem condemnarent?

CICERO

*E*ST *etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti ueſtigiis ſumitur, ut telum, cruor, clamor, editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconſtans, tremor, & eorum aliquid, quod ſenſu percipi poſſit, etiam ſi praeparatum aliquid, ſi communicatum cum aliquo, ſi poſtea uiſum, auditum, indicatum.*

EXPLANATIO

DE uerisimilibus hactenus tractauit: nunc ad ſigna tranſit. Eſt autem inter uerisimile, & ſignum ea differentia, quod uerisimile refertur ad intelligentiam, & opinionẽ, & generalia comprehendit; ſignum autem ad ſenſum pertinet, & ſingularia reſpicit. Ideo Cicero uocat aliud argumentorum genus. Haec autem ſigna ſunt, quaſi facti ueſtigia. quorum nonnulla exempla Cicero ponit. VT *telum*,] Nam ſi quis in ſuſpicionem caedis ueniret, & eius telum deprehenſum fuerit, aut in uulnere, aut ubi caedes facta eſt, ualebit hoc plurimum ad facti probationem. idem ualebit etiam, ſi quid aliud repertum fuerit, ut pallium, pileus, chirotheca. hinc illa pyxis ueneni pro Coelio. VT *cruor*,] ideſt effuſus ſanguis, ſi cruentus enſis, aut ueſtis, aut manus repertae fuerint. hinc exemplum illud Ciceronis lib. 2. de Inuen. de illo, cui gladius cruentus repertus fuit. & pro Roſcio Am. Non modo ut exoptatum inimico nuncium primus afferret, ſed ẽt cruorem inimici quam recentiſsimum, telumq. paullo ante e corpore extractum oſtenderet. CLAMOR EDITVS,] Vt ſi quis clamorem eius, qui interficeretur, audiuiſſe dicat, aut minas eius, qui interfeciſſe dicitur. TITVBATIO,] Vt ſi non conſtanter locutus fuerit, ſed in dicendo uacillarit, aut fugam, & latebras quaeſierit, quae cõſcientiae ſigna ſunt. PERMVTATIO *coloris*,] quae a timore plerumque naſcitur, & a mala conſcientia. unde prouerbium, Mali uertitur color. pro A. Cluentio, Timor eius, perturbatio, ſuſpenſus, incertusq. uultus, crebra coloris mutatio, quae erant antea ſuſpicioſa, haec aperta, ac manifeſta faciebant. ORATIO *inconſtans*,] cum excuſandi facti gratia modo hoc, illud dicitur. nam mendaciũ eſt multiforme, quod ait Ariſtoteles, ueritatis ſimplex eſt oratio. TREMOR,] A timore plerumqne naſcitur, neque fere quiſquam in iudicio timet, niſi ſibi conſcius ſit. Denique ſenſus omnes poſſunt afferre facti ſuſpicionem, ſed duo praecipue uiſus, & auditus. atque etiam multo magis uiſus, unde prouerbium, Oculis magis adhibenda fides, quã auribus; & Oculatus teſtis plus unus ualet, quam auriti decem. SI *praeparatum aliquid*,] Vt Cethegus multam uim telorum & malleolorũ ad inuadendã, & incẽdendã urbem praeparauerat; & P. Clodius, ſeruos agreſtes, & barbaros contra Milonem ex Apennino deduxerat. SI *communicatũ cum aliquo*,] Vt M. Curius coniurationẽ Catilinae cum Fuluia amica ſua communicauit, illa uero Ciceroni patefecit: Et Clodius Fauonio dixit Milonem triduo periturum. SI *poſtea uiſum, auditum, indicatum*, Haec ſunt, quae geſtum negotium conſequuntur. ut ſi quis fugientem uiderit, aut alicui narrantem audiuerit, aut litteris, aut tormentis fuerit

indicatum. hoc modo: Vindicius ſeruus, cum uidiſſet Tarquinij legatos cum Vitelliis, & Bruti filiis colloquentes, & eorum conſilia ſubauſcultaſſet, M. Valerio detulit, qui poſtea litteris deprehenſis totum factum indicauit.

CICERO

Verisimilia autem partim ſingula mouent ſuo pondere, partim etiam, ſi uidentur exigua per ſe, multum tamen, cum ſunt coaceruata, proficiunt.

EXPLANATIO

Argumenta ueriſimilia ſunt aliis alia firmiora. nam aliqua, etiam ſi ſingula ponantur, tamen ſuo pondere multum ualent: aliqua uero per ſe poſita parum poſſunt, ſed ſi coniungantur, & coaceruentur, non mediocriter cauſſam adiuuant; hoc eſt, quod praecipit Quinctilianus, cum ait firmiſsimis argumentorum ſingulis inſtandum eſſe, infirmiora uero eſſe congreganda. quod Cicero pro Roſcio Am. facit eo in loco, Quid ſi ut auarus, quid ſi ut audax? quid ſi ut illius, qui occiſus eſt, inimiciſsimus? num quaerenda cauſſa eſt, quae te ad tantum facinus adduxerit? Nam haec ſingula per ſe ſunt exigua, ita coaceruata coniecturam augent. Et in eadem oratione pro defenſione Roſcij ſic ait, Haec cum ſint omnia, tamen exſtent oportet expreſſa ſceleris ueſtigia, ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium ſit admiſſum, quae niſi multa & manifeſta ſunt, profecto res tam ſceleſta, tam atrox, tam nefaria credi non poteſt. Pro M. Coelio: Non cauſſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio ulla, non ueſtigium maximi facinoris reperietur.

CICERO

Atqve in his ueriſimilibus inſunt nonnumquam etiam certe rerum, & propriae notae.

EXPLANATIO

In facti ueſtigiis interdum etiam propriae rerum notae cernuntur, quae neceſſatio concludunt; ut cicatrix propria eſt uulneris nota; & lac concepti fetus. Verum de certis notis Cicero pauca loquitur, quoniam nemo de illis dubitat, quae neceſſaria eſſe intelligit. & Quinctilianus ea putat uix ad artem pertinere. nã admodum pauca ſunt huiuſmodi ſigna, quae neceſaria ſunt huiuſmodi ſigna, quae neceſſaria ſunt, ut ait Ariſtoteles 1. Rhe. ideo Cicero dicit nonnumquam in ueriſimilibus inueniri, non autem ſaepe.

CICERO

Maximam autem facit fidem ad ſimilitudinem ueri primum exemplum, deinde introducta rei ſimilitudo, fabula etiam nonnumquam, & ſi incedibilis, tamen homines commouet.

EXPLANATIO

Tria tangit hoc loco Cicero, quae maximam fidem faciunt ad ſimilitudinẽ, exemplum, ſimilitudinẽ, fabulam. Exemplum Ariſtoteles ait inductionem eſſe rhetoricã. quoniam eo frequenter rhetores utũtur, & plurimum ualet ad ea probanda, quae dubia, ut Cicero, Cum aduerſarij Milonis dixiſſent, intueri lucem nefas eſſe illi, qui a ſe hominem occiſum fateretur, probat id eſſe falſum multis exemplis, ut Horatij, qui ſororem interfecit, & tamen fuit abſolutus, halae, qui Sp. Melium, Naſicae, qui Tib. Gracchum, Marij, qui Saturninum occidit. Ita ſi quis dicat non credendum Hannibali, quia ſit perfidus, hoc faciet fidem, ſi proferantur exempla, quibus in rebus Hannibal fidem non ſeruauerit. Cicero probat M. Antonium non fuiſſe Romae ueniam ſuis inimicis daturum, cum Brundiſij in conſpectu uxoris cẽturiones occiderit. hoc genere frequenter utitur in Verrem, ut, cum ſcelera commemorat, quae Verres Romae perpetrarat, deinde monet. Iudices, ut ex eis coniecturam faciant, quid apud exteras nationes, cum iudicia non timeret, facere ſolitus ſit. Nam in coniecturis ab anteacta uita ſumuntnr exempla ad id probandum, de quo eſt controuerſia: ut Cicero probat Clodium fuiſſe inſidiatorem. exempla multa commemorans earum rerum, quae nefariae ſceleſteq. iã antea commiſerat. Neque tantum in coniecturis ualent exempla, ſed ẽt in aliis cõtrouerſiarum generibus, ut Lucanus cum probare uellet, inter ſocios regni nullam eſſe fidẽ, exemplo Romuli Remiq. utitur, ſic.n.ait:

> Nulla fides regni ſociis, omniſq. poteſtas
> Iam patiens conſortis erit, nec gentibus ullis
> Credite, nec longe factorum exempla petantur,
> Fraterno puniti maduerunt ſanguine muri.

Etiam

Etiam plurimum coniecturas adiuuat, ut cum probare uelit Cicero Stalenum in iudicio pecunia corruptum, quoniam etiam biennio ante pecunias pro re iudicanda ceperat. Iam, inquit, hoc ignoratis, iudices, ut etiam beſtiae fame dominante plerumq. ad eum locum, ubi paſtae ſunt, aliquando reuertantur? Sed de ſimilitudine iã ſupra diximus, cum de ſedibus argumentorum uerba faceremus. F A B V L A) quamuis res incredibiles continet, tamen ſaepe animos commouet praecipue ruſticorum, qui capti uoluptate, facile ijs, quibus delectantur, conſentiunt. Quinctilianus ait Heſiodum auctorem fabularum fuiſſe: ſed Aeſopicas dici, quoniam Aeſopus eas excoluerit. Eſt autem fabula, ſicut eam definit Aphthonius, ſermo falſus, qui ueritatem quodammodo repraeſentet, ut apud Horatium fabula muris ruſtici, & urbani docet melius eſſe in paupertate liberum, & ſecurum uiuere, quam in diuitijs anxium & ſolicitum. Quo modo autem oratori fabulis uti liceat, optime Cicero docuit, ut ait Quinctilianus, cum ita argumentatur: Itaque hoc iudices, non ſine cauſſa fictis fabulis doctiſsimi homines memoriae prodiderunt, eum, qui patris ulciſcendi cauſſa matrem necauiſſet, uariatis hominum ſententiis non ſolum diuina, ſed etiam deae ſapientiſsimae ſententia liberatum. Menenius Agrippa plebem cũ patribus in gratiam traditur reduxiſſe nota illa de membris humanis aduerſus uentrem diſcordantibus fabula.

C I C E R O

C. F. *Quid definitionis quae ratio eſt, & quae uia?* C. P. *Non dubium eſt id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit, eluceat.*

E X P L A N A T I O

SECVNDA quaeſtio quaerit, quid ſit res, ideo definitione eſt explicanda, & definitiua conſtitutio, uel definitiuus ſtatus appellatur. Nam definitio id, quod quaſi inuolutum eſt, euoluit; & proprie cõſtat ex genere & differentia, ut, animal eſt corpus animatum, ſenſus particeps. ſed quia rariſsimae ſunt illae uerae differentiae, iccirco ad proprietatem & ad communia accidentia confugiendum eſt. Hac de cauſſa Cicero differentiam non nominat, quae oratori, copiam quaerenti, parum utilis eſt; duobus uero modis oſtendit, oratoriam definitionem fieri poſſe, proprietate, & communium frequentia. Proprietas eſt, quae rei alicui ſoli conuenit ita, ut eam ab aliis omnibus ſecernat; ut, Iuſti hominis eſt nemini nocere, ſuum cuique tribuere: Prudentis uero nihil temere agere; bonorum ac malorum delectum habere; finem cuiuſque facti conſiderare. Huius generis definitiones, quae fiunt ex genere, & proprietate, plurimae reperiuntur, ut, homo eſt animal doctrinae capax. Perduellio eſt crimen, quo populi dignitas imminuitur. Ita proprium eſt grammatici officium emendate loqui; Rhetoris polite dicere; Dialectici, acute diſſerere; Phyſici, rerum cauſsas explicare. Quod ſi proprium reperire non poſſumus, communium frequentiam coniungemus, ex quibus proprium elucere poterit, ut Cicero. Voluptatem hanc eſſe ſentiunt omnes, quam ſenſus accipiens mouetur, & iucunditate quadam perfunditur, & paullo poſt. Omnes iucundum motum, quo ſenſus hilarentur, Graece ἡδονὴν, Latine uoluptatem uocãt. Idem in Topicis, Hereditas eſt pecunia, quae morte alicuius ad quempiam peruenit iure; nec ea aut teſtamento legata, aut poſſeſsione retenta. Pro Milone: Populi grati eſt, praemiis afficere benemeritos de reip. ciues; uiri fortis, ne ſuppliciis quidem moueri, ut fortiter feciſſe paeniteat.

C I C E R O

SED, *quoniam de propriis oritur plerumque magna diſſenſio: definiendum eſt ſaepe ex contrarijs, ſaepe etiam ex diſsimilibus, ſaepe ex paribus.*

E X P L A N A T I O

ACCIDIT ſaepenumero, ut de proprietate rei controuerſia naſcatur, quod aliud alij proprium eſſe uideatur, ut aliquis dicet proprium Oratoris bene argumentari, ſed alius nõ Oratoris hoc eſſe proprium, ſed Dialectici contendet. & pro A. Caecina, cũ dixiſſet Aebutius uim Caecine non eſſe factam, quoniam tũc proprie uis fieri dicitur, cum aliquis aut interficitur, aut ſanciatur; at contra, inquit Cicero uim eſſe proprie, quae, periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco, & certo de ſtatu dimouet. Cum igitur accidit, ut de propriis oriatur diſſenſio, tunc ad contraria, ad diſsimilia, ad paria confugiendum eſt; ut in eadem oratione pro Caecina, Nec aequitati, inquit, quidquam tam infeſtum eſt, quam conuocati homines, & armati. & alibi, Quae uis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? & quod uehemens in re militari putatur, id, leue in iure ciuili iudicabitur? Quin etiam a diſsimilibus ipſam definit, cum docet aliam uim intelligendam eſſe in bello, aliam cum de iure, & legitimis hominum controuerſiis loquimur. &, A paribus, ut, ſicuti C. Piſoni uis fieret, ſi in domum ſuam ingredi prohiberetur, ita Caecinae facta uis eſt ab Aebutio, cum in fundum ingredi prohibitus eſt. Haec, & alia multa quaerit in ea cauſsa Cicero, quoniam de proprio controuerſia erat, cum eſſet definiendum, quid proprie ſit, uim facere. Igitur ex contrariis interdum definitiones ſumuntur, ut pro P. Sextio, Optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Philip. 8. Etenim cum inter bellum, & pacem medium nihil ſit, neceſſe eſt tumultum, ſi belli non ſit, pacis eſſe. quo quid abſurdius dici aut exiſtimari poteſt. Et, quoniam definitio eſt de eodem & altero, ut in Topicis ait Cicero,

ait Cicero,ideo ex diſsimilibus aliquando conficitur.ut,aliud eſt maledieere, aliud accuſare; accuſatio crimen deſiderat,rem ut definiat,hominem ut notet,argumento probet, teſte confirmet. Maledictio autem nihil habet propoſiti praeter contumeliam. Item, Non eſt idem rex, qui tyrannus,quoniam tyrannus iniuſtitia,& crudelitate in ſubiectos utitur,& propriis tantum commodis ſtudet;Rex autem iuſte,& legitime tantum imperat. Aliud eſt iudicium,aliud arbitrium;iudicium eſt pecuniae certae,arbitrium incertae.pro Roſcio Com. Ex paribus ita definire licet,Idem eſt continentia in rebus noſtris,quod abſtinentia in alienis. Idem eſt mẽs in in animo,quod oculus in corpore.Idem eſt in arboribus,& plantis radix,quod in animalibus eſt os.

CICERO

*Q*VAMOBREM *deſcriptiones quoque ſunt in hoc genere ſaepe aptae, & enumeratio conſequentium: in primis commouet explicatio uocabuli,ac nominis.*

EXPLANATIO

TRIA ponit hoc loco,quae plurimum ualent in definitiuis controuerſiis,hoc eſt,deſcriptionem, enumerationem conſequentium,& explicationem uocabuli. Deſcriptionem intelligimus, quae fit ex accidentium congerie,cum ea,quae perſonis,& negotiis attributa ſunt,fuſius explicantur, qualis eſt illa; Dici in hac cauſſa poteſt,ubi arma fuerint,ubi coacta hominum multitudo, ubi inſtructi & certis locis cum ferro homines collocati,ubi minae,pericula,terroresq.mortis,ibi uim non fuiſſe? Eſt in oratione pro M.Coelio pulcherrima deſcriptio, qua Catilinae mores ita ſcienter exprimuntur, ut nullus pictor corporis effigiem melius exprimere potuiſſet. Apud Poetas frequentes ſunt,& pulchrae deſcriptiones, ut ſupra docuimus. ENVMERATIO CONSEQVENTIVM,) multum definitionem adiuuat,ut octaua Philippica probat a conſequentium enumeratione bellum eſſe cum Antonio, quod Brutus oppugnaretur, quod Mutina obſideretur, quod Gallia uaſtaretur, quod tota Italia delectus haberetur. Haec enim ſuſceptum bellnm conſequi ſolent. Ita pro A.Caecina,Omnis enim uis eſt,quae periculo aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere.Sed in primis,inquit Cicero,commouet explicatio uocabuli,ac nominis. quoniam haec tota controuerſia definitiua uidetur a uocabuli explicatione pendere,ut cum quaeritur quid ſit ſacrilegium,quid ſit minuere maieſtatem,quid ſit deiicere.Pro Caecina.In hac enim tantum de nomine facti quaeritur,utitur hoc genere Philip.8.Quid enim tumultus, niſi perturbatio tanta, ut timor maior oriatur, unde etiam nomen ductum eſt tumultus.Pro Cor.Balbo,irridet aduerſarij interpretationem,Erat, inquit, accuſatoris interpretatio indigna reſponſione,qui ita dicebat comiter eſſe communiter, quaſi uero priſcum aliquod aut inſolitum uerbum interpretaretur.Comes,benigni,faciles,ſuaues homines eſſe dicuntur. Notandum eſt hoc loco Ciceronem octo definiendi ſpecies ponere,quarum prima eſt ex genere,& proprietate,altera ex communium frequentia,tertia ex contrarijs,quarta ex diſsimilibus,quincta ex paribus,ſexta,quae deſcriptio uocatur,ſeptima enumeratio cõſequentium,octaua nominis explicatio.

CICERO

C.F. Sunt expoſita iam fere ea,quae de facto, quaeq. de facti appellatione quaeruntur: nempe igitur ea reſtant,quae,cum factum conſtet, & nomen, qualia ſint uocantur in dubium.C.P. Eſt ita,ut dicis.

EXPLANATIO

DVAE quaeſtiones iam abſolutae ſunt,coniecturalis, in qua de facto quaeritur,& definitiua, in qua de facti appellatione controuerſia eſt.ſequitur,ut etiam de tertia quaeſtione uerba faciamus,nam cum de facto conſtat,& de nomine facti,tunc reſtat,ut,quale factum ſit, quaeratur. Hanc quaeſtionem Cornificius iuridicialem uocat,Cicero rationem,& qualitatem appellat,Hermogenes ποιότητα, atq. eam ita diſtribuit, ut uel in re conrrouerſiam habeat,uel in uerbo.Cum autem in uerbo controuerſia eſt,legitima,inquit, conſtitutio uocatur;cum in re,dicitur rationalis,quae itidem duplex eſt, aut enim de futuro eſt, & dicitur πραγματικὴ hoc eſt negotialis,quae deliberationem habet,aut eſt de praeterito, & δικαιολογία dicitur,de qua hoc loco ſentit Cicero,& de qua multa Quinctilianus.

CICERO

C.F.Quae ſunt igitur in eo genere partes? C.P. Aut iure factum depellitur,aut ulciſcendi doloris gratia, aut pietatis,aut pudicitiae,aut religionis, aut patriae nomine,aut denique neceſsitate,inſcitia,caſu.

EXPLANATIO

DISTINGVIT eas quaeſtiones,quae in facti qualitate uerſantur:nam duae qualitatis partes a rhetoribus traduntur,altera dicitur abſoluta,altera aſſumptiua. Abſoluta eſt, cum iure factum depellitur. id

quattuor

quattuor modis potiſsimum fieri poteſt,uel lege,uel conſuetudine,uel quia nulla ſit prohibitio , uel quia concedatur ab omnibus.Lege,ut ſiquis accuſetur, quod nomen ſibi mutauerit ; Diocletiani , & Maximiani lege ſe defendet,qua conceditur liberis hominibus,ut nomen ſibi mutare poſsint, modo ne id fraudis gratia faciant. Aut ſiquis nocturnum furem interfecerit,lege duodecim tabularum abſoluetur . Eodem modo ſiquis adulterum exſulem,proditorem occiderit.Conſuetudine,ut ſiquis accuſetur,quod laruam ſiue perſonam in Bacchanalibus ſumpſerit;quae conſuetudines etiam regionum ſunt,ut in Germania inebriari , mulieres deoſculari in Gallia.Quod nulla prohibitio ſit,defenditur,ut ſiquis accuſetur , quod in foro ſaltauerit , aut quod nudus per urbem inceſſerit.Quod concedatur ab omnibus,ut ſumptuoſis uti ueſtibus,conuiuia celebrare,uel contra,ſordidatum ingredi,rebus ſuis parcere.nam haec omnia tamquam iure facta depelluntur.Aſſumptiua eſt,cum aliqua cauſſa ad factum defendendum extrinſecus aſſumitur, ut VLCISCENDI *doloris gratia*) quae tranſlatio criminis dicitur,ut Horatius,interfecta ſorore,crimen in eam transfert , quod ea ſponſum mortuum lugeret , ut Oreſtes in matrem , quod Agamennonem occidiſſet . AVT *pietatis*) ut ſi parentes , fratres , propinquos defendens,caedem fecerit,ut ſiquis Manlium Torquatum accuſet,quod Pomponio tribuno pl. mortem minatus fuerit;quod ab eo pater ſuus fuiſſet accuſatus ; AVT *pudicitiae*) ut ſiquis Virginium in ius uocaret, quod filiam ſuam occidiſſet,ne Appij Claudij libidini dederetur; Aut Pontium Aufidianum, qui ſeruum,& filiam ſuam a ſeruo uiolatam interemit,Aut Caecilium Plotium,quod tribunum militum Cluſium,C.Marij affinem,quia ſe de ſtupro compellare auſus fuerat,interfecit . AVT *religionis*) ut ſi quis ſacrilegium occiderit , Aut ſi accuſetur Tarquinius,quod M.Tullium Diuinorum,culeo inſutum, in mare abijci iuſſerit; quod ſacrũ librum Petronio Sabino deſcribendum dederit . AVT *patriae nomine*) ut ſi Brutus uocetur in iudicium, quod filios ſuos,proditionem patriae molientes,occiderit;aut Cicero defendat a ſe damnatos Lentulum, Cethegum & alios ut patriam liberaret.Haec adiungitur etiam illa,quae remotio criminis uocatur,cum quis iuſſu maioris poteſtatis ſe feciſſe dicit,ut Seruilius Ahala iuſſu Cincinnati dictatoris Sp.Melium interemit . AVT *denique neceſsitate*) ut Mancinus neceſsitate compulſus cum Numantinis indutias fecit. Milo Clodium,ne ab eo necaretur,occidit. Torrente aliquis impeditus ad diem uenire non potuit . INSCITIAE) ut Titinius centurio ducem ſuum pro hoſte interfecit . Populus Romanus C Heluium Cinnam tribunum pl. pro Cornelio Cinna diſcerpſit.Quidam,putans ſeruum ſuum uerberare,ciuem percuſsit . CASV) ut ſiquis, in ſcopum iaculans , praetereuntem hominem occidat ; aut ignem gerens domum incendat . Haec enim omnia quamuis facta eſſe concedantur,tamen aliquam facti defenſionem habent,& purgari quodammodo poſſunt.

CICERO

NAM quae motu animi,& perturbatione facta ſine ratione ſunt, ea defenſionem contra crimen in legitimis iudicijs non habent , in liberis diſceptationibus habere poſſunt .

EXPLANATIO

CVM aliquis ſe peccaſſe fatetur,& id dedita opera feciſſe,neque peccati ſui rationem ullam afferre poteſt niſi motum animi & perturbationem,a legitimis iudicibus abſolui non poteſt;a populo tamen libero , & a principe facile poteſt. Haec autem deprecatio dicitur , qua reus fatetur ſe conſulto peccaſſe , & tamen ueniam petit,qua Cicero pro Ligario utitur,quoniam apud Caeſarem ipſum totius reip principem cauſſam agebat.Cauſſas,inquit,Caeſar,egi multas,& quidem tecum , dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum , certe numquam hoc modo;ignoſcite,iudices,errauit,lapſus eſt,non putauit, ſi umquam poſthac , ad parentem ſic agi ſolet,ad iudices,Non fecit,non cogitauit,falſi teſtes,fictum crimen,& paullo poſt,Ego ad parentem loquor,erraui,temere feci,paenitet,ad clementiam tuam confugio,delicti ueniam peto,ut ignoſcas oro.Multa uero peccata motu animi,& perturbatione committuntur, ut Alexander ira percitus ſine ratione Clytum familiarem ſuum interfecit.Catilina,captus amore Oreſtillae, filium proprium occidit , ut eam uxorem haberet.Centauri (ut eſt in fabulis) ebrii rapere Hippodamiam conati ſunt . Haec & huius generis cetera defendi in iudicio legitimo non poſſunt.Sed in liberis diſceptationibus ut apud populum,apud regem , aut imperatorem defenſionem habere poſſunt,praeſertim ſi pro eo dicamus,cuius in remp.multa exſtent beneficia.

CICERO

HOC in genere,in quo,quale ſit,quaeritur, ex controuerſia iure , & recte ne actum ſit,quaeri ſolet, quorum diſputatio ex locorum deſcriptione ſumenda eſt.

EXPLANATIO

DVO ſunt,quae in hoc genere qualitatis quaeri ſolent,iure,& recte ne actum ſit . cum enim in iuridiciali conſtitutione factum concedatur,primo poteſt eſſe controuerſia an iure factum ſit, hoc eſt ſecundum leges;ut,pro Milone Cicero probat legibus eſſe conceſſum,ut uim ui repellamus,& ait gladium ad interficiendum hominem ab ipſis aliquando porrigi legibus.Deinde quaeri poteſt,recte ne factum ſit? hoc eſt ex aequo & bono,ut pro P.Quinctio Cicero Naeuium inſectatur , quod non ex aequo & bono Quinctii bona inuaſiſſet.Sed

ſet. Sed horum (inquit Cicero) diſputatio ex locorum deſcriptione ſumenda eſt. Debemus autem communes locos intelligere in quibus de iure & de aequitate diſputamus, ut pro L. Murena probat, licere populo gratificari, & magna in eum uti liberalitate. pro Milone multis rationibus oſtendit, licere inſidiatorem interficere. pro C. Rabirio probat contra ſeditioſum hominem Saturninum iuſte arma ſumpta fuiſſe, quoniam is rēp. perturbaret. His quidam addunt comparationem, cum reus oſtendit multo melius fuiſſe id facere, quod ipſe fecit, quam quod aduerſarii dicunt fieri oportuiſſe, ut C. Pompilius, cum a Gallis obſideretur, cum eis ita conuenit, ut impedimenta relinqueret, exercitum educeret, ſatius eſſe duxit amittere impedimenta, quam exercitum. Quae comparatio nonnumquam fit, ut inconueniens oſtendatur, ut ſatius fuit Miloni dare iugulum Clodio, quam a iudicibus condemnari.

CICERO

C. F. *Age ſis ergo, quoniam in confirmationem & reprehenſionem diuiſeras orationis fidem, & dictum de altero eſt. expone nunc de reprehendendo.*

EXPLANATIO

TERTIA pars orationis probatio uel fides dicitur, quae confirmationem & reprehenſionem continet. ſed iam de confirmatione ſatis multa dicta ſunt. ſequitur igitur ut etiam de reprehenſione dicamus. haec autem multis nominibus appellatur, nam & reprehenſio, & refutatio, & confutatio nominatur, atque ita definitur. Refutatio eſt oratio, per quam argumentando aduerſariorum confirmatio aut diluitur, aut eleuatur. Eget autem haec pars magno acumine & eloquentia, praeſertim in defenſionibus. quoniam accuſator uulnera facit, defenſor eis medetur. ſed longe difficilius eſt ſanare uulnera quam facere. quod ait Quinctilianus, ita difficilius eſt obiecta crimina diluere, quam accuſare. M. Antonius hac potiſsimum laude praeſtitit, quod aduerſarios acutiſsime refelleret.

CICERO

C. P. *Aut totum eſt negandum, quod in argumentatione aduerſarius ſumpſerit, ſi fictum, aut falſum eſſe poſsis dicere, aut redarguenda ea, quae pro ueriſimilibus ſumpta ſunt.*

EXPLANATIO

MVLTI ſunt modi reprehendendi, ſed ille omnium firmiſsimus, ſi totum negari poteſt. ut pro Cluentio, cum aduerſarius dixiſſet quendam epoto poculo ſtatim concidiſſe, Cicero negat eo die mortuum eſſe. Pro Deiotaro, cum aduerſarius dixiſſet Deiotarum ebrium in conuiuio ſaltaſſe, totum negat Cicero, & hoc a Deiotari moribus abhorrere docet. Totum autem facile reprehenditur, ſi poſſumus oſtendere fictū, aut falſum eſſe. Fictum dicitur, quod eſt commenticium, & a malitia plerumque proficiſcitur. falſum autem, quod non eſt uerum, & ab errore ſaepe naſcitur. Fictum oſtendit Cicero parricidii crimen pro Roſcio Am. quo facilius aduerſarii, damnato Roſcio, poſſent bona eius diripere. Hoc conſilio, inquit, atque adeo hac dementia impulſi, quem ipſi cum cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulandum uobis tradiderunt. Pro P. Quinctio multis argumentis probat fictum crimen a Sex. Naeuio, neque quidquam ei debuiſſe Quinctium. Pro Milone fictos rumores enumerat, qui deinde falſi reperti ſunt, ut Milonem arma praeparaſſe, urbem incendere cogitaſſe. Falſum id dicitur, in quo perſpicue mendacium eſt, ut ſiquis dicat, Nemo eſt, qui non magis pecuniam, quā ſapientiam amet. Qui pecuniam negligit, ſapiens eſſe nullo modo poteſt. Pro Cn. Plancio totum illud crimen ambitus, quo Plancius accuſabatur, falſum eſſe docet. Quod ſi totum negare non poſsimus, ea redarguere conabimur, quae pro ueriſimilibus aduerſarii ſumpſerunt, ut pro Milone. Quid enim odiſſet Clodium Milo ſegetem, ac materiam ſuae gloriae? Pro Roſcio Com. Roſcius ſocium fraudauit? poteſt hoc homini huic haerere peccatum? qui medius fidius, audacter dico plus fidei, quam artis, plus ueritatis, quā diſciplinae poſsidet in ſe.

CICERO

PRIMVM *dubia ſumpta eſſe pro certis, deinde etiā in perſpicue falſis eadem poſſe dici, tum ex iis, quae ſumpſerint, non effici, quae uelint.*

EXPLANATIO

TRES rationes affert, quibus infirmare ueriſimilia argumenta poſſumus. Prima eſt, cum dicimus dubia pro certis eſſe ſumpta, ut accuſator Roſcii dicebat, Roſcium a patre relegatum in uillam, quod eum odiſſet, & quod exheredare ſtatuiſſet, quae Cicero facile refellit. Ita pro A. Cluentio, cum iudicium corruptum fuiſſe conſtaret, ita concluſerant aduerſarii quaſi a Cluentio factum id eſſe, certum eſſet, uocat hoc in dubium

Cicero,

Cicero potiusq. ab Oppianico, quam a Cluentio corruptum fuiſſe probare nititur. hac ratione facile refelluntur illius generis argumenta, Expalluit, ergo conſcius eſt, cruore reſperſus erat, ergo caedem fecit. Secunda ratio eſt, cum dicimus in perſpicue falſis eadem poſſe dici, ut pro M. Coelio, cum eum impudicum aduerſarij dixiſſent, ait Cicero idem in omnes adoleſcentes pulchros dici poſſe. Sunt etenim, inquit, iſta maledicta peruulgata in omnes, quorum in adoleſcentia forma & ſpecies fuit liberalis. pro Roſcio Am. ueriſimile non eſſe oſtẽdit relegationis, & ſupplicii gratia Roſcium a patre rus fuiſſe miſſum, cum multi patresfamilias optatiſsimum ſibi putent eſſe, filios ſuos rei familiari maxime ſeruire, & in praediis colendis operae plurimum ſtudiiq. conſumere. Tertia ratio eſt, cum dicimus, ex iis, quae ſumpſerunt, non effici, quae uelint. quod reprehenſionis genus frequentiſsimum eſt, ut, quamuis rus filium miſiſſet Roſcius, non ideo tamen eum exheredare uolebat. Quamuis odiſſet Clodium Milo, non tamen illi fecit inſidias. Quamuis a Laterenſe dignitate ſuperetur Plancius, non tamen largitione eſt aedilitatem aſſecutus. Quamuis in populum R. liberalis fuit Murena; non tamen eum pecunia corrupit, ut ſe conſulem faceret Hoc in genere uel prima pars argumentationis negatur, quae propoſitio dicitur, uel ſecunda, quae uocatur aſſumptio, uel tertia, quae concluſio nominatur. Propoſitio negatur, ut ſiquis ita argumentetur; Nullus poeta eſt in ciuitate retinendus. Archias eſt poeta, non eſt igitur Archias in ciuitate retinendus. Aſſumptio negatur hoc modo, cum quis argumentatur, Parricidae ſunt extremo ſupplicio afficiendi, Roſcius eſt parricida, extremo igitur ſupplicio eſt afficiendus. Concluſio negatur hoc modo, Caecina prohibitus tantum fuit ab Aebutio, ne in fundum ſuum accederet, non igitur ab eo deiectus fuit. Haec autem longe melius intelliget, & efficiet, qui dialecticis imbutus fuerit. quamobrem eſt ars illa diligenter ediſcenda.

CICERO

ACCEDERE *autem oportet ad ſingula, ſic uniuerſa frangentur.*

EXPLANATIO

SVPRA iam dictum eſt uериſimilia coaceruata multum ualere; nunc oſtendit, ſi diducantur, & ſingula conſiderentur, infirma fieri. Nam ut aedificium totum ſimul non facile diruitur, ſed ſi paullatim lapides extrahas, totum denique corruet; ita ſi totam orationem ſimul refellere uolueris, nihil proficies, at ſi argumenta ſingula reprehenderis, tandem omnia dilues. Ita Sertorius equinae caudae pilos paulatim facilius euelli, quam omnes ſimul edocuit, cum Hiſpanos adhortaretur, ne tota acie cum Romanis cõfligerent, ſed paullatim eos aggrederentur.

CICERO

COMMEMORAMDA *ſunt etiam exempla, quibus ſimili in diſputatione creditum non ſit: conquerenda condicio communis periculi, ſi ingenijs hominum criminoſorum ſit expoſita uita innocentium.*

EXPLANATIO

EXEMPLA ſolent plurimum commouere, de quibus iam ſupra dictum; ea ſunt ad cauſſam accommodãda ſimilitudine aliqua, ut ſi eis nõ creditum ſit, neque aduerſariorum criminibus credatur, ut pro Roſcio Am. probat Cicero non facile parricidij crimen eſſe credendum, exemplo T. Cloelii Terracinenſis, qui iugulatus fuit in eodem conclaui, ubi eſſent duo adoleſcentes filii, qui de parricidio accuſati, ſtatim abſoluti ſunt, quoniam aperto oſtio dormientes reperti fuerant. Ita pro Milone refellit aduerſarios, qui dixerant debere eum cõdemnari, quia ſe hominem occiſum fateretur, exemplo M. Horatii, qui populi R. comitiis liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam fateretur, & exemplo Coelij Plotij, qui tribunum militarem in exercitu C. Marii, propinquum eius imperatoris, interfecerit, quoniam ei pudicitiam eripere uoluerat. ſaepe etiam eſt cõquerenda condicio communis periculi, quod ſaepenumero Cicero facit, cum oſtendit commune malum eſſe, commune periculum, ſi hominibus improbis fides adhibeatur, ut pro Roſcio Am. ubi de Roſciorum audacia uerba facit, atque ubi Erucij accuſatoris calumnias inſectatur. ſed de reprehenſione multa ſatis ingenioſe idem diſputat, ubi ſigillatim etiam explicat ea, quae poſſunt in argumentationibus, atque in earum ſingulis partibus refutari. ſed haec, ut dixi, melius a dialecticis traduntur.

CICERO

C. *F. Quoniam, unde inueniuntur, quae ad fidem pertinent, habeo, quemadmodum in dicendo ſingula tractentur, exſpecto. C. P. Argumentationem quaerere uideris, quae eſt argumenti explicatio, quae ſumpta ex ijs locis, qui ſunt expoſiti, conficienda, & diſtinguenda dilucide eſt.*

EXPLANATIO

IAM explicatum eſt, quomodo poſsint inueniri, quae ad confirmationẽ & refutationẽ pertinent; nunc quaerit filius, qua ratione poſsit ea tractare: Parum enim prodeſt inuentio, niſi tractatio diligens adhibeatur,

 in dicendo.

in dicendo. Tractantur autem ſingula per argumentationem, quae ſumitur ex locis iam expoſitis. ipſa porro argumentatio definitur hoc modo, Argumentatio eſt argumenti explicatio. nam argumentum probabile inuentum eſt ad faciendam fidem; argumentatio uero dilucide conficit & diſtinguit ipſum argumentum; copioſeq. atque ornate uim argumenti explicat. quo fit, ut ab aliquibus expolitio dicatur. & Graece eſt ἐπιχείρημα. At uero loci, unde ſumitur argumentatio, duplices ſunt. nam alii communes ſunt omnium generum, & dialectici uocantur, de quibus huius operis initio diximus, ut definitio, partium enumeratio, notatio uerbi, res affectae; alii proprii ſunt cuiuſque generis & conſtitutionis, de quibus paullo ante dictum eſt, atque hi rhetorici nominantur.

CICERO

C. F. Plane iſtuc ipſum deſidero. C. P. Eſt ergo, ut ſupra dictum eſt, explicatio argumenti argumentatio. ſed ea conficitur, cum ſumpſeris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium: aut minus probabile per ſe uidetur.

EXPLANATIO

CVPIT filius ea diſcere, quae ad argumentationem pertinent. itaque pater eius definitionem primo repetit, deinde, quibus ex rebus conficitur, oſtendit. Fit enim omnis argumentatio uel ex rebus non dubijs & certis atque indubitatis, uel ex probabilibus, quae probent id, quod prius erat aut dubium, aut non ſatis probabile. Nam (ut ait Quinctilianus) in omni cauſſa neceſſe eſt aliquid eſſe certum, quod probatione non egeat, ex quo, quae dubia ſunt, quaerantur, ut dubium eſt, an Coelius deditus ſit uoluptatibus & meretriciis amoribus; negat hoc Cicero, ſuamq. negantiam, non dubio pronunciato comprobat. omnes enim, qui liberalibus & ingenuis artibus dediti ſunt, corporis uoluptates non amplectuntur; Coelius antem bonis artibus deditus eſt. Ita dubium eſt, an Roſcius patrem interfecerit. ſed illud certum eſt, a bono & frugi filio patrem necari non ſolere; cum igitur probatum fuerit Roſcium eſſe bonum & frugi filium, certum erit ab eo patrem non fuiſſe necatum. Non dubia ſunt illa, quae neceſſaria ſunt, ut ſpirat, uiuit; ſi peperit, uirgo non eſt; ſi homo eſt, rationis eſt particeps; ſi eſt animal, ſentit & mouetur. Probabilia ſunt illa, quae nullam habent neceſſitatem, & aliter etiam ſe habere poſſunt, ſed tamen opinione hominum uera eſſe creduntur, ut ſi mater eſt, filium diligit, Si auarus eſt, negligit iuſiurandum. Si prodigus eſt, pecuniam contemnit. Ex his duobus generibus omnis conficitur argumentatio, quae Graeco nomine Syllogiſmus dicitur, & latine Raciocinatio. Quoties uero non dialectico more, ſed oratorio tractatur, tunc enthymema uocatur. ideo dicunt Enthymema rhetoricum eſſe ſyllogiſmum de quo multa tradit Ariſtoteles, & nos etiam libro Reprehenſionum ſecundo contra Nizolium multa diſſeruimus.

CICERO

ARGVMENTANDI autem duo ſunt genera, quorum alterum ad fidem directo ſpectat, alterum ſe inflectit ad motum. Dirigitur, cum propoſuit aliquid, quod probaret, ſumpſitque ea, quibus uteretur, atque his confirmatis, ad propoſitum ſeſe retulit, atque concluſit.

EXPLANATIO

QVEMADMODVM in tota oratione duo ſpectantur, fides, & motus; ita etiam duo ſunt argumentandi genera, quorum altero fides fit, altero mouentur animi. genus illud argumentandi, quod ad fidem faciendam pertinet, aut per inductionem tractatur, aut per ratiocinationem. de Inductione ſupra iam dictum eſt, cum de partium enumeratione uerba faceremus; nunc de Ratiocinatione aliqua dtcemus. Eſt igitur Ratiocinatio Latine, idẽ quod Syllogiſmus Graece; ſed alio modo tractatur a dialecticis, alio a rhetoribus. Dialectici preſſius & ſpinoſius argumentantur, Rhetores latius & ornatius diſſerunt. Quot autem partes ratiocinatio ſiue argumentatio contineat, non ſatis inter Rhetores conuenit. quoniam alii plures, alii pauciores attribuunt. Cicero & Quinctilianus integram & perfectam argumentationem quinque partibus conſtare uolunt, quorum prima propoſitio dicitur, altera ratio ſiue probatio, tertia aſſumptio, quarta aſſumptionis confirmatio, quincta concluſio. Sed tamen tres tantum partes uidentur eſſe neceſſariae, propoſitio, aſſumptio, & concluſio, duae reliquae ad propoſitionis & aſſumptionis probationem adhibentur. Cicero hoc in loco breuiter quinque partes illas, quas propoſuimus, tangit. Cum enim ita, inquit, dirigitur, cum propoſuit aliquid, quod probaret, duas partes notat, propoſitionem & probationem. cum autem addit, ſumpſitq. ea, quibus uteretur, tertiam partem tangit, hoc eſt aſſumptionem. denique cum ait, Atque his confirmatis, ad propoſitum ſeſe retulit, atque concludit, tangis confirmationem aſſumptionis, & concluſionem. Prima igitur pars argumentationis Propoſitio dicitur, unde omnis uis concluſionis emanat. ut ſiquis probare uelit Clodium iure fuiſſe interfectum, haec poterit eſſe propoſitio: Omnis inſidiator & latro iure interficitur.

Secunda pars dicitur approbatio, qua propoſitio confirmatur hoc modo. Natura enim hoc nobis praeſcripſit, ut omnem ſemper uim, quacumque ope poſſemus, a corpore, a capite, a uita noſtra propulſaremus. Tertia pars aſſumptio dicitur, per quam id aſſumitur, quod probare uolumus; ut Clodius fuit inſidiator & latro. Quarta pars dicitur aſſumptionis confirmatio, ut Palam enim egit, & aperte dixit occidendum eſſe Milonem, ſeruos agreſtes & barbaros ex Apennino deduxit, quibus inſidias Miloni ſtrueret. Quincta & ultima pars complexio ſiue concluſio dicitur, in qua uel propoſitionem & aſſumptionem copulantes concludimus, hoc modo. Quid ſi omnis inſidiator iure interficitur; & Clodius fuit inſidiator; iure igitur fuit interfectus. Vel tantum id addimus, quod ex propoſitione & aſſumptione conficitur, ut, iure igitur fuit interfectus. Hac ratio ne poſſunt orationes quamuis longiſsimae ad unam principalem argumentationem reduci. Quae res plurimum prodeſt, & ad intelligendam artem rhetoricam, & Ciceronem imitandum, ut in oratione pro lege Manilia, nihil aliud uult ſuadere Cicero, niſi ut Pompeius ad bellum Mithridaticum mittatur. cuius orationis ſummam illa una argumentatio complectitur, Ad bellum Mithridaticum ſummus imperator eſt mittendus. Eſt enim magnum & periculoſum bellum, quod a duobus potentiſsimis regibus Mithridate, & Tigrane nobis infertur. Pompeius autem ſummus eſt imperator, nam in eo ſcientia rei militaris eſt, & uirtus, & auctoritas, & felicitas. Quare Pompeius ad bellum Mithridaticum eſt mittendus. Ita pro Roſcio Am cum probare uelit a Roſcio patrem non fuiſſe interfectum, eam affert rationem, quod Roſcius uitae ruſticae deditus eſſet. fiet igitur huiuſmodi argumentatio, Qui uita ruſtica delectantur, nullo ſcelere, nullis flagitiis imbuti eſſet ſolent, ſed probatis moribus praediti. eſt enim ea uita diſiuncta a cupiditate, & cum officio coniuncta, parcimoniae, diligentiae, iuſtitiae magiſtra; Roſcius autem in uita ruſtica educatus fuit: eum enim pater ſuus ruri eſſe uolebat, ut rerum familiarium curam haberet, & diligens pater familias euaderet, nullo igitur ſcelere imbutus eſt, ita neque de parricidio cogitauit. Interdum probationes praetermittuntur, uel ambae, uel altera tantum, cum altera tantum probatio praetermittitur, fit argumentatio quadripartita, ut ſi probationem propoſitionis relinquamus, hoc modo: Hoſtes patriae bello perſequendi ſunt, M. Antonius patriae hoſtis eſt, nam uindices libertatis odio proſequitur, leges euertit, res iudicatas frangit, regium dominatum appetit, eſt igitur bello proſequendus. uel ſi dimittamus aſſumptionis probationem, hoc modo: Qui contra leges a ſe hominem occiſum eſſe fatetur, ei nefas eſt lucem intueri: nulla enim eſſet legum utilitas, nulla poteſtas, nulla reuerentia, niſi, qui illas uiolant, debitas poenas luant: ſed Horatius ſororem a ſe contra leges occiſam eſſe confitetur: igitur ei lucem intueri nefas eſt. Cum uero ambae probationes praetermittuntur, tunc tripartita fit argumentatio, hoc modo: Qui contra ſeditioſum magiſtratum arma ſumunt, ij maieſtatem non imminuunt; C. Rabirius contra Saturninum ſeditioſum magiſtratem imminuit. Atque hoc modo ſunt argumentationes, quae ad fidem directo ſpectant.

CICERO

Illa autem altera argumentatio, quaſi retro, & contra prius ſumit, quae uult, eaq. confirmat, deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis iacit ad extremum.

EXPLANATIO

Cum oratori propoſitum ſit animos commouere, non eundem ordinem ſequitur in argumentando, quem dialectici aut philoſophi; ſed plerumque a concluſione incipit, eaq. confirmata quaſi retro, & contra progreditur, & tandem, poſtquam animos commouit, in extremo ponit, quod erat proponendum, ſi directo argumentari uoluiſſet: ut ſiquis ita argumentetur: Non eſt credibile, iudices, a Roſcio patrem interfectum fuiſſe. haec eſt concluſio, quam probare opus eſt, quae ita confirmabitur. Eſt enim Roſcius uir probatis moribus, & innocens, qui nullum umquam maleficium commiſit. Huic confirmationi poteſt addi propoſitio generalis, hoc modo: At certe nemo tantum ſcelus aggreditur, niſi qui antea perditiſsimus fuerit. In oratione pro M. Coelio pulchrum & euidens eſt huius generis argumentandi exemplum, in quo primo loco ponitur concluſio, hoc modo: In M. Coelio nulla luxuries reperietur, nulli ſumptus, nullum aes alienum, nulla conuiuiorum ac luſtrorum libido. paullo poſt additur aſſumptio, cum ita inquit, Audiuiſtis, cum pro ſe diceret, audiuiſtis antea cum accuſaret, defendendi haec cauſſa, non gloriãdi loquor, genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum ac uerborum. poſtremo ponit propoſitionem ibi, Atqui ſcitote, iudices, eas cupiditates, quae obijciuntur Coelio, atque haec ſtudia, de quibus diſputo, non facile in eodem homine eſſe poſſe. Atque hanc propoſitionem additis rationibus confirmat. In oratione pro Milone ſic argumentationem inflectit, Quonam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe. itaque illud Caſsianum, Cui bono fuerit, in his perſonis ualeat. Et ſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſaepe paruo. Sed de hoc argumentandi genere multa diximus contra Nizolium, ubi docuimus, hanc eſſe Ciceronis conſuetudinem, ut in argumentando fere ſemper a concluſione incipiens ſe inflectat ad motum, & quaſi retro prius ſumat, quae probare uult; deinde, quod proponendum fuit, iaciat ad extremum.

CICERO

Eſt autem illa uarietas in argumentando, & non iniucunda diſtinctio, ut cum interrogaums nos met ipſos, aut percunctamur, aut imperamus, aut optamus, quae ſunt cum aliis compluribus ſententiarū ornamenta.

EXPLANATIO

QVIA ſimilitudo in omnibus rebus eſt ſatietatis mater, uarietas autem delectationem parit, ideo in argumentando etiam ſimilitudinem fugere, & uarietatem quaerere debemus. docet autem quattuor potiſsimum modis argumentationem uariari poſſe. Primo, cum interrogamus nosipſos. Secundo, cum percunctamur aduerſarios. Tertio, cum imperamus. Quarto, cum optamus. Quae ſunt quattuor ſententiarū exornationes. Illa argumentatio, in qua nosipſos interrogamus, appellatur ſubiectio, quae frequentiſsima eſt apud Ciceronem, ut pro A. Caecina: Quid? uerbis ſatis hoc cautum erat? minime. quae res igitur ualuit? uoluntas. quae ſi tacitis nobis intelligi poſsit, uerbis omnino non uteremur. pro Milone, Cur ueſperi? quid neceſſe eſt tarde? quid conuenit praeſertim id temporis? diuertit in uillam Pompeij. Pompeium ut uideret? ſciebat in Alſienſi eſſe procul inde. uillam ut perſpiceret? millies in ea fuerat. quid ergo erat morae, & tergiuerſationis? dum hic ueniret, locum relinquere noluit. in Peroratione eiuſdem orationis, Me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? at in qua cauſſa non potuiſſe? quae eſt grata gentibus. a quibus non potuiſſe? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquieuerunt. quo deprecante? me. Terentius in Eunucho, Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem, cum accerſor ultro? Percunctamur aduerſarios, ut ab illis etiam inuitis confeſsio per uim argumentationis exprimatur, ut pro Caecina, Reſponde ſi tibi uidetur, in fundum Caecina, utrum uoluit tandem, an non potuit accedere, cum te obſtitiſſe & repudiaſſe dicis, certe hunc uoluiſſe concedis. potes igitur dicere, non ei uim fuiſſe impedimento, cui, cum cuperet, eoq. conſilio ueniſſet, per homines coactos non ſit licitum accedere? Actione tertia in Verrem longum & pulchrum eſt huius generis exemplum. Nam quaero abs te, circumſeſſus ne ſis Lampſaci? ceperit ne domum, in qua diuerſabare, illa multitudo incendere? uoluerint ne legatum populi Romani comburere uiuum Lampſaceni? & quae ſequuntur. Imperamus in oratione aut ſimpliciter, aut per ironiam. Simpliciter, ut pro A. Cluentio, Iudices ſi ſcelus odiſtis, prohibete aditum matris a filij ſanguine. pro C. Rabirio, Quin continetis uocem indicem ſtultitiae ueſtrae, teſtem paucitatis. per Ironiam, ut pro Milone, Excitate, excitate eum ſi poteſtis ab inferis, frāgetis impetum uiui, cuius uix ſuſtinetis furias inſepulti. Virgilius:

I ſequere Italiam uentis, pete regna per uadas.

AVT *optamus*) eſt etiam quaedam uis orationis in optando, ut cum probare uult Cicero iure caeſum fuiſſe Saturninum, pro C. Rabirio, Vtinam, inquit, hanc mihi facultatem cauſſa concederet, ut poſſem haec praedicare, C. Rabirii manu L. Saturninum hoſtem populi R. interfectum. Sed haec ornamenta, atque alia multa ſententiarum ſunt, quibus argumentationes plurimum illuſtrantur.

CICERO

Vitare autem ſimilitudinem poterimus, non ſemper a propoſito ordientes, & ſi non omnia confirmādo diſputabimus: breuiterq. interdum, quae erunt ſatis aperta, ponemus. quodq. ex his efficietur, ſi id apertum ſit, non habebimus neceſſe ſemper concludere.

EXPLANATIO

QVATTVOR praecepta tradit, quibus in argumentando ſimilitudinem uitare poterimus. Primum, ne ſemper eundem ordinem ſequamur. Sed modo a propoſitione, modo ab aſſumptione, modo a complexione incipiamus. nam eandem argumentationem arbitrio noſtro poſſumus: a qua uoluerimus parte incipere. quod exemplo uno ſatis intelligi poterit. ſit enim deliberatio propoſita, An ſit bellum contra Mithridatem ſuſcipiendum, quam probare uelimus. primo igitur poterimus a propoſitione maiore incipere, hoc modo, Omne bellum, in quo agitur populi R. gloria, & ſalus ſociorum, ſuſcipiēdum eſt, At in bello contra Mithridatem gloria populi R. & ſalus ſociorum agitur, ergo contra Mithridatem bellum ſuſcipiendum eſt. Secundo poſſumus ab aſſumptione incipere, hoc modo, In bello contra Mithridatem agitur gloria populi R. & ſalus ſociorum; at omne bellum huiuſmodi ſuſcipiendum eſt. Igitur etiam hoc contra Mithridatem eſt ſuſcipiendum. Tertio poſſumus a concluſione incipere, hoc modo, Bellum contra Mithridatem; ſuſcipiendum eſt. agitur enim in eo gloria populi R. & ſalus ſociorum, pro qua bellum omne ſuſcipiendum eſt. poſuimus autem exemplum nudum & apertum, ut res facilius intelligatur. nam in oratione deinde copioſius & ornatius argumentationes explicantur. Secundum praeceptum eſt, ut aliquando probationes propoſitionis & aſſumptionis praetermittamus, & ne nimis ſubtiliter & acute diſputemus, praeſertim ſi propoſitiones ſatis probabiles fuerint. ut ſi quis ita argumentetur; Non eſt illis ignoſcendum, qui iura gentium uiolarunt, quod ſcelus Corinthii pulſatis legatis admiſerunt, non igitur Corinthiis eſt ignoſcendum. cum enim in hac argumentatione & propoſitio & aſſumptio ſatis aperta ſit, nihil opus eſt eas approbare. Tertium eſt, ut, quae ſatis aperta ſunt, breuiter ponamus. nam ſaepe nimium altercando ueritas amittitur, & qui de rebus apertis diſpu-

tat, eas

tat, eas in dubium quodammodo reuocare uidetur. Satis igitur eſt eas breuiter ſine ulla probatione ponere, ut pro Milone, Inſidiatori uero & latroni quae poteſt afferri iniuſta nex? talia ſunt illa in eadem oratione, Addit haec, quae certe uera ſunt, fortes, & ſapientes uiros non tam praemia ſequi ſolere recte factorum, quam ipſa recte facta. ſe nihil in uita niſi praeclariſsime feciſſe, ſi quidem nihil ſit praeſtabilius uiro, quam periculis patriam liberare. & quae ſequuntur. Quartum eſt, ut Complexio, ſiue concluſio argumentationis, cum per ſe manifeſta eſt, praetermittatur. eſt enim ſaepe moleſtum, & interdum puerile, uelle concluſionem adhibere, cum omnes intelligunt, quid ex propoſitis ſequatur. ut ea uera bona ſunt, quibus nemo male uti poteſt, quo in genere uirtus eſt, qua nemo male utitur. hic enim non opus eſt addere concluſionem, quia ſatis intelligitur, ex propoſitione, & aſſumptione. Sunt etiam quaedam argumentationes breues, quibus frequentiſsime utuntur auctores, quae propoſitione, & ratione conſtant, & enthymemata uocantur, ut, Dignus eſt ſupplicio Cethegus, quoniam in patriam coniurauit. iure caeſus eſt Clodius, fuit enim inſidiator. Cicero pro Q. Ligario, Cauſſa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari poſſet. talia ſunt illa, Non fraudauit Cheream, Roſcius: eſt enim uir probus & liberalis. Non eſt adulter Coelius, non enim cum matrona, ſed cum meretrice rem habuit. Sed, quae fiunt a repugnantibus, uel contrariis, uel diſſimilibus, longe maiorem uim habent, ut pro Q. Ligario, Quorum igitur impunitas, Caeſar, tuae clementiae laus eſt, eorum ipſorum te ad crudelitatem acuet oratio? pro Milone, Eius igitur mortis ſedetis ultores, cuius uitam ſi putetis per nos reſtitui poſſe, nolitis. Sed de Enthymemate multa diximus ſecundo Reprehenſionum libro contra Nizolium.

C I C E R O

C. F. *Quid illa, quae ſine arte appellantur, quae iamdudum aſſumpta dixiſti ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent?* C. P. *Illa uero indigent, & nec eo dicuntur ſine arte, quod ita ſint, ſed ea non parit oratoris ars, ſed foris ad ſe delata tamen arte tractat, & maxime in teſtibus.*

E X P L A N A T I O

HACTENVS de artificioſis probationibus ſatis dictum eſt: nunc ad ea tranſit, quae ſine arte appellantur, & aſſumpta etiam dicuntur. petit igitur filius, quomodo haec, artis expertia, arte indigeant. cui reſpondet pater, non ideo dici ſine arte, quod re uera ita ſint, ſed quod ab oratoris arte non inueniantur: ceteroqui, cum orator extrinſecus ea ad ſe delata ſumat, maxime arte tractare ſolet. & cum omnia tractari arte ſumma opus ſit, tum praecipue teſtes, in quibus (ut ait Quinctilianus) maximus eſt patronus iudex. cum autem multae ſint ſpecies teſtimoniorum, ut quae diuina uocantur, oracula, uaticinationes, auſpicia, reſponſa ſacerdotum, & quae humana dicuntur, ut tabulae, praeiudicia, rumores, iuſiurandum, quaeſtiones, teſtes, in teſtibus tractandis ait hoc loco Cicero maxime oratorem arte uti ſolere. teſtes autem uocat homines, qui aliquid in iudicio pro teſtimonio dicunt, qui quomodo tractandi ſunt, ſubiungit.

C I C E R O

NAM *de toto genere teſtium, quam id ſit infirmũ, ſaepe dicendum eſt, & argumenta rerum eſſe propria, teſtimonia uoluntatum.*

E X P L A N A T I O

IN refellendis teſtibus, aut de toto genere teſtium, aut de ſingulis uerba facimus. ſi de toto genere, docebimus, quam id infirmum ſit. ut pro L. Flacco, primo de genere teſtium Graecorum uerba facit, cum ita inquit: Dicit enim natio minime in teſtimoniis dicendis religioſa, propius accedo. nego iſta eſſe teſtimonia, quae tu ipſe ψηφίσματα appellas, ſed & fremitum egentium, & motum quendam temerarium Graeculae concionis. multis autem argumentis probat innocentiam L. Flacci, quibus magis credendum eſſe dicit, quam Graeculis teſtibus. Pro M. Coelio, Equidem uos abducam a teſtibus, neque huius iudicij ueritatẽ, quae mutari nullo modo poteſt, in uoluntate teſtium collocari ſinam, quae facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri poteſt. Dicet igitur orator, potius argumentis, quam teſtibus eſſe credendum, quoniam argumẽta rerum propria ſunt; teſtimonia uero pendent a uoluntatibus, quae pro arbitrio mutari poſsint.

C I C E R O

VTENDVMQ. *eſt exemplis, quibus teſtibus creditum non ſit.*

EXPLA-

EXPLANATIO

PLVRIMVM in hac parte proderit, exempla commemorare, quibus teſtibus non ſit creditum. Valerius Max. octauo libro nonnulla commemorat exempla praeclariſsimorum uirorum, qui cum in iudicio teſtimonia dixiſſent, tamen eis creditum non eſt. Cicero pro M. Fonteio ſic ait: An uero uos id in teſtimoniis hominum barbarorum dubitabitis, quod perſaepe, & noſtra, & patrum memoria ſapientiſsimi iudices de clariſsimis noſtrae ciuitatis uiris dubitandum non putauerunt? qui Cn. & Q. Caepionibus L. & Q. Metellis teſtibus in Q. Pompeium hominem nouum non crediderunt, quorum uirtuti, generi, rebus geſtis fidē & auctoritatem in teſtimonio cupiditatis, atque inimicitiarum ſuſpicio derogauit. ecquem hominem uidimus, ecquem uere commemorare poſſumus parem conſilio, grauitate, conſtantia, ceteris uirtutibus, honoris, ingenij, rerum geſtarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuiſſe, tamen huius, cuius iniuriati nultu prope terrarum orbis regebatur, iurati teſtimonio neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum eſt, & quae ſequuntur. haec enim exempla facile iudices mouere poſſunt, ne teſtibus quibuſlibet fidem adhibeant, cum intelligant praeclaris iuris interdum non credi.

CICERO

ET de ſingulis teſtibus, ſi natura uani, ſi leues, ſi cum ignominia, ſi metu, ſi iracundia, ſi miſericordia impulſi, ſi praemio, ſi gratia adducti.

EXPLANATIO

TRACTANTVR etiam ſinguli teſtes artificioſe, ut cum oſtendit orator eos eſſe uanos qui facile mentiantur, & leues qui ſibi non conſtent. aut ignominia notatos propter ſcelera, ut pro L. Flacco, Aſclepiades damnatus turpiſsimis indiciis domi, notatus litteris publicis, cuius de probris, adulterijs, ac ſtupris extant Aemonenſium litterae, & alibi, Nicomedes, & furti & pro ſocio damnatus eſt. pro A. Cluentio quendam Flidicularium Falculam ſenatorem tamquam uenum, & leuem irridet, atque etiam pro A. Caecina eundem teſtem inſectatur. Quod ſi probare potuerit orator; teſtes aut ſpe commodorum adductos, aut metu incommodorum, aut odio ipſius rei, aut miſericordia ad teſtimonium dicendum aduenisſe, facile fidem illis abrogabit; atque etiam multo magis, ſi uel propter amicitiam, ſi uel propter praemium teſtimonium dicere probati fuerint. Quod ſi a teſtibus dicere uoluerimus, eos oſtendere oportebit probos uiros, graues, fide dignos; ut pro Archia poeta, Adeſt uir ſumma auctoritate, & fide, & religione L. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiuiſſe, ſed uidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. De modo autem tractandorum teſtium dos libros ſcripſit Domitius Afer teſte Quinctiliano lib. quincto inſt. orat. atque ipſe Quinctilianus multa de teſtibus.

CICERO

COMPARANDIQ. *ſuperiore cum auctoritate teſtium, quibus tamen creditum non ſit.*

EXPLANATIO

PLVRIMVM ualet ad infirmandos teſtes comparatio, cum oſtendit orator teſtibus multo fide dignioribus non eſſe creditum, ideoq. neque inferioribus, aut minus fide dignis eſſe credendum, ideo neque inferioribus, aut minus fide dignis eſſe credendum. quod multis uerbis Cicero pro Fonteio facit, ex eo loco, An uero illi equites Romani, quos nos uidimus, qui nuper in rep. iudiciisq. maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro teſti non crederent, uos Belgarum, atque Allobrogum teſtimoniis non credere timetis? & quae ſequuntur.

CICERO

SAEPE *etiam quaeſtionibus reſiſtendum eſt, quod & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſaepe ſunt, moriq. maluerunt, falſum fatendo, quam infitiando dolere.*

EXPLANATIO

ALIVS locus communis eſt a quaeſtionibus, & contra quaeſtiones. qui locus, ut ait Quinctilianus, eſt frequentiſsimus, cum una pars ait tormenta ueri inueniendi gratia fuiſſe conſtituta. atque ideo illis eſſe credendum; altera dicit tormenta ſaepe cauſſam eſſe falſa dicendi. Apud Romanos non liberi, ſed tantum ſerui torquebantur. Apud Athenienſes uero, & ceteros Graecos etiam liberi homines. Docet autem primo Cicero,

Cicero, quomodo quaeſtionibus reſiſtendum ſit, quoniam aliqui cruciatus perferre non poſſunt, ideo in tormentis dolore uicti mentiuntur, & mori malunt falſum fatendo, quam negando cruciari. Valerius Max. ſcribit M. Agrij argentarij ſeruum, tortum a domino, quia diceretur Alexandrum T. Fannij ſeruum interfeciſſe, crimen ſe admiſiſſe confeſſum, atque ideo ſupplicio affectum fuiſſe. cum tamen non multo poſt Alexander ille, qui dicebatur interfectus, domum redierit. Cicero pro P. Sulla ita contra quaeſtiones diſſerit, Quaeſtiones nobis ſeruorum, ac tormenta accuſator minitatur, in quibus tamquam nil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiuſq. tum animi, tum corporis, regit quaeſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rerum anguſtiis nihil ueritati loci relinquatur.

CICERO

MVLTI *etiam ſuam uitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipſi ſibi eſſent, liberarent.*

EXPLANATIO

SVNT aliqui tam conſtantes in tormentis, ut etiam propriam uitam negligant, & in cruciatu potius mori uelint, quam uel dominos ſuos, uel eos, quos caros habent, confeſsione ſua laedere. quod Philippus Fuluij Flacci ſeruus fecit, ut Valerius Max ſcribit, qui octies tortus, ne uerbum quidem, quo dominus perſtringeretur, emiſit. & M. Antonij illius diſerti ſeruus adhuc imberbis omnes cruciatus pertulit, ut dominum ſuum inceſti reum liberaret. haec exempla, ceteraq. huiuſmodi prolata, facile quaeſtionibus fidem adimere poſſunt.

CICERO

ALII *autem, aut natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicij, aut mortis, uim tormentorum pertulerunt.*

EXPLANATIO

SVNT etiam aliqui tam robuſto, ac patienti corpore, ut dolorem non reformident, alij tormenta omnia perferunt, uel propter dolendi conſuetudinem, uel quia mortem, atque extremum ſupplicium timeant. huius rei exempla fere quotidie accidunt. multi enim, in eculeo torti, ne uerbum quidem contra ſeipſos emittere cogi poſſunt, etiam ſi ſcelus perpetrarint. quod de Alexandro T. Fannij ſeruo ſcribit Valerius Max. qui ſepties tortus, quod C. Flauium equitem Romanum occidiſſe diceretur, conſtantiſsime pernegauit.

CICERO

ALII *ementiti ſunt in eos, quos oderant, aque haec exemplis firmanda ſunt.*

EXPLANATIO

INVENTI ſunt etiam aliqui (inquit) qui, cum torquerentur, diſsimulata ueritate, in eos mentiti ſint, quos odio proſequebantur. quod a Zenone Eleate factum legimus, qui cum Phalaridis crudelitatem inuiſam haberet, nobiliſsimos iuuenes Agragantinorum ad coniurandum in Tyrannum illum concitauit. ſed coniuratione patefacta Zeno captus, & omni cruciatus genere tortus, ut ſocios delendae tyrannidis indicaret, proximum quemq. ac fideliſsimum Tyranno nominauit. quos Tyrannus ira incenſus ſtatim interfici iuſsit, deinde Zeno ſic oratione ſua populum Agragantinum inflammauit, ut Phalirim lapidibus obruerit. In Theodoro quoque (inquit Valerius) uiro grauiſsimo Hieronymus Tyrannus tortorum manus fruſtra fatigauit. Rupit enim uerbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, laminas extinxit prius, quam efficeret, ut tyrannicidij conſcios indicaret. Quin etiam ſatellitem, in quo totius damnationis ſumma quaſi quodam cardine uerſabatur, falſa criminatione inquinando, fidum lateri eius cuſtodem eripuit, beneficioq. patientiae non ſolum, quae occulta fuerunt, texit, ſed etiam tormenta ſua ultus eſt, quibus Hieronymus, dum inimicum cupide lacerat, amicum temere perdidit.

CICERO

NEQVE *eſt obſcurum, quin, quoniam in utraque parte ſunt exempla, & item ad coniecturam faciendam loci, in contrariis contraria ſint ſumenda.*

EXPLA-

EXPLANATIO

QVONIAM tantum ea dixit, quae contra quaeſtiones ualent, nunc admonet etiam a quaeſtionibus diſputari poſſe. ſunt enim etiam in altera parte exempla, hoc eſt eorum, qui torti uerum confeſsi ſunt, etiam in utraque parte loci ad coniecturam faciendam, utrum quae dicta fuerunt, uera ſint nec ne. & ut ait Quinctilianus, haec utrimque tam infinita ſunt, quam ipſa rerum uarietas. Quare poterit orator in contrariis contraria ſumere, eaq. rationibus & argumentis confirmare, quae cauſſam ſuam adiuuare uideantur. ut pro Roſcio Am. Cicero coniecturam facit aduerſarios caedis eſſe conſcios, quod ſeruos Roſcij dare in quaeſtionem recuſarent, ex quibus uerum inueniri poſſet.

CICERO

ATQVE etiam incurrit alia quaedam in teſtibus, & in quaeſtionibus ratio. ſaepe enim ea, quae dicta ſunt, ſi aut ambigue, aut inconſtanter, aut incredibiliter dicta ſunt, aut etiam aliter ab alio dicta, ſubtiliter reprehenduntur.

EXPLANATIO

QVATTVOR addit rationes quibus uel teſtes, uel quaeſtiones euerti facile poſſunt. Prima eſt, ſi quid ambigue dictum fuerit, quod in alium, atque alium ſenſum trahi poſsit. ut ſi quis in tormentis ita dixerit, uerum eſt, Milonem inuaſiſſe Clodium, & ab eo factas inſidias. eſt enim ambiguum, utrum Milo, an Clodius tamquam latro & inſidiator notetur. talia ſunt pleraque oracula, quibus teſtium uice antiqui utebantur. putabant enim in oraculis deorum eſſe orationem, & uera patefieri. ſed (ut dixi) pleraque erant ambigua, ut illud de Croeſo, Croeſus Halim penetrans magnam peruertet opum uim. Secunda ratio eſt, ſiquid inconſtanter dictum fuerit, ut pro A. Caecina; Fidiculanium Falculam arguit Cicero, quia primo dixerat nullos armatos cum Aebutio fuiſſe, deinde paullo poſt dixit, ſeruos ſuos fuiſſe armatos. Tertia ratio, ſi quod dictum eſt incredibile eſſe uideatur, ut pro P. Quinctio refellit Cicero Naeuium aduerſarium, qui dixerat uadimonium ſibi cum Quinctio Nonis Februarij factum eſſe, cũ Quinctius pridie Kalendas Februarij Roma diſceſsiſſet. & in eadem oratione ſic ait, O rem incredibilem, o cupiditatem inconſideratam, o nuncium uolucrem. adminiſtri, & ſatellites Sex. Naeuij Roma trans alpes in Sebuſianos biduo ueniunt. o hominem fortunatum qui eiuſmodi nuncios, ſeu potius pegaſos habeat. & paullo poſt, Septingẽta millia paſſuum uis eſſe decurſa biduo? Quarta ratio, ſi aliter ab alio dictum fuerit. neque enim plus uno uerum eſſe poteſt. neque contraria dicta poſſunt ambo uera eſſe: ut pro A. Caecina, cum alij teſtes omnes dixiſſent, cũ Aebutio armatos fuiſſe complures, unus Fidiculanius dixit, nullos fuiſſe armatos. haec (inquit Cicero) ſubtiliter & ingenioſe refelli, reprehendiq. poſſunt. Sunt etiam alia quaedam artis expertia, quae quoniam omnia eodem fere modo tractantur, ideo praetermittuntur hoc loco. Sciendum eſt tamen, & a tabulis & contra tabulas dici poſſe, ut primo Rhetoricorum copioſe docet Ariſtoteles, & pro Archia poeta Cicero contra tabulas ita dicit, Eſt ridiculum ad ea, quae habemus, nihil dicere, quae habere non poſſumus, & de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare, & cum habeas ampliſsimi uiri religionem, integerrimi municipij iuſiurandum, fidemque, ea, quae deprauari nullo modo poſſunt, repudiare, tabulas, quas idem dicit ſolere corrumpi, deſiderare. Sic etiam dicitur a praeiudiciis & contra praeiudicia, a rumoribus, & contra rumores, a iureiurando, & contra iuſiurandum, & ſi quae ſunt eius generis alia. de quibus orator in utramque partem diſputare ſcire debet. ideo tertio de oratore L. Craſſus ait, neminem egregium oratorem eſſe poſſe, niſi contra omnia, quae propoſita fuerint, diſſerere copioſe ualeat. quae uis omnis ad confirmationem & reprehenſionem refertur, de qua iam ſatis multa dicta ſunt.

CICERO

C. F. Extrema tibi pars reſtat orationis, quae poſita in perorãdo eſt, de qua ſane uelim audire. C. P. Facilior eſt explicatio perorationis. nã eſt diuiſa in duas partes, amplificationem, & enumerationem.

EXPLANATIO

VLTIMA pars orationis peroratio uel concluſio dicitur, quae ad mouendos animos adhiberi ſolet, & ſimile quiddam habet cum exordio. ſicut enim in exordio conciliare nobis audientium animos ſtudemus, ita etiam in peroratione. Sed in eo differunt, quod exordium mitiores affectus habere ſolet, peroratio uero perturbationes, uel commotiones, quae longe grauiores ſunt, & uehementiores. maxime enim in hac extrema orationis parte ſtudet orator uel ad ſaeuitiam iudices cõcitare ſi accuſat, uel ad miſericordiam, ſi defendit. Duobus uero modis totã orationem concludere licet, uel per amplificationem, uel per enumerationẽ.

amplificatio ualet plurimum in accuſationibus, cum crimina augentur, & ad indignationem iudices mouentur. quod pluribus in locis Cicero contra Verrem facit. ualet etiam in defenſionibus, cum rei uirtutes augentur, & innocentia tollitur, uel cum miſericordia concitatur. Enumeratio locum habet in deliberationibus, ut pro L. Man. ſed interdum etiam in iudiciis adhibetur, ut pro P. Quinctio, & pro Roſcio Am. & ſicut infra Cicero docet, accuſatori ſaepius, quam reo neceſſaria.

CICERO

AVGENDI autem & hic eſt proprius locus in perorando, & in curſu ipſo orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehenſa.

EXPLANATIO

DE amplificatione primo tractat, & qui proprius ſit eius locus docet. eſt enim in peroratione proprius locus amplificationis, quamuis interdum etiam aliis in locis adhibeatur, ut prima oratione in Catilinam Cicero ab amplificatione exorditur, quod etiam poſt reditum ſuum in ſenatu facit. in Verrem frequenter poſt narrationes, frequenter etiam poſt argumentationes, in quibus aliquid uel confirmatum, uel reprehenſum fuerit, amplificationes adhibet, ut tertia in Verrem actione poſt Philodami & filij mortem enarratam ſic amplificat. Tantae ne tuae, Verres, libidines erunt, ut eas capere ac ſuſtinere non prouinciae populi Romani non nationes exterae poſsint? tu ne, quod uideris, quod audiueris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id ad nutum tuum praeſto fuerit, niſi libidini tuae cupiditatiq. paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus ciuitates non modo pacatae, uerum etiam ſociorum, atque amicorum ad uim, atque ad arma confugient, ut ab ſe, atque ab liberis ſuis legati populi R. ſcelus, atque libidinem propulſare poſſint. Sed plurimae ſunt huius generis amplificationes paſsim in illis actionibus.

CICERO

EST igitur amplificatio grauior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliet in dicendo fidem, ea & uerborum genere conficitur, & rerum.

EXPLANATIO

DECLARAT quid ſit amplificatio, & quibus ex rebus conſtet, Amplificatio (inquit) eſt quaedam grauior affirmatio, quae non tantum fidem facit, ſed etiam animos mouet. nam in hoc ab argumentatione differt. quod argumentatio quaerit tantum fidem facere, amplificatio uero praeter fidem, quaerit etiam animos commouere, atque ideo dicitur grauior affirmatio, quia maiorem uim & grauitatem habet, quam ſimplex illa argumentatio. nam (ut ait Quinctilianus) omnis uis oratoris in augendo minuendoq. conſiſtit. conſtat autem amplificatio, ſicut etiam reliquae partes orationis ex uerbis & rebus. itaque de uerbis, quae uim habent amplificandi, primo tractat, deinde etiam de rebus tractabit.

CICERO

VERBA ponenda ſunt, quae uim habeant illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia, grauia, plena, ſonantia, iuncta, facta, cognominata, non uulgata, ſuperlata, in primisq. tranſlata, nec in ſingulis uerbis, ſed in continentibus ſoluta, quae dicuntur ſine coniunctione, ut plura uideantur.

EXPLANATIO

IN amplificatione primo quaedam ſunt uerba, quae uim habeant illuſtrandi, quoniam illuſtris oratio rem paene ante oculos conſtituit, ſicut iam ſupra demonſtratum eſt, ubi docuimus quibus modis illuſtris oratio fiat. quae praecepta ſunt etiam ad hunc locum referenda. ſed illuſtria uerba talia eſſe debent, ut ab uſu non ſint abhorrentia, uerum ab omnibus intelligantur, ut pro Cn. Plancio illuſtris eſt, & uſitatis uerbis illa exclamatio: O acerbam mihi iudices memoriam temporis illius & loci, cum hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitq lacrymas, nec loqui prae moerore potuit. pro Milone, Hunc ſua quiſquam ſententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulſum a uobis ad ſe uocabunt. Debent etiam eſſe grauia in augendo, ut pro Milone, Sed tamen ex omnibus praemiis uirtutis, ſi eſſet habenda ratio praemiorum, ampliſsimum eſſe praemium gloriam, eſſe hanc unam, quae breuitatem uitae poſteritatis memoria conſolaretur, & quae ſequuntur. Plena ſunt illa, De me ſemper populus R. ſemper omnes gentes loquentur, nulla umquam obmuteſcet uetuſtas. Sonantia, ut illa, Polluerat ſtupro ſanctiſsimas religiones, ſenatus grauiſsima decreta perfregerat. & pro Plancio, Nec me ſolum deprecatorem fortunarum tuarum, ſed comitem ſociumq. profite-

 bor.

bor. Iuncta dicuntur compoſita, quae maiorē ſonum habent, & uehementius mouent, ut contrucidare, pertimeſcere, pro Plancio, Omnia tibi illorum laborum praemia pro me perſoluturos. Facta dicuntur, quae orator ipſe fingit, ut acrius, & uehementius dicat, etiam ſi noua ſint, & inuſitata. qua in re notatus fuit etiam Demoſthenes ab Aeſchine, quod quaedam uerba, dura, odioſa & intolerabilia proferret, ut in oratore ad Brutum ait Cicero. Ipſe Cicero tertio Epiſtolarum ad Appium ſcribens ita inquit, Vllam Appietatem, aut Lentulitatem ualere apud me plus, quam ornamenta uirtutis, exiſtimas? duo enim uerba quaſi contemptionis gratia finxit. Cognominata dicuntur ea uerba, quae eandem habent ſignificationem, quae ſaepe in amplificatione conglobantur, ut pro Milone, Haec tanta uirtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, eiicietur? & pro Cn. Plancio, Quid me adſpectas? Quid mea promiſſa repetis? quid meam fidem imploras? prima in Catilinam, Abiit, exceſsit, euaſit, erupit. Non uulgata ea intelligimus, quae ſupra uulgarem ſermonem efferuntur, ne humilis fiat oratio, ſed ſublimis ſit, ut pro Milone, Quas ille praeceps amentiam caeſis, proſtratisq. ſanctiſsimis lucis ſubſtructionum inſanis mobilibus oppreſſerat. Superlata uocantur ea, quae ueritatem excedunt, & plus dicunt, quam reipſa eſſe poſsit, ut pro Milone, O terram illam beatam, quae hunc uirum exceperit, hanc ingratam, ſi eiecerit, miſeram, ſi amiſerit. pro Archia poeta, Saxa & ſolitudines uoce reſpondent, beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt. Tranſlata multum ualent in augendo, ut pro Milone, Et quidem ceteras tempeſtates, & procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas. Item, cum omnes a ſuis inimicis faces inuidiae meae ſubiiciantur. Item, omnes in me, meosq. redundant ex illo fonte dolores. ſed haec frequentiſsima ſunt. N E C *in ſingulis uerbis, ſed in continentibus ſoluta*,] Diſſolutum, uel Diſiunctio uocatur, cum plura membra ſine coniunctione proferuntur, & ita diſſoluuntur, ut unumquodque membrum ſuum uerbum habeat, & ſuum integrum ſenſum. ut pro Milone, Me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, coniugem meam uexauerat, Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat. Aliquando in ſingulis uerbis fit ſolutio, ut pro Milone, Cum illa indicia communis exitij indagaui, patefeci, protuli, exſtinxi. haec autem ſoluta ſine ulla coniunctione dicuntur, ut plura eſſe uideantur. Sic Cicero, Nos penates, aras, focos, ſepulcra maiorum, nos leges, iura, libertatem, coniuges, liberos, patriam defendimus; M. Antonius id molitur, id pugnat, ut haec omnia perturbet, euertat.

C I C E R O

A V G E N T *etiam relata uerba, iterata, dupli- cata.*

E X P L A N A T I O

RELATA uerba multis modis intelliguntur. Primo, cum paria paribus referuntur, ut pro Milone, Eſt enim haec, iudices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus. ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Secundo, cum contraria contrariis referuntur, ut pro P. Sextio, Sed mihi omnis ratio eſt cum uirtute, non cum deſidia, cum dignitate, non cum uoluptate. pro Milone, Non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſsimi; non male aliquando de me meriti, ſed ſemper optime. Tertio, cum ad unum uerbum multi caſus referuntur, ut pro A. Cluentio, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. quae exornatio dicitur adiunctio. Iterata uocamus ea, quae ſaepius initio membrorum repetuntur, ut pro Milone, Caruit foro poſtea Pompeius, caruit ſenatu, caruit publico. Item ubi nunc ſenatus eſt, quem ſecuti ſumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi ſtudia municipiorum? ubi Italiae uoces. Duplicata dicimus illa, quae geminantur, ut, Vos, uos appello, fortiſsimi uiri, ualeant (inquit) ualeant ciues mei. excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis.

C I C E R O

E T *ea, quae adſcendunt gradatim ab humiliribus uerbis ad ſuperiora.*

E X P L A N A T I O

HOC appellatur incrementum, cum paullatim adſcendit oratio ab humilioribus uerbis ad ſuperiora. ut pro Milone, Capere eius amentiam ciuitas, Italia, prouinciae, regna non poterant. Item, Valeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Item, Vt P. Clodius non modo uiueret, ſed etiam praetor, conſul, dictator eſſet. uerum unum huius rei pulcherrimum eſt exemplum in ſeptima actione contra Verrem. quod etiam Quinctilianus admiratur, ubi ita Cicero inquit, Facinus eſt uinci ciuem Romanum, ſcelus uerberari, prope parricidium necari, quid dicam in crucem tolli? Pro Cn. Plancio ita adſcendit: Hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite, uel uitae periculo uelle uidebam, de eorum deſiderio, luctu, querellis quotidie aliquid tecum ſimul audiebam.

CICERO

OMNINOQ; *ſemper quaſi naturalis, & non explanata oratio, ſed grauibus referta uerbis, ad augendum accommodatior.*

EXPLANATIO

CONCLVDIT ea, quae ad uerborum amplificationem pertinent, tribus potiſsimum rebus contineri. Primo ut ſit oratio quaſi naturalis, non fucata, non diſsimulatrix, ſed quae ueros affectus indicet, ut pro Milone, Quid reſpondebo litteris meis, qui te parentem alterũ putant? Quid tibi, Quincte frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? Secundo, ut non ſit explanata, ſed quodammodo interciſa, & prae dolore interrupta, ut, Quid iam reſtat? quid habeo, quid dicam. quid faciam pro tuis in me meritis? niſi ut eã fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam. Terentius in Eunucho, Egone illam? quae me? quae illum? quae non? mori me malim. Tertio, ut grauibus uerbis ſit referta: grauia uero ſunt, aſpera, moleſta, odioſa quodãmodo, ut ſunt lacrymae, luctus, acerbitates, ſqualores, exterminationes, exſulia, fugae, dimicationes capitis, ut, Quid me reducem eſſe uoluiſtis? an ut inſpectante me expellerentur ij, per quos eſſem reſtitutus. nolite, obſecro uos, pati mihi acerbiorem reditum eſſe, quam fuerit ille ipſe diſceſſus. & reliqua.

CICERO

HAEC *igitur in uerbis, quibus actio uocis, uultus, & geſtus congruens, & apte ad animos permouendos accommodata eſt.*

EXPLANATIO

NON ſatis eſt uerba ad amplificandum eſſe accommodata, niſi etiam actio & pronunciatio uehemens & acris accedat. eſt enim actio quaſi uita orationis, quae niſi congruens fuerit, & apta ad animos permouẽdos, reliqua omnia, quãuis in oratore praeclara fuerint, parũ adiuuant. Tria uero ſunt, quae in actione ſpectantur, uox, uultus, & geſtus, quae ſi mouere animos debent, oportet, ut uox ſit flebilis, uultus maeſtus, geſtus miſerabilis. atque haec in defendendo. in accuſando antem uox intenſa & uehemens, uultus iratus, geſtus minarum plenus eſſe debet. quae ut fiant, opus eſt, ut prius orator intra ſe talem animum concipiat, qualem in auditoribus concitare deſiderat. hoc eſt, quod ait Horatius in Arte:

Si uis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi, tum tua me infortunia laedent.

CICERO

SED *& in uerbis, & in actione, cauſſa erit tenenda, & pro re agenda. nam haec, quia uidentur perabſurda, cum grauiora ſunt, quam cauſſa diligenter fere, quid quemque deceat iudicandum eſt.*

EXPLANATIO

QVIA non in omnibus cauſsis eadem eſt ratio mouendorum affectuum, ideo docet hoc in loco Cicero, debere oratorem bene cauſſam tenere, & diligenter conſiderare, quid ea poſtulet. ut poſsit, quid deceat, iudicare. cum enim grauiora ſunt uerba, quam cauſſa poſtulet, aut actio pronunciatioq. uehementior, tunc potius riſum, quam miſericordiam, aut indignationem mouet orator. hoc eſt, quod ait Quinctilianus lib. 6. inſt. or. nam in paruis quidẽ litibus has tragoedias mouere tale eſt, quale ſi perſonam Herculis, & cothurnos aptare infantibus uelis. & M. Antonius ſic ait, Equidem primum conſiderare ſoleo, poſtulet ne cauſſa. nã neque paruis in rebus adhibendae ſunt hae dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſsimus, ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut tragoedias agamus in nugis, aut conuellere adoriamur ea, quae nõ poſſunt commoueri. ſic in oratore ad Brutum, Quam enim inde corum eſt, de ſtillicidiis, cum apud unum iudicem dicas, ampliſsimis uerbis, & locis uti communibus, de maieſtate uero populi R. ſummiſſe, & ſubtiliter? in omnibus rebus uidendum eſt quatenus.

CICERO

RERVM *amplificatio ſumitur eiſdem locis omnibus, quibus illa, quae dicta ſunt ad fidem, maximeq. definitiones ualent conglobatae, & conſequentium frequentatio, & contrariarum, & diſſimilium, & inter ſe pugnantium rerum conflictio, & cauſſae, & ea, quae ſunt de cauſsis orta, maximeq. ſimilitudines, & exempla, fictae etiam perſonae, multa denique loquantur.*

EXPLANATIO

IAM de uerborum amplificatione dictum eſt, nunc ad rerum amplificationem tranſit, quam ait ex iiſdem locis ſumi ſolere, quibus illa, quae ad probandum & fidem faciendam pertinent. cum amplificatio nihil aliud ſit, quam uehemens quaedam argumentatio. numerat tamen hoc in loco Cicero locos undecim, qui frequentiores ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uim habent. Primus eſt, cum definitiones ſiue deſcriptiones conglobatae ponuntur. ut pro Milone in peroratione conglobatam gloriae deſcriptionem ita ponit, Eſſe hanc unam, quae breuitatem uitae poſteritatis memoria conſolaretur, quae efficeret, ut abſentes adeſſemus, mortui uiueremus, hanc denique eſſe, cuius gradibus homines in caelum uideantur adſcēdere. In eadem oratione, curiae incendium ita per definitiones conglobatas amplificat: Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab uniuerſo populo R. conceſſam uni ordini, inflāmmari, excindi, funeſtari. M. Antonius ſecundo de Oratore ſic amplificando laudat hiſtoriam, Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriae, magiſtra uitae, nuncia uetuſtatis. Secundus locus eſt, cum frequentatio conſequentium ponitur, hoc eſt, cum ea proferuntur mala quae conſecutura ſunt, quod in perorationibus frequentiſsime Cicero facit, ut pro Milone, Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. Frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? & reliqua. pro L. Murena, Si (quod Iuppiter omen auertat) hunc ueſtris ſententiis afflixeritis, quo ſe miſer uertet? domumne, ut eam imaginem clariſsimi uiri parentis ſui, quā paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemq. uideat? an ad matrē? quae miſera modo conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſolicita eſt, ne eundem paullo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat. Sed quid ego matrem, aut domum appello? quē noua poena legis & domo, & parente, & omnium ſuorum conſuetudine conſpectuq. priuat. ibit igitur in exſuliū miſer? quo? & quae ſequuntur. Tertius locus eſt, cum ponuntur contraria, ut pro L. Murena, Habet magnum dolorem unde cum honore diſceſſeris, eodem cum ignominia reuerti. Pro Milone, Non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſsimi, non male aliquando de me meriti, ſed ſemper optime. tale eſt illud, cedere patria ſeruatorē eius, manere in patria proditores? Quartus locus eſt, cū adhibentur diſsimilia, ut pro M. Coelio, Neque. n. poteſt, qui hominē conſularē quod ab eo remp. uiolatam diceret in iudiciū uocarit, ipſe eſſe in rep. ciuis turbulentus. nō poteſt, qui ambitu ne abſolutū quidē patitur eſſe abſolutum, ipſe impune umquā eſſe largitor. in Verrē, Sic habete, iudices, plures a Syracuſanis iſtius aduentu deos, quā uictoria Marcelli homines deſideratos. pro Milone, Me non potuiſſe Milonis ſalutē tueri per eoſdem, per quos noſtrā ille ſeruaſſet? Quinctus locus eſt a repugnantibus, ut pro Milone, Nam qui poſſum putare me reſtitutē eſſe, ſi diſtrahor ab iis, quos reſtitutus ſum? pro L. Murena, Ne L. Murenae recentem gratulationem noua lamentatione obruatis. item pro Milone, Hiccine uir patriae natus uſquam, niſi in patria morietur, aut ſi forte pro patria, huius uos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum ſepulcrum eſſe patiemini? Sextus a cauſsis ducitur, pro Milone, Negat, ingratis ciuibus feciſſe quae fecerit, timidis & omnia circumſpicientibus pericula non negat. plebem & infimam multitudinem, quae P. Clodio duce fortunis ueſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet uita ueſtra, ſe ſe feciſſe cōmemorat, ut non modo uirtute flecteret, ſed etiā ſuis patrimoniis deleniret. Septimus ab iis, quae ſunt orta de cauſsis, quae effecta uel euenta nominantur, ut pro Milone, Fortes & ſapientes uiros non tam praemio ſequi ſolere recte factorum, quam ipſa recte facta, ſe nihil in uita, niſi praeclariſsime feciſſe, ſi quidem nihil ſit praeſtabilius uiro, quam periculis patriam liberare. tertia actione in Verrem, Niſi libidini tuae cupiditatiq. paruerit, immittentur homines, expugnabuntur domus, ciuitates non modo pacatae, uerū etiā ſociorū, atque amicorū ad uim, atque ad arma cōfugient, ut ab ſe, atque a liberis ſuis, legati populi R. ſcelus, atque libidinē propulſare poſsint. Octauus locus a ſimilitudine trahitur, ut pro Milone, Etenim ſi in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum condicione, atque fortuna, timidos, & ſupplices, &, ut uiuere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus, fortes, & animoſos & ſe acriter ipſi morti offerentes ſeruare cupimus, eorumq. nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant, quanto magis in fortiſsimis ciuibus facere debemus? pro Archia poeta, Saxa & ſolitudines uoci reſpondent, beſtiae ſaepe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt, nos inſtituti rebus optimis non poetarum uoce moueamur? Nonus locus ab exemplis, quae plurimum mouere ſolent, ut pro Archia poeta ſtatim poſt ſimilitudinem exempla ſubiungit hoc modo, Homerum Colophonij ciuem eſſe dicunt ſuum, Chij ſuum uindicant, Salaminij repetunt, Smyrnaei uero ſuum eſſe confirmant, itaque delubrum etiam eius in opido dedicauerunt, permulti alij praeterea pugnant inter ſe atque contendunt, ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt, nos hunc uiuum, qui & uoluntate & legibus noſter eſt, repudiabimus? Decimus locus a fictis perſonis, quae proſopopaea Graeco nomine uocantur, & Latine conformationes a Cornificio, ut pro M. Coelio ſenex ille Appius caecus a mortuis excitatur, & inducitur, ut Clodiam turpibus amoribus deditam reprehendat. & pro Milone Cicero facit ipſum Milonem ita loquentem, Valeant (inquit) ualeant ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati, & reliqua. Vndecimus locus eſt, cum multa loquentia inducuntur, ut prima in Catilinam actione patriam loquentem facit, Etenim (inquit) ſi mecum patria, quae mihi uita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis reſp. loquatur, M. Tulli quid agis? & quae ſequuuntur. Ex his locis omnibus uehemens ducitur amplificatio, ſed omnes tamen ſemper in unam orationem cadunt, orator igitur pro loco, proq. tempore ſuo arbitrio, & iudicio his utetur.

CICERO

OMNINOQ. ea ſunt adhibenda, ſi cauſſa patitur, quae magna habentur, quorum eſt duplex genus. Alia enim magna natura uidentur, alia uſu: natura, ut caeleſtia, ut diuina, ut ea, quorum obſcurae cauſſae, ut in terris, mundoq. admirabilia quae ſunt, ex quibus, ſimilibusq. ſi attendas, ad agendum permulta ſuuppetunt.

EXPLANATIO

MAGNA eſt cauſſarum uarietas: nam aliae ſunt preſſae, & humiles, quae ſummiſſe tractãdae ſunt; aliae mediocres, quae temperatum & aequabile dicendi genus deſiderant; aliae denique ſublimes, quae poſtulant ea, quae magna habentur. ergo in amplificatione, inquit Cicero, ſi cauſſa patitur, ſemper ea ſunt adhibenda, quae magna putantur. ea uero ſunt in duplici genere, quoniam alia propter naturam ſuam magna uidẽtur; alia propter uſum, quae natura magna ſunt, ea ſolent admirationem ingentem in animis noſtris concitare, qualia ſunt caeleſtia, hoc eſt ea, quae in caelo fiunt, ut cometae, lampades, tonitrua, tempeſtates, ceteraq. eius generis. item diuina, ut oracula, uaticinationes, reſponſa haruſpicum, & ea, quorum ſunt obſcurae cauſſae, ut terraemotus, terrae hiatus, inſoliti ſtrepitus, monſtra, prodigia, portenta, defectiones Solis, & Lunae praeter conſuetudinem. Hoc amplificationis genere Cicero utitur in fine orationis de reſponſis haruſpicum. Etenim (inquit) haec deorum immortalium uox, haec paene oratio iudicanda eſt, cum ipſe Mundus, cum agri terraemotu quodam nouo contremiſcunt, & inuſitato aliquid ſono, incredibiliq. praedicunt. nec in oratione pro Milone praetermiſit hoc tam graue genus amplicationis cum ita ait, Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, iudices, deorum immortalium cura res illa perfecta. Religiones mehercule ipſae, araeq. cũ illam belluam cadere uiderunt, commouiſſe ſe uidentur, & ius in illo ſuum retinuiſſe: totusq. ille locus. eſt enim longus & grauiſsimus. reducuntur autem haec, quae natura magna ſunt, ad tria genera, hoc eſt caeleſtia, diuina, & quorum ſunt obſcurae cauſſae. quae omnia Virgilius primo Georgicorum, ubi Caeſaris mortem deflet, accurate perſecutus eſt.

CICERO

VSV, quae uidentur hominibus aut prodeſſe, aut obeſſe uehementius: quorum ſunt genera ad amplificandum tria. nam aut caritate mouentur homines, ut deorum, ut patriae, ut parentum; aut amore, ut fratrum, ut cõiugum, ut liberorum, ut familiarium; aut honeſtate, ut uirtutum, maximeq. earum, quae ad communionem hominũ, & liberalitatem ualent.

EXPLANATIO

DOCVIT, quae propter naturam ſuam magna ſint, nunc ea docet, quae ſint uſu magna, & primo definit uſu magna dici, quae uel magnam utilitatem, uel magnum detrimentum hominibus afferre poſſunt, utilitatem, ſi retinentur & obſeruantur, detrimentum, ſi amittuntur & negligũtur. Ariſtoteles primo Rhetoricorum huius generis quinque ſpecies ponit, quae ad ſtatum reip. pertinent, hoc eſt de uectigalibus, de bello, & pace, de cuſtodia regionis, de ijs, quae importantur, & exportantur, de legum latione. ſed haec ad deliberatiuum genus potius pertinent. Cicero tria ponit hoc loco genera, quae plurimum ad amplificandum ualent, caritatem, amorem, honeſtatem. caritas ea eſt, quae etiam alio nomine pietas dicitur, & Graeco nomine εὐσέβεια nominatur, & eſt obſeruantia, qua deos, patriam, parentes ueneramur. his enim tribus omnium plurimũ debemus. Sed tamen obſeruantia in deos proprie religio dicitur, quae iuſtitiae prima pars habetur, in patriã uero & parentes pietas. Cicero primo de officiis, Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? & paullo poſt, Principes ſunt patria & parẽtes. Maxime igitur in cauſſis animi iudicum & auditorum permouentur, ſi, quae ad deos immortales, quae ad patriam, quae ad parentes attineant, tractare uidebitur orator. Quibus exemplis plenae ſunt Ciceronis orationes. Amor uero minus eſt, quam caritas, ſed eam tamen proxime ſubſequitur. is oſtenditur in fratres, coniuges, liberos, familiares, amicos, quos plurimum amare debemus, ideo uehementer etiam horum recordatione mouetur animus. Honeſtas commune genus omnium uirtutum eſt, ut prudentiae, iuſtitiae, fortitudinis, temperantiae, quae magnae quidem omnes habentur, ſed illae praecipue, quae non proprias, ſed alienas commoditates ſequuntur. & ideo ab Ariſtotele di cuntur alienae uirtutes, qualis eſt iuſtitia, & beneficentia, qua (ut ait Cicero) nihil eſt naturae hominis accommodatius.

CICERO

EX ijs & cohortationes ſumuntur ad ea retinenda, & in eos, a quibus ea uiolata ſunt, odia incitantur & miſeratio naſcitur.

EXPLA-

EXPLANATIO

POSTQVAM explicuit ea, quae magna habētur,deinceps oſtendit,quo modo, quibusq.in rebus orator eis utatur.primo enim res magnae plurimum ualent ad cohortandum,& inflammandum , ut earum ratio habeatur & ſumma diligentia retineantur . deinde concitatur in illos odium , qui res eas uiolare auſi fuerint,tum earum miſeratione mouentur animi . quarum rerum exempla paſsim occurrunt . Ac primo quidem cohortationes ex rebus magnis ſumuntur ad eas retinendas,ut quarta in Catilinam actione,Quare P. C. conſulite uobis,proſpicite patriae,conſeruate uos,coniuges,liberos,fortunasq. ueſtras,populi R.nomen,ſalutemque defendite.& paullo poſt:Quare P.C.incumbite ad reip. ſalutem , circumſpice omnes procellas, quae impendent,ni ſi prouidetis.pro P Sextio,Haec imitanimi per deos immortales,qui dignitatem,qui laudem, qui gloriam quaeritis,haec ampla ſunt,haec diuina,haec immortalia , haec fama celebrantur , monumentis annalium mandantur,poſteritati propagantur.& infra,in eadem oratione,Amemus patriam,pareamus ſenatui , cōſulamus bonis , praeſentes fructus negligamus , poſteritati & gloriae ſeruiamus , id eſſe optimum putemus , quod erit rectiſsimum,& quae ſequuntur.Secundo odia incitantur contra illos,a quibus res magnae uiolatae ſunt,ut pro Milone contra Clodium,Polluerat ſtupro ſanctiſsimas religiones,ſenatus grauiſsima decreta perfregerat,pecunia ſe palam a iudicibus redemerat , uexarat in tribunatu ſenatum , omnium ordinum conſenſu pro reip.ſalute geſta reſciderat,me patria expulerat,bona diripuerat , domum incenderat, liberos,coniugem meam uexauerat.Huius generis plurima ſunt exempla contra Verrem , ſed pulcherrimum in ſexta actione de candelabro,quod rex Antiochus Ioui Capitolino dare conſtituerat , niſi Verres illud ei rapuiſſet . Quae uox (inquit) quae latera,quae uires, huius unius criminis querimoniam poſsint ſuſtinere ? & reliqua . Tertio ex his miſeratio naſcitur , ut actione tertia in Verrem de morte Philodami,atque eius filii , conſtituitur in foro Laodiceae ſpectaculum acerbum, & miſerum , & graue toti Aſiae prouinciae , grandis natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius,ille quod pudicitiam liberorum , hic quod uitam patris , famamq. ſororis defenderet,flebat uterq. non de ſuo ſupplicio,ſed pater de filij morte,de patris filius. Interdum miſeratio cum indignatione miſcetur,ut in eadem oratione,Homo auariſsime & ſpurciſsime,redde bona ſodalis filio, ſi non quae abſtuliſti,& quae confeſſus es,cur cogis ſodalis filium hanc primam in foro uocem cum dolore , & querimonia emittere ? &c.

CICERO

PROPRIVS locus augendi in his rebus aut amiſſis,aut amittendi periculo. nihil eſt enim tam miſerabile,quam ex beato miſer . & hoc totum quidem moueat, ſi bona ex fortuna quis cadat,& a quorum caritate diuellatur,quae amittat aut amiſerit, in quibus malis ſit , futurus ue ſit,exprimatur breuiter . cito enim areſcit lacryma,praeſertim in alienis malis.

EXPLANATIO

CVI res illae magnae,de quibus diximus,adſunt,is beatus exiſtimatur:qui uero eis priuatus eſt,aut cum haberet,amiſit,miſer habetur.Itaque proprius hic eſt locus augendi,cum aliquem oſtendit orator,aut eas res iam amiſiſſe,aut eſſe in amittendi periculo.quoniam nulla res eſt , quae maiorem excitare poſsit miſerationem,quam cum aliquis prius erat beatus,deinde fit repente miſer . cum igitur animos mouere uult orator,enumerare debet quam breuiſsime mala omnia,in quibus ſit ille conſtitutus, pro quo miſerationem cupit excitare,ut a quam bona fortuna deciderit,a quibus diuellatur,quae ſint illa,quae amittat, aut quae iam amiſerit,quae mala patiatur,aut poſtea paſſurus ſit.Sed haec ideo breuiter exprimi debent,quoniam lachrymae diu durare non ſolent praeſertim cum ob aliena mala concitantur. horum omnium exempla multa ſunt apud Ciceronem,ut de rebus amiſsis pro P.Sulla,Cum huic omnia cum honore detracta ſint,cum in hac fortuna miſera,ac luctuoſiſsima deſtitutus ſit,quid eſt,quod expetas amplius?lucis ne hanc uſuram eripere uis plenam lacrymarum , atque maeroris ? in qua cum maximo cruciatu,atque dolore retinetur . & paullo poſt , O falſam ſpem,o uolucrem fortunam,o caecam cupiditatem,o praepoſteram gratulationem , quam cito illa omnia ex laetitia,& uoluptate,ad luctum,& lacrymas reciderunt? De amittendi periculo pro L. Flacco , Miſeramini familiae,iudices,miſeremini patris,miſeremini filii,nomen clariſsimum,& fortiſsimum uel generis,uel uetuſtatis,uel hominis,cauſſa reip.reſeruate. NIHIL *eſt enim tam miſerabile*) ut pro P.Sulla,Omnia,iudices,haec amiſſa ſunt,omnia generis,nominis,honoris inſignia,atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt. & infra.ut,Qui paullo ante conſul deſignatus fuiſſet,retineret repente nullum ueſtigium priſtinae dignitatis . Docet autem Cicero commiſerationem breuem eſſe debere,ut magis animos feriat,& ne auditor ab eo,quem ceperat,impetu (quod ait Quinctilianus) ad rationem redeat. CITO *enim areſcit*) Idem de Inuentione ſic ait,Commotis autem animis,diutius in conqueſtione morari non oportebit, quemadmodum enim dixit Rhetor Apollonius , lacryma nihil citius areſcit,aiunt periti lacrymas e cordis euaporatione prouenire . cor enim in dolore uehementius commouetur,& conſtringitur. quo fit, ut oculis ſtatim lacrymae ſuboriantur , & cum primum cordis motio ceſſat,etiam lacrymae manare deſinunt .

CICERO

NEc quidquam in amplificatione nimis enucleandum eſt. minuta eſt enim omnis diligentia, hic autem locus grandia requirit.

EXPLANATIO

NON tantum, quae ſequenda ſint in amplificatione, ſed etiam quae fugienda perſequitur. Dat igitur hoc praeceptum, ne in amplificatione ſigillatim omnia recenſere uelimus, ſed ea praetermittamus, quae parua eſſe uidentur, quoniam amplificatio magna tantum deſiderat. at uero, qui diligens eſſe uoluerit, ut etiam minima dicat neceſſe eſt illa autem enucleatio, & minuta diligentia, narrationi potius, & confirmationi conuenit, quibus in partibus res ſingulae ſubtiliter excutiuntur. ſed in amplificatione grandia tantum adhibenda ſunt, ut ſupra declaratum eſt.

CICERO

ILLVD iã eſt iudicii, quo quaque in cauſſa genere uta mur augendi. in illis enim cauſſis, quae ad delectationem exornantur, ij loci tractandi ſunt, qui mouere poſſunt exſpectationem, admirationem, uoluptatem.

EXPLANATIO

QVONIAM magna eſt cauſſarum uarietas, ideo iudicium eſt adhibendum, ut etiam uario amplificandi genere utamur. aliud enim amplificãdi genus exornatio requirit, aliud cohortatio, aliud iudicium. nam exornatio, ſiue laudatio, quae ad delectationem refertur, eos amplificandi locos poſtulat, unde exſpectatio, & admiratio, & uoluptas excitari poſsit. Exſpectatio tunc excitatur, cum auditoris animus ſuſpenſus detinetur, ut exitum rei noſſe deſideret. Admiratio naſcitur ex magnis praeclare geſtis rebus, Voluptas ex ſummarum uirtutum commemoratione, atque ex optato ac notabili fine his amplificationis generibus Cicero multis in locis utitur. ſed praecipue pro lege Man. ubi Pompeium exornat. Exſpectationem mouet hoc modo, Iam uero uirtuti Cn Pompeij quae poteſt par oratio inueniri? quid eſt, quod quiſquam aut dignum illo, aut uobis nouũ, aut cuiquam inauditum poſsit afferre? Item a bello praedonum exſpectationem mouet, cum ita inquit, Hoc tãtum bellum, tam turpe, tam uetus, tam late diuiſum atque diſperſum, quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici poſſe. Admirationem ibi concitat, Pro dij immortales, tanta ne unius hominis incredibilis, ac diuina uirtus tam breui tempore lucem afferre reip. potuit, ut uos, qui modo ante hoſtium Tiberinum claſſem hoſtium uidebatis, ij nunc nullam intra Oceani hoſtium praedonum eſſe audiatis? Rurſus ibi, Ita tantum bellum, tam diuturnũ tam longe lateq. diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparauit, ineunte uere ſuſcepit, media aeſtate confecit eſt haec diuina, atque incredibilis uirtus imperatoris, & cetera. Voluptas eſt in illa uirtutum amplificatione, unde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem curſum initum putatis? non enim illũ eximia uis remigum, aut ars inaudita quaedam gubernandi, aut uenti aliqui noui tã celeriter in ultimas terras pertulerunt. ſed haec res, quae ceteros remorari ſolent, non retardarunt, nõ auaritia ab inſtituto curſu ad praedam aliquam reuocauit, non libido ad uoluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, uon denique labor ipſe ad quietem.

CICERO

IN cohortationibus bonorum & malorum enumerationes, & exempla ualent plurimum.

EXPLANATIO

QVONIAM deliberationis finis eſt utilitas, ideo, quae utilitatem afferunt, amplificanda ſunt. eſt autem utiliſsimum bona acquirere, & mala deuitare. hoc amplificationis genere pro L. Manilia plurimum utitur Cicero, cum enumerat ea, quae propter bellum Mithridatis in diſcrimen ueniant. Agitur enim populi Romani gloria, quae uobis a maioribus cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt, agitur ſalus ſociorum atque amicorum pro qua multa maiores ueſtri magna & grauia bella geſſerunt, aguntur certiſsima populi R. uectigalia & maxima, quibus amiſsis & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis. aguntur bona multorum ciuium, quibus eſt a uobis, & ab imperatoribus reip. conſulendum. Poſtea uero ab exemplis maiorũ confirmar eſſe bellum cum Mithridate ſuſcipiendũ, Maiores ueſtri ſaepe mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerunt, & quae ſequuntur. pro P. Sextio cohortationem & exempla commiſcet hoc modo, Quare imitemur noſtros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabiles alios, qui hanc remp. ſtabiliuerunt, quos equidem in deorũ immortalium coetu, ac numero repono: amemus patriam, pareamus ſenatui, conſulamus bonis, & reliqua.

CICERO

IN iudiciis accuſatori fere quae ad iracundiam, reo plerumque quae ad miſericordiam pertinent. nonnumquam tamen accuſator miſericordiam mouere debet, & defenſor iracundiam.

EXPLANATIO

FREQVENTISSIME quidem fit in iudicijs, ut accuſator in amplificatione quaerat iudices ad iracundiam concitare, defenſor autem ad miſericordiam reuocare. Sed interdum tota ratio commutatur. hoc eſt, ut accuſator miſericordiam moueat, & defenſor iracundiam excitet. exempla paſsim occurrunt, ut actione ſeptima in Verrem Cicero accuſator concitat iracundiam hoc modo, Potero ſilere, Hortenſi? potero diſsimulare? cum tantum reſp. uulnus acceperit, ut expilatae prouinciae, uexati ſocij, dij immortales ſpoliati, ciues Romani cruciati & necati impune me actore eſſe uideantur? pro M. Coelio defenſor ita miſericordiam mouet: Conſtituitote uobis ante oculos huius etiam miſeri ſenectutem, qui hoc unico filio nititur, in huius ſpe requieſcit, huius unius caſum pertimeſcit, quem uos ſupplicem ueſtrae miſericordiae, ſeruum poteſtatis, abiectum non tam ad pedes quam ad mores ſenſusq. ueſtros uel recordatione parentum ueſtrorum, uel liberorum iucunditate ſuſtentate, & reliqua. Contra uero tertia in Verrem actione accuſator miſericordiam mouet, conſtituitur in foro Laodiceae ſpectaculum acerbum & miſerum, & graue toti Aſiae prouinciae, grandis natu parens adductus ad ſupplicium, ex altera parte filius, ille quod pudicitiam liberorum, hic quod uitam patris, famamq. ſororis defenderet, flebat uterque non de ſuo ſupplicio, ſed pater de filii morte, de patris filius. quid lacrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quem fletum totius Aſiae fuiſſe? quem luctum & gemitum Lampſacenorum? pro Roſcio Am. defenſor iracundiam mouet, Per deos immortales, quae iſta tanta crudelitas eſt? quae tam fera immanisq. natura? quis umquam praedo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut cum integram praedam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet? & quae ſequuntur.

CICERO

ENVMERATIO reliqua eſt, nonnumquam laudatori, ſuaſori non ſaepe, accuſatori ſaepius, quam reo neceſſaria. huius ipſa tempora duo ſunt, ſi aut memoriae diffidas eorum, apud quos agas, uel interuallo temporis, uel longitudine orationis, aut frequentatis firmamentis orationis, & breuiter expoſitis, uim eſt habitura cauſſa maiorẽ.

EXPLANATIO

IAM de altera perorationis parte dictum eſt, quae fuit amplificatio, nunc ad alteram accedit, quae Latine Enumeratio, Graece Anacephalaeoſis dicitur, cum ea, quae ſparſim in tota oratione dicta fuerunt, breuiter repetuntur, & enumerantur. haec autem omnibus cauſsis adhiberi poteſt. Sed accuſatori praecipue conuenit, qui quaſi ſub unum adſpectũ omnia ponere crimina ſtudet. Duabus uero de cauſsis fit enumeratio, primo ut memoria reficiatur, ſi aut interuallum fuerit temporis, aut oratio longior, deinde ut maior orationis uis adhibeatur. Igitur ſuaſor cum memoriae diffidit eorum, apud quos agit, uel interuallo temporis, uel longitudine orationis, tunc enumeratione uti debet. quod egregie Cicero pro lege Man. facit, cum ita concludit, Quare cum & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſsit, ita magnum, ut accuratiſsime ſit adminiſtrandum, & cum ei imperatorem praeficere poſsitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis uirtus, clariſsima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis Quirites, quin hoc tantum boni, quod a diis immortalibus oblatum, & datum eſt, in remp. conſeruandam atque amplificandam conferatis? Hoc praeceptores frequenter facere debent, ut breuiter enumerent ea, quae docuerunt, quo melius memoriae diſcipulorum affigantur. quod M. Antonius ſecundo de Oratore ſignificat. Debent etiam accuſatores, ut frequentatis firmamentis orationis, cauſſa uim habeat maiorem, & iudices ſcelerum enumeratione magis incitentur. Cicero pro P. Quinctio repetit omnia firmamenta, quibus in tota cauſſa docuerat Quinctium Sex. Naeuio nihil debuiſſe, quae enumeratio ſatis longa eſt. ſeptima actione in Verrem tribus uerſiculis enumerat, quae in omnibus libris accuſationum Verri obiecerat, cum ita inquit, Potero diſsimulare, cum tantum reſp. uulnus acceperit, ut expilatae prouinciae, uexati ſocii, dij immortales ſpoliati, ciues Romani cruciati & necati impune me actore eſſe uideantur?

CICERO

ET reo rrrius utendum eſt, quod ponenda ſunt contraria, quorum diſſolutio in breuitate latebit, aculei pungent. ſed erit in enumeratione uitandũ, ne oſtentatio memoriae ſuſcepta uideatur eſſe puerilis. id effugiet, qui non omnia minima repetet, ſed breuia ſingula attingens, pondera rerum ipſa comprehendet.

EXPLANATIO

RATIONEM affert,cur reus enumeratione rarius uti debeat.quoniam opus erit ei contraria etiam ponere,quae deinde breuiter diſſoluere non poterit. crimina enim audita, ac renouata tamquam aculei mentes iudicum pungent,neque poſtea tempus erit medicinae faciendae, cum ſingula iam longa oratione fuerint refutata.Illud etiam (inquit) uitandum erit,ne pueriliter memoriam oſtentare uelimus.quod fiet,ſi tantum ſumma rerum capita repetiuerimus,non autem minima quaeque.illud autem ſcire profuerit,non tantum in peroratione poſſe nos enumeratione uti,ſed etiam in alijs partibus, ut ſi confirmationem exempli gratia in tres,aut quattuor partes diuiſerimus,unaquaque parte cōfirmata licebit breuiter argumentationum capita repetere,ut pro lege Man.totam orationem diuidit in genus belli, in magnitudinem, & imperatorem. Primam partem ita per enumerationem concludit, Quare uidete,num dubitandum uobis ſit omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis ueſtri, ſalus ſociorum, uectigalia maxima, fortunae plurimorum ciuium cum rep.defenduntur.Secundam hoc modo,Quantum illud bellum futurum putetis quod coniungant reges potentiſsimi,renouent agitatae nationes,ſuſcipiant integrae gentes,nouus imperator ueſter accipiat, uetere expulſo exercitu.Tertiam denique partem ita concludit,ut haec omnia breuiter enumeret, quemadmodum ſupra diximus.

CICERO

C. F. Quoniam & de ipſo oratore, & de oratione dixiſti,expone eum mihi nunc quem ex tribus extremum p opoſuiſti quaeſtionis locum.C.P. Duo *ſunt (ut initio dixi) quaeſtionum genera, quorum alterum finitum temporibus & perſonis, controuerſiam,& cauſſam appello,alterum infinitum,nullis neque perſonis,neque temporibus notatum, propoſitum uoco. Sed eſt conſultatio quaſi pars cauſsae quaedam,& controuerſiae.ineſt enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia.*

EXPLANATIO

TERTIAM partem doctrinae dicendi aggreditur,quae eſt quaeſtio,in qua uniuerſia eſt rhetoricae materia.eſt autem quaeſtio.propoſitio quae in utramque partem diſputari poteſt.Sed cum tria ſint propoſitionum genera,ſicuti primo Topicorum docet Ariſtoteles,logicum, ciuile, & phyſicum, propoſitio rhetorica quaeſtiones maiori ex parte ciuiles amplectitur, ſicuti recte confert Hermogenes. eſt autem duplex haec rhetorica quaeſtio infinita & definita.aut enim generatim de re aliqua quaeritur,ſine ulla perſonarum aut temporum,aut locorum commemoratione,ut adminiſtranda ne ſit reſp.an uxor ſit ducenda.an philoſophiae danda ſit opera,& haec dicitur quaeſtio infinita,& generalis,& communis, dicitur etiam propoſitum, & conſultatio.Aut ſigillatim de una perſona,uel pluribus certis quaerimus,ut an Cato remp adminiſtrare debeat, an Romani Corinthum ſint euerſuri an Roſcius patrem interfecerit,& haec dicitur quaeſtio finita, & cauſſa, & controuerſia,& quaeſtio ciuilis,& Graeco nomine hypotheſis.Sed aliqui fuerunt qui illam quaeſtionem infinitam procul ab oratoris facultate remotam eſſe cenſuerunt.quod etiam Hermogenes ſentit,qui in hunc ſenſum ſcribit,Nam quod uere generatimque honeſtum aut utile ſit,aut res huiuſmodi quaerere, non ad artem rhetoricam pertinet. Verum magis hac in re magiſtro optimo Ciceroni, quam alijs rhetoribus credendum eſt. licet enim principaliter orator cauſſam conſideret,tamen ſemper eſt ipſa cauſſa ad propoſitum traducenda, quemadmodum docet M.Antonius ſecundo de Oratore.latius enim licet de genere,quam de parte diſputare. Cauſſa ſingulas tantū perſonas,& indiuidua continet,cōſultatio uero ſpecies & genera cōplectitur.neceſſe eſt enim aut de toto genere ſiue ſpecie ſit quaeſtio,ut puniendi ne ſint peculatores,& haec eſt conſultatio.aut de una re uel perſona,uel pluribus certis,ut an puniendus ſit Verres peculator,uel quaeſtores aerarii peculatores,& haec appellatur cauſſa.Sed cur ait Cicero conſultationem eſſe quaſi cauſſae partem? & infinitum in definito eſſe?atque ad illud tamen omnia referri? haec ſupra iam a nobis explicata fuerunt, ubi docuimus cauſſam componi ex conſultatione,& circumſtantijs,ſicut homo componitur ex animali & ratione.quatenus igitur ad definitionem pertinet,animal eſt hominis pars quaedam,quia dicimus,homo eſt animal particeps rationis, ita conſultatio eſt quaedam cauſſae pars,quia cauſſa eſt conſultatio certis perſonis & temporibus definita. atque hoc modo uerum eſt,quod ait Cicero, infinitum ineſſe in definito. uerumtamen ad conſultationem ſiue propoſitum omnia referuntur.quia nulla cauſſa ſine propoſito probari poteſt.ut pro Milone conatur Cicero probare Clodium iure fuiſſe interfectum,quia fuit inſidiator.certe hoc nullo modo probari poſſet,niſi planum eſſet, omnes inſidiatores iure interfici poſſe. nam hae propoſitiones generales, natura priores ſunt, & praeſtantiores, quam ſint ſingulares,atque ab eis uis omnis probationis emanat,& hoc eſt,quod dialectici dicunt,ex ſolis ſingularibus propoſitionibus nihil neceſſario concludi poſſe.

CICERO

QVAMOMBREM *prius de propoſito dicamus, cuius genera ſunt duo, cognitionis alterum, eius ſcientia eſt finis,ut ueri ne ſint ſenſus. alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid,ut ſi quaeratur, quibus officiis amicitia colenda ſit.*

EXPLANATIO

CVM iam declarauerit quid propoſitum ſit, & quomodo a cauſſa diſtinguatur, nunc oſtendit, quot ſint propoſiti genera. quae duo eſſe ait, alterum cognitionis, alterum actionis. cum enim homo duabus de cauſis natus ſit, ſicuti dixit Ariſtoteles, hoc eſt ad intelligendum & agendum. haec etiam duo ſibi proponere debet, & quaerere, quomodo recte intelligere, & quomodo agere poſsit. quo fit, ut duo ſint conſultationis genera, quorum alterum ad cognitionem, alterum ad actionem pertinet. Cognitionis quaeſtio illa eſt, cuius finis eſt ſcientia, & ad nullam actionem refertur, quae non oratorum, ſed philoſophorum propria eſſe uidetur, ut ueri ne ſint ſenſus? an Mundus ſit aeternus? quae ſit terrae magnitudo? unde gignanrur pluuiae? ceteraeq. eius generis. Actionis quaeſtio communis eſt philoſophorum & rhetorum, & eſt ea, quae refertur ad aliquid efficiendum, ut an bellum gerendum ſit? an nouae leges ferendae? an parenti ſit anteponenda patria. Cicero duo ponit exempla, quae magis philoſophiam, quam rhetoricam attingunt. primum ad cognitionem pertinet, ueri ne ſint ſenſus. alterum ad actionem, quibus officiis amicitia colenda ſit. de primo uariae fuerunt antiquorum ſententiae. quidam enim philoſophi, nullum eſſe ueritatis iudicium in ſenſibus opinabantur, ut Academici, quorum opinionem in Lucullo defendit acuratiſsime Cicero, ubi probare contendit, nihil omnino percipi poſſe, nihil cognoſci, nihil intelligi, ſed omnia craſsis tenebris eſſe occultata, & (ut Democritus aiebat) ueritatem in profundo merſam, adeo, ut Anaxagoras niuem eſſe nigram affirmaret, quamuis nobis candidiſsima uideatur. quia ſenſus oculorum nos decipit. aquam enim, unde nix oritur, nigram eſſe dicebat. uerum Epicurus, & qui eum ſequebantur, numquam ſenſus decipi cenſebant, & omnia, qualia re uera ſunt, talia nobis uideri, atque ideo Solem eſſe pedalem, aut paullo maiorem affirmabant, quia tantus oculis noſtris eſſe uidetur. Ariſtoteles tamquam honorarius arbiter horum controuerſiam ita diſſoluit, ut partim ueros eſſe ſenſus, partim falſos eſſe dicat, prout res eis uel propriae, uel communes obijciuntur. ſunt enim res quaedam ſingulorum ſenſuū propriae, quae ab eo tantum ſenſu percipiuntur, cuius propriae ſunt, ut color uiſus proprium eſt obiectum, uox auditus, odor olfactus, ſapor guſtus calor & frigus, & ſiccitas & humor tactus. Itaque ſi ſenſuum inſtrumēta bene fuerint affecta, numquam in his ſenſus decipietur, ut tactus non putabit id eſſe frigidum, quod eſt calidum, neque id eſſe ſiccum, quod eſt humidum. eodem modo guſtus non dicet id eſſe dulce, quod eſt amarum, atque ita de reliquis. quo fit, ut in rebus propriis ſenſus ſint ueriſsimi. uerum ſunt etiam res quaedam multis ſenſibus communes, in quibus facile ſenſus decipi poſſunt, qualis eſt magnitudo, figura, numerus, motus, quies. nam haec quinque numerat Ariſtoteles, quae multis ſenſibus communia ſint. Quare facile poteſt oculus decipi in magnitudine procul poſita. Sol enim multis partibus maior eſt, quam uideatur, ſicut etiā reliquae ſtellae. quin uidetur nobis Sol quodāmodo quieſcere, cū tamen uelociſsime moueatur, quoniam in motu & quiete ſenſus decipitur. Secundum exemplū Ciceronis ad actionem pertinet, quibus officijs amicitia colenda ſit. A. Gellius ſcribit quaeſitū a Philoſophis fuiſſe, An praeter iuſtitiā ſit amicus adiuuandus, & quouſque, & quibus in rebus? Chilo Lacedaemonius, unus e ſeptē ſapientibus, falſum pro amici ſalute conſiliū dedit. ſed, an iure reprehendi poſſet, dubitauit. Pericles, cum ab eo quidā amicus petiuiſſet, ut pro ſe peieraret, dixit, oportet me quidem amicis auxiliari, ſed ad aras uſque. Theophraſtus paruā infamiam pro amico ſubeundam cenſet, ſi inde amico magna naſcatur utilitas. Cicero librum de Amicitia ſcripſit elegantiſsimum, in quo ea omnia diligenter explicat, quae ad hanc quaeſtionem attinent.

CICERO

RVRSVS ſuperioris genera ſunt tria, ſit nec ne, quid ſit, quale ſit, ſit nec ne, ut ius in natura ſit, an in more? quid autem ſit, ſit ne ius id, quod maiori parti ſit utile? quale autem ſit, iuſte uiuere ſit nec ne utile?

EXPLANATIO

AD cognitionem alicuius rei tria requiruntur, primo utrum ea res ſit, an non ſit, quae coniecturae quaeſtio dicitur. deinde quid ſit, hoc eſt quae ſit eius natura, & haec definitio appellatur. poſtremo qualis ſit, bona ne an mala, iuſta an iniuſta. quae ratio, uel qualitas dicitur. Siquis autem haec tria perceperit, plenā atque perfectam rei cognitionem habebit, ut ecce aliquis uult cognoſcere ius, primo quaerit, an ſit ius in natura, an in more, hoc eſt hominum conſuetudine? deinde ſit ne ius id, quod maiori parti ſit utile? poſtremo ſit nec ne utile, iuſte uiuere? Hae uero quaeſtiones, quas de iure ponit hoc in loco Cicero, partim ex Gorgia Platonis, partim ex libris de rep. ſumptae ſunt. Sunt enim, qui putent iura ipſa, non a natura, ſed tantum tb hominum conſuetudine profluxiſſe. qua in opinione Callides eſt in Gorgia Platonis. at uero Socratis & Platonis ſententia eſt ab ipſa natura omne ius emanare. quod primo libro de legibus Cicero copioſe docet, ubi legem ita definit, Lex eſt ratio ſumma inſita in narura, quae iubet ea, quae facienda ſunt prohibetque contraria. & alibi ſic ait, Nihil eſt profecto praeſtabilius, quam plane intelligi nos ad iuſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius. Statuunt igitur ſapientes in natura ius eſſe, non in opinione. & ita prima iuris quaeſtio ſoluitur. Altera eſt, an ius ſit id, quod maiori parti ſit utile. nam Thraſymachus apud Platonem primo de rep. ius eſſe definit id, quod principibus & potentioribus eſt utile, eo quod princeps arbitrio ſuo leges & iura conſtituunt. at uero Callides in Gorgia putat leges ac iura po-

tius ab

tius ab imbecilliori multitudine fuiſſe reperta,ut uiros fortes metu legum reprimeret. ſed re uera ſapientes uiri ius ipſum a natura ſumptum ita definiuerunt,ut id eſſe ſtatuerent,quod maiori parti ſit utile,quodq. aequitatem & bonitatem continet.Tertio de qualitate iuris quaeritur,an utile ſit iuſte uiuere? uocat hoc in dubium Traſymachus apud Platonem primo de rep. qui putat ſummam iniuſtitiam eſſe rem omnium utiliſsimam, cum quis iniuſtus eam facultatem habet,ut ſeipſum tueri ac defendere poſsit.qualem poteſtatem nonnulli tyranni ſibi acquiſiuerunt.iuſte autem uiuere prorſus inutile eſſe cenſet,quoniam iuſtus uir omnibus in rebus iniuſto uidetur eſſe inferior,& minus lucri facit.Sed poſtea Socrates in eiſdem libris oſtendit,utiliſsimum eſſe iuſte uiuere.Siquidem uera utilitas numquam ab honeſtate ſeparatur.

CICERO

ACTIONIS *autem duo ſunt genera, unum ad perſequendum aliquid, aut declinandum, ut quibus rebus adipiſci gloriam poßis, aut quomodo inuidia uitetur, alterum quod ad aliquod commodum uſumq. refertur, ut quemadmodum ſit reſp. adminiſtranda, aut quemadmodum in paupertate uiuendum.*

EXPLANATIO

PLATONIS eſt haec diſtinctio,in humanis actionibus tria eſſe rerum genera. quaedā enim bona ſunt, quae perſequi debemus,ut honeſtas,honor,gloria;quaedam quae declinanda ſunt ac fugienda, quia mala,ut turpitudo,infamia,inuidia;quaedam uero media,quae ad aliquod commodum uſumq. referuntur, ut diuitiae,paupertas,adminiſtratio reip.hinc fit ut in actionibus duo quaeſtionum genera naſcantur.primum eſt, cum de aliqua re quaerimus utrum perſequenda ſit an fugienda. ſecundum eſt, cum de rei alicuius uſu commodoq. diſſerimus. Primi generis hoc loco duo ponuntur exempla, alterum quibus rebus adipiſci gloriam poſsimus,quod ſane Cicero duobus libris explicuerat,quos de gloria ſcripſit, ſed illi temporum iniuria perierunt, ſecundo tamen libro de Officijs hic locus ſatis copioſe tractatur. ibi enim docet ſummam, & perfectam gloriam ex tribus his conſtare,ſi diligit multitudo, ſi fidem habet,ſi cum admiratione quadam honore dignos putat.Amor (inquit) multitudinis commouetur ipſa fama & opinione liberalitatis,beneficentiae,iuſtitiae,fidei,omniumq.earum uirtutum,quae pertinent ad manſuetudinem morum atque facilitatem. Fides ut habeatur,duabus rebus effici poteſt,ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam.Admiratione afficiuntur ii,qui anteire ceteris uirtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum uero iis uitiis, quibus alii non facile poſſunt obſiſtere.Secundum exemplum eſt,quomodo inuidia uitetur,quod facile fit comitate, modeſtia,& affabilitate, & ſi nullum appareat in nobis arrogantiae ueſtigium. Secundi generis etiam duo ſunt exēpla.primum quemadmodum reſp.ſit adminiſtranda,quod in ciuili ſcientia docetur,quae Graeco nomine Politica uocatur,de qua libros octo ſcripſit Ariſtoteles, Plato decem, Cicero ſex, haec ſcientia princeps aliarum omnium ſcientiarum ab Ariſtotele dicitur,quae docet,iuſtitia,bonis legibus,prudentia, & fortitudine remp. adminiſtrare.Secundum exemplum eſt quomodo ſit in paupertate uiuendum Fuerunt enim quidam Philoſophi,qui magis paupertatem,quam diuitias adamarent,ut Crates Thebanus,Democritus Abderites,Anaxagoras Clazomenius.quin Arceſilas dixit,paupertatem aſperam quidem eſſe quemadmodum Itacham,ſed bonam iuuenum nutricem,ut quae aſſuefaciat frugalitati & abſtinentiae,& omnino quaedam ſit omnis uirtutis exercitatio. Aelianus ſcribit omnium optimos Graecorum fuiſſe pauperrimos, Ariſtidem, Phocionem, Epaminondam, Pelopidam,Lamachum,Socratem,tales etiam apup Romanos fuerunt,Curius, Fabricius, Camillus, & multi alii,qui cum facile diuitias multas accumulare poſſent,tamen neglexerunt. In Xenophontis conuiuio Charmides interrogatus a Socrate,qua in re potiſsimum gloriaretur,reſpondit, Ego in paupertate ualde glorior,cui Socrates, in re ſane per quam gratioſa. Diogenes Cynicus cum ei quidam paupertatem exprobraſſet, nullum,ait,umquam ob paupertatem torqueri uidi,propter malitiam uero plures. idem dicere ſolebat,paupertatem eſſe uirtutem,quae ſine doctore percipitur.Sic autem eſt in paupertate uiuendum, ut noſtro nos pede metiamur, quod praecipit Horatius, & ne lucri cauſſa quidquam iniuſte faciamus, ſed Ciceronis praeceptum illud ſeruemus,qui ita inquit,Nec uero amplificatio rei familiaris nemini nocens uituperanda eſt, ſed fugienda eſt ſemper iniuria.nam illa ſumma cupiditas,& habendi ſitis ſemper fugienda eſt.neque enim umquam expletur,nec ſatiatur cupiditatis ſitis,unde ueriſsime Iuuenalis dixit:

Creſcit amor nummi,quantum ipſa pecunia creſcit.

Sed qui paucis contentus eſt,etiam ſi pauper habeatur,tamen longe felicius uiuit,quam qui ditiſsimi ſunt, & plura ſemper appetunt.

CICERO

RVRSVS *autem ex cognitionis conſultatione ubi ſit,nec ne ſit,aut fuerit,futurum ne ſit, quaeritur, unum genus eſt quaeſtionis, poßit ne aliquid effici. ut cum quaeritur ecquiſnam perfecte ſapiens eſſe poßit? alterum, quemadmodum quidque fiat, ut quonam pacto uirtus pariatur,natura ne,an ratione,an uſu? cuius generis ſunt omnes,in quibus ut in obſcuris, naturalibusq. quaeſtionibus, cauſſae rationesq. rerum explicantur.*

EXPLANATIO

PRIMA cognitionis quaeſtio eſt,in qua ſit nec ne res quaeritur,quae conſtitutio coniecturalis uocatur. in hac tria conſiderari tempora poſſunt,praeſens,praeteritum,& futurum.atque haec quaeſtio in duo genera diuiditur,primum poſsit ne fieri,ſecundum quomodo,aut unde fiat.quoties enim aliquid aggredi conſtituimus,primo cogitandum eſt,an id fieri poſsit.quod ſi nullo modo fieri poteſt, conſilium eius abiiciendum eſt;ſin autem poſſe fieri conſtet,modum & rationem quaerere opus eſt,qua fiat. primi generis eſt hoc exemplum,ecquiſnam perfecte ſapiens eſſe poſsit?quam quaeſtionem tertio de Officiis Cicero ſoluit, & concludit, nullum hominem perfecte ſapientem eſſe poſſe,& ſecundo de Diuin.ait:Saepius mulam peperiſſe arbitror,quã ſapientem fuiſſe.Socrates in Apologia,deus (inquit) ſolus eſt ſapiens, humana uero ſapientia parui cuiuſdẽ, uel potius nullius pretij eſt.in Hippia minore Plato ait,hominum omnium ſapientiſsimum,ſi cum deo conferatur,tamquam ſimiam quandam eſſe.in extrema Phaedri parte,Magnum quiddam (inquit) mihi certe uidetur,o Phaedre,ſapientem appellari,nomenq. hoc Deo ſoli conuenire.patet igitur nullum hominem perfecte ſapientem eſſe poſſe.Secundum exemplum eſt, quemadmodum uirtus pariatur? quoniam huius rei uariae ſunt Philoſophorum ſententiae.nam aliqui putant a natura uirtutem prouenire,aliqui a doctrina & ratione, aliqui ab uſu & exercitatione.Stoici putabanr hominem ita a natura formatum,ut ad omnem uirtutem aptus ſit.Cicero ait,nihil tam conſentaneum eſſe naturae, quam uirtutem:& in Officiis docet uirtutem a natura ipſa originem habere,ſed ratione & uſu cõfirmari.Ariſtoteles probat nullam moralem uirtutem eſſe naturalem,quia, quae naturalia ſunt,mutari nullo modo poſſunt,ſed uirtus modo acquiritur,modo amittitur.Plato in Protagora,uirtutem neque natura,neque ſponte ſua mortalibus innaſci tradit, ſed doctrina atque exercitatione percipi.Itaque concludi poteſt,nos quidem a natura ſemina quaedam & principia uirtutum habere, ſed a doctrina atque exercitatione incrementa & amplificationes. Ad hanc quaeſtionem,quomodo quidque fiat, referuntur (ait Cicero) ea omnia,quae de obſcuris rerum cauſsis naturales Philoſophi ſolent indagare,ut quomodo Lunae eclipſis fiat? unde fulmina & tonitrua gignantur? unde tremor terris? qua ui maria alta tumeſcant? & plurima eius generis.

CICERO

ILLIUS autem generis in quo quid ſit id,de quo agitur,quaeritur,duo ſunt genera, quorum in altero diſputandum eſt,aliud an idem ſit,ut pertinacia, & perſeuerantia,in altero autem deſcriptio generis alicuius,& quaſi imago exprimenda eſt, ut qualis ſit auarus, aut quid ſit ſuperbia.

EXPLANATIO

IN ſecunda cognitionis quaeſtione,in qua,quid ſit id,de quo agitur,quaeritur,duo conſiderari ſolent,primum aliud an idem ſit.Secundum,quae ſit eius rei,de qua agitur,uis,atque natura.hoc uel accidentium enumeratione fit,& deſcriptio dicitur,uel genere & proprietate,& dicitur definitio. Ac primo quidem cum diſputatur,aliud an idem ſit,utrumq. definiendum eſt, nam apud Philoſophos haec eſt una maxima propoſitio, ut ea,quae eandem habent definitionem,ipſa quoque ſint eadem;quae diuerſam habent definitionem,ſint diuerſa;ut uirtus eadem eſt,quae honeſtas. quoniam utraque eſt habitus animi rationi conſentaneus. prudentia non eſt eadem,quae iuſtitia,quoniam prudentia eſt rerum bonarum & malarum & utrarumq. ſcientia, iuſtitia uero uirtus eſt,quae ius ſuum unicuiq. tribuit.Exemplum Ciceronis eſt,an idem ſit pertinacia, & perſeuerantia.ſiquis utramque definiat,non eandem eſſe intelliget. nam pertinacia uitium eſt, perſeuerantia uirtus. cum ergo ſint ſub contrario genere,non poſſunt idem eſſe.perſeuerantia ita definitur a Cicerone,Perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata,ſtabilis,& perpetua permanſio. pertinacia uero mutato tantum uno uerbo ſic definitur,Pertinacia eſt in ratione male conſiderata,ſtabilis,& perpetua permanſio.Cicero pro M.Coelio, Aliud eſt maledicere, aliud accuſare,accuſatio crimen deſiderat,rem ut definiat,hominem ut notet,argumento probet, teſte confirmet; maledictio autem nihil habet propoſiti praeter contumeliam. Secundo quaeritur uis atque natura rei uel per accidentia,& euenta,uel per proprietates, ſi per accidentia uocatur deſcriptio, ut qualis ſit auarus;ſi per proprietates,definitio dicitur, ut quid ſit ſuperbia. Qualis ſit auaritia,pulcherrime deſcribitur a Salluſtio hoc modo:Auaritia ſtudium pecuniae habet,quam nemo ſapiens concupiuit,ea quaſi ueneris malis imbuta corpus animumq. effeminat, ſemper infinita & inſatiabilis eſt,neque copia, neque inopia minuitur, Horatius ſic auarum depingit:

Tantalus a labris ſitiens fugientia captat
Flumina,quid rides? mutato nomine,de te
Fabula narratur,congeſtis undiq. ſaccis
Indormis inhians,& tamquam parcere ſacris
Cogeris,aut pictis tamquam gaudere tabellis.

Superbia uero ſic definitur,Superbia eſt elatio animi praeter rationem; uitium eſt modeſtiae contrarium, & nomine dicitur arrogantia.Cicero primo de Officiis, Superbiam magnopere arrogantiamq. fugiamus.

CICERO

CICERO

TERTIO autem in genere, in quo quale ſit quaeritur, aut de honeſtate, aut de utilitate, aut de nequitate dicendum eſt. De honeſtate ſic, ut honeſtum ne ſit pro amico periculum, aut inuidiam ſubire. De utilitate aũt ſic, ut ſit ne utile in rep. adminiſtranda uerſari. De aequitate uero ſic, ut ſit ne aequum amicos cognatis anteferre.

EXPLANATIO

POSTQVAM planum fuerit, rem eſſe, & declaratum fuerit quid ſit, reſtat, ut quaeratur etiam qualis ſit. In hoc autem genere qualitas duobus modis conſideratur, aut per ſe, aut per collationem ad aliam qualitatem. per ſe, ut ſit ne res honeſta, ſit ne utilis, ſit ne aequa; per collationem, ut ſit ne altera honeſtior, utilior, aequior. quae quidem collatio poteſt etiam in pluribus fieri, ut quaeratur quid honeſtiſsimum, aut utiliſsimum, aut aequiſsimum ſit. Ac prius de qualitate per ſe, quae eſt triplex, honeſtas, utilitas, aequitas. honeſtas ad animum tantum refertur, utilitas ad uictum humanum, aequitas ad utrumque. nam aequitas ea eſt, quae propter clementiam interdum aliquid & a ſumma honeſtate, & ab utilitate detrahit, & mitius agit, quam leges & iura poſtulent. Cicero ponit tres quaeſtiones qualitatis per ſe, prima eſt, honeſtum ne ſit pro amico periculum, aut inuidiam ſubire? de qua tamen ueri amici non dubitant, cum aeque ac ſeipſos amicos ament. nam Pythagoras uoluit amicitiam eſſe aequalitatem, & amicum alterum ſe, ut ſi pro nobis ipſis periculum, & inuidiam ſubimus, idem etiam pro amicis faciamus. immo reperti ſunt aliqui tam fideles amicis, ut pro illis mortis periculum adire non dubitarent. talis amicitia fuit inter Damnonem & Pythiam, quorum uas factus eſt alter ſiſtendi alterius, ut, ſi ille non reuertiſſet, moriendum eſſet ipſi. Secunda quaeſtio eſt, ſit ne utile in rep. adminiſtranda uerſari? Chryſippus aliquando, interrogatus, cur non remp. adminiſtraret? reſpondit, quia mala adminiſtratio deos, bona homines offendit. Plato exiſtimat ſapientem ad remp. adminiſtrandam non, niſi coactum, acceſſurum. Si quis tamen recte remp. adminiſtret, ei maximam afferre utilitatem. & Plato tum demum fore beatas reſp. dixit, cum aut ſapientes eas adminiſtrarent, aut qui adminiſtrant, ſapientem conſilio uterentur. Tertia quaeſtio eſt, ſit ne aequum amicos cognatis anteferre? hoc certe per ſe non eſt aequum, quia gradus humanae ſocietatis ſeruandi ſunt, ut, qui uobis propinquiores ſanguine ſunt, eos reliquis anteferamus. ſed interdum poteſt aequum fieri, ut ſi amicus ille ſit excellens & probus uir, cognatus autem uilis & improbus. ſed hae quaeſtiones copioſius in libris de Officiis explicantur.

CICERO

ATQVE in hoc eodem genere, in quo quale ſit, quaeritur, exoritur aliud quoddam diſputandi genus. non enim ſimpliciter ſolum quaeritur, quid honeſtum ſit, quid utile, quid aequum, ſed etiam, ex cõparatione, quid honeſtius, quid utilius, quid aequius, atque etiam, quid honeſtiſſimum, quid utiliſſimum, quid aequiſſimũ. cuius generis illa ſunt, quae praeſtantiſſima ſit dignitas uitae. atque ea quidem, quae dixi, cognitionis ſunt omnia.

EXPLANATIO

EXPOSVIT, quomodo tractentur quaeſtiones qualitatis per ſe, nunc aggreditur docere, quo modo per collationem ad aliam qualitatem. nam primo de Officiis libro docet ex Panaetij Stoici ſentẽtia triplicem eſſe conſilij capiendi deliberationem, primam, honeſtum ne ſit an turpe id, de quo deliberatur; alteram, utile an inutile; tertiam, cum utile uidetur cum honeſto pugnare. quam diuiſionem ideo reprehendit, quoniam ſaepe fit, ut, duobus propoſitis honeſtis, dubitemus, utrum ſit honeſtius, ut parentibus ne an patriae ſit honeſtius opitulari? atque etiam duobus propoſitis utilibus, utrum ſit utilius, ut mercaturae ne operam dare ſit utilius, an artem medicam exercere. eſt igitur hoc aliud diſputandi genus, cum rerum qualitates inter ſe comparantur, hoc eſt, cum uel duas res conferimus inter ſe, ut praeſtantior ne ſit iuſtitia an fortitudo, uel etiam plures, ut ſi quaeratur, melius ne ſit rhetoricae, an mathematicis, an iuri ciuili, an medicinae incumbere? Exemplum Ciceronis eſt, quae praeſtantiſsima ſit dignitas uitae. hic enim omnia, quae dignitatem aliquam afferre poſſunt, inter ſe comparantur, ut maior ne dignitas ſit in arte militari, & imperatoria, an in adminiſtratione reip. an in uita philoſophica, an in religione, & ſi qua ſunt huiuſmodi. Quidam praeſtantiſsimum uitae genus eſſe dixerunt, procul a ciuilibus negotiis in doctrinae ſtudiis uerſari, quod plurimi Philoſophi ſecuti ſunt: qua de re Cicero Platonem reprehendit. Alij uero contra putant eſſe praeſtantiſsimum recte remp. adminiſtrare, qua in ſententia fuit Cicero, atque Ariſtoteles, qui ciuilem ſcientiam aliarum reginam appellat. Cicero in oratione pro L. Murena ſic ait, Duae ſunt artes, quae poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis, una imperatoris, altera oratoris boni. ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. In principio librorum de Oratore uidetur Cicero hanc ſoluere quaeſtionem, cum ait, Perbeati fuiſſe, Q frater, illi uideri ſolent, qui in optima rep. cum & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum uitae curſum tenere potuerunt, ut uel in negotio ſine periculo, uel in otio cum dignitate eſ-

ſe

ſe poſſent. At uero Pythius Apollo beatiſsimum omnium Aglaum Pſophidium, qui numquam agri ſui fines excesſiſſet & ſua ſorte contentus uixiſſet, iudicauit. qui (ut ait Plinius) minima cupidine minimum in uita mali expertus fuiſſet. Hae ſunt cognitionis quaeſtiones, quae ad ſcientiam tantum referuntur, & a Philoſophis praecipue moralibus accurate tractari ſolent.

CICERO

RESTANT actionis, cuius alterum eſt praecipiendi genus, quod ad rationem officij pertinet, ut quemadmodum colendi ſint parentes, alterum autem ad ſedandos animos, & oratione ſanandos, ut in conſolandis maeroribus, ut in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda. cui quidem generi cõtrarium eſt diſputandi genus ad eoſdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione ſaepe faciẽdum eſt, uel gignẽdos, uel concitandos. atque fere haec eſt partitio conſultationum.

EXPLANATIO

OMNES actionis quaeſtiones uel ad officium, uel ad motum animorum pertinent. Quaeſtio de ratione officij complectitur omnia illa, quae tribus libris de Officijs explicantur a Cicerone, quibus nihil utilius eſt, uel ad honeſte uiuendum, uel ad dicendi copiam comparandam. quae uolumina cenſet Plinius ediſcenda eſſe, non modo in manibus habenda quotidie. Quaeſtio de motu continet omnes animi permotiones, de quibus in Tuſculanis copioſe Cicero diſputat. In perturbationibus animorum conſiderantur affectus omnes, tam mitiores, quam grauiores, qui aliquando ſedandi ſunt oratione, aliquando concitandi, ut in amplificatione fieri ſolent. Primi generis, quod ad rationem officij pertinet, Cicero ponit hoc exemplum. Quemadmodum colendi ſint parentes. Latini parentes, non tantum patrem & matrem, ſed etiam auum & auiam, proauũq. & proauiam appellauerunt, ut auctor eſt Caius iurisconſultus. magna autem cum reuerentia & modeſtia colendi parentes ſunt. nam (ut ait Hieronymus) meretur caecitatis ſubire ſupplicium, qui parentum uultus toruo uiſu deſpexerit, & elatis oculis laeſerit pietatem. Ariſtoteles ait, Deis, parentibus, & magiſtris, parem gratiã referri non poſſe. tamen ita colendos eſſe parentes cenſent, ne propter eos religionem, aut patriam, aut honeſtatem laedamus. Horatius, docet illum, qui recte aliquid ſcribere uelit, oportere genera illa actionum optime tenere, quae ad rationem officij pertinent. ſic enim ſciet unicuiq. perſonae, quae conueniunt, accommodare. Illud alterum genus actionis, quod ad motum animi pertinet, uel in ſedandis animis, & oratione ſanandis uerſatur, ut cum aliquem conſolamur, in maerore poſitum, cum iram eſſe comprimendam docemus, cum timorem eſſe abijciendum oſtendimus, uel contra in gignendis & concitandis affectibus, in quo uno regnat oratio, ſicut in oratore ad Brutum Cicero docet, & Quinctilianus. Bene autem dixit Cicero ſanari animos oratione. nam perturbationes ſunt tamquam morbi animorum, qui plures pernicioſioresq. ſunt, quam corporis. ſapiẽs autem oratio morbis illis medetur, unde prouerbio dicitur, Animo aegroto medicus eſt oratio. quod Iſocrates in Oratione de pace uſurpat. Quoties autem amplificare uult orator, tunc hos motus non ſedare, & ſanare, ſed gignere, & concitare in animis audientium contendat. Atque hactenus oſtenſum eſt, quomodo conſultationes diuidantur.

CICERO

C. F. Cognoui, ſed quae ratio eſt in his iuueniendi, & diſponendi, requiro. C. P. Quid tu aliam ne eſſe cenſes, & non eandem, quae eſt expoſita, ut ex eiſdem locis ad fidem, & ad inueniendum ducantur omnia? collocandi autem, quae eſt expoſita in alijs ratio, eadem huc transfertur.

EXPLANATIO

POSTQVAM filius intellexit, qua ratione genera conſultationum diuidantur, nunc a patre petit, quomodo ad inuentionem & diſpoſitionem accomodentur, hoc eſt, ſi tractandae fuerint huiuſmodi quaeſtiones, quo modo in eis argumenta poterunt inueniri, & qua ratione diſponi debeant. cui pater reſpondet eandem eſſe rationem in conſultationibus inueniendi & collocandi, quae in alijs etiam expoſita fuit. ſuperius enim iam de inuentione & diſpoſitione multa uerba fecit, ideo nos illuc reijcit. nam a locis, quos explicuimus, etiam in conſultationibus argumenta ducuntur, ut, a definitione, ab enumeratione partium, a notatione, a genere, a forma, & a reliquis. Ita et am eodem collationis genere, quo in aliis, in propoſitis utimur. eſt exemplum egregium apud Ciceronem in oratione pro Roſcio Am. ubi contra parricidas inuehitur, & oſtendit, quantum ſcelus ſit, patrem necare, quo in loco multa argumenta, grauiter & copioſe ponit, & ingenioſe diſponit.

CICERO

Cognita *igitur omni diſtributione propoſitarum conſultationum, controuerſiarum, cauſſarum, genera reſtant omnino, & earum quidem forma duplex eſt, quarum altera delectationem ſectatur aurium alterius, ut obtineat, probet, & efficiat, quod agit, omnis eſt ſuſcepta contentio.*

EXPLANATIO

De quaeſtionibus infinitis ſatis dictum eſt, reſtat, ut etiam de finitis quaeſtionibus, quae controuerſiae & cauſſae dicuntur, uerba faciat, quae praecipue tractantur ab oratore, ſed prius intelligẽdum eſt etiam ad cauſſas referri quaeſtiones illas tres, de quibus ſupra dictum eſt, an ſit, quid ſit, & quale ſit, unde tres conſtitutiones cauſſarum naſcuntur. Nam quaeſtio, an ſit, coniecturis explicatur, unde coniecturalis conſtitutio. Quaeſtio, quid ſit, definitione tractatur, unde conſtitutio definitiua. Quaeſtio, quale ſit, iuſto & iniuſto determinatur, unde conſtitutio iuridicialis. Quoniam autem omnis bona diuiſio, ſicut aiunt dialectici, debet eſſe bimembris, ideo Cicero cauſſarum hoc in loco duplicem formam ſtatuit, quarum una delectationem potiſsimum aurium ſequitur, & omnem ſuauitatem & iucunditatem orationis aucupatur, floresq. dicendi, atque omnes lepores undique delibat; altera ſuſcipit omnem contentionem probandi gratia, & impellendi audientium animos, quocumque uoluerit. Itaque labor omnis oratoris duabus tantum in rebus occupatur, nempe ut delectet, & ut probet. Atque omnis cauſſa ſemper ad alterum horum finium refertur, hoc eſt uel ad delectationem, uel ad probationem.

CICERO

Itaqve *illud ſuperius exornatio dicitur, quod cum latum genus eſſe poteſt, ſaneq. uarium, unum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros uiros, & ad improbos uituperandos.*

EXPLANATIO

Genvs illud cauſſarum, quod aurium delectationem ſectatur, exornatio uocatur, uel laudatio, uel demonſtratiuum, in quo aliquid uel laudamus, uel uituperamus, quod quidem genus latiſsimum eſt, & maxime uarium. nihil eſt enim omnino, quod non, uel laudare, uel uituperare poſsimus, hoc eſt, de quo non liceat in utramque partem diſputare. neque enim hominum tantum & deorum laudes ſunt, ſed etiam aliarum rerum, & animantium, & anima carentium. nam & urbes laudantur, ut Iſocrates in Panegyrico laudat Athenas, & Plato in Atlantico. & Ariſtides rhetor encomium Romanae urbis conſcripſit. ita Cicero pro lege Man. Aſiam laudat, Aſia uero tam optima eſt, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & uarietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. Quarta uero Actione contra Verrem pluribus uerbis egregie prouinciam Siciliam laudat. Alcidamas inſignis rhetor orationem de laudibus Mortis ſcripſit, ut primo Tuſculanarum ait Cicero: Glauco iniuſtitiam laudauit; Fauorinus Therſitem, & quartanam febrim: Syneſius Caluitium; Lucianus Muſcam, & artem paraſiticam. Denique nihil eſt, ut antea dixi, quod non uel laudari, uel uituperari poſsit. Sed, quia uera laus in uirtutis actione conſiſtit, ut ait Cicero lib. 1. off. & uirtus hominis eſt propria ideo rhetores frequentius homines, quam ceteras res uel laudant, uel uituperant. hinc funebres orationes apud Graecos primum inſtitutae, ut ij laudarentur, qui pro ſalute patriae mortem oppetiuerant. Hinc Panegyrici, in quibus non tantum ſinguli homines, ſed etiam totae ciuitates laudabantur. In hoc genere praeclare uerſatus eſt Iſocrates, cuius exſtant adhuc Euagorae, Buſiridis, & Helenae laudationes, & Panegyricus omnium pulcherrimus, in quo Athenienſes exornantur.

CICERO

Genvs *enim nullum eſt orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius ciuitatibus eſſe poſſit, aut in quo magis orator in cognitione uirtutum, uitiorumq. uerſetur.*

EXPLANATIO

Exornationem, ſiue demonſtratiuum genus Cicero uehementer laudat, quod ea omnia in ſe habeat, quae in oratore praecipua ſunt, ubertatem, utilitatem, honeſtatem. Ac primo quidem ait nullum eſſe genus uberius ad dicendum, quoniam non ad unum tantum cauſſae genus pertinet, ſed ad omnia. Primo

enim

enim exornatio ſuum per ſe genus habet ab aliis ſeparatum, deinde per alia etiam genera ſpargitur. nam nemo poteſt accuſare, quin uituperet. nemo defendere, quin laudet. ita etiam in ſuaſione, & diſſuaſione ſaepe laudandum, & ſaepe uituperandum eſt. quod Cicero facit pro L. Man. ut Pompeium magnopere laudet, & in Philippicis, ut Antonium uituperet. Haec eſt cauſſa, quare in oratore ad Brutum Cicero dicat, exornationem eſſe quaſi nutricem oratoris perfecti, quoniam ab ea uerborum copia alitur, & eorum conſtructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia. Continet exornatio dulce genus orationis, & ſolutum, & efflués, ſententiis argutum, uerbis ſonans, cuius nutrimentis educatur eloquentia. Deinde nullum dicendi genus utilius ciuitatibus eſſe poteſt, quoniam eo uiri probi extolluntur, & laudibus in caelum efferuntur. quo fit, ut ad eorũ immitationem multi excitentur. Fuit enim haec antiqua Romanorum conſuetudo, ut poſt conuiuia praeclarorum uirorum laudes ad tibiam canerentur, ut ad eas imitandas iuuenes inflammarentur. quod in Originibus ſuis ſcripſit Cato. Quin etiam eadem facultate uituperatur improbitas, & ſumma ignominia afficitur, ut omnes ab ea refugiant, & recte uiuendi rationem ſequantur. quo quid utilius eſſe poteſt. tum hoc in uno genere de uirtutibus & uitiis uerba facienda ſunt: quae res ad honeſte uiuendum maxime pertinet. Neque poteſt orator genus ullo modo bene tractare, niſi uirtutum, & uitiorum cognitionem teneat. quibus rebus fit, ut hoc genere dicendi nullum ſit uberius, nullum utilius, nullum honeſtius.

CICERO

RELIQVVM autem genus cauſſarum aut in prouiſione poſteri temporis, aut in praeteriti diſceptatione uerſatur. quorum alterum deliberationis eſt, alterum iudicij. ex qua partitione tria genera cauſſarum exſtiterunt, unum, quod a meliori parte laudationis eſt appellatum, deliberationis alterum, tertium iudiciorum. quamobrem de primo primum, ſi placet, diſputemus.

EXPLANATIO

SECVNDA cauſſarum forma, quae omnem contentioné ſuſcipit, ut obtineat, & probet, & efficiat, quod agit, bipartitio diſtribuitur. Aut enim ad futurum tempus pertinet, aut ad praeteritum. Si ad futurum, quoniam quid agendum ſit, aut non agendum conſideratur, & deliberatur, iccirco deliberatio uocatur, ſi ad praeteritum, quoniam de eo quod factum eſſe dicitur, aut non factum, iudicandum eſt, ideo iudicium appellatur. Atque hoc modo tria cauſſarum genera fiunt. Quorum primum laudatio, uel exornatio dicitur. quamuis enim in hoc genere non tantum laudare, ſed etiam uituperare ſoleamus, tamen a meliori parte nomen habet, & non uituperatio, ſed laudatio uocatur. ſemper enim ab eo, quod praeſtat & excellit, tota res appellatur. Atque hoc genus laudationis etiam reliquis duobus permiſcetur, ut docet Ariſtoteles. Secundum genus eſt deliberationis, quod etiam deliberatiuum uocatur, & de illis rebus eſt, quae in noſtra poteſtate ſitae ſunt, ut eas uel agamus, uel dimittamus, & futurum tempus ſemper reſpicit. Tertium genus eſt iudiciorum, & iudiciale dicitur, eaq. complectitur, quae in aliorum poteſtate ſita ſunt, & de praeterito tempore tantum eſt. primo igitur incipit de genere demonſtratiuo uerba facere, quia primum eſt, & uberrimum, atque utiliſsimum,

CICERO

C. F. Mihi uero placet. C. P. At laudandi, uituperandiq. rationes, quae non ad bene dicendum ſolum, ſed etiam ad honeſte uiuendum ualent, exponam breuiter, atque a principiis exordiar, & laudandi, & uituperandi. Omnia enim ſunt profecto laudanda, quae coniuncta cum uirtute ſunt, & quae cum uitiis, uituperanda. quamobrem finis alterius eſt honeſtas, alterius turpitudo.

EXPLANATIO

PLVRIMAE ſunt utilitates, quae a ratione laudandi, & uituperandi proficiſcuntur, ſed duae praecipuae, atque omnium maximae. quoniam ex hoc genere & bene dicere, & honeſte uiuere diſcere poſſumus. quorum alterum eloquentiam auget, alterum efficit, ut nos ipſi iure laudemur. Totum autem laudationis fundamentum eſt uirtus, ſicuti uituperationis, uitium, reliqua uero omnia quodammodo media ſunt. quod ſi uirtuti coniungantur, laudabiliorem uirum efficiunt; ſi uitio, magis uituperandum. Quare genus, educatio, diuitiae, magiſtratus, robur, pulchritudo, ceteraq. huiuſmodi, ſi quis eis bene utatur, & uir probus ſit, ad laudem augendam plurimum ualent; ſi uero ſit improbus is, cui illa contigerunt, ad maiorem uituperationem accommodari poſſunt. Porro is, qui hoc in genere uerſatur, duos ſibi fines proponit, hoc eſt honeſtatem, ſi laudat, & turpitudinem, ſi uituperat. Quamuis enim demonſtratio non ſemper in quaeſtione honeſti & turpis uerſetur, (ut ait Quinctilianus) tamen hos ſibi fines proponit, ad quos omnia, quae dicuntur,

tur, facile referri poſsint. nihil enim omnino per ſe uere eſt laudabile, praeter honeſtatē, nihil uituperabile, praeter turpitudinem. Quamobrem imperite faciunt illi, qui uel ignobilitatem, uel paupertatem, uel ualetudinem, uel deformitatem, uel cetera eius generis alicui obiiciunt, niſi forte uel eis male utatur, uel propter culpam ſuam ea contraxerit. bene enim Vlyſſes apud Ouidium lib. 13. Met. cum Aiax illi ignobilitatem obiecíſſet, ita reſpondit:

Nam genus, & proauos, & quae non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra uoco.

CICERO

CONFICITVR autem genus hoc dictionis, narrandis, exponendisq. factis, ſine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam, aut confirmandam accommodate. non enim dubia firmantur, ſed ea, quae certa, aut pro certis poſita ſunt, augentur. quamobrem ex iis, quae ante dicta ſunt, & narrandi, & augendi praecepta repetentur.

EXPLANATIO

TOTA fere exornandi ratio conſtat ex narratione, & amplificatione. nam eius, quem laudamus, uel uituperamus, facta narrantur. & exponuntur, non ita quidem, ut argumentationibus confirmentur, aut ea refutentur, quae contra dici poſſunt, hoc enim ad iudicia pertinet: ſed, ut tamquam certa & indubitata amplificentur. Quaerit igitur potius orator in hoc genere leniter animi motus tractare, & exhilarare, quā fidem facere, & confirmare. neque enim dubia probare contendit, ſed quae dicit, pro certis ponit & auget. Verum iam ſupra de narratione, & amplificatione multa dicta ſunt, itaque narrandi, & augendi praecepta ſunt inde repetenda. Prooemia uero libera ſunt, ut Quinctilianus docet, adeo ut etiam remota ſint interdum a cauſſa, ut Iſocrates in Helenae encomio, prooemium a Sophiſtarum uituperatione duxit; in Euagorae principio laudes eloquentiae perſequitur, & praecipue generis demonſtratiui. in Buſiride incipit a reprehenſione Polycratis. Narrationes ſunt fere perpetuae, quia ordine ſolet orator explicare, quo genere ſit ortus is, quem laudat, quomodo educatus, quibus ſtudiis deditus, quas res geſſerit, quos honores, quas dignitates fuerit adeptus: &, ſi mortuus eſt, quo genere mortis fuerit exſtinctus. quae omnia ita narranda ſunt, ut ſingula amplificentur, quod egregie facit Iſocrates in Euagora. Confirmationes in hoc genere non admodum requiruntur, quia pro certis & indubitatis omnia ponuntur. neque refutationes adhibendae ſunt, ne apologia fieri uideatur. quare narrationes tantum, & amplificationes totam hanc orationem conficiunt. Perorationes accommodantur ad illos mitiores affectus commouendos, ut leniter auditores ad uoluptatem afficiantur, non autem ut perturbentur, quamuis in uituperatione nonnumquam orator grauius exardeſcit, ut Philippica ſecunda Cicero. nam in eam orationem omnia fere congeſsit, quae in alicuius hominis uituperationem dici poſſunt. qua de cauſſa Iuuenalis eam diuinam appellauit, cum ita inquit:

ridenda poemata malo,
Quam te conſpicuae diuina Philippica famae
Volueris a prima, quae proxima.

Bene etiam Plinius genus hoc in laudatione tractauit, in eo Panegyrico, quem Traiano dixit.

CICERO

ET, quoniam in his cauſſis omnis ratio fere ad uoluptatem auditoris, & ad delectationem referitur, utendum erit his in oratione ſingulorum uerborum inſignibus, quae habent plurimum ſuauitatis. ideſt, ut factis uerbis, aut uetuſtis, aut tranſlatis frequenter utamur.

EXPLANATIO

DOCET, quo genere elocutionis in demonſtratiuo genere uti debeamus. nam, quia fere ſolam auditorum delectationem orator in hoc genere quaerit, eo genere elocutionis uti debet, quod uoluptatem afferre poſsit. At uero in elocutione tria potiſsimū ſpectari ſolent, hoc eſt ſingula uerba, conſtructio uerborū, & numerus. de his omnibus tractat hoc loco Cicero, quo planum faciat, qua ratione plurimum ſuauitatis habere poſsit oratio. Primo igitur de ſingulis uerbis agendū eſt. Singula (inquit) magnopere delectant, ſi fuerint uel facta, uel uetuſta, uel tranſlata. Facta dicuntur, quae ab ipſo oratore finguntur, quod Graeci felicius, quam Latini faciunt. neque hoc tempore nobis licet noua uerba fingere, nis forte res aliquae nouae exſtiterint, quae nomine careant: antiqui multa noua protulere, cum in aliis rebus, tum praecipue in laudando, ut Ennius, de Cor. Cethego, qui primus apud Romanos oratoris nomine dignus habitus fuit:

Flos delibatus populi, ſuadaeq. medulla.

Et Cicero in laudibus Siciliae, Sic populo Romano iucunda eſt ſuburbanitas huius prouinciae. In Catone maiore, de laudibus agriculturae, Terra ſemen tepefactum complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem

ex eo uiriditatem. Vetuſta uerba ſunt factis oppoſita, quae (ut ait Quinctilianus) afferunt orationi maieſtatem cum delectatione; modo ne ſint nimis crebra, aut ab ultimis repetita. Vetuſta ſunt Virgilij:

Clara Deum ſoboles, magnum Iouis incrementum,

& illa Ennij, Egregie Cordatus homo Catus Aelius Sextus. iis dicitur ollis popularibus olim Qui tum uiuebant homines, atque aeuum agitabant, Flos illibatus populi. Talia ſunt, proles, ſoboles, effari, nũcupari, rebar, opinabar, & alia multa, quibus loco poſitis (ut ait Craſſus lib. 3. de or.) grandior, atque antiquior oratio ſaepe uideri ſolet. Tranſlata uerba plurimũ orationem illuſtrant, ut iã ſupra copioſe demonſtratum eſt, ut in oratione pro lege Man. Nunc imperij noſtri ſplendor illis gentibus lucet, & ad laudem plurimum ualent, ut pro Milone, Delegit e florentiſsimis ordinibus ipſa lumina. ſic uir excellens, dicitur decus, & ornamentum reip. ita claritas generis, ſplendor familiae, lumen uirtutum, ardor mentis ad gloriam, fructus ingenij, ſpecimen animi, plurimaq. eius generis tranſlata maiorem in modum orationem exornant, & iucundiſsimam efficiunt.

CICERO

ET in ipſa conſtructioue uerborum, ut paria paribus, & ſimilibus ſaepe referantur, ut contraria, ut geminata, ut circumſcripta numeroſe non ad ſimilitudinem uerſuum, ſed ad explendum aurium ſenſum apto quaſi quodam uerborum modo.

EXPLANATIO

NVNC ad uerborum copulationem, & conſtructionem tranſit, & in qua duo ſeruanda ſunt: primo, ut uerba figurata ſint; deinde, ut bene collocata. Figurata in exornatione maximam habent uenuſtatem, ſi ita conſtruantur, ut paria paribus, & ſimilia, & contraria & geminata ſaepe referãtur, ut pro lege Man multa ſunt exempla. Ac primo paria paribus relata, ut illa, Labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo. Similia ſimilibus relata ſunt illa, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe uideatur. Sunt, qui paria referant ad numerum ſyllabarum, ſimilia uero ad ſimiliter cadentia, uel deſinentia. quae in exornationem frequenter cadunt, ut paria ſint illa, Plura bella geſsit, quam ceteri legerunt; plures prouincias confecit, quam alij concupiuerat. Similia uero illa, Quem ſocium defendiſtis? cui praeſidio claſsibus ueſtris fuiſtis? contraria ſunt illa, Non auaritia ab inſtituto curſu ad praedam aliquam reuocauit, non libido ad uoluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem. Geminata, ut illa, Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani. Vidit hoc homo ſapientiſsimus, uidit dignitati ſuae maxime conuenire. Sed huius generis floſculis totus ubique ſcatet Iſocrates. Bene collocata uerba dicuntur, quae circumſcriptionem numeroſam habent, non quidem ad ſimilitudinem uerſuum, quoniam hoc eſſet uitioſum, ſed ad aurium ſenſum explendum, ut nihil redundet, aut deſit. Eſt autem oratio ſuapte natura numeroſa, ſicut ait in Oratore Cicero, ſiue caſus habeat in exitu ſimiles, ſiue paribus paria reddantur, ſiue opponantur contraria. in huius concinnitatis conſectatione Gorgiam fuiſſe principem accepimus. ſed nihil eſt, quod orationem numeroſiorem efficiat, quã cum contrariis opponuntur contraria, ut quarta in Verrem actione, Conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris aduentum cum illius imperatoris uictoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Pro M. Coelio de Catilina, Quis clarioribus uiris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis ciuium meliorum partium aliquando? quis taetrior hoſtis huic ciuitati? quis in uoluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effuſior? Haec ita poſita bene ſenſum aurium explent, & numeroſa ſunt. quibus autem numeris, & pedibus orator uti debaat, in Oratore ad Brutum copioſe demonſtratum eſt.

CICERO

ADHIBENDAQ. frequentius ẽt illa ornamẽta rerum ſunt, ſiue quae mirabilia, nec opinata, ſiue ſignificata monſtris, prodigiis, oraculis, ſiue quae uidebuntur ei, de quo agimus, accidiſſe diuina, atque fatalia. omnis enim exſpectatio eius, qui audit, & admiratio, & improuiſi exitus habent aliquam in audiendo uoluptatem.

EXPLANATIO

HACTENVS docuit, quomodo in exornatione uerborum ornamenta adhibeantur; nunc ad rerum ornamenta tranſit. ex quibus ſeptem potiſsimũ eligit, quae uoluptatẽ habent, ut in audiendo. Primo quaecumque mirabilia ſunt uoluptatẽ habent, ut in laude Scipionis Africani ſuperioris, quod decem & ſeptẽ natus

annos

annos, ſeſe Hannibali oppoſuerit, quo patrem ſuum ab eo uulneratum liberaret. quam laudem Virgilius ad Lauſum Mezentij filium tranſtulit, de quo ſic ait:

ſocij magno clamore ſequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret.

Cicero pro lege Man. multa de Pompeio mirabilia narrat, ut laudes eius amplificet, ut, quod ineunte adoleſcentia maximi exercitus imperator fuerit, quod bellum praedonum grauiſsimum paruo tempore confecerit, quod etiam ab hoſtibus uictis dilectus fuerit; quod eius ſemper uoluntatibus non modo ciues aſſenſerint, ſocij obtēperarint, hoſtes oboedierint, ſed etiam uenti tempeſtatesq. obſecundarint. Huc pertinent exclamationes, quae ſunt admirationis gratia, ut in eadem oratione, Pro dii immortales, tanta ne unius hominis incredibilis, ac diuina uirtus tam breui tempore lucem afferre reip. potuit. & pro Cor. Balbo, O Cn. Pompeij ſic late longeq. diffuſa laus, ut eius gloriae domicilium communis imperij finibus terminetur. Pro Q. Ligario, O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, litteris, monumentisq. decorandam. Illa etiam, quae ſingularia ſunt, & ab uno tantum, uel a paucis facta, ſolent eſſe mirabilia, ut factum Horatij Coclitis, quod ſolus in ponte Sublicio conſtiterit, contra uniuerſum Etruſcorum exercitum, & Q. Curtij, qui ſua ſponte armatus in equo in terrae hiatum deſiluerit, & huius generis cetera. Secundo, quae praeter exſpectationem, & opinionem ab aliquo egregie fiunt, quae nec opinata dicuntur a Cicerone, maxime laudari ſolent, ut Iunius Brutus, qui longo tempore ſtultitiam ſimulauit, deinde mortua Lucretia contra omnium opinionem ſummam prudentiam oſtendit, & remp. Romanam a regio dominatu liberauit, ſummam ab omnibus laudem conſecutus eſt. Cicero Caeſarem Octauianum ſummopere laudat in eo, quod nec opinantibus Romanis firmiſsimum exercitum contra M. Antonium comparauiſſet. Pro lege Man. praeter omnium opinionem ait accidiſſe, ut tam breui tempore Pompeius bellum praedonum conficeret. Hoc (inquit) tantum bellum, tam turpe, tam uetus, tam late diuiſum, atque diſperſum, quis umquā arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici poſſe? Tertio, quae ſignificata ſunt monſtris, ſaepe ad laudem referuntur, ut Auguſtum Caeſarem Apollinis fuiſſe filium quidam tradiderunt, quoniam draco quidam ad Atiam eius matrem in Apollinis templo dormiētem acceſſerit, & cum ea rem habere uiſus fuerit. unde ſemper deinde illa corpori ſuo draconis impreſſam maculam habuerit. Sed quaeri poteſt, quid monſtrum ſit, & quid a prodigio differat. Donatus in Andria monſtrum ait eſſe, quidquid eſt contra naturam, hoc eſt, quod contra naturam aut deficit, aut excedit. deficit, ut ſi natus fuerit infans ſine pedibus, aut manibus: excedit, ut ſi natus ſit biceps, aut ſedigitus. quamuis haec definitio manca ſit. nam ſaepe monſtra naſcuntur, quae neque deficiunt, neque excedunt, ſed diuerſam penitus naturam habeant, ut in exercitu Xerxis Perſarum regis, equa leporem peperiſſe dicitur. Valerius Max. penitus inter monſtrum, & prodigium differentiam ponit. quidquid enim contra naturam fit, id & monſtrum, & prodigium appellat. quae ſane uocabula multis in locis etiam Cicero confundit, ac pro eodem ponit, ut in Catilinam actione ſecunda, Nulla iam pernicies a monſtro illo, atque prodigio moenibus ipſis intra moenia comparabitur. Quincta in Verrem actione, Non mihi iam furtum, ſed monſtrum ac prodigium uidebatur. Tamen illa mihi bona diſtinctio uidetur, ut monſtrum dicatur in ipſa generatione, quidquid contra naturae legem, & conſuetndinem naſcitur, ut ſi puer biceps naſcatur, aut quattuor habens brachia, aut capite canino: Prodigium uero, quod accidit praeter conſuetudinem, ut formicae puero Midae dormienti tritici grana in os congeſſerunt. Quarto igitur loco prodigia ſaepe magnam laudandi copiam ſuggerunt, ut in laude Romuli, quod a lupa nutritus fuerit, cum expoſitus ab Amulio fuiſſet. In laude Platonis, quod ei in cunis infanti apes in os mel inſeruerint. In laude Seruij Tullij, quod ei puero circum caput ingens flamma reluxerit. Sed huius generis prodigiorum plenae ſunt hiſtoriae & fabulae. Quincto, oracula, ut de Caeſare Octauiano, quod ciuibus eius Veliternis praedictum fuiſſet, eius opidi ciuem aliquando rerum potiturum; ut de Iunio Bruto, qui cum ab oraculo audiuiſſet eum Romae rerum potiturum, qui primus matrem oſculatus fuiſſet, e naui egreſſus terram optimam omnium matrem primus deoſculatus eſt. Sexto, diuina, ut C. Iulius Caeſar poſt mortē inter deos relatus, & Octauianus Auguſtus, dū adhuc uiueret, tamquam Deus cultus eſt. Septimo, fatalia, ut P. Nigidius poſtquam horam, qua natus eſt Octauianus, accepit, affirmauit dominum terrarum orbi natum; & Theogenes Mathematicus, cum eiuſdē Octauiani genituram audiuiſſet, ſtatim exſiluit, adorauitq. eum. qua de cauſſa tantum mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum uulgauerit, nummumq. argenteum nota ſideris capricorni, quo natus eſt, percuſſerit. Haec diligenter in tota laudatione ſunt inueſtiganda. habent enim admirationem, & exſpectationem. omnis autem exſpectatio, & admiratio eius, qui audit, in audiendo ſemper delectationem habet. ſi uero fuerint exitus felices, & improuiſi, expletur animus iucundiſsima uoluptate.

C I C E R O

SED, quoniā in tribus generibus bona mala ue uerſantur, externis, corporis, & animi. prima ſunt externa, quae ducuntur a genere, quo breuiter, modiceq. laudato, aut ſi erit infame, praetermiſſo, ſi humile, uel praeterito, uel ad augendam eius, quem laudas, gloriam tacito, deinceps ſi res patiatur, de fortunis erit, & facultatibus dicendum, poſtea de corporis bonis, in quibus quidem, quae uirtutem maxime ſignificat, facillime forma laudatur.

EXPLANATIO

OMNIA, quae bona ſunt, laudantur, uituperanturq. contraria. Sed bona ſunt in triplici genere. nam aia dicuntur externa, quae fortuna donantur, ut nobilitas, & diuitiae. alia corporis ſunt, ut bona ualetudo, & formae dignitas. alia ſunt ipſius animi, ut uirtutes, artes, ſcientiae. quamuis autem tria ponantur bonorum genera, tamen ea tantum, quae ad animum referuntur, proprie bona ſunt, reliqua uero ideo in laude ponuntur, quod is, qui laudatur, bene illis uſus fuerit. Cicero primo ponit externa, uel quia creſcere debeat oratio, & ab illis ſit incipiendum, uel quia naturae ordine prima ſunt, ut genus, patrimonia ſunt, antequam aliquis laudandus naſcatur. Sed haec, quae uel externa, uel corporis ſunt, breuiter modiceq. ſunt laudanda, quia uera laus eſt in animi bonis. Genus triplex eſſe poteſt, illuſtre, infame, humile. Illuſtre, quod maiorum imaginibus ſplendet, ut C. Caeſar, amitam ſuam pro roſtris laudans, ita dixit, Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, Paternum cum diis immortalibus coniunctum eſt. Cicero pro Archia poeta, Nam ibi natus eſt, loco nobili, & celebri quondam urbe & copioſa. Sed diligenter aduertendum, quid praecipiat hoc loco Cicero, genus breuiter & modice laudandum eſſe, ne eorum conſuetudinem ſequamur, qui, cum aliquem laudandum ſuſceperint, magnam temporis partem in celebrandis eius maioribus, & recenſendis illorum rebus geſtis conſumunt, cum ſatis ea, quae ad genus attinent, leuiter attingere, ut, qui laudatur, maiorum ſuorum illuſtrium uirorum imitator fuiſſe uideatur. Quod ſi genus fuerit infame, penitus in laude praetermitti debet, ne inde aliqua macula in eum, qui laudatur, deriuaſſe uideatur, uerum ad eius res egregie geſtas ſtatim accedendum eſt, ut in eis auditorum mens defixa, nihil degenere cogitet. Itaque, ſi quis fuerit magna uirtute praeditus, nihil ad laudem oberit illi, quamuis eius maiores fuerint infames. Sed in uituperatione genus infame ſolet obiici, ut Cicero ſecunda Philippica, Quae porro amentia eſt, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem; ipſe ex libertini filia ſuſceperit liberos. Denique, ſi genus humile fuerit, uel praetermittitur, uel aliquando commemoratur, ut maior eius, qui laudatur, appareat gloria. Si primus genus ſuum illuſtrauerit, qua de re multis in locis Cicero gloriatur, quod cum eſſet nouus homo, cuius maiores laude populari, atque honoris luce caruerint, omnes tamen dignitates ſua uirtute conſecutus eſſet. In oratione contra Salluſtium ita inquit, Ego meis maioribus uirtute mea praeluxi, ut, ſi prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriae ſuae in tuis uitae, quam turpiter egiſti, magnas effudiſti tenebras, ut, etiam ſi fuerint egregij ciues, certe uenerint in obliuionem. Quare noli mihi antiquos uiros obiectare. Satius eſt enim, me meis rebus geſtis florere, quam maiorum opinione niti, & ita uiuere, ut ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & uirtutis exemplum. in hunc ſenſum dixit etiam Iuuenalis:

> Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
> Aeacidae ſimilis, Vulcaniaq. arma capeſſas,
> Quam te Therſitae ſimilem producat Achilles.

Atque hoc quidem de genere Cicero tradit. uerum Iſocrates, qui genus hoc epidicticũ optime tractauit, non breuiter, modiceq. genus laudat, ſed copioſe multisq. uerbis in Euagora commendat, ut eius maiores Aeacum, Telamonem, Peleum, Achillem, Aiacem, Teucrum magnopere celebrat. Sed tamen idem Iſocrates in Helenae Encomio, & in Buſiride breuiter modiceq. genus laudat. quare praeceptum Ciceronis ſeruandum eſt, niſi res aliter poſtulare uideatur. Poſtquam uero genus tractatum fuerit; ad fortunas & facultates, quae fortunae bonae putantur, ueniendum eſt. nam etiam diuitiae magnam habent commendationem, ſi quis eas ad liberalitatem magnificentiamq. conferat. Virgilius lib. 7. Aen. Galeſum a diuitiis ita laudat:

> Auſoniisq. olim ditiſsimus armis.
> Quinque greges illi balantum, quina redibant
> Armenta, & terram centum uertebat aratris.

Multa ſunt corporis bona, quae laudari poſſunt, ut robur, uires, ualetudo firma, ſed maxime pulchritudo formaq. laudatur, quia uirtutem quodammodo ſignificare uidetur. uultus enim eſt tacita mentis locutio, unde bene Virgilius dixit lib. 5. Aen.

> Gratior, & pulchro ueniens in corpore uirtus.

Iſocrates etiam in Euagora primo loco pulchritudinem eius commendat, & in Helenae Encomio pulchritudinem rerum omnium eſſe praeſtantiſsimam, pretioſiſsimam, & maxime diuinam pluribus uerbis oſtendit. Plinius in Panegyrico a forma Traianum laudat. Quin etiam poetae ſuos Heroes a dignitate corporis ſummopere celebrant, ut Homerus tradit Achillem omnium Graecorum fuiſſe pulcherrimum, & Virgilius Aeneam tanta pulchritudine praeſtitiſſe canit, ut eius facies diuina uideretur. ſic enim ait:

> Reſtitit Aeneas, puraq. in luce refulſit,
> Os, humerosq. Deos ſimilis, namq. ipſa decoram
> Caeſariem nato genitrix, lumenq. iuuentae
> Purpureum, & laetos oculis afflarat honores.

Ita Polyphemus apud Ouidium a forma ſe laudat:

> Certe ego me noui, liquidaq. in imagine uidi.

CICERO

DEINDE *eſt ad facta ueniendum, quorum collocatio triplex eſt. aut enim temporum ſeruandus eſt ordo, aut in primis recentiſsimũ quodque dicendũ, aut multa & uaria facta in propria uirtutũ genera ſunt dirigenda.*

EXPLANATIO

POSTQVAM in laudando bona externa, & corporis expoſuerimus; deinde ueniendum eſt ad ea, quae ſunt laudis propria, & ab animo bene affecto proficiſcuntur, nempe ad egregia facta, quae ſunt uirtutum opera. horum autem diſpoſitio, ſiue collocatio tribus modis fieri poteſt. uel enim temporum ordinem ſequi poſſumus, & a primis incipientes ſigillatim omnia recenſendo uſque ad ultima & nouiſsima progredi. uel retro, & quaſi ſurſum uerſus commeare, hoc eſt a nouiſsimis & recentiſsimis incipientes ad prima regredi. uel interciſo & permixto ordine temporum ad aliqua uirtutum genera ſingula facta referre. Prima collocatio naturalis eſt, quoniam temporum ordinem ſeruat, ideo frequentius illam orationes in laudando ſequuntur. ut a quo genere ſit ortus, quomodo educatus, & apud quos, quibus diſciplinis inſtitutus. quid in pueritia geſſerit, quid in adoleſcentia, quid in uirili aetate, quid in ſenectute, & denique ſi mortuus eſt, quo genere mortis ſit exſtinctus. quem ordinem Iſocrates in Euagora laudando ſequitur, atque etiam in Helenae Encomio. Secundus ordo naturali quodammodo eſt contrarius, quia recentiſsima quaeque prius exſequitur, ideo rarius eo uti ſolemus. tamen accidit aliquando, ut ſit neceſſarius, ſicuti Plinius in Panegyrico ſtatim incipit a Traiani creatione quae recentiſsima fuerat. Tertius ordo multum cõmendatur, quia dat nobis certam uiam rationẽque laudandi. & eo ſeruando multa etiam affingere poſſumus, quo maior laus appareat. cum ad certa uirtutum genera facta referimus, ut pro Lege Man. Cicero ad quattuor capita Pompeij laudes retulit, ad ſcientiam rei militaris, ad uirtutem, ad auctoritatem, ad felicitatem: hoc nobis facile erit, ſi omnes uirtutum ſpecies bene cognitas habuerimus. quod ex officiis Ciceronis & ex Ariſtotelis Ethicis facile conſequi poterimus; ut ſciamus, quae facta ad prudentiam, quae ad iuſtitiam, quae ad fortitudinem, quae ad temperantiam referri oporteat. nihil enim maiorem dicendi copiam affert, quam officiorum, ac uirtutum cognitio. qui locus cum latiſsime pateat, hoc in loco a Cicerone breuiter explicatur. ſic enim ſubiungit.

CICERO

SED *hic locus uirtutum, atque uitiorum, latiſsime patens, ex multis & uarijs diſputationibus, nunc in quãdam anguſtam & breuem concludetur. Eſt igitur uis uirtutis duplex. aut enim ſcientia cernitur uirtus, aut actione. nam quae prudẽtia, quae calliditas, quaeq. grauiſsimo nomine ſapientia appellatur, haec ſcientia pollet una; quae uero moderandis cupiditatibus, regendiſq. animi motibus laudatur, eius eſt munus in agendo, cui temperantiae nomen eſt.*

EXPLANATIO

MVLTAE ſunt, & uariae diſputationes de uirtutibus & uitiis, quas philoſophi copioſe perſequuntur, ſed in hac arte ſatis eſt anguſte & breuiter haec tractare, ut intelligatur, quae ſit laudandi & uituperandi ratio. cum enim omnia laudentur, quae uirtuti coniuncta ſunt, primo uidendum eſt, quotuplex ſit ius & natura uirtutis, quam Cicero duplicem facit. ait enim omnem uirtutem uel ad ſcientiam, uel ad actionem pertinere. uirtus. quae ad ſcientiam pertinet, prudentia dicitur, uel calliditas, uel ſapientia, quae pertinet ad actionem, & cupiditates moderatur, regitq. animi motus, temperantia nominatur, haec eſt Ciceronis partitio, quae optimis rationibus firmatur. nam, ut ait Ariſtoteles. homo natus eſt ad intelligendum & agendum. quamobrem ut finem ſuum conſequatur, opus eſt, ut eas uirtutes acquirat, quae ad finem ducunt. ſed prudentia ac ſapientia facit, ut homo recte intelligat. temperantia uero, ut recte agat. Itaque duae hae uirtutes, hoc eſt prudentia & temperantia, ſunt homini ad finem ſuum conſequendum neceſſariae. Praeterea (ſicut ait de officijs Cicero) duplex eſt uis animorum atque naturae, una pars in appetitu poſita eſt, quae eſt ὁρμὴ Graece, quae hominem huc & illuc rapit; altera in ratione, quae docet, & explanat, quid faciendum, fugiendumq. ſit. ita fit, ut ratio praeſit, appetitus uero obtemperet. & in quarto Tuſculanarum ſic ait, Platonis deſcriptionem ſequar, qui animum in duas partes diuidit, alteram rationis participem facit, alteram expertem, in parte rationis ponit tranquillitatẽ, ideſt placidam quietamque conſtantiam; in illa altera motus turbidos tum irae, tum cupiditatis contrario, inimicosq. rationi. Cum autem uirtutes ſint animi quaſi perfectiones quaedam, ea uirtus, quae rationem perficit, prudentia dicitur; quae uero appetitum, uocatur tẽperantia. hanc eãdẽ paene partitionẽ facit Ariſtoteles, in fine lib. 1. & prin. l. 2. Eth. cum ſic ait, Cum duo ſint uirtutũ genera, alterũ earũ, quas in ratione eſſe dicimus; alterum earũ, quas morales, & uoluntarias, rationis quidẽ magna ex parte a doctrina ortũ, acceſsionemq. habent. itaque & exercitationis indigent & temporis, morales, ac uoluntariae moribus, a quibus nomen duxerunt. Cicero igitur hoc loco prudentiam pro omni uirtute rationis poſuit, temperantiam pro omni uirtute morali, & uoluntaria. Sed aduertendum eſt, hoc in loco Ciceronem prudentiam calliditatem, & ſapientiam pro una, atque eadẽ uirtute ponere. quod etiam alibi multis in locis facit, ut nullam inter prudentiam & ſapientiam penitus differentiam

rentiam ponat,ſicuti nos olim copioſe contra Coelium Calcagninum Deciſione decima ſeptima probauimus. eſt enim prudentia tamquam genus, quod omnem cognitionem, omnem artem, omnem ſcientiam, omnem denique ſapientiam continet.

CICERO

ATQVE *illa prudentia in ſuis rebus domeſtica, in publicis ciuilis appellari ſolet.*

EXPLANATIO

PRVDENTIAM uirtutum omnium quaſi moderatricem quandam eſſe uult Socrates, quae in cognitione maxime conſiſtit, ſed ſaepe tamen etiam ad actionem refertur. nihil enim recte, nihil laudabiliter ſine prudentia geri poteſt. quoniam autem facta potiſsimum laudantur, ideo Cicero diuidit eam prudentiam, qua utimur in agendo, quam ait eſſe duplicem, alteram domeſticam, alteram ciuilem. Domeſtica eſt, qua ſcite res priuatae geruntur, quae ad unuſquiſq. hominis uiuendi rationem, & ad rem familiarem pertinet, ea Graeco nomine uomine uocatur οἰκονομικὴ, de qua Xenophon ſcripſit, & Ariſtoteles quae adhuc exſtant opera. nam ille magna laudatione dignus eſt, qui prudenter, & ſapienter uitam ſuam inſtituit, atque totam familiam ſuam optima ratione moderatur. Ciuilis prudentia illa eſt, quam Graeco nomine πολιτικὴ uocant, quae remp. recte docet adminiſtrare, & ab Ariſtotele ſcientiarum regina nominatur, quoniam omnium eſt utiliſsima. tunc enim beatas eſſe reſp. Plato dixit, cum aut ſapientes eas adminiſtrant, aut qui eis praeſunt, ſapientum conſilijs utuntur. hinc maxima laudandi copia, ſiquis in adminiſtratione reip. ſe prudenter geſſerit, ut apud Graecos Solon, Ariſtides, Phocion, apud Romanos Cato, Fabius, Cicero. Quibus autem rebus conſtet haec ciuilis prudētia, numerat L. Craſſus apud Ciceronem primo de Oratore hoc modo, Perdiſcendum ius ciuile, cognoſcendae leges, percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina reip. iura ſociorum, foedera, pactiones, cauſſa imperij cognoſcenda. haec omnia ſiquis bene perceperit, ciuilis prudentiae peritus haberi iure poterit.

CICERO

TEMPERANTIA *autem in ſuas itidem res, & in communes diſtributa eſt, duobusq. modis in rebus commodis diſcernitur, & ea, quae abſunt, non expetendo, & ab ijs, quae in poteſtate ſunt, abſtinendo.*

EXPLANATIO

TEMPERANTIAE nomine Cicero hoc in loco comprehendit omnes uirtutes, quae morales Latine, ἠθικαὶ Graece uocantur. Dicitur autem temperantia, quia motus animi turbidos ita temperat, ut appetitum rationi oboedire cogat. ea diuiditur eo modo quo prudentia. nam uel ad priuatas res refertur, uel ad communes & publicas. ac prius agit de illa temperantia, quae ad ſuas res & priuatas pertinet, quae animi moderatio dici poteſt. ea duobus modis ſpectatur, uel cum res commodae ſunt, uel cum ſunt incommodae. in rebus commodis etiam duobus modis temperantia diſcernitur, quia res illae commodae uel abſunt a nobis, uel in noſtra poteſtate ſitae ſunt. Si abſunt a nobis, non eas admodum expetere debemus. non enim honeſtum eſt res alienas appetere. atque haec temperantiae pars uocatur abſtinentia & innocentia. ſi ſunt in noſtra poteſtate res commodae, uirtus eſt ſeſe ab eis continere, ne blandiſsimae dominae uoluptates nos decipiant, & haec continentia dicitur. Hinc laudandi campus, ſi quis aliena numquam inuaſerit, & in ſuis rebus continens fuerit. audatur enim maxime, qui ſpretis uoluptatibus frugalitatem & continentiam amplectuntur, & qui a rebus alienis manus, oculos, mentem continent, ut apud Graecos Socrates, Gorgias Leontinus, Xenocrates, apud Romanos Curius, Fabricius, Camillus, alijq. plurimi. Cicero pro Lege Man. uehementer in hac parte Pompeium laudat, quod innocentiſsimus, & continentiſsimus eſſet, cum ita inquit, Hic miramur hunc hominem tantum excellere ceteris, cuius legiones ſic in Aſiam peruenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, ſed ne ueſtigiū quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur. iam uero, quemadmodum milites hibernent, quotidie ſermones ac litterae perferuntur, non modo ut ſumptum faciat in militem, nemini uis affertur; ſed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. & paullo poſt. Hae res, quae exteros remorari ſolent, non retardarunt, non auaritia ab inſtituto curſu ad praedam aliquam reuocauit, non libido ad uoluptatem, & quae ſequuntur. Quin etiam Quinctū fratrem ſuum ab innocentia & continentia maiorem in modum ita commendat, Praeclarum eſt enim ſummo cum imperio fuiſſe in Aſia triennium, ſic, ut nullum ſignum, nulla pictura, nullum uas, nulla ueſtis, nullū mancipium, nulla forma cuiuſquam, nulla condicio pecuniae, quibus rebus abundat iſta prouincia, ab ſumma integritate continentiaq. deduxerit. Quid autem reperiri tam eximium, aut tam expetendum poteſt, quam iſtam uirtutem moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris, neque eſſe abditam, ſed in luce Aſiae, in oculis clariſsimae prouinciae, atque in auribus omnium gentium ac nationum eſſe poſitam, non itineribus tuis perterreri homines, non ſumptu exhauriri, non aduentu commoueri, eſſe quocūque ueneris, & publice & priuatim maximam laetitiam, cum urbs cuſtodem, non tyrannum; domus hoſpitem, non expilatorē recepiſſe uideatur.

uideatur. Igitur hae duae temperantiae partes, quae in rebus commodis ſpectantur, hoc eſt innocentia, & continentia, maximam afferre laudem poſſunt.

CICERO

IN rebus autem incommodis eſt itidem duplex. nam quae uenientibus malis obſtat, fortitudo; quae, quod iam adeſt, tolerat, & perfert, patientia nominatur.

EXPLANATIO

RES incommodae uel abſunt a nobis, uel praeſentes ſunt. ſi abſunt, magno & excelſo animo illis occurrendum eſt, neque ullo timore perterrefieri oportet, ſed forti & conſtanti animo non tantum pericula omnia, ſed etiam, ſi res ita poſtulat, pro honeſtate mors ipſa ſubeunda eſt, & haec uirtus fortitudo uocatur. hinc omnes fere bellicae laudes, & egregia uis animi in proeliando, qua plurimi uiri praeſtiterunt, & ſempiternam ſibi gloriam acquiſiuerunt, ut apud Graecos Militiades, Leonidas, Themiſtocles, apud Romanos Curius, Scipio, Caeſar, alijq. paene innumerabiles. hac uirtute bellica Cicero pro Lege Man. Pompeiũ iure optimo mirifice commendat. fuit enim uir ille ſummus imperator, & Alexandro Magno paene par, aut fortaſſe etiam ſuperior, ut ſentire Plinius uidetur. Si praeſentes ſunt res incommodae, tolerare eas & perferre opus eſt, quae uirtus patientia nominatur, quam eſſe maximam uirtutem uolunt. de hac copioſe Cicero libro Tuſculanarum ſecundo diſputat, ubi dolorem omnino contemnendum eſſe docet, & multis rationibus & exemplis utitur. neque tantum infortunia ferenda ſunt, ſed etiam iniuriae & contumeliae, quia, ut docet Plato, melius eſt iniuriã accipere, quam inferre. qua in re celebrantur apud Graecos Zeno, Lycurgus, Dion, apud Romanos Mucius Scaeuola, Atilius Regulus, Q. Pompeius. Cicero pro Q. Ligario Caeſarem in eo magnopere cõmendat, quod nihil obliuiſci ſoleret, praeter iniurias.

CICERO

QVAE autem haec uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur, cuius eſt liberalitas in uſu pecuniae, ſimulq. altitudo animi in capiendis incommodis, & maxime iniurijs, & omne, quod eſt eius generis graue, inſedatum, & turbulentum.

EXPLANATIO

IN rebus incommodis & aduerſis magnitudo animi potiſsimum cernitur, quae duas illas, quas diximus, uirtutes complectitur, hoc eſt fortitudinem, & patientiam atque haec uirtus utramque fortunam & ſecundam & aduerſam moderate quidem ferre docet, ſed in aduerſa fortuna magis elucet, & ad res tantum magnas & egregias animum excitat, & extollit. ut pro honeſtate ſe periculis exponat, & iniurias toleret, atque earum obliuiſcatur. huic animi magnitudini coniuncta eſt liberalitas atque beneficentia, quae in uſu pecuniae conſpicitur, & qua nihil eſt (ut ait Cicero) naturae hominis accommodatius, & hac uirtute ſibi homines maximã beneuolentiam conciliant. Hinc maxime celebratur Cimon Athenienſis, qui quotidie domi conuiuium parabat, quo turmatim pauperes conueniebant, agrorum ſuorum ſaepes auferri iuſsit, ut omnes impune fructibus ueſcerentur. quos premi paupertate intelligebat, eos collata furtim pecunia ſuſtentabat. ſed de eo plura Plutarchus in eius uita. celebratur etiam Hiero Syracuſanus, Gillias Agragantinus, & apud Romanos L. Lucullus, C. Caeſar, & alij plurimi. Sunt autem liberalitatis duo maxime probabiles fontes, iudicium & honeſta beneuolentia, cui uirtuti adiuncta eſt, humanitas, miſericordia, hoſpitalitas, & in rebus incommodis liberalitas a Cicerone ponitur, quoniam tunc maxime grata eſt, quando laborantibus & egentibus ſubuenit. Altitudo animi patientiae coniuncta eſt. & cernitur in contemnendis laboribus, periculis, incommodis, iniuriis. hinc ſummae laudes eius, qui nullo labore frangatur, nullo periculi timore concutiatur, omnia ſubeat pro honeſtate incommoda, omnes iniurias contemnat, ac deſpiciat, & quidquid eſt graue, inſedatum, & turbulentum facile perfert, & moderate tolerat. Summa igitur haec eſt, ut temperantia in priuatis rebus quattuor praecipuas uirtutes complectatur, duas in rebus commodis, & duas in incommodis. cum res ſunt commodae, qui ſeſe a uoluptatibus continet, laudatur, & ea uirtus continentia dicitur; & qui nemini nocet, quae uirtus innocentia nominatur; in rebus incommodis qui uenientibus reſiſtit, fortis, & conſtans eſt, & ea uirtus dicitur fortitudo, cui liberalitas adiuncta; qui res aduerſas tolerat, is eſt patiens, & ea uirtus uocatur patientia, cui animi altitudo coniungitur.

CICERO

IN communione autem quae poſita pars eſt, iuſtitia dicitur, eaq. erga deos religio, erga parentes pietas, uulgo autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animaduertendi, lenitas, amicitia in beneuolentia nominatur. atque hae quidem uirtutes cernuntur in agendo.

EXPLANATIO

TEMPERANTIA, quae ad res communes pertinet proprio nomine iuſtitia uocatur. eſt autem duplex iuſtitia. Altera cuius ſplendor eſt maximus, ut ait Cicero, ex qua boni uiri nominantur, quae omnem moralem uirtutem complectitur, ut quodam uerſu Theognis teſtatur, quem ita Diuus Hieronymus tranſtulit:

Iuſtitia in ſeſe uirtutes continet omnes.

Hac uirtute ait Ariſtoteles neque luciferum eſſe clariorem. Altera iuſtitia eſt, de qua hoc in loco Cicero loquitur, quam in ſex partes diſtribuit. Prima iuſtitiae ſpecies eſt ea, qua Deum colimus & ueneramur, quae religio nuncupatur, & omne ius ſacrorum continet. hanc Ariſtoteles iuſtitiarum principem appellat. Secunda eſt, qua patriam obſeruamus, & parentes, ac maiores noſtros, quae pietas nominatur. neque enim minus patriae debemus quã parentibus, immo uero ſapientes ſtatuunt magis nos patriae, quã ipſis parentibus debere. ſicut apud Platonem in Critone Socrates affirmat: parens autem haud multo ſecus quam deus eſt liberis ſuis, ut pro Cn. Plancio teſtatur Cicero. Tertia iuſtitiae ſpecies eſt, qua uulgo erga homines utimur, cum neminem laedimus, & ſtudemus adiuuare quam plurimos, quae bonitas appellatur. eſt enim hoc boni uiri officium, in multos beneficia conferre. Quarta eſt, cum promiſſa ſeruamus, & quaecumque dicimus nos facturos, ea facimus, & omnem fraudem atque dolum fugimus, quae fides nominatur ex eo, quod fiat quod dictum eſt, ait Cicero. hoc eſt enim maxime iuſtum, quod ait etiam Ariſtoteles, ſtare conuentis, & promiſſa praeſtare. Quincta iuſtitiae ſpecies eſt, quando non procliues ſumus ad ulciſcendum, neque ab ira nos abduci permittimus, ut quempiam puniamus, ſed moderatione in puniendo & animaduertendo utimur, quae lenitas dicitur, cuius proprium eſt, ut ait Ariſtoteles, non protinus ad ulciſcendum feſtinare, neque contentionibus delectari Sexta & ultima iuſtitiae ſpecies eſt, qua multorum nobis beneuolentiam conciliare ſtudemus, quae amicitia uocatur. haec autem uirtus quantopere ſit expetenda, docet in Laelio copioſe Cicero. Atque hae fere ſunt uirtutes, quae in agendo ſpectantur, & quae maxime laudabiles uiros efficiunt, quibus pro Lege Man. Cicero Pompeium maxime celebrat. primo enim bellandi uirtutem eius extollit, deinde ita ſubiungit, Eſt haec diuina atque incredibilis uirtus imperatoris quid ceterae, quas paullo ante commemorare coeperam, quantae atque quam multe ſunt? non enim ſolum bellandi uirtus in ſummo atque perfecto imperatore quaerenda eſt, ſed multae ſunt artes eximiae, huius adminiſtrae, comitesq. uirtutis Ac primum quanta innocentia debent eſſe imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate? quanto ingenio? quanta humanitate? quae breuiter qualia ſint in Cn. Pompeio, conſideremus. ſumma enim ſunt omnia, Quirites, & quae ſequuntur.

CICERO

SVNT *autem aliae quaſi miniſtrae, comitesq. ſapientiae, quarum altera quae ſint in diſputãdo uera, atque falſa, quibusq. poſitis quid ſequatur, diſtinguit, & iudicat, quae uirtus omnis in ratione ſcientiaq. diſputandi ſita eſt, altera autem oratoria. nihil enim aliud eſt eloquentia, niſi copioſe loquens ſapientia. quae ex eodem hauſta genere, quo illa, quae in diſputando uberior eſt, atque latior, & ad motus animorum, uulgiq. ſenſus accommodatior.*

EXPLANATIO

SAPIENTIA principem locum inter uirtutes ſortita eſt, ut iam ſupra eſt demonſtratum. haec duas artes habet quaſi miniſtras & comites, hoc eſt Dialecticam, & Rhetoricam, quae ideo comites ſapientiae ſiue prudentiae dicuntur, quoniam rerum cognitio praecedit, ipſae ſequuntur. neque enim quiſquam aut bene diſputare, aut bene dicere niſi de re cognita poteſt. Dialectica dicitur inſtrumentum, & quaſi clauis totius ſapientiae, quoniam (ut ait Ariſtoteles) ad omnium ſcientiarum principia uiam aperit & ſine hac arte quiuis a uero abduci facile poteſt, ut tertio de finibus apud Ciceronem Cato teſtatur poteſt autem quaeri, utrum Dialectica & Rhetorica uirtutes ſint nec ne? cui quaeſtioni Quinctilianus li. ſatisfacit, & omnino uirtutes eſſe concludit, cuius haec ſunt uerba, Itaque cum duo ſint genera orationis, altera, perpetua, quae Rhetorica dicitur, altera conciſa, quae Dialectica, quas quidam Zeno adeo coniunxit, ut hanc compreſſae in pugnum manus, illam explicitae diceret ſimilem, etiam diſputatrix uirtus erit, adeo de hac, quae ſpecioſior, atque apertior eſt, nihil dubitabitur. L. Craſſus apud Ciceronẽ li. j. de Orat. ait eloquentiã unã quandã eſſe de ſummis uirtutibus. In Bruto Cicero dicit eloquentiam eſſe ingenii lumen, ut homines (inquit) decus eſt ingenium, ſic ingenij lumen eſt eloquentia, hoc in loco ſapientiae ſpeciem uult eloquentiam eſſe, quoniam uera eloquentia tantum in uiro bono, & ſapiente eſſe poteſt. At uero Dialecticam & Rhetoricam ex eodem eſſe genere ait, quoniam nulla alia in re differunt inter ſe, niſi quod haec ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior, ut in Oratore ad Brutũ ait Ariſtoteles ait, li. 1. Rhe. Rhetoricã ex Dialectica & ciuili ſciẽtia eſſe cõflatã. Itaque latior eſt & uberior quam Dialectica, & ad motus animorum accommodatior, nam Dialecticus animos mouere non quaerit, atque ideo non utitur exordijs & perorationibus: orator uero non tantum probare & fidem facere, ſed etiam animos mouere, & delectare quaerit. qua de cauſſa factum eſt, ut plures ſint orationis partes. hinc etiam laudes naſcuntur, ut ſiquis ualens dialecticus fuerit, quales pleriq. Stoici fuerunt, & qui eorum porticum fulcire dictus eſt Chryſippus, unde etiã Chryſippeum acumen pro magno ponitur.

nitur.ſiquis egregius orator,quam laudem in ornando Pompeio,Cicero pro lege Man.non praetermiſit. ſic enim ait,Iam quantum conſilio,quantum dicendi grauitate,& copia ualeat, in quo ipſo ineſt quaedam dignitas imperatoria,uos,Quirites,hoc ipſo in loco ſaepe cognouiſtis.pro Cor. Balbo de eodem Pompeio, Quae fuerit heſterno die Cn.Pompeii grauitas in dicendo,iudices,quae facultas,quae copia,non opinione tacita ueſtrorum animorũ,ſed perſpicua admiratione declarari uidebatur.in ſecundo de officiis ita inquit Cicero, Eloquentia uero nihil eſt laudabilius,uel praeſtantius,uel admiratione audientium, uel ſpe indigentium, uel eorum,qui defenſi ſunt,gratia.

CICERO

CVSTOS *uero uirtutum omnium dedecus fugiens,laudemq. maxime conſequens,uerecundia eſt.*

EXPLANATIO

VERECVNDIAM ubique Cicero uehementer commendat, tamquam omnis honeſtatis parentem, & nutricem,& cuſtodem,quae fugiat omnem turpitudinem, & laudem,gloriamq. conſequatur,ut ait hoc in loco.& primo de Officijs uerecundiam ornatum uitae appellat. & alio loco ait hominem ſolum ex omnibus animalibus natum eſſe pudoris,ac uerecundiae participem. reprehenditq. magnopere Stoicos primo de officijs,quod uerecundiam contemneret. & in libro de Amicitia, Maximum ornamentum amicitiae ait uerecundiam eſſe. Val.Maximus ait uerecundiam eſſe parentem omnis honeſti conſilij. Seneca cenſet tamdiu eſſe aliquem bonae ſpei locum,quamdiu uerecundia in animo durauerit.tamen Ariſtoteles Ethicorum quarto cẽſet uerecundiam non eſſe uirtutem,ſed potius quandam animi affectionem,quae iuuenes quidem doceat, ſenes uero minime. quare laudandos eſſe ait iuuenes uerecundos, at ſenes, ſi uerecundi fuerint, improbandos. Pythias ipſius Ariſtotelis filia,cum aliquando fuiſſet interrogata,qui color eſſet omnium pulcherrimus, reſpõdit,Qui per uerecundiam ingenuis oboritur. Diogenes,cum adoleſcentem uidiſſet prae uerecundia rubentem eſſe factum,dixit,Confide,fili,talis eſt uirtutis color. Laudatur igitur magnopere, qui uerecundus fuerit, & modeſtus,atque,ut ait Horatius,Peius leto flagitium timet.nam uerecundia eſt infamiae timor, quo qui afficitur,nullam rem turpem aggredi audet,ſed omnia,quae ſunt,cum honeſtate coniuncta ſequitur.

CICERO

ATQVE *hi ſint quidem fere quaſi quidam habitus animi ſic affecti,& conſtituti, ut ſint ſinguli inter ſe proprio uirtutis genere diſtincti, a quibus ut quaeque res geſta eſt,ita ſit honeſta neceſſe eſt,ſummeq. laudabilis.*

EXPLANATIO

VIRTVTES omnes tam cognitionis, quam actionis, ſunt animi habitus cum ratione conſentientes. nam Ariſtoteles ſecundo Ethicorum ait,in animo noſtro tria fieri,hoc eſt perturbationes, potentias, & habitus. Perturbationes ſunt quidam quaſi animorum morbi, quibus ſine ratione mouentur animi uel ad laetitiam,uel ad cupiditatem,uel ad aegritudinem,uel ad timorem. Potentiae dicuntur facultates illae,quibus patibiles ſumus,hoc eſt quibus uim habemus uel iraſcendi,uel gaudendi,uel dolendi. Habitus uocantur, quibus bene,uel male perturbationes,& potentias illas moderamur.nam mali habitus uitia nominantur,boni uero habitus uirtutes ſunt.itaque Cicero ſecundo de Inuentione uirtutem ita definit, Virtus eſt animi habitus naturae modo,rationi conſentaneus. At uero unicuiq. uirtuti tria ſolent ineſſe,primo ut ſit animi habitus, ſecundo ut aliquid proprium habeat, tertio ut ſumme ſit laudabilis. habitus longo tempore & uſu acquiritur, & ab affectione diſtat,quoniam affectio breuis eſt,& facile mutatur,ut ira gaudium,habitus uero diuturnus eſt,neque facile mutari poteſt, quia propter longam conſuetudinem fere in naturam abijt. Eſt autem triplex habitus,ideſt, uel bonus,uel malus,uel medius,bonus ut uirtutes omnes, malus ut omnia uitia, medius ut artes & ſcientiae,quibus & bene,& male uti poſſumus.proprium uirtutis id dicitur,quo unaquaeq. uirtus ab alijs diſtinguitur,ut prudentiae proprium eſt bonum & malum diſcernere,iuſtitiae ſuum cuiq. tribuere, fortitudinis nullo timore aut labore frangi animo, atque debilitari, temperantiae cupiditates omnes refrenare, & rationi ſubijcere.ſumme laudabilis ideo dicitur omnis uirtus, quia,licet etiam alia quaedam praeter uirtutem laudentur,ut patria,genus,opes,facultates,robur,pulchritudo,non tamen per ſe laudari ſolent, ſed,quoniam ad uirtutem referuntur,ut,quod eis quiſpiam bene uſus fuerit,ipſa uero per ſe uirtus,detractis etiam rebus alijs omnibus,maxime laudabilis eſt.itaque laudes omnes ad unam ſolam uirtutem,& ad uirtutis ſpecies reducuntur, reliqua uero,quae laudantur,quaſi uirtutis additamẽta ſunt, quae uel magis hominem uirtute praeditum exornent,uel ad uirtutem acquirendam adiumenta,& ſubſidia praebeant.

CICERO

SVNT *autem alij quidam perfecti animi habitus ad uirtutem quaſi praeculti,& praeparati rectis ſtudijs, & artibus,ut in ſuis rebus ſtudia litterarum,ut numerorum,ac ſonorum,ut menſurae,ut ſiderum, ut equorum,ut uenandi, ut armorum.*

EXPLANATIO

CVM de uirtutibus omnibus iam uerba fecerit,quae maxime laudabilem uirum efficiũt,nunc addit etiã diſciplinas,atque artes liberales,quae uehementer landari ſolent. eas Cicero uocat habitus animi perfecti, quia tunc animus omnino perfectus eſt,cum illum ſcientiarum orbem expleuerit atque abſoluerit, quem ἐγκυκλοπαιδίαν Graeci uocant.nam ignorantia quaedã eſt animi perfectio,ſcientia uero animi forma atque perfectio eſt.unde,cum aliquis ſcientiam percipit,dicitur animum ſuum informare . ut pro Archia poeta, Nam, ut primum ex pueris exceſsit Archias,atque ab ijs artibus,quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet. atque hi quidem habitus ab optimarum artium ſtudiis profecti noſtros animos ad uirtutem quaſi praecolunt ac praeparant,ut tanto laudabiliores fiamus,quanto diſciplinis inſtructiores fuerimus.Cum autem artes, quas uocant liberales,ſeptem numerentur,& iam de duabus mentionem fecerit, hoc eſt de Dialectica & Rhetorica,nunc adiungit alias quinque.ac primo loco ponit grammaticam,quam uocãt ſtudium litterarum, quoniam haec eſt quaſi parens & procreatrix reliquarum omnium,& ab hoc quaſi capite, & fonte reliqua ſtudia proficiſcuntur.unde multi magnam ex hac arte laudem conſecuti ſunt.ut Ariſtarchus,Didymus, Apollonius, & apud Latinos Varro,Palaemõ,Priſcianus.huic duae ſuccedunt illae,de quibus ſupra dictum eſt,Dialectica, & Rhetorica.poſtea quattuor adduntur,quas appellant mathematicas, quia ſint certae,atque exquiſitae ſcientiae.earum prima numeros tractat,unde Graeco nomine uocatur Ἀριθμητική,quam eſſe mathematicarum principem ac quaſi reginam ſtatuunt,quoniam ſine illa reliquae nihil poſſunt. Secunda ſonorum harmonias docet,& Muſica nominatur, quae omnem poeticam artem amplectitur, & modos omnes,qui uel aſſa uoce, uel inſtrumentis uariis educuntur.Tertia menſuras continet, atque Geometria uocatur, quam eſſe neceſſariam philoſophantibus Plato cenſuit,unde foribus Gymnaſii ſui ſolebat inſcribere, Nemo, qui Geometriae ſit imperitus,huc ingrediatur.Quarta ſiderum curſus,ortus,occaſus,proprietates inueſtigat, & dicitur Aſtrologia, quae maxime nobilis habetur ſcientia,propter materiam,quam tractat, & in qua uerſatur. Atque in his quidẽ diſciplinis plurimi praecellentes fuerunt,qui ſumme laudantur.ut in Arithmetica Pythagoras, Nicomachus,in Muſica Timotheus, Ariſtoxenus;in Geometria Euclides, Archimedes;in Aſtrologia Sulpicius Gallus, Ptolemaeus,aliiq. plurimi.praeter has artes ingenuas adiungit Cicero tria nobilitatis ſtudia,quae plurimum laudari ſolent,ſiquis in eis excellat,quorum primum eſt equorum ſtudium,quo maxime delectari ſolitos heroas illos ueteres Achillem, Diomedem, Hectorem, Aeneam & alios,ſignificat Homerus. apud Romanos etiam equeſter ordo magno in pretio & honore habebatur,& noſtro etiam tempore nobiliſsimi quiq. ſtudio equorum delectantur. Alcibiades in hac re praecipue celebratur, quod equos aleret uelociſsimos, quibus ab Olympicis ludis uictoriam reportaret.Virgilius multos ab hoc ſtudio uehementer laudat,ut Meſſapum:

> At Meſſapus,equum domitor,Neptunia proles,

& Lauſum Mezentii filium,

> Lauſus equum domitor,debellatorq. ferarum.

laudat etiam Latinum regem, tamquam equorum ſtudioſum:

> Haec effatus, equos numero pater eligit omni,
> Stabant tercenti nitidi in praeſepibus altis.

Secundum ſtudium nobilitatis eſt uenatio,qua corpus bene exercetur,& pugnae ſimilitudinem habet. Xenophon ſcribit,Cyrum Perſarum regem fere quotidie uenari ſolitum . poetae faciunt heroas ſuos frequentiſsimẽ uenantes,ut Homerus Vlyſſem in uenatione ab Apro fuiſſe uulneratum ſcribit, Virgilius in primo Aeneidos oſtendit Aeneam fuiſſe periti ſsimum uenatorem,qui ſeptem ingentes ceruos momento temporis occiderit. quin etiam mulieres uenationi deditas oſtendit,ut de Venere primo libro:

> Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum
> Venatrix.

& in undecimo de Camilla:

> ſola contenta Diana
> Aeternum telorum,& uirginitatis amorem
> Intemerata colit.

Mithridates rex,ille poſt Alexandrum maximus,tanto uenandi ſtudio tenebatur,ut ſeptem annos neque urbis, neque uillae tecto uſus ſit.Tertium ſtudium nobilium uirorum eſt in armis,in quibus qui excellunt,maximam omnium gloriam adipiſcuntur.atque hinc ſunt rhetorum campi de Marathone,Salamine, Plataeis, Thermopylis,Leuctris,Stratocle.hinc (inquit Cicero primo de officiis) Noſter Cocles,hinc Cn.& P. Scipiones, hinc M.Marcellus,innumerabilesq. alii.

CICERO

IN *communibus propenſiora ſtudia in aliquo genere uirtutis colendo,aut diuinis rebus deſeruiendo, aut parentibus, amicis, hoſpitibus praecipue,atque inſigniter diligendis.*

EXPLA-

EXPLANATIO

STVDIA diſciplinarum, quae hactenus cõmemorauimus, fere in priuatis rebus uerſantur, quia pertinent ad animum cuiuſque perficiendum. ſed in cõmunibus rebus propenſiora dicuntur ſtudia, quae in aliquo uirtutis genere colẽdo uerſantur. quod ad communem utilitatem ſpectare uideatur. haec autem ſtudia propenſiora tanto laudabiliorem uirum efficiunt, quanto communis utilitas priuatae antecellit. Sed ex omnibus uirtutibus maxime excellit iuſtitia, quae magis alienis, quam propriis commodis ſtudet. cumq. multas ſpecies habeat, iuſtitia tamen ex eis tres praecipue commendari ſolent, religio, pietas, & bonitas. quocirca docet hoc in loco Cicero propenſiora debere eſſe ſtudia in his uirtutibus excolendis. non autem agit hic de illis tribus uirtutibus, quoniam eas iam ſupra nominauit, ſed de ſtudiis ipſarum uirtutum, hoc eſt quomodo poſſint acquiri aut quomodo intelligantur. nam (ut ait Horatius in Arte:)

Qui didicit patriae, quid debeat, & quid amicis,
Quo ſit amore parens, quo frater amandus & hoſpes,
Quod ſit conſcripti, quod iudicis officium, quot
Partes in bellum miſsi ducis, ille profecto.
Reddere perſonae ſcit conuenientia cuique.

Maxime uero commendatur ille, qui diuinis rebus ſumma cũ religione deſeruit, ut Numa Pompilius, qui Romanis multa ſacrorum genera cõſtituit, ut Scipio Africanus, qui nihil umquam aggrediebatur, niſi prius deos ſalutaſſet, & rem ſacram feciſſet, quod etiam ab Alexandro Magno fieri ſolitum legimus. Secundo loco probatur pietas in patriam, parentes, & propinquos, qua laude multi praeſtiterunt. Tertio amicitia, hoſpitalitas, beneficia in multos collata, magnopere laudes amplificare ſolent. quoniam hae uirtutes non ſibi, ſed aliis proſunt, & ideo multitudinis amorem conciliant, & uoluntates hominum deuinciunt. quo fit, ut ab omnibus laudentur.

CICERO

ATQVE haec quidem uirtutum, uitiorum autem ſunt genera contraria. cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant ea nos uitia, qui uirtutem uidentur imitari.

EXPLANATIO

SI quis recte uirtutes agnoſcit, quae ſint etiam contraria uitia, nõ difficulter intelliget: ſed quia longe ſunt plura uitia, quam uirtutes, ideo fit aliquando, ut nos aliqua uitia uirtutis ſpecie fallant, quod ita ſignificat Horatius, Decipimur ſpecie recti. Omnis enim uirtus in mediocritate poſita eſt, & utrimq. uitiis diuerſis maximeq. diſiunctis circumuallata. quod idem Horatius ita oſtendit. Virtus eſt mediũ uitiorum, & utrimq. reductum. ideo Pythagoras dicere ſolebat, Mediocritatem omnium rerum optimam eſſe. quidquid enim aut nimium eſt, aut parum, id eſt uitioſum. ſunt autem quaedam uitia, quae uirtutem imitari uidentur, ea diligenter cernenda ſunt, ne nos decipiant. nam ſaepe accidit, ut, qui temerarius eſt, fortis exiſtimetur; & qui malitioſus eſt, prudentis nomen obtineat. hoc eſt quod ſubiungit Cicero.

CICERO

NAM *& prudentiam malitia.*

EXPLANATIO

PRVDENTIA, quae uirtutum moderatrix eſt ac regina, ſaepe coniunctam habet malitiam, quae illã imitetur. ſaepe enim fit, ut, qui malitioſi ſunt, prudentes eſſe uideantur. Cicero tertio de natura deorum, ait malitiam eſſe uerſutam, & fallacem nocendi rationem. differt a uitioſitate malitia, quoniam malitia certi cuiuſdam uitij nomen eſt, prudentiae contrarij, uitioſitas omniũ, ut ait Cicero lib. 4. Tuſc. idem alio loco ſic ait lib. 3 de off. Quocirca aſtutiae tollendae ſunt, eaq malitia, quae uult quidem uideri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea, diſtatq. plurimum. prudentia eſt enim locata in delectu bonorũ & malorum, malitia, ſi omnia quae turpia ſunt, mala ſunt, mala bonis anteponit. qui igitur fraude, fallaciis, calliditate ſuis in negotiis utuntur, etiam ſi utiliter ea gerant, non prudentes, ſed malitioſi ſunt appellandi.

CICERO

ET *temperantiam immanitas in uoluptatibus aſpernandis,*

EXPLANATIO

TEMPERANTES in eo potiſsimum laudãtur, quod inhoneſtas, & turpes uoluptates refugiunt, & ab iis rebus ſe abſtinent, quae merito reprehẽdi, ac uituperari poſſunt. quod ſi quis oẽs penitus uluptates con-

temnat.& nullos prorſus iocos,nullos luſus admittat,is in uitiũ immanitatis incidet.quãuis pauci admodũ tales reperiantur,ut ait Ariſtoteles,quoniam uoluptas quodammodo nobis innata eſt,tales tamen fuerunt apud antiquos quidam Cynici,qui reijciebant omnem uoluptatem.

CICERO

Et *magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus.*

EXPLANATIO

MAGNITVDO animi in eo perſpicitur,cum quis res tantum egregias & praeclaras expetit, & ea contemnit,quae pleriq. alij ſolent admirari.huic uirtuti duo ſunt finitima uitia,hoc eſt ſuperbia, & deſpicientia.nam,qui elato ſunt animo,quiq. honores penitus deſpiciunt,ij fortes & magnanimi ſaepe uidentur.uerum ſuperbia in extollendis animis,innumerabilia peccata gignit,ut oſtendit Cicero,hominesq. leues,inſolentes,effrenatos,ſibiq. praefidentes efficit,ut recte praecipere uideantur,qui mouent, ut, quanto ſuperiores ſumus,tanto nos ſummiſsius geramus.Deſpicientia uero in contemnendis honoribus ſemper eſt uitioſa.quamuis enim honores nimium appetendi non ſint, tamen neque penitus ſunt contemnendi, cum praeſertim omnes trahamur ſtudio laudis,& optimus quisq. gloria ducatur, unde Cicero uerbis atrocibus Piſonem inſectatur,quod negarat ſe triumphi cupidum umquam fuiſſe.nam,ut leuitatis eſt,inanem aucupari rumorem,& omnes umbras etiam falſae gloriae conſectari,ſic leuis eſt animi lucem ſplendoremq. fugientis iuſtam gloriam, qui eſt fructus uerae uirtutis honeſtiſsimus,repudiare.

CICERO

Et *liberalitatem effuſio.*

EXPLANATIO

QVI nimis appetentes diuitiarum ſunt,auari uocantur,liberalium hominum diſsimillimi.Sed qui facultates ſuas temere profundunt,& omnem curam rei familiaris abijciunt,ij prodigi nominantur,& illud uitium effuſio,uel prodigitas,uel prodigentia,nam prodigalitas, quo uocabulo quidam utuntur, nuſquã apud bonos auctores reperitur.Cicero ſecundo de officijs ita inquit,Omnino duo ſunt genera largorum quorum alteri prodigi,alteri liberales.prodigi,qui epulis,& uiſcerationibus,& gladiatorum muneribus,ludorum,uenationumq. apparatu pecunias profundunt in eas res,quarum memoriam aut breuem,aut nullam ſint relicturi omnino;liberales autem qui ſuis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt, aut aes alienum ſuſcipiunt amicorum cauſſa,aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur uel in re quaerenda, uel augenda. Multi uero memorantur magna patrimonia temere profudiſſe,ut Licinius Craſſus cognomento diues, Annius Milo,C. Curio filius Aeſopi tragoedi,de quo ita Horatius:

Filius Aeſopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies ſolidum exſorbet,aceto
Diluit inſignem Vaceam.

Hi non tamquam liberales uere laudari poſſunt,ſed ut uerae liberalitatis & magnificentiae ignari uituperantur. ut ſecunda Philippica,Nihil erat clauſum,nihil obſignatum,nihil ſcriptum, apothecae totae nequiſsimis hominibus condonabantur, alia mimi rapiebant, alia mimae, domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum, & quae ſequuntur.

CICERO

Et *fortitudinem audacia imitatur.*

EXPLANATIO

FORTITVDINI appoſita eſt timiditas,& audacia,ſed timidi ſunt ab audacibus maxime diſiuncti, audaces uero quodammodo fortes eſſe uidentur.ſed,quia cupiditate ſua,non ratione ſe periculis obijciunt, ideo uituperatione digni putantur,Cicero primo de officiis, Animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habet, quam fortitudinis. fit tamen interdum,ut etiam audacia uulgo laudetur.unde Propertius ait.

Quod ſi deficiant uires,audacia certe
Laus erit,in magnis & uoluiſſe ſat eſt.

Ariſtoteles audaces eos appellat,qui temeritate quadã prouecti ante cupiunt adire periculum, quam illud inſtet,ſed,cum in ipſo periculo conſtituti ſunt,plerumq. animo deficiunt,ac refugiunt.

CICERO

CICERO

Et patientiam duritia immanis.

EXPLANATIO

PATIENTIA uirtus eſt maxima, atque utiliſsima, de qua iam ſupra dictum eſt. huic finitimum eſt ui- quae duritia immanis uocatur a Cicerone. cum quis ſine cauſſa uel corpus ſuum affligit, uel ea patitur, tium, quae facile, atque honeſte uitare poſſet, ut Diogenes Cynicus media hieme, cum eſſent maxima frigora, paene nudus incedebat, & ſtatuas marmoreas ſub dio poſitas amplexabatur, quo maiorem patientiae laudem aſſequeretur. ita Gymnoſophiſtae in India, ſicuti Plinius ſcribit, ab exortu Solis uſque ad occaſum perſtant, contuentes Solem immobilibus oculis, & toto die feruentibus arenis alternis pedibus inſiſtunt. hāc immanem duritiam in Catilina fuiſſe docet Salluſtius, cum ita de illo ſcribit: Corpus patiens indiae, uigiliae, algoris ſupra quam cuiquam credibile eſt. hac etiam Lacedaemonij utebantur, adeo ut etiam pueri apud eos duri & immanes euaderent, Cicero Tuſcul. ſecundo, Spartae uero pueri ad aram ſic uerberibus accipiuntur, ut multus e uiſceribus ſanguis exeat, nonnumquam etiam, ut, cum ibi eſſem, audiebam, ad necem, quorum non modo nemo exclamauit umquam, ſed ne ingemuit quidem.

CICERO

Et iuſtitiam acerbitas.

EXPLANATIO

QVIDAM, cum iuſti uideri uelint, nulla aequitate flectuntur, ſed acerbe, atque ſummo iure agunt, unde in uitium incidunt. illud uerum eſt, quod prouerbio fertur, Summum ius ſumma iniuria, ut ſi quis caſu aut per imprudentiam caedem fecerit, non eſt eadem poena afficiendus, qua ij ſolent affici, qui conſulto & dedita opera caedem faciunt, alioquin haec non iuſtitia, ſed acerbitas merito uocaretur. atque ita in aliis.

CICERO

Et religionem ſuperſtitio.

EXPLANATIO

MVLTI ſunt, qui pro religione ſuperſtitionem amplectuntur. eſt enim ſuperſtitio uitium religioni finitimum, de quo ita Cicero lib. 2. de nat. Cultus autem deorum eſt optimus, idemque caſtiſsimus, atque ſanctiſsimus, pleniſsimusq. pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & mēte, & uoce ueneremur. non enim Philoſophi ſolum, uerum etiam maiores noſtri ſuperſtitionem a religione ſeparauerunt. nam, qui totos dies precabantur, & immolabant, ut ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati. quod nomen poſtea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter pertractarent, tamquam relegerent, ſunt dicti religioſi, ex relegendo, ut elegantes, ex eligendo. tamquam a deligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. his enim in uerbis omnibus ineſt uis legendi eadem, quae in religioſo. ita factum eſt in ſuperſtitioſo, & religioſo, alterum uitij nomen, alterum laudis.

CICERO

Et lenitatem mollitia animi.

EXPLANATIO

LENES, & clementes in puniendo laudantur, ſed, qui nimis indulgentes ſunt, & ſceleri ueniam facile cōdonant, uituperandi ſunt, quoniam hoc uitioſum eſt, quaſi quoddam ad peccandum inuitamentum. accidit autem hoc a mollitia animi, cum quis facile exoratur, ut ignoſcat. Cicero pro P. Sulla, ut leniſsimus uideatur, hoc ſe quodammodo uitio accuſat, cum ita inquit, Quibus ego rebus, iudices, ita flectebar animo, atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas ipſe mihi fecerat inſidias, deponerem, ut iam immiſſum eſſe ab eo C. Cornelium, qui me in ſedibus meis, in conſpectu uxoris meae ac liberorum meorum trucidaret, obliuiſcerer. quae ſi de uno me cogitaſſet, qua mollitia ſunt animi, ac lenitate, numquam mehercule illius lacrymis, ac precibus reſtitiſſem.

CICERO

Et uerecundiam timiditas.

EXPLA-

EXPLANATIO

EST quaedam uitioſa uerecundia, quam Graeci Dyſopiam uocant, de qua Plutarchus opuſculum cōſcripſit, & quam hoc loco Cicero timiditatem uocat. ea eſt, cum quis in rebus etiam honeſtis pudore ac rubore ſuffunditur. quod ruſticis potiſsimum, & iis, qui cum paucis adhuc hominibus uerſati ſunt, accidere ſolet. unde Cicero in Epiſtolis pudorem ſubruſticum uocat. In alio loco, Pudore a dicendo & timiditate ingenua quadam refugiſti. Hoc uitium in Iſocrate fuit, qui, licet eloquentiſsimus eſſet, tamen propter timiditatem cauſſas publice numquam auſus eſt agere. Theophraſtus, cum apud Athenienſes uerba facturus eſſet, atque in concionem ueniſſet, conſpecta frequenti multitudine, quae ad audiendum eum concurrerat, prae timiditate obmutuit, & ne uerbum quidem facere potuit.

CICERO

ET *illam diſputandi prudentiam concertatio, captioq. uerborum.*

EXPLANATIO

PRVDENTIA diſputandi, quae Dialectica uocatur, habet uicinum uitiū artis eius, quae captionem uerborum ſequitur, & fallaces concluſiones quam Sophiſticam apppellat, eo quod Sophiſtae illa uterentur. dicebantur autem Sophiſtae illi, qui oſtentationis, aut quaeſtus cauſſa philoſophantur, ut in Lucullo ſcribit Cicero, & Sophiſmata fallaces eorum concluſiunculae. nam, qui non res ipſas, ſed uerba conſectantur, in uarias concertationes diſputando incurrunt, a quibus ſe numquam explicant. Ariſtoteles duos libros de Sophiſticis reprehenſionibus edidit, in quibus docet, quibus rationibus fallaces illae concluſiones redargui poſsint.

CICERO

ET *hanc oratoriam uim inanis quaedam profluentia loquendi.*

EXPLANATIO

ORATORIA facultas finitimum uitium habet loquacitatis, & profluentiae in dicendo. neque enim ſatis eſt multa dicere, ut quis eloquens ſit, niſi etiam id ſapienter fiat. unde ſuperius dictum eſt, eloquentiam eſſe copioſe loquentem ſapientiam. Quid enim tam furioſum (ait Craſſus lib. 1. de orat.) quam uerborum uel optimorum, atque ornatiſsimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia? hoc uitium Homerus fuiſſe in Therſite oſtendit, quem ſcribit multa quidem dicere ſolitum, ſed inornata, & importuna. Valerius Probus (ut eſt apud Gellium) ſic a Salluſtio notatum Catilinam refert, ut diceret in eo ſatis loquentiae, ſapientiae parum. quod loquentia nouatori uerborū Salluſtio maxime congrueret, eloquentia cum inſipientia minime conueniret. Veteres Latini huius generis homines in uerba prouectos, Locutuleios, & Blaterones, & Linguaces dixerunt.

CICERO

STVDIIS *autem bonis ſimilia uidentur ea, quae ſunt in eodem genere nimia.*

EXPLANATIO

OMNE, quod eſt nimium, eſt uitioſum, unde recte Chilo Lacedaemonius praecipiebat, ut ne quid nimis. nam etiam ſtudia bona, & magna laude digna, ſi nimia fuerint, in uitium incidunt, quod in Epiſtolis Horatius etiam ad uirtutem transfert, cum ait:

> Inſani ſapiens nomen ferat, aequus iniqui,
> Vltra quam ſatis eſt, uirtutem ſi petat ipſam.

Cicero primo de officiis; ubi de ſtudiis ſcientiae loquitur, ita inquit, In hoc genere & naturali, & honeſto, duo uitia uitanda ſunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisq. temere aſſentiamus. quod uitium effugere qui uolet, omnes autem uelle debebunt, adhibebit ad conſiderandas res, & tempus, & diligentiam. alterum eſt uitium, quod quidam nimis magnum ſtudium, multamq. operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdemq. non neceſſarias.

CICERO

QVAMOBREM *omnis uis laudandi, uituperandiq. ex his ſumetur uirtutum, uitiorumq. partibus.*

EXPLA-

EXPLANATIO

IN demonſtratiuo genere, in quo uel laudamus, uel uituperamus, omnes rationes a uirtutum, & uitiorum partibus ſumuntur. nam uirtutes, & uitia ſunt quaſi materia quaedam, in qua laudes, & uituperationes proprie uerſantur. quoniam nihil aliud praeter uirtutes uere laudari, neque quidquam praeter uitia uere uituperari poteſt. Cetera omnia, ſi quae laudantur, aut uituperantur, ad uirtutes, aut ad uitia referuntur.

CICERO

SED *in toto quaſi contextu orationis haec erunt illuſtranda maxime, quemadmodum quiſque generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum inſtitutus, moratusq. fuerit.*

EXPLANATIO

IN laudando conuenit illuſtre genus orationis, de quo iam ſupra diximus. docet autem hoc in loco Cicero, quae ſint in toto contextu orationis illuſtranda. ac primo tria ponit, quae ſunt maximi momenti, hoc eſt genus, educationem, inſtitutionem. plurimum enim refert ad laudē, quod aliquis illuſtri genere natus eſſe dicatur, qua de cauſſa poetae clariſsimorum uirorum genus ad deos referunt, quo poſsint eas uberius laudare, ut Theſeum Neptuni filium eſſe dicunt, Herculem Iouis, Achillem Thetidis, Aeneam Veneris, quos in aliquibus Hiſtorici non dubitarunt imitari. Nam Romulum Martis filium dixerunt, propter egregiam in bello uirtutem: Alexandrum Magnum Iouis Hammonis fuiſſe filium uolunt: Africanum ſuperiorem Iouis Capitolini: Octauium Auguſtum Apollinis. Eſt enim hoc in animis hominum inſitum, ut, quidquid magnum eſt, & admirabile, id a Deo profectum exiſtiment, id quod pro lege Man. de Pompeio dixit Cicero. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, ſicut aliquem non ex hac urbe miſſum, ſed de caelo intuentur. Ita, qui ſe praeclare gerunt in aliqua re, dicuntur a deo facti. nam uerum eſt id, quod ait Cicero, nullum umquam uirum magnum ſine afflatu diuino fuiſſe. ſic etiam a parentibus bonis procreari bonos filios ueriſimile eſt. Erit ergo magna laus, ſi quis ex praeclara familia genitus ſit. nam (ut ait Plutarchus) Nobilitas eſt eximius libertatis theſaurus; contra uero, ignobilem eſſe, aut ſpurium, & non legitime natum, in magno dedecore ponitur. Lacedaemonij Archidamum regem pecunia multarunt, quod paruam uxorem duxiſſet, dicentes, eum conſtituiſſe non reges, ſed regulos gignere. Secundo loco ponitur educatio, quam Plutarchus tribus potiſsimum rebus egere exiſtimat, hoc eſt natura, doctrina, & exercitatione. ſicut enim in agricultura primo terram eſſe bonam, ac fecundam oportet, deinde ſemina, tum agricolam diligentem, naturae enim bonitatem ſaepe ignauia, atque otium corrumpit, contra uero, quod naturae deeſt, interdum doctrina, atque exercitatio corrigit, & emendat. Quanti uero momenti ſit bona educatio: Lycurgus exemplo duorum canum aperte declarauit, qui, cum ab eadem matre nati eſſent, alterum eorum culinae tradidit educandum, alterum in uenationibus exerceri iuſsit; deinde in conſpectum Lacedaemoniorum iuſsit utrumque canem adduci, propoſita olla carnium, uiuo lepore. cum autem ambo canes e uinculis ſoluti dimitterentur, alter ſtatim, qui culinae deditus fuerat, ad ollam carnium properauit, alter uero, leporem ſectatus, confeſtim interfecit. atque hoc exemplo Lycurgus docuit plus educationem, quam naturam ualere. Cicero pro lege Man. ſic ab educatione Pompeium laudat, Qui e ludo, atque pueritiae diſciplina bello maximo, atque acerrimis hoſtibus ad patris exercitum, atque in militiae diſciplinam profectus eſt, qui extrema pueritia miles fuit ſummi imperatoris, ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus imperator. pro M. Coelio, Nam, quod aetas M. Coelij dare potuit iſti ſuſpicioni locum, fuit primum ipſius pudore, deinde etiam patris diligentia, diſciplinaq. munita. qui, ut huic uirilem togam dedit, nihil dicam hoc loco de me, tantum ſit, quantum uos exiſtimatis, hoc dicam, hunc a patre continuo ad me eſſe deductum. nemo hunc M. Coelium in illo aetatis flore uidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſsi caſtiſsima domo, cum artibus honeſtiſsimis erudiretur. Tertio loco ponitur inſtitutio. hoc enim etiam magnae laudi datur, praeceptores eximios habuiſſe, atque eoſdem probatis moribus, quoniam plerumq. fit, ut praeceptorum mores dicipuli ſequantur. hic enim fons eſt, haec radix probitatis, ut ait Plutarchus, optimis aribus erudiri. Pericli ſane maximae laudi fuiſſe legimus apud Platonem in Phaedro, quod Anaxagoram Clazomenium praeceptorem habuiſſet. Plato tribus de rebus gratias diis agere ſolitus dicitur, primo quod natus eſſet homo, non bellua; deinde Graecus, non Barbarus; tum quod Socratis tempore, quo praeceptore utebatur. Philippus, Macedoniae rex, Alexandri Magni pater, nato Alexandro ſcripſit ad Ariſtotelem, non tam gaudere ſe, quod ſibi filius natus eſſet, quam quod ipſius Ariſtotelis tempore, a quo poſſet erudiri.

CICERO

ET *ſi quid cui magnum, aut incredibile acciderit, maximeq. ſi id accidiſſe potuerit uideri.*

EXPLA-

EXPLANATIO

Qvae magna,& quaſi incredibilia acciderunt ei, quem laudamus, magnopere ſunt amplificanda,ut potius diuina,quam humana eſſe uideantur. maxima enim laus eſt habere deos propitios, & in rebus gerendis eorum auxilio ſubleuari. Atque hac de cauſſa Homerus ſuis heroibus cuſtodes deos aſsignat, & adiutores. facit enim (ut ait Horatius) ope Palladis Tididem ſuperis parem. Sic apud Virgilium Latinus, Troianos hoſtes admiratus, gentem deorum uocat, Bellum importunum ciues,cum gente deorum, Inuictisq. uiris gerimus. Cicero pro lege Man.multa magna, atque incredibilia Pompeio accidiſſe commemorat, ut eius laudes maiores appareant, ut, quod adoleſcentulus priuatus exercitum difficili reip. tempore confecerit, & rem optime ductu ſuo geſſerit, quod eidem peradoleſcenti imperium, atque exercitus datus fuerit, & Sicilia, atque Africa permiſſa, quod eques Romanus triumpharit, quod in Hiſpaniam proconſul miſſus fuerit, quod ex S C. legibus ſolutus conſul ante factus ſit,quam ullum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet. quin ea, quae geſſerit Pompeius, uult a deis Cicero delata ad eum fuiſſe, cum ita inquit, Hoc breuiſsime dicam,neminem umquam tam impudentem fuiſſe, qui a diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas dij immortales ad Cn.Pompeium detulerunt. & alibi, Amiſiſſetis Aſiam, Quirites, niſi ipſum id temporis diuinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi R.attuliſſet.

CICERO

Tvm; *quod quiſque ſenſerit,dixerit,geſſerit,ad ea,quae propoſita ſunt,uirtutum genera accommodabuntur.*

EXPLANATIO

Non ſolum facta laudari ſolenet,ſed etiam dicta,& cogitationes. itaque diligenter in laudando quaerẽdum eſt,quid quiſque ſenſerit,dixerit,geſſerit,ut haec omnia poſsint ad aliquod uirtutis genus accõmodari.ut pro Milone laudat in eo Milonẽ,quod ſemper pro bonis contra improbos ſenſerit,quod propoſita inuidia, morte, poena nihil ſegnius remp. defenderit. exponit etiam multa, quae Milo dixerit, ibi,addit haec, quae certe uera ſunt,fortes & ſapientes uiros non tam praemia ſolere recte factorum, quã ipſa recte facta, ſe nihil in uita niſi praeclariſsime feciſſe, ſi quidem nihil ſit praeſtabilius uiro, quam periculis patriam liberare, facta uero ipſa ſunt ad uirtutum genera accommodanda, ut, quae quis in bello praeclare geſſerit,ad fortitudinem, & prudentiam, quae in adminiſtratione reip. ad iuſtitiam, & ciuilem ſcientiam,quae caſte atque integre ad temperantiam,quae ſcienter & erudite ad ſapientiam, atque ita de reliquis. Saepe etiam inter ſe facta comparantur, ut,quae maiora ſint, appareant, ut pro Marcello Cicero probare contendit Caeſarem, quamuis in bello plurimas res praeclariſsimas geſſerit, tamen maiorem laudem ex clementia, & manſuetudine, quam ex uirtute bellica reportaſſe. Itaque (inquit) C. Caeſar bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non ſolum noſtris, ſed paene omnium gentium litteris, atque linguis, neque ulla umquam aetas de tuis laudibus conticſcet, ſed tamen eiuſmodi res neſcio quomodo etiam audiuntur, aut, dum dum leguntur, obſtrepi clamore militum uidentur, & tubarum ſono. at uero,cum aliquid clementer, manſuete, iuſte, moderate, ſapienter factum, in iracundia praeſertim, quae eſt inimica conſilio, & in uictoria, quae natura inſolens, & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus, quo ſtudio incendimur non modo in geſtis rebus, ſed etiam fictis? ut eos ſaepe, quos numquam uidimus,diligamus. te uero,quem praeſentem intuemur,cuius mẽtem,ſenſusque,& os cernimus,ut, quidquid belli fortuna reliquum reip. fecerit, id eſſe ſaluum uelis, quibus laudibus efferemus? quibus ſtudiis proſequemur? qua beneuolentiam complectemur?

CICERO

Ex *illisq. iiſdem inueniendi locis cauſſae rerum,& euentus,& conſequentia requirentur.*

EXPLANATIO

In laudando,uituperandoq. plurimum refert caſus,& euentus,& conſequentia requirere ut in L.Bruti laudibus, quaerentur cauſſae, cur ſtultitiam ſimularit, cum eſſet prudentiſsimus? cur Tarquinium regem cognatum ſuum expulerit? cur proprios filios necari iuſſerit,cum eſſet clementiſsimus? quae ſi recte fuerint explicatae,multo admirabiliorem eum uirum efficient. Deinde euentus, ut, quid euenerit ex illa ſimulata ſtultitia? quid ex oraculo Delphico,quid ex ſtupro,& morte Lucretiae, tũ conſequentia, ut exſtinctio regij dominatus,recuperatio libertatis,aequabilitas legum,& optimus reip. ſtatus. Quaerentur ergo ſic in laudãdo cauſſae, ut cur Cicero coniurationem patefacere laborauit, quia de ſalute reip. ſicut optimum conſulem decet, maxime ſolicitus erat. cur ſuperior Africanus ſine decreto ſenatus exercitum in Africam traduxit? quia pro ſua ſingulari prudentia uidebat Hannibalem in Africa facilius, quam in Italia, uinci poſſe. eodem modo etiam euentus laudantur, ut Mucius Scaeuola, quamuis Porſenam, ſicuti decreuerat, non interfecit, tamen nihilominus eſt laudandus, quoniam ex eo facto deinde euenit, ut Porſena Romam obſidione liberaret,&

cum

Romanis pacem faceret. Denique conſequentia ſaepe multum laudes amplificant, ut Cicero fuit qnidem in exſulium expulſus, ſed poſtea conſecutum eſt, ut longe maiorem honorem ex glorioſo reditu ſibi acquireret, quam ſi Romae ſemper fuiſſet. Cato cenſorius, quater, & quadragies accuſatus, & ſemper abſolutus, magnam innocentiae gloriam adeptus eſt. Haec autem tria, hoc eſt cauſſae, euentus, & conſequentia, magnam afferent dicendi copiam, ſi in ſingulis diu conſiſtemus, ut, quo ſtudio, qua diligentia, qua cura, qua ſolicitudine ſit uſus Cicero, ut Catilinae conatus nefarios frangeret, quae ſunt cauſſae, quibus rationibus pateſacta coniuratio ſit, & labefactata, atque uindicata, qui eſt euentus totius negotij, quam gloriam adeptus ſit ipſe Cicero, qui eſt pater patriae primus omnium appellatus, & quae odia improborum in ſe concitarit, quae ſunt conſequentia.

CICERO

NEQVE *uero mors eorum, quorum uita laudabitur, ſilentio praeteriri debebit, ſi modo quid erit animaduertendum, aut in ipſo genere mortis, aut in iis rebus, quae poſt mortem erunt conſecutae.*

EXPLANATIO

SI laudabimus eum, qui iam exceſſerit e uita, non debemus eius mortem ſilentio praeterire, ſed exponere, quo genere mortis ſit exſtinctus, & tunc praecipue, cum aliquid in morte eius fuerit animaduerſione dignum. praeterea ſunt illa etiam exponenda, quae poſt mortem ei contigerunt. ſi quis enim pro patria mortuus fuerit, is copioſe laudari hac in parte poterit: ut tres Decij, Q. Curtius, Scipiones, aliiq. plurimi. ſic enim primo Tuſculanarum Cicero, Clarae uero mortes pro patria oppetitae, nō ſolum glorioſae rhetoribus, ſed etiam beatae uidere ſolent. ipſae Cicero Philippica nona mortem Ser. Sulpicij multum commendat, quam in legatione ad M. Antonium obierat. Nunc autem, quis dubitat, quin ei uitam abſtulerit ipſa legatio? ſecū enim ille mortem extulit, quam, ſi nobiſcum remanſiſſet, ſua cura, optimi filij, fideliſsimae coniugis diligentia uitare potuiſſet. at ille, cum uideret, ſi ueſtrae auctoritati non paruiſſet, diſsimilem ſe futurum ſui, ſed munus ſibi illud pro rep. ſuſceptum uitae finem allaturum, maluit in maximo populi Romani diſcrimine mori, quam minus, quam potuiſſet, uideri reip. profuiſſe. & quae ſequuntur. Laudantur etiam mulieres, quae pro pudicitia mortem obierunt, ut apud Romanos Lucretia, apud Graecos Hipppne, quae, cum hoſtium claſſe fuiſſet excepta, ſe in mare, ut pudicitiam tueretur, abiecit. Tum is etiam copioſe laudatur, qui morbum conſtantiſsime tulerit, & numquam prae dolore in deſperationem uenerit, & ſi de uita aeterna nihil dubitarit, uerum ad meliorem uitam profecturum ſperarit, quemadmodum apud Xenophontem Cyrus Maior moriens dicit. & apud Ciceronem libro de Senectute Cato, O praeclarū (inquit) illum diem, cum in illud animorum concilium, coetumq. proficiſcar. Poſt mortem etiam accidunt aliqua, quae laudabiliorem uirum efficiunt, ut L. Brutum matronae totum annum luxerunt, ut C. Caeſar inter deos relatus, ut multi uiri ſanctiſſimi poſt mortem miracula ediderunt. Haec ſunt, quae ad laudandi rationem attinent, & ad mores honeſtiſſime conformandos.

CICERO

C. F. *Accepi iſta, didiciq. breuiter, non ſolum quē admodū laudarem alterum, ſed ēt quemadmodū eniterer, ut poßem iure laudari. uideamus deinceps, in ſententia dicenda, quam uiam & quae praecepta teneamus.*

EXPLANATIO

IAM ea, quae ad demonſtratiuum genus pertinent, explicata ſunt, ex quibus duplicem ſe utilitatem percepiſſe Cicero filius teſtatur, primo quomodo poſsit alterum laudare, deinde quemadmodum enitatur ut poſsit iure laudari. nemo enim recte poteſt alterum laudare, niſi qui uirtutum omnium, & laudandarum rerum cognitionem habuerit; qui uero didicit, quae ſint in altero laudanda, is, etiam ſi uoluerit, eadem efficere conari poterit. His igitur explicatis, ad deliberatiuum genus accedit, quo in genere ſententia dicitur, de re ad conſultandum propoſita. quare ſe deinde explicaturum proponit, quae uia, & quae praecepta tenenda ſint in ſententia dicenda. uocatur autem haec Tranſitio, quando breuiter oſtenditur, quid adhuc dictum ſit, & quid deinceps eſt dicendum.

CICERO

C. P. *Eſt igitur in deliberando finis utilitas, ad quem omnia referuntur in conſilio dando, ſententiaq. dicenda.*

EXPLANATIO

PRIMO finem deliberatiui generis ponit, ad quem omnia referantur. ſicut enim in demonſtratiuo finis eſt honeſtas, ita in deliberatiuo utilitas, ita tamen, ut nomine utilitatis etiam honeſtas comprehendatur.

Numquam enim diſcrepat utile a decoro. Socrates illum exſecrari ſolebat, qui primus utilitatem ab honeſtate ſeparaſſet. de qua re multa tertio de officiis Cicero diſputat. ſed quoniam in deliberando non per ſe honeſtas conſideratur, ſed ut refertur ad aliquem fructum uel fortunarum, uel dignitatis, uel gloriae, ideo finis eſt utilitas, non autem honeſtas. nam, quod turpe apparet, id ne utile quidem exiſtimant, ut Athenienſes Cryſilum quendam, ſuadentem, ut in urbe manerent, Xerxemq. reciperent, lapidibus obruerunt, quamuis ille utilitatem ſequi uideretur. Themiſtocles Athenis in concione dixit ſe habere conſilium reip. ſalutare, quod non eſſet palam dicendum. datus eſt illi Ariſtides, quicum communicaret, huic ille claſſem Lacedaemoniorum, quae ſubducta eſſet, ad Gythium clam incendi poſſe dixit, quo facto frangi Lacedaemoniorum opes neceſſe eſſet. quod Ariſtides cum audiuiſſet, in concionem uenit, dixitq. perutile conſiliũ eſſe Themiſtoclis, ſed minime honeſtum, quod Athenienſes ſtatim repudiarunt. non igitur utilitas umquam a bonis uiris ab honeſtate ſeparata quaeritur. ſed, cum in deliberando finem dicimus utilitatem eſſe, id ea de cauſſa facimus, ut a Demonſtratiuo genere ſeparemus. in quo ſaepe honeſtas ſola, etiam omni detracta utilitate, commendatur quod in deliberatiuo non fieri ſolet, in quo praecipue ſpectatur utilitas. deinde cauetur, ut in ea utilitas ab honeſtate non ſit aliena.

C I C E R O

VT illa prima ſint ſuaſori, aut diſſuaſori uidẽda, quid aut poſſit fieri, aut non poſſit, & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. nam, & ſi quid effici non poteſt, deliberatio tollitur, quamuis utile ſit, & ſi quid neceſſe eſt.

E X P L A N A T I O

DVo prima capita ſint in omni deliberatione, quae ſuaſor, & diſſuaſor diligenter uidere debet. primum, poſsit ne fieri, an non poſsit. ſecundum, quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. nam aut certum eſt, id poſſe fieri, de quo deliberamus, aut incertum. ſi incertum, haec erit prima quaeſtio, quae ad coniecturam refertur, ut poterit ne Scipio Hannibalem in Africam retrahere? poterit ne Caeſar Iſthmum perfodere? poterit ne Cicero conſulatum adipiſci, cum ſit nouus homo? & nobiliſsimos habeat competitores? ſi certum eſt fieri poſſe, uidendum eſt, an ſit neceſſarium, ne ſuperuacua aggrediamur. Neceſſarium autem non ſimpliciter intelligendum eſt, ſed id, quod pertinet aut ad ſalutem, aut ad libertatem. cum autẽ aliquid nullo modo fieri poſſe conſtat, ſtatim deliberatio tollitur: quoniam nemo eſt, qui impoſsibilia (ut dicam) aggredi uelit, quãuis utilia eſſe uideantur. ita, ſi quid eſt perdifficile, ſapenumero pro impoſsibili habetur, ut ponte Helleſpontum ſternere, & Atho montem perfodere. quae tamen Xerxes effeciſſe dicitur.

C I C E R O

NECESSE autem id eſt, ſine quo ſalui, liberiue eſſe non poſſumus, ideſt reliquis & honeſtatibus in ciuili ratione, & commodis anteponendum.

E X P L A N A T I O

QVONIAM is, qui ſententiam dicit, ſaepe conatur oſtendere illa, quae ſuadet eſſe neceſſaria, ideo uidendũ eſt, quid ſit illud, quod neceſſe uocatur. eſt enim neceſsitas quaedam abſoluta, de qua nihil deliberandum eſt, quoniam nullum humanum conſilium immutare poteſt, ut omnibus mori neceſſe eſt, nemo igitur deliberat, quomodo umquam moriatur. eſt altera neceſsitas non abſoluta, ſed adiuncta condicioni, ut neceſſe eſt cibo, & potione uti, ſi uolumus uiuere. ſed hoc in poteſtate noſtra poſitum eſt, utamur cibo nec ne, poſſumus enim abſtinere, & inedia mori, quod multi leguntur feciſſe, & de hac ſecunda neceſsitate loquitur hoc loco Cicero. Nam (ut docet etiam Ariſtoteles) de iis tantum deliberamus, quae ſunt in noſtra poteſtate, ut ea faciamus, aut non faciamus. Ergo, cum neceſſe eſſe dicimus, tunc aut ſalutem proponimus, aut libertatẽ, quoniam haec duo praeter cetera quaeruntur. Salutem, ut cum Poſtumius apud furcas Caudinas a Samnitibus obſideretur, neceſſe fuit illi turpe foedus cum hoſtibus ferire, niſi cum toto exercitu fame enecari uoluiſſet. Libertatem, ut poſt Cannenſe proelium Romanis neceſſe fuit etiam ſeruos armare, ut Hannibali reſiſtentes libertatem ſuam conſeruarent. Haec autem, quae uel ad ſalutem, uel ad libertatem pertinent, reliquis omnibus rebus, uel honeſtis, uel utilibus, anteponuntur. nam etiam uulgo dicitur, Neceſsitas legem non habet, & T. Liuius, Pareatur neceſsitati, quam ne dij quidem ſuperant. haec duo in omnibus fere Philippicis contra Antonium Cicero proponit, docetq. eſſe neceſſarium, ipſum Antonium bello perſequi, & profligare, ſi Romani ſalutem, & lib ertatem tueri, & conſeruare uelint.

C I C E R O

CVM autem quaeritur, quid fieri poſſit, uidendum etiam eſt, quam facile poſſit. nam, quae perdifficilia ſunt, perinde habenda ſaepe ſunt, ac ſi effici non poſſint.

EXPLA-

EXPLANATIO

IN deliberando ſaepe etiam rei facilitas, aut difficultas proponitur. ſuaſor enim probare contendit, rem eſſe factu facilem, contra diſſuaſor eſſe arduam, & perdifficilem, atque ideo dimittendam. quoniam, quae difficillima ſunt, talia ſaepe habentur, ut nullo modo fieri poſsint. uerum, ſi res difficilis, atque ardua ſit, ſaepe fructu, & dignitate compenſatur, ut ſtudia bonarum artium difficilia quidem ſunt, ſed tantam ſecum annexam utilitatem, atque honeſtatem habent, ut omnem difficultatem ſpernere debeamus. Cicero pro P. Sextio, Eſt labor, non nego; pericula magna, fateor; multae inſidiae ſunt bonis, ueriſsime dictum eſt: ſed te id, quod multi inuideant multiq. exſpectant, inſcitia ſit (inquit) poſtulare, ſi tu laborem ſumma cum cura efferas nullum. Quod ſi quis adeo pauper ſit, ut ſtudiis operam dare non poſsit; ſtultum erit eum uel ad Philoſophiam, uel ad ius ciuile adhortari: hoc enim pauperi perdifficile eſt. Quod ſi docuerimus nihil eſſe, quod ſtudia, & induſtria effici non poſsit, facilior erit perſuadendi ratio.

CICERO

ET, cum de neceſſitate attendemus, & ſi aliquid non neceſſarium uidebitur, uidendum tamen erit, quam ſit magnum. quod enim permagni intereſt, pro neceſſario ſaepe habetur.

EXPLANATIO

SVNT aliquae res, de quibus deliberatur, adeo magnae, ut, quamuis non ſint neceſſariae, tamen, quoniã permagni interſunt, pro neceſſariis habentur. Itaque ſuaſor amplificare debet eam rem, quam ſuadet, & oſtendere permagnam eſſe, quod Cicero pro lege Man. diligenter facit, cum oſtendit bellum Mithridaticum permagnũ eſſe, & periculoſum, atque ideo ita neceſſarium, ut ſit gerendum. Ariſtoteles primo Rhetoricorum, res maximas, de quibus homines deliberant, ait eſſe quinque. hoc eſt de uectigalibus, de bello & pace, de cuſtodia regionis, de iis, quae importantur, & exportantur, de ferendis legibus. Quoties igitur uel de uno, uel de pluribus horum dicturus eſt orator, uel de rebus ad haec pertinentibus, iure ſuo poterit a neceſsitate, quantum uoluerit amplificare. quoniam haec omnia, quamuis non ſint omnino neceſſaria, tamen, quia permagni interſunt, pro neceſſariis habentur, ut tertia Philippica de bello contra Antonium, Mea autem feſtinatio non uictoriae ſolum auida eſt, ſed etiam celeritatis. quouſque enim tantum bellum, tam crudele, tam nefarium priuatis conſiliis propulſabitur? cur non quamprimum publica accedit auctoritas? de lege Agraria cõtra Rullum multa de uectigalibus populi Romani diſputat.

CICERO

ITAQVE, cum conſtet hoc genus cauſſarum ex ſuaſione, & diſſuaſione, ſuaſori proponitur ſimplex ratio, ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat diſſuaſori duplex, una ſi non utile eſt, ne fiat, altera, ſi fieri non poteſt, nec ſuſcipiatur. ſic ſuaſori utrumque docendũ eſt, diſſuaſori alterum infirmare.

EXPLANATIO

LONGE difficilius (ait Ariſtoteles) eſt conſtruere, quam deſtruere: quoniam una eſt conſtruendi ratio & uia, multae deſtruendi. ſic etiam ſuadere difficilius eſt, quam diſſuadere. ſuaſor enim unam tantum uiam habet, ut oſtendit id, quod ſuadet, & utile eſſe, & fieri poſſe; diſſuaſor autem duas habet uias impediẽdi, prima ſi poteſt oſtendere, non eſſe utile, ſecunda ſi doceat, non fieri poſſe. Quare ſuaſor debet utrumque docere, hoc eſt, id, quod ſuadet, & utilitatem in ſe plurimam habere, & ad exitum perduci poſſe; diſſuaſori uero ſatis eſt alterum tantum infirmare, ut ſi doceat inutile conſilium eſſe, aut ſi doceat, nullo modo, aut non commode fieri poſſe. Sunt, qui ſuaſori ſex capita proponant, ad quae ſemper in dicendo reſpicere debeat, hoc eſt, honeſtum, utile, iucundum, neceſſarium, poſsibile, facile. quae uel omnia ſimul probet, uel quotquot potuerit. Diſſuaſori uero totidem ex altera parte contraria, turpe, damnoſum, moleſtum, ſuperuacaneum, impoſsibile, difficile. Ariſtoteles Ethicorum ſecundo tria dicit eſſe, quae ſequamur, honeſtum, utile, iucundũ; & tria, quae fugiamus, turpe, inutile, moleſtum. quare ſuaſori ſemper ad ea reſpiciendum eſt, quae ſequi ſolemus, ut quod ſuadet, tale eſſe doceat, diſſuaſori ad ea, quae declinamus, & fugimus, ut eis affine eſſe oſtendat, quod diſſuadet. Deliberet Cleanthes ſenex, tardus & pauper, an Philoſophiae det operam. ſuaſor primo docebit, nihil eſſe difficile uolenti, &, licet pauper ſit, non obſtare tamen Philoſophiae paupertatem, licet ſit ſenex, omnem aetatem aptam eſſe ad diſcendum, licet ſit tardus, nihil eſſe, quod ſtudio & amore effici non poſſit. deinde copioſe enumerabit, honores, utilitates, iucunditates, quae a Philoſophia proueniunt. Diſſuaſor primo dicet, ſtultum eſſe id conari, quod effici non poſſit, non poſſe, quod ſumma inopia prematur, ſtudiis operam dare, quae uehementem animi applicationem uelit, prius oportere ditari, deinde philoſophari, grandiorem natu nõ poſſe in eo ſtudio proficere, in quo plurimi ab adoleſcentia occupati totam aetatem contriuerunt, neque multum tamen profecerunt. cum praeſertim accedat, ut tardo ſit ingenio, cum philoſophia celeres animi motus

deſideret, & promptum, atque uelox ingenium. Denique tantum hac utetur uia, qua oſtendat, fieri non poſſe, quod Cleanthes deliberat. neque enim negari poteſt, Philoſophiam, & honeſtam, & utilem, & iucundam eſſe. Deliberet Pompeius, an Theatrum magnificentiſsimum conſtruat. Suaſor dicet id opus ad gloriā Pompeio fore utiliſsimum, & ab eo praeſtari facile poſſe, quod multis diuitiis, atque opibus abundet; diſſuaſor ſatis magnam a Pompeio gloriam iam eſſe acquiſitam dicet, eumq. ſumptum tam ingentem prorſus inutilem futurum. quare tantum hac utetur uia, non eſſe utile, quoniam fieri poſſe conſtat.

CICERO

QVARE, quoniam in his uerſatur omne conſilium duobus, de utilitate ante dicamus, quae in diſcernendis bonis malisq. uerſatur. Bonorum autem partim neceſſaria ſunt, ut uita, pudicitia, libertas, ut liberi, coniuges, germani, parentes; partim neceſſaria, quorum alia ſunt per ſe expetenda, ut ea, quae ſita ſunt in officiis, atque uirtutibus, alia quod aliquid commodi efficiunt, ut opes, & copiae.

EXPLANATIO

QVIDQVID in deliberationem cadit, ad duo illa capita referri debet, ſit utile necne, & an fieri poſsit. Itaque copioſius haec duo capita tractare uult Cicero. ac primo quidē agit de utilitate, quoniam hic eſt deliberationis finis, deinde tractabit etiam de eo, quod fieri poteſt, aut non poteſt. utilitas igitur in diſcernendis bonis, & malis uerſatur. nihil enim aliud utile eſt, quam ea ſequi, quae bona ſunt, & qua ſunt mala, deuitare. Quare nemo recte conſilium dare poterit, niſi qui bona & mala bene diſcernere didicerit. bona uero ita diſtinguit Cicero, ut partim neceſſaria ſint, partim non neceſſaria: neceſſaria uocat ea, ſine quibus ſalui liberiue eſſe non poſſumus, quae uel ad perſonam noſtram pertinent, ut uita, pudicitia, libertas; uel ad eos, qui nobis cariſsimi eſſe debent, ut liberi, coniuges, germani, parentes, amici, qui iccirco etiam neceſſarij uocantur, quoniam ſine his humana uita ſalua eſſe non poteſt, atque ideo haec bona neceſſaria reliquis omnibus bonis & commodis ſunt anteponenda. Illa uero bona, quae non neceſſaria uocantur, uel ad animum pertinent, & per ſe ſunt expetenda, ut uirtutes, & uitia, uel ad aliquod commodū referuntur, ut opes, & copiae. Prima igitur bonorum diuiſio haec eſt, quod aliqua ſunt neceſſaria, aliqua non neceſſaria. Neceſſaria ſunt, ut uita, cuius prima debet eſſe cura, ut cum honeſtate uiuatur, ut pudicitia, quam non minus, quam uitam tueri debemus, ut libertas, quam iuriſconſulti dicunt eſſe bonum, quod nullo pretio poteſt aeſtimari. haec autem tria perſonam noſtram reſpiciunt, quattuor ſequentia, liberi, coniuges, germani, parentes perſonas noſtrorum, quas non minus, quam nos ipſos diligere debemus; reliqua bona dicuntur neceſſaria, non quia non ſint ualde expetenda, ſed quia ſalutem, & libertatem ſine illis tueri poſſumus. Secunda bonorum diuiſio haec eſt, Quae bona non ſunt neceſſaria, alia per ſe ſunt expetenda, alia commodi alicuius gratia, per ſe ſunt expetenda, quae in officiis, & uirtutibus ſita ſunt, commodi gratia expetuntur opes & copiae, tum ad uſus uitae neceſſarios, tum ad cultum & dignitatem.

CICERO

EORVM autem, quae propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur. Honeſtate, ea, quae proficiſcuntur ab iis uirtutibus, de quibus paullo ante eſt dictum: quae ſunt laudabilia ipſa per ſe. Commoditate autem aliqua, quae ſunt in corporis, aut fortunae bonis expetenda. Quorum alia ſunt quaſi quodam modo cum honeſtate coniuncta, ut honos, ut gloria; alia diuerſa, ut uires, forma, ualetudo, nobilitas, diuitiae, clientelae.

EXPLANATIO

HIC locus non mediocrem habet difficultatem, quia uidetur Cicero diuiſionum membra confundere, neque ſatis ſibi conſtare, cū.n. antea dixiſſet bona non neceſſaria partim per ſe expetenda, partim, quod aliquid commodi efficiant, nūc iterum addit, quae propter ſe expetuntur, partim honeſtate, partim cōmoditate aliqua expeti, atque ita tria genera bonorū hoc eſt animi, corporis, & externa, propter ſe dicit eſſe expetēda, cū tamen ſupra iam dixiſſet ſola ea, quae ſita ſunt in officiis, atque uirtutibus per ſe expetenda eſſe. Huc accedit, quod eadem diuiſione bis uti uidetur, quod in diuidēdo maxime uitioſum eſt. Quid enim intereſt, utrū eo modo diuidas: Bonorū alia ſunt per ſe expetēda, ut ea, quae ſita ſunt in officiis, atque uirtutibus, alia quod aliquid commodi efficiant; an illo modo, Quae propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim cōmoditate aliqua expetuntur? Hanc difficultatē uidit quidem Strebaeus, & ſoluere conatus eſt, ſed nullo modo ſatisfecit, immo magis auxiſſe, quā ſoluiſſe uideri poteſt. Nos igitur aduertimus duabus ex rebus hanc ortam eſſe difficultatē, primo quia mendum eſt in uulgatis libris, ut in antiquo, & manuſcripto deprehendimus, ubi enim in uulgatis legitur. EORVM *autē, quae propter ſe,* in illo antiquo ſcriptū eſt. *Eorum igitur*: quae lectio multo melior,

melior & facilior eſt,ut iam oſtendemus. Deinde quia apud Ciceronem aliud eſt, per ſe expetendum, & aliud propter ſe expetendum. nam per ſe expetendum id dicitur, quod detracta omni commoditate atque utilitate, tamen natura ſua,maxime eſt laudabile, quales ſunt ipſae uirtutes. Propter ſe expetendum dicitur, quidquid boni naturam obtinet,ſiue ſit in animo, ſiue in corpore,ſiue in rebus externis. atque hac diſtinctione ſoluitur ea difficultas, Quare Cicero,cum prius dixiſſet, tantum ea,quae in officijs & uirtutibus ſita ſunt, eſſe per ſe expetenda,poſtea dicat etiam corporis & fortunae bona propter ſe eſſe expetenda. Rurſus id aduertendum eſt, ea bona omnia,quae dicuntur non neceſſaria,uocari propter ſe expetenda. ut ſit haec prima diuiſio, Bonorum, partim propter neceſsitatem expetuntur, partim propter ſe,hoc eſt propter naturam ſuam. Secunda uero diuiſio ſit haec, Bonorum,quae propter ſe expetuntur,partim honeſtate ipſa,partim commoditate aliqua expetuntur. itaque,cum Cicero nominaſſet ea bona,quae neceſſaria ſunt,& quae nō ſunt neceſſaria, ſubdiuiſiſſet hoc modo Non neceſſaria,quorum alia ſunt per ſe expetenda, ut ea,quae ſita ſunt in officiis atque uirtutibus,alia quod aliquid commodi afficiunt,ut opes & copiae, hanc ſecundam diuiſionem,quoniam pluribus uerbis egebat, iterū aſſumpſit hoc modo: Eorum igitur,quae propter ſe expetuntur,partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur,ut ſint eadem bona,quae dicuntur non neceſſaria,& quae propter ſe expetuntur. Quae igitur propter ſe expetuntur,partim ſunt laudabilia ipſa per ſe,ut quae proficiſcuntur a uirtutibus,& honeſtate, quae ſplendore ſuo ceterorum bonorum luminibus officiunt,& ideo haec ſola dicuntur per ſe expetenda: commoditas uero aut in corpore,aut in externis bonis ſpectatur, ea duplex eſt,aut cum ipſa honeſtate coniuncta,ut honos,gloria,aut ab ea diſiūcta,quae uel corporis eſt,ut uires,forma,ualetudo,uel fortunae,ut nobilitas,diuitiae, clientelae. Age uideamus,quomodo haec tria,neceſſarium,honeſtum,utile,ſint in deliberatione tractanda. Deliberat ſenatus populuſq. Romanus,an bellum contra Mithridatem ſuſcipiat. primo uidendum an neceſſarium ſit, hoc eſt utrum agatur de ſalute aut de libertate populi Romani,quod cú non poſſet oſtendere Cicero,quod proximum erat,arripuit,dicens, Agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa maiores ueſtri magna & grauia bella geſſerunt. Si non neceſſarium eſt,uidere oportet an ſit honeſtum,an utile. honeſtum eſſe oſtendit a iuſtitiae parte,quae uindicatio dicitur, ut puniatur Mithridates, qui ciues Romanos necandos trucidandosq. denotauit: rurſus quia in eo bello agitur populi Romani gloria. utile uero docet eſſe, quoniam aguntur in eo certiſsima populi Romani uectigalia & maxima Nonnumquam haec tria ſimul conglobata ponuntur,ut magis audientium animos moueant,quod Cicero fecit in tertia contra Catilinam, Quare P.C. conſulite uobis, proſpicite patriae, conſeruate uos, coniuges, liberos, fortunaſq. ueſtras,populi Romani nomen,ſalutemq. defendite.

C I C E R O

EST etiam quaſi quaedam materies ſubiecta honeſtati,quae maxime ſpectatur in amicitijs, amicitiae autē caritate, & amore cernuntur. Nam cum deorum, tum parentum,patriaeq. cultus,eorumq. hominum,qui aut ſapientia,aut opibus excellunt,ad caritatem referri ſolet. coniuges autem,& liberi,& fratres,& alij,quos uſus familiaritaſq. coniunxit,quamquam etiam caritate ipſa, tamen amore maxime continentur. In his igitur rebus cum bona ſint,facile eſt intellectu,quae ſint contraria.

E X P L A N A T I

AMICITIA cum honeſtate,commoditate coniuncta eſt. itaque non per ſe tantum, ut honeſtas, ſed etiam propter utilitatem expetitur. ſed quaeri poteſt,cur dicat Cicero amicitiam eſſe quaſi quandam materiem honeſtati ſubiectam? quod facile intelligitur ex ipſius amicitiae definitione. nihil enim aliud eſt amicitia niſi omnium diuinarum humanarumq. rerum cum beneuolentia & caritate ſumma conſenſio, ſicut in Laelio definitur. Itaque ex amicitia,religio,iuſtitia,& liberalitas pendet, quae uirtutes reliquarum omnium principes ſunt,neque ſine amicitia,in qua ineſt caritas & amor, honeſtū quidquam poteſt exſiſtere,ſicut etiam Theologi noſtri concludunt. hoc enim in loco de uera amicitia,nō de uulgari,quaerimus. nam (ut ait Ouidius) uulgus amicitias utilitate probat. ſic etiam pueri & adoleſcentes propter iucunditatem & uoluptatem, non autem propter honeſtatem amicitias metiuntur,& expetunt. Duabus autē in rebus uera amicitia cernitur, hoc eſt in caritate, & amore, caritas grauius nomen eſt, quam amor, licet interdum etiam amorem complectatur, ut primo de Natura deorum, Carum ipſum uerbum eſt amoris,ex quo amicitiae nomen eſt ductum. Primo de officijs, Cari ſunt parentes,cari liberi,propinqui,familiares,ſed omnes omniū caritates patria una complexa eſt. hoc in loco uult Cicero caritatem ad quinque tantum genera pertinere,hoc eſt ad deos, & deorum cultum, quae proprio nomine religio dicitur,ad parentes,ad patriam,quae dicitur pietas,ad ſapiētes,ad illuſtres & principes uiros,quae reuerentia nominatur. Amorem autem ad reliquas omnes perſonas, quibus cum aliqua neceſſitudo nobis intercedit,ut ad coniuges,liberos,fratres,amicos,familiares, propinquos, affines, & ceteros eius generis, ad quos licet etiam caritas extendatur, tamen amore maxime continentur. Haec fere tangit Cicero quarta in Catilinam, cum ita inquit: Nam primum debeo ſperare,omnes deos, qui huic urbi praeſident, pro eo mihi ac mereor, relaturos gratiam eſſe: deinde ſiquid obtigerit, aequo animo paratoq. moriar. neque enim turpis mors forti uiro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti. nec tamen ego ſum ille ferreus,qui fratris cariſsimi atque amantiſsimi praeſentis maerore non mouear, horumq. omnium lacrymis, a quibus me circumſeſſum uidetis, neque meam mentem non domum ſaepe reuocat

pe reuocat exanimata uxor,abiecta metu filia, & paruulus filius, qui mihi uidetur amplecti remp. tamquam obſidem conſulatus mei,neque ille,qui exſpectans huius exitum diei,adſtat in conſpectu meo gener,moueor his rebus omnibus,ſed in eam partem,ut ſalui ſint nobiſcum omnes.

CICERO

QVOD ſi ſemper optima tenere poſſemus,haud ſane,quoniam quidem ea perſpicua ſunt, conſilio multum egeremus. Sed,quia temporibus,quae uim habent maximam, perſaepe euenit, ut utilitas cum honeſtate certet,earumq. rerum contentio plerumq. deliberationes efficit, ne aut opportuna propter dignitatem, aut honeſta propter utilitatem relinquantur,ad hanc difficultatem explicandam praecepta referamus.

EXPLANATIO

HACTENVS propoſita eſt omnis deliberandi materia.ſequitur,ut uideamus, quae ſint illa, de quibus deliberamus,& qui ſint ij,qui delibe rant.Sunt autem tria rerum genera,quae nobis ad agendum proponi ſolent,ideſt,honeſta,turpia,& media.Quod ſi honeſta ſemper tenere poſſemus,non opus eſſet deliberatione,aut conſilio:neque enim quiſquam de eo deliberat,quod optimum eſt,ac maxime perſpicuum;ſed illud ſtatim amplectendum exiſtimat:honeſtas enim lucet ipſa per ſeſe,& animos hominum ad ſe naturaliter trahit, ut de illa non opus ſit longa deliberatione. Neque ſane de turpibus rebus in ciuili concione deliberare ſolemus, utrum eas aggrediamur nec ne,quoniam eas humana natura quodammodo refugere ſolet. Omnis igitur deliberatio eſt in medijs officijs,in quibus & honeſtas,& commoditas ſpectatur, in genere pleraeq. ſunt hominũ actiones,ut docet Cicero.Incidunt autem tempora,cum ea,quae optima ſunt,tenere non poſſumus,etiam ſi illa uideamus.Id adeo fit,cum honeſtas certat cum utilitate,aut cupiditate.tunc enim oritur deliberatio, utrum quae opportuna ſunt potius,an dignitatem ſequamur,utrum honeſta an utilia complectamur; ut ſi uir nobilis,ac diues ad reip.adminiſtrationem uocetur, & deliberet, utrum capeſſat remp. an uiuat ſuis opibus contentus;ſuaſor illi dignitatem, gloriam, honorem proponet; diſſuaſor uero quietem curam rerum domeſticarum, opportunitatem uitae commemorabit.Pyrrhus inuitat Fabricium,ut a Romanis ad ſe deficiat, & dimidiam illi regni ſui partem offert.deliberat Fabricius,an condicionem accipiat;honeſtas ſuadet,ne Romanos deſerat,utilitas eum ad Pyrrhum allectat.ſenatus populusq. Romanus conſultat,utrum Corinthum totius Graecae lumẽ euertat,an incolumem ſeruet;dignitas urbis ad ignoſcendum,& clementer agendum animos inclinat, ſed opportunitas loci,ubi facile bellum reparari poteſt contra Romanos,ad eam urbem euertendam impellit. Quoniam igitur ſaepe honeſtatis & utilitatis contentio deliberationes efficit,uult hoc loco docere Cicero,quibus modis ſit haec difficultas explicanda,ne fortaſſe uel propter honeſtatem, quae ſunt utilia, deſeramus, uel propter utlitatem honeſta negligamus.

CICERO

ET, quoniam non ad ueritatem ſolum,ſed etiam ad opiniones eorum,qui audiunt,accommodanda eſt oratio, hoc primum intelligamus,hominum duo eſſe genera,alterum indoctum,& agreſte,quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati,alterum humanum expolitumq. quod rebus omnibus dignitatem anteponat. itaque huic generi laus, honor,gloria,fides,iuſtitia, omniſq. uirtus, illi autem alteri quaeſtus,emolumentum,fructuſq. proponitur.

EXPLANATIO

ORATOR non ſibi ſemper ueritatem proponit, ſed omnem orationem ad opiniones eorum, qui audiunt,accommodat.quoniam (ut ait alibi Cicero) auditorũ aures moderantur oratori ſapienti & prouido.iccirco diligenter aduertere debet,qui ſint illi,qui deliberant, ut ad eorum opiniones orationem accommodet. Eſt enim uitioſum in oratione,a conſuetudine communis ſenſus abhorrere. Quare ſciendum eſt,duo eſſe genera hominum,alterum indoctum & agreſte,alterum humanum & expolitum.Indocti homines,& agreſtes rebus omnibus uoluptatem anteferre ſolent,quoniam belluarum quodammodo naturam imitantur, & ad id tantum,quod adeſt, quodq. praeſens eſt,ſe accommodant. Prudentes autem & expoliti homines non uoluptate,ſed dignitate atque honeſtate uitam beatam metiuntur,atque ideo rebus omnibus dignitatẽ anteferunt. Itaque ſi apud nobiles & expolitos homines erunt nobis uerba facienda,tantum laudem,honorẽ,gloriam,fidẽ, iuſtitiam,omnemq. uirtutem proponemus, quibus rebus animus ingenuus ac bene educatus maxime cõmouetur, & ad res gerendas excitatur.Si uero apud imperitam multitudinem habebimus orationem, ſtatim de utilitate,quaeſtu,emolumento mentionem faciemus,quibus maxime ducitur multitudo.Cicero de lege Agraria contra Rullum,ſtatim populo Romano proponit pacem,libertatem, otium, quibus maxime commouentur popularium animi.nihil enim magis amant plebeii homines quam in pace & tranquillitate uiuere,& libertate,atque otio frui. Quid enim,ait,eſt tam populare,quam pax?qua non modo ij,quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta,atque agri mihi laetari uidentur.quid tam populare, quam libertas? quam non ſolum ab hominibus, uerum etiam a beſtijs expeti, atque omnibus rebus anteponi uidetis. Quid tam populare,quam otium,

otium,quod ita iucundum eſt,ut & uos,& maiores ueſtri,& fortiſsimus quiſque uir maximos labores ſuſcipiẽdos putet,ut aliquando in otio poſsit eſſe. At pro lege Man. ſtatim gloriam proponit, cum ita inquit, Genus eſt enim eiuſmodi,quod maxime ueſtros animos excitare,atque inflammare debet,in quo agitur populi Romani gloria,quae uobis a maioribus cum magna in rebus omnibus,tum ſumma in re militari tradita eſt.Neque enim fieri poteſt,quin animus nobilis,audito gloriae nomine, ſtatim commoueatur, cum nulla tanta ſit humilitas,quae dulcidine gloriae non capiatur, ut ait Valerius Max. Interdum haec omnia commiſcentur in adhortatione,ut apud Salluſtium Catilina,Quapropter uos moneo,uti forti,atque parato animo ſitis,&,cum proelium inibitis,memineritis uos diuitias, decus, gloriam,praeterea libertatem,atque patriam in dextris ueſtris portare.ſi uincimus,omnia nobis tuta erunt,commeatus abunde,municipia atque coloniae partebunt, & quae ſequuntur.

CICERO

ATQVE etiam uoluptas, quae maxime eſt inimica uirtuti,boniq.naturam fallaciter imitando adulterat,quam immaniſsimus quiſque acerrime ſequ tur,neque ſolum honeſtis rebus,ſed etiam neceſſarijs anteponit, in ſuadendo cum ei generi hominum conſilium des,ſaepe ſane laudanda eſt.

EXPLANATIO

APVD imperitos homines interdum uoluptas laudanda eſt,non quia ſit honeſta,ſed quia indoctiſsimus quiſque eã maxime ſequitur, & ad ea facilius impellitur,quae iucunda eſſe credit,ac uoluptaria. Propoſita igitur uoluptate,facilius plebeiorum animos,quocumq. uoluerimus,impellemus. Sic ille ruſticus paſtor apud Virgilium,Alexi ſuo uoluptatem & iucunditatem proponens,ad ſe inuitat:

Huc ades,o formoſe puer,tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis,tibi candida Nais
Pallentes uiolas,& ſumma papauera carpens
Narciſum & florem iungit bene olentis anethi.

Ceterum, quantopere fugienda ſit uoluptas,ex hoc loco poteſt intelligi,cum eam maxime inimicam eſſe uirtuti dicat Cicero,& boni naturam adulterare. Plato uoluptatem dixit eſcam eſſe malorum. quod de ſenectute Cicero ſic interpretatus eſt,Malorum eſca uoluptas,qua homines capiuntur,ut hamo piſces. Quod autem ait hoc loco,uoluptatem boni naturam fallaciter imitari,ita alio loco explicuit;Imitatrix boni uoluptas, malorũ mater omnium.Alibi item,blandiſsimas dominas appellat uoluptates.& in Catone maiore ſic ait, In uoluptatis regno uirtus non poteſt conſiſtere.Ariſtoteles ait l.x.Eth.uoluptatem eſſe generi noſtro coniunctiſsimam: nam & quae iucunda ſunt,omnes ſequuntur;& quae moleſta, declinant. Eudoxus uoluptatem ſummum eſſe bonum dicebat, quod ad eam toto impetu omnia ferantur. cuius ſententiam ideo dicit eſſe probandam Ariſtoteles,quia praeſtanti ac ſingulari eſt habitus temperantia, ut non tamquam uoluptatis patronus hoc dixerit,ſed quia uerum ſit.Id uero notandum eſt, quod ait Ariſtoteles,uoluptates eſſe ſpecie differentes,nam aliae ad corpus,aliae ad animum referuntur.quae ad corpus attinent,omnino belluinae ſunt, & ab omni ſapiente reprobantur; quae ad animum,maxime laudabiles ſunt,& naturam attingunt humanam,atque in eis eſt animi tranquillitas,& beata uita.quod multis in locis Plato oſtendit. Poterimus igitur uoluptatem etiam uere laudare,ſi de animi uoluptate loquamur.

CICERO

ET illud uidendum, quanto magis homines mala fugiant,quam ſequantur bona.nam neque honeſta tam expetunt,quam deuitant turpia. quis enim honorem?quis laudem?quis ullum decus tam umquam expetat,quam ut ignominiam,infamiam,contumeliam,dedecus fugiat? quarum rerum dolor grauis eſt.

EXPLANATIO

DVAE ſunt animi commotiones,quae poſſunt hominem,quocumque uelint, impellere, hoc eſt ſpes, & metus.Hae in omni conſilio dando praecipue dominantur;ſpes,cum bona proponuntur;metus autẽ, cum mala.Sed longe magis animum perturbat metus, quam ſpes.hoc eſt,quod ait Cicero,neminem eſſe, qui tanto ſtudio honeſtatem expetat,quam euitet turpitudinem. Hac de cauſſa,cum dare conſilium uolumus, & aliquid diſſuadere,ſtatim oſtendere debemus,quam illud ſit turpe, quam fugiendum. Naturaliter enim animus humanus omnia turpia refugit,etiam ſi languidius honeſta complectatur. itaque ad omne genus hominum commouendum ignominiae,infamiae,contumeliae,dedecoris commemoratio plurimum ualet. grauis enim ex his rebus dolor enaſcitur.Cicero pro lege Man.ſtatim Quirites admonet,ut ignominiam deleant,quã acceperunt a Mithridate, Delenda (inquit) eſt uobis illa macula,Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta, quae penitus iam inſedit,& inueterauit in populi Romani nomine. Et paullo poſt, turpidinem eis uitandam proponit, Videte, ne,ut illis pulcherrimum fuit, tantam uobis imperij gloriam relinquere, ſic uobis turpiſsimum ſit, illud,quod accepiſtis, tueri, & conſeruare non poſſe. Quarta Philippica ſic ait, Agitur

enim

enim non qua condicione uictuři,ſed uicturi ne ſimus,an cum ſupplicio ignominiaq.perituri.quamquã mortem quidem omnibus natura propoſuit,crudelitatem mortis,& dedecus uirtus propulſare ſolet. Adhortationes in hoc genere ſunt frequentiſsimae,in quibus uel laudamus,honoris atque utilitatis propoſita ſpe,uel uituperamus incommodi & infamiae metu.utriusq. generis praeclara ſunt apud Virgilium exempla nam Turnus.li.x. Aen.ſocios ſuos ad bellum excitans utilitatem eis atque honeſtatem proponit,hoc modo.

Quod uotis optaſtis,adeſt,perfringere dextra
In manibus mars ipſe uiri,nunc coniugis eſto
Quisq.ſuae,tectiq. memor,nunc magna referto
Facta patrum,laudesq. .

At contra Tarcon,li.xi.Aen,cum ſocios ſuos fugientes uideret,uituperans ignominiam proponit,ut pulſos in proelia reducat.Pallas autem Euandri filius in adhortandis ſocijs ſuis mediam quandam uiam ſequitur. neque enim omnino uituperat,neque laudat,ſed tamen ignominiam & decus proponit.

Quo fugitis ſocij?per nos,& fortia facta,
Per ducis Euandri nomen, deuictaq. bella,
Spemq. meam,patriae quae nunc ſubit aemula laudis,
Fidite.ne pedibus ferro rumpenda per hoſtes
Eſt uia.

Quod autem ait hoc loco Cicero dolorem ignominiae ac dedecoris eſſe grauem,expreſsit in Turno Virgilius quem cum Drances,li.xij.Aen.tamquam ignauum notaſſet, quod cum Aenea ſingulari certamine congredi non auderet, maxime indignatum oſtendit.

Talibus exarſit dictis uiolentia Turni,
Dat gemitum,rumpitq, has imo pectore uoces.

Nemo enim fere inuenitur,niſi penitus tamquam truncus & caudex ſit,qui dedecore & ignominia non moueatur .

CICERO

EST genus hominum ad honeſtatem natum,malo cultu,prauisq. opinionibus corruptum.Quare in cohortando,atque ſuadendo propoſitum quidem nobis erit illud, ut doceamus qua ui bona conſequi , malaq. uitare poſsimus. Sed apud homines bene inſtitutos plurimum de laude & de honeſtate dicemus , maximeq. ea uirtutum genera tractabimus,quae in communi hominum utilitate tuenda, augendaq. uerſantur.

EXPLANATIO

NATVRAE hominis nihil tam conſentaneum eſt,quam uirtus,& rerum honeſtarum appetitio.hoc eſt quod ait Cicero,Genus hominum ad honeſtatem eſſe natum , nullum enim animal praeter hominem intelligit,quid doceat,& quid non, quamobrem Ariſtoteles ait 1. Ethic. hominis propriam eſſe uirtutem . cur igitur eam tam pauci homines amplectuntur?quia plerique (inquit Cicero)malo cultu,prauisq.opinionibus corrupti ſunt,& totam uiuendi rationem non honeſtate,ſed utilitate,aut uoluptate metiuntur Quocirca,quoties adhortari,aut ſuadere aliquid uoluerimus, illud unum nobis debet eſſe propoſitum,ut a bonis mala diſtinguamus,doceamusq. qua ratione,quae bona ſunt acquiri poſsint,& quae mala deuitari Sed plurimum refert, apud quos uerba faciamus . ſi enim auditores bene inſtituti fuerint , eos ad laudem,ad honeſtatem excitabimus, uirtutes eas proponemus , quae maxime nobis hominum uoluntates conciliare ſolent , ut clementiam, acquitatem,liberalitatem,quod in oratione pro M.Marcello copioſe Cicero facit,& pro Q.Ligario,Noli obſecro dubitare,C. Caeſar,ſimilem illi gloriae laudem quam ſaepiſsime quaerere. nihil eſt enim tam populare, quam bonitas,nulla de uirtutibus tuis plurimis nec gratior , nec admirabilior miſericordia eſt.homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam ſalutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius,quã ut poſsis;nec natura melius,quam ut uelis conſeruare quamplurimos.

CICERO

SIN apud indoctos, imperitosq.dicemus,fructus,emolumenta,uoluptates,uitationesq. dolorum proferantur,addantur etiam contumeliae,atque ignominiae.nemo enim eſt tam agreſtis,quem non ſi ipſa minus honeſtas, cõtumelia tamẽ,& dedecus magnopere moueat.quare,quod ad utilitatem ſpectat,ex ijs,quae dicta ſunt,reperietur .

EXPLANATIO

INDOCTI, imperitiq.homines ea tantum eſſe bona exiſtimant,quae utilitatem aliquam,aut uoluptatem afferunt,contra uero illa putant ſola eſſe mala , quaeq. uel dolorem , uel ignominiam coniunctam habent.quamuis igitur huiuſmodi homines non multum honeſtate moueantur, contumelia tamen & dedecore magnopere

magnopere mouentur, hac ratione imperatores et ignauos milites ad bellū excitare ſolent, cum oſtēdunt eis, quam turpe ſit ordinem deſerere, & hoſtibus terga uertere, quam contumelioſum in hoſtinm manus peruenire, & ſub iugum mitti, aut in ſeruitutem dari. quo ſuadendi genere plenae ſunt T. Liuij conciones. Quinetiam, inimicis ipſis ignominiam proponendo, ſaepe aliquid ſuademus, cum eos decipere uolumus. cuius generis eſt exemplum apud Virgilium. cum enim Aunus quidam Ligur Camillae perſuadere uellet, ut equum dimitteret, quo deinde facilius ipſe manus eius effugere poſſet, ita inquit:

quid tam egregium, ſi femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & comminus aequo
Mecum crede ſolo, pugnaeq. accinge pedeſtri.
Iam noſces uentoſa ferat cui gloria laudem,
Dixit. at illa furens, acriq. incenſa dolore
Tradit equum comiti.

Hoc adeo naturale praeceptum eſt, ut etiam indocti prorſus homines & pueri, ac mulieres eo frequentiſsime utantur. cum enim aliquid ſuadere uolunt, confeſtim dedecus, & turpitudinem obiiciunt, quod conſecuturum eſt, niſi res illa fiat, in qua conſilium dant, quia nemo eſt tam agreſtis, & tam perditis moribus qui non contumelia, & dedecore magnopere moueatur. Hoc igitur modo tractantur ea, quae ad utilitatē referuntur.

CICERO

Quod autem poſſit effici, nec ne poſſit, in quo etiam quam facile poſſit, quamq. expediat, quaeri ſolet, maxime ex cauſsis iis, quae quamque rem efficiant, eſt uidendum.

EXPLANATIO

Tranſit ad agendi facultatem, quoniā in deliberando non ſatis eſt oſtendiſſe, utile id eſſe, de quo deliberatur, niſi etiam fieri poſſe demonſtretur. omnis igitur agendi facultas a conficientibus cauſsis pendet. Quare ſciendum eſt, aliquas eſſe cauſſas, quae ad utilitatem referuntur, aliquas quae ad facultatem: ad utilitatem referuntur illae, quae primo animum mouent ad aliquid appetendum, aut fugiendum, quae fines ſunt rerum boni, uel mali, ut deliberat adoleſcens, an arti militari det operam. mouet eum gloriae ſpes, & dignitatis, mouet et fortaſſe pecuniae lucriq. cupiditas, hae ſunt cauſſae principales, quibus in deliberando ſtatim opponuntur aliae contrariae, ut belli offenſiones, aerumnae, ſpoliationes, uulnera, mortes, uincula, carceres, ſed hae pertinent ad utilitatis rationem, de qua iam ſupra dictum eſt. aliae uero pertinent ad agendi facultatem, quae conficientes uocantur, ut ſi ſit in eo iuuene, qui miles fieri deliberat, praeſens animus, robur corporis, laborum tolerantia, facile poterit in arte militari excellere. Ita, qui ſtudiis litterarum operam daturus eſt, uidendum, an in eo ſit promptum ingenium, ſolertia, memoria. ſic enim poterit doctus euadere. ex his igitur cauſsis, quae quamque rem efficiant, uidendum eſt, quid effici poſsit, nec ne poſsit.

CICERO

Causſarum autem genera ſunt plura. Nam ſunt aliae, quae ipſae conficiunt, aliae, quae uim aliquam ad conficiendum afferunt. itaque illae ſuperiores conficientes uocentur, hae reliquae ponantur in eo genere, ut ſine his confici non poſſit.

EXPLANATIO

Genera cauſſarum ſunt plura, ſed ea tantum Cicero ponit, quae ad propoſitum faciunt. Ariſtoteles quattuor facit cauſſarum genera. Primum, ex quo aliquid fit, ut ex ferro fit enſis, ex argento pecunia, ex farina panis, & haec appellatur materia. Secundum, per quod res appellatur, quae forma dicitur. nā unaquaeq. res propter ſuam formam eſt, & nomen habet, amiſſa forma res interit, neque amplius nomen retinet. Tertium, a quo res originem & principium habet, ut domus ab architecto ſeu fabro, ueſtis a ſutore, calceus a cerdone, & haec conficiens cauſſa nominatur. Quartum, cuius gratia res aliqua fit, ut domus habitandi gratia, exercitatio ſanitatis, ſtudium doctrinae gratia, & hic dicitur finis, ad quem omnia diriguntur, atque ideo dicunt hanc omnium eſſe praeſtantiſsimam cauſſam, quoniam ad hanc reliquae omnes diriguntur; ut cur imperator delectum militum habet, arma & tormenta bellica praeparat, acies inſtruit, ſigna confert & dimicat? certe, ut uictoriam conſequatur. hic igitur eſt finis, propter quē alia omnia fiunt, & quodāmodo conficiens cauſſa propter exitum uocatur, quia, licet reipſa finis ſit ultimus, tamē uirtute & poteſtate primus eſt, quia propter utilitatem, & commodum primo animos deliberātium mouet, & ad ſe rapit. Cicero hoc in loco ponit duo genera cauſſarum: primum, quod ipſum conficit, ut ignis efficit calorem, Sol diem, & hae conficientes cauſſae uocantur: alterum, quod uim affert ad conficiendum, ſine quo res confici non poteſt, ut inſtrumenta, locus, tempus. Itaque architectus eſt quidē aedificij conficiens cauſſa, ſed niſi habeat lapides, ligna, fabros, inſtrumenta, nullo modo poterit aedificium conficere, materia igitur, & inſtrumenta conficientem cauſſam adiuuerint.

CICERO

Conficiens autem cauſſa alia eſt abſoluta, & perfecta per ſe, alia aliquid adiuuans, & efficiendi ſocia quaedam, cuius generis uis uaria eſt, & ſaepe aut maior, aut minor, ut & illa, quae maximam uim habet, ſola ſaepe cauſſa dicatur.

EXPLANATIO

Dividit cauſſas efficiētes in duo genera, quoniam aliae ſunt abſolutae & perfectae, quae ſua ui nulloq. alterius auxilio conficiunt aliquid, ut ignis natura ſua caloris eſt cauſſa, & Sol diei; aliae ſunt imperfectae, quae uim quidem magnam habent, ſed ope tamen egent aliena, ut terra ſtirpium quidem cauſſa eſt, quoniam eas producit, ſed tamen calore Solis atque imbribus adiuta, huiuſmodi cauſſae uel maiores ſunt uel minores, ut Quinctilianus quaerit, utrum plus conferat eloquentiae ars, an natura, quarum utraq. cauſſa eſt conficiens, & concludit naturam eſſe maiorem in mediocribus oratoribus, minorem in ſummis. Quamuis autem multae ſit eiuſdem rei cauſſae conficientes, tamen illa, quae maximam uim habet, ſola ſaepe cauſſa dicitur, ut cur tam excellens euaſit Plato? quia ſummum habuit ingenium. licet enim aliae fuerint efficientes cauſae, ut aſsiduum ſtudium, indefeſſus labor, eruditiſsimi praeceptores, exercitatio quotidiana, tamen, quoniam his omnibus ingenium antecellit, ſolum eruditionis cauſſa nominatur.

CICERO

Sunt autem aliae cauſſae, quae aut propter principium, aut propter exitum conficientes uocantur. cum autem quaeritur, quid ſit optimum factu, aut utilitas, aut ſpes efficiendi ad aſſentiendum impellit animos. &, quoniam de utilitate iam diximus, de efficiendi ratione dicamus.

EXPLANATIO

Advertendum ex hoc loco cauſſas omnes principales a Cicerone conficientes uocari, hoc eſt tā illas, quae primo quidem mouent animum, ſed tamen fines ſunt rerum, ut diuitiae mouent animum mercatoris ad nauigandum, & maximos labores ſubeundos, quam eas, quae rerum principia ſunt, ut diaeta ſanitatis. in omnibus enim actionibus noſtris finis primo ſpectandus eſt, deinde illa, quae nos ad finem perducere poſſunt, ut diſcendi cupidus primo ſibi ſcientiam illam proponit, in qua cupit excellere, ut Philoſophiam, aut iuris prudentiam, deinde praeceptorem quaerit, libros comparat, & alia, quae ſunt ad finem conſequendum neceſſaria. ſed quaeſtio illa, quae eſt de fine, cum quaeritur quid ſit optimum factu, refertur ad ea, quae de utilitate dicta ſunt. nam utilitas, quae in ipſo fine eſt, uel a fine prouenerit, maxime impellit animos ad aſſentiendum. quod ſi etiam efficiendi ſpes adiungatur, tum nulla amplius relinquitur dubitatio. cognoſcitur autem a circumſtantiis, quae uocantur, utrum aliquid effici poſsit, necne. & hoc eſt quod ſubiungit Cicero.

CICERO

Quo toto genere quibuſcum, & contra quos, quo tēpore, aut quo loco, aut quibus facultatibus, armorum pecuniae, ſociorum, earum ue rerum, quae ad quamq. rem efficiendam pertinent, poſsimus uti, requirendum eſt.

EXPLANATIO

Quas Graeci Periſtaſes uocant, quidam ex Latinis circumſtantias appellarunt, ut Quinctilianus. ſic enim ait li. 5. inſt. orat. Hoc genus argumentorum ſane dicamus ex circumſtantia, quia Periſtaſim dicere aliter non poſſumus. Sunt autem ſex numero circumſtantiae, perſona, res, cauſſa, locus, tempus, modus; quarum tantum quattuor ponit hoc in loco Cicero, perſonam, tempus, locum, modum, quoniam cum deliberamus, nota eſt res, de qua deliberatur, atque etiam deliberationis cauſſa. Ac primo de perſonis uidendum eſt, quibus cum rem aggreſſuri ſimus, hoc eſt, quos ſocios ſimus habituri. Hoc enim plurimum refert in actionibus noſtris, qui nobis ſint auxilio; nam plurima per amicos & ſocios gerimus, quibus ſi careremus, eorum nihil gerere poſſemus. ut apud Virgilium Turnus, li. 11. Aen.

Non erit auxilio nobis Aetolus & Arpi,
At Meſſapus erit, felixq. Tolumnius, & quos
Tot populi miſere duces,

Cicero contra Catilinam, adhortans populum Romanum, oſtendit bellum non eſſe timendum, & aperit quos ſocios habet Catilina, quaeq. praeſidia populus teneat. ſic enim ait per ironiam, O bellum magnopere pertimeſcendum, cum hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortem praetoriam: inſtruite nunc Quirites contra has tam praeclaras Catilinae copias ueſtra praeſidia, ueſtroſq. exercitus, & primum gladiatori illi confecto & ſaucio conſules, imperatoreſq. ueſtros opponite. Deinde contra illam naufragorum eiectam, ac debilitatam manum florem totius Italiae ac robur educite, & quae ſequuntur. Ita multum proderit in adhortandis ad ſtudia bonarum artium iuuenibus, ſi aequalium ſocietas proponatur, & auxilium praeceptoris. Deinde

uidendum

uidendum eſt contra quos,ideſt,quos ſimus aduerſarios aut hoſtes habituri, nam eorum uires infirmare proderit,ut P.Scipio apud T.Liuium cum eſſet cõgreſſurus,primo cum Hannibale ſic militum eius uires infirmat, Effigies,immo umbrae hominũ,fame,frigore,illuuie,ſqualore enecti,contuſi ac debilitati inter ſaxa rupesq.ad haec peruſti artus,niue rigentes nerui,membra torrida gelu,quaſſata fractaq.arma,claudi,ac debiles equi,cum hoc equite,cum hoc pedite pugnaturi eſtis,reliquias extremas hoſtium non hoſtes habebitis.Tempus etiam & occaſio multum ualet in rebus agendis,ut li.2.Aen.

Inuadunt urbem,uino ſomnoq. ſepultam.

Quin a loco licet adhortari uel aequo,uel iniquo,unde quis elabi poſsit, aut non.Palas Euandri filius ita ſocios a loco incendit ad fortiter dimicandum.li.x.Aen.

Ecce mari magno claudit nos obice pontus.
Deeſt iam terra fugae,pelago Troiam ne petemus?

Sic Hannibal a loco milites ſuos hortatur,cum oſtendit eos nullo modo fugere poſſe,Circa Padus amnis maior ac uiolentior Rhodano,a tergo Alpes urgent, uix integris uobis ac uigentibus tranſitae. hic uobis uincendum aut moriendum milites eſt,ubi primum hoſti occurriſtis.Poſtremo facultates conſiderantur,quae ad modum pertinent.ut arma,pecuniae,ſocij,& cetera,quae neceſſaria ſunt,ad rem efficiendam.

CICERO

NEQVE *ſolum ea ſunt, quae nobis ſuppetunt, ſed etiam illa,quae aduerſantur,uidenda, & ſi ex contentione procliuiora erunt noſtra,non ſolum effici poſſe, quae ſuademus, erit perſuadendum, ſed curandum etiam, ut illa facilia,procliuia,iucunda uideantur.*

EXPLANATIO

IN ſuadendo non tantum ea uidenda ſunt,quae nos adiuuant, ſed etiam illa, quae nobis aduerſantur, & ex comparatione demonſtrandum eſt, quae ſuademus, non tantum effici poſſe, ſed etiam eſſe facilia, procliuia,iucunda. cuius rei pulcherrimum eſt exemplum apud Ciceronem contra Catilinam, ubi ita inquit:Sed ſi omiſsis his rebus omnibus,quibus nos ſuppeditamus,eget ille,ſenatu,equitibus R.populo,urbe,aerario, uectigal ibus,cuncta Italia,prouincijs omnibus,exteris nationibus,ſi inquam his rebus omiſsis ipſas cauſſas,quae inter ſe confligunt,contendere uelimus,ex eo ipſo,quam ualde illi iaceant,intelligere poſſumus. ex hac enim parte pudor pugnat,illinc petulantia,hinc pudicitia,illinc ſtuprum,hinc fides illinc fraudatio,hinc pietas, illinc ſcelus,hinc conſtantia,illinc furor,hinc honeſtas,illinc turpitudo,hinc continentia,illinc libido,denique aequitas, temperantia,fortitudo,prudentia,uirtutes omnes certant cum iniquitate,cum luxuria,cum ignauia, cum temeritate,cum uitijs omnibus;poſtremo copiae cum egeſtate,bona ratio cum perdita,mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit.Sic apud Salluſtium Catilina, ex contentione ſuos milites adhortatur,cum ait,Praeterea milites non eadem nobis & illis neceſsitudo impendet,nos pro patria,pro libertate,pro uita certamus,illis ſuperuacaneum eſt pugnare pro potentia paucorum,deinde oſtendit ſua eſſe facilia,procliuia, iucunda,cum ait;Cum uos conſidero milites,& cum facta ueſtra aeſtimo,magna me ſpes uictoriae tenet,animus,aetas,uirtus ueſtra me hortantur.praeterea neceſsitudo,quae etiam timidos fortes facit. Plurimum autem ualet ad perſuadendum, ſi docere poterimus id eſſe facile, procliue, & iucundum,quod ſuademus.ut Iuno apud Virgilium,cum Aeolum adhortatur ad uentos emittendos. li. 1.Aen.

CICERO

DISSVADENTIBVS *autem aut utilitas labefactanda eſt, aut efficiendi difficultates efferendae, neque alijs ex praeceptis,ſed ijſdem ex ſuaſionis locis.*

EXPLANATIO

DISSVASORI ſatis eſt aut utilitatem labefactare,aut oſtendere magnam eſſe difficultatem.quod enim probatur inutile eſſe,reijcitur,neque quiſquam id aggreditur, quod ſe non ſperat efficere poſſe. Atilius Regulus apud Horatium Romanis diſſuadet captiuos a Carthaginiẽſibus redimere,quod futuri ſint inutiles, li 2.ter. Dec. Hanc diſſuadendi rationem aliquando T. Liuius eleganter imitatus eſt, ubi T. Manlius Torquatus. Romanis diſſuadet,ne eos qui ſe Cannenſi proelio Hannibali dediderant,redimerent;plurimum autem ualet in diſſuadendo efferre & amplificare difficultates,& oſtendere ad exitum rem deduci non poſſe.

CICERO

VTERQVE *uero ad augendum habeat exemplorum aut recentium quo notiora ſunt, aut ueterum quo plus auctoritatis habeant copiam, maximeq.ſit in hoc genere meditatus,ut poſſit uel utilia ac neceſſaria ſaepe honeſtis,uel haec illis anteferre.*

EXPLANATIO

EXEMPLA tam ad ſuadendum, quam ad diſſuadendū plurimū ualēt.iccirco uterque hoc eſt ſuaſor & diſſuaſordebet exemplorum habere copiam.nam(ut Quinctilianus ait) nulli materiae magis quam deliberationi conueniunt,quoniam ex praeteritis,quae futura ſunt,coniectura aſſequimur.Ariſtoteles Ethicorum decimo ait exempla multo magis mouere, quam uerba,& argumenta. Macrobius ſeptimo libro Saturnalium, Plebeia (inquit) ingenia magis exemplis quam oratione capiuntur,exemplis etiam fabulae adduntur, ut fabula Menenij Agrippae apud T. Liuium. Horatius:

Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris,
Ore trahit quodcumque poteſt,atque addit aceruo.

Sunt autem exemplorum duo genera,recentia & uetera.Recentia notiora ſunt,atque ideo magis uidentur animos mouere.Vetera uero quandam prae ſe maieſtatem atque auctoritatem maiorem ferunt. in utroque genere copioſiſsimus eſt Cicerō,parcior Demoſthenes. Ariſtoteles li. 1. Rhet. duo uult eſſe,ex quibus uniuerſa uis oratoria conſletur,exemplum & enthymema.non enim ſatis habet orator rationes afferre, quibus aliquid faciendum ſuadeat,ſed eas etiam exemplis confirmare debet.Cicero,ſuaſurus bellum contra Mithridatē,multa ſtatim maiorum exempla commemorat,deinde eum locum ita enumerando concludit,Quare ſi propter ſocios nulla ipſi iniuria laceſsiti maiores ueſtri cum Antiocho,cum Aetolis,cum Poenis bella geſſerunt,quanto uos ſtudio conuenit iniurijs prouocatos ſociorum ſalutem una cum imperij ueſtri dignitate defendere? In hoc autem genere multum proderit (inquit Cicero) ita nos exercere,ut,quoties opus fuerit,poſsimus & pro honeſtate contra utilitatem,& pro utilitate contra honeſtatem uerba facere,uel ex contentione, & comparatione rerum,quae quibus anteferri dicemus oportere.quae quidem exercitatio in contrarias partes diſputandi Academicorum & Peripateticorum olim propria fuit.

CICERO

AD commouendos autem animos maxime proficient,ſi incitandi erunt,huiuſmodi ſententiae,quae ad explendas cupiditates,aut ad odium ſatiandum,aut ad ulciſcendas iniurias pertinebunt.

EXPLANATI

NIHIL poterit orator ſuadere,niſi moueat audientium animos. itaque ſententias eas quaerere debet, quae motum animis afferant. illae uero ſunt,quae nobis optatos fines proponunt, ut ſi explendae ſint cupiditates,ſi ſatiandum odium,ſi ulciſcendae iniuriae.haec enim fere tria ſunt,quae homines uehementer expetunt. hac arte Virgilius lib. 4. Aen. Annam inducit Didoni ſorori ſuadentem, ut cupiditatem ſuam expleat, ſic enim ait:

o luce magis dilecta ſorori,
Sola ne perpetua maerens carpere iuuenta
Nec dulces natos,Veneris nec proemia noſces? & paullo poſt,
Placito ne etiam pugnabis amori?

apud T.Liuium Tanaquil Seruium generum ſuum ad inuadendum regnum excitat, lib. 1. Tuum eſt,Serui,ſi uir es,regnum,non eorum,qui alienis manibus peſsimum facinus fecere,erige te,Deosq. duces ſequere.Proficiunt etiam ſententiae quae ad ſatiandum odium pertinent,ut apud Virgilium,lib.2.Aen.ipſe ſecum Aeneas tia deliberat,de Helena interficienda:

Non ita,namque etſi nullum memorabile nomen
Feminea in poena eſt,nec habet uictoria lau dem,
Exſtinxiſſe nefas tamen,& ſumpſiſſe merentum
Laudabor poenas,animumq. expleſſe iuuabit
Vltricis famae,& cineres ſatiaſſe meorum.

Ita Lucretia apud T.Liuium uirum & patrem in Sex. Tarquinium adulterum inflammat. Sextus eſt Tarquinius,qui hoſtis pro hoſpite priore nocte ui armatus mihi,ſibiq. ſi uos uiri eſtis, peſtiferum hinc abſtulit gaudium.Tertio ſententiae illae,quae ad ulciſcendas iniurias pertinent,magnopere animos commouent,ut Cicero Or.pro L.Man.Quirites contra Mithridatem inflammat hoc modo; Maiores ueſtri ſaepe mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis bella geſſerūt, uos,tot ciuium Romanorum millibus uno nuncio,atque uno tempore necatis,quo tamdem animo eſſe debetis?

CICERO

SIN autem reprimendi, de incerto ſtatu fortunae, dubijsq. euentis rerum futurarum, & retinendis ſuis fortunis,ſi erunt ſecundae,ſin autem aduerſae, de periculo commonendi.atque hi quidem ſunt perorationis loci.

EXPLANATIO

NON ſemper animi ſunt incitandi, ſed interdum etiã reprimendi. quoties igitur hoc accidit, debet orator oſtendere, quam incertus ſit fortunae ſtatus, quam dubia ſint euenta rerum futurarum; debet admonere, ut ſuas fortunas retineant, & pericula deuitẽt. incertus enim fortunae ſtatus multum animos mouet, & plurimum ualet ad ſuadendum, ut apud T. Liuium pater Horatij, qui ſororem interfecerat, cum incitatum populum reprimere uellet, ita inquit, Hunccine, quem modo decoratum, ouãtemq. uictoria incedentem uidiſtis Quirites, eum ſub furca uinctum, inter uerbera & cruciatus uidere poteſtis? Sunt autem in peroratione amplificãda omnia, quae honeſta, quae utilia, quae neceſſaria, quae iucunda, quae procliuia eſſe dixerimus; & ſi ij, qui deliberant, fortunam habent ſecundam, eos admonebimus, ut illam diligenter conſeruare ſtudeant, ut Diomedes apud Virgilium Latinos admonet lib. xi. Aeneid. ut cum Troianis pacem habeant, ſi felicitatem ſuam incolumem ſeruare uelint, quoniam, quicumque bellum cum Troianis fecerant, infelices exitus ſortiti fuerant. ſic enim ait;

O fortunatae gentes, Saturnia regna,
Antiqui Auſonij, quae uos fortuna quietos
Sollicitat? ſuadetq. ignota laceſſere bella?

& quae ſequuntur.

Si uero fortuna fuerit aduerſa, periculum oſtentare oportebit, ut Latinus Rex, Conſulite in medium & rebus ſuccurrite feſſis. atque hoc modo in deliberatione peroratio tractatur.

CICERO

PRINCIPIA *autem in ſententiis dicendis breuia eſſe debebunt, non enim ſupplex, ut ad iudicem, uenit orator, ſed hortator, atque auctor, quare proponere, qua mente dicat, quid uelit, quibus de rebus dicturus ſit, debet, hortariq. ad ſe breuiter dicentem audiendum.*

EXPLANATIO

IN deliberatiuo genere plerumque breuia ſunt exordia, quoniam qui deliberant, ſponte ſua parati ſunt ad audiendum, neque ſupplicare opus eſt, ut in iudiciis fieri ſolet. Satis igitur eſt rem proponere, de qua dicturi ſumus, & auditores hortari, ut attente uelint audire, niſi tempus cauſſaq. poſtulet, ut longiori exordio utamur, ut pro lege Man. Cicero, antequam de re dicere incipiat, cauſſam exponit, quare antea numquam in concione orationem habuerit, deinde ita proponit. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeij ſingulari eximiaq. uirtute. in Philippicis autem omnibus, uel breuiſsimo, uel nullo utitur exordio, ſicut etiam Demoſthenes. Sed in diſſuadendo nonnumquam longo exordio opus eſt, praeſertim ſi illa diſſuadeamus, quae auditoribus utilia eſſe uideantur. cuius rei pulcherrimum eſt exemplum apud Ciceronem de lege Agraria contra Rullum, ubi longa inſinuatione utitur.

CICERO

TOTA *autem oratio ſimplex, & grauis, & ſententiis debet ornatior eſſe, quam uerbis.*

EXPLANATIO

CORPVS ipſum orationis in deliberatiuo genere nihil fucatum, aut nimis expolitum habere debet, ſed eſſe ſimplex, & graue, ne qua fraudis, aut doli ſuſpicio ſubſit, crebraeq. ſunt adhibendae ſententiae, quae multum mouere ſolent, uerborum autem ornamenta non ita crebra, ne uideatur nimium exſultare oratio, ſed grauitatem habere. tales omnino ſunt Demoſthenis Philippicae.

CICERO

C. F. *Cognoui iam laudationis, & ſuaſionis locos. nunc, quae iudiciis accommodata ſunt, exſpecto, idq. nobis genus reſtare unum puto. C. P. Recte intelligis, atque eius quidem generis finis eſt aequitas, quae non ſimpliciter ſpectatur, ſed ex comparatione nonnumquam, ut cum de uerißimo accuſatore diſputatur, aut cum hereditatis ſine lege, aut ſine teſtamento petitur poſſeſsio, in quibus cauſſis, quid aequius, aequißimumue ſit, quaeritur, quas ad cauſſas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, aequitatis locis.*

EXPLA-

EXPLANATIO

IAm ſatis multa de laudando, & ſuadendo diſputata ſunt. nunc tertium cauſſarum genus aggreditur, quod iudiciale uocatur, quod duas quidem habet principales partes, hoc eſt accuſationem, & defenſioné, quoties in iudiciis uerſatur, ſed tamen eo frequenter et in Epiſtolis, & in familiari collocutione utimur. cum enim reprehendimus, excuſamus, cõquerimur, obiurgamus, deprecamur, inuehimur, in iudiciali genere uerſamur, quo fit, ut exprobratio, excuſatio, inuectiua, expoſtulatio, purgatio, querella, obiurgatio, deprecatio, & ſi qua ſunt huius generis, iudiciali generi tamquam ſpecies quaedam ſubiiciantur. Quoniam autem in omni genere primo finis eſt quaerendus, nam omnia propter finem aguntur, ideo primo loco Cicero iudicialis generis finem explicat. ſicut enim demonſtratiui generis finis eſt honeſtas, deliberatiui utilitas, ita iudicialis generis finis eſt aequitas. Eſt autem aequitas optima iuris ratio, quam nobis dictat ipſa natura, unde bonae leges profluunt, quae deinde etiam ab ipſa reguntur; differt a iuſtitia, quoniam iuſtitia leges ad unguem ſeruari poſtulat, & ſummum ius ſequitur, nihilq. de poena uult remittere, nec magis diuitem, quam pauperem reſpicit, nec magis principi, quam priuato parcit; aequitas uero quaedam eſt iuſtitiae remiſsio, atque (ut ita dicam) emendatio, & aequum, & bonum nihil aliud eſt, quam ipſum iuſtum, cum clementia coniunctum, de quo Ariſtoteles primo Rhetoricorum libro multa diſputat. Haec eſt, quam nona Philippica Cicero in Ser. Sulpicio laudat, cum ait, eum, quae proficiſcuntur a legibus, & a iure ciuili ſemper ad facilitatem, aequitatemq. referre ſolitum. in iudiciis aequitas aliquando ſimpliciter ſpectatur, ut cum quaeritur, quid aequum, quid bonum ſit, aliquando ex comparatione, ut, quid aequius, quid melius. ponit autem duo exépla Cicero eius aequitatis, quae ex comparatione ſpectatur; primum eſt, cum de ueriſsimo accuſatore diſputatur, hoc eſt, cum duo, aut plures uolunt aliquem accuſare de repetundis, aut de aliquo maleficio publico, & quaeritur quis melior, aut quis optimus ſit accuſator futurus, quod genus quaeſtionis diuinatio uocatur, quoniam de animo & facultate accuſatoris quodammodo diuinare opus eſt, qualis eſt prima actio Ciceronis contra Verrem. Quinctus enim Coelius, qui Verris quaeſtor fuerat, petebat ſibi delationem dari, & cum ipſo Cicerone de accuſando Verre contendebat. quaeritur ergo, cui ſit aequius accuſationé concedere, de qua re ſic proponit Cicero, Ego ſic intelligo, iudices, cum de pecuniis repetundis nomen cuiuſpiam deferatur, ſi certamen inter aliquos ſit, cui potiſsimum delatio detur, haec duo in primis ſpectari oportere, quam maxime uelint actorem eſſe ij, quibus factae eſſe dicantur iniuriae, & quem minime uelit is, qui eas iniurias feciſſe arguatur. Cornificius ad Herennium primo libro de hac re ita ſcribit, In publicis quaeſtionibus cauetur legibus, ut ante, ſi reo commodum ſit, indicium de accuſatore fiat, utrum illi liceat accuſare, nec ne. Cicero tertio libro Epiſtolarum ad Quinctum fratrem ita ſcribit, Apud Catonem erat diuinatio in Gabinium inter Memmium, & Ti. Neronem, & C. L. Antonios M. F. putabamus fore, ut Memmio daretur, & ſi erat Neronis mira contentio. Coelius octauo Epiſtolarum apud Ciceronem. nam de diuinatione Appius, cum calumniam iuraſſet, contendere auſus non eſt, Pilioq. ceſsit. Haec igitur quaeſtio, cum de ueriſsimo accuſatore diſputatur, Diuinatio uocatur. Secundum exemplum eſt, cum hereditatis ſine lege, aut ſine teſtamento petitur poſſeſsio, ut ſi quis ab inteſtato mortuus agnatos non habeat, Lex enim duodecim tabularum poſt ſuos heredes agnatos admittebat. ponamus igitur nullos eſſe agnatos, certe qui petunt hereditatem, petunt ſine lege, ut ſi petat fratris filius emancipatus, nam emancipatio rumpebat agnationem, aut ſororis filius petat, cum nulla ſit certa lex, uidendum quid aequius ſit, aut quid aequiſsimum. ita lex ab inteſtato proximiores agnatos uocat ad hereditatem, multi ſunt fortaſſe agnati, qui petant, uidendum quinam aequius petant. Sed haec omnia noſtro tempore partim iure communi, partim legibus municipalibus ſunt conſtituta. quod ſi qua controuerſia naſcatur, ea tractabitur ex locis aequitatis, de quibus paullo poſt agetur.

CICERO

ATQVE etiam ante iudicium de conſtituendo ipſo iudicio ſolet eſſe contentio, cum, aut ſit ne actio illi, qui agit, aut iam ne ſit, aut nam iam eſſe deſierit, aut illa ne lege, iis ne uerbis ſit actio, quaeritur.

EXPLANATIO

HOc loco de trauſlatiua conſtitutione uerba facit, de qua primo de Inuentione ſic ait, At cum cauſſa ex eo pendet, quod non aut is agere uidetur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut nõ apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet, tranſlatiua dicitur conſtitutio, quia actio tranſlationis, & commutationis indigere uidetur. Quinctilianus non uult hanc eſſe conſtitutionem, quia non conſtituit iudicium, ſed potius deſtruit. Cicero autem, & ante iudicium tractari poſſe docet, & in ipſo iudicio. Ac primo quidem ante iudicium multis modis tranſlatiua conſtitutio tractatur, cum de conſtituendo ipſo iudicio eſt contentio, ut, cum quaerimus, ſit ne actio illi, qui agit? hoc eſt, habeat ne ius agẽdi, aut petendi aliquid in iudicio? exempli gratia, ſi pecunias ego Maro debeo, & eas a me Cornelius petat, neque enim Cornelius actionem habebit contra me, niſi uel procurator Marci, uel cognitor, uel aduocatus, uel heres, uel denique ius aliquod petendi conſecutus fuerit, ita quaeri poteſt, an filio ſit actio contra patrem, an

ſeruo

ſeruo contra dominum, an uxori contra maritum, & contra. Contenditur etiam de tempore, ut ſi quis petat pecuniam, antequam coepta ſit deberi, hoc eſt (ut uulgo dicunt) ante terminum; quaeritur iam ne ſit illi actio? uel ſi quis agat contra praeſcriptionem longi temporis, ut ſi quis mihi litem moueat de praedio, quod iam decennium bona fide poſſederim. nam illi ſtatim uſucapionem, & temporis praeſcriptionem obiiciam, & dicam iam illi actionem eſſe deſiiſſe, neque amplius contra me agere poſſe, quia praedium illud longo tempore ſit uſucaptum. Interdum etiam de lege contenditur, ut ſi quis eum, qui ſe telo defenderit, & inimicum ſuum interfecerit, reum agat lege Cornelia de ſicariis, aut qui cum meretrice fuerit, adulterij reus agatur ex lege Iulia de Adulteris. nam obiiciendum eſt, non eſſe lege illa agendum. quae res etiam pro A. Caecina, in controuerſiam uenit. nam aduerſarij dicebant, non interdicto, unde ui, agendum eſſe cum Sex. Aebutio, ſed potius iniuriarum, qua de cauſſa Cicero primo probat ſe habere actionem ex interdicto, quo uis omnis prohibetur, & docet Caecinae uim factam fuiſſe. Nonnumquam de uerbis, quibus in agendo uti opus eſt, contentio naſcitur. nam olim ex praeſcripta formula uerborum agebant, quam praetor ipſe, a quo iudicia petebantur, agentibus definiebat. quam qui ſecutus non fuiſſet, cauſſa cadebat. eam conſuetudinem facetiſsime ridet Cicero pro L. Murena, Notas (inquit) quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent, cum hoc fieri belliſsime poſſet, fundus Sabinus meus eſt, immo meus, deinde iudicium noluerunt, fundus (inquit) qui eſt in agro, qui Sabinus uocatur, ſatis uerbo ſe, cedo, quid poſtea? ego eum ex iure meum eſſe aio. quid tum? inde ego te ex iure manu conſertum uoco, quid huic tam loquaciter litigioſo reſponderet ille, unde petebatur, non habebat. tranſit idem iuriſconſultus tibicinis Latini modo, Vnde tu me (inquit) ex iure manu conſertum uocaſti, inde ibi te reuoco. praetor interea, ne pulchrū ſe ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cum ceteris rebus abſurdum, cū uero nullo uſu, utriſque ſuperſtitibus praeſentibus, iſtam uiam dico, inite uiam, & reliqua.

CICERO

QVAE etiam ſi antequam res in iudicium uenit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non ſunt, tamen in ipſis iudiciis permagnum ſaepe habent pondus, cum ita dicitur, Plus petiſti, ſero petiſti, non fuit tua petitio, non a me, non hac lege, non his uerbis, non hoc iudicio.

EXPLANATIO

IN ipſo iudicio (inquit) tranſlatiua conſtitutio ſaepe magnum pondus habet. licet enim haec fere ante iudicium tractari ſoleant, tamen, ſi acciderit, ut his non obiectis iudicium fuerit iam conſtitutum, multum ualent in ipſo iudicio; quoniam iniquitas iudicij oſtenditur, cum ita poſſumus dicere, Plus petiſti, Sero petiſti, & quae ſequuntur. Quid autem ſit plus petere, declarat Iuſtinianus libro Inſtitutionum quarto, Titulo de Actionibus, Plus (inquit) quattuor modis petitur, re, tempore, loco, & cauſſa. Re, ut, ſi quis pro decem aureis, qui ei debebantur, uiginti petat, uel ſi quis totam rem petat, cum ei pars tantum debeatur. Tempore, ut, ſi pecuniam ante diem, uel ante condicionem petat. Loco, ſi quis Romae dare pollicitus fuerit, ego Mediolani petam. Cauſſa, ut, ſi quis uel equum, uel decem aureos pollicitus ſit, ego tantum equum petam, aureos uero nolim accipere pro equo. eſt enim promiſſoris electio, utrum equum an pecuniam ſoluere malit, non eius, cui promiſſum fuerit, ita poſſumus obiicere. Sero petiſti, cum iam longo tempore in mancipium meum res uenerit, & uſucapta ſit. Non fuit tua petitio, quia neque procurator, neque cognitor, neque aduocatus, neque heres fueras. Non a me petere debes, ſed ab eo, cum quo contraxiſti, non hac lege de Sicariis, aut Adulteris, ſed alia mitiori, non his uerbis, quibus uſus fuiſti, ſed iis, quae praetor ipſe praeſcripſit, uel quae ſunt in formulis Actionum, non hoc iudicio capitali, ſed ciuili. Cicero pro A. Caecina, hoc modo tranſlatiuae conſtitutioni occurrit. At ſi quis mihi hoc iudex, recuperator ue dicat, potuiſti enim leuiore actione confligere, potuiſti ad tuum ius faciliore & commodiore iudicio peruenire, quare aut muta actionem, aut noli mihi inſtare, ut iudicem, tamen is aut timidior uideatur, quam fortem, aut cupidior, quam ſapientem iudicem eſſe aequum eſt, ſi aut mihi praeſcribat, quemadmodum meum ius perſequar, aut ipſe id, quod ad ſe delatum ſit, non audeat iudicare.

CICERO

QVARVM cauſſarum genus eſt poſitum in iure ciuili, quod eſt in priuatarum, ac publicarum rerum lege, aut more poſitum: cuius ſcientia neglecta ab oratoribus plerisque, nobis ad dicendum neceſſaria uidetur. Quare de conſtituendis actionibus, accipiendis, ſubeundisq. iudiciis, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda aequitate, quod ea fere generis eius ſunt, ut, quamquam in ipſum iudicium ſaepe dilabantur, tamen ante iudicium tractanda uideantur. paullulum ea ſeparo in iudiciis, tempore magis agendi, quam diſſimilitudine generis.

EXPLANATIO

HAE tranſlatiuae (inquit) pendent a iure ciuili, quod quadruplex eſt, uel publicum, uel priuatum, uel in lege, uel in more. Publicum, quod ad ſtatum ciuitatis pertinet, & ad communem utilitatem. priuatum, quod ad ſingulos homines. in lege ius eſſe dicitur, quod ſcriptum eſt, & publice confirmatum. in more, quod non eſt ſcriptum, ſed eſt in conſuetudine, & omnes eo utuntur. quamus autem plerique oratores iuris ciuilis cognitionem negligant, tamen eam cenſet ipſe Cicero ad dicendum eſſe neceſſariam. quod primo de oratore Craſſus multis rationibus, & exemplis confirmat. neque ſane poterit orator haec omnia, quae ad conſtituendas actiones pertinent, quae ad accipienda ſubeundaq; iudicia, quae ad excipiendam iniquitatem iudicij, quae ad comparandam aquitatem ſpectant, bene intelligere, niſi iuris ciuilis cognitionē habuerit. haec autem ita diſtinguuntur, ut conſtituere actionem dicatur praetor, uel is, qui iudicium exercet, cum actorem admittit, qui actionem intendat. Accipere ſubireq; iudicium dicitur reus, atque is, unde petitur, cum tranſlatiua conſtitutione non utitur, ſed iudicio contendere paratus eſt: excipere iniquitatem actionis dicitur etiam reus, cum utitur exceptione uel doli mali, uel metus, uel actionis, ne, ſi iudicium ſubeat, ei fiat iniuria: aequitatem comparare eſt, cum, duabus, aut pluribus rebus propoſitis, conſideratur utra ſit aequior, aut quae ſit aequiſsima. Haec autem quattuor Cicero ſeparat a iudiciis, non quia diſsimilis generis ſint. nam omnino ſunt iudicialia, ſed quoniam interdum ipſa iudicia tempore praecedunt, hoc eſt ante tractantur, quam iudicia conſtituantur.

CICERO

NAM omnia, quae de iure ciuili, aut de aequo & bono diſceptantur, cadunt in eam formam, in qua, quale quid ſit, ambigitur, de qua dicturi ſumus, quae in aequitate, & iure maxime conſiſtit.

EXPLANATIO

DVo ſunt, quibus humanae actiones recte gubernantur, ius, & aequitas. ius enim ciuile iudiciis dominantur, aequum & bonum ita iuſtitiam temperat, ut a clementia non diſcedatur. Sed haec duo ad qualitatem referuntur, hoc eſt, quod ait Cicero, omnia quae de iure ciuili, & de aequo, ac bono diſceptantur, ad eā formam pertinere, in qua quale ſit ambigitur. Sed aduertendum eſt, qualitatem interdum ſummum eſſe genus, & omnes cauſſarum ſpecies, atque earum fines continere, ut honeſtatem, & utilitatem, aequitatem; interdum eſſe conſtitutionis ſpeciem, in qua non de facto, neque de facti nomine quaeritur, ſed de iure, iuſtum an iniuſtum, aequum an iniquum, de qua ſentit Cicero. quoties igitur de qualitate controuerſia eſt, tunc diligenter uidendum, quid ius ciuile, & quid aequitas poſtulet.

CICERO

IN omnibus igitur cauſſis tres ſunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus eſt, ſi plures non queas, ad reſiſtendum. Nam aut ita conſiſtendum eſt, ut, quod obiicitur, factum neges: aut illud, quod factum fateare, neges eam uim habere, atque id eſſe, quod aduerſarius criminetur. Aut ſi neque de facto, neque de facti appellatione ambigi poteſt, id, quod arguere, neges tale eſſe, quale ille dicat, & rectum eſſe, quod feceris, concedendum ue defendas. ita primus ille ſtatus, & quaſi conflictio, cum aduerſario, coniectura quadam; ſecundus autem definitione, atque deſcriptione aut informatione uerbi; tertius aequi, & ueri, & recti, & humani ad ignoſcendum diſputatione tractandus eſt.

EXPLANATIO

QVAMVIS ſuperius omnium conſtitutionum loco tractauerit, tamen hoc in loco nunc iterum eandem diſtributionem breuiter repetit, ut oſtendat quomodo indiciis accommodari debeat. In omni (inquit) iudiciali controuerſia poſſunt tres gradus inueniri, ex quibus defenſor unum capere debet ad reſiſtendum, ſi plures capere non poteſt; atque illa primo defenſio firmiſsima eſt, ut Quinctilianus ait; ſi quiſi crimen neget & factum non eſſe dicat, ut, Non commiſit parricidium Roſcius. Non populum Ro. largitione Plancius corrupit. Non fecit inſidias Milo. Proxima defenſio eſt, ſi non id feciſſe dicamus, quod aduerſarij obiiciunt, quamuis factum concedamus, ut, Rabirius, etiam ſi contra Saturnium arma ſumpſit, non tamen ideo populi Rom. maieſtatem imminuit. Aebutius quamuis Caecinam in fundum uenire prohibuerit, non tamē uim fecit. Tertia defenſio eſt, ſi neque factum, neque facti nomen negare potes, ut recte factum oſtendas, ut, Caedem quidem fecit Milo, ſed iure, quoniam inſidiatorem, & latronem interfecit. Ex his tribus gradibus primus ille, in quo factum negatur, coniectura dicitur, a coniectu mentis, quoniam, quae obſcura ſunt & dubia, rationibus & argumentis aperire, & quodammodo interpretari opus eſt, unde etiam Coniectores dicuntur ſomniorum interpretes. Secundus gradus, in quo non de facto, ſed de facti nomine cōtrouerſia eſt,

uel

uel definitione, uel deſcriptione, uel informatione uerbi tractandus eſt. quomodo uero heec tria nomina inter ſe diſtinguantur, ſatis copioſe ſupra docuimus. nam definitio fit ex genere & proprietatibus. Deſcriptio ex euentis, & communibus accidentibus, atque attribus rebus perſonis. Informatio uerbi, ex notatione ſiue Etymologia. Tertius gradus, in quo neque de facto, neque de nomine, ſed de qualitate facti tractatur, aequum, & uerum, & rectum, & humanum continet, quae uerba quattuor licet idem fere ſignificent, tamen ita facile diſtingui poſſunt, ut aequum id appelletur, quod aequaliter omnibus & ſummis & infimis tribuendum eſt, & bonitatem potius, quam ſeueritatem ſpectat, quae uirtus aequitas nominatur. Verum ad honeſtatem, & decorum referatur, ut Horatius:

Metiri ſe quemq. ſuo modulo ac pede uerum eſt,

ideſt honeſtum ac decorum. Cicero pro L. Murena:

Negat uerum eſſe allici beneuolentiam cibo.

Rectum ad iuſtitiam, & perfectum officium ſpectet, quod omnes uirtutum numero habeat. Humanum denique, quod ad clementiam, & miſericordiam pertineat. Nonnumquam accidit, ut in una cauſſa plures ſint conſtitutiones, ut pro Milone, principalis quidem conſtitutio qualitatis eſt, quoniam neque de facto, neque de nomine facti controuerſia eſt, ſed de iure, uerum additur etiam alia conſtitutio, unde tota paene defenſio pendet, cum quaeritur, uter utri inſidias fecerit. nam in ea parte coniecturis eſt agendum, itaque conſtitutio coniecturalis efficitur. Sic pro L. Murena coniecturalis eſt ſtatus, quia negat ambitũ a Murena commiſſum; ſed cum probat, unicuique licere, in populum eſſe liberalem, qualitatis ſtatum aſſumit.

C I C E R O

*E*T, *quoniam ſemper is, qui defendit, non ſolum reſiſtat oportet aliquo ſtatu, aut infitiãdo, aut definiẽdo, aut aequitate opponenda, ſed ẽt rationẽ ſubiiciat recuſationis ſuae: primus ille ſtatus rationẽ habet iniqui criminis, ipſam negationem, infitiationẽq. facti: ſecundus, quod non ſit in re, quod ab aduerſario ponitur in uerbo: tertius, quod id recte factum eſſe defendet, quod ſine ulla nominis controuerſia factum fatetur.*

E X P L A N A T I O

NON ſatis eſt cauſſae conſtitutionem intelligere, ſed oportet etiam rationem aliquam habere defenſionis. Igitur in omni defenſione quaeritur aliqua ratio praeter ſtatum. Status enim controuerſiam ponit, & cauſſam conſtituit, ratio uero probat, & confirmat defenſionem. Quare primus ille ſtatus, qui coniecturalis dicitur, nullam aliam habet rationem praeter ipſam negationem, infitiationemq. facti. neque enim facti ratio ulla poteſt afferri, cum ipſum factum negetur. dicet ergo defenſor iniquum eſſe crimen & fictum, falſos teſtes, accuſatorem calumniari, reum nihil umquam tale non modo feciſſe, ſed ne cogitaſſe quidem, ab eius uita crimen illud quam longiſsime abhorrere. quae cum in aliis orationibus multis, tum praecipue pro Roſcio Am. Cicero diuinitus tractat. In ſecundo ſtatu, iu quo definitione utendum eſt, dicet is, qui defendit, non eo nomine factum eſſe appellandum, quo aduerſarius nominauit, rem ipſam a nomine, uel nomen a re longe diſcrepare, neque omnino in re eſſe, quod in uerbo poſuit aduerſarius, ut pro C. Rabirio Cicero, quamuis fateatur a Rabirio contra Saturninum arma ſumpta fuiſſe, non tamen imminutam ab eo maieſtatem defendit. & pro M. Coelio, quamquam non neget Coelium rem habuiſſe cum Clodia, tamen non eſſe eum adulterum defendit, cum illa more meretricio uiuere. Ita, qui inſciens exſulem in domum ſuam receperit, non debet receptator appellari; & qui pecunias priuatas in templo ſurripuerit, non erit ſacrilegus. In ſtatu qualitatis, oportet omnino facti rationem afferre. cum enim & de facto, & de facti nomine conſtet, nulla res damnationem remorari poteſt, niſi facti ratio appareat, quae uel a iure ciuili, uel ab aequitate ducitur; a iure ciuili, ut ſi quis adulterum domi ſuae deprehenſum interficiat, aut pater filiam, quae commiſit adulterium, occidat. hoc enim iure ciuili conceſſum eſt, ſicut etiam legibus duodecim tabularum, nocturnum furẽ licebat interficere, & diurnum ſi ſe telo defendiſſet. Ab aequitate, ut ſi quis imprudens, cũ feram petere uellet, hominem interficiat, aequitas poſtulat, ut illi ignoſcatur, qui non ſponte maleficium commiſit. Atque hoc modo rationes defenſionibus accommodantur.

C I C E R O

DEINDE *unicuique rationi opponendum eſt ab accuſatore id, quod ſi non eſſet in accuſatione, cauſſa omnino eſſe non poſſet. Itaque ea, quae ſic referuntur, continentia cauſſarum uocentur. quamquam non ea magis, quae contra rationem defenſionis afferuntur, quam ipſae defenſionis rationes continent cauſſas. Sed diſtinguendi gratia rationem appellamus eam, quae affertur a reo ad recuſandum depellendi criminis cauſſa, quae niſi eſſet, quid defenderet non haberet: firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt.*

EXPLANATIO

Dixerat oportere defenſionis exſtare rationem, alioqui ſtatim reus condemnaretur, nunc oſtēdit etiam ab accuſatore contra rationem defenſionis aliquid eſſe afferendum, alioquin accuſatio nulla ſtatim eſſet, ea uero, quae contra rationē defenſionis afferuntur ab accuſatore, continentia cauſſarū uocantur. Graecum autem uerbum expreſsit. nam a Graecis Synechonta uocantur, quae Cicero Continentia uertit. ſciendū tamen eſt, non tantum, quae dicuntur ab accuſatore contra rationes defenſionis, appellari continentia cauſſarum, ſed etiam ipſas rationes hoc nomen habere poſſe, quoniam non minus ipſae rationes cauſſas continent, quam illa, quae contra rationes ab accuſatore proferuntur. uerum docendi gratia haec ita diſtinguuntur, ut ratio dicatur ea, quam reus ad ſui defenſionem affert; firmamentum uero, quod accuſator opponit rationi, ut ſi accuſetur Horatius, quod ſororem ſuam interfecerit, niſi rationem ad refellendum, ac recuſandum depellendi criminis gratia proferat, non habebit, quid defendat, ergo rationem illam affert, iure eſt a me interfecta ſoror, quoniam in publica omnium laetitia, ipſa ſola communem patriae hoſtem ſponſum ſuum lugebat, accuſator autem ad labefactandam hanc rationem illud firmamentum afferet: At, quamuis illa ſponſum ſuum exſtinctum lugeret, non tamen a fratre ſoror indemnata iure potuit interfici. ita Milo rationem Clodianae caedis illam affert, quod Clodius eſſet inſidiator, accuſatores autem utuntur eo firmamento, quod Clodius nullas inſidias Miloni fecerit, ſed propter odium, & inimicitias ab eo fuerit interfectus.

CICERO

Ex rationis autem, & ex firmamenti conflictione, & quaſi concurſu quaeſtio exoritur quaedam, quam diſceptationem uoco: in qua quid deueniat in iudicium, & de quo diſceptetur, quaeri ſolet.

EXPLANATIO

In omnibus iudiciis ſex uocabula ſunt conſideranda, quae tractantur a rhetoribus, prima eſt accuſatoris intentio, cum reo crimen intendit hoc modo, parricidium commiſiſti, uel maieſtatem imminuiſti, uel iniuſte geſsiſti. Secunda eſt depulſio defenſoris, cum ita crimen depellit, non commiſi parricidium, non hoc facto meo maieſtatem minui, non iniuſte geſsi. Tertia eſt cauſſae conſtitutio, quae ex intentione accuſatoris, & depulſione defenſionis oritur hoc modo in coniectura, An parricidium cōmiſerit; in definitione, An maieſtatem minuerit; in qualitate, an iniuſte geſſerit. Quarta eſt ratio defenſoris. Quinctum eſt firmamentum accuſatoris. Sexta & ultima eſt ipſa diſceptatio, ſiue iudicatio, de qua hic loquitur Cicero. haec naſcitur ex cōflictione & quaſi concurſu rationis & firmamenti, unde tota uis iudicij pendet. Graece Crinomenon dicitur, ut, cum Horatius fateatur a ſe interfectam ſororem, & eam rationem afferat, quod illa ſponſum ſuum hoſtem patriae mortuum lugeret, accuſatores autem utantur eo firmamento, quod non liceat fratri ſororem indemnatam interficere, quaeritur an iure potuerit Horatius eam caedem facere, & haec eſt diſceptatio ſiue iudicatio, quae in cauſsis omnibus eſt ultima, & ad quam argumenta omnia referri debent.

CICERO

Nam aduerſariorum contentio diffuſam habet quaeſtionem, ut in coniectura, ceperit ne pecunias Decius. In definitione, Minuerit ne maieſtatem Norbanus. In aequitate, Iure ne occiderit Opimius Gracchū. Haec, quae primam contentionem habent ex arguendo & reſiſtendo, lata ut dixi, & fuſa ſunt.

EXPLANATIO

Duplex eſt quaeſtio ciuilis in iudiciis, prima, quae naſcitur ex intentione & depulſione, diffuſa eſt, atque lata, & quodammodo confuſa, quia nullam habet rationem, quam ſequatur; altera uero, quae naſcitur ex ratione, & firmamento, anguſtior & certior eſt, quoniam ea diſceptationem, ac iudicationem continet. Diffuſae illius prioris, lataeq. cōtrouerſiae tria ponit exempla Cicero, primum coniecturae, ut an P. Decius repetundarum reus pecunias contra leges ceperit, is enim infitiatur; quod exemplum etiā in ſecundo de Oratore M. Antonius ponit. Alterum exemplum eſt definitionis, ut An populi Rom. maieſtatem minuerit C. Norbanus tribunus plebis, qui ſeditionem in populo concitauit contra Q. Caepionem, qui proconſul a Cimbris uictus fuerat, propter quam ſeditionem Caepio damnatus fuit, & eius bona publicata. Poſtea uero C. Sulpicius Norbanum maieſtatis accuſauit, ſed eum M. Antonius defendit. Tertium exemplū eſt qualitatis, ut An Opimius iure C. Gracchum occiderit? qui cum eſſet tribnus pl. & leges Agrarias ferre uellet, a ſenatuq. prohiberetur, armata multitudine Auentinum montem occupauit, unde ab Opimio conſule deiectus,

ctus, cum nullam ſpem ſalutis amplius haberet, ſibi ipſe mortem conſciuit, uel, ut aliqui ſcribunt, ſeruo ſuo ſe iugulandum tradidit, poſtea L. Opimium Q. Decius accuſauit.

CICERO

Rationum, & firmamentorum contentio adducit in anguſtam diſceptationem. ea in coniectura nulla eſt. nemo enim eius, quod negat factum, rationem aut poteſt, aut debet, aut ſolet reddere. Itaque in his cauſſis eadem, & prima quaeſtio, & diſceptatio eſt extrema.

EXPLANATIO

Cum rationes, & firmamenta diffuſae illi controuerſiae adiunguntur, tunc in anguſtam diſceptationem res contrahitur, de qua ferenda eſt ſententia; ſed uidendum eſt, quibus in ſtatibus rationes, & firmamẽta facti reperiantur. nam in coniectura nulla poteſt eſſe facti ratio, cum ipſum factum negetur, quo fit, ut coniectura ſemper quodammodo confuſa ſit, & incerta, quia nulla eſt in ea ratio, neque firmamentum, quod rationi opponatur. Quocirca in hoc genere nihil extrema diſceptatio, ſiue iudicatio differt a prima quaeſtione, ut cum accuſatur Cn. Plancius de ambitu, & ipſe negat a ſe commiſſum ambitum, prima quaeſtio eſt, an populum largitione corruperit, & eadem etiam eſt extrema iudicatio. nam, ſi probatum fuerit id, quod a reo negatur, ſtatim ſequitur condemnatio. Multae tamen rationes & argumenta ad coniecturã infirmandam, & euertendam efferuntur a defenſore, quae magnam uim habent, ut non eſt uerum, quod Roſcius patrem interfecerit, quia primo nulla fuit cauſſa, deinde quia uir probus, innocens, rei ruſticae deditus, alienus ab omni ſceleris ſuſpicione, qualis ſemper fuit Roſcius, tantum maleficium non amittere ſolet; cõtra uero ad confirmandam coniecturam ſunt accuſatoris argumenta, Patrem interfecit Roſcius, quia rus eum ablegarat, & eum oderat, atque exheredare conſtituerat, quae ſignis & uериſimilibus confirmari ſolent, ſed tamen omnia, ſicut ait Cicero, ad primam quaeſtionem referuntur.

CICERO

In illis autem, ubi ita dicitur, non minuit maieſtatem, quod egit de Caepione turbulentius. Populi enim R. dolor iuſtus uim illam excitauit, non tribuni actio. Maieſtas autem, quoniam eſt magnitudo quaedam populi Romani in eius poteſtate, ac iure retinendo, aucta eſt potius, quam deminuta. &, ubi ita refertur, Maieſtas eſt enim in imperij, atque in omni populi R. dignitate; quam minuit is, qui per uim multitudinis rem ad ſeditionem uocauit; exſiſtit illa diſceptatio, Minueritne maieſtatem, qui uoluntate populi R. rem gratam, & aequam per uim egerit.

EXPLANATIO

Docet, quomodo rationes, & firmamenta ſint in definitione requirenda. nam, qui defendit, factum confitetur, ſed nomen facti, quod ab accuſatore profertur, negat, ut in Norbani accuſatione Sulpicius ait, Norbanus in populo ſeditionem concitauit, ergo populi Rom. maieſtatem minuit. M. Antonius defenſor ita reſpondit, fateor a Norbano ſeditionem in populo concitatam, ſed non tamen ideo maieſtatem imminutam eſſe. uerum illa defenſoris confeſsio ſemper aliquid rationis annexum habere debet, ut hoc in loco, populi enim Rom. dolor iuſtus uim illam concitauit, non tribuni actio cum enim iuſtum dolorem appellat, utitur defenſione, deinde ad uocabuli definitionem defenſor accedat oportet, quam ita tractabit, ut cauſſae ſuae maxime conuenire intelliget. Dicet igitur maieſtatem eſſe magitudinem populi R. atque ideo in poteſtate, ac iure populi retinendo maxime conſiſtere, quã is, qui populum Romanum ad ius ſuum obtinendum concitat, etiam ſi id turbulentius faciat; non modo non minuit, ſed potius auget, atque amplificat, docebitq. non omnem populi ſeditionem ad imminuendam maieſtatem pertinere. Accuſator contra definitionem aliam afferet, qua oſtẽdat uim omnem multitudinis ſeditioſe concitatam, ad crimen maieſtatis referri, hoc modo, Maieſtatem minuit, quicumque per uim multitudinis rem ad ſeditionem uocauit. ex utraque definitione deſceptatio naſcitur; An ab eo, qui fateatur ſe uoluntate populi Romani rem gratam, & aequam per uim egiſſe, maieſtas ſit imminuta, atque hac ratione etiam in aliis definitiuis conſtitutionibus iudicatio poterit inueniri. Sed, ut hoc Ciceronis exemplum melius intelligatur, ſciendum eſt Maieſtatis crimen eſſe grauiſsimum, & ut ait Vlpianus, proximum ſacrilegio. Maieſtatis autem crimen eſt illud, quod aduerſum populum Rom. uel aduerſum ſecuritatẽ eius committitur, hoc crimine tenetur is, qui homines ita ad ſeditionem concitat, ut cum telis, lapidibus ue in urbe ſint, qui aduerſus remp. conuentus agit, qui contra magiſtratus aliquid molitur, qui hoſtes adiuuat, aut eis conſilia patefacit; qui in exercitu milites ſollicitat, ſciens in ta-

bulis publicis falſum conſcripſit; denique qui doloſe contra remp. aut Principem, aut Magiſtratum aliquid geſſerit. In hoc tam atroci crimine etiam infames homines, & ſerui, & mulieres delationem habent, & audiuntur, ut Modeſtinus ait, ad legem Iuliam Maieſtatis.

CICERO

IN his autem cauſſis, ubi, aliquid recte factum, aut concedendum eſſe factum defenditur, cum eſt facti ſubiecta ratio, ſicut ab Opimio, Iure feci, ſalutis omnium & conſeruandae reip. cauſſa, relatumq. eſt ab Decio, Ne ſceleratiſſimum quidem ciuem ſine iudicio iure ullo necare potuiſti: oritur illa diſceptatio, Potuerit ne recte ſalutis reip. cauſſa ciuem euerſorem ciuitatis indemnatum necare.

EXPLANATIO

IN qualitatis ſtatu ſemper eſt certa defenſoris ratio, quoniam aliter cauſſa non conſiſteret. ſi enim fateatur Opimius a ſe Gracchum interfectum, neque doceat id a ſe iure factum, ſtatim condemnetur neceſſe eſt. itaque rationem affert facti ſui; hoc modo; iure Gracchum interfeci, ſalutis omnium, & conſeruandae reip. gratia, quoniam ille ſtatum reip. perturbabat. Accuſator contra defenſoris rationem illud firmamentum affert, ut iudicatio naſcatur, non licere quemquam indemnatum necare, quamuis ſceleratiſsimus ſit; aut rationem euertet dicens, non eſſe factum reip. cauſſa, uel nihil reip. profuiſſe. quod cum ſit, naſcitur in diſceptatione coniectura, ut pro Milone, ratio defenſoris eſt, iure Clodium interfeci, quoniam erat inſidiator; accuſatoris firmamentum, immo non erat inſidiator; iudicatio, an Clodius inſidiator fuerit. hoc igitur modo iudicationes inueniuntur.

CICERO

ITA diſceptationes eae, quae in his cõtrouerſiis oriuntur, quae ſunt certis perſonis, & temporibus notatae, fiunt rurſus infinitae, detractisq. tẽporibus & perſonis, rurſum ad conſultationis formã rationemq. reuocantur.

EXPLANATIO

ADVERTENDVM eſt, (inquit) diſceptationes, & iudicationes ſemper infinitas fieri. quãuis enim oriantur ex iis controuerſiis, quae ſunt certis perſonis, & temporibus notatae, tamen in iudicando perſonae tẽporaq. detrahũtur quae nihil ad iudiciũ faciunt. nõ enim de Norbani perſona iudex quaerit, niſi quatenus maleficio probatur affinis eſſe, ſed generaliter doceri uult, an omnis ſeditioſus maieſtatem minuat; an aliquando liceat ciuem indemnatum necare. hoc eſt, quod M. Antonius apud Ciceronẽ docet lib. 2. de Or. his quidẽ uerbis rhetores arguens: Ignari omnes controuerſias ad uniuerſi generis uim, & naturam referri. nam in ea ipſa cauſſa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad Oratoris locos Opimij perſona, nihil Decij, de ipſo enim uniuerſo genere infinita quaeſtio eſt, num poena uideatur eſſe afficiendus, qui ex ſenatuſconſulto patriae conſeruandae cauſſa interfecerit cum id per leges non liceret, nulla denique eſt cauſſa, in qua id, quod in iudicium uenit, ex reorum perſonis, ac non generum ipſorum uniuerſa diſputatione quaeratur.

CICERO

SED in grauiſſimis firmamẽtis & illa ponẽda ſunt, ſi qua ex ſcripto legis, aut teſtamenti, aut uerborum ipſius iudicij, aut alicuius ſtipulationis, aut cautionis opponuntur defenſioni contraria.

EXPLANATIO

STATVS qualitatis eſt duplex, ut Hermogenes etiam tradit, rationalis & legitimus. Rationalis is eſt, qui non ſcripto, ſed argumentis potius ac rationibus nititur. Legitimus uero, qui totus a ſcripto pendet. Iam igitur Cicero docuit in rationali ſtatu quomodo rationes & firmamenta reperiantur, nunc accidit ad legitimum. ponit autem quinque firmamenta, quae ex ſcripto proueniunt. Primum a lege, ut Lex eſt, ne prodigus teſtamenti factionem habeat, quidam prodigus teſtamentum fecit, agunt agnati, qui ab inteſtato ſuccedebant, contra ſcriptum heredem, probantq. grauiſsimo legis firmamento, teſtamentum illud eſſe nullum. Secundum eſt a teſtamento, ut ſi quis legatarius in iudicio legatum petat, & heredes negent quidquam illi ex teſtamento deberi. nam eo caſu uerba teſtamenti ſunt proferenda, & recitanda. Tertium a formula iudicij, ut ſi quis addici ſibi debitorem poſtulet, qui non conſtituta die perſoluerit, & ſententiam contra debitorem

torem

torem alias a iudicibus latam proferat. Quartum a ſtipulatione, eſt autem ſtipulatio quaedam uerborum obligatio, quae fit per interrogationem & reſponſionem, ut ſpondes ne te daturum mihi centum aureos intra Kalendas Martij? ſpondeo. poſſum igitur eos aureos exacto tempore ex ſtipulatione petere. Quinctum a cautione, eſt autem cautio ſcriptum, quod ideo interponitur, ut ratum ſit id, quod actum eſt. Siquis ergo debitum atque aes alienum deneget, erit grauiſsimum contra illum firmamentum, ſi tabula cautionis proferatur. haec igitur, quae naſcuntur ex ſcripto, ſunt firmamenta grauiſsima defenſioni contraria.

C I C E R O

AC ne hoc quidem genus in eas cauſas incurrit, quae coniectura continentur. quod enim factum negatur, id argui non poteſt ſcripto, ne in definitionem quidem uenit, genere ſcripti ipſius. nam, etiam ſi uerbum aliquod de ſcripto definiendum eſt, quam uim habeat, ut cum ex teſtamentis quid ſit penus, aut cum ex lege praedij quaeritur, quae ſint ruta caeſa, non ſcripti genus, ſed uerbi interpretatio controuerſiam parit.

E X P L A N A T I O

PROBAT haec firmamenta grauiſsima, quae ex ſcripto ſumuntur, tantum ad qualitatem pertinere, non autem ad coniecturam, aut ad definitionem. ac in coniectura quidem ideo non reperiuntur, quia factum negatur: quod autem negatur, argui ſcripto non poteſt; in definitione genus ipſum ſcripti uerſari non poteſt, quia definitio non tantum genus ſcripti, ſed unum tantum Nomen, aut unam rem explicat, ſcriptum autem plura complectitur: quod ſi accidat, ut uerbum aliquod de ſcripto definiendum ſit, ut quid ſit peritus, quae ſint ruta caeſa, illa definitio non pertinet ad genus ſcripti, ſed tantum ad uocabuli interpretationem. duo ſunt igitur exempla, quae ponit hoc in loco Cicero, ut oſtendat interdum accidere, ut uerba de ſcripto ſint interpretanda primum eſt hoc, aliquis moriens teſtamento legat omnem penum ſuum Titio, poſt mortem teſtatoris naſcitur controuerſia, quid peni nomine contineatur, quoniam Titius legatarius plura petit, quam heredes nomine peni contineri exiſtiment Eſt Titulus in Pandectis, De penu legata, ubi Vlpianus multis uerbis diſputat, quid nomine penus contineatur Q. Mucius uult ea contineri quaecumque eſui potuiq. ſunt, alij etiam cibaria inuentorum contineri uolunt, ſunt etiam qui ligna carbones, & quaecumque ad domeſticum uſum parantur Penoris uerbo comprehendant, quin etiam non tantum uinum, & frumenta, ſed etiam dolia quidam uoluerunt in penore eſſe, quod Vlpianus negat. Vnguenta quoque non aliter atque oleum, & thus, & cerei, & chartae epiſtolares in penore continentur. Secundum exemplum eſt de Lege praedij. cum enim praedium uel ruſticum uel urbanum uenditur, in ipſa uenditione, quae ſunt ruta & caeſa, non comprehenduntur quaeritur ergo quae ſint ruta & caeſa? Vlpianus in Lege Fundi, De actionibus empti & uenditi ita ſcribit, Si ruta caeſa excipiantur in uenditione, ea placuit eſſe ruta quae eruta ſunt, ut Arena Creta & ſimilia, caeſa ea eſſe, ut arbores caeſas & carbones & ſimilia. Gallus Aquillius ait, fruſtra in lege uenditionis de rutis & caeſis contineri, quia ſi non ſpecialiter uenierint, ad exhibendum de his agi poteſt. Cicero in Topicis ita inquit, Feciq. quod ſaepe liberales uenditores ſolent, ut, cum aedes fundumue uendiderint, rutis caeſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſſa apte, & ſuo loco poſitum eſſe uideatur. ubi notandum eſt, Ciceronem dixiſſe rutis caeſis receptis, pro exceptis, ſicut etiam ſecundo de Oratore recepiſſe pro excepiſſe dixit in hac eadem re, ſic enim ait, Sed dicet te, cum aedes uenderes, ne in rutis quidem & caeſis ſolium tibi paternū recepiſſe. cum igitur aliquem notare uoluerimus, quod omnia ſua bona uendiderit, & dilapidauerit, uenuſte dicemus, Ne rutis quidem, & caeſis receptis.

C I C E R O

CVM autem plura ſignificantur ſcripto, propter uerbi aut uerborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contradicat, eo trahere ſignificationem ſcripti, quo expediat, aut etiam ſi ambigue ſcriptum non ſit, uel a uerbis uoluntatem & ſententiam ſcriptoris abducere, uel alio ſe eadem de re contrarie ſcripto defendere, tum diſceptatio ex ſcripti contentione exſiſtit, ut in ambiguis diſceptetur, quid maxime ſignificetur, in ſcripti ſententiaeq. contentione, utrum potius ſequatur iudex, in contrarijs ſcriptis utrum magis ſit comprobandum.

E X P L A N A T I O

TANGIT hoc loco tres controuerſias, quae ex ſcripto naſci ſolent, hoc eſt ambiguitatem, ſcriptum & ſententiam, contrarias leges. Ambiguitas naſcitur ex eo, quod ſcriptum uariis modis intelligi poteſt, quae uel ex uno uerbo uel pluribus fieri ſolet; ex uno uerbo, ut ſiquis habeat ſeruum, qui Taurus uocetur, & teſtamētum faciens dicat, Taurum Titio do, lego. nam quia Taurus bouem ſignificat, heres Titio bouem ſe debere dicit ex teſtamento, quod ei Taurus legatus fuerit; contra Titius ſeruum nomine Taurum petit, itaque ex illo

uerbo

uerbo Tauri naſcitur ambiguitas & controuerſia. Ex pluribus uerbis fit ambiguitas, cum ſingula quidem unam rem ſignificant, ſed copulata duos, aut plures ſenſus habere poſſunt, ut illud oraculum Croeſo Lydorum regi datum; Croeſus Halym penetrans magnam peruertet opum uim, & illud, quod ait Ennius Pyrrho datum:

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe.

Cicero ſecundo de inuentione ponit hoc exemplum, heres meus uxori meae uaſorum argenteorum pondo centum, quae uolet, dato. poſt mortem eius, uaſa magnifica, & pretioſe caelata petit a filio mater, ille ſe quae ipſe uellet, debere dicit, quaeritur ergo in ambiguis, quid maxime ſignificetur. Scripti & ſententiae controuerſia magni momenti eſt, & ſaepe in cauſſa tractatur, ut pro A. Caccina copioſe diſputat Cicero pro ſententia interdicti contra ſcriptum, qui ſcriptum & uerba ſequuntur, ij dicuntur agere ſummo iure, hoc eſt ſuperficiem uerborum ſequi. Vnde illud, ſummum ius, ſumma iniuria. qui uero ſcripti ſententiam interpretantur, ij dicuntur aequitatem amplecti, ut ſi lex ſit, ſi peregrinus murum adſcenderit, capite plectatur. Quidam peregrinus, ut hoſtes irruentes repelleret, murum adſcendit, urbem tutatus eſt, poſtea capitis accerſitur, quod contra legem fecerit, fatetur contra uerba legis feciſſe, non tamen contra legis ſententiam. Cicero pro A. Caccina ſic ait: An hoc dubium eſt, quin neque uerborum tanta copia ſit, non modo in noſtra lingua, quae dicitur eſſe inops, ſed ne in alia quidē ulla res ut oēs ſuis certis ac proprijs uocabulis nominentur, neque uero quidquā opus ſit uerbis, cū ea res, cuius cauſſa uerba quaeſita ſunt, intelligatur? quae lex, quod ſenatusconſultum, quod magiſtratus editū, quod foedus, aut pactio, quod (ut ad priuatas res redeant) teſtamentum, quae iudicia, aut ſtipulationes, aut pacti, & conuenti formula non infirmari, aut conuelli poteſt, ſi ad uerba rem deflectere uelimus, conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem, & auctoritatem relinquamus? Contraria ſcripta nonnumquam reperiuntur, & leges ipſae quamuis contrariae non ſint, buia priores a poſterioribus abrogantur, tamen interdum caſu contrariae fiunt, ut ſi lex ſit. Interfecto tyranno mares etiam filii eius interficiantur, & altera lex iubeat Tyrannicidae praemium dari quod uoluerit, ille uero Tyranni filium petat incolumem ſeruari; haec Graeco nomina dicitur Antinomia, quae magnis eloquentiae uiribus indiget. Poteſt etiam una ſola lex interdum caſus parere contrarios, ut ea quam ponit Hermogenes. Rapta uirgo uel nuptias raptoris, uel mortem eiuſdem eligat. Quidam iuuenis eodem tempore duas rapuit, altera nuptias raptoris petit, altera mortem, atque hoc modo diſceptationes, ſiue iudicationes inueſtigari ſolent.

CICERO

DISCEPTATIO autem, cum eſt conſtituta, propoſitum eſſe debet oratori, quo omnes argumentationes repetitae, ex inueniendi locis conijciantur, quod quamuis ſatis eſt ei, qui uidet, quid in quoque loco lateat, quiq. illos locos tamquam theſauros aliquos argumentorum notatos habet, tamen ea, quae ſunt certarum cauſſarum propria, tangemus.

EXPLANATIO

CVM primum orator iudicationem inuenerit, tum omnia debet ad eam argumenta ſua dirigere, quae quidem argumenta ſumenda ſunt ex communibus illis locis qui traduntur in Topicis, qui tamquam theſauri quidam ſunt, in quibus reponuntur ad omne cauſſarum genus probandum argumenta, ſed tamen quia non ſatis eſt communia intelligere niſi etiam, quae ſpecialia ſunt, intelligamus, ideo uult hoc loco Cicero breuiter attingere, quae ſingulis in conſtitutionibus animaduertenda ſunt, ut ſciamus quomodo & coniectura, & definitio, & qualitas tractanda ſit. ut, quaecumque in ſingulis dicuntur, ad ipſam indicationem tamquam ad finem referantur.

CICERO

IN coniectura igitur cum eſt in infitiando reus, accuſatori haec duo prima ſunt, ſed accuſatorem pro omni actore, ac petitore appello. poſſunt enim etiam ſine accuſatore in cauſſis haec eadem controuerſiarum genera uerſari. ſed haec duo ſunt ei prima, cauſſa, & euentus, cauſſam appello rationem efficiendi, euentum id, quod eſt effectum.

EXPLANATIO

IN omni cauſſarum genere coniectura eſſe poteſt, ut in demonſtratiuo, an ſit laudandus Brutus, qui filios proditionem molientes interfecit. an ſit uituperandus Coriolanus, qui propter acceptas ab inimicis iniurias patriae bellum intulit. In deliberatiuo, an Pompeius imperator ſit eligēdus ad bellum Mithridaticum. In iudiciali, an patrem interfecit Roſcius. Quin etiam ad omnia tempora coniectura ualet, ut ad praeteritum, corruperitne populum Rom. largitione Cn. Plancius; ad praeſens, bono ne ſint animo erga Romanos Carthaginiēſes; ad futurum, ut ſi Carthago incolumis relinquatur, an ſit bellum renouatura? uidetur etiam in omnibus conſtitutionibus quodammodo eſſe coniectura, ut an ita ſit factum? an ea ſit recta definitio? & in qualitate, an eo ani

mo Naſica Tib. Gracchum interfecerit,ut remp. conſeruaret. Sed hoc in loco eam coniecturam quaerimus, quae ad iudicia pertinet, & eſt una per ſe conſtitutio. ac primo uidendum quid accuſator in coniectura facere debeat. Accuſatorem uocat Cicero,quicumque cauſſam agit, ſiue ille crimina inferat ſiue aliquid ſibi debitum petat,ut pecuniam,agrum,domum. At uero in omni coniectura,duo ſunt primo conſideranda,cauſſa & euentus.nam (ut ait Cicero pro Roſcio Am.) Nemo ſine ſpe,atque emolumento conatur ad maleficium accedere. Cauſſam uocat ipſam rationem qua aliquid efficitur, euentum uero quod a cauſſa effectum eſt.

CICERO

ATQVE ipſa quidem partitio cauſſarum paullo ante in ſuaſionis locis diſtributa eſt,quae enim in conſilio capiendo futuri temporis praecipiebantur, quamobrem aut utilitatem uiderentur habitura,aut efficiendi facultatem,eadem qui de facto argumentabitur, colligere debebit,quamobrem & utilia illi,quem arguit,fuiſſe,& ab eo effici potuiſſe demonſtret.

EXPLANATIO

QVATENVS ad ipſas cauſſas pertinet,nulla eſt alia differentia inter deliberatiuum genus & iudiciale,niſi quod deliberatiuum eſt de futuro,iudiciale de praeterito,uerum,quemadmodũ in ſuaſione duo ſunt prima capita,ad quae referuntur omnia,hoc eſt utilitas & facultas,ita etiam in coniecturali cauſſa. Debet igitur accuſator,cum reus negat factum,primo oſtendere illi bono fuiſſe, quod L. Caſſius maxime ſpectandum eſſe dicebat,cuius tribunal propter ſeueritatem ſcopulus reorum dictum eſt,deinde probare,id a reo fieri potuiſſe. ſunt enim hae duae praecipue patrãdi maleficii cauſſae,utilitas & facultas.quarum altera refertur ad finem,altera uero ad efficientem cauſſam.quamuis enim apud Philoſophos quattuor ſint cauſſarum genera, ſicuti ſupra docuimus,tamen oratores duas potiſſimum conſiderare ſolent,hoc eſt efficientem & finem,in efficiente eſt facultas,in fine utilitas,quae ad agendum mouet.Finis primo ſolet animum mouere. nemo enim fere eſt,qui nõ utilitatis obiecta ſpecie ſtatim ad eam animum inclinet;ſed haec eſt hominum differentia, quoniam boni nullo emolumento impelluntur ad maleficium, improbi ſaepe paruo; cognita uero utilitate uires ſuas animus metitur,& cogitat,an id,quod propoſitum eſt,poſſit efficere.cum igitur aliquem accuſamus, colligere debemus argumenta,quibus quod factum eſſe dicimus,utile illi,quem arguimus,fuiſſe, & ab eo effici potuiſſe demonſtremus,ut pro Roſcio Am. Cicero cum recriminatione utitur, oſtendit aduerſarios utilitatis magnitudine commotos fuiſſe,ut Roſcij patrem interficerent,& cum multa argumenta collegit,quamobrem eis utile fuerit, tũc ita ſubiungit:Video igitur cauſſas eſſe permultas,quae iſtum impellerent,uideamus nunc ecquae facultas ſuſcipiendi maleficij fuerit,atque ita docet,facile ab aduerſario potuiſſe Roſcium interfici.

CICERO

VTILITAS coniectura mouetur, ſi illud, quod arguitur,aut ſpe bonorum,aut malorum metu fecisſe dicitur,quod fit acrius,quo illa in utroque genere meiora ponuntur.

EXPLANATIO

PRIMO de Inuentione Cicero cauſſam duplicem facit,quae ſpectetur in coniecturis, hoc eſt impulſionem,& ratiocinationẽ:impulſionem uocat impetum ab animi perturbatione aliqua prouenientem,ut ab amore,iracundia,aegritudine;ratiocinationem uero conſideratam excogitationem aliquid faciendi, & non faciendi:ſed hoc loco non diſtinguit has cauſſas,niſi quod primo loco ponit ea, quae ad ratiocinationem pertinent,quoniam ea longe maiorem uim habere ſolent. Duae uero ſunt animi perturbationes, quae in omni humana actione fere dominantur, & quae huc & illuc animum impellunt, hoc eſt ſpes bonorum & metus malorum,quae maxime ſunt ab accuſatore amplificandae,ut acriores eſſe uideantur. ab his enim omnis utilitatis cõiectura mouetur,quoniam non tantum bona acquirere, ſed etiam mala declinare utile eſt. quanto autem maior ſpes bonorum,& metus malorum fuiſſe oſtenditur,tanto fit acrior accuſatio, has egregie cauſſas tractat cõtra Clodium pro Milone Cicero:nam primo docet,magnam Clodio cauſſam,magnam ſpem in Milonis morte propoſitam,magnas utilitates fuiſſe,& pluribus uerbis eam ſpem, atque eas utilitates amplificat. Deinde metum etiam auget, quoniam timebat Clodius, ne conſule Milone praetura priuaretur & publico iudicio condemnaretur;eum enim iam bis in iudicium Milo uocauerat haec autem duo etiam in ſuadendo plurimum ualent,cum obijcitur metus mali,& boni ſpes oſtentatur,ut Anna,ſorori ſuae Didoni coniugum Aeneae ſuadẽs, metum incutit, lib.2.Aen.

CICERO

Spectantur etiam ad cauſſam facti motus animorum, ſi ira recens, ſi odium uetus, ſi ulciſcendi ſtudium, ſi iniuriae dolor.

EXPLANATIO

Haec ad impulſionem pertinent, quae a motibus animorum proueniunt, ut ſiquis caedis accuſetur, coniectura facile confirmabitur, ſi probatum fuerit aut iram recentem, aut odium uetus, aut ulciſcendi ſtudium, aut iniuriae dolorem in reo fuiſſe. nam inimicitiae uel recentes, uel inueteratae ſolent homines ad maleficium incitare. quod ſi accuſator uere poterit illa obijcere, eras inimicus, eum iampridem oderas, nihil aliud quã eius mortem cupiebas, facile quod uolet, obtinebit. Cicero pro Roſcio Am. contra aduerſarios haec copioſe tractat, pro Milone probat haec in Clodio maxima contra Milonem fuiſſe; Ille (inquit) erat ut odiſſet, primũ defenſorem ſalutis meae, deinde uexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum, poſtremo etiam accuſatorem ſuum. reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius quoad uixit, quo tandem animo hoc tyrannum tuliſſe creditis? quantum odium illius, & in homine iniuſto, quam etiam iuſtum eſſe? & paullo ſuperius ita inquit. At ualuit odium, fecit iratus, fecit ultor iniuriae, punitor doloris ſui, quid ſi haec, non dico maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc, quid uultis amplius?

CICERO

Si honoris, ſi gloriae, ſi imperij, ſi pecuniae cupiditas.

EXPLANATIO

Cupiditas, quae eſt caeca & temeraria dominatrix animi, ſaepe hominem impellit in fraudem. itaque diligenter eam accuſator conſiderare debet, ut ſi reus fuerit ambitioſus, & gloriae cupidus, aut auarus. nam hae cupiditates in cauſſa ſunt, ut homines quaelibet maleficia aggrediantur. quod ita lib. 1. de Off. affirmat Cicero, Maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, ut adipiſcantur ea, quae concupiuerint, in quo uitio latiſsime patet auaritia. & paullo poſt, Maxime autem adducuntur pleriq. ut eos iuſtitiae capiat obliuio cum in imperiorum, honorum, gloriaeue cupiditatem inciderint. C. Caeſar in ore ſemper Graecos uerſus Euripidis de Phaeniſsis habebat, quos tertio de officijs ita uertit Cicero:

Nam, ſi uiolandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Pro Milone Cicero uehementer auget has cupiditates in Clodio, ut probet ab eo factas inſidias, qui interfecto Milone ſe regnaturum ſperabat.

CICERO

Si periculi timor, ſi aes alienum, ſi anguſtiae rei familiaris.

EXPLANATIO

Periculi timor ſaepe hominem ad iniuriam faciendam impellit, ut Cicero primo de officiis: Atque illae quidem iniuriae quae nocendi cauſſa de induſtria inferuntur, ſaepe a metu proficiſcũtur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. Quin aes alienum & egeſtas ad turpitudinem ſaepe impellit, unde bene Turpis egeſtas a Virgilio nominatur in ſexto:

Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas.

ita Catilina aere alieno preſſus, & anguſtia rei familiaris in patriam coniurauit.

CICERO

Si audax, ſi leuis, ſi crudelis ſi impotens.

EXPLANATIO

Audacia quaſi dux eſt ad omne maleficium, ſi praecipue comitem habeat leuitatem, & crudelitatem, & impotentiam. Quare, ſi poterit accuſator oſtendere audacem eſſe reum, & leuem, & crudelem & impotentem, hoc eſt talem, ut effrenatas & indomitas cupiditates habeat, is enim impotens dicitur, qui ſe a maleficiis continere non poteſt, eum facile condemnabit. Haec pro Roſcio Am. Cicero congerit in aduerſarios. pro Cluentio de Saſsia Cluentii matre ſic ait, Praeſto eſt mulier audax, pecunioſa, crudelis, inſtruit accuſatorem inſtruit teſtes, ſqualore huius & ſordibus laetatur, exitum exoptat, ſanguinem ſuum profundere omnes, cupit,

cupit,dummodo profuſum huius ante uideat.hoc enim modo probat id, quod incredibile uidebatur a matre filium oppugnari.haec etiam in actionibus contra Verrem copioſiſsime explicantur.

CICERO

SI *incautus,ſi inſipieus, ſi amans, ſi commota mente, ſi uinolentus.*

EXPLANATIO

HAEC quinque magnam inter ſe ſimilitudinem habent.nam fere nemo eſt incautus, niſi ſit inſipiens:& qui amore captus eſt,inſanire dicitur,& male ſanus;ita,qui commota mente eſt,furioſus & inſanus:denique uinolentia furori atque infamiae ſimillima eſt. Ponuntur autem haec inter animi impulſiones,neque acrē admodum accuſationem habent,quin aliquam licet leuem habere uidentur excuſationem,ut cum fatetur reus, ſi factum negare non poteſt,incaute ſe geſiſſe,aut inſipienter, aut ob immenſum amorem, aut quia commota mente fuerit, aut denique propter ebrietatem. Sed tamen rariſsime licet uti hac excuſatione. Pittacus Mytilenaeus (ut ſcribit Ariſtoteles) duplici poena ſtatuit illum eſſe puniendum, qui propter ebrietatem ac uinolentiam aliquod peccatum commiſiſſet.maiorem habent excuſationem furioſi,quia de ſua poteſtate exierunt, itaque ſaepe non puniuntur,etiam ſi grauiter deliquerint,amantes & inſipientes raro delicti ueniam conſequuntur,ſi nihil aliud praeter amorem & inſipientiam praeferant.

CICERO

SI *cum ſpe efficiendi, ſi cum opinione celandi, aut, ſi patefactum eßet, depellendi criminis, uel propellendi periculi, uel longinquum tempus differendi.*

EXPLANATIO

HAEC a ratiocinatione proueniunt,cum quis ſperat ſe poſſe id efficere, quod concupiſcit,aut opinatur ſcelus ſuum fore clam,aut putat,ſe crimen facile depulſurum,ſi forte res in iudicium uenerit,aut periculum euitaturum,aut denique longum in tempus dilaturum. hoc eſt quod Ariſtoteles primo Rhetoricorū ait atque illi quidem ad iniuriam faciendam aggrediuntur.qui ſperant rem effici poſſe,& a ſe effici, & praeſertim cum facinus ſuum putant fore clam,aut ſi forte res patefacta fuerit, impune ſe abituros. accenditur enim improborum animus ad iniuriam,cum, ultra perficiendi ſpem,credunt etiam ſe facinus ſuum celaturos, ut fures non alio modo furari quaerunt,niſi cum ſperant ſe furtum occultaturos. nam cum timent, ne in furto deprehendantur,facile abſtinent:multa etiam alia clam faciunt homines,cum opinione celandi, quae aperte non facerent,unde furtiui amores dicuntur,& dulcia furta Veneris,quia fiunt occulte, quin etiam cum impunitatē ſperant,quamuis res patefacta fuerit,facinus committere non dubitant.hoc eſt quod ait pro Milone Cicero, Quis ignorat maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem? & pro P.Sextio,Quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna,uel cum iudicii periculum poſſunt a ſe depellere, & aliquo modo curare ne in iudicium uocentur,& ne cauſſam dicant, ut Orgetorix ille,de quo Caeſar primo libro de bello Gallico ſic ait: Die conſtituta cauſſae dictionis Orgetorix ad iudicium omnem ſuam familiam,ad hominum millia decem, undique coegit,& omnes clientes obaeratosq. ſuos, quorum magnum numerum habebat eodem conduxit,per eos ne cauſſam diceret,ſe eripuit.ita Cicero pro Milone,de Clodio uerba faciens,Atque illam belluam iudicij laqueos declinantem,iam irretitam teneret. Confidunt etiam,qui in longinquum tempus differre iudicium poſſunt,ſicuti Cicero ſecunda in Verrem actione narrat quemadmodum Verres & eius defenſores iudicium prorogare cogitaſſent Nonae (inquit) hodie Sextiles, hora nona conuenire coepiſtis, hunc diem iam ne numerant quidem,decem dies ſunt ante ludos uotiuos,quos Cn.Pompeius facturus eſt,hi ludi dies quindecim auferent. deinde continuo Romani conſequentur,, ita prope quadraginta diebus interpoſitis tum denique ſe ad ea,quae a nobis dicta erunt,reſponſuros eſſe arbitrantur,& quae ſequuntur.

CICERO

AVT *ſi iudicij poena leuior, quam facti praemium, aut ſi facinoris uoluptas maior, quam damnationis dolor.*

EXPLANATIO

HAEC fere ex primo Rhetoricorum Ariſtotelis ſumpſit,ubi de ijs,qui iniuriam inferunt,uerba facit.cum enim aliquis poenam ſceleris eſſe leuem putat,& praemium magnū,facile ad illud impellitur, quod Verrem feciſſe ait Cicero, ut in Sicilia,cum praetor eſſet, tantum rapuerit, ut deinde iudicii poenam non timeret. Sic enim inquit,Qui ita dictitat iis eſſe metuendum,qui, quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent, ſe tantum rapuiſſe,ut id multis ſatis eſſe poſsit.nihil enim eſſe tam ſanctum,quod non uiolari,nihil tam munitum,quod nō expugnari pecunia poſsit.in hoc genere ſunt illi,qui nullum quaeſtum turpem putant,& lucrum pudori anteponunt.de quibus ita Horatius:

populus me ſibilat,at mihi plaudo
Ipſe domi ſimul ac nummos contemplor in arca.

Praeterea cum ex facinore maior uoluptas proueniat, quam dolor ex damnatione,tunc facile probatur crimē, ut ſi lex ſit,Qui uirginem uiolarit,aureos nummos quinquaginta ſoluito,& iuuenis diues uirginem,quam amabat,uiolaſſe arguatur,aut ſi lex ſit,Qui pugno quempiam percuſſerit, decem aureos dato, & nobilis homo ſuū inimicum pugno percuſsiſſe dicatur. tales enim homines maiorem ex facinore uoluptatem capiunt, quam dolorem ex damnatione.

CICERO

HIS fere rebus facti ſuſpicio confirmatur, cum & uoluntatis in reo cauſſae reperiuntur,& facultas: in uoluntate autem utilitas ex adeptione alicuius commodi,uitationeq. alicuius commodi quaeritur,ut aut ſpes,aut metus impuliſſe uideatur, aut alius repentinus animi motus,qui etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis impellit.Quamobrem ſint haec dicta de cauſis.

EXPLANATIO

CONCLVDIT breuiter per enumerationem, ad quam ſummam referātur omnes cauſſae coniecturales, nempe ad uoluntatem & facultatem.Sed in uoluntate conſideratur utilitas,& detrimentum, cū uel ſpes ex adeptione alicuius commodi concepta uoluntatem ad facinus impellit, uel metus alicuius incommodi uoluntatem eandem impellit in fraudem.Itaque peccata omnia,quae a ratiocinatione,& meditatione proficiſcuntur,uel propter commodi ſpem,uel propter incommodi uitationem ſuſcipiuntur; quae uero naſcuntur ab aliquo repentino motu animi,ſaepe grauius impellunt animum, quam ipſa utilitas, quamuis multo eſſe leuiora exiſtimentur.multa enim ſaepe fiunt ab iratis,ab amantibus,a timore concuſsis,quae remotis illis perturbationibus nullo modo fierent,etiam ſi magna ineſſet utilitas, ut propter amorem aliquis interdum riualem interficit,quem propter maximam pecuniae ſummam non interficeret. Atque hae quidem ſunt cauſſae, quas in coniecturis orator diligenter inueſtigare debet.quod pro Milone facit Cicero, & in Actionibus contra Verrem.

CICERO

C. F. Teneo, & quaero,qui ſint illi euentus, quos ex cauſſis effici dixiſti. C. P. Conſequentia quaedam ſigna praeteriti, & quaſi impreſſa facti ueſtigia, quae quidem uel maxime ſuſpicionem mouent, & quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia: atque haec quidem grauiora, quod cauſae communiter uidentur inſimulare, & arguere omnes poſſe,quorum non interfuerit aliquid, haec proprie attingunt eos ipſos,qui arguuntqr.

EXPLANATIO

HACTENVS docuit,quae cauſſae ſoleant hominem ad maleficium impellere,nunc euentus cauſſarum oſtendit. Ac primo ſciendum,euentus eſſe maxime uarios,ſicut etiā cauſſae ſunt. aliqui enim ſunt euentus neceſſarii,ut qui de cauſsis naturalibus oriuntur,ut mors euentus eſt omnium rerum, quae natae ſunt, ſed hi euentus non ad Oratorem,ſed potius ad Philoſophum pertinent: ſunt alij euentus fortuiti, alij uoluntarij, quos Orator conſiderare ſolet,qui ab utilitatis ſpe & a facultate naſcuntur.hos autem euentus ita definit Cicero,ut dicat,eſſe quaedam conſequentia ſigna praeteriti,& quaſi ueſtigia facti.Conſequentia uero dicuntur,non quia poſt factum ſemper eueniant,ſed quia ſint facto adiuncta,quae Graece Acolutha dicuntur. nam (ut paullo poſt ipſemet Cicero dicit) ſigna ſunt,& antefactnm,& in ipſo facto,& poſt factum. Sed mihi uidetur Cicero,non (ut quidam exiſtimant,) idem facere euentum,quod ſignum,ſed ſignum tamquam euentorum genus poſuiſſe,ut euenta quidem omnia ſint ſigna,non autem contra,quia plurima ſunt ſigna,quae nequaquam euenta dici poſſunt,ut P. Sulla Catilinae fuit amicus,cum eo frequenter uerſabatur, eo familiariter utebatur. itaque tamquam coniurationis Conſcius accuſatus eſt,hic ſunt quidem ſigna, ſed nulla tamen euenta. ita,ſiquis uiſus ſit mulierem familiariter ſalutare,cum ea colloqui,ridere,ſigna ſunt haec adulterii,non tamen euenta, eſt igitur ſignum generalius nomen, quam euentus. itaque ideo dixit Cicero, euenta eſſe conſequentia quaedam ſigna praeteriti,& quaſi impreſſa facti ueſtigia.Solent autem maxime ſuſpicionem mouere ipſa euenta,quia uidentur tacita quaedam teſtimonia, ſed magna eſt inter cauſſas & euenta differentia, quatenus ad facti probationem attinet.nam cauſſae communiter omnes arguere poſſunt,quicumque ex eo facto potuerūt aliquam utilitatem percipere,uel efficiendi facultatem habuerunt,ſigna uero eos ipſos attingunt,qui arguuntur.Itaque in probationibus ſigna longe grauiora ſunt,quam cauſſae, ut pro Roſcio Am. Cicero multas colligit cauſſas, quibus probet non a filio,ſed a Capitone aduerſario Roſcium interfectum,quod eſſet pauper,quod auarus, quod audax,quod illius,qui occiſus eſt,inimicisſimus,quod ſummam facultatem ſuſcipiendi maleficii habuerit;quae quidem rem ſuſpicioſam efficiunt,ſed quia ſunt cum multis communia. nam etiam alii tales multi Romae eſſe poterant,ideo non firmiter probant; ſed,cum ea commemorat,quae poſt Roſcii mortem a Capitone facta ſunt, ut quod cum Chryſogono conuenerit,quod Roſcii bona inuaſerit, & dilapidauerit, quod in quaeſtionem ſernos dare noluerit,& cetera multa colligit,grauius omnino urget aduerſarium, his conſequentibus ſignis, quā illis antegre dientibus cauſsis.

CICERO

VT telum, ut ueſtigium, ut cruor, ut deprehenſum aliquid, quod ablatum eruptumue uideatur, ut reſponſum inconſtanter, ut haeſitatum, ut titubatum, ut cum aliquo uiſus, ex quo ſuſpicio oriatur, ut eo ipſo in loco uiſus, in quo facinus, ut pallor, ut tremor, ut ſcriptum, aut obſignatum, aut depoſitum quippiam.

EXPLANATIO

NVMERAT ſigna quaedam exempli gratia, ut ſi telum inuentum fuerit eius, qui arguatur, in corpore interfecti, aut in eo loco, ubi quis fuit interfectus, maxime ſuſpicionem mouet, hoc ſigno detecta eſt etiam Cethegi coniuratio. nam domi eius magna telorum uis deprehenſa fuit. Veſtigium praeterea, hoc eſt pedum nota, nonnumquam ad ueritatem ducit, non aliter atque uenatores notatis ferae ueſtigijs, illam aliquando reperiunt. ea de cauſſa Cacus latro boues Herculis auerſas in ſpeluncam traxit, ne ueſtigia notari poſſent. Effuſus etiam ſanguis, & tela, & ueſtes cruore madentes, augent ſuſpicionem, ſed multo magis, ſi deprehenſum aliquid fuerit, quod dicatur ablatum fuiſſe, uel ereptum, uel praeparatum. ita praedones, & fures ſaepe ſolent argui, cum apud eos ſublatae furto res inueniuntur, ita Palamedes iniquo iudicio cōdemnatus fuit, quod in eius tabernaculo repertae fuerunt pecuniae, quas dicebat Vlyſſes eum a Priamo accepiſſe, quo Graecos proderet, ut in Topicis ait Cicero. Ab ipſo etiam reo ſigna atque argumenta ducuntur, ut ſi non conſtiterit in una ſententia, ſed inconſtanter locutus fuerit, aut haeſitauerit, aut titubauerit, aut cum aliquo ſicario ſeu latrone uiſus fuerit, unde facti ſuſpicio exoriatur. multum etiam circumſtantiae coniecturam adiuuant, ut an eiuſmodi perſona ſit, quae tale facinus aggrediatur, an rem perficere ſperauerit, qua cauſſa motus id fecerit, quo auxilio, aut quo modo feciſſe dicatur, quo tempore, quo loco plurimi enim intereſt, ſi, qui arguitur, paullo ante uiſus in eo loco fuerit, ubi facinus commiſſum eſt. Signa etiam conſcientiae ſunt pallor & tremor in eo, qui arguitur. Sed longe omnium firmiſsimum ſignum, ſi ſcripta fuerint inuenta, uel obſignationes ſigillorum, uel depoſita. haec enim ſunt huiuſmodi, quae fere negari non poſſunt. hac ratione condemnati fuere Vitellii, & Bruti filii, quod eorum litterae ad Tarquinium Superbum in legatorum manibus deprehenſae ſunt. ita Lentulus coniurationis particeps probatus eſt, quod eius ſigillo obſignatae litterae fuerunt in ſenatu prolatae.

CICERO

HAEC enim, & talia ſunt, quae aut in re ipſa, aut etiam antequam factum eſt, aut poſtea ſuſpicioſum crimen efficiunt.

EXPLANATIO

NVNC generatim de ſignis agit, atque admonet, uel in ipſa re ſigna notari, uel ante factum, uel poſt factum. In ipſa re, ut Clodius expeditus in equo nullis impedimentis, quae habere ſecum ſemper antea ſolebat, ſed lectis tantum hominibus Milonem inuaſit, cum interim Milo eſſet in rheda penulatus. Ante factum, ut Clodius dixerat triduo, aut ad ſummum quattriduo periturum Nilonem, ſeruos agreſtes & barbaros coegerat, quibus inſidias Miloni ſtrueret. Poſt factum, ut Milo poſt Clodij necem ſecurus Romam uenit, & ſe populo, ſenatui, & iudicio dedit. quod non feciſſet, ſi inſidiator fuiſſet.

CICERO

QVAE ſi non erunt, tamen cauſſis ipſis, & efficiendi facultatibus niti oportebit, adiuncta illa diſputatione communi, non fuiſſe illum tam amentem, ut indicia facti aut effugere, aut occultare non poſſet, ut ita apertus eſſet, ut locum crimini relinqueret.

EXPLANATIO

NONNVMQVAM accidit, ut nulla facti ueſtigia in reo reperiantur. quid ergo tunc erit agendum? amplificandae ſunt (inquit) cauſſae, & facultates, ut, quia ſperabat ſibi id maximam utilitatem allaturum, & facile ſe poſſe facere uidebat, ideo feciſſe dicatur. Deinde adiungenda eſt calliditas ex communi diſputatione. dicet enim accuſator, non tam amens erat, ut non diligenter cogitaret, qua ratione ſigna omnia, atque indicia facti poſſet occultare, ſicuti fures earum rerum, quas rapuerunt, auferre ſigna conſueuerunt, ne agnoſcantur, ualde autem ueriſimilem orationem cauſſae & conſilia, ſi recte explicentur, efficere ſolent. unde etiam Hiſtorici, quo fide dignior hiſtoria uideatur, cauſſas & conſilia geſtarum rerum diligenter explicant.

CICERO

COMMVNIS *ille contra locus, audaciam temeritati, non prudentiae eſſe coniunctam.*

EXPLANATIO

HIC locus inducetur a defenſore,non eſſe ueriſimile id eſſe factum, quod ait accuſator, cum nulla ſigna facti proferantur. neque enim ab audaci homine poſſe ſigna omnia occultari, qui prudentia careat, & hoc enthymemate a repugnantibus probabit. quoniam audacia non eſt coniuncta prudentiae, ſed temeritati. Prudentia uero & temeritas contraria ſunt,ſed occultare ſigna prudentis & callidi hominis eſt. Defenſor etiam omni diligentia cauſſas remouebit, ut oſtendat fictum eſſe crimen, quod pro Roſcio Am. ita Cicero facit, Patrem occidit Sex.Roſcius? qui homo? adoleſcentulus corruptus,& ab hominibus nequam inductus?annos natus magis quadraginta,uetus uidelicet ſicarius,homo audax,& ſaepe in caede uerſatus? at hoc ab accuſatore ne dici quidem audiu iſtis,Luxuries igitur hominem nimirum,& aeris alieni magnitudo, & indomitae animi cupiditates ad hoc ſcelus impulerunt.de luxuria purgauit Erucius,cum dixit hunc ne in conuiuio quidem ullo fere interfuiſſe,nihil autem umquam debuit,cupiditates porro qui poſſunt eſſe in eo, qui (ut ipſe accuſator obiecit) ruri ſemper habitarit,& in agro colendo uixerit? quae uita maxime diſiuncta a cupiditate, & cum officio coniuncta.

CICERO

SEQVITVR *autem ille locus ad augendum, non eſſe exſpectandum dum fateatur, argumentis peccata conuinci.& hic etiam exempla ponentur. Atque haec quidem de argumentis.*

EXPLANATIO

COMMVNIS etiam locus accuſatoris ille eſt,qui non ad probandum, ſed ad amplificandum attinet,ut, poſtquam cauſſas & euenta collegerit,multisq. uſus fuerit argumentis,tunc dicat non eſſe exſpectandū, ut reus fateatur, cum argumenta ſint omni luce clariora, quod ſi exempla poterimus aliqua commemorare, quibus cum reus infitiaretur,tamen damnatus ſit,eo quod clara eſſent argumenta, multum ea ratio proderit, quoniam iudices res ab alijs iudicatas facile ſequi ſolent. hic aduertendum eſt, quod,quamuis Ariſtoteles primo Rhetoricorum dicat amplificationem eſſe propriam demonſtratiui generis,exempla deliberatiui,argumenta iudicialis,tamen ſaepiſsime in iudiciali genere etiam amplificationes,& exempla ponuntur,non tantum argumenta,ut hic oſtendit Cicero.

CICERO

SIN *autem erit etiam teſtium facultas, primum genus erit ipſum laudandum, dicendumq. ne argumentis teneretur, reus, ipſum ſua cautione feciſſe, teſtes effugere non potuiſſe. deinde ſinguli laudentur, quae autem eſſent laudabilia, dictum eſt.*

EXPLANATIO

POSTQVAM argumentis artificioſe repertis uſus accuſator fuerit, etiam ad ea, quae ſunt artis expertia, ſe conferet.ut ad teſtes,ad quaeſtiones,ceteraq. eius generis,Ac primo generatim teſtes omnes laudabit, dicetq. magis teſtibus,quam argumētis credi oportere.ita Cicero. cōtra Verrem uniuerſas ſaepe ciuitates,teſtimonia dicentes laudat,ſicuti contra in defenſionibus aliquando totum genus teſtiū improbatur,ut pro L.Flacco de Graecis teſtibus.Dicet igitur accuſator, reum fuiſſe quidem cautum, ne ullis argumentis teneri poſſet, ſed tamen non potuiſſe teſtes effugere.Laudantur etiā ſinguli teſtes.quod ſaepiſsime facit Cicero pro A.Cluentio,Opportune adeſt homo ſumma fide & omni uirtute praeditus L. Praetorius ſenator. ut pro Archia poeta, Adeſt uir ſumma auctoritate,& religione,& fide L.Lucullus.Sed de teſtibus iam alibi ſupra multa diximus.

CICERO

DEINDE *etiam argumento firmo, quia tamen ſaepe falſum eſt, poſſe recte non credi, uiro bono & firmo ſine uitio iudicis non poſſe non credi.*

EXPLANATIO

HOC argumenrum a comparatione ducitur,quod probatur uiro bono,teſtimonium dicenti, ſemper eſſe credendum,magisq. teſtibus quam firmis argumentis adhibendam eſſe fidem quia licet argumenta firma eſſe uideantur,poſſunt tamen interdum eſſe falſa cum ex principiis minime neceſſariis ducuntur.Sed uir bonus numquam omnino falſum dicet teſtimonium.Quare iudex peccat,quoties bono uiro nō credit.Cicero pro M.Coelio,ſibi nō opus eſſe argumētis ait,cū habeat teſtimoniū L. Lucceii uiri honeſtiſsimi,& grauiſsimi.

CICERO

ATQVE etiam, ſi uitio obſcuri teſtes erunt, aut tenues, dicendum erit non eſſe ex fortuna fidem ponderandam, & eos eſſe cuiuſque locupletiſſimos teſtes, qui id, de quo agatur, facillime ſcire poſſint.

EXPLANATIO

NOBILIBVS, & opulentis teſtibus facilius creditur. (ut ait in Topicis Cicero) Sed, ſi forte orator obſcuros & inopes teſtes in iudicium adduxerit contra reum, dicet, fidem non a fortuna pendere, quamuis inopes ſint, tamen eſſe bonos uiros, qui nullo modo poſſent induci, ut falſum dicerent, eos facile ſcire potuiſſe id, de quo arguitur reus, atque ideo locupletiſsimos & optimos eſſe teſtes. Cicero de Senectute oſtendit Ennium talem fuiſſe, hoc eſt inopem quidem, ſed fide dignum, cum ita inquit: Licet enim uerſibus iiſdē mihi affari te Attice, quibus affatur Flaminnium ille uir haud magna cum re, ſed fide plenus.

CICERO

SIN quaeſtiones habitae, aut poſtulatio, ut habeantur, cauſſam adiuuabunt; confirmandum genus primum quaeſtionum erit, dicendum de ui doloris, de opinione maiorum, qui eam rem totam, niſi probaßent, certe repudiaßent; de inſtitutis Athenienſium, Rhodiorum, doctiſſimorum hominum, apud quos etiam id, quod acerbiſſimum eſt, liberi, ciuesq. torquentur; de noſtrorum etiam prudentiſſimorum hominum inſtitutis; qui cum de ſeruis in dominos quaeri noluiſſent, de inceſtu tamen, & coniuratione, quae facta me conſule eſt, quaerendum putauerunt.

EXPLANATIO

TRIBVS modis quaeſtiones probari poſſe oſtendit, cum noſtram cauſſam adiuuare uidetur, primo a ui doloris. nam ſaepe dolor ueritatem elicit, &, quae quis ſponte numquam diceret, ea frequenter propter dolorem cogitur dicere. Sunt tamen aliis alij in dolore tolerātiores. Secundo ab opinione maiorum, qui ueritatē quaeſtionibus inueniri poſſe putauerunt, atque iccirco eas approbauerunt. nam niſi cognouiſſent, quaeſtiones ad inueſtigandam ueritatem prodeſſe, certe prorſus illas repudiaſſent. Tertio ab exemplis duarum ciuitatum ſapientiſsimarum, hoc eſt Athenienſium, & Rhodiorū, apud quos etiam liberi homines ciuesq. torquebantur. nam apud Romanos liberum hominem torqueri nefas habebatur, ſed ſerui tantum in quaeſtionem dabantur ad torquendum. Quin etiam non patiebantur Romani, ut de ſeruis in dominos quaereretur, niſi de inceſtu, & de rebus atrociſsimis, ut de coniuratione in patriam. nam in coniuratione Catilinae, quae facta eſt Cicerone conſule, de ſeruis in dominos quaeſitum eſt.

CICERO

IRRIDENDA etiam diſputatio eſt, qua ſolent uti ad infirmandas quaeſtiones; & meditata, puerilisq. dicenda; tum facienda fides, diligenter eſſe, & ſine cupiditate quaeſitum; dictaq. quaeſtionis argumentis, & coniectura ponderanda. Atque haec accuſationis fere membra ſunt.

EXPLANATIO

QVEMADMODVM contra quaeſtiones dici poſsit, iam ſuperius explicatum eſt. Sed accuſator occupare debet eam diſputationem, & irridere tamquam puerilem, & praemeditatam. Sed plurimum refert ſi, quae dicta ſunt in quaeſtione, cum argumentis & coniectura conuenient. nam hoc modo fiet duplex probatio, altera a quaeſtionibus, altera ab argumentis. hactenus igitur in coniecturali conſtitutione accuſatorem inſtruxit, nunc ex altera parte docebit, qua ratione defendere liceat.

CICERO

DEFENSIONIS autē primum infirmatio cauſſarum, aut non fuiſſe, aut non tantas, aut non ſibi ſoli, aut commodius potuiſſe idem conſequi, aut non iis eſſe moribus, aut non ea uita, aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuiſſe.

EXPLANATIO

ACCVSATORIS locos in coniectura quattuor numerauit, cauſſas, facultates, conſequentia, teſtimonia, defenſor igitur eos omnes locos infirmare debent. ac primo quidẽ oſtendere nullas fuiſſe cauſſas maleficij ſuſcipiendi, ut pro Milone, Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem, ac materiam ſuae gloriae? & pro Roſcio Am. Cauſſam tu nullam reperiebas in Sex. Roſcio, at ego in T. Roſcio reperio. Quod ſi cauſſae fuerint, oſtendet defenſor non tantas fuiſſe, quantas ait accuſator. Vt Erucius dixerat Roſcium patri non placere, quoniam eum in praedia ruſtica relegarat. quam cauſſam irridet Cicero, tamquam non idoneam, quae ad parricidium impellere poſſet. Quod ſi fuerint alij, qui ex illo maleficio, quod commiſſum dicitur, utilitatem ſperarent, aut qui facultatem perficiendi haberent, in eos deriuare crimen defenſor poterit, ut Cicero in aduerſarios Roſcij, dicet etiam defenſor, ſi reus committere crimen uoluiſſet, alias longe commodius id facere potuiſſe, ut pro Milone, Quem ſi interficere uoluiſſet, quantae, quoties occaſiones, quam praeclarae fuerunt? praeterea dicet reum non iis eſſe moribus, ut tale flagitium committat, quam defenſionem copioſe perſequitur pro Roſcio Am. Cicero, cum oſtendit eum uitam egiſſe ab omni cupiditate diſiunctam, & cum officio coniunctam. Sed hoc ubique ſeruat Cicero, ut, quos defendit, eos bonos eſſe uiros probare contendat. Denique dicet nullos animi motus in reo fuiſſe, aut ſi qui fuerint, non tam fuiſſe impotentes & effrenatos, ut eum ad ſcelus impellerent. hoc pro Milone diligenter Cicero facit, cum ait nullum odium, nullam irã, nullam ulciſcendi fuiſſe in Milone libidinem. quae omnia docet in Clodio fuiſſe.

CICERO

FACVLTATVM aũt infirmatione utetur, ſi aut uires, aut animũ, aut copias, aut opes abfuiſſe demonſtrabit, aut alienũ tempus, aut locũ non idoneũ, aut multos arbitros, quorum crederet nemini, aut non ſe tam ineptũ, ut id ſuſciperet, quod occultare non poßet. neque tam amentem, ut poenas, ac iudicia contemneret.

EXPLANATIO

EFFICIENDI facultas ſpectatur potiſsimũ in uiribus, animo, copiis, opibus, circumſtantiis. quae ſi quis aut abfuiſſe, aut non opportuna fuiſſe demonſtrare potuerit, is argumenta coniecturae facile ſubuertet. Cicero pro M. Coelio breuiter haec omnia, quae ſunt accuſatoris argumenta, propria ſubuertit hoc modo, Poſſum etiam illa & ceterorum patronorum, & mea conſuetudine ab accuſatore perquirere, ubi ſit congreſſus cum ſeruis L. Lucecij Coelius? qui eius fuerit aditus? Si per ſe, qua temeritate, ſi per alium? per quem poſſum omnes latebras ſuſpicionum peragrare dicendo, non cauſſa, non locus, non facultas, non conſcius, nõ perficiendi, non occultandi maleficij ſpes, non ratio ulla, non ueſtigium maximi facinoris reperietur. Ita pro Roſcio Am. multis rationibus probare, illi neque animum, neque facultatem patris occidẽdi fuiſſe. Adiungẽda eſt etiam illa defenſio ex communi prudentia ſumpta, neminem eſſe tam amentẽ, ut alieno tempore, non idoneo loco, multis conſciis, quorum fidem ſuſpectam haberet, aliquod maleficium ſuſcipia.

CICERO

CONSEQVENTIA aũt diluet exponendo non eſſe illa certa indicia facti, quae ẽt nullo modo admiſſo cõſequi poſſent, conſiſtetq. in ſingulis: & ea, aut eorũ, quae ipſe facta eſſe dicet, propria eſſe defendet potius, quã criminis; aut, ſi ſibi cum accuſatore cõmunia eſſent, pro periculo potius, quã contra ſalutẽ ualere debere: teſtiũq. & quaeſtionũ genus uniuerſum, & quod poterit in ſingulis, ex reprehenſionis locis, de quibus ante dictum eſt, refellet.

EXPLANATIO

SIGNA, & euentus, quae conſequentia hoc loco uocantur a Cicerone, facile refelli poſſunt, quando ſunt eiuſmodi, ut non neceſſario conſequantur. ut pro Coelio docet familiaritatem, quam habuit M. Coelius, cum Catilina non habere crimen coniurationis; quoniam etiam alij multi boni uiri Catilinae familiares fuerunt, neque tamen cum eo coniurarunt. quod idem etiam pro P. Sulla facit. dicet igitur ea ſigna, quae aduerſarius obiicit etiam nullo admiſſo poſſe contingere, ut ſi expalluerit reus, aut in dicendo titubarit. poteſt enim quis etiam innocens in conſpectu iudicis expalleſcere, & inconſtanter loqui, non propter malã conſcientiam, ſed propter inconſtantiam iudiciorum. Debet etiam defenſor in ſingulis conſiſtere, atque oſtendere. quam leuia ſint infirma, hoc eſt, quod ait Quinctilianus, accedere oportet ad ſingula, ſic uniuerſa corruent ut pro Roſcio Am. Leuia oſtendit Cicero ſigna eſſe, quae Erucius obiecerat, quod conuiuia, cum patre non iniret, quod nemo eum domum ſuam inuitaret. Quin ipſa ſigna, ſi qua ſunt, defenſor dicet, non eſſe propria criminis, ſed eorum, quae ipſe facta eſſe dicet. ut ſi cruentam ueſtem dicat, non propter caedem, quam

obiicit

obiicit aduerſarius, ſed propter ſanguinis e naſo profluuium, pallidum eſſe non propter conſcientiam, ſed propter morbum. Et, quoniam in dubiis rebus mitiorem ſemper ſententiam ſequi debemus, ſi qua fuerint cum accuſatore communia, ea trahi poterunt ad rei defenſionem, ut Erucius dixerat Roſcium rus a patre fuiſſe relegatum, hoc fatetur Cicero, ſed uitae ruſticae commendatione utitur ad Roſcij ſalutem. atque hoc factum patris honori potius, quam crimini Roſcio dari debere contendit. teſtes autem & quaeſtiones qua ratione poſsint infirmari, iam alibi ſupra copioſe diſputatum eſt.

CICERO

Harvm cauſſarum principia ſuſpicioſa ad acerbitatem ab accuſatore ponentur, denunciabiturq. inſidiarum commune periculum, excitabunturq. animi, ut attendant.

EXPLANATIO

Postqvam ea, quae ad coniecturales controuerſias, & ad probationem, atque infirmationē facti pertinent, explicuit, nunc accedit ad ſingulas orationis partes, ut oſtendat quales & in accuſando, & in defendendo eſſe debeant. Ac primo exordium accuſatoris eiuſmodi (inquit) eſſe debet, ut reo acerbos iudices efficiat. & commune periculum eſſe oſtendat, atque ad audiendum excitet. debet enim acerbitatem habere uehementem, ut in Diuinatione contra Verrem, Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, auaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnes ſeſe hoc uno praetore per triennium pertuliſſe. Dicet etiam accuſator, periculum eſſe commune, ut tertia in Verrem actione, Commune eſt hoc malum, communis metus, commune periculum, nullae ſunt occultiores inſidiae, quam eae, quae latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſsitudinis nomine. Pro Roſcio Am. Periculum, quod in omnes intenditur, propulſetis. Sed hoc multis in locis facit Cicero, ut magis iudices excitet.

CICERO

A Reo aūt querella conflati criminis, collectarūq. ſuſpicionum, & accuſatoris inſidiae, & item cōmune periculū proferetur, animiq. ad miſericordiam allicientur, & modice beneuolentia iudicum colligetur.

EXPLANATIO

Defensoris exordium querellam conflati criminis & cōficti habere debet, ita ut periculum eſſe commune oſtendat, & animos iudicum ad miſericordiam alliciat, ſibiq. beneuolos faciat. Haec omnia diligentiſsime ſeruat Cicero pro Roſcio Am. docet enim in Roſcium non alia de cauſſa conflatum eſſe parricidij crimen ab accuſatoribus, niſi ut Roſcio ſublato poſſent eius bona ſecure poſsidere, colligit ſuſpiciones plurimas, quibus docet ab ipſis accuſatoribus interfectum fuiſſe Roſcij patrem. Commune eſſe periculum oſtendit, ſi iudicio ficto innocētes opprimantur, iudices ad miſericordiam mouet, rogatq. ut audaciae aduerſariorum fortiter reſiſtant. in fine exordij modice beneuolentiam, & attentionem captat his quidem uerbis, Atque, ut facilius intelligere poſsitis, iudices, ea, quae facta ſunt indigniora eſſe, quam haec ſunt, quae dicimus, ab initio res quemadmodum geſta ſit uobis exponemus. quo facilius, & huius hominis innocentiſsimi miſerias illorum audaciam cognoſcere poſsitis, & reip. calamitatem.

CICERO

Narratio autem accuſatoris erit, quaſi membratim geſti negotij ſuſpicioſa explicatio, ſparſis omnibus argumentis, obſcuratis defenſionibus.

EXPLANATIO

Accvsator in narratione non periodis utetur, ſed membratim dicet. nam membra longe cōmodiora ſunt in omni narratione, quam periodi, aut commata. Circumductio enim uerborum potius exordio conuenit, commata uero confirmationi. debet autem accuſator membra narrationis ſuſpicioſa ponere, quae ſemina argumentationum contineant, & quae defenſionem obſcurare uideantur; ut in Verrem, Qui ita dictitat iis eſſe metuendum, qui, quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent, ſe tantum rapuiſſe, & id multis ſatis eſſe poſsit, nihil eſſe tam ſanctum, quod non uiolari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſsit. ſed plurimae ſunt in Verrem eiuſmodi narrationes.

CICERO

CICERO

D*Efensori, aut praeterieis, aut obſcuratis ſuſpicionum argumentis, rerum ipſarum euentus erunt, caſusq. narrandi,*

EXPLANATIO

DEfensor in narratione, uel praeterit argumenta ſuſpicionum, ut pro Milone, Milo, cum in ſenatu fuiſſet eo die, quoad ſenatus dimiſſus eſt, domum uenit, calceos & ueſtimenta mutauit, paulliſper, dum ſe uxor (ut fit) comparat, commoratus eſt, & reliqua. Vel eadem obſcurat, ut pro Roſcio Am. Cum hic Sextus eſſet Ameriae, T. autem iſte Roſcius Romae, cum hic filius aſsiduus in praediis eſſet, cumque ſe uoluntate patris rei familiari, uitaeq. ruſticae dediſſet, iſte autem frequens Romae eſſet, occiditur ad balneas Palatinas, rediens a cena Sex Roſcius. Deinde narrabit defenſor euentus, & caſus rerum, ut pro Roſcio Am. Glaucia decem horis nocturnis quinquaginta millia paſſuum ciſiis peruolauit, ut T. Capitoni Roſcij mortem nunciaret; poſtea uero narrat Cicero quemadmodum Chryſogonus & duo Roſcij in fortunas Sex. Roſcij interfecti impetum fecerint, & illas inter ſe diuiſerint. Quibus rebus effici uult non a filio patrem Roſcium, ſed ab aduerſariis occiſum fuiſſe.

CICERO

I*N confirmandis autem noſtris argumentationibus, infirmandisq. contrariis, ſaepe erunt accuſatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. atque haec quidē utrique maxime in peroratione facienda, alteri frequentatione argumentorum, & coaceruatione uniuerſa, alteri ſi plane cauſſam redarguendo explicarit, enumeratione, ut quidque diluerit, & miſeratione ad extremum.*

EXPLANATIO

IN confirmatiione, & refutatione, praeter argumenta, quae ponentur, debet accuſator criminibus amplificandis motus animorum incitare, reus autem mitigare. nam, licet amplificatio propria perorationis eſſe uideatur, tamen in reliquis etiam orationis partibus ſaepe adhiberi ſolet. quod ex accuſationibus Ciceronis contra Verrem intelligi poteſt, in quibus poſt cuiuſlibet fere criminis confirmationem, amplificatione utitur; ut tertia in Verrem, poſtquam confirmauit ab ipſo Verre quaeſtore deſertum fuiſſe conſulem, ita crimen amplificat: Ita ne uero? tu cum quaeſtor ad exercitum miſſus ſis, cuſtos non ſolum pecuniae, ſed etiam conſulis, particeps omnium rerum, conſiliorumq. fueris, habitus ſis in liberum loco, ſicut maiorum ferebat, repente relinquas? deferas? ad aduerſarios tranſeas? O ſcelus, o portentum in ultimas terras exportandum. & quae ſequuntur. Sed hoc (ut dixi) fere ſemper obſeruat; contra uero defenſor ſingula debet extenuare, ut M. Coelio, meretriciam Coelij cum Clodia conſuetudinem facetiſsime tractat, ueneni crimen irridet, teſtium fidem eleuat. In peroratione contendere debet accuſator argumentorum frequentatione, ut reum obruat, contra defenſor, poſtquam omnia refutarit, poterit enumeratione, & conqueſtione uti, quod pro Cluentio facit Cicero.

CICERO

C*F. Scire mihi iam uideor, quemadmodum coniectura tractanda ſit. nunc de definitione audiamus. C. P. Communia dantur in iſto genere accuſatori, defenſor. q. praecepta. uter enim definiendo, deſcribendoq. uerbo magis ad ſenſum iudicis, opinionēq penetrarit, & uter ad cōmunem uerbi uim, & ad eam praeceptionem, quā inchoatam habebunt in animis ij, qui audient, magis & propius acceſſerit, is uincat neceſſe eſt.*

EXPLANATIO

DEfinitio, quae eſt altera conſtitutio, fere eodem modo tractatur, & ab accuſatore, & a reo. nām uterque rem illam, de cuius nomine controuerſia eſt, definit, & definitionem ſuam argumentis corroborat, eamq. cum aequitate coniunctam oſtendit. is autem erit ſuperior in hac cauſſa, qui propius acceſſerit ad opinionem iudicis eā, quam de re ipſa, quae tractatur, acceperit. omnes enim homines habent in animo quandam cuiuſlibet rei notionem inchoatam, & imperfectam, quae deinde argumentis fit illuſtrior. itaque cōmunem illam opinionem in definiendo ſequi debet orator, ut ſi quis accuſetur ſacrilegij, quod pecunias cuiuſdam priuati hominis in tēplo poſitas ſurripuerit, & reus fateatur quidē factum, ſed dicat, non ſacrilegiū, ſed furtum a ſe commiſſum, & ideo furti ſecum, non ſacrilegij agi oportere. Accuſator ſacrilegium eſſe dicet,

quoties

quoties quis e loco ſacro pecuniam ſubripit, ſiue illa pecunia ſacra ſit, ſiue priuata, quoniam mentem, & animum raptoris aduertere oportet, qui, nihil deorum numen ueritus, in templo facinus commiſerit, neque illum ſciuiſſe pecuniam eſſe priuatam, ſed, cum ſacram putaret, tamen animo ſacrilegio furatum eſſe. Defenſor autem dicet ſacrilegium eſſe rei ſacrae ablationem, neque locum aduerti, ſed rem ipſam ſublatam, quae ſi ſacra fuerit, ſacrilegium eſt commiſſum, ſi priuata non ſacrilegium, ſed furtum. probabitque, ſi poterit, reum ſciuiſſe pecuniam illam uiri priuati fuiſſe, exploratumq. habuiſſe non eſſe ſacram, quae diſputatio ex locis coniecturae ducetur, nam in hoc genere rara ſunt argumenta, quod ita affirmat Cicero.

CICERO

Non enim argumentando hoc genus tractatur, ſed tamquam explicando, excutiendoq. uerbo, ut ſi in reo pecunia abſoluto, ruiſusq. reuocato, praeuaricationem accuſator eſſe definiat, omnem iudicij corruptelam ab reo, defenſor autem non omnem, ſed tantummodo accuſatoris corruptelam ab reo.

EXPLANATIO

Ponit exemplum controuerſiae, quae naſcitur a definitione, poſtea docet quomodo, & ab accuſatore, & a defenſore tractanda ſit. Ac primo dicit genus hoc non per argumenta tractari, ſed potius per explicationem, & excuſsionem uocabuli. quod ſi argumentis uti opus erit, ea ſumentur ex aliis generibus, quod pro A. Caecina copioſe facit. Exemplũ uero, quod ponitur hoc loco, poteſt ita conformari. P. Clodius, reus de pollutis ſacris bonae Deae, iudices pecunia corrupit, atque ita abſolutus eſt. eius accuſator, aegre ferens ſibi reum, quem condemnare ſperabat, eripi, uocat iterum eum in iudicium de praeuaricatione, quod iudices pecunia corruperit. negat Clodius a ſe praeuaricationem commiſſam. quaeritur ergo, quid ſit praeuaricatio, & quomodo fiat. Accuſator ita definit, omnis iudicij corruptela ab reo praeuaricatio eſt, tu Clodi iudicium corrupiſti, in praeuaricationem igitur incidiſti. Defenſor uero contra ait, Non omnis corruptela iudicij eſt praeuaricatio, ſed tantum corruptela accuſatoris ab reo, dicitur praeuaricatio, hoc igitur modo controuerſia naſcitur. Eſt autem Praeuaricari proprie a recto diſcedere, ſic enim Plinius, Arator niſi incuruus praeuaricatur. In cauſsis praeuaricari dicuntur, qui cauſſam aduerſariorũ adiuuant, & ſuã conſulto prodũt. & Praeuaricatores dicuntur accuſatores, qui cum ipſo reo colludunt, hoc eſt, qui pecunias a reo accipiunt, ut uera crimina taceant. & Praeuaricatio proprie actus ille eſt, cũ accuſator pecunia corruptus ea crimina praetermittit, aut leuiter tangit, quae acriter eſſent accuſanda.

CICERO

Sit haec ergo contentio prima uerborum, in qua etiam ſi propius accedat ad conſuetudinem, mentemq. ſermonis, defenſoris definitio, tamen accuſator ſententia legis nititur. negat enim probari oportere eos, qui leges ſcripſerunt, ratum habere iudicium, ſi totum corruptum ſit, ſi unus accuſator corruptus ſit, reſcindere, nititur aequitate, ut illa quaſi ſcribenda lex ſic eſſet, quaeq. tamen complecteretur in iudiciis corruptis, ea uerbo uno praeuaricationis comprehendiſſe dicitur.

EXPLANATIO

Verborvn contentio in propoſita controuerſia uidetur pro reo facere, quod praeuaricatio ſit tantũmodo accuſatoria corruptela ab reo. ſed tamen accuſator contra duobus grauiſsimis firmamentis utitur, hoc eſt, ſententia legis, & aequitate. Sententia legis a minori ſic argumentabitur. Lex iubet iudiciũ reſcindi, ſi accuſator corruptus fuerit, ergo multo magis iudicium reſcindi debet, ſi ipſi iudices corrupti fuerint neque enim tam amentes fuiſſent legiſlatores, ut ratum haberent iudicium, ſi totum corruptũ ſit, & deinde ſi unus tantum accuſator ſit corruptus, reſcinderent. Ab aequitate uero ſic argumentabitur: Legem quidem ſcriptam eſſe de accuſatore, ſi corruptus fuerit, quoniam id frequentius accidit, ſed tamen aequum eſſe illam de omni corruptela ab reo facta interpretari, quoniam uno praeuaricationis nomine legiſlator comprehenderit, quae de corruptis iudiciis caueri debent; hoc autem accuſatoris firmamentum multum ideo ualebit, quod ſaepiſsime leges, quod frequentius fieri ſolet, reſpiciunt, & ad id, nomen accommodant, quod tam deinde ad alia, quae ſimilia ſunt, traduci ſolet. nam (ut ait Iulianus) non poſſunt omnes articuli ſigillatim aut legibus, aut ſenatuſconſultis comprehendi. ſed, cum in aliquo caſu ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui iuriſdictioni praeeſt, ad ſimilia procedere, atque ita ius dicere debet.

CICERO

*D*EFENSOR *antem teſtatur conſuetudinem ſermonis, uerbiq. uim ex contrario reperiet quaſi ex uero accuſatore, cui contrarium eſt nomen praeuaricationis. ex conſequentibus, quod ea littera de accuſatore ſoleat dari iudici, ex nomine ipſo, quod ſignificat eum, qui in cõtrariis cauſſis quaſi uarie eſſe poſitus uideatur.*

EXPLANATIO

QVATTVOR potiſsimum rationibus in hac cauſſa defenſor nitetur, hoc eſt a conſuetudine, a contrario, a conſequentibus, & a nomine ipſo. A conſuetudine, quoniam omnes, qui Latine loquuntur, praeuaricationem intelligunt eſſe accuſatoris corruptelam ab reo, non autem iudicium. A contrario, ut ſi, quoties uerus accuſator eſt, qui nuſquam a recta accuſatione deflectat, etiam ſi iudices corrumpantur, nulla fit praeuaricationis mentio, quid eſt, quod quiſquam dubitare poſsit, quin tãtum ad accuſatorem praeuaricatio pertineat? uerus enim accuſator praeuaricatori opponitur. A conſequentibus, quoniam ea littera, hoc eſt ea lex praeuaricationis, non autem (ut interpres quidam ineptiſsime ſentit) littera, quae fronti ignominiae cauſſa imprimitur, ea, inquam, lex datur iudici, ut de aecuſatore ſententiam ferat, utrum ſit uerus accuſator, an praeuaricator. A nomine denique, quoniam praeuaricator uidetur a uarietate dici, ut eum tantum ſignificet, qui in contrariis cauſsis uarie poſitus ſit.

CICERO

*S*ED *huic tamen ipſi confugiendum eſt ad aequitatem locos, ad rerum iudicatarum auctoritatem, ad finem aliquem periculi.*

EXPLANATIO

DEFENSOR non minus, quam accuſator, ad aequitatem confugiet, & ad iudiciorum auctoritatẽ; ad aliquem finem periculi, ideſt, ut aliquo modo periculum effugiat, & cõtrouerſiae finẽ reperiat. Duo ſunt igitur loci praeter quattuor illos ſupradictos, quibus uti defenſor poteſt, alter ab aequitate, alter a rebus iudicatis. dicet enim defenſor aequitatem ipſam poſtulare, ut uerbi proprietas ſpectetur, neque cõuenire, ut uerbum eo deflectatur, ubi non ualet, ut C. Rabirius pro ſalute reip. contra Saturninum arma ſumpſiſſe ſe fatetur, ſed tamen non aequum eſſe dicit, ut perduellionis condemnetur, quia Saturninus fuit ſeditioſus magiſtratus. A iudicatis, ut ſi qui fuerunt, qui, quod factum eſt, non eo nomine appellandum eſſe cenſuerit. quod pro Q. Ligario Cicero facit. Scelus tu illud uocas, Tubero? cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſſa caruit, alij errorem appellant, alij timorem, qui durius, ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam, qui grauiſsime temeritatem, ſcelus praeter te adhuc nemo.

CICERO

*C*OMMVNEQ. *ſit hoc praeceptum, ut, cũuterque definiuerit, quam maxime potuerit ad cõmunem ſenſum uimq. uerbi, tum ſimilibus exemplisq. eorum, qui itẽ locuti ſunt, ſuam definitionem ſententiamq. confirmet.*

EXPLANATIO

PRAECEPTVM hoc tam ad defenſorem, quam ad accuſatorem pertinet, ut primo definitionem adhibeat, quae maxime communi ſenſui conueniat, & uerbi uim explicet, deinde ſimilitudines & exempla proferat, quibus definitionem ſuam confirmare poſsit. Hoc copioſe pro A. Caecina Cicero facit, ex eo loco, Ego exercitus maximos ſaepe & pulſos & fugatos eſſe dico terrore ipſo impetuq. hoſtium, ſine cuiuſquam non modo morte, uerum etiam uulnere. etenim, Recuperatores, non ea ſola uis eſt, quae ad corpus noſtrum uitamq. peruenit, ſed etiam multo maior ea, quae, periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum loco ſaepe & certo de ſtatu dimouet. itaque ſaucij ſaepe homines, cum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt, neque eum relinquunt locum, quem ſtatuerint defendere; at alij pelluntur integri, ut non dubium ſit, quin maior adhibita uis ei ſit, cuius animus ſit perterritus, quam illi, cuius corpus uulneratũ ſit. & quae ſequuntur. Longiſsimus enim locus eſt.

CICERO

*A*TQVE *accuſatori in hoc genere cauſſarum locus ille communis, minime eſſe concedendum, ut is, qui de re confiteatur, uerbi ſe interpretatione defendat.*

EXPLANATIO

ACCVSATOR locum habet communem,& uehementem contra reum, qui factum confitetur, & tamen unius uerbi interpretatione crimen conatur occultare. dicet enim hoc minime concedendum eſſe, ut quis facinus ſuum uerbo uelit occultare. ſic Cicero pro A. Caecina, Is ne apud uos obtinebit cauſſam ſuam, qui ſe ita defenderit, eieci ego te armatis hominibus, non deieci, ut tantũ facimus non in aequitate defenſionis, ſed in una littera latuiſſe uideatur? huiuſce rei uos ſtatuetis nullam eſſe actionem? & reliqua.

CICERO

DEFENSOR autẽ de ea, quã propoſui, aequitate nitatur, & ea, cum ſecum faciat, non re, ſed deprauatione uerbi ſe urgeri queratur, quo in genere percenſere poteris pleroſq. inueniendi locos. nã & ſimilibus utetur, & contrariis, & conſequentibus, quamquam uterbue, tamen reus, niſi plane erit abſurda cauſſa, frequentius.

EXPLANATIO

DIXERAT ſuperius hoc genus non in argumentando conſiſtere, ſed tantum in definiendo, & explicando uerbo: nunc tamen oſtendit aliquibus etiam argumentationibus tractari poſſe. quod ita intelligendũ eſt, definitionem, quae profertur ab utroque, poſſe multis ex locis confirmari, ſed ex illis praecipuae tribus, hoc eſt a ſimilibus, a contrariis, & a conſequentibus, quibus licet etiam accuſator utatur, tamen reus longe ſolet uti frequentius, niſi plane erit abſurda cauſſa, quam accuſator irridere facile poſsit, & inanem eſſe defenſionem oſtendere, ut pro A Caecina Cicero, Quid ergo? hoc interdictum putamus eorum eſſe cauſſa compoſitum, qui ſe praecipitatos ex locis ſuperioribus dicerent? eos enim uere poſſumus dicere eſſe deiectos. in eadem oratione ſaepe ſimilibus utitur Cicero, ut ibi: Quaero ſi te hodie domum tuam redeuntem coacti homines & armati non modo limine tectoq. aedium tuarum, ſed primo aditu ueſtibuloq. prohibuerint, quid acturus ſis. & alibi, Ne quemadmodum in bello ignauis ab imperatoribus conſtituitur, ſic in iudiciis deterior cauſſa ſit eorum, qui fugerint, quam qui ad extremum uſque contenderint. ſaepe etiam contrariis utitur, ut ibi; Quae uis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? & quod uehemens in re militari putatur, id leue in iure ciuili iudicabitur? & quod exercitus armatos mouet, id aduocationem togatorum non uidebitur mouiſſe? conſequentibus quoque ſaepe utitur, ut ibi, Quod ſi aliter ſtatuatis, uidete, ne hoc uos ſtatuatis, qui uiuus, diſceſſerit, ei uim non eſſe factam, ne hoc omnibus in poſſeſsionum controuerſiis praeſcribatis, ut confligendum ſibi, & armis decertandum putent.

CICERO

AMPLIFICANDI autem cauſſa, quae aut cum digredientur a cauſſa, dici ſolent, aut cum perorabunt, haec uel ad odium, uel ad miſericordiam, uel ad omnino animos iudicum mouendos, ex iis, quae ſunt antepoſita, ſumentur, ſi modo rerum magnitudo, hominumue, aut inuidia, aut dignitas poſtulabit.

EXPLANATIO

AMPLIFICATIO quibus ex uerbis, & rebus conſtet, iam ſupra copioſe declaratum eſt. ergo in definitiua controuerſia poſſumus uel in digreſsionibus, uel in peroratione, ſi cauſſa magna ſit, & grauis, ut id poſtulare uideatur, uti amplificatione ad permouendos iudicum animos, ut uel oderint, uel miſereatur. quod ſi cauſſa ſit tenuis, & humilis, uerborum faces nullo modo ſunt adhibendae, ut Cicero pro A. Caecina, quia illa cauſſa tenuis erat, non magnis amplificationibus uſus eſt, ſed acutis & ſubtilibus. at uero pro C. Rabirio perduellionis reo, quoniam grauis erat cauſſa generis huius definitiui, omni amplificationis genere exarſit.

CICERO

C. F. Habeo iſta. nunc, ea, quae, cum quale ſit quippiam, diſceptatur, quaeri ex utraque parte deceat, uelim audire. C. P. Confitentur in iſto genere, qui arguuntur, ſe id feciſſe ipſum, in quo reprehenduntur, ſed quoniam iure ſe feciſſe dicunt, iuris eſt omnis ratio nobis explicanda, quod diuiditur in duas partes primas, naturam, atque legem, & utriſque generis uis in diuinum, & humanum ius eſt diſtributa, quorum aequitatis eſt unum, alterum religionis.

EXPLANATIO

ACcedit ad tertiam conſtitutionem, in qua reus & factum, & nomen facti confitetur, ſed iure ſe feciſſe contendit, atque ideo, quia quaeritur quale ſit id, de quo diſceptatur, conſtitutio qualitatis appellatur. hanc autem quaeſtionem nemo recte tractare poteſt, niſi qui rationem omnem iuris diligenter intellexerit, quoniam a iuris cognitione tota pendet. haec itaque cauſſa eſt, cur Cicero breuiter iuris partes explicat. Statuunt autem Iuriſconſulti, Ius aequi & boni cognitionem, atque artẽ eſſe. hic enim eſt fons, haec origo totius iuſtitiae, ſi aequum & bonum conſeruetur. Partes uero iuris primae ſunt duae, Natura & Lex. Naturam enim ducem ſi ſequamur, numquam abberrabimus (ut ait primo de Officiis Cicero) Lex uero eſt ratio ſumma inſita in natura, quae iubet ea, quae facienda ſunt, prohibetq contraria. ſunt qui inter naturam, & legem ponant hanc differentiam, quod natura ſit, quae ſemina rerum omnium honeſtarum, & iuſtarum nobis inſerit. uident enim omnes fere homines lumine quodam naturali, & communi intelligentia, quid aequum, & quid iniquum ſit, quid bonum, & quid malũ. Lex uero ſit ab hominibus conſtituta, quo uita ciuilis, & concordia poſsit ab hominibus conſeruari. quoniam, niſi leges eſſent, ſemper improbi homines bonis inſidiarentur, & omnis aequitas breui ſubuerteretur. Sed omne ius naturale, & legitimum, uel ad deos, uel ad homines refertur, quod ad deos ſpectat, uocatur diuinũ & omnem religionẽ amplectitur; quod ad homines, dicitur humanum, & aequitatem omnem continent. Quare ius omne uel religionis, uel aequitatis eſt.

CICERO

AEquitatis autem uis eſt duplex, cuius altera directi, & ueri, & iuſti, & ut dicitur, aequi & bo- ĩ rōne defenditur, altera ad uiciſſitudinẽ referẽdae gratiae pertinet, quod in beneficio gratia, in iniuria ultio nominatur.

EXPLANATIO

AEquitas tam ad naturã, quam ad legem pertinet. ea duplex eſt, altera abſoluta, altera ad uiciſsitudinem relata aequitas. abſoluta illa eſt, quae ſimpliciter conſiderat, quid uerum ſit, & iuſtum, & aequũ, ſine ulla comparatione; aequitas illa, quae refertur ad uiciſsitudinẽ, eſt quae tribuit unicuique pro meritis, quod cõueniens, eſt, ut benemerentibus gratiam, malemerentibus ultionem quare duplex eſt etiam haec aequitas. nam aequiſsimum eſt referre gratiam eis, a quibus beneficium accepimus, & haec aequitatis pars gratia dicitur. quin etiam iure naturali uim ui licet repellere, atque inimicis talionem reddere, atque haec ultio nominatur. Aequitatis abſolutae ſunt huiuſmodi exempla, Deum colere, patriam amare, parentibus obtemperare, ſuum cuique reddere, ceteraq eius generis paene innumerabilia. eius autem aequitatis, quae ad uiciſsitudinem refertur, talia ſunt exempla, benemerentibus gratiam referre, gratum animum oſtendere, uim repellere, iniurias ulciſci.

CICERO

ATque haec communia ſunt naturae, atque legis, ſed propria legis, & ea, quae ſcripta ſunt, & ea, quae ſine litteris, aut gentium iure, aut maiorum more retinentur.

EXPLANATIO

QVaecumque uel ad religionem, uel ad aequitatem ſpectant, ea naturae, atque legis communia ſunt. natura enim deorum nobis cultum ingenerauit, & docuit nos unum eſſe totius mundi rectorem, & gubernatorem, quem uenerari & colere pium ſit; lex deinde multa, quae ad cultum Deorum pertinẽt, inſtituit. eodem modo nos eadem natura formauit aptos ad uerum & iuſtum, ut primo Rhetoricorum cenſet Ariſtoteles, & ad gratiam referendam in utramque partem uel bene, uel male de nobis merentibus. Quam rem pro Milone Cicero multis uerbis approbat. quam naturae legem, deinde conſenſus hominum confirmauit. ſunt alia, quae propria legis ſunt, non a natura donata, ſed ab hominibus inſtituta, ut quae ſcripta ſunt, & quae gentium iure ſeruantur, & quae maiorum more retinentur,

CICERO

SCriptorum autem priuatum aliud eſt, aliud publicum. publicum, lex, ſenatuſconſultum, foedus. priuatum, tabulae, pactum, conuentum, ſtipulatio.

EXPLANATIO

IVs ſcriptum ita diſtinguitur, quod aliud eſt publicum, aliud priuatum. publicum id dicitur, quod ad ſtatum reip. pertinet. priuatum, quod ad ſingulorum utilitatem. Publici iuris Cicero tria ponit exempla, legem, ſenatuſconſultum, foedus. Lex dicebatur ea, quam populus Romanus ſenatorio magiſtratu interrogante ueluti conſule conſtituebat. nam initio Romani leges nullas habebant, cum a regibus omnia gubernarentur. Romulus, & ſubſequentes reges quaſdam leges tulerunt, quas deinde Sex. Papirius in unum librum contulit, & id ius Papirianum fuit appellatum. exactis regibus publica auctoritate decem uiri conſtituti ſunt, qui duce Hermodoro Epheſio leges a Graecis ciuitatibus petitas in duodecim tabulis cōſcripſerūt, & pro Roſtris poſuerunt, ut eas populus Romanus apertus perſpiceret, &, ſi uideretur, approbaret. quae poſtquam approbatae fuerunt, leges duodecim tabularum fuerunt appellatae, unde fere ius omne ciuile Romanorum fluxit, & legis actiones, ut Pomponius de origine iuris atteſtatur. Multae deinde leges latae ſunt, quae fere nomen a latoribus habuerunt, ut Lex Iulia, Lex Cornelia, Lex Sempronia, Lex Poreia, atque ita de reliquis. ſenatuſconſultum eſt, quod ſenatus iubet, atque conſtituit. nam, cum auctus eſſet populus Romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum conuocari legis ſanciendae cauſſae, aequum uiſum eſt ſenatū uice populi conſuli. Foedus id dicitur, quod publice cū externis populis, ac nationibus ſancitur. T. Liuius 4. bel. Maced. ſcribit tria foederum genera fuiſſe, quibus integre paciſcerentur amicitias ciuitates, regesq. unū cum bello uictis dicerentur leges; alterum, cum pares bello aequa condicione in pacem, atque amicitiam uenirent; tertium, cum, qui hoſtes numquam fuerint, ad amicitiam ſociali foedere inngendam coirent. Priuati autem iuris quattuor ponit exempla, tabulas, pactum, conuētum, ſtipulationem. Tabulae ſunt ea, quae uulgo inſtrumenta uocamus, in rebus emendis, uendendis, atque in omni contractu, quae magnam habent firmitatē. Pactum, quo aliqui inter ſe paciſcuntur, quod tanti roboris eſt, ut iuri praeſtare dicatur. eſt autem pactum, ut ait Vlpianus, duorum pluriumue in idem, placitum & conſenſus. Conuentum, quo homines inter ſe de aliquo negotio conueniunt, & generalius eſt conuentum, quam pactum, ut idem Vlpianus cenſet, licet interdum confundantur, & alterum pro altero ponatur. Stipulatio eſt obligatio uerborum ex interrogatione & reſponſione, ut ſpondes ne? ſpondeo. de qua iam ſupra dictum eſt.

CICERO

QVAE *autem ſcripta non ſunt, ea aut conſuetudine, aut conuentis hominum, & quaſi conſenſu obtinentur.*

EXPLANATIO

FVERVNT olim nonnulli populi, qui ſcripta iura non habebant, neque habere uolebant, ſed a maioribus ſuis ea diſcebant, & poſteris ſuis quaſi per manus tradebant, ut in Graecia Lacedaemonij, in Gallia Druidae, de quibus multa Caeſar lib. 6. de bel. Gal. Sed ea iura ſic ab eis obſeruabantur quaſi ſcripta eſſent. ſunt etiā apud omnes fere populos quaedam conſuetudines, quae licet ſcriptae non ſint, tamen iuris habent uigorem. nam (ut ait Iuſtinianus) diuturni mores conſenſu utentium comprobati legem imitantur, & Cicero ſic ait, Eſt enim conſuetudinis ius, quod uoluntate omniū ſine lege uetuſtas comprobauit. Quod igitur fit ex communi conſuetudine, id quaſi iure factum defendi poteſt. fiunt etiam inter homines quaedam cōuenta ſine ſcripto, tantum ex communi conſenſu, quae nō aliter, atque iura ſcripta, ſolēt obſeruari, atque retineri. quae omnia niſi a iure naturali diſcrepent, facile probari poſſunt.

CICERO

ATQVE *etiā hoc in primis, ut noſtros mores, legesq. tueamur, quodammodo naturali iure perſcriptum eſt.*

EXPLANATIO

IVs naturale quodammodo praeſcribit, ac praecipit omnibus, ut ſuos mores ac leges tueantur, quoniā nō aliter ciuitas ſtare, aut domus ulla conſeruari poteſt. quod Cicero pro A. Cluentio ſic exſequitur, Hoc enim uinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur in rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis, mens, & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus, ut corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege ſuis partibus, ut neruis, ac ſanguine & membris uti non poteſt, Legum miniſtri magiſtratus, legum interpretes iudices, legum denique iccirco omnes ſerui ſumus, ut liberi eſſe poſsimus. Ariſtoteles etiam ait lib. 1. Rhet totius ciuitatis ſalutem in legibus eſſe poſitam. natura uero praeſcribit omnibus, ut ea quaerant & obſeruent, quibus ſalutem ſuam tueri poſsint. quo fit, ut legum obſeruatio ſit quodammodo naturalis, ſicut ait hoc in loco Cicero.

CICERO

CICERO

ET, quoniam breuiter aperti fontes ſunt quaſi quidam aequitatis, meditata nobis ad hoc cauſſarum genus eſſe debebunt ea, quae dicenda erunt in orationibus de natura, de legibus, de more maiorum, de propulſanda iniuria, de ulciſcenda, de omni parte iuris.

EXPLANATIO

ARs ſine exercitatione parum prodeſt. itaque nos admonet Cicero, ut ante praeuideamus,& diligenter praemeditemur, quae ſint in eiuſmodi cauſsis tractanda,& in eis nos exerceamus, ut, ſi quando in orationibus opus fuerit de natura,& de legibus dicere,id praeſtare facile poſsimus. ut pro Milone Cicero probat ex iure naturali uim ui licere repellere, cum ita inquit, Eſt enim haec iudices nō ſcripta ſed nata lex,quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus,ut, ſi uita noſtra in aliquas inſidias, ſi in uim, in tela aut latronum,aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendae ſalutis. Idem etiã a legibus probat hoc modo, Quod ſi duodecim tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, ſi telo defenderit, interfici impune uoluerunt, quis eſt, qui quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet, cum uideat aliquando gladium uobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus? Etiam de propulſanda, & ulciſcenda iniuria ſic ait, Quid comitatus noſtri, quid gladij uolunt? quos habere certe non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret. Mores uero maiorum ſemper habet in ore, cum & exempla recitat,& oſtendit quid antiqui illi Romani ſapientiſsimi uiri ſenſerint,dixerint, fecerint, neque eſt ulla pars iuris, quam non diligenter, cum opus fuerit, in orationibus tractet, ut pro A. Caecina, de Interdicto unde ui,quam multa quamq. ſubtiliter diſputat? pro L. Murena, quam facete de iure ciuili uerba facit? pro Cor. Balbo, quanta maieſtate de foederum iure differit?

CICERO

SI imprudenter,aut neceßitate,aut caſu quippiam fecerit,quod non concederetur iis, qui ſua ſponte,& uoluntate feciſſent,ad eius facti deprecationem ignoſcẽdi petenda uenia eſt,quae ſumetur ex pleriſq. locis aequitatis.

EXPLANATIO

QVAE de iure dicta ſunt hactenus, ad iuridicialem abſolutã pertinent. nunc aſſumptiuae partes breuiter abſoluit. nam,quando per ſe factum probari non poteſt, quod contra ius eſſe uideatur,tunc aſſumptis extrinſecus auxiliis conamur illud defendere. Tria uero ſunt, quae factum improbum excuſare poſſe uideantur, imprudentia, neceſsitas, caſus. Imprudentia,cum quis fatetur quidem ſe peccaſſe,ſed inſcienter, ut ſi quis in bello putans hoſtem ſe interficere,fratrẽ,aut amicum interficiat. ita Paullus,cum accuſaretur,quod parum modeſte Pontifici reſpondiſſet,ita ſe ab imprudentia defendit,neſciebam eſſe pontificem. Eodem modo ſi lex ſit,nequis Dianae uitulum immolet,& aliquis ignarus huius legis, ut Dianam honoret, ei uitulum immolet, poteſt imprudentiam excuſare. nam imprudentia eſt, (ut ait Cicero) cum ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negat. Cicero pro Roſcio Am. ſic excuſat Sullam ab imprudentia, quod non ſicarios puniret, uerum (ut ſit) multa ſaepe imprudentibus imperatoribus uis belli, ac turba molitur, dum is in aliis rebus erat occupatus, qui ſummam rerum adminiſtrabat, erant interea, qui ſuis uulneribus mederentur. Neceſsitate defenditur is, qui oſtendit ſe aliter facere non potuiſſe,ut Cicero pro Q. Ligario. Tertium eſt tempus,quo poſt aduentum Vari in Africa reſtitit, quod ſi eſt criminoſum,neceſsitatis crimen eſt,non uoluntatis, an ille ſi potuiſſet illinc ullo modo euadere, Vticae, potius, quam Romae,cum P. Actio, quam cum concordiſsimis fratribus, cum alienis eſſe,quam cum ſuis maluiſſet. Caſu defenditur, quod ſine ullo hominis conſilio,aut uoluntate accidit, ut ſi quis non uenerit ad diem conſtitutũ, & excuſet ſe, quod uel aegrotarit, uel aquis interclusus fuerit. & ſi quis uenator, feram petens, hominem interficiat. haec autem purgatio uocatur, cum reus uel imprudentiam, uel neceſsitatem, uel caſum excuſat; cum autem ſponte fatetur ſe peccaſſe & ueniam petit, deprecatio nominatur, quae tamen rariſsime uenit in iudicium. hac utitur Cicero pro Q. Ligario, quoniam apud imperatorem Caeſarem orationem habebat, non tamquam iudicem, ſed tamquam parentem. ſic enim ait: Sed ego ad parentem loquor, erraui, temere feci, paenitet, ad clementiam tuam confugio, delicti ueniam peto, ut ignoſcas oro.

CICERO

EXPOSITVM *eſt, ut potui, breuiſſime de omni controuerſiarum genere, niſi praeterea tu quid requiris. C. F. Illud equidem, quod iam unum reſtare uideo, quale ſit, cum diſceptatio uerſatur in ſcriptis. C. P. Recte intelligis. eo enim expoſito, munus promiſſi omne confecero.*

EXPLA-

EXPLANATIO

IAM omnes controuerſiae,ſeu conſtitutiones,quae rationales a quibuſdam uocantur, expoſitae ſunt,hoc eſt coniecturalis definitiua,& iuridicialis,quae ideo rationales dicuntur quod non ſcripto,ſed rationibus & argumentis confirmantur.nunc eas aggreditur.quae legitimae nominantur,quoniam ex aliquo genere ſcripti legitimo naſcuntur.has alij quinque faciunt,alii quattuor Cicero tres tantum hoc in loco numerat, ambiguum,ſcriptum & ſententiam,contrarias leges,alio loco adiunxit ratiocinationem & definitionem.Sed ratiocinatio non eſt ſcripti diſceptatio, cum ea colligat, quae nuſquam ſcripta ſunt, ut ipſemet Cicero teſtatur, quo fit,ut potius ad rationales controuerſias pertineat, ut etiam nomen ipſum indicat, definitio uero non eſt ipſius ſcripti, ſed rei de qua ſcriptum eſt. Itaque definitiua controuerſia non ad ſcriptum pertinet, ſed eſt conſtitutio per ſe rationalis. quocirca tres tantum ſunt ſcripti diſceptationes, de quibus hic tractat Cicero, ac primo de ambiguo.

CICERO

SVNT igitur ambigui duobus aduerſarijs praecepta communia.Vterque enim hanc ſignificationem,qua utetur ipſe,dignam ſcriptoris prudentia eſſe defendet.Vterque id,quod aduerſarius ex ambigue ſcripto intelligendum eſſe dicet,aut abſurdum,aut inutile,aut iniquum, aut turpe eſſe defendet,aut etiam,diſcrepare cum ceteris ſcriptis, uel aliorum,uel maxime,ſi poterit,eiuſdem.

EXPLANATIO

IN tractandis ambiguis ſcriptis omnia fere praecepta ſunt accuſatori,& defenſori communia, quoniam uterque ſuam interpretationem & ſententiam ita defendet,ut oſtendat, cum prudentia ſcriptoris maxime conuenire aduerſarii uero interpretationem dicet uterque abſurdam,inutilem,iniquam, turpem eſſe, aut non conſentire cum legibus,aut ſcriptis reliquis eiuſdem legislatoris aut ſcriptoris. Illud aduertendum eſt, ambiguum aut in uno uerbo eſſe,aut in pluribus,hoc eſt in copulatione uerborum. in uno uerbo hoc modo. Quidam ciuis ſeruum nomine Taurum habebat, eum moriens Seio legat his uerbis; Heres meus Seio Taurum dato.poſt mortem teſtatoris,heres non ſeruum,ſed bouem Seio ſe debere ait,quia Taurus bouem ſignificat;at Seius ſeruum non bouem ſibi legatum eſſe contendit.dicet igitur Seius dignum eſſe teſtatoris prudentia,ut Taurus pro ſeruo capiatur,abſurdum eſſe & iniquum,ut ſibi tam bene merito bouem legaret, Taurum proprio nomine appellaſſe, de quo nemo dubitaret. Stultum eſſe credere quemquam amico ſuo gratiſsimo bouem unum legare. In copulatione uerborum fit ambiguum hoc modo, Paterfamilias,cum filium heredem faceret,uaſorum argenteorum centum pondo uxori ſuae ſic legauit; Heres meus uxori meae uaſorum argenteorum pondo centum quae uolet dato,poſt mortem eius uaſa magnifica & pretioſe caelata petit a filio mater,ille ſe,quae ipſe uellet,debere dicit.hoc exemplum ponitur a Cicerone alio loco, ubi etiam docet quomodo tractari debeat, Lib. 2 de Inuen. Totum autem hoc genus ambiguorum pendet ab oratoris ingenio & interpretatione.nam,qui ſubtilius & ingenioſius ſcriptoris mentem interpretatus fuerit, is facile totam cauſſam obtinebit.

CICERO

QVAMQ. defendet ipſe, eam rem,& ſententiam quemuis prudentem,& iuſtum hominem, ſi integrum daretur, ſcripturum fuiſſe,ſed planius,eamq. ſententiam,quam ſignificari poſſe dicet,nihil habere aut captionis aut uitij,contrariam autem ſi probarit fore, ut multa uitia ſtulta,iniqua,contraria conſequantur.

EXPLANATIO

VTERQVE aduerſarius ita ſuam ſententiam,atque interpretationem confirmabit, ut dicat a quolibet prudente & iuſto homine probari poſſe,neque aliter quemquã ſapientem fuiſſe ſcripturum,quam ut ipſe interpretatur,cum nulla ſit captio,nullum uitium in eiuſmodi ſententia. Poſtea ſe conuertet ad ſententiam aduerſarii,& oſtendet eam eſſe uitioſam,ſtultam,iniquam,a ratione abhorrentem. hoc in omnibus fere auctoribus interpretandis faciunt interpretes,ut,cum aliquis locus ambiguus,& difficilis incidit, aliorum interpretum ſententiam improbent,tamquam ſtultam,& inanem,& a ſcriptoris mente alienam,ſuam autem laudent, & oſtendant cum ſcriptoris mente maxime conuenire hoc pro A.Caecina copioſe Cicero facit, cum interdicti uerba ſubtiliter interpretatur,& ingenioſe cauſſae ſuae accommodat.

CICERO

CICERO

CVM autem aliud ſcriptor ſenſiſſe uidetur, & aliud ſcripſiſſe, qui ſcripto nitetur, eum, re expoſita, recitatione uti oportebit, deinde inſtare aduerſario, iterare, renouare, interrogare, num aut ſcriptum neget, aut contra factum inſitietur. poſt iudicem ad uim ſcripti uocet, hac cõfirmatione uſus, amplificet rem lege laudãda, audaciamq. confutet eius, qui cum palam contra fecerit, idq. fateatur, adſit tamen, factumq. defendat.

EXPLANATIO

SECVNDA controuerſia, quae naſcitur ex ſcripto, illa eſt, cum ſcriptum ipſum uidetur cum ſententia ſcriptoris diſcrepare, ut ſi lex ſit huiuſmodi, Nocturno tempore portas urbis ne aperiunto, ſi quis aperuerit, ei capitale eſto. quodam in bello cum ab hoſtibus multi ciues opprimerentur, neque ullo modo poſſent effugere; portae cuſtos noctu portas aperuit, & ciues in opidum recepit, atque conſeruauit. Poſtea capitis accerſitur, accuſator ergo primo rem factam narrabit, deinde legem recitabit, tum inſtabit aduerſario, iterabit, renouabit, interrogabit, an legem eſſe ſciret? an contra illam factum neget? iudices ad ſcriptam legẽ uocabit, eamq. uehementer laudabit, deinde temeritatem & audaciam ejus inſectabitur, qui cum apertiſsime contra legem fecerit, eamq. uiolarit, tamen audeat in iudicium prodire, & factum ſuum defendere.

CICERO

DEINDE infirmet defenſionem, cum aduerſarius aliud uoluiſſe, aliud ſenſiſſe ſcriptorem, aliud ſcripſiſſe dicat, non eßе ferendum a quoquam potius latoris ſenſum, quam a lege explicari, cur ita ſcripſerit. Si ita non ſenſerit? cur, cum ea quae plane ſcripta ſint, neglexerit, quae numquam ſcripta ſint proferat? cur prudentiſsimos in ſcribendo uiros ſummae ſtultitiae putet eſſe damnandos; quid impedierit ſcriptorem, quo minus exciperet illud, quod aduerſarius tamquam ſi exceptum eßet, ita dicit ſe ſecutum?

EXPLANATIO

QVI ſcriptum contra ſententiam defendet, quinque potiſsimum rationibus aduerſarij defenſionem infirmabit. cum enim dicat aduerſarius aliud ſenſiſſe ſcriptorem, aliud dixiſſe, primo dicet hoc minime ferendum eſſe, ut quiſquam arbitrio ſuo ſenſum latoris interpretetur, cum ipſa lex eum aperte uerbis explicet, deinde quaeret ab aduerſario, quae cauſſa fuerit, ut lator ita ſcriberet, ſi in alia erat ſententia? Tertio ipſum urgebit aduerſarium petens ab eo, cur ea proferat, quae ſcripta nuſquam inueniuntur, cum aperte neglexerit & uiolarit ea, quae plane ſunt in lege ſcripta? Quarto petet, cur latores uiros ſapientiſsimos tamquam ſtultos damnare uelit, quod ea ſcripſerint, quae ſeruanda non ſint? poſtremo petet, quid impedimento fuerit ſcriptori legis, quominus adderet illam exceptionem, ſi putaſſet, addendam, quam aduerſarius ſe fuiſſe ſecutum ait; ut apud Thebanos lex erat, ut uetus imperator nouo imperatori ſuccedendi ſtatim exercitum traderet, Epaminundas Thebanorum imperator cum bellum contra Lacedaemonios gereret, & Thebani ſucceſſorem illi non ſatis rei bellicae perituinmiſiſſent, noluit exercitum illi tradere, ſicuti lex iubebat, ſed exercitu retento paucis diebus bene & feliciter remp. geſsit. poſtea accuſatur, quod contra legem fecerit. poterit igitur accuſator praedictos locos diligenter perſcrutari, atque ex illis argnmenta ducere, quibus Epaminundam eſſe condemnandum approbat. talis fuit cauſſa M. curii, de qua Cicero primo de Oratore, & in Bruto uerba facit, in ea Q Sceuola iuriſperitiſsimus ex ſcripto teſtamentorum iura defendebat, nolebatq. tantum id, quod ſcriptum eſſet obſeruari, non autem teſtatoris mentem interpretari. L. autem Craſſus contra id, quod erat ſcriptum, pro aequo & bono pugnabat. itaque fuit Craſſus in cauſſa ſuperior.

CICERO

VTETVR exemplis iJs, quibus idem ſcriptor, aut, ſi id non poterit, quibus aliJ, quod excipiendum putarint, exceperint: quaerenda etiam ratio eſt, ſi qua poterit inueniri, quare non ſit exceptum, aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia cauſſa obtemperandi, alia abrogandi, diſſentire aduerſariJ uocem, atque legis, deinde amplificandi cauſſa, de conſeruandis legibus, de periculo reirump. atque priuatarum cum aliJs tum in perorando maxime grauiter erit, uehementerq. dicendum.

EXPLANATIO

PLVRIMVM proderit accuſatori. ſi poterit exempla reperire, uel eiuſdem ſcriptoris, uel alterius probati uiri, in quibus exceptiones additae fuerint. nam deinde cauſſam explicabit, cũ in ea lege uel ſcripto, quod

quod defendet, nulla ſit addita exceptio. Lib. 2. de Inuen. Sic enim legem iniquã, aut inutilem futuram, ſi cuiq. pro arbitrio ſuo licuerit exceptionem quamcumque uoluerit adiungere. quam rem alibi copioſe Cicero perſequitur. Dicet etiam accuſator non eſſe ferendum, ut, ſi reus nolit obtemperare legi, conetur eam abrogare, & antiquare, quoniam alia cauſſa eſt obtemperandi, alia abrogandi, atque omnino ſententiam aduerſarij ab ipſa lege uel ſcripto diſcrepare. Locus communis accuſatoris erit, de conſeruandis legibus, & de periculo rerum publicarum & priuatarum, ſi cuique concedatur, ut leges interpretari poſsit, & a ſcripto recedat. quem locum pro A. Caecina Cicero copioſe tractat, ubi leges & ius ciuile conſeruandum eſſe docet. licet tamen interdum a legibus diſcedere, cum uel maior utilitas ſequitur, uel maiori aliqua poteſtate quiſpiam ab eis ſoluitur. unde Caeſar Auguſtus opera Virgilii potius conſeruare uoluit, quam teſtamento parere, ut leges uolunt. itaque clamat:

Frangatur potius legum ueneranda poteſtas,
Quam tot congeſtos noctesq. diesq. labores
Hauſerit una dies.

In peroratione, qui ſcriptam legem defendit, grauiter & uehementer de periculo dicet, quod rebus omnibus & publicis & priuatis imminet, quando leges non obſeruantur, & quando ab eo, quod ſcriptum eſt temere diſceditur. dicet etiam nihil differre non latas eſſe, & in nullo eſſe uſu, quod accidit, quando nõ coguntur omnes, uerbis legum obtemperare. de hac re multa tradit Ariſtoteles in Rhetoricis, lib. 1. in fine, & Quinctilianus libro ſeptimo, ubi ait magnam partem controuerſiae iuris hinc pendere.

CICERO

ILLE autem, qui ſe ſententia legis, uoluntateq. defendet, in conſilio, atque in mente ſcriptoris, non in uerbis, ac litteris uim legis poſitam eſſe defendet: quodq. nihil exceperit in lege, laudabit; ne diuerticula peccatis darentur. atque ut ex facto cuiusque, iudex legis mentem interpretaretur? Deinde erit utendum exemplis: in quibus omnis aequitas perturbetur; ſi uerbis legum, ac non ſententijs pareatur. Deinde genus eiuſmodi calliditatis, & calumniae retrahatur in odium iudicis, cum quadam inuidioſa querella.

EXPLANATIO

QVATVOR praecepta tradit illi, qui ſe ſententia legis, uoluntateq. defendet, contra ſcriptum. primum eſt, ut probet uim legis in conſilio atque mente ſcriptoris, non autem in uerbis ac litteris. quod copioſiſsime Cicero pro A. Caecina docet, ut eo in loco: Neque uero quidquam opus ſit uerbis, cum ea res, cuius cauſſa uerba quaeſita ſunt, intelligatur? quae lex, quod ſenatus conſultum, quod magiſtratuum edictum, quod foedus, aut pactio, quod (ut ad priuatas res redeam) teſtamentum, quae iudicia, aut ſtipulationes, aut pacti & conuenti formula non infirmari, aut conuelli poteſt, ſi ad uerba rem deflectere uelimus, conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem, & auctoritatem relinquamus, & quae ſequuntur. Sed uariis in locis in ea ſubtiliſsima oratione hoc diſputat, non eſſe tam uerba legis ſpectanda, quam ſententiam. Secũdum praeceptum eſt, ut ſcriptor laudetur, quod in lege ſua nihil exceperit, ſed aequaliter eam ad omnes pertinere uoluerit, ne diuerticula peccatis darentur, hoc eſt, ne peccantes aliqua ſe ratione poſſent excuſare; ut Liberi parentes alant, aut uinciantur, haec lex generaliter ad omnes liberos pertinet, & tamen infantes & ualde mendici excuſantur. quod ſi in lege illa exceptio fuiſſet, niſi ualde mendici fuerint, multi liberi, ne parentes alerent, mendicitatem excuſarent, nunc cum nulla ſit in lege exceptio, relinquitur iudici poteſtas, ut ex facto cuiuſque legis mentem interpretetur. Tertium praeceptum eſt, ut exemplis utamur, in quibus omnis aequitas perturbetur, ſi uerbis legum, ac non ſententiis pareatur. ut pro A. Caecina lex uſum & auctoritatem fundi iubet eſſe biennium, at utimur eodem iure in aedibus, quae in lege non appellantur. Si uia ſit immunita, iubet, qua uelit agere iumentum, poteſt hoc ex uerbis intelligi, licere ſi uia ſit in Bruttiis immunita, agere, ſi uelit, iumẽtum per M. Scauri Tuſculanum. actio eſt in actorem praeſentem his uerbis, Quandoquidem te in iure conſpicio, hac actione Appius ille Caecus uti non poſſet, ſi tam uere homines uerba conſectarentur, quam rem, cuius cauſſa uerba ſunt, non conſiderarent, teſtamento ſi recitatus eſſet heres pupillus Cornelius, isq. iam annos uiginti haberet, uobis interpretibus amitteret hereditatem, & reliqua. Quartum praeceptum eſt, ut aduerſarii calliditas, & calumnia, hoc eſt falſa interpretatio trahatur in odium iudicis, cum quadã inuidioſa querella, ut in eadem oratione pro A. Caecina, Is ne apud uos obtinebit cauſſam ſuam, qui ſe ita defenderit, Eieci ego te armatis hominibus, non deieci. ut tantum facinus non in aequitate defenſionis, ſed in una littera latuiſſe uideatur? huiuſce rei uos ſtatuetis nullam eſſe actionem? nulli experiundi ius conſtitutum? & cetera.

CICERO

ET ſi incidet imprudentiae cauſſa, quae non ad delictum, ſed ad caſum, neceſſitatem ue pertineat, quod genus paullo ante attigimus, erit iiſdem aequitatis ſententijs contra acerbitatem uerborum deprecandum.

EXPLA-

EXPLANATIO

FIERI facile poteſt, ut aliquis non conſulto, neque dedita opera, contra uerba legis peccet. tunc defenſo arripiet aequitatem, & contra uerborum acerbitatem diſputabit, ut lex eſt, Peregrinus ſi murum adſcenderit, capite plectatur. quidam peregrinus huius legis ignarus non alicuius maleficij cauſſa, ſed tantum uiſendi ſtudio murum adſcendit, & capitis arceſsitur. idem erit agendum, ſi uel caſu quis contra legem fecerit, aut neceſsitate coactus. nam (ut ait Cicero pro Milone) Silent leges inter arma, nec ſe exſpectari iubent, cum ei qui exſpectare uelit, ante iniuſta poena luenda ſit, quam iuſta repetenda. Interdum etiam obliuione, non malitia contra leges peccatur, ut Charondas Tyrius legem tulerat, Ne quis in concionem armatus intraret, alioqui ſtatim interficeretur. accidit autem, ut ipſe, aliquando rure rediens, accinctus gladio per obliuionem in concionem aduocatam intraret, &, cum a quodam adſtante ſuae legis admonitus fuiſſet, ſtatim ſeipſum interfecit, ut lex inuiolata permaneret. poterat tamen obliuionem & imprudentiam excuſare, ſi uoluiſſet, & legem ſuam mitius interpretari, non eſſe latam contra eos, qui per imprudentiam armati in concionem ingrediuntur, ſed contra eos, qui in concionem tenent arma, quo ſeditionem in populo concitent, ut quod ipſi uolunt, contra aliorum ſententiam obtineant.

CICERO

SIN ſcripta inter ſe diſſentient, tanta ſeries artis eſt, & ſic inter ſe ſunt pleraq. connexa, & apta, ut, quae paullo ante praecepta dedimus ambigui, quaeq. proxime ſententiae, & ſcripti, eadem ad hoc genus cauſſae transferantur

EXPLANATIO

HAEC controuerſia Graeco nomine uocatur Antinomia, cum duae leges inter ſe pugnare uidentur. itaque, cum ea lex, quae nobis contraria eſt, repugnat alicui legi probatae, facile poterimus eam eludere, & infirmare; uel etiam, ſi ſecum ipſa pugnat, ut ſi in una parte uetet, quod in alia permittat. exemplum autem ponit hoc Ariſtoteles, l. 1. Rhet. Lex eſt, quae iubet omnia rata eſſe, quae homines inter ſe pepigerunt; altera lex uetat pactiones contra leges fieri, quidam inter ſe pepigerunt, nocturno tempore conuenire, & ſacrificia peragere, & deo nuncupata uota perſoluere, neſcientes eſſe legem, quae omnia nocturna ſacrificia prohibeat, accuſantur quod nocturna ſacrificia contra legem fecerint, illi ſe defendunt lege, quae eſt de pactionibus, quae iubet rata eſſe pacta. accuſatores obijciunt legem, quae uetat pactiones fieri contra leges, & dicunt ea pacta non debere eſſe rata. haec controuerſia eſt ex contrarijs legibus. Quinctilianus ait, numquam eſſe legem legi contrariam iure ipſo, quia, ſi diuerſum ius eſſet, alterum altero abrogaretur: ſed eas caſu collidi, & euentu, ut ſi ſit lex, Tyrannicidae imago in gymnaſio ponatur; & item lex altera, Mulieris imago in gymnaſio ne ponatur, atque ita fiat, ut mulier tyrannum occidat. nam neque mulieris imago ullo alio caſu poni poteſt, nec tyrannicidae ullo alio caſu ſubmoueri. uidendum eſt igitur, utra lex potentior, utra antiquior, utra melior. Cicero hoc in loco docet, omnia fere praecepta, quae de ambiguo, & de ſcripto ac ſententia, ſupra iam tradita ſunt, etiam ad hãc controuerſiam pertinere, quoniam ea ſeries, & is ordo eſt praeceptorũ in hac arte, ut pleraq. ſint inter ſe connexa, & quodammodo copulata. Quare, qui bene cõtrouerſiam ambigui, & ſcripti ac ſentẽtiae tractare nouerit, etiam cum ſcripta inter ſe diſſentiunt, ſciet, quid cauſſae ſuae prodeſſe, quid obeſſe poſsit.

CICERO

NAM, quibus locis in ambiguo defendimus eam ſignificationem, quae nos adiuuat, eiſdem in contrarijs legibus noſtra lex defendenda eſt; deinde eſt efficiendum, ut alterius ſcripti ſententiam, alterius uerba defendamus. ita, quae modo de ſcripto ſententiaq. praecepta ſunt, eadem huc omnia transferamus.

EXPLANATIO

DOCET, quomodo ex praeceptis, quae de ambiguo, & de ſcripto ac ſententia tradita ſunt, haec controuerſia contrariorum ſcriptorum tractari poſsit. cum enim ambiguum poſsit duobus aut pluribus modis intelligi, nos eam ſignificationem, quae pro nobis facit, confirmare debemus, & oſtendere ueram atque iuſtam eſſe. ita cum duae leges ſunt contrariae, legem quae pro nobis eſt, & cauſſam noſtram adiuuat, defendere opus eſt, & ueram atque iuſtam eſſe oſtendere. Et quemadmodum aliquando ſcripti ſententiam, aliquando uerba defendimus, ita cum duo ſcripta ſunt contraria, defendemus eius uerba, quod pro nobis facit, & alterius ſententiam interpretabimur. ut ſi lex ſit huiuſmodi, Magiſtratus ab arce ne diſcedat, & altera huiuſmodi, Vir fortis optato, quae uolet. Quidam uir fortis, magiſtratum gerens, optat ab arce diſcedere, ut in ludis olympicis fortitudinis ſuae periculum faciat, & gloriam acquirat. Qui primam legem defendet, nullo modo concedendũ eſſe dicet, ut, etiam ſi fortis ſit uir, & uictoriam reportaturus, ab arce diſcedat eo tempore, quo magiſtratum

gerit,

gerit, quoniam hoc apertiſsime lex praecipit. Secundam uero legem ſic interpretabitur, ut dicat cōcedendum quidem eſſe uiro forti, ut optet, quae uult, ſicut lex iubet, modo tamen nequid contra leges optet, hanc autem optionem eſſe contra legem. An ſi uir fortis tyrannidem, aut mortem alicuius optet, id erit ei concedendum? minime uero, quoniam haec legibus contraria ſunt, & reip. pernicioſa. ita concludet, non eſſe concedendum il li, ut ab arce diſcedat, donec in magiſtratu fuerit.

CICERO

EXPOSITAE ſunt tibi omnes oratoriae partitiones, quae quidem e media illa noſtra Academia floruerunt, neque ſine ea aut intelligi, aut tractari poſſunt. Nam & partiri ipſum, & definire, & ambigui partitiones diuidere, & argumentorum locos noſſe, & argumentationem ipſam concludere, uidere quae ſumenda in argumentando ſunt, quidq. ex ijs, quae ſumpta ſunt, efficiatur, & uera a falſis, ueriſimilia ab incredibilibus dijudicare & diſtinguere, & aut male ſumpta, & male concluſa reprehendere, & eadem uel anguſte diſſerere, ut Dialectici, qui appellantur, uel, ut oratorem decet, late exprimere, illius exercitationis, & ſubtiliter diſputandi & copioſe dicendi artis eſt.

EXPLANATIO

HAEC eſt concluſio totius operis, in qua docet Cicero, ſine Philoſophiae cognitione bonum oratorem eſſe poſſe neminem. nam eloquentia, ſicuti docet Ariſtoteles l. 1. Rhet. ex Dialectica & ciuili ſcientia conflata eſt. itaque docet primo Cicero Dialecticam eſſe oratori neceſſariam, deinde etiam moralem Philoſophiam, atque ideo dicit has oratorias partitiones e media Academia floruiſſe, & ſine illa neque intelligi, neque tractari poſſe. Fuit enim accepta a Platone Philoſophandi ratio triplex, una de natura & rebus occultis, altera de uita & moribus, tertia de diſſerendi ratione. de prima nihil hoc in loco dicit Cicero, quoniam non eſt admodum oratori neceſſaria; ſecundam & tertiam amplectitur, ſiue quibus nulla poteſt eſſe dicendi facultas artificioſa ac primo Dialecticae partes & officia exſequitur, deinde etiam moralis Philoſophiae. Tria uero ſunt Dialecticae officia, partiri, definire, argumentari, quae ſunt etiam oratori neceſſaria, ſicuti initio docuimus. quemadmodum etiam ambigua diſtinguere, & noſſe locos argumentorum, qui traduntur in Topicis, & ea tenere, quae ad iudicandi ſcientiam pertinent, quae Graeco nomine dicitur Analytica. de qua in Prioribus & Poſterioribus tractat Ariſtoteles in qua formulae argumentandi traduntur, & docetur, quid ex ſumptis propoſitionibus efficiatur, & quomodo uera a falſis diſtinguantur. praeterea, quae ſit refellendi, ac reprehendendi ratio haec autem omnia duobus modis tractari poſſunt, uel anguſte, & contrarie, ut Dialectici ſolent; uel late, & copioſe, ut oratores.

CICERO

DE bonis uero rebus & malis, aequis iniquis, utilibus inutilibus, honeſtis turpibus, quam poteſt habere orator ſine illis maximarum rerum artibus facultatem, aut copiam?

EXPLANATIO

PHILOSOPHIAE pars ea, quae ad uitam, & mores attinet, omnino eſt oratori neceſſaria, ſine qua nihil eſt, quod de uirtutibus, ac uitiis copioſe, ſubtiliterq. diſſerere quiſpiam poſſit. ea cognitio longe magis uerborum copiam alit, quam omnia rhetorum praecepta. uerum eſt enim, quod ait Horatius:

Scribendi recte ſapere eſt principium, & fons,
Rem tibi Socraticae poterunt oſtendere chartae,
Verbaq. prouiſam rem non inuita ſequentur.

In oratore ad Brutum Cicero probat, ſine Philoſophia non poſſe effici quemquam eloquentem. quoniam omnis ubertas & ſilua dicendi a Philoſophia manat.

CICERO

QVARE haec tibi ſint, mi Cicero, quae expoſui, quaſi indicia fontium illorum, ad quos ſi nobis eiſdem ducibus, alijsue, perueneris, tum & haec ipſa melius, & multo maiora alia cognoſces. C. F. Ego uero, ac magno quidem ſtudio, mi pater. multisq. ex tuis praeclariſſimis muneribus nullum maius exſpecto.

EXPLA-

EXPLANATIO

EXTREMA parte operis filium adhortatur, ut ad Philoſophiae ſtudium ſe conferat; magnamq. utilitatem proponit. primo, ut multo melius rhetorica praecepta intelligat; deinde, ut longe plura, & excellentiora percipiat. quod ſe libentiſsime facturum filius reſpondet. Haec, (inquit) quae in hoc opere tractauimus, ſunt quaſi ſigna, & indicia illorum fontium Philoſophorum, unde omnes artes ingenuae deducuntur nam Philoſophia eſt parens & procreatrix liberalium omnium artium, ad quam patre duce, uel alio aliquo, ſi peruenire uolueris, poteris & haec, & alia multo maiora percipere. at contra filius ait, ſe Philoſophiae cupidiſsimum eſſe, neque a patre maius ullum munus exſpectare, quam ut ſibi Philoſophicos fontes aperiat.

FINIS.

INDEX
RERVM . ET . VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS,
Quae in hoc uolumine continentur.

A

AB ultimo principio. 82
Abalienatio quid. 180
Abſolutio partitionis quid. 40
Abſtergere aegritudinem. 230
Accipere,& ſubire iudicium. 393
Accurate. 64
Accuſantur Thebani apud Amphitryonas. 101
Accuſator ex remotione ſaepe criminationem conficit. 106
Accuſator uiam eius,qui arguitur,improbare debet. 88
Accuſator nonnumquam miſericordiam mouere debet. 354
Accuſator rerum ordinem perſequitur. 290
Accuſatoris oratio in conſtit.coniect. cum aliquid impulſione factum eſſe dicet. 85
Accuſatoris oratio in conſt. coniect. cum aliquid ratiocinatione commiſſum eſſe dicet. 85
Accuſatori propoſitum eſt,ut iudicē efficiat iratum. 290
Acerbitas iuſtitiam imitatur. 375
Actio eloquendi comes. 153
Actio cum orationis genere conſentire debet,eiuſque uim ac uarietatem ſubſequi. 316
Actio.-- ſitne actio illi,qui agit, hiſne uerbis ſit actio, 392
Actionis quaeſtio ſitne ſapientis ad remp.accedere. 230
Actio uarietate uocum & motu corporis & uultu orationem facit dilucidam & illuſtrem,&c. 315
Adigere arbitrum finibus regundis. pag. 197
Adiuncta rei. quid ante rem, quid cū re,quid poſt rem euenerit. 84
Adiunctum negotio. 51
Admirabile genus cauſſae quod. 29
Admonitus aeris alieni. 133
Adoleſcentia,flos aetatis. 189
Aduerſariorum prima cōtentio diffuſam habet quaeſtionem. 196
Aelius Iuriſconſultus. 150
Aequitas ad homines pertinens,iuſtitia. 230
Aequitas ad manes pertinens, ſanctitas. 230
Aequitas ad ſuperos deos pertinens, pietas. 230
Aequitas in iudiciali genere finis. 120
Aequitas paribus in rebus paria iura deſiderat. 170
Aequitas tripertita. 230
Aequitatis comparatio. 391
Aequitatis inſtitutio tripertita eſt. 230
Aequitatis uis duplex. 414
Aequitatis loci ad quaeſtionem de aequo & iniquo colliguntur. 230
Aequius melius, 220
Aeſchines Socraticus. 61
Affectio quid. 45
Affectionis ratio perſpicuam prae ſe ſolet gerere coniecturam. 88
Affinis alicuius eulpae. 114
Affinis animus nulli minus honeſtae rei. 88
Affinis uitijs. 88
Agere iniuriarum. 98
Alexander Pheraeorum tyrannus. 117
Altitudo animi in accipiendis incommodis. 369
Ambiguum diſcrepantia ſcripti & uoluntatis:ſcripta contraria. 231
Ambigui praecepta duobus aduerſarijs ſunt communia. 410
Ambigunt agnati. 112
Amicitia quid. 123
Amicitia propter quid ſit expetenda. pag. 123
Amicitia propter honeſtatem & utilitatem expetenda. 123
Amicitiae, caritate & amore cernuntur. 383
Amphitryones qui. 101
Amphion apud Euripidem. 76
Amplificatio quid ſit. 347
Amplificatio -- nihil in amplificatione nimis enucleandum eſt. 353
Amplificatio quem locum habeat. pag. 317.& 318
Amplificatio quibus uerbis conſtare debeat. 347
Amplificatio rerum. 351
Amplificationis proprius locus. 347
Amplitudo quid. 123
Amplus animus,& excelſus. 123
Anceps genus cauſſae. 29
Anfractu non longo circumſcripta oratio 309
Animale exemplum. 81
Animus defeſſus audiendo aut admiratione integratur, aut riſu renouatur. 32
Animus ſine fide ſtabilis eſſe amicis non poteſt. 57
Animi commoda. 44
Animi laus honeſta, uituperatio uehemens. 125
Animus-- quo animo quid quiſque faciat, non quo caſu utatur, ad rem pertinet. 86
Ante rem quae quaerantur. 203
Anteceſsio. 207
Antiopa,Epigoni Latini. 403
Apollonius rhetor. 79
Appoſiti loci ad praemii quaeſtionē. pag 110
Approbatio propoſitionis. 66
Aqua pluuia. 195
Aqua pluuia ultimo genere ea eſt, quae de caelo ueniens creſcit imbri. 195
Aquae pluuiae arcendae adigere arbitrum. 197
Aquillius collega Ciceronis. 189
Arbitrum rei uxoriae. 220
Arceſſere aliquem capitis. 107
Arceſsitur maieſtatis. 102
Argo nauis. 216
Argumentandi duo ſunt genera. 340
Argumentandi genus ad fidem directo ſpectans. 340
Argumentandi genus ad motum ſe inflectens. 351
Argumentatio quid. 54.& 339
Argumentatio uno nomine duas res ſignificat. 68
Argumentatio artis expers. 228
Argumentatio aliqua eſt, in qua aſsūptio nō indiget approbationis. 64
Argumētatio omnis aut per inductionem tractāda,aut per ratiocinationem. 61
Argumentatio,aut probabilis,aut neceſſaria debet eſſe. 55
Argumentatio ex fortuna interdum naſcitur. 88

a Argu-

INDEX.

Argumentatio ex genere. 197
Argumentatio, in qua complexio nō efficitur ex conceſsis, quomodo reprehendatur. 74
Argumentatio per ratiocinationem quadripertita cur commodius partita. 64
Argumentatio per ratiocinationē expoſita maxime ab Ariſtotele, & Peripateticis frequentata eſt. 64
Argumentatio quinquepertita. 64
Argumentatio tripertita. 64
Argumentatio quibus modis reprehēdatur. 69
Argumentatio quomodo uitioſa eſſe offendatur. 75
Argumentationis uitia. 73
Argumentàtionis uitia eius, in qua aliqua pars ad id, quod inſtitutū eſt, non accommodatur. 76
Argumentationes, ἄτεχνοι. 172
In ijs Argumentationibus, in quibus exitus perſpicuus eſt, uti conſecutione oportet. 68
Argumentationes -- in breuibus argumentationibus id ſolum, quod cōficitur, aut ex contrario complecti oportet. 68
Argumentationes, -- in longis argumentationibus, aut ex conductionibus propoſitionis, & aſſumptionis in unum, aut ex contrario complecti oportet. 68
Argumentum quid. 257
Argumentum, pars narrationis, quid. pag. 54
Argumentum propriae notae, quod numquam aliter fit. 329
Argumentum -- refert quomodo argumentum excogitatū tracterur. 68
Argumentum ratio rei dubiae faciens fidem. 138
Argumentum ab antecedentibus, con ſeq. repugug. 163
Argumentum ex comparatione. 170
Argumentum a coniugatis 152
Argumentum a conſequentibus. 165
Argumentum ex contrarijs. 160
Argumenta ex contrarijs. 201
Argumentum a differentia. 159
Argumentum a forma generis. 154
Argumentum a genere. 154
Argumentum ab effectis. 169
Argumentum ab efficientibus cauſſis. 168
Argumentum a maiore. 170
Argumentum a minore. 170
Argumentum a pari. 170
Argumentum a repugnantibus. 167
Argumentum a ſimilitudine. 158
Argumentorum genus, quod ex facti ueſtigijs ſumitur. 333
Argumentorum pars quaedam adiuncta eſt ei cauſſae ſolum, quae dicitur. 92
Argumentis peccata conuincūtur. 406
Aries in actionibus Iuriſconſultorum. pag. 218
Ariſtippus pecuniam in mare deiecit. pag. 124
Ariſtoteles ab ipſis philoſophis, praeter admodū paucos, ignoratur. 133
Ariſtoteles arti rhet. plurima adiumenta ſubminiſtrauit. 14
Ariſtoteles commodior ceteris explicator. 82
Ariſtoteles ſuauitate, & breuitate dicendi ceteris praeſtitit. 82
Ariſtoteles rationis inueniendi & iudicandi princeps. 135
Ariſtoteles, -- rebus, quae ab illo dictae, & inuentae ſunt, allici debuerunt philoſophi, ut illum cognoſcerent. 133
Ariſtotelis Topica pluribus libris explicata. 133
Ars oratoria uirtus. 370
Artis dicendi munera. 421
Aſsiduo uindicem aſsiduum dari. 148
Aſsiduus unde dictus. 133
Aſſumpta, arte tractanda. 343
Aſſumpta quae ſine arte tractantur, utrum aliquo loco artis indigeant. pag. 343
Aſſumptio quid. 66
Aſſumptio nō eſt perfecta ſine approbatione. 64
Aſſumptionis approbatio. 66
Attentio, & docilitas, quomodo comparentur. 322
Attente ut audiamur, trium rerum aliqua conſequemur. 322
Attenti quomodo fiant. 31
Attributa negotijs. 47
Auarus negligit iuſiurandum. 57
Auctoritas ſaepe ex oratorum, philoſophorum, poetarum dictis petitur. 229
Auctoritas tempore nata. 228
Auctoritatem aut natura, aut tempus affert. 228
Audacia fortitudinem imitatur. 375
Audacia temeritati, non prudentiae coniuncta. 406
Auditoris animus tribus ex cauſsis infeſtus eſſe poteſt. 32
Auditorum aures moderantur oratori prudenti & prouido. 294
Augendi proprius locus in perorando. 347
Auidum hominem ad has diſcēdi epulas recepi. 174
Auium uolatus atque cantus, teſtimonia ſunt diuina. 229
Auſcultator modo. 286

B

Beneficia ex ſua ui, ex tempore, ex animo eius, qui fecit, ex caſu conſiderantur. 110
Beneuolentia unde concilietur. 319
Beneuolentia quattuor ex locis comparatur. 31
Beneuolentia ab aduerſar. perſona. 31
Beneuolentia ab auditorum. perſona. pag. 31
Beneuolentia a noſtra perſona. 31
Beneuolentia ab ipſis rebus. 31
Bona aut animi, aut corporis, aut externa, in id genus adhibētur, in quo de expelendo, fugiendoq. quaeritur. 230
Bona innata & inſita anteponuntur aſſumptis, & aduenticijs. 224
Bonorum comparatio, a numero, ſpecie, ui, affectione ad res aliquas. 224
Bonorum & malorū tria genera. 365
Bonorum partim neceſſaria ſunt, ut uita, pudicitia, libertas, &c. partim nō neceſſaria. 382
Bonorum partitio. 382
Breuitatis imitatio multos decipit. 36

C

CAESAR contra Catonem. 231
C. Flaminius. 94
Calidius. 88
Calinenſes. 124
Caſilinum. 124
Campus oratorum latior, quam philoſophorum. 198
Caput accuſatori in conſtit. coniectur. demōſtrare poſſe, alij nemini cauſſam faciendi fuiſſe. 86
Capite deminuti. 185
Capite ſe deminuit. 161
Captio -- nihil habere aut captionis, aut uitij. 417
Caritas deorum, patriae, parentū. 351
Cato eloquens. 10
Cauſſa quid. 16
Cauſſa efficiens. 730
Cauſſa facti parum firmitudinis habet, niſi animus eius, qui inſimulatur, in ſuſpicionē adducatur, &c. 88
Cauſſa, id eſt quaeſtio definita, auditorum genere diſtinguitur. 286
Cauſſa in certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur. pag. 230
Cauſſa in quae diſtribuatur. 85
Cauſſa, ratio efficiendi. 401
Cauſſa ſine qua. 214
Cauſſa ſubſcripta patricidij. 97
Cauſſam accipere, eſt legē tollere. 115
Cauſſam extra ſcriptū accipi nō oportere, quo modo oſtendatur. 115
In omni Cauſſa quid ab actore & reo quaeri oporteat. 98
Cauſſae aliae quae ipſae conficiunt, aliae quae uim aliquā ad conficiendum habent. 387
Cauſſae communiter uidentur inſimulare & arguere omnes poſſe, quorum modo interfuerit aliquid. 404
Cauſſae ex aeternitate pendentes. 214
Cauſſae in iure ciuili poſitae. 393
Cauſſae, in quibus ineſt conſtantia: cauſſae in quibus non ineſt. 218
Cauſſae non conſtantes aliae perſpicuae, aliae latentes. 218
Cauſſae non neceſſariae. 218
Cauſſae oēs inter ſe genere primo, tum etiam forma diſsident. 109
Cauſſae praecurſionem quandā adhibentes. 214
Cauſſae, quae plures habent rationes in ſimplici conſtitutione. 99

Cauſſae,

INDEX.

Cauſſae, ſeu res efficientes. 214
Cauſſae, ſine quibus, & remotae. 216
Cauſſarum ſine quibus diuiſio. 214
Cauſſarum aliae uoluntate, aliae ſine uoluntate efficiunt. 217
Cauſſarum cognitio cognitionē euentorum facit. 223
Cauſſarum efficientium diuiſio. 214
Cauſſarum euentus, ideſt effecta de causſis. 280
Cauſſarum genera duo. 214
Cauſſarum genera ſunt plura. 387
Cauſſarum tria genera. 230
Cauſſarum unum genus eſt deliberationis, alterum iudicij, alterū exornationis, ſeu laudationis. 362
Ceſsio in iure. 180
Cibi ſatietas & faſtidium, aut ſubamara re leuatur, aut dubia mitigatur. 22
Ciuilis rationis pars eſt eloquentia artificioſa, quae rhetorica dicitur. 12
Ciuilis ſcientia eloquentia indiget. 13
Clementia quid. 122
Cognitionis quaeſtio. 230
Cognitionis quaeſtiones tripartitae ſunt. 230
Cognoſce--non parum cognoſce, ſed in parum cognito ſtulte & diu perſeueraſſe turpe eſt. 82
Collatio quid. 60
Collocandi ordines ſunt uarij. 288
Collocare ad inueuiendum refertur. pag. 153
Collocatio ad finem accommodanda eſt quaeſtionis. 285
Collocatio quae ſit ſeruanda in iudiciis, compoſitio, continnitas, numerus. 289
Commetiri cum tempore negotium. pag. 49
Commoda & incommoda data animo, aut corpori in perſonis conſiderantur. 43
Commode partiti ſunt, qui in quinque partes argumentationem partiti ſunt. 64
Commoditas in dicendo non eſt negligenda. 189
Commoditas praua uirtutis imitatrix. 8
Commune praeceptum ad enumerationem. 78
Communes quidam libri, qui ex cauſſae genere non ducuntur. 96
Communi honore in morte carere. pag. 79
Commutatio poenae. 97
Comparabile quid. 60
Comparabile quomodo infirmetur. pag. 71
Comparantur bona, aut mala numero, ſpecie, ui, &c. 224
Comparantur ea, quae aut maiora, aut minora, aut paria. 224
Comparatio parium. 224
Comparatio pars aſſumptiuae iuridicialis quid. 25
Comparatio pars iuridic. aſſumptiuae quid. 101
Comparatio pars aſſumptiuae iuridi. quomodo ſit infirmanda. 103
Comparationis locus. 224
Cōparationum duo genera ſunt. 230
Compaſtuus ager. 152
Complexio quid. 55. & 66
Complexio, quae, utrum conceſſeris, debet tollere, ſi uera eſt, numquam reprehenditur. 72
Complexio, quae utrum conceſſeris debet tollere, ſi falſa eſt, conuerſione, aut alterius partis infirmatione reprehendetur. 72
Complexionum genera. 68
Conceptio iudiciorum priuatorū. 97
Conceſsio quid. 25. & 106
Conceſsio in duas pastes diuiditur. 25
Conceſsionis partes duae, purgatio, & deprecatio. 106
Concitantur odia in, &c. 351
Concludendi modus primus. 207
Concludendi modus ſecundus. 212
Concludendi modus tertius. 212
Concluſio quid. 76
Concluſio ſimplex ex neceſſaria conſecutione. 54
Concluſio ſimplex quomodo reprehendatur. 42
Concluſio tres habet partes. 77
Conducere unum in locum. 82
Conducere in unum. 86
Cofirmatur res omnis aut ex eo, quod perſonis, aut ex eo, quod negotiis eſt attributum. 42
Confirmatio quid, 42
Confirmatio, & confutatio in cauſſa coniect. qualis eſſe debeat. 410
Conflictatio rerum contrariarum, & diſsimilium, & inter ſe pugnātium. pag. 28
Confligere aduerſarij ſcriptum cum ſcripto. 114
Conformatio inſignita, & impreſſa intelligentia. 178
Coniectura--in coniectura cum eſt in infitiando reus, accuſatori, ſeu petitori haec duo prima ſunt, cauſſa & euentus. 400
Coniectura--in coniectura nulla eſt rationum & firmamentorum contentio. 397
Coniectura, diuinatio eſt. 119
Coniectura omnis iiſdem ex locis ſumenda eſt. 92
Coniectura ex perſona, quomodo capiatur. 87
Coniectura unde capienda ſit. 84
Coniectura utilitatis. 401
Coniecturae loci. 329
Coniecturae ratio in quattuor partes diſtributa eſt. 230
In Coniecturis quae ſint conſideranda. 91
Coniugata. 150. & 152
Coniugatio, συζυγία. 195
Coniunctio uerborū--in coniunctione numeri quidam ſunt ſeruandi, pag. 303
Coniunctionum negantia. 212
Conqueſtio quid. 79
In Conqueſtione quid primum efficere oporteat. 79
Conſecutio, & quae ad eam pertinet. pag. 53
Conſecutio. 90. 207
Conſecutio in uerbis. 305
In Conſecratione quid quaeratur. 90
Conſequentia quaedam ſigna praeteriti, & quaſi impreſſa facti ueſtigia. pag. 404
Conſequentia quomodo diluantur a defenſore. 408
Conſilium quid. 46
Conſtituere actiones. 393
Conſtitutio quid. 19
Conſtitutio cauſſae coniuncta ex pluribus conſtitutionibus, quae. 27
Conſtitutio cauſſae coniuncta ex comparalione, quae. 27
Conſtitutio cauſſae ſimplex, quae. 27
Conſtitutio coniecturalis, quae. 19
Conſtitutionis coniecturalis exemplum. 84
Conſtitutio definitiua quae. 19. & 94
Exemplum Conſtitutionis definitiuae. 94
Conſtitutio generalis, quae. 19
Conſtitutio generalis, quae ſit. 98
Conſtitutio generalis duas habet partes. 24
Conſtitutio generalis, negotialis. 98
Conſtitutio iuridicialis. 100
Conſtitutio iuridicialis abſoluta. 100
Conſtitutio iuridicialis aſſumptiua, quae dicatur, 101
Conſtitut.onis iuridicialiſs aſſumptiuae partes quattuor. 101
Cōſtitutionis iuridicialis partes duae. pag. 205
Conſtitutio translatiua. 19. & 26. & 97
Conſtructio uerbbrum. 310
Conſuetudo uim naturae obtinet. 8
Conſuetudinis ius. 100
Contentio de conſtituendo iudicio. pag. 392
Contentio rationnm & firmamentorum adducit in anguſtum diſceptationem. 397
Continentia cauſſarum, quae referuntur ab accuſatore. 390
Continentia quid. 122
Continentia cum ipſo negotio, pagina 47
Continentia cum ipſo negotio, uidenda accuſatori, & defenſori in conſtit. coniect. 89
Contra ſcriptum qui dicit, quibus locis uti debeat. 116
Contrahitur oratio in uerbum, pagina 314
Contrarium quid. 52
Contraria negantia, ἀποφατικά. pagina 201
Contraria, quae aduerſa dicuntur. pag. 201
Contraria, quae cum aliquo conferuntur. 201
Contrariorum genera ſunt plura. pagina 201

INDEX.

Controuerſia. quicquid in controuerſia uerſatur, in eo aut ſitne, aut quid ſit, aut quale ſit, quaeritur. pag. 328
Controuerſia ex ambiguo. 111
Controuerſia facti in omnia tempora diſtribui poteſt. 19
Controuerſia ex ratiociuatione. 118
Controuerſia ſcripti, quae. 27
Controuerſia ex ſcripto, & ſententia. pag. 112
Controuerſia ex ſcripto, quomodo tractanda. 416
Controuerſia ex ſcripto legis, aut teſtamenti, &c. non incurrit in eas cauſſas, quae coniectura continentur, neque in definitionem. 399
Controuerſiae ſcripti genera quinque. 27
Controuerſia in ſcripto uerſatur quattuor modis. 111
Conttouerſia ex ui nominis. 120
Cōtrouerſiã in omni ſcripto tria ſunt, quae facere poſſunt. 231
Controuerſiae omnes de iure ciuili, aut de aequo & bono, cadunt in eã formam, in qua quale quid ſit, ambigitur. 394
Controuerſiarum, ſeu cauſſarum forma duplex eſt. 361
Contumelia cum iniuria iuncta. 78
Contumelia -- nemo eſt tam agreſtis, quem non, ſi minus ipſa honeſtas, at contumelia tamen, & dedecus magnopere moueat. 346
Conuenire in manu uiri. 168
Conuerſione quomodo reprehendatur complexio. 72
Corporis commoda. 64
Credibile quid. 59
Credibile --- quod pro credibili creditũ eſt, quibus modis infirmetur. 70
Criminatio accuſatoris acerrima, per quam perturbationem fore omniũ iudiciorum demonſtrat, ſi de indẽnato poenas ſumere liceat. 103
Criſpiſulcans igneum fulmen. 217
Critius Socraticis diſputationibus eruditus. 49
Crotoniatae. 81
Crotoniatae corporum uiribus multum omnibus antiſtiterunt. 81
Cultus deorum, parentum, excellentium ſapientia, aut opibus ad caritatem deferri ſolet. 383
Cum re quae quaerantur. 203
Cumulate ſatisfactum uoluntati tuae. pag. 231
Curiana cauſſa. 197
Curiatij fratres. 103

D

DAmni infecti promittere. 168
Debere tibi non potui diuitius. pag. 133
Decius ceperitne pecunias. 396
Declinationes ad amplificandum dantur in curſu ipſo orationis. 347
Deeſſe nolui ne tacitae quidem flagitationi tuae. 133
Defendere -- sẽper is, qui defendit, nõ ſolum reſiſtat oportet aliquo ſtatu, aut infitiando, aut definiendo, aut aequitate opponẽda, ſed etiam rationem ſubijciat recuſationis ſuae. 395
Defenſor quomodo cauſſas infirmare debeat. 407
Defenſor in conſtit. coniectur. uitam eius, qui inſimulabitur, quam honeſtiſsimam demonſtrare debebit. 49
Defenſor nonnumquam iracundiam mouere debet. 354
Defenſor. 105. & 107
Defenſor quomodo facultates infirmet. 407
Defenſoris oratio quae eſſe debeat in conſtit. coniectur. cum impulſione factum aliquid eſſe arguetur. 87
Defenſionis oratio quae debeat eſſe, cum ratiocinatione factum aliquid eſſe arguetur. 87
Definiendum ſaepe ex contrarijs. 335
Definitio quid. 79
Definitio aduerſarij in definitiua conſtitutione quomodo infirmanda. pag. 95
Definitio controuerſiam gignens. 120
Definitio diuiſionum formas omnes complectitur. 180
Definitio inuolutũ euoluit id, de quo quaeritur. 144
Definitio mala. 75
Definitio partitionum quid. 180
Definitio pro tranſlationem. 189
Definitionis modus quis. 185
Definitiones aliae partitionum, aliae diuiſionum. 180
Definitionis quae ratio, & quae uia. pag. 335
Definitiones conglobatae. 349
Definitionum duo ſunt genera. 178
Definitiua cauſſa. 230
Definitiua cauſſa quomodo tractanda. 410
Digredi de cauſſa niſi per locum communem diſplicet Ciceroni. 76
Digreſsio a cauſſa poſt reprehenſionẽ debet poni, ex ſententia Hermagorae. 76
Delectat quidquid eſt admirabile. 312
Delectationem ſibi proponet in exornatione orator. 286
Deliberandi finis utilitas. 230. & 367
Deliberatio tollitur, ſi quid effici non poteſt. 389
In Deliberationibus quid honeſtum, & quid utile, quaeritur. 83
in Deliberatiuo genere finis honeſtas, & utilitas. 120
Deliberationum honeſtum, & utile fines. 83
Deliberatiuum genus, quod. 14
Deliberari putent de ſua gloria. 110
In Demonſtrationibus quid honeſtũ ſit, quaeritur. 83
Demonſtrationum honeſtum finis. 83
Demõſtratiua cauſſa -- omnis demonſtratiua, & deliberatiua, & iudicialis cauſſa in aliquo ſtatu uerſetur, aut in pluribus. 83
In Demonſtratiuo genere finis honeſtas. 120
Demouere culpam ab aliquo. 83
Deprecatio quid. 25. & 107
Deprecatio uix in iudicio probari poteſt. 108
Deſcriptio, quam Graeci χαρακτῆρα uocant. 230
Deſcriptiones, & enumeratio conſequentium, & explicatio uocabuli. pag. 336
Deſpicientia in contemnendis honoribus gloriae laudiſq. ſtudium uidetur imitari. 374
Dialecticae munera. 421
Dianae ne quis uitulum immolaret, apud quoſdam lege ſancitum erat. pag. 108
Dicendi aſsiduitas aluit audaciam. 9
Dicendi copia utrum boni, an mali plus attulerit ciuitatibus. 3
Differentia, ſeu diſsimile. 200
Difficile factu. 123
Difficilia, & perdifficilia proinde habenda ſunt, ac ſi effici non poſsint. pag. 381
Dignitas quid. 123
Dilatatur oratio ex uerbo. 314
Diligentia omnis, minuta eſt. 355
Dilucida oratio quibus uerbis fiat. pag. 305
Diogenes Stoicus. 8
Diſceptatio quae ſit in ſtatu finitiuo. pag. 397
Diſceptatio quae oriatur in ſtatu iuridiciali. 398
Diſceptatio ex ſcripti contentione. pag. 399
Diſceptator. 286
Diſiunctio -- in diſiunctione plus uno uerum eſſe non poteſt. 212
Diſparatum quid. 52
Diſpoſitio quid. 17
Diſputandi prudentiam concertatio, captatioq. uerborum imitatur. 376
Diſputatio nulla eſt, in quam non locus aliquis incurrat. 229
Differendi ratio, & ſcientia, uictus. pag. 370
Diſſuadentibus aut utilitas labefactanda eſt, aut efficiendi difficultates efferendae. 389
Diſſuaſori docendum eſt alterum e duobus, uel fieri non poſſe, uel inutile eſse. 380
Diuerticula peccatis dare. 419
Diuiſio -- in diuiſione formae ſunt. 189
Diuiſio, & partitio quid inter ſe differant. 189
Dociles, quomodo fiant auditores. pag. 31
Doctrina dicendi tres in partes diſtributa eſt. 252
Dolus malus tum aliud agitur, aliud ſimulatur. 281
Domus, quae ratione regitur, omnib. rebus inſtructior eſt, quam quae temere. 64

Dubitanter

INDEX.

Dubitanter unumquidque dicere, 82
Duo,quae condiunt orationem : uerborum,numerorumq. iucunditas. pag. 395
Duritia immanis patientiam imitatur, 375

E

EADEM res alij genus,alij pars eſſe poteſt, 21
Eadem res eidem genus eſſe, & pars non poteſt. 21
Effecta alia ignorata, alia uoluntaria, pag, 218
Effecta a cauſsis. 223
Effectae res. 214
Efficiendi ratio. 388
Efficientia,ſeu cauſſae, 214
Effuſio liberalitatem imitatur, 374
Eloquendi genus,unum ſua ſponte fuſum ; alterum uerſum,atque mutatum, 294
Eloquens quis. 388
Eloquentiae origo & progreſſus. 8
Eloquentia homines ex feris,mites,& manſuetos reddidit. 6
Eloquentia inuiſa,& inuidioſa. 10
Eloquentia nihil eſt aliud;niſi copioſe loquens ſapientia, 370
Eloquentia ſine ſapientia nimium obeſt ciuitatibus. 4
Eloquentia ſine ſapientia pernicioſa. pag. 10
Eloquentia ut homines fidem,& iuſtitiam colerent, & communis commodi cauſſa etiam uitam amittere uellent,perfecit. 8
Eloquentiae principium ex honeſtiſs, cauſsis natum. 5
Eloquentiae utilitas. 10
Ἔννοια, motio. 189
Enthymemata, 212
Enumeratio quid, 56
Enumeratio nonnumquam laudatori,ſuaſori non ſaepe, accuſatori ſaepius,quam reo,neceſſaria. 354
Enumeratio pars concluſionis quid. pag. 77
Enumeratio pars cōcluſionis quomodo tractanda. 77
Enumeratio uitioſa,quae. 73
Enumerationis tempora duo. 354
Ἐπαγωγὴ inductio. 197
Epaminondas Thebanorum imperator. 63
Eriphyle uiri uitam auro uendidit. 76
Ἐτυμολογία, notatio, ueriloquium. pag. 193
Euentus quid. 53
Euentus eſt id, quod effectum eſt. pag. 400
Euentus,& ueſtigia facti proprie attingunt eos, qui arguuntur, 405
Euentus quando fallat. 86
Eurotas fluuius Lacedaem. 106
Exceptio,Extra quam ſi in reum captis praeiudicium fiat. 98
Exceptio,Extra quam ſi quis &c. 63
Exceptio, Extra quam ſi uelint fame perire. 124
Exceptiones poſtulantur in iure. 97
Exceptiones praetoriae. 97
Excipere iniquitatem actionis. 393
Ex euentu cogitatio ſpectanda non eſt. 86
Exemplum quid. 60
Exemplum,& rei ſimilitudo maximā fidem faciunt, 334
Exemplum argumentationis quadripartitae. 67
Exemplum argumentationis quinquepartitae. 66
Exemplum cōparationis partis iurid. aſſumptiuae. 101
Exemplum conceſsionis per neceſsitudinem. 107
Exemplum conſtitutionis coniecturalis. 84
Exemplum cōſtitutionis generalis negotialis. 98
Exemplum conſtitutionis iuridicialis abſolutae. 101
Exemplum deprecationis in iudicio. pag. 108
Exemplum purgationis. 106
Exemplum relationis criminis. 103
Exemplum remotionis cauſſae criminis. 105
Exemplum tranſlationis. 98
Exemplum conſtitutionis definitiuae. pag. 94
Exempla ficta ſimilitudinis habent uim. 197
Exempla neceſsitudinis,ſeu neceſsitatis. 123
Exempla ſumuntur ex loco ſimilitudinis. 197
Ex inſcientia laborare. 81
Exordium,quae debeat habere. 33
Exordium commune. 34
Exordium commutabile. 34
Exordium contra praecepta. 34
Exordium, in duas partes diuiditur. pag. 29
Exordium longum. 34
Exordium ſeparatum. 34
Exordium tranſlatum. 34
Exordium uulgare. 34
quali Exordio ſit utēdum in quoque genere cauſſae, 29
Exordiorum uitia,quae. 34
Exornatio, ſeu laudatio. In exornatione finis eſt delectatio. 286
Exornationis unum genus, quod ad laudandos uiros claros ſuſceperūt oratores. 361
Expetenda partim dignitate, partim fructu quae, 123
Expetuntur alia propter ſe, alia propter utilitatem,alia partim propter ſe,partim propter utilitatem. 121
Exſpectare — de quibuſdā rebus non eſt utile, quin mox iudicium fiat, exſpectare. 105
Exſultans laetitia. 230
Extra. 229
Extra ordinem acceptum iudicium. pag. 97
Extremum ſpiritum excipere. 79

F

FAbula quid. 34
Fabula,etſi ſit incredibilis, tamen homines commouet. 334
Facere fidē—ad faciendam fidem auctoritas quaeritur. 228
Facile factu quid. 123
Facti quaeſtio nihil ad iuriſcōſultum. pag. 203
Facta,& euentus conſilij ſunt, aut imprudentiae. 332
Factorum collatio triplex. 367
Facultates quid. 51
Facultates quomodo diluantur a defenſore. 408
Fama uulgi quoddam multitudinis teſtimonium. 229
Fatum ex cauſsis ab aeternitate pendētibus nectitur. 214
Fidentia quid. 122
Fides,in rebus creditis iuſtitia. 369
Fides firma opinio. 284
Fides quibus rebus fiat. 256
Fide fit perſuadendo. 231
Fidei faciendae ratio diuiditur in confirmationem, & reprehenſionem. pag. 328
Ex Fide bona. 220
Finis rhetoricae quis. 14
Finibus regundis adigere arbitrum. pag. 197
Firmamentum quid. 28
Firmamentum, quod ad labefactandam rei rationem ab accuſatore affertur. 395
Firmamenta defenſionis. 231
Flammam a ſapiente facilius in ore ardente opprimi,quam bona dicta teneat. 118
Forma quid. 189
Forma uirtutem maxime ſignificat. pag. 365
Formae,quae a Graecis ἰδέαι, ſpecies: pag. 189
Formarum coetus eſt numerus. 191
Fortitudo quid. 122
Fortitudo, uirtus, quae uenientibus malis obſtat. 369
Fortitudinis partes quattuor. 122
Fortuita tempora : ſacrificia, nuptiae, dies feſti. 332
Fortuitorum concurſio. 229
Fortuna — in fortuna quae ſpectētur. pag. 131
in Fortuna quid quaeratur. 45
Frequentatio conſequentium. 349
Fugienda propter ſe,quae. 122
Fundamentum conſtitutionis coniecturalis. 85

G

GEnitur filius. 112
Gentiles qui. 185
Genus quid. 40.& 52
Genera cauſſarum ſunt quinque. 29
in Geſtione negotij quid quaeratur: pag. 48
Gloria quid. 123

Gorgias

INDEX

Gorgias leontinus antiquiſſ. fere rhetor. pag. 14
Gracchi eloquentes. 10
Gratia quid. 99.& 121

H

HABITVS quid. 45
Habitus in perfecta animi, aut corporis abſolutione conſiſtit. 88
Haſtas miniſtrant oratoribus iuriſconſulti. pag. 220
Helena ſimulacrum a Zeuſi pictum. pag. 81
Hereditas quid. 185
Hermacreonti turpe non eſt portorium conducere. 53
Hermagoras tranſlatiuae conſtitutionis inuentor exiſtimatur. 26
Hermagoras reprehenditur, quod cõtrouerſiae generis quattuor partes ſuppoſuerit, deliberatiuam, demonſtratiuam, iuridicialem, negotialem. 20
Hermagoras reprehenditur. 14
Hermagorae opinio non probatur. pag. 76
Herous. 116
Hiſtoria quid. 34
Homines agreſtes & indocti anteponunt utilitatem honeſtati. 384
Homines bene inſtituti -- apud homines bene inſtitutos plurimũ de honeſtate dicendum. 386
Homines expoliti rebus omnibus dignitatem anteponunt. 384
Homines hac re maxime beſtijs praeſtant, quod loqui poſſunt. 11
Homines indocti -- apud indoctos fructus, emolumenta, uoluptates, uitationesq. dolorum proferantur. pag. 386
Homines primi diuinae religionis, iuris aequalis, legitimarum nuptiarum, & certorum liberorum ignari. 5
Homines primi in agris diſperſi oratione in unum locum compulſi. pag. 6
Homines quondam beſtiarum more in agris uagati ſunt. 5
Hominum duo ſunt genera. 384
Honeſta non tam expetunt homines, quam turpia deuitant. 385
Honeſtas -- genus hominum ad honeſtatem eſt natum, ſed male cultu, prauisq. opinionibus corruptum. 386
Honeſtas in demonſtr.gen. finis. 120
Honeſtas quaſi materies quaedã ſuaſori ſubiecta. 383
Honeſtum eſt, quod propter ſe expetitur ſiue totum, ſiue aliqua ex parte. 121
Honeſtum genus cauſſae, quod. 29
Horatius uictor. 103
Humile genus cauſſae. 29
Hypotheſis. 230

I

Ἰδέαι, ſpecies dicuntur a Latinis non peſsime, ſed inutiliter ad mutandos caſus in dicendo. al. docendo. pag. 189
Illuſtris oratio quomodo fiat. 308
Imago quid. 60
Immanitas in uoluptatibus aſpernandis temperantiam imitatur. 373
Impijs apud inferos poenae ſunt paratae. 57
Impulſio quid. 85
Incolumitas quid. 123
Incommoda multa conſecutura, ſi a ſcripto recedatur. 114
Incumbere in gladium. 120
Indignatio iuncta conqueſtioni inducenda a defenſore in conſtitut.coniecturali. 89
Indignatio quibus ex locis ſumi, aut tractari poſsit. 78
Inductio quid. 61
Inductio, ἐπαγωγή. 284
Inductionis extremum aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. 62
Inductio tripertita eſt. 62
Inductionis praecepta. 62
In Inductione quae ſint obſeruanda. pag. 62
Infeſtam prouinciam tenebant excurſionibus, & latrocinijs. 110
Infitialis cauſſa, ſeu coniecturalis. 230
Infirmatione alterius partis quomodo reprehendatur complexio. 72
Infixa rebus ipſis quae. 264
In laudando & uituperando quid maxime uidendum. 125
In loco opportunitas conſideradã eſt ab accuſ.in conſtit.coniectur. 90
Iniuſſu populi. 63
Ex Inſcientia laborare. 81
Inſinuatio quid. 30
Inſinuatione quando utendum. 32
Integra contaminatis potiora. 224
Intelligenter ut audiamur, & attente, unde ordiendum ſit. 322
Intelligentia quid. 121
Inter -- ut inter bonos bene agier. pag. 2
Inueniendi artem, quae topice dicitur, Stoici reliquerunt. 136
Inuenire proprie in rebus; eloqui in uerbis. 153
Inuentio quid. 17
Inuentio in eo poſita eſt, ut orator quaerat quomodo fidem faciat, & motum afferat animis. 256
Inuentio omnium artis rhet. partium princeps. 29
Inuidia -- in inuidiam quomodo adducantur aduerſarij. 31
Iſocrates magnus & nobilis rhetor. pag. 82
Iudex duabus de cauſsis dubitare debet. 114
Iudicatio quid. 28
Iudicatum quid. 59. & 100. & 122
Iudicatum approbatum quid. 59
Iudicatum commune quid. 59
Iudicatum quibus ex locis confirmetur, & infirmetur. 72
Iudicatum religioſum quid. 59
Iudicatum ſolitarium. 72
Iudiciale. -- quidquid de homine probando, aut improbando dicitur, iudiciale eſt, etiamſi agatur in ſenatu. pag. 109
Iudiciale genus, quid. 14
Iudicialis generis finis aequitas. 391
In iudiciali genere finis aequitas. 120
Iudicium. -- in iudicio aut ſaeuitia iudicis, aut dementia propoſita eſt oratori. 286
Iudicium purum poſtulare. 98
Iudicium recuperatorium. 98
Iudicia, in quibus ex fide bona eſt additum. 200
Iudicia priuata maximarum rerum in iuriſconſultorum ſunt prudentia. 220
Iudiciorum, aequum finis. 83
In Iudicijs quid aequum ſit, quaeritur. 83
Iunionis templum Crotone. 79
Iurare in certa uerba. 115
Ius ciuile quid. 144
Ius ciuile, quod in legibus, ſenatuſc. rebus iudicatis, iuriſperitorum auctoritate, &c. conſiſtit. 180
Ius conſuetudine quid. 122
Ius conſuetudinis. 100
Ius diuinum, & humanum. 413
Ius lege quid. 122
Ius natura quid. 121
Ius naturae quid. 99
Ius ſcriptum aliud priuatum, aliud publicum. 414
Iuris initium a natura ductum. 99
Iuris partitio. 13
Iura quaedã, ex utilitatis ratione aut perſpicua nobis, aut obſcura in cõſuetudine uenerunt. 99
Iuridicialis cauſſa quae dicatur. 109
Iuridicialis cauſſa. 239
Iuridialis cauſſae tractatio. 413
Iuridicialis conſtitutio. 100
Iuridicialis conſtitutio quid. 25
Iuridicialis abſoluta quae. 25
Iuridicialis abſolutae partes quattuor pag. 25
Iuridicialis abſoluta iuris, & iniuriae quaeſtionem continet. 25
Iuridicialis aſſumptiua quae. 25
Iuridicialis conſtitutio in duas partes diſtribuitur. 24
Iuſtitia quid. 121
Iuſtitia uirtus in communione poſita. pag. 363
Iuſtitiae initium a natura profectum eſt. 121

K

ΚΡΙΝΟΜΕΝΟΝ, qua de re agitur. 231

Lacryma

INDEX.

L

LACRYMA cito areſcit, praeſertim in alienis malis. 368
Lacryma nihil citius areſcit. 29
Laelius eloquens. 16
Laquei interrogationum. 117
Laudabilia, quae cum uirtute coniuncta ſunt. 362
Laudandi, ac uituperandi rationes nō ſolum ad bene dicēdum, ſed etiam ad honeſte uiuendum ualent. 362
Laudatio. --- in laudationibus omnia fere referuntur ad uoluptatem auditoris. 363
Laudationis finis honeſtas. 230.355
Laudationes, --- in laudationibus utendum eſt uerborum inſignibus, quae plurimum habeant ſuauitatis. 363
Laudes, & uituperationes unde ducātur. 128
Legitimae diſceptationes. 231
Lex Caepionis iudiciaria. 74
Lex nulla lex eſt niſi reip. cauſſa lata. pag. 67
Lex, quae uetat, corrigere uidetur eā, quae iubet. 118
Lex ſcripta. lex non ſcripta. 414
Legis ſcriptor nullum certius ſuae uoluntatis teſtimoniū relinquere potuit, quam ſcriptum. 67
Leges nobis carae ſunt, non propter litteras, ſed propter earum rerum, de quibus in eis ſcriptum eſt, utilitatem. 116
Leges omnes ad commodum reip. referri oportet. 66
Leges omnes ad reip. utilitatem referre. 66
Leges quaedam cum exceptionib. ſcriptae. 115
Leges quomodo contendendae ſint inter ſe in controuerſia ex contr. legibus. 369
Liberalitas in uſu pecuniae. 369
Liber fit cenſu, uindicta, teſtamento. pag. 145
Litterae, tenues & obſcurae notae uoluntatis. 116
Litus quid. 180
Litora omnia, publica. 189
Locuples eſt, aſsiduus, appellatus ab aſſe dando. 150
Locus ad augendum: non eſt exſpectandum, dum reus fateatur. 406
Locus, argumenti ſedes. 138
Locus --- in loco opportunitas conſideranda eſt ab accuſatore in conſtitutione coniecturali. 90
Locus a contrario. 201
Locus ab adiunctis magis ad cōiecturales cauſſas ualet. 203
Locus ab antecedentibus, conſequentibus, repugnantibus. 204
Locus comparationis. 224
Locus quomodo conſideretur in iis, quae in geſtione negotij ſpectantur. 48
Locus communis, aut certae rei continet amplificationem, aut dubiae. pag. 92
Locus communis ab eo, qui tranſlatione utetur. 98
Locus communis contra eū, qui tranſlationem inducet. 98
Locus communis certus accuſatoris in conſtit. coniecturali. 93
Locus primus accuſatoris in conſt. definitiua. 93
Locus communis accuſatoris in conſtit. definitiua. 95
Locus communis accuſatoris in cauſſa definitiua, non eſſe concedendū, ut is, qui de re confiteatur, uerbi ſe interpretatione defendat. 413
Locus communis accuſatoris in remotione criminis. 105
Locus communis certus defenſoris in conſtit. coniect. 93
Locus communis primus defenſoris in conſtit. definitiua. 96
Locus communis defenſoris in remotione criminis. 105
Loco earum rerum, quae abſcondita ſunt, demonſtrato, facilis inuentio eſt. 138
Loci ab eo, qui ſcriptum defendat. 114
Loci aequitatis. 391
Loci aequitatis ad quaeſtionem de aequo, & iniquo colliguntur. 230
Loci alij ad alias quaeſtiones aptiores. 230
Loci ab Ariſtotele appellati ſunt eae ſedes, e quibus argumenta promūtur. 138
Loci qui uocentur. 256
Loci communes. 92
Loci communes a ratiocinatione. 119
Loci communes accuſatoris in eum, qui cum facto aliquo confiteatur, quaerat tamen defenſionem. 103
Loci communes defenſoris in conſtit. iurid. aſſumpt. comparatiua. 103
Loci communes accuſatoris, & defenſoris in conceſsione. 103
Loci communes contra ratiocinationem. 119
Loci communes in conſtitutione iuridiciali abſoluta qui inducendi. 101
Loci communes in cōtrouerſia ex ratiocinatione. 119
Loci communes in eum, qui praemiū pecuniarum petat. 110
Loci communes, per quos fortunae uis in omnes, & hominum infirmitas oſtenditur. 79
Loci communes pro ſcripto, & contra ſcriptum. 116
Loci communes qui in coniecturalem conſtitutionē incidere ſoleant. pag. 93
Loci conſequētes, antecedentes, repugnantes, adiunctis etiam iis, qui ſumuntur ex cauſsis & effectis, conueniunt in quaeſtionem, de eodem & alio. 230
Loci ex quibus tractatur indignatio, unde ſumantur. 78
Loci maritimi, a mari remoti: plani, montoſi: leues, aſperi: ſalubres, peſtilentes: opaci, aprici, &c. 131
Loci miſericordiae. 79
Loci communes, quibus miſericordiā captare, oporteat eum, qui deprecetur. 108
Loci --- non omnes loci in omnem cauſſam conueniunt. 84
Loci omnes ſunt omnium diſputationum ad argumenta ſuppeditanda. pag. 197
Loci quaeſtionibus alij aliis aptiores. pag. 230
Loci qui aſſumuntur extrinſecus. 227
Locorum communium duo genera. pag. 100
Locorum diuiſio. 165
Locos noſſe debet qui argumentum aliquod peruestigare uelit. 138
Locis communibus raro inducendis diſtinguitur, atque illuſtratur oratio. 92
Loci --- quibus ex locis aliqua res cōfirmari poteſt, iiſdem ex locis poteſt infirmari. 69
Loquentes res inducere per enumerationem. 77

M

MAGNA alia uidentur natura, alia uſu. 351
Magnificentia quid. 122
Magnitudo animi. 369
Magnum --- permagnum pro neceſſario ſaepe habetur. 370
Maieſtas quid. 397
Maiorem partem ſemper locis uti. pag. 114
Maleficium ſine cauſſa non ſuſcipitur. pag. 56
Malitia ingenio freta urbes peruertit. pag. 8
Malitia prudentiam imitatur. 373
Mancini cauſſa. 193
Mancipio dare. 231
Mancipio dare --- quod mancipio dari non poteſt. 197
Materfam. quae in manum uiri conuenit. 155
Materia artis rhetor quae ſit. 14
Medicina. --- ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis utilitatem ſpectet. 66
Memoria quid. 121
Memoria gemina eſt litteratura. 316
Memoria omnium rerum cuſtos. 153
Memoriae confectio tamquam cera, locis utitur. 316
Memoriae tradere. 81
Memoriam redintegrare. 77
Minuere maieſtatem. 114
Minuere maieſtatem quid. 95.96
Miſer ex beato, miſerabiliſsimum. 352
Miſereri eorum oportet, qui propter fortunam, non qui propter malitiā in miſeriis ſunt. 109
Modeſtia quid. 122
Modus quid. 50
Modi cōcludendi ex diſiūctionib. 212

Modi

Modi partes duae. 50
Mollitia animi, & lẽtitudo lenitatem imitatur. 375
Mora,& ſuſtentatio. 118
Mors eorum,qui laudabuntur, ſilẽtio praeteriri non debet. 379
Mortalium pars hominum,pars in beſtiarum genere numeratur. 43
Mortuus antequam in ſuam tutelam ueniret. 98
Motus animi eſt incitatio aut ad uoluptatem,aut ad moleſtiam. 284
Motus animorum ſpectant ad cauſsã facti. 402
Mouere ſuſpicionem facti. 204
Mulier. ---quod mulieri debeas,recte ipſi ſine tutore auctore ſoluas. 200
Mundi natura conſilio adminiſtratur. pag. 64
Munerari. 81
Muta loquentur in amplificationibus. pag. 349

N

NARRANDVM dilucide,probabiliter,ſuauiter,breuiter. 324
Narratio quid. 324
Narratio alia, quam cauſſa poſtulat. pag. 38
Narratio geſti negotij ab accuſatore, & defenſore diligenter pertractanda. 91
Narratio in cauſſa coniect. qualis eſſe debeat. 409
Narratio quo loco poſita. 38
Narratio praeteritarum rerum eſt,aut praeſentium. 289
Narratio, quae cauſſae expoſitionem continet,tres debet res habere. 35
Narratio,quae in perſonis uerſatur,debet habere feſtiuitatem uarietatis plenam. 34
Narratio quando non interponatur. pag. 38
Narratio quomodo breuis ſit. 36
Narratio quando nihil proſit. 38
Narratio quando obſit. 38
Narratio quomodo fiat probabilis. pag. 40.& 325
Narratio quomodo fiat ſuauis. 327
Narratio quomodo ſit aperta. 37
Narrationes aut amputandae, quae laedunt, aut relinquendae, ſi totae ſunt moleſtae. 291
Narratione non eſt opus in deliberatione. 289
In Narratione quid obſeruandum, & conſiderandum. 37
Narrationes breues, euidentes, credibiles,moratae,cum dignitate. 231
Narrationum tria genera. 34
Naturae auctoritas in uirtute ineſt maxime. 228
Naturae ius partes habet duas, tuitionem ſui,& ulciſcendi ius. 230
Naturae partes in iis, quae perſonis attributa. 43
Naturam definire difficile eſt. 43
Nauis optime curſum ſuum conficit ea, quae ſcientiſsimo gubernatore utitur. 64
Neceſſaria quomodo reprehendãtur. pag. 72
Neceſſe id eſt,ſine quo ſalui, liberi ue eſſe non poſſumus. 380
Neceſsitas,ſeu neceſsitudo quid. 123
Neceſsitas cum a corporibus, tum ab animis. 229
Neceſsitas facit fidem. 229
Neceſsitas ſumma honeſtatis, proxima incolumitatis,tertia, ac leuiſsima commoditatis. 124
Neceſsitudo cum adiunctione,aut ad honeſtatem pertinet, aut ad incolumitatem,aut ad utilitatem. 124
Neceſsitudo honeſtatis ſumma eſt. pag. 124
Neceſsitudo utilitatis leuiſsima. 124
Neceſsitudinis quaedam cum adiunctione,quaedam ſimplices. 124
Negantia coniunctionum. 212
Negantia contraria aientibus. 201
Negotialis conſtitutio quae. 25
Negotio adiunctum. 90
Negotij geſtio pertractanda accuſatori,& defenſ.in conſtit. coniectur. pag. 89
Nemo eius,quod negat factum, rationem aut poteſt,aut debet, aut ſolet reddere. 396
Nemo poteſt uno adſpectu,neq. praeteriens in amorem incidere. 70
Nexus. 180
Nihil attinet. 110
Nihil dicere. 64
Nihil eſt ſimplici in genere omni ex parte perfectum. 81
Nihil indignius,quam eum,qui culpa non careat, ſupplicio non carere. pag. 107
Nihil tam miſerabile, quam ex beato miſer. 368
Nodus. ---aptus quaſi uerborum modus. 364
Nomen. --- cum intelligitur quod ſignificetur, minus laborandum eſt de nomine. 193
Nomen perſonae quid. 43
Nomina,qnae in nominibus ſunt. 159
Non ut quidque dicendum primum, ita primum animaduertendum uidetur. 29
Norbanus minuerit ne maieſtatem. pag. 396
Nota σύμβολον. 193
Notatio quid. 148
Notatio cum ex ui nominis argumentũ dicitur, quam ἐτυμολογίαν Graeci uocant. 193
Notio quid. 189
Notio quomodo quaeratur. 230
nulla lex eſt,niſi reip.cauſſa ſcripta. 67
Numeros aures ipſae metiuntur. 303
Nuncium remittere. 165

O

OBSCVRA oratio, quomodo fiat. 306
Obſcurum genus cauſſae quod. 29
Oſeruatio quid. 99.121
Occaſio quid. 50
Occaſio a tempore differt. 50
Occaſio in tria genera diuiditur. 50
Odium.---in odium quomodo adducantur aduerſarij. 31
Odium ſuſceptum. 108
Offendere in arrogantiam. 81
Officium --- inter officium,& finem, quid interſit. 14
Officium rhetorice quod. 14
Omne nomen ex aliquibus, non ex omnibus litteris ſcribitur. 84
Omne probabile, aut ſignum eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. 58
Omnia ornamenta elocutionis in cõmunes locos conferuntur. 92
Omnis res controuerſa habet aut nominis, aut generis, aut actionis quaeſtionem. 18
Opimius iure ne Gracchum occiderit. 396
Opinio dupliciter fallit homines. 86
Opinio uulgi mutari uix poteſt. 229
Oracula unde dicta. 229
Oratio conuerſa,atque mutata. 313
Oratio in genere deliberatiuo tota debet eſſe ſimplex,& grauis,& ſententiis ornatior,quam uerbis. 392
Oratio iram reſtinguens. 230
Oratio non ad ueritatem ſolum, ſed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodanda eſt. 384
Oratio quaſi naturalis, & non explanata,& grãdibus referta uerbis, ad augendum accommodatior eſt. pag. 349
Orationis duae partes ad motum animi ualent,duae ad fidem faciendã. pag. 317
Orationis quot ſint partes. 254
Orationis quattuor partes. 317
Orationis partes ſex. 29
Orator de bonis rebus & malis, aequis,iniquis, &c. diſputare non poteſt ſine philoſophia. 421
Oratoris uis eſt in rebus, & uerbis. pag. 153
Oratori minimum eſt de arte loqui, multo maxime de arte dicere. 16
Oratoribus, & poetis conceſſum eſt uti fictis exemplis:& ita muta facere loquentia, & mortuos ab inferis excitare. 197
Oreſtes matricidij accuſatus. 28
Ornamenta uerborum, & ſententiarum, σχήματα. 191
Ortus, & obitus ſignorum definitum ordinem ſeruant. 64

P

PACTVM quid. 100.122
Palamedes proditionis accuſatus. pag. 229
Par quid. 122
Paries directus. 168
Paries fornicatus. 168

INDEX

Pars generis quid. 40
Pars, quae ſubeſt generi. 53
Partes artis rhetoricae quinque. 17
Partium diſtributio ſaepe eſt infinitior. 191
Partium enumeratio. 145
Partitio membra continet. 189
Partitio altera eſt, in qua earum rerũ, de quibus dicturi ſumus, expoſitio breuiter ponitur. 39
Partitio altera eſt, quae quid cum aduerſarijs conueniat, quid non, oſtẽdit. 39
Partitio recte facta, illuſtrem totam efficit orationem. 38
Partitio quae inducenda ab eo, qui pro ſcripto dicat. 115
Partitio rerum diſtributam expoſitionem continens, tria debet habere, breuitatem, abſolutionem, paucitatem. 40
Partitionis duae ſunt partes. 39
Partitionis utroque genere quomodo uti conueniat. 39
Partitione ſic utendum, nullam ut partẽ relinquas, ſi partes ſint paucae. 193
Patere in tabulis. 160
Patientia quid. 122
Patientia uirtus quae mala ea, quae iam adſunt, tolerat. 369
Paucitas in partitione, quid. 40
Paucitas in partitione quomodo ſeruetur. 40
Pauſanias Lacedaemonius ab ſeipſo indicatus. 229
Peccata peccatis, iniurias iniurijs ulciſci. 104
Penetrare ad ſenſum, opinionemq. iudicis. 410
Periclis eloquentia. 122
Peroratio cum alia, tum amplificationem habet maxime. 231
Peroratio diuiſa eſt in duas partes. pag. 347
Peroratio in cauſſa cõiecturali qualis eſſe debeat. 410
Perrumpere periculum. 403
Perſeuerantia quid. 122
Perſona non qualiſcumque teſtimonij pondus habet. 228
Perſonae, in quas ſiquid crudeliter factum ſit, indignatio excitata ſummum in eam, qui fecerit, odium commouet. 78
Perſonis quae ſint attributa. 42
Pertinacia, & perſeuerantia idem ne ſint. 230
Perturbationes animi ſunt illae quidẽ uoluntariae, ſed, ita ut in orationem & imprudentiam cadant. 218
Petere. --- ſero petiſti: non a me petere debuiſti. 393
Philoſophiã multi nihil prodeſſe, plerique etiam obeſſe arbitrantur. 64
Pietas quid. 99.121
Pietas, iuſtitia erga parentes. 369
Plato in oratoribus irridendis ſummis orator. 118
Plures diſſimilibus de cauſſis unius pecuniae heredes eſſe non poſſunt. pag. 99
Plus petiſti: ſero petiſti: non fuit tua petitio. 393
Pollere ſcientia. 367
Porcam ſuſtinuit adoleſcens in foedere quodam. 105
Portenta -- in terra multarum rerum portenta. 229
Poſſesſio ſecundum tabulas. 161
Poſt rem, quae quaerantur. 203
Poſtliminij uis quaeritur, & uerbum notatur. 193
Poſtliminio quae res redeant. 193
Poſtliminio rediſſe. 193
Poteſtas exemplorum eligendi. 82
Praecepta de inductione. 62
Praeiudicium fieri alicuius maleficij. pag. 98
Praemium pecuniarium. 110
Praemij ratio in partes quattuor eſt diſtributa. 110
Praemio uirtutis peruulgato minus cupidi uirtutis ſunt homines. 110
Praemia uirtutis & officia ſancta, & caſta eſſe oportere. 111
Praeſcriptum certum, quando incolumitatis, quando honeſtatis ratio ſit habenda. 124
Praeſenſio per exta, inuenta. 229
Praepoſitio, in, priuat. 201
Praetorijs exceptionibus multae excluduntur actiones. 97
Praeuaricatoris nomen contrarium eſt uero accuſatori. 412
Praeuaricatoris notio. 412
Praeuaricatio quid. 411
Prima quaeque pars ut in partitione poſita eſt, ita in omni dictione prima debet tranſigi. 41
Principium quid. 30
Principia. in principijs, ut beneuoli, utdociles, ut attẽti ſint qui audiũt, efficiendum eſt proprijs locis. 231
Principia quamobrem adhibeantur. pag. 319
Principia ducuntur, aut ex perſona, aut ex rebus ipſis. 319
Principia in cauſſis coniectur. qualia eſſe debeant. 409
Principia in deliberatione qualia. pag. 289
Principia in ſententijs dicẽdis breuia eſſe debent. 391
Principia reo ſumenda ſunt ad beneuolentiam conciliandam. 291
Probabile quid. 56
Probabile-omne probabile aut ſignũ eſt, aut credibile, aut iudicatum, aut comparabile. 58
Probabile genus orationis quomodo fiat. 307
Profluentia quaedam uerborum inanis cum oratoriam imitatur. 376
Πρόληψιν. Notionem appello, quam Graeci, tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. 189
Pronunciatio quid. 17
Propagare ſibi uitam uictu ferino. 5
Propoſitum actionis aliud ad orationem officii pertinet: aliud ad ſedãdos animos, & oratione ſanandos. pag. 360
Propoſitum pars cauſſae eſt. 230.355
Propoſiti actionis duo genera. 357
Propoſiti cognitionis genera tria. 356
Propoſiti cognitionis, in quo quid ſit id, de quo agitur, quaeritur, duo ſunt genera. 358
Propoſiti, ſeu conſolationis duo genera. 355
Propoſitio nõ eſt abſoluta ſine approbatione. 64
Prouehi in portum. 120
Prouidentia quid. 121
Prudentia quid. 121
Prudentia, ſapientia, calliditas una. pag. 367
Prudentiae partes tres. 121
Priuantia ςερητικά. 201
Pueri ſaepe aliquid indicauerũt. 229
Punitus ſit factum. 104
Purgatio quid. 25.106
Purgatio tres habet partes. 25

Q

QVAE dicenda ſint ab eo, qui, ſibi ut ignoſcatur, poſtulet. pag. 108
Quae dicenda ſint contra eum, qui deprecatione utatur. 108
Quae res ſigno ſint attributae. 70
Quaedam ſunt in rep. ad corpus ciuitatis pertinentia, quaedam quiddã magis amplum, & minus neceſſarium conficientia. 123
Quaenã partim dignitate, partim fructu nos ducant. 123
Quaerere inter ſicarios de aliquo maleficio. 98
Quaeſtio quid. 16
Quaeſtio eſt controuerſia, quae ex conflictione cauſſarum gignitur. pag. 28
Quaeſtio definita, ὑπόθεσις, cauſſa. 230.
Quaeſtio finita, θέσις, propoſitum. 230.
Quaeſtio finita temporibus, & perſonis, controuerſia, ſeu cauſſa appellatur. 355
Quaeſtio infinita, propoſitum, ſeu cõſultatio nominatur. 355
Quaeſtio omnis, aliquade re eſt earũ, quibus cauſſae continentur. 230
Quaeſtio an ſit, coniectura explicatur. 230
Quaeſtio quid ſit, explicatur definitione. 255
Quaeſtio, quas habeat partes. 230
Quaeſtio, ſeu diſceptatio oritur, ex rationis, & firmamenti ratione, & quaſi concurſu. 396
Quaeſtionis actionis; quarũ duo ſunt genera. 230
Quaeſtiones, tormenta. 344
Quaeſtiones, & tormenta. 407
Quaeſtiones. dicta in quaeſtionibus ſaepe reprehenduntur. 346
Quaeſtionum duo genera ſunt. 230
Quaeſtionum duo genera: alterum finitum temporibus, & perſonis: alterum infinitum. 355
Quaeſtionum partitio. 355
Quaeſtionum ſimplicium quale quid ſit, tria genera ſunt. 230
Quale quid ſit, quaeritur, aut ſimpliciter, aut comparate. 230
Quale ſit, aut iure factum defenditur, aut ulciſcendi doloris gratia, &c. pag. 336

 Qui

INDEX

Qui contra ſcriptum dicit, aequitatis aliquid afferat oportet. 115
Q. Numitorius Pullus. 108

R

RAPERE in fraudem. 89
Ratio animi. 5
Ratio appellatur, quae affertur a reo ad recuſandum depellendi criminis cauſſa. 395
Ratio differēdi duas habet partes. 135
Ratiocinatio quid. 64. 85
Ratiocinationis quot partes. 64
Ratiocinationis ſuſpiciones a defenſore, quomodo infirmandae in cōſtit. coniectur. 87
Redire in memoriam. 77
Redemptor hoſtias ad ſacrificium praebere debebat. 106
Relatio criminis quid. 25.103
Religio quid. 99.121
Religio, iuſtitia erga deos. 369
Remotio criminis quid. 25.105
Remotio criminis fit bipertito. 105
Remotio criminis fit dupliciter. 25
Remotio ipſius rei, ſeu facti quando fiat. 105
Remotionis rei, ſeu facti exemplum. pag. 104
Remotum a re argumentationem uitiat. 75
Reprehendendae argumētationis modus, cum contra firmam argumentationem aeque firma, aut firmior ponitur. 76
Reprehenſio quid. 69
Reprehenſio --- quomodo ſit reprehendenda aduerſarij argumentatio. 338
Reprehenſionis modi. 69
Repugnant recte accipere, & inuitū reddere. 168
Repugnantia. 207
Res, quae intelliguntur. 178
Res, quae ſunt. 178
Res mancipi. 180
Rerum bonarum, & malarum tria genera ſunt. 333
Rerum expetendarum tria ſunt genera, totidem fugiendarum. 121
Reuocare aliquos e curſu ipſo. 133
Rhetorica, ciuilis rationis pars. 12
Roſtrata nauis. 107
Ruta caeſa. 399
Rutis caeſis receptis. 231

S

SAPIENTIA inops dicendi, non potuit homines a conſuetudine ſubito ad aliud uitae genus conuertere. 7
Sapientia ſine eloquētia parum prodeſt ciuitatib us. 4
Scaeuola pontifex. 185
Σχήματα. 394
Scientia pollere. 367
Scientiae magna uis eſt ad perſuadendum. 229
Scribere pro ſcribendo, & formulis praeſcriptis cauere. 133
Scriptum ambiguum. 231.399
Scriptum contra ſcriptum, quomodo dicetur. 114
Scriptum imago uoluntatis ſcriptoris. 114
Scriptum quomodo defendatur. 114
Scriptum quomodo defendatur contra eum, qui ſcriptorem aliud ſcripſiſſe, aliud ſenſiſſe dicat. 114
Scriptum quomodo oppugnetur. 114
Scripti, & ſententiae contentio. 114
Scripta contraria. 399
Scriptorum inter ſe diſſentientiū tractatio. 420
Scrutari oportet, & quaerere ex omnibus locis argumenta, ſed adhibito iudicio. 282
Sectio praedae uenierit. 73
Secundus heres. 167
Secundi heredes. 98
Sedatis tempeſtatibus. 120
Senectus occaſus uitae. 189
Sententia omnis, enthymema dicitur, ſed ea, quae ex contrarijs proprie. 212
Sententia ſcriptoris cum ex aliquo facto, aut euentu interpretanda dicitur, ea partibus iuridicialis aſſumptiuae maxime ſuſtinetur. 112
Sententia, ſeu uolūtas ſcriptoris, duobus modis defenditur. 112
Sententiae quaenam utiles ſuaſori, aut diſſuaſori ad animos commouendos, ſi ſunt reprimendi. 390
Series artis. 420
Serui in dominos nō torquentur, niſi de inceſtu. 407
Seruire ſeruitutem. 185
Seruius Sulpicius. 193
Signum quid. 59
Signum ijſdem ex locis, quibus confirmatur, etiam infirmatur. 70
Similitudo in contrarijs, paribus, & ijs rebus, quae ſub eandem rationem cadunt, ſpectatur. 57
Similitudo late patet, ſed oratoribus, & philoſophis magis, quam iuriſconſultis. 197
Similitudo omnibus in rebus ſatietatis eſt mater. 68
Similitudo quomodo uitanda. 342
Socrates inductione plurimum uſus eſt. 61
Somno impeditus. 84
Specierum, & ſpeciebus, non dixit Cicero. 189
Spem incertam certo uenditat pretio. 110
Stalenus a ſeipſo iudicatus. 229
Stare a mendacio contra uerum. 9
Status, ςάσις. 230
Status coniecturalis. 231
ςάσις. --- Status, in quo primum inſiſtit, quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. 230
Status tres. 394
Status primus coniectura quadā tractatur. 394
Status ſecundus definitione, atque deſcriptione, aut informatione uerbi traditur. 394
Status tertius aequi, & ueri, & recti, & humani ad ignoſcendum diſputatione tractandus eſt. 394
Status ijdem ſunt interdum in deliberationibus, & laudationibus, atque in iudicijs. 230
ςερητικά, priuantia. 201
Stillicidium, mancipium, pecunia, ſupellex, res, quae ſunt. 178
Stoici in iudicandi parte elaborauerunt. 135
Stoici iudicandi ſcientiam, dialecticam appellant. 136
Studium quid. 46.88
Suaſio eſt rerum futurarum. 289
Suaſio. --- in ſuaſione, aut ſpes, aut reformidatio deliberantis propoſita eſt oratori. 286
Suaſor, & diſſuaſor debet habere ad augendum exemplorum, aut recētium, aut ueterum copiam. 389
Suaſori, aut diſſuaſori uidendū quid, aut poſsit fieri, aut non poſsit, quid aut neceſſe, aut non neceſſe. 379
Suaſori docendum eſt, utile eſſe, & fieri poſſe. 381
Suaue genus orationis quomodo fiat pag. 309
Subijcere rationem. 101
Subtiliſsime perſequi. 174
Συζυγία. 152
Sumenda reo principia ad beneuolentiam conciliandam. 291
Superbia in animis extollendis magnitudinem animi imitatur. 374
Superſtitio religionem imitatur. 376
Supponatur ratio. 99
Supponendis rationibus. 110
Supponere exemplum. 120
Supponere rationem. 101
Suſpicio ſumitur interdum ex conſilio. 88
Suſpicionē facti quae res confirment, atque augeant. 403
Suſpiciones aliquae ſunt, quae communiter ex negotiorum, & perſonarum attributionibus ſumuntur. pag. 90
Suſpiciones de natura ducere licet. 88
Suſpiciones etiam ex quaeſtione, teſtimonio, rumore duci oportet. 92
Suſpiciones ex facto quomodo ducātur. 89
Suſpiciones ex uictu trahere licet. 88
Σύμβολον, nota. 193

T

TACITA quaedam criminū ſunt teſtimonia, facti ueſtigia. 404
Taciturnitas imitatur confeſsionem. pag. 62
Tecum manu fugit. 218
Temperantia. 122
Temperantiae munus eſt in agendo. pag. 368
Temperantiae partes tres. 122
Tempus commune. 50
Tempus publicum. 50
Tempus ſingulare. 50
Tempus, quod ſpectatur in geſtione negotij, quid. 49
Tempora, uetuſta, recentia, inſtantia, &c. 332
Teſtamenti factio. 203
Teſtes. de teſtibus quaedam. 406
Teſtes, teſtimonia. 343
Teſtes laudandi accuſatori. 406

Teſtium

I N D E X

Teſtium dicta ſaepe reprehenduntur. 346
Teſtimonium quid. 228
Teſtimonia diuina. 229
Teſtimoniorum duo genera, diuinū, & humanum. 259
Thebanis nihil utilius, quam Lacedaemonios opprimi. 66
Thebani accuſantur apud Amphictyonas. 101
Thebe Alexandri Peraei uxor. 117
Thebe uirum ſuum noctu cecidit. 117
θέσις. 230
Timiditas uerecūdiam imitatur. 376
Tiſias artis rhetoricae inuentor. 82
Topice, ars inueniendi. 136
Tormentis, uerberibus, igni, fatigati quae dicunt, uera habentur. 229
Torqueatur homines dolore, cupiditate, ira, metu, &c. 229
Translatiua conſtitutio. 97
Tres ſunt gradus in omnibus cauſſis: ex quibus unus aliquis capiendus, ſi plures non queas, ad reſiſtendum. 394
Tria ſunt cauſſarum genera. 286
Tria, quae debent concurrere, aut aliquod eſſe ex tribus, ut aliquid fieri poſſit. 86
Tribus in generibus uerſatur officiū oratoris. 14
Tropaeum aeneum. 101
Tutela --- mortuus, priuſquam in ſuam tutelam uenerit. 286
Tutor fidem praeſtare debet, ſocius, cui mandatis, is, qui fiduciam accepit. 197

V

VARIANDA enumeratio alijs actionis modis. 77
Velia. 133
Venire ad cōdicionem aliquam. 102
Venire ad pactionem aliquam. 101
Venire in ſuam tutelam. 98
Venire res in conſultationem. 103
Verba coniuncta collocanda. 295
Verba coniuncta --- in cōiunctis uerbis triplex adhiberi poteſt commutatio. 315
Verba in amplifiatione qualia eſſe debeant. 347
Verba non eſſe ſpectanda, ſed uoluntatem. 116
Verba nouata. 295
Verba partim natiua, partim reperta. 295
Verba propria, addita ad nomen, tranſlata, &c. 298
Verba quot modis firmantur. 56
Verba relata, iterata, duplicata, & quae adſcendunt gradatim ab humilioribus ad ſuperiora. 349
Verba rerum notae. 193
Verba ſimplicia inuenienda ſunt. 295
Verba ſonantia, & laeuia. 309
Verborum inſignia. 363
Verborum ſimpl. & coniun. communia haec quaſi lumina dilucidum, breue, probabile, illuſtre, ſuaue. pag. 304
Verecundia, cuſtos uirtutum omnium. 371
Veriloquium, ἐτυμολογία. 193
Veriſimile quid. 316
Veriſimilia mouent ſingula ſua pondere. 333
Veriſimilia quomodo, & ubi reperiātur. 329
Veritas quid. 122
Verum inuenitur interdum ex ſomno, uino, inſania. 229
Viciſsitudo gratiae referendae. 414
Viciſsitudines diurnae, & nocturnae. pag. 64
Victus --- in uictu, quae ſint conſideranda. 44
Vindicatio quid. 121
Vires corporis perniciosiſsimae ſatellites. 5
Virtus quid. 121
Virtus, aut ſciētia cernitur, aut actione. 367
Virtus natura, an doctrina efficiatur. 230
Virtutis opinio in homine ualet plurimum. 229
Virtutis partes quattuor. 121
Virtutis uis duplex. 367
Virtuti unicuique finitimum uitium reperitur. 122
Viſa dormientium multa ſignificarunt. 229
Vita eius, qui arguitur, ex antefactis ab accuſatore improbanda. 87
Vita honeſte anteacta quamplurimū prodeſſe debet in iudicio. 89
Vitanda propter ſe, quae. 122
Vitium facere. 154
Vitia quidem uirtutem uidentur imitari. 373
Voluntario maleficio ueniā dari non oportet. 78
Voluntas faciendi. --- In uoluntate quaeritur utilitas ex adoptione alicuius commodi, uitationeq. alicuius incommodi. 404
Voluntas --- in omnibus rebus uoluntatem ſpectandam. 107
Voluptas laudanda ſaepe eſt cum hominibus indoctis, & inhumanis cōſilium des. 385
Voluptas maxime eſt inimica uirtuti, boniq. naturam fallaciter imitando adulterat. 385
Voluptatem auditoris quae res gignant. 364
Vſucapio, tutela, gens, agnatio, intelliguntur, non tanguntur. 178
Vſu auctoritas fundi biennium. 170
Vſus, non abuſus. 160
Vtilitas & honeſtas in deliber. genere finis. 120
Vtilitas interdum cum honeſtate certat. 363
Vtilitas poſita, aut in corpore, aut in extraneis rebus. 123
Vtilitas duae ſunt partes. 123
Vtinam ne in nemore Pelio, &c. pag. 75.216
Vulneri debet eſſe praeſto medicamentum. 38

Z

ZEVXIS Heracleotes pictor excellens. 81
Zeuxis in corpore muliebri pingendo plurimum alijs praeſtabat. 81

F I N I S

INDEX
RERVM . ET . VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS
Quae in his Commentariis continentur.

ABALIENATIO: & de diuerſis modis alienationis. pagina 178
Abalienatio, quae. 180
abrogari legem. 113
abſoluta qualitatis pars, quae. 336
abſoluta 100. 101
abſoluta, & negotialis habet eoſdē locos 101
abſolutio 40. 41
Abſtinentia, quae 368
abuſio interdum eſt neceſſaria. pagina 302
abuſio, ſi rarius adhibeatur, gratiā habet 302
abuſio non tam elegans eſt, quam translatio 302
abuſio figura, quae 302
abuſus, & abuſa res 161
abuti uerbis raro oportet 302
Achilles, Thetidis filius fuit 377
Achilles, equorum ſtudio maxime delectabatur 372
accidentia rebus 127
accidētium enumeratio deſcriptio dicitur 358
accuſatoris loci in impulſione 89
accuſatio crimen deſiderat; rem, ut definiat; hominem, ut notet, argumento probet, teſte confirmet 358
accuſatio nulla ſtatim eſſet, niſi ab accuſatore contra rationem defenſionis aliquid affertur 396
accuſatoris proprius locus de fine. pag. 95
accuſatio, quae deſideret 336
accuſatoris loci in coniectura quattuor ſunt, cauſſae, facultates, conſequentia, teſtimonia 408
accuſator ſolet ordinem uerum in accuſando perſequi 290
accuſatoris exordium eiuſmodi eſſe debet, ut reo acerbos iudices efficiat, & commune periculum eſſe oſtendat, atque ad audiendum excitet, debet enim acerbitatem habere uehementem. pag. 409
accuſator, cupiditatem diligenter conſiderare debet 402
accuſator pro omni actore, & petitore 233
accuſator, ſi poterit oſtendere audacem eſſe reum, & leuem, & crudelem, & impotentem, hoc eſt talem, ut effrenatas, & indomitas cupiditates habeat, eum facile condemnabit 402
accuſatoris loci in ratiocinatione. pag. 84
accuſatoris loci in definitione. 94
accuſatoris intentio, quae 396
accuſatori excutienda uita praeterita 88
accuſator debet in ſingulis criminibus amplificandis occupatus eſſe, ut maiora uideantur. paginae 290. 291
accuſatoris officium, quod 281
accuſator, quid in coniectura facere debeat 401
accuſator frequentiſſime in amplificatione quaerit iudices ad iracūdiam concitare 354
accuſator, in peroratione concedere debet argumentorum frequentatione, ut reum obruat. 410
accuſator in narratione, non periodis, uetetur ſed membratim dicet. 409
accuſator locum habet communē, & uehementem contra reum, qui factum confitetur, & tamen unius uerbi interpretatione crimen conatur occultare. pag. 413
accuſator uerus praeuaricatori opponitur 412
accuſator duobus grauiſſimis firmamentis utitur, hoc eſt ſententia legis, & aequitate 411
accuſator, licet locis, a ſimilibus, a contrariis, & a conſequentibus utatur, tamen reus longe ſolet uti frequentius, niſi plane erit abſurda cauſſa, quam accuſator irridere facile poſſit, & inanem eſſe defenſionem oſtendere. pag. 413
accuſator, debet membra narrationis ſuſpicioſa ponere, quae ſemina argumentationū contineant, & quae defenſionem obſcurare uideantur 409
accuſator debet in confirmatione, & refutatione, praeter argumenta, quae ponentur, criminibus amplificādis motus animorum incitare, reus autē mitigare. 410
accuſatori plurimum proderit, ſi poterit exempla reperire, uel eiuſdem ſcriptoris, uel alterius probati uiri, in quibus exceptiones additae fuerint. 418. 419
accuſatores debent uti frequentatis firmamentis orationis, ut cauſſa uim habeat maiorem, & iudices ſcelerum enumeratione magis incitentur 354
acolutha, ideſt conſequentia 404
actio quae 316
actio eſt comes elocutionis 254
actio eſt quaſi uita orationis, quae niſi congruens fuerit, & apta ad animos permouendos, reliqua omnia, quamuis in oratore praeclara fuerint, parum adiuuat. pag. 349
actionū ueteres formulae, cur ſublatae. 103
actio tribus rebus conſtat 316
actionis genus, qui ad motum animi pertinet, uel in ſedandis animis, & oratione ſanandis uerſatur, uel contra in gignendis, & cōcitandis affectibus, in quo uno regnat oratio. 360

actiones pleraeque hominum in genere ſunt 384
actionis quaeſtio, & actionum genera. 222
actionis quaeſtio, quae 356
acutum ingenium ſolet auctoritatẽ habere 262
addicere quid ſit 183
adeſſe, quid ſignificet 223
adhortationes, in quibus, uel laudamus, honoris, atque utilitate propoſita ſpe, uel uituperamus incommodi, & infamiae metu, frequentiſſimae ſunt 386
adiectiua ſaepe uim efficientis cauſſae exprimunt. 299
adigere arbitrum, ſiue arbitrium. pag. 199
adigere ad iuſiurandum. 199
adiuncta non ſunt neceſſaria, ſed tantum ueriſimile, & ſigna, uel circumſtantiae rerum 273
adiuncta eſt adiunctis perpendi. pag. 158
adiuncta quae dicantur, ante rem, in re, poſt rem, de multiplici huius loci tractatione 203
adiunctorum, alia ſunt, quae ante rem exſiſtunt, alia, quae cum re, alia poſt rem 227
adiuncta quae 161
adiuncta prodere ſeſe, atque oſtentare inuicem poſſunt, non uero perficere, atque implere naturam 205
adiunctum negotio. 47.48.90.127
adiuncta non ſemper eueniũt. 274
adiuncta ad nomen poſſunt orationem illuſtrare 308
adiuncta, coniuncta, conſentanea, conſequentia, applicita pro eodem uſurpari 162
adiuncta quae 203
adiunctio, uel coniunctio, exornatio rhetorica 310
admirabile 30
admiratione afficiuntur ij, qui anteire ceteris uirtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum uero iis uitiis, quibus alij non facile poſſunt obſiſtere 357
admiratio, quomodo excitetur 353
admiratio, tum excitatur, cum aut pugna, aut noua, aut inaudita dicimus 327
adoleſcentes, & pueri, propter iucũditatem, & uoluptatem, non autem propter honeſtatem, amicitias metiuntur, & expetunt. 383
adoleſcentia 89
adoptati gentiles non ſunt. 189
adquiſitionis ſpecies 182
Adraſtus Croeſi filium imprudenter interemit 277
aduerbia opportune uerbis addita magnam in oratione uim habere ſolent 299
aduerſarius uterque, ita ſuam ſententiam, atque interpretationẽ confirmabit, ut dicat a quolibet prudente, & iuſto homine probari poſſe 417
aduerſariorum improbitas, & praecipue crudelitas, iudices ab eis alienat. 320
aduerſarij a nobis in odium, contẽptionem, & inuidiam traherentur, ſi eorum maleficia indignitatem, & improbitatem oſtenderimus 320
aduerſus quandoque pro ſecundũ. pag. 163
aedificare, & aedificium non coniugata 154
aedium ambitus 173
aedes praedij appellatione continẽtur, non fundi. 172
aedes aliae inſulae, aliae continentes 173
aeditimus, ſiue aedituus 194
Aegles Samius ex muto loquens euaſit 272
aegritudo 86
Aelianus ſcribit omnium optimũ Graecorum fuiſſe pauperrimos, Ariſtidem, Phocionem, Epaminondam, Pelopidum, Lamachũ, Socratem 357
Aeneas, equorum ſtudio maxime delectabatur 372
Aeneas, Veneris filius fuit 377
aenigma 306
aequabile, & temperatum orationis genus maxime eſt ſuaue. 310
aeque magnum 57
aequitas duplex eſt, altera abſoluta, altera ad uiciſſitudinem relata 414
aequitatem comparare, quid dicatur. 394
aequitas, & ius duo ſunt, quibus humanae actiones recte gubernantur 394
aequitas genus eſt, continens ius ciuile 145
aequitatis accurata diſputatio, & partitio 229
aequitas ad animum, & ad uictum humanum refertur 359
aequitas, quomodo argumentetur. pag. 411
aequitas quae 180.359.392
aequitas paribus in cauſſis, paria iura deſiderat 171
aequitas aliquando, & comparatione ſpectatur 392
aequitas differt a iuſtitia. 392
aequitas in iudiciis aliquando ſimpliciter ſpectatur 392
aequitas eſt finis generis iudicialis. pag. 392
aequitas ad uiciſſitudinem relata, quae 414
aequitas abſoluta, quae 414
aequitas ad uiciſſitudinem relata, duplex eſt, altera gratia, altera ultio, nominatur 414
aequitas, tam ad naturam, quam ad legem pertinet 414
aequitatis abſolute exempla, quae. pag. 414
aequitatis ad uiciſſitudinem relata exempla, quae 414
aequum, quod 395
aequum, & bonum ita iuſtitiã temperat, ut a clementia non diſcedatur 394
aequum, & bonum ad qualitatem referuntur 394
aes alienum, & egeſtas ad turpitudinem ſaepe impellit 402
Aeſchines. 271 Demoſthenem tibiis aſſimilauit, ibid.
Aeſchines Socraticus 62
Aeſopus fabulas excoluit 335
aetas mores maxime uariare ſolet. pag. 330
aetas legitima, uel naturalis. 147
aetas in corpore, quomodo ſpectetur 330
aetas, atque opes, fortuna, & fortuitarum rerum conuerſio ſubiecta ſunt tempori 228
aeternitas 50
affecta ſunt ea, quae ad aliquid referuntur 268
affecta, quae 150.268
affecta ſemper in relatione ſunt cõſtituta 228
affectum omne ex eo, quod affectũ eſt, ſuſcipit formam, & ſine eo eſſe non poteſt 175
affecta ſunt ad aliquid, quae ad id, quod affecta ſunt, referri queunt. pag. 152
affecta quae dicantur: & quod eadem Quinctilianus ad aliquid, Boetius relatiua appellet 144
affectio differt ab habitu, quia habitus eſt diuturnior, affectio facile mutuatur. 326
affectio quid ſit. 124
affectio 46.52.88.121.125
affectio, quare ſic dicta 255
affectio, & uis in facultate ſpectatur 282

INDEX

affectio breuis eſt, & facile mutatur 371
affectionis comparatio 282
affectus omnes, tã mitiores, quam grauiores, qui aliquando ſedandi ſunt oratione, aliquando concitandi, ut in amplificatione fieri ſolet, in perturbationibus animorum conſiderantur 360
affines ſunt, qui per mulierum matrimonia coniuncti ſunt 331
affinitas, ea coniunctio dicitur, quae a mulieribus originẽ trahit 331
affines quincto loco inter fortunae beneficia ponuntur 331
affirmare totum cum uolumus, ſingulas partes diligenter conſiderare debemus 266
Africanus ſuperior Iouis Capitolini filius fuit 377
Aglaus Pſophidius beatiſſimus omnium ab Apolline Pythio iudicatus eſt, quia numquam agri ſui fines exceſſiſſet, & ſua ſorte contentus uixiſſet 360
agnitionis, & notionis diſcrimen 190
agnomen 43
Aiacis Oilei nauis fulmine tacta 217
Αἰων 49
album 41
Alexamenus Styreus, ſiue Teius dialogorum auctor fuit 247
Alexãder Magnus, ira commotus, Clytum amicum, & familiarem ſuum interfecit 276
Alexander iratus Clytum familiarem ſuum trucidauit 333.337
Alexander Magnus Iouis Hammonis filius fuit 377
allegoria, re uera nihil aliud eſt, quam cõtinuata translatio 301
allegoria 306
allegoriae frequens eſt uſus 301
Alcibiades in hac re praecipue celebratur, quod equos aleret uelociſſimos, quibus ab Olympicis ludis uictoriam reportaret 372
aliqua interdum inter ſe comparantur, non alia de cauſſa, niſi, ut ſimilia uideantur 279
altitudo animi patientiae coniuncta eſt, & cernitur in contemnendis laboribus, periculis, incommodis, iniurijs 369
amantes, & inſipientes, raro delicti ueniam conſequuntur, ſi nihil aliud praeter amorem, & inſipientiam proferant 403
ambiguitas 75
ambiguitas orationis ſemper obſcura eſt, niſi diſtinguatur 306
ambiguitas ex pluribus uerbis quo modo fiat 400
ambiguitas, ſcriptum, & ſententia, & contrariae leges, quo modo ex ſcripto in controuerſia ſint 399.400
ambiguum in copulatione uerborum, quo modo fiat 417
ambigui 111
ambiguorum genus totum pendet ab oratoris ingenio, & interpretatione 417
ambiguum in uno uerbo, quod 417
ambigua diſtinguere, & noſſe locos argumentorum, & ea tenere, quae ad iudicandi ſcientiam pertinent, quae Graeco nomine dicitur Analytica, oratori neceſſarium eſt 421
ambiguum, aut in uno uerbo eſt, aut in pluribus, hoc eſt in copulatione uerborum 417
ambiguum, ſcriptum, & ſententiae contrariae leges, tres ſunt controuerſiae, ſeu conſtitutiones, legitimae 417
ambiguum, cum poſſit duobus, aut pluribus modis intelligi, nos eam ſignificationem, quae pro nobis facit, confirmare debemus, & oſtendere ueram, atque iuſtam eſſe 420
ambiguitas naſcitur ex eo, quod ſcriptum uarijs modis intelligi poteſt, quae, uel ex uno uerbo, uel pluribus uerbis fieri ſolet 399.400
ambitus uerborum tantum protrahi debet, quantum ſpiritus apte percipere, ac pronunciare poteſt 310
amfractus, qui 310
amicitia maximopere eſt expetenda 370
amicitia, non per ſe tantum, ut honeſtas, ſed etiam propter utilitatem expetitur 383
amicitiae ſecundo loco inter fortunae beneficia ponuntur 331
amicitia, quae 370
amicitia uera, duabus in rebus cernitur, hoc eſt in caritate, & amore 383
amicitia uera, non a fortuna, ſed a uirtute prouenit 331
amicitia cum honeſtate, commoditate coniuncta eſt 383
amicitiae definitio 383
amicitia, hoſpitalitas, beneficia in multos collata magnopere laudes amplificare ſolent 373
amicitias, utilitate uulgus probat 383
amicus 4
amicos cognatis anteferre, per ſe non eſt aequum 359
amor ad reliquas omnes perſonas pertinet, quibuſcum aliqua neceſſitudo nobis intercedit 383
amores furtiui 403
amor multitudinis commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiae, iuſtitiae, fidei, omniumq. earum uirtutum, quae pertinent ad manſuetudinem morum, atque facilitatem 357
amores qui captus eſt, inſanire dicitur, & male ſanus 403
amor minus eſt, quam caritas 351
amplificanda ſunt, quae utilitatem afferunt 353
amplificanda magnopere ſunt, quae magna, & quaſi incredibilia acciderunt ei, quem laudamus, ut potius diuina, quam humana eſſe uideantur 378
amplificatio, ualet plurimum in accuſationibus, cum crimina augentur, & ad indignationem iudices mouentur: ualet etiam in defenſionibus, cum rei uirtutes augentur, & innocentia tollitur, uel cum miſericordia concitatur 347
amplificatione uti poſſumus in definitiua controuerſia, uel in digreſſionibus, uel in peroratione, ſi cauſſa magna ſit, & grauis, ut id poſtulare uideatur ad permouendos iudicum animos, ut uel oderint, uel miſereantur 413
amplificatio non eſt uana pars orationis 317
amplificationis proprius locus eſt in peroratione 347
amplificatio, quae 347
amplificationis, & argumentationis differentia 318
amplificationes, & exempla ſaepiſſime in iudiciali genere ponuntur, nõ tantum argumenta 406
amplificatio in curſu orationis frequẽter adhibetur poſt aliquam firmam argumẽtationem, qua uel aliquid confirmatum ſit, uel reprehenſum 318
amplificatio duplicem poteſtatem habet 318

INDEX

amplificatio, licet propria perorationis eſſe uideatur, tamen in reliquis etiam orationis partibus ſaepe adhiberi ſolet 410
amplificatio uehementior quaedã argumentatio eſt. 302. potius in rebus, quam in uerbis perſpicitur, ibid.
amplificatio, eſt propria demonſtratiui generis 406
amplificationis, & argumentationis differentia 347
amplificatio conſtat ex uerbis, & rebus 347
amplificatio in exordio commode interdum ponitur 318
amplificationis quattuor ſunt ſpecies 318
amplificatio per cõgeriem fit duobus modis 318
amplificationis proprius eſt locus in peroratione, quoniam animi uehementius concitandi ſunt in fine orationis 317.318
amplificatio rerum ex iiſdem locis ſumi ſolet, quibus illa, quae ad probandum, & fidem faciẽdam pertinent 350
amplificatio praeter fidem quaerit animos commouere 347
amplificatio nihil aliud eſt, quam uehemens quaedam argumentatio 350
amplificatio non unam exornationem, ſed plures, & fere omnes amplectitur 302
amplificatio magna tantum deſiderat 353
amplificatio, quae 318
amplum 13
ἀνακεφαλαίωσις, & quae facienda 67
anacephalaeoſis, id eſt, enumeratio, quae 354
analogia non eſt lex loquendi, ſed obſeruatio 296
analytica, quae 421
Anaxagoras niuem nigram eſſe affirmabat, quamuis nobis candidiſſima eſſe uideatur 356
Anaxagoras Clazomenius Periclis praeceptor fuit 377
anceps 30
anguſte dicitur, cum in uerbum cõtrahitur oratio 314
animal 23
animata inanimatis, ipſius animi uegetatione conſiderata, antecellunt 225
anima 5
ab Animi permotione imprudẽtis, quomodo proueniat 333
animi perturbationes duae ſunt, hoc eſt ſpes bonorum, & metus malorum 401
animi commotiones duae ſunt, quae poſſunt hominem, quocumque uelint, impellere, hoc eſt ſpes, & metus 385
animus, cognita utilitate uires ſuas metitur, & cogitat 401
animus iucundiſſima uoluptate expletur, ſi exitus fuerint felices, & improuiſi 365
animus, quando omnino perfectus ſit 372
animi magnitudo, ſecundam, & aduerſam fortunam moderate ferre docet, ſed in aduerſa fortuna magis elucet, & ad res tantum magnas, & egregias animũ excitat, & extollit 369
animus quid 50
animus interdum ſic occupatur a perturbationibus, ut nullus ſit rationi, aut conſilio locus 276
animus humanus, naturaliter omnia turpia refugit, etiam ſi languidius honeſta complectatur 385
animi motu, & perturbatione multa peccata committuntur 337
animi commotiones in omni conſilio dando, praecipue dominantur, ſpes, cum bona proponuntur; metus autẽ, cum mala 385
animi iudicum ab aduerſariis noſtris, quomodo alienentur 320
animi perturbatio nulla eſt, quae magis hominem tranſuerſum rapiat, & ad improbitatem impellat, quam cupiditas. 330
animo aegroto, medicus eſt oratio, Prouerbium 360
animorũ perturbatio iure a cauſſis uoluntarijs ſegregatur, & aut in ignorantia, aut in neceſſitate ponitur 220
animi perturbationes, coniecturam confirmant 330
animi magnitudo, in quo perſpiciatur 374
animi bona conſideranda 124
animus nobilis, audito gloriae nomine, ſtatim cõmouetur 385
animos audientium, ſicut in exordio conciliare nobis ſtudemus, ita etiam in peroratione. 346
animi non ſemper ſunt incitandi, ſed interdum etiam reprimendi 391
animi altitudo patientiae coniuncta eſt, & cernitur in contemnendis laboribus, periculis, incommodis, iniurijs 369
animi, oratione canantnr 360
animus improborum, ad iniuriam accenditur, cum, ultra perficiendi ſpem, credunt etiam, ſe facinus ſuum celaturos 403
animi magnitudo in rebus incommodis, & aduerſis potiſſimum cernitur, quae fortitudinem, & patientiam complectitur 369
animi magnitudini, coniuncta eſt liberalitas, & beneficentia, quae in uſu pecuniae conſpicitur, qua nihil eſt naturae hominis accommodatius, & hac uirtute ſibi homines maximam uirtutem conciliant 369
ante 48
anteacta uita, firmum quoddam teſtimonium eſt 327
antecedens quod 274
antecedentia, quae dicantur. Et quod, dato antecedenti, detur & cõſequens: & de uſu huius argumentationis 164
antecedentia, & conſequentia neceſſitatem habent 273
antecedentia ſunt, quibus poſitis, aliud neceſſe eſt conſequatur. 151
antecedens, quod 204
antecedentia, quae 163
antecedentia, quae ſint 204
antinomia, quae 400
antinomia, Graece quae ſit 420
antigenidae uox 294
antiqua Romanorum conſuetudo fuit, ut poſt conuiuia praeclarorum uirorum, laudes ad tibiam canerentur, ut ad eas imitandas iuuenes inflammarentur 362
apes, Platoni in cunis infanti in os mel inſeruerunt 365
apes, Platoni infanti mella in os intulerunt 260
Aphthonius quattuor narrationis uirtutes numerat 325
ἀποφατικά, Id eſt, negantia 202
Apollo Pythius beatiſſimum omnium Aglaum Pſophidium, qui numquam agri ſui fines exceſſiſſet, & qua forte contentus uixiſſet, iudicauit 360
Apollonius, apud Graecos, magnã ex Grammatica laudem conſecutus eſt 372
Apollonius Molo, celeberrimus Rhet. 250 uehementer ingemuit cũm Ciceronem Rhodi, Graece declamantem audiuiſſet. ibid.
apologi 33

Appu-

INDEX

Appuleius Madaurenſis 313
appetitus, Graece, ὁρμὴ 367
quid Approbatum 60
aquae pluuiae genera, & formae 195
aquae pluuiae arcendae actio, praediorum eſt ruſticorum 171
aqua pluuia, quae dicatur 195
& quae poſſit arceri 195
Arceſilas dixit paupertatem aſperam quidem eſſe, quemadmodum Ithacam, ſed bonam iuuenum nutricem, ut, quae aſſuefaciat frugalitati, & abſtinentiae, & omnino quaedam ſit omnis uirtutis exercitatio 357
Archimedes in Geometria, ualde excelluit 372
argenti ſpecies ſignatum, ac non ſignatum eſſe dictae ſunt 159
argento legato, nomina non continentur 160
argenti nomine, an ueniat pecunia numerata 155
area apud Iuriſconſultos, quid ſit 154
arguere uerbi ſignificatio 257
argui ſcripto non poteſt, quod negatur 399
argumentatio, quaerit tantum fidem facere 347
argumentationum, genera tria ſunt 258
argumentationum ſemina in narratione ſparguntur, ex quibus omnis coniecturae probatio poſtea ducitur 329
argumentatio copioſe, atque ornate uim argumenti explicat 340
argumentationis quincta pars cōplexio, ſiue concluſio dicitur, in qua uel propoſitionem, uel aſſumptionem copulantes concludimus, uel tantum id addimus, quod ex propoſitione, & aſſumptione conficitur 341
argumentatio quattuor potiſſimū modis uariari poteſt, primo cū interrogamus nos ipſos, ſecundo cum percunctamur aduerſarios, tertio cum imperamus, quarto cum optamus 342
argumentationis tertia pars aſſumptio dicitur, per quā id aſſumitur, quod probare uolumus 341
argumentatio nulla uere, neceſſarioq. concludi poteſt, niſi aliquod in ea generale pronunciatum conſtituatur 269, 270
argumentatio 55
argumentatio, duobus modis fit 61
argumentatio duo ſignificat 69
argumentatio ex una parte fieri nō poteſt 69
argumentatio, quid 61
argumentatio, quinquepartita 65
argumentationes duo, ſecundum Ariſtotelem 61
argumentationes Cicero ex dialectica ſumpſit 61
argumentationibus, quid queratur 94
argumentationum duae partes 65
argumentādi ſimilitudinem quattuor modis uitare poſſumus. 342
argumentandi formulae ſeptem, in connexis ab antecedentibus quomodo ducantur 275
argumentandi duo ſunt genera, quorum altero fides fit, altero mouentur animi 340
argumentationis, & amplificationis differentia 347
argumentandi genus, quod ad fidem faciendam pertinet, aut per inductionem tractatur, aut per ratiocinationem 340
argumentatio, Graece eſt, ἐπιχείρημα 340
argumentationis prima pars propoſitio dicitur, unde omnis uis concluſionis emanat 340
argumentatio, dilucide conficit, & diſtinguit ipſum argumentum 340
argumentatio procedit diuidendo 146
argumentatio ab aliquibus expolitio dicetur 340
argumentatio a repugnātibus, quomodo fiat 210 212
argumentationes, ex ſimilitudine tractae, magnum oratoribus uſum praeſtant 198
argumentatio, in qua nos ipſos interrogamus, appellatur ſubiectio 342
argumentatio omnis, & ſyllogiſmus propoſitionibus ſtruitur. 137
argumentatio ab antecedentibus, quomodo fiat 210.211
argumentatio integra, & perfecta, quinque partibus conſtat 340
argumentatio omnis fit, uel ex rebus non dubijs, & certis, uel ex probabilibus 340
argumentationis ſecunda pars dicitur approbatio, qua propoſitio confirmatur 341
argumentationes breues, quae 343
argumentationis quarta pars dicitur aſſumptionis confirmatio. 341
argumentatio a conſequenti, quomodo fiat 210.211
argumentatio eſt argumenti explicatio 340
argumentum a contrario, quod 283
argumentum eſt inuentum probabile ad faciendam fidem 258
argumenta accuſatoris ad confirmandam coniecturam, quae 397
argumenta, & ſigna ab ipſo reo, quomodo ducantur 405
argumenta ex notatione dupliciter ducuntur, primo ex ipſo nominis interpretatione, ſeu definitione, ſecundo ex cognominatione, uel aequiuocatione 268
argumentum a genere modo Cicero diſtinguit ab argumento, quod eſt a forma, modo coniungit 270
argumenta e locis ducuntur 258
argumenta lucent in locis, tamquam in ſedibus, & latibulis quibuſdam 257
argumentorum genus non neceſſarium interdum eſt omittēdum, quando parum adiuuat, interdum adhibendum, quando multa ſimul concurrunt 283
argumentum, uel enthymema cōmuniter dictum, continet omnia, quae oratori ad probādum ſubiecta ſunt 257
argumentum ab enumeratione partium, quod 283
argumentum Ciceroni idem eſt, quod enthymema Ariſtoteli. 256
argumenta non neceſſaria, quae 283
argumentum, quod 221
argumenta non ſola ſpecie dicendi facienda 56
argumenta triplici genere dicendi proferenda 56
argumenti definitio, & quod aliud ſit argumentatio 141
argumenta per negationem a conſequente ſaepe ducuntur 274 & ſeq.
argumentum a remotione, quod 267
argumenta, iudicialis generis propria ſunt 406
argumentum 35. 55
argumentum commune 93
omne argumentum ex attributis perſonae credibile 61

omne argumẽtum ex continẽtibus cum re, & his, quae in geſtione negotij ſunt, ſignum dicitur 61
argumentum ex negotio iunctis, comparabile dicitur 61
fit argumentum loco decimo ſecundum Ariſtotelem 66
argumentum proprium 92
argumenta remota 258
argumenta duo 92
argumenta inhaerentia 258
argumentum eſt ratio, quae rei dubiae facit fidem 141
argumentorum genus, leue ab oratore prorſus eſt reijciendum, quoniã ab aduerſarijs, atque etiã a iudicibus contemnitur 282
argumentum, & probatio, idem eſt. pag. 257
argumentum a repugnantibus, quod 283
argumentum a coniugatis, quod. pag. 283
argumentum a differentia, quod. pag. 283
argumentum nihil aliud eſt, quam medietatis inuentio 139
argumentum a comparatione, quod 283
argumentum ab exemplo, quod. pag. 283
argumentum ab effectis, quod. pag. 283
argumenta communia, quae 282
argumentum a coniunctis, quod. pag. 283
argumentum a genere, quod 283
argumentum ab antecedentibus, quod 283
argumentum a forma, quod 283
argumentum ab humano teſtimonio, quod 283
argumẽti omnis intentio dirigitur ad quaeſtionem, ideſt ad dubitabilem propoſitionem 138
argumentum eorum locorum, qui in ipſis ſunt, nunc ex toto, nunc ex uocabulo, nunc ex affectis ſumitur 226
argumenta ueriſimilia, ſi diducantur, & ſingula conſiderentur, infirma fiunt. 339
argumenta, unde ſumẽda ſint. 143
argumenta etiam in conſultationibus ducuntur a definitione, ab enumeratione partium, a notatione, a genere, & a forma 360
argumenta ueriſimilia ſunt aliis, alia firmiora 334
argumentum ab aſſumptione cognoſcitur 275
argumenta leuia, quae 282
argumentum, quod 138
argumenta, ui naturalis ingenij premuntur 222
argumentum probabile inuentum eſt ad faciendam fidem 340
argumenti definitio 138
argumenta, unde ſumi debeant. pag. 400
argumenta ſunt omni luce clariora 406
argumenta, quae ducuntur a nomine, totam rem attingunt 268
argumentum a conſequentibus, quod 283
argumentum a diuino teſtimonio, quod 283
argumenta, quae communia ſunt, debet orator praetermittere. pag. 283
argumentum omne, aut in ſyllogiſmi ordinem cadit, aut ex ſyllogiſmo uires accipit 207
argumenta, licet firma eſſe uideantur, poſſunt tamen interdum eſſe falſa, cum ex principiis minime neceſſariis ducuntur 406
argumentorum loci ij ſunt, qui intra ſe continẽt argumenta 221
argumentum dicitur a Rhetoribus quod rem probat, & oſtendit, quocumque modo fiat, uel undecumque modo deducatur. pag. 257
argumenta a ſpecie deducta, quae. pag. 270
argumentorum genera, quae uel nihil, uel parum admodũ in cauſſis proſunt, tria ſunt, hoc eſt leuia, communia, & non neceſſaria 282
argumenta ſumuntur ad partem quaeſtionis adſtruẽdam, deſtruẽdam ue 138
argumentum eſt, quod rem arguit, ideſt probat. 138
argumentum a cauſſis, quod 283
argumenta rerum propria ſunt. pag. 343
argumenta, quae fiunt a repugnantibus, uel contrariis, uel diſſimilibus, maximam uim habent. pag. 343
argumentum ab enumeratione partium, maximam uim habet. 267
argumentum a definitione, quod. pag. 283
argumenta, quae a perſona, a loco, a tempore ducuntur, ducuntur a coniunctis duci 274
argumentum a ſimilitudine, quod. pag. 283
argumentum a notatione uerbi, quod 283
argumentari, partiri, definiri, Dialecticae officia tria ſunt, quae ſunt etiam oratori neceſſaria. 421
argyropylus 250
Ariopagitae duas tãtum orationis partes admittebant, hoc eſt narrationem, & confirmationem. pag. 254
Aries belli, aut diſputationis. 200
Ariſtides, apud Graecos, in adminiſtratione reip. ſe prudenter geſſit 368
Ariſtarchus inter doctos numeratur 270
Ariſtarchus, apud Graecos, magnã ex grammatica laudem conſecutus eſt. 372
Ariſtoteles probat nullam moralẽ uirtutem eſſe naturalem, quia, quae naturalia ſunt, mutari nullo modo poſſunt, ſed uirtus modo acquiritur, modo amittitur. pag. 358
Ariſtot. doctrina, & eloquentia. in prooem. Top. Gueuar.
Ariſtoteles, ciuilem prudentiam ſcientiarum reginam nominauit, quoniam omnium eſt utiliſſima 368
Ariſtoteles duas tantum partes in oratione ait eſſe neceſſarias, hoc eſt propoſitionem, & confirmationem, quibus fides fieri ſolet. pag. 317
Ariſtoteles cenſet propter admirationem homines coepiſſe philoſophari 312
Ariſtoteles, Alexandri Magni praeceptor fuit 337
Ariſtot. putat in ſomnis homines ſaepe futura praeuidere 261
Ariſtotel. paucis etiam philoſophis notus. in prooemio Topic. Gueuar.
Ariſtoxenus in Muſica ualde excelluit 372
Arithmetica numeros tractat, mathematicarum princeps, & quaſi regina eſt, quoniam ſine illa reliquae nihil poſſunt 372
arma poſtliminio non recipi 104
armorum, ſtudium nobilium uirorum eſt. 372
Artemidorus apud Graecos ſcripſit de ſomniorum interpretatione libros quinque 261
ars 46
ars omnis duplex 12
artium praeceptores diſcipulis ſuis eadem ſaepius inculcare debẽt, alioquin eis e memoria facile excidunt

excidunt 252
artes ſaepe in coniecturis ſpectãtur pag. 330
artes liberales ſeptem 372
ars omnis imitatur naturam. 138
artis praecepta non ſemper ſequenda ſunt, cum res aliter poſtulare uidetur 289
ars, certior dux eſt, quam natura. pag. 245
ars imitatur naturam 225
artes omnes liberales, & ingenuae Graece traditae fuerãt, & adhuc litterarum Latinarum luce carebant, eas autem Cicero princeps illuſtrauit 249
ars praecepta tradit 253
ars omnis conſtat ex generibus, ſpeciebus, & definitionibus. 251
ars, atque uſus plurimum ualet 229
ars certior dux eſt, quam natura 253
artium ignorantiae, dicuntur inertiae 330
ars ſine exercitatione parum prodeſt 416
articuli omnes ſigillatim non poſſunt, aut legibus, aut ſenatuſconſultis comprehendi 411
artifices omnes in artibus ſuis auctoritatem habent ad probandum, & eorum dicta pro teſtimonijs adducuntur 262
artificioſa memoria a Simonide eſt 316
artificioſa inartificioſis anteponuntur 225
aſpaſia 62
aſſiduus, eſt aſſem dans 148
aſſiduos, quos leges dixerint 150
aſſumpta, quae 343
aſſumptiua qualitatis pars, quae 337
aſſumptiua 102
aſſumptiuae partes 102
aſtrologia, ſiderum curſus, ortus, occaſus, proprietates inueſtigat, & eſt maxime nobilis 372
Aſtrologorum, & Chaldaeorum praedictiones referuntur ad uaticinationes 260
Aſyntheton, Latine Congeries, exornatio Rhetorica 311 fit etiam, cum multa membra ſuo uerbo ſeparatim, ſine coniunctione concluduntur, ibid.
a tabulis, & contra tabulas dici poteſt 346
ἀτέχνοι, Id eſt, inartificiales loci 172
Athenienſes Cryſilum quendam, ſuadentem, ut in urbe manerent, Xerxemq. reciperent, lapidibus obruerunt, quamuis ille utilitatem ſequi uideretur. 380
a timore plerumque tremor naſcitur 333
attentionem tria mouent 323
Atilius Regulus, apud Romanos celebratur, quod iniurias ferret 369
attributum perſonae 85
attributum negotio 51.54
attributum 47
attributa perſonae, quae ſint 90
ex attributis perſonae fit neceſſarium argumentum 70
attributorum negotio partes 90
auaritia, quae 358
auaritia turpitudinis ſpecies eſt. 270
auari, qui uocentur 374
audaces quodammodo fortes eſſe uidentur 374
audaces, quia cupiditate ſua, non ratione ſe periculis obiiciunt, ideo uituperatione digni putantur 374
audaces, qui 374
audacia non eſt coniuncta prudentiae, ſed temeritati 406
audacia, interdum uulgo laudatur 374
audacia, quaſi dux eſt ad omne maleficium, ſi praecipue comitem habeat leuitatem, & crudelitatem, & impotentiam 402
audax 10
auditor ſtatim docilis fit, cum rem intelligit, de qua dicturi ſumus 321
auditorum aures moderantur oratori ſapienti, & prouido 384
auditus, & uiſus praecipue praeter alios ſenſus afferunt facti ſuſpicionem, atque etiam multo magis uiſus 333
audita, ac renouata crimina, tamquam aculei mentes iudicum pungunt 355
auditor non tantum in exordio, ſed etiam in reliquis orationis partibus, & docilis, & attentus faciendus eſt 322
auditus 59
auditus, per accidẽs longe eſt praeſtantior uiſu, quia ſenſus doctrinae eſt 311
auditores, ſi bene inſtituti fuerint, eos ad laudem, ad honeſtatem excitabimus 386
augurium, ab auium garritu nominatum 260
auguria, tribus modis capitabãtur 260
Auguſtus Caeſar Apollinis filius a quibuſdam habitus eſt, quoniã draco, quidam ad Atiam eius matrem in Apollinis templo dormientem acceſſerit, & cum ea rem habere uiſus fuerit, unde ſemper ilia corpori ſuo draconis impreſſam maculam habuerit 365
Auguſtus Caeſar, cum quidam araret locum paternae ſepulturae, hoc eſt, inquit, patrem colere 268
Auguſtus, primus Munerarium dixit 299
auſcultatoris, & auditoris differentia 286
auſcultatores delectationem tantum quaerunt 286
auſcultator, qui 286
auſpicium ab auibus adſpiciendis dictum 260
auſpiciorum apud Romanos maxima erat cura 259
auctoritatem afferunt natura, & tempus 228
auctoritas, an auctoritas ſcribendum ſit. & de uaria huius dictionis ſignificatione 172
auctoritas maximam uim habet ad fidem faciendam, uel in eo qui dicit 206
auctoritas poteſt ad imperium referri 326
auctoritas omnis, aut ex magnis, atque excellentibus rebus, & per naturam optimis uenit, aut ab his, quae inferiore loco ſunt conſtituta, fidem non ex naturae qualitate, ſed ex uulgo inſitis opinionibus capit 228
auctoritas 42
auctoritas in teſtimonijs humanis maximam fidem, & uim habere ſolet 261 in omnibus cauſſis, & debet, & ſolet plurimum ualere. ibid.
auctoritate magna praeditis hominibus facilius creditur, quia non eſt in eis ulla mendacii ſuſpicio 326
auctor primus, uel ſecundus, & quod diuerſe hoc nomen accipiatur 172
auxeſis 79
Αριθμητικὴ, Id eſt, Arithmetica, quae 372

I N D E X

B

BARBARE loqui is dicitur, qui nimis inſolenter loquitur 304
barbariſmus tribus modis intelligitur 304
Battus poeta 306
beatus, qui 352
beneuolentia quattuor ex locis cõparari 31
beneuolentiam ſibi captat orator, in ipſorum iudicum, aut auditorum beneficia in non collocata commemoremus 320
beneuolentia, ſicut a perſonis conciliatur, ita docilitas, & attentio a rebus ipſis 321
beneuolentiae primus locus pendet a perſonis, quae tripartito diſtribuuntur 319
beneuolentia iudicum ab oratore captatur, cum indignitas aduerſariorum oſtenditur 320
beneuolentia ab ipſis iudicibus, & diſceptatoribus, quomodo captetur 320
bimembres periodi, qui 305
bonorum poſſeſſiones. & quod aduerſus tabulas ea dicatur, quandoque, quae ſecundum tabulas ſit 163
bona externa, breuiter, modiceq. ſunt laudanda, quia uera laus eſt in animi bonis 366
bona corporis multa laudari poſſunt, ſed maxime pulchritudo, formaq. laudatur, quia uirtutem quodammodo ſignificare uidetur 366
bona, uel mala perſonis, locis, & temporibus ita annexa ſunt, & cohaerent, ut non re ipſa, ſed cogitatione tantum ſeparari poſſint 333
bona neceſſaria reliquis omnibus bonis, & commodis ſunt anteponenda 382
bonorum diuiſio, quae 383
bona ſunt in triplici genere: nam alia dicuntur externa, alia corporis, alia animi 366
bona, quae ad animum referuntur, proprie bona ſunt, reliqua uero ideo in laude ponuntur, quod is, qui laudatur, bene illis uſus fuerit 366
bona non neceſſaria dicuntur propter ſe expetenda 383
bona nõ neceſſaria, uel ad animum pertinent, & per ſe ſunt expetenda, uel ad aliquod commodum referuntur 382
bona neceſſaria, uel ad perſonam noſtram pertinent, uel ad eos, qui nobis cariſſimi eſſe debent pag. 381
bona neceſſaria, quae 382
bona, partim neceſſaria ſunt, partim non neceſſaria 382
bona non neceſſaria, quae 382
bonitas, quae 370
boni uiri officium eſt, in multos beneficia conferre 370
boni habitus uirtutes nominãtur, mali uitia ſunt 371
Boni homines nullo emolumento impelluntur ad maleficium, improbi ſaepe paruo 401
bonum eſt libertas, quod nullo pretio poteſt aeſtimari 382
breuiter, & aperte definitio rei cuiuſque naturam explicat. 322
breuitate orationis maxime Caeſar excellit 307
breuitas duplex eſt apud Graecos. pag. 306
breuitas, in oratione, quae ſuperuacanea ſunt, reſecat, non autem tollit neceſſaria, aut debita, aut honoraria 304
breuitas 40.41
breuitas in eo ponenda eſt, non ut minus, ſed ne plus dicatur, quã oporteat. 325
breuitas in oratione interdum laudatur, & praeſertim in narratione 306
breuitatem qui ſequi uoluerit, omnes commorationes, & repetitiones eiuſdem rei ex oratione ſua remouebit 307
breuitas ſaepe in hiſtoria commendatus 306
Brutus, filios ſuos, proditionem patriae molientes occidit. 337

C

CAcus latro, boues Herculis auerſos in ſpeluncam traxit. pag. 405
caecilius Plotius, Cluſium tribunum militum C. Marij affinem interfecit 337
caeca, & temeraria animi dominatrix eſt cupiditas. 330
caecitas 53
Caeciliana oratio 71.126
C. Caeſar, apud Romanos in liberalitate, & beneficentia celebratur. 369
Caeſar Octauianus, nec opinãtibus Romanis firmiſſimum exercitum contra M. Antonium comparauit. 365
Caeſar, apud Romanos in bellica laude plurimum praeſtitit, & ſempiternam ſibi gloriam acquiſiuit. 369
Caeſar Auguſtus opera Virgilij potius conſeruare uoluit, quam teſtamento parere, ut leges uolunt 419
Caeſaris libri aduerſus Catonem. 230.234
Caeſar magnopere a Cicerone laudatur, quod nihil obliuiſci ſoleret, praeter iniurias. 369
Caeſar Octauianus, ciuibus eius Veliternis praedictum fuit, eius opidi ciuem aliquando rerum potiturum 365
Caeſaris uox. 280
C. Iulius Caeſar poſt mortem inter deos relatus eſt 365
Callidus 9
callidi, & dicaces remp. occupauerunt 9
Callides in Gorgia putat leges, ac iura potius ab imbecilliori multitudine fuiſſe reperta, ut uiros fortes metu legum reprimeret. 356.357
calliditas ex communi diſputatione, quomodo adiungenda ſit, cũ nulla facti ueſtigia in reo repe riuntur. 405
Camillus, apud Romanos frugalitatem, & cõtinentiam amplexus eſt. 368
Caluitium laudatum 361
capitis deminutio quid, & quotuplex. 162
Caritas ad quinque tantum genera pertinet, hoc eſt ad deos, & deorum cultum, quae proprio nomine religio dicitur, ad parẽtes, ad patriam, quae dicitur pietas, ad ſapientes, ad illuſtres, & principes uiros, quae reuerentia nominatur. 383
caritas amor, honeſtas plurimum ad amplificandum ualet. 351
Caritas quae 351
Graece εὐσέβεια dicitur. ibid.
caritas, grauius nomen eſt, quam amor, licet interdum etiam amorem complectatur 383
Caſilinenſes 124
Caſilinum 124
a caſu imprudentia, quomodo proueniat 332.333
caſus, imprudentia, neceſſitas, tria ſunt, quae factum improbum excuſare

excuſare poſſe uideantur 416
caſu defenditur, quod ſine ullo hominis conſilio, aut uoluntate accidit 416
caſus, & fortuiti euentus in his eſſe ponuntur, quae, cum rarius fiāt, per accidentia tamen eueniunt. pag. 219
caſus, qui 218
caſus Ariſtoteles uocat aduerbia, uel a nominibus, uel a uerbis deducta 269
caſus, atque fortuna ſemper ignotus eſt 218
caſus eſt, qui praeter ſpem, atque opinionem accidit. 326
Catilina 262
Catilina. 376 in eo ſatis loquentiae, ſapientiae parum fuit. pag. 376
Catilina aere alieno preſſus, & anguſtia rei familiaris in patriam coniurauit 402
Catonis liber 126
Cato Cenſorius 250
Cato, o praeclarum (inquit) illum diem, cum in illud animorum concilium, coetumq. proficiſcar. pag. 379
Cato Cenſorius, quatter, & quadragies accuſatus, & ſemper abſolutus, magnam innocentiae gloriā adeptus eſt 379
Cato, apud Romanos in adminiſtratione reip. ſe prudenter geſſit 368
cauere apud Iuriſc. quid 135
cauſſa 5. 48. 126
cauſſa in cōiectura maximum fundamentum 87
cauſſa ſummae 47. 48
cauſſae diuiſio 86
cauſſae propter finis diuerſa praecepta habent 120
cauſſa, ſi fuerit tenuis, & humilis uerborum faces, nullo modo ſunt adhibendae 413
cauſſa, & euentus ſunt in omni coniectura conſiderandi 401
cauſſa eſt, qua praecedente aliud efficitur 151
cauſſa latens & incerta, quae 277 in ciuilibus controuerſijs raro locum habet ibidem
cauſſarum efficientium, duo genera ſunt, aliae ſunt abſolutae, & perfectae, aliae imperfectae 388
cauſſae efficientes ſecundariae quae, 276
cauſſae communiter omnes argue re poſſunt, quicumque ex eo facto potuerunt aliquam utilitatem percipere, uel efficiendi facultatem habuerunt 404
cauſſa efficiens grauiorem uim habet, quam ea, quae nihil efficit 225
cauſſarum euentus neceſſarij, qui de cauſſis naturalibus oriuntur, non ad oratorem, ſed potius ad philoſophum pertinent 404
cauſſarum euentus fortuiti, & uoluntarij, qui ab utilitatis ſpe, & a facultate naſcuntur, ab oratore conſiderari ſolent 404
cauſſarum genera, quamuis quattuor ſint, tamen oratores duas potiſſimum, conſiderare ſolent, hoc eſt efficientem, & finem pag. 401
cauſſarum genera, quot ſint 387
cauſſarum euentus, ſunt maxime uarij, ſicut etiā cauſſae ſunt 404
cauſſarum, aliae ſunt, quae ui ſua efficiunt, aliae, ſine quibus effici non poteſt 227
cauſſarum diuiſiones 227
cauſſae quattuor ſunt, materia, forma, efficiens, finis 264
cauſſa efficiens, quae 168
cauſſarum euentus, aliqui ſunt neceſſarii, alij fortuiti, alij uoluntarii 404
cauſſa.i. hypotheſis 230
cauſſae aliae ſunt neceſſariae, aliae minime 216
cauſſae ſublimes poſtulāt ea, quae magna habentur 351
caſus, & fortuna ponuntur inter cauſſas efficientes, 277
cauſſae quae 351
cauſſarum, aliae ſunt uoluntariae, aliae ignoratae 219
cauſſarum genera, iudicii, deliberationis, laudationis 229
cauſſae preſſae, & humiles ſummiſſe tractandae ſunt 351
cauſſarum ignoratio mouet admirationem 312
cauſſa obtemperandi alia eſt, alia abrogandi 419
cauſſa ſola, quae dicatur 388
cauſſarum aliae ſunt preſſae, & humiles, aliae mediocres, aliae denique ſublimes 351
cauſſa, cuius gratia principium adhibetur in oratione nulla alia eſt, quam, ut auditorem praeparemus, quo ſit nobis in ceteris partibus accommodatior 319
cauſſae conſtitutio ex intentione accuſatoris, & depulſione defenſionis, quomodo oriatur in coniectura 396
cauſſae efficiētes principiales quae 276
cauſſa, quae ſpectatur in coniecturis, duplex eſt, hoc eſt impulſio, & ratiocinatio 401
cauſſarum multa ſunt genera 168
cauſſae, quae ad utilitatem referuntur, quae ſint 387
cauſſae efficiētes imperfectae uim quidem magnam habent, ſed ope tamen egent aliena 388
cauſſae efficientes abſolutae, & perfectae ſua ui, nulloque alterius auxilio conficiunt aliquid 388
cauſſae, in laudando, uituperandoque, quomodo requirantur 378
cauſſae, euentus, & conſequentia, magnam afferent dicendi copiam, ſi in ſingulis diu conſiſtemus 379
cauſſae, & facultates, quomodo amplificandae ſint, cum nulla facti ueſtigia in reo reperiuntur 405
cauſſarum locus maxime patet, & maximam oratori dicendi copiam ſubminiſtrat 276
cauſſae omnes ad quattuor genera reducuntur ad materiam, ad formam, ad efficientem, & ad finem 276
cauſſarum explicatio fidē facit 326
cauſſae omnes, atque omnia argumenta confirmantur a genere 269
cauſſa ſingulas tantum perſonas, & indiuidua continet 355
cauſſae, quae ad facultatem pertinent, quae ſint 387
cauſſarum ſecunda forma, quae omnem contentionem ſuſcipit, ut obtineat, & probet, & efficiat, quod agit, bipartito diſtribuitur. aut enim ad futurum tempus pertinet, aut ad praeteritum 362
cauſſarum forma duplex, quarum una delectationem potiſſimum aurium ſequitur, altera ſuſcipit omnem contentionem probandi gratia, & impellendi audientium animos, quocumque uoluerit 361
cauſſarum forma, ſi ad futurum tempus pertinet, deliberatio uocatur; ſi ad praeteritum, iudicium 362
cauſſa eſt conſultatio certis perſonis, & temporibus definita 355
cauſſae principales omnes conficientes uocantur 388
cauſſarum euentu, qui 404

caussa, si magna sit, & grauis, in definitiua controuersia possumus, uel in digressionibus, uel in peroratione, ut id postulare uideatur uti amplificatione ad permouendos iudicum animos, ut uel oderint, uel misereantur 413
caussa efficiens duplex est, uel enim a necessitate pendet, uel a delectu 276
caussarum genus, quod ad auscultatores pertinet, Cicero uocat, exornationem 286
caussae coram auditoribus aguntur 286
caussarum genera tria sunt 286
caussae mediocres temperatum, & aequabile dicendi genus desiderant 351
caussae, & consilia, si recte explicentur, ualde uerisimilem orationem efficere solent 405
caussa omnis, semper, uel ad delectationem, uel ad probationem refertur 361
caussa quae 401
caussarum, & euentorum differentia magna est, quatenus ad facti probationem attinet 404
caussarum aliae sunt constantes, aliae inconstantes 218
caussarum genus, in quo de futuris statuitur, dicitur deliberatio 286
caussarum genera tria sunt, primum exornatio dicitur, secundum deliberatiuum, tertium iudiciale 362
caussae aliquae, ad utilitatem referuntur, aliquae ad facultatem 387
caussae omnes coniecturales, ad uoluntatem, & facultatem referuntur 404
caussarum genera duo sunt, primũ quod ipsum conficit, alterum, quod uim affert ad conficiendum 387
caussa nulla est, in qua id, quod in iudicium uenit, ex reorum personis, ac non generum ipsorum disputatione quaeratur 398
caussarum cognitio cognitionem euentorum facit 277
Catilina captus amore Orestillae filium e medio sustulit 333. & 337
caussa efficiens, quae 276
caussae efficiẽtes, uel maiores sunt, uel minores 388
caussarum omnium praestantissimus, & optimus est finis 276
caussae rerum saepe inter se comparantur, & praecipue in coniecturalibus cõtrouersijs, cum de facto quaeritur 280
caussarum euentus, sunt quaedam consequentia signa praeteriti, & quasi uestigia facti 404
caussarum uarietas magna est 351
caussa conficiens, quae 387
caussa efficiens, quandoque ipsa est forma 178
caussarum diuisio 216.217.218
caussa, quomodo plus petatur 393
caussis omnibus, ac finitis quaestionibus adiungitur communis locus, & infinita quaestio 255
caussarum genus, quod pertinet ad iudices, iudicium appellatur pag. 286
caussae efficientes, aliquae principales sunt, aliquae secundariae pag.
caussa quid, & de caussa efficienti 160
cautio, quae 399
censu, quomodo seruus efficiebatur liber 146
centauri ebrij rapere Hippodamiã conati sunt 337
cessio, quomodo fiebat 180
cessio in iure, quomodo, & apud quem fieret 183
Cethegus multum uim telorum, & malleolorum ad inuadendam, & incendendam urbem praeparauerat 333
Charondas Tyrius 420 se ipsum quo modo interfecerit 420
charmides, ita memoria praestitit, ut tota uolumina, semel audita recitaret 316
Charmides, interrogatus a Socrate, qua in re potissimum gloriaretur, respondit, ego in paupertate ualde glorior, cui Socrates, in re sane, per quam gratiosa pag. 357
Chalcas uates 260 Graecorum nauibus propter diuinandi scientiam praefectus fuit. ibid.
Chilo Lacedaemonios praecipiebat, ut ne quid nimis 376
Chilo Lacedaemonius, unus e septem sapientibus falsum pro amici salute consilium dedit, sed, an iure reprehendi posset, dubitauit 356
Clytus ab Alexandro Magno interfectus 276
Chrysippus, Stoicorum porticum fulcire dictus est 370
Chrysippeum acumen, pro magno ponitur 370
Chrysippus aliquando interrogatus, cur non remp. administraret respondit, quia mala administratio, deos, bona, homines offendit 359
Cicero cos. anno LXXII ante aduẽtum Domini 160
Cicero frequenter descriptione loci, ue demonstratione utitur. pag. 266
Cicero sex orationis partes ponit, exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehensionem, conclusionem 254
Ciceronis mentio quoties fiat in Pandectis 135
Cicero Rhetoricam ait esse eloquẽtiam dilatatam 256
Cicero dialecticam ait esse contractam quandam eloquentiam, & adstrictam 256
Cicero ponit tres quaestiones qualitatis per se, prima est, honestũ ne sit pro amico periculum, aut inuidiam subire, secunda, sit ne utile in rep. administranda uersari, tertia sit ne aequum amicos cognatis anteferre 359
Cicero nõ tantum latine, sed etiam Graece multa scripsit. 250 adeo Graecae linguae peritus erat, ut cũ aliquãdo Rhodi Graece declamasset, & eũ Apollonius Molonius celeberrimus Rhetor audiuisset, facere nõ potuit, quin uehementer ingemisceret. cuius rei caussam interrogatus, respondit, se ante credidisse Graecos a Romanis in arte tantum militari fuisse superatos, tunc uero, se gemitum cõtinere non potuisse, cum etiam eloquentia sua gentem superatam esse intelligeret. ibidem.
Cicero filium habuit suo ingenio, atque moribus ualde dissimilẽ. pag. 249 cum Athenis esset, a Gorgia Rhetore, cui operam dabat, ad uoluptates, & potationes allectus fuit, atque ideo pater cum hoc audiuisset, eum a Gorgia abduxit, iussitque, ut Cratippo Peripatetico Philosopho operam daret, ibid. propter ebrietatem omnem fere memoriam amisit. ibid. a prima adolescentia, non tantum in litteris, sed etiam in arte militari magnã de se spem concitauit. ibidem. post mortem patris, cum Augu

stus

ſtus Caeſar ſolus rerum potitus eſſet cum ipſo Auguſto hic Ciceronis filius conſul factus eſt. ibid.
Cicero filium ſuum inducit de ratione dicendi percunctantem ea Latine, quae iam ipſe pater illi Graece tradiderat 249
Cimon Athenieñſis maxime celebratur, qui quotidie domi conuiuiũ parabat, quo turmatim pauperes conueniebant, agrorum ſuorum ſaepes auferri iuſſit, ut omnes impune fructibus ueſcerentur, quos premi paupertate intelligebat, eos collata furtim pecunia ſuſtentabat 369
circumſcriptio quae 305
circumſtãtiae ſex ſunt, perſona, res, cauſſa, locus, tempus, modus. pag. 388
circumſtantiae quae 323
circumſtantiae quot ſint 388
circumſtãtia, Graece Periſtaſis. 388
circumſtantiae multum coniecturã adiuuant 405
ciuile ius publicum quod 394
ciuile ius priuatum quod 394
ciuilis ſcientia, Graeco nomine Politica, princeps aliarum omnium ſcientiarum ab Ariſtotele dicitur. 357 docet iuſtitia, bonis legibus, prudentia, & fortitudine rempublicam adminiſtrare. pag. 357
ciuilis quaeſtio, quae naſcitur ex ratione, & firmamento, anguſta, & certa eſt, quoniam diſceptationem, ac iudicationem continet. pag. 396
ciuile ius, iudiciis dominatur 394
ciuile ius quadruplum eſt, uel publicum, uel priuatũ, uel in lege, uel in more 394
ciuilis quaeſtio in iudiciis duplex eſt, prima, quae naſcitur ex intentione, & depulſione; altera, quae naſcitur ex ratione, & firmamento 396
ciuile ius in more, quod 394
ciuilis quaeſtio, quae naſcitur ex intentione, & depulſione, diffuſa eſt, atque lata, & quodammodo confuſa, quia nullam habet rationem, quam ſequatur. 396
ciuilis prudentia, quibus rebus conſtet. 368
ciuilis prudentia, quae 368
ciuile ius in lege quod 394
ciuitatis totius ſalus in legibus eſt poſita 415
ciuitas 8
ciuitas pars patriae 57
claritas eſt prima uirtus orationis. pag. 304
Cleomenes rex Lacedaemoniorum pag. 306
Clodius Fauonio dixit Milonem triduo periturum. 33
Cn. Lentulus, actione, plus opinionis cõſecutus eſt, quam eloquentia 316
coemptionis connubialis antiqua forma 157
cognatio 44
cognitionis quaeſtio; & eius partes, an ſit, quid ſit, quale ſit 230
cognitionis quaeſtio prima, quae. pag. 358
cognitio, quae ad uitam, & mores attinet, longe magis uerborum copiam alit, quam omnia Rhetorum praecepta 421
cognitionis quaeſtio, quae 356
cognitio cauſſarum, cognitionem euentorum facit 277
cognomen 43
cognomine apud Romanos familiam oſtendi 188
cognominata dicuntur ea uerba, quae eãdem habent ſignificationem, quae ſaepe in amplificatione conglobantur 348
cohortationes ex rebus magnis, quomodo ſumantur, uel eas retinendas 352
collatio 6
collatio, Graeco nomine parabola, quae a ſimilitudine ducitur, quae ſit 271
collatio poteſt in pluribus fieri. pag. 359
collocatio duplex eſt, rerum, & uerborum 284
collocatio rerum, quae 284
collocatio eſt ſecunda Rhetoricae pars 284
collocatio uerborum, quae 284
collegium augurum ſummo in honore fuit Romae 260
collatio ſimilitudinis ſpecies. 190
color, uiſus proprium eſt obiectũ. pag. 356
coloris permutatio a timore plerũque naſcitur, & a mala conſcientia. 333
comes elocutionis eſt pronunciatio pag. 254
commemoratio ignominiae, infamiae, contumeliae, dedecoris, ad omne genus hominum commouendum plurimum, grauis enim ex his rebus dolor enaſcitur. pag. 385
commiſeratio breuis eſſe debet, ut magis animos feriat, & ne auditor ab eo, quem ceperat impetus ad rationem redeat 352
commoditas, aut in corpore, aut in externis bonis ſpectatur 383
commoditas duplex eſt, aut cum ipſa honeſtate coniuncta; aut ab ea diſiuncta, quae uel corporis eſt, uel fortunae 383
commoditas 9
commota mente, qui eſt, furioſus, & inſanus dicitur 403
commotiones animi in omni conſilio dando, praecipue dominantur, ſpes, cum bona proponuntur; metus autem, cum mala. 385
commotiones animi, duae ſunt, quae poſſunt hominem, quocumque uelint impellere; hoc eſt ſpes, & metus 385
communia, quandoque propter multitudinem uim habent maximam 283
communia argumenta debet orator praetermittere 283
communis locus accuſatoris ille eſt, qui non ad probandum, ſed ad amplificandum attinet 406
communes loci contraſcriptum ex aſſumptiua qualitate 117
communes loci in coniectura 94
communes loci ubi ſunt 45. 93
communibus locis, quid quaeratur 94
communis locus contraſcriptum 116
communis locus duplex 92. 93
communis locus eſt argumentũ 93
communis locus ornamenta deſiderat 93
communis locus quando inducatur 93
communis locus rei 89
communis locus unus contra tranſlationem 97
communium frequentia in definitione oratoria, quae 335
commune 34. 50
quid commune 60
quid differant commune, & id, quod fere ſolet fieri 60
communia, quae 304
communia argumenta, quae 282
commutabile 60. 34
commutatio in coniunctis uerbis, triplex eſt 313
complexio 73. 56
in complexione res duplex 56
comparabile 61
comparabile, quid 60
comparabile, quomodo infirmetur

tur 71
comparatio omnis, aut in numero conſtat, aut in ſpecie, aut in ui, aut in aliqua locata extrinſecus affectione 224
comparationis definitio, partes, uſus 171
compoſita uerba grandiora, & conſonantiora habentur 297
comparatio contrariorum 278
comparatio in amplificatione, quo modo fiat 318
comparatio, quae 278
comparationis accurata tractatio, de maioribus, minoribus, paribus: & quid in ſingulis ſpectandum 170.224
comparatio parium, nec elationem habet, nec ſubmiſſionem, eſt enim aequalis 282
comparatio omnis communiter dicitur etiam ſimilitudo 278
comparationes, quae ducuntur ab hominum actionibus, ſunt, uel a maiori, uel a minori, uel a pari 278
comparatio, quomodo differat a ſimilitudine 278
comparatio tantum ad homines refertur 278
comparatio omnis duplex eſt 224
comparatio, qualitati additur 338
comparationes de rebus repetendis, aut fugiendis, quae 278
comparationes a maiori, a minori, & a pari, quae 278
comparatio 3. habet partes 60
compenſatio, ſiue comparatio 102
comparatio ſecundum numerum eſt in temporis ratione 224
comparabile, cuius partes imago, collatio, exemplum 199
comparatio differt ab exẽplo, quoniam exemplum eſt comparationis ſpecies 278
comparare aequitatem, quid dicatur 394
compoſitio eſt in concinnitate, iunctura, & numero 294
comparatio ad infirmandos teſtes, plurimum ualet 344
compenſare, uerbi ſignificatio 321
conceſſio 113
conceſſio, quid ſit 107
concedere 58
conceſſionis diuiſio 113
conceſſionis partitio 107
concinnitas fit tribus modis 303
concluſio 74.77
in ſimplici concluſione ſimplex res 56
concluſionis partes 77
concluſionum 4. genera 67
conciſio uerborum quae 305
concluſio, eſt artificioſus terminus, ac finis orationis 254
concluſio ad motum refertur 289
concludendi ſeptem modi praecipui 204
concurſio rerum fortuitarum, facit fidem 229
concurſus uocalium fugiendus eſt in graui oratione 310
condicio communis periculi, ſaepe in exemplis conquerenda eſt. 339
condicionalis propoſitio, quae. pag. 205
conducere 58
confeſſio defenſoris, ſemper aliquid rationis annexum habere debet 397
conficiens cauſſa, quae 387
confirmatio 42
confirmatio eſt, per quam argumẽtando noſtrae cauſſae finem, & auctoritatem adiungit oratio. pag. 254
confirmationi tria data 60
confirmationes in exornatione non admodum requirũtur, quia pro certis, & indubitatis omnia ponuntur 363
confirmationis initium ſaepe a partitione ducitur 328
confirmatio ad faciendam fidem adhibetur 328
confirmatio ad fidem refertur. 289
confirmationi, cõmata conueniunt. pag. 409
confirmatio ſemper eſt neceſſaria. pag. 317
confirmatio rei, de qua uerba fiunt, fidem facere conatur 255
conformationes frequentiores ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uim habent. pag. 350
congeries in amplificatione, quomodo fiat 318
congeries, uel frequentationes, exornatio Rhetorica 310 protrahitur aliquando in longum multarum rerum conrentione, ibid.
congregatio 6
coniectores, qui 328
coniectores dicuntur ſomniorum interpretes 395
coniectura unde capienda 85
coniecturae loci 84
coniecturae, quid argumenta luggeret 90
coniecturae propriae probationes. pag. 92
coniectura, quomodo fit una per ſe conſtitutio 401
coniectura in omni cauſſarum genere, quomodo eſſe poſſit 406
coniectura ſemper quodammodo confuſa eſt, & incerta, quia nulla eſt in ea ratio, neque firmamentum, quod rationi opponatur pag. 397
coniectura quae 394
in coniecturis facta, & euenta ſunt explicanda 332
coniectura diffunditur in omnes quaeſtiones, & in omne genus Rhetoricae 329
coniecturae partes 230
coniectura in omnibus conſtitutionibus quomodo fit 400.401
coniecturae quaeſtio quae 356
coniectura ad omnia tempora quo modo ualeat 406
coniecturae exemplum 396
coniecturalis quaeſtio in duo genera diuiditur, primum poſſit ne fieri, ſecundum, quomodo, aut unde fiat 358
coniecturalis ſtatus nullam aliam habet rationem, praeter ipſam negationem, infitiationemq. facti 395
coniecturales cauſſae ad uoluntatẽ, & facultatem referuntur. 404
coniectura duobus modis confirmatur, hoc eſt ueriſimilibus, & proprijs rerum notis 329
coniecturalis conſtitutio, quae. pag. 395
coniecturalis ſtatus, qui 328.329
coniecturales iudicationes, duae pag. 102
coniecturalis conſultatio 103
coniugata, quae 152 Graecis συζυγία dicuntur, ibid.
coniugata Ariſtoteles uocat nomina, & uerba 269
coniugata, quae dicantur. De uarijs modis coniugatorum. De uſu huius argumenti. Quomodo differat a nota. & eius ex iur. ci. exempla 153
coniugata ſunt, quae orta ab uno uarie commutantur 268
coniugatorum, & caſus differentia 269
coniugatio, quantum diſtet a nota. 195
coniuncta ſunt, quae unicuique rei finitimam naturam tenent 151
coniuges, germani, parentes, liberi, perſonas noſtrorum, quas non minus, quam nos ipſos diligere debemus reſpiciunt 382

coniuncta,

INDEX

coniuncta,quae 288
coniuncta 273.274
coniunctio uerborum, ſiue compoſitio quattuor modis erit ſuauis 309.310
connexum pronunciatum, quod pag. 275
connexum,negatione addita fit repugnans 212
coniugatio uerborum, Syria Graecis dicitur 268
connubiorum iura, qui auctores doceant 157.166
conqueſtio 77.78
conqueſtio defenſoris 108
conſcientiae ſigna ſunt pallor, & tremor in eo,qui arguitur 405
conſecutio,quae 304
conſentanea 279
conſentaneorum, duae ſunt partes pag. 204
conſequentia,quae 274
conſequentia, ſemper eueniunt. pag. 274
conſequentia in accidentibus conſiderantur 226
conſequentia,quae ſint 204
conſequentia frequentatio in amplificatione maximam mouendi animos uim habet 350
conſequentia, cauſſae, & euentus, magnam afferent dicendi copia, ſi in ſingulis diu conſiſtemus. 379
conſequentia ſaepe multum laudes amplificant 379
conſequentia ab antecedentibus ſe parari non queunt 151
conſequentia quae 165
conſequentia,in laudando, uituperandoque, quomodo requirantur 378
conſequentia,quae 404 Graece, Acolutha dicuntur,ibid.
conſequens eſt,quidquid id, quod antecedit,inſequitur 151
conſequens,quod 204
conſequutio 127
conſilia,& cauſſae,ſi recte explicentur, ualde uerisimilem orationem efficere ſolent 405
conſilium 91
conſilium in quibus ſpectetur 91
conſilium animi deliberati eſt, & a diligenti rerum conſideratione naſcitur 332
conſilia ſaepe explicantur in narrationibus 326
conſilium dare cum uolumus, & aliquid diſſuadere,ſtatim oſtendere debemus, quam illud ſit turpe,quam fugiendum 385
conſonantes quaedam ſunt, quae quoties concurrunt,aſperam, & moleſtam efficiunt orationem 310
conſtituere actione, quid dicatur pag. 394
conſtitutio tranſlatiua, ante iudicium, & in ipſo iudicio tractari poteſt 392
conſtitutio tranſlatiua, ante iudicium, quot modis tractetur. 392.393
conſtitutio tranſlatiua in ipſo iudicio ſaepe magnum pondus habet 393
conſtitutio translatiua,quae 392
conſtitutio cauſſae, ex intentione accuſatoris,& depulſione defenſionis,quomodo oriatur in coniectura 396
conſtitutio qualitatis, quae 414 hanc quaeſtionem nemo recte tractare poteſt, niſi qui rationem omnem iuris diligenter intellexerit, quoniam a iuris cognitione tota pendet 414
conſtituere 39
conſtitutio 19.104
conſtitutionis certi loci 101
conſtitutio coniecturalis,quae 358 395
conſtitutio, quae 318
conſtantes cauſſae,quae, 218
conſtruere difficilius eſt, quam deſtruere 381
conſultationis duo ſunt genera, alterum ad cognitionem, alterum ad actionem pertinet 356
conſultatio ſpecies & genera complectitur 355
conſultationum genera ad inuentionem, & diſpoſitionem,quomodo accommodentur 360
contentio,uel in iudiciis ſpectatur, & tunc actio dicitur;uel in ſenatu,& tunc ſententia uocatur; uel in multitudine hominum, quae concio nominatur 254
contentio uerborum in propoſita controuerſia, uidetur pro reo facere 411
continentia cauſſarum, quae 396
continentia, & innocentia, duae temperantiae partes, quae in rebus commodis ſpectantur, maximam afferre laudem poſſunt 369
continentia,quae 368
continentia 47.58
continentia, qua de re agitur 230
contractio orationis, tunc uitioſa eſt,cum neceſſaria omittit 306
contradicere uerbi ſignificatio 273
contrarium,quod 272
contraria contrarijs cum referuntur,relata intelliguntur 348
contrariarum legum controuerſia, quomodo naſcatur 400
contrariae leges, ambiguitas, ſcriptum, & ſententiae, quomodo, ex ſcripto in controuerſia ſint. 399.400
contraria, quomodo comparentur pag. 278
contrarijs idem non poſſe conuenire 159.160
contrarium,quod 271
contraria in exornatione,quae 364
contrariae leges, ambiguum, ſcriptum, & ſententiae, tres ſunt controuerſiae, ſeu conſtitutiones legitimae 417
contrariorum quattuor ſunt genera 272
contrariorum eſt eadem diſciplina pag. 272
contraria,quae 202
contraria ſaepe inter ſe comparantur 279
contraria media in uirtutibus 122
contrariae leges 118
contrariae leges,quot ſint 118
contrarias leges, quomodo faciat una lex 118
contrarietas legum,in qua ſit 118
contrarium 52
contrariorum genera diuerſa 202
contrariorum genus ab aduerſis in oratione habet miram gratiam 272 praecipit Cicero, ut orationem noſtram frequenter hoc genere illuſtremus.ibid.
contraria ſunt, quae in eodem poſita genere longiſſime a ſe diſcrepant 151
contraria in contrariis non ita ſunt, tamquam relatio 160
contraria, frequentiora ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uim habent 350
contrariorum, alia dicuntur aduerſa,alia priuantia, alia negantia, alia relatiua 227
contraria, cum aduerſum ſe e regione locata ſunt, conferri non poſſunt, quia ſubintelliguntur eſſe inimica 224
contraria dicta non poſſunt ambo uera eſſe 346
controuerſia contrariorum ſcriptorum, quomodo tractari poſſit 420
controuerſia, quae naſcitur ex ſcripto,quae ſit 418

controuerſia quaeſtionis iuridicialis in uerbo legitima conſtitutio uocatur 336
controuerſiae, ſeu conſtitutiones, legitimae nominantur, quoniã ex aliquo genere ſcripti legitimo naſcuntur 417
controuerſia, quoties de qualitate eſt, tunc diligenter uidendum eſt, quid ius ciuile, & quid aequitas poſtulet 394
controuerſia, quomodo naſcatur 411
controuerſia rationalis, quaeſtionis iuridicialis in re duplex eſt 336
controuerſia definitiua, non ad ſcriptum pertinet, ſed eſt conſtitutio per ſe rationalis 417
controuerſias legitimas, alii quinque faciunt, alii quattuor, Cicero tres tantum numerat 417
controuerſia, quae Graeco nomine uocatur Antinomia, quae ſit 420
controuerſiae tres, quae ex ſcripto naſci ſolent, quomodo oriantur 399.400
controuerſiae, ſeu conſtitutiones legitimae tres ſunt; ambiguũ, ſcriptum, & ſententiae, contrariae leges 417
controuerſiae, ſeu conſtitutiones rationales, quare dicantur 417
controuerſia, quae naſcitur a definitione, quomodo & ab accuſatore, & a defenſore tractanda ſit. pag. 411
controuerſia quoddam genus a definiendi ratione, definitiuum appellatur 244
controuerſiae 16
controuerſiae ſcripti 111
controuerſiae quinque 111
controuerſiae legales quinque. 112
copia rerum, copiã uerborum alit. pag. 253
copulatum quod. 275. eius partes omnes uerae eſſe debent. ibidem.
Cor. Cethegus primus apud Romanos oratoris nomine dignus habitus fuit 363
cor in dolore uehementius commouetur, & conſtringitur. 352
corpus ipſum orationis in deliberatiuo genere nihil fucatum, aut nimis exſpoliatum habere debet, ſed eſſe ſimplex, & graue. pag. 291
corporis bona 124
conuenire in matrimonium, pro cõuenire in manum, Tribonianus ſcripſit 170
conuenta quaedam fiunt inter homines, ſine ſcripto, tantum ex cõmuni conſenſu, quae non aliter, atque iura ſcripta ſolent obſeruari, & retineri 415
conuentum, ſtipulatio, tabulae, pactum, iuris priuati quattuor ſũt exempla 415
conuentum eſt, quo homines inter ſe de aliquo negotio conueniũt, & generalius eſt conuentum, quã pactum, licet interdum confundantur, & alterum, pro altero ponatur 415
credibile 61
credibile quid 59
credibile fit ex attributis negotio. pag. 70
credibile per ſeipſum facit 59
credibile quinque modis poteſt reprehendi 70
credibile, quomodo reprehendatur pag. 70
crimen Maieſtatis grauiſſimum eſt, & proximum ſacrilegio 397
crimen maieſtatis, quod 397.398
crimina audita, ac renouata, tamquam aculei mentes iudicũ pungent 355
crinomenon, ideſt diſceptatio, ſiue iudicatio 396
criminatio, miſericordia, iracũdia, ceteraeq. huiuſmodi animi perturbationes ad mouendum iudicem pertinent 257
Croeſi filius ab Adraſto imprudenter interemptus 277
Croeſus, Lydorum rex 272 eius filius ex muto loquens euaſit. ibidem.
Crotone, ſalubrius prouerbium. pag. 331
Crotoniate 82
Cteſiphon orator e ciuitate ſua a Lacedaemoniis expulſus eſt, quoniam dicebat de quacumque re, quae ſibi proponeretur, ſe totũ diem poſſe dicere. 307
cupiditas, quae 285
cupiditas caeca, & temeraria animi dominatrix. 330
cupiditates in cauſſa ſunt, ut homines quaelibet maleficia aggrediantur 402
cupiditas caeca, & temeraria, dominatrix animi, ſaepe hominem impellit in fraudem 402
Curator Atys filij regis Croeſi, dum aprum cuperet occidere, ipſum Atym interfecit 332.333
C. Curio, magna patrimonia temere profundit 374
Curius, apud Romanos frugalitatẽ & continentiam amplexus eſt. 368
Curius, apud Romanos in bellica laude plurimum praeſtitit, & ſempiternam ſibi gloriam acquiſiuit 369
Curiana cauſſa 199
Cyneus Pyrrhi legatus memoria plurimum praeſtitit 316
Cyrus Perſarum rex, fere quotidie uenari ſolebat 372

D

DAmni, & Damnatio unde deducta 169
damnum infectum quid ſit 160
Damon, & Pythias, amiciſſimi. 359
Decij tres pro patria mortui ſunt. 379
decreta 291
dediticiorum condicio 148
defenſionis depulſio, quae 396
definita quaeſtio, quae. 255. Graecis hypotheſis eſt. ibid.
definita quaeſtio, quae 355 Graece hypotheſis dicitur. ibid.
definire, argumentari, partiri, dialecticae officia tria ſunt, quae ſunt etiam oratori neceſſaria 421
defendi poteſt, quaſi iure factum, quod fit ex communi conſuetudine 415
defenſor frequentiſſime in amplificatione quaerit iudices ad miſericordiam reuocare 354
defenſoris confeſſio ſemper aliquid rationis annexum habere debet pag. 397
defenſor inducet, non eſſe uerifimile id eſſe factum, quod ait accuſator, cum nulla ſigna facti proferantur 406
defenſor exordium totum in eo conſumet, ut iudicem ab accuſatore criminibus exaſperatum mitiget, & eius beneuolentiam ſibi conciliet 292
defenſor, arripiet aequitatem & contra uerborum acerbitatem diſputabit, ſi aliquis, non conſulto, neque dedita opera contra uerba legis peccet 420
defenſor, non minus, quam accuſator, ad aequitatem confugiet, & ad iudiciorum auctoritatem ad aliquem finem periculi, id eſt, ut aliquo modo periculum effugiat, & controuerſiae finem reperiat 412

INDEX

defenſor, cum nulla ſigna facti proferantur omni diligentia cauſſas remouebit, ut oſtendat fictum eſſe crimen 406
defenſor, poſtquam omnia refutarit, poterit enumeratione, & conqueſtione uti 410
defenſor, quomodo uocabuli definitionem tractare debeat. 397
defenſor ſingula debet extenuare 410
defenſor, in narratione uel praeterit argumenta ſuſpicionum, uel eadem abſunt 410
defenſor, accuſatoris locos, in coniectura, quomodo infirmare debeat 408
defenſor duobus locis quomodo uti poſſit, hoc eſt ab aequitate, & a rebus iudicatis 412
defenſoris exordiũ querellam cõflati criminis, & conficti habere debet; ita, ut periculum eſſe commune oſtendat, & animos iudicum ad miſericordiam alliciat, ſibiq. beneuolos faciat. 409
a defenſore tres loci 102
defenſores loci contra impulſionẽ. pag. 87
Defenſores loci in definitione. 96
defenſoris ratio in ſtatu qualitatis ſemper certa eſt, quoniam aliter cauſſa non conſiſteret 398
defenſor quattuor potiſſimum rationibus, quomodo nitatur, hoc eſt a conſuetudine, a contrario, a conſequentibus, & a nomine ipſo 412
definitio, quae 178
definitio narrationis, quae 254
definitionis leges, & eius duo modi potiſſimi 145
definitiones non propriae, duplices pag. 227
definitio breuiter, & aperte rei cuiuſque naturam explicat 322
definitio 20
definitio Dei, & Naturae 44
definitio, ex quibus cognoſcitur. pag. 30
definitio Graecorum officij &c. 57
definitio legalis 120
definitio legalis, & rationalis ſtatus 120
definitio, quando oriatur 94
definitionis ornamenta 96
definitionis 3. uitia 95
definita conſtitutio 94
definitio eſt rei propoſitae portio, & dilucida, & breuiter comprehenſa uerbis enunciatio 264
definitio omnis in eo eſt termino, quem definit 145.152
definitiones, ſiue deſcriptiones conglobatae frequentiores ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uim habent 350
definitio omnis totum monſtrat, atque aperit 145
definitio eſt, quae id, quod quaſi inuolutum eſt, euoluit 264
definitio id, quod quaſi inuolutum eſt, euoluit, & proprie conſtat ex genere, & differentia. 335
definitiones κατὰ αγτίλεξιν, quae. 254.255
definitio, partitio, atque collectio inuentionem continent, & iudicium 136
definitio, quae 358
definitionum differentiae, quae. 184
definitio inuentionis, quae 233 254
definitiones quae in oratione conſiſtunt, quae. 184
definitio confirmationis, quae. 254
definitionum diuiſiones. 226.227
definitio narrationis, quae 324
definitio effectorum, uel officiorum frequens eſt apud auctores. 264
definitio interdum ad comparationis locum refertur 279
definitio fit ex genere, & proprietatibus 395
definitio partium debet omnes rei, quae definitur partes complecti 265
definitio rei conſtat ex genere, & differentiis, ſiue proprietatibus. 264
definitio exordij, quae 254
definitione uti docilem efficit auditorem 322
definitio, deſcriptio, & informatio uerbi, quomodo inter ſe diſtinguantur 395
definitio ſubſtãtiae illa eſt, qua philoſophi potiſſimũ utuntur, quia rei naturam explicat, & uera eſt definitio 264
definitio non eſt ipſius ſcripti, ſed rei, de qua ſcriptum eſt. 417
definitio concluſionis, quae 254
definitio accidentium eſt ea, quae tot accidentia colligit, ut quod definitur ab aliis omnibus ſeparetur 265 proprie uocatur deſcriptio, quae per omnes, quas appellant, circumſtantias ducitur. ibid.
definitio iuris, quae 356
definitio diſpoſitionis, quae 254
definitionis exemplum 396
definitio, quae profeetur ab utroque, poteſt multis ex locis confirmari, ſed praecipue a ſimilibus, a contrariis, & a conſequentibus 413
definitio pronunciationis, quae 254
definitio, non tãtum genus ſcripti, ſed unum tantum nomen, aut unam rem explicat 399
definitio oratoria duobus modis fieri poteſt 335
definitionis formandae modus. 187
definitiones interdum ex contrariis ſumuntur 335
definiendi ſpecies octo ſunt 336
definitio nominis ipſa eſt etymologia, ſiue notatio 264
definitionis definitio, & eius partes diuerſae 174
definitio memoriae, quae 254
definitio eſt, quae rei alicuius proprias amplectitur poteſtates breuiter, & abſolute 264
definitio quid faciat. & cur a Cic. tantum dicta 143
definitionis ſpecies quinque ad probandum utiliſſimae, ſcilicet ſubſtantiae, cauſſarum, effectorum, ſiue officiorum, partium, & accidentium. 264
definitio quid faciat. & quod in omni diſputatione praeponenda ſit. 145
definitio cauſſarum, uel omnes, uel ſaltem aliquas rei, quae definitur, cauſſas exprimere ſolet. 264
definitio duplex eſt, altera nominis, altera rei 264
definitionis, & teſtimonij differentia 258
definitio, quae Graecis uocatur τύπος, quae 184
definitio, quae 356
definitio eſt de eodem, & altero. 335
definitionum aliae ſunt propriae, aliae non propriae. 226.227 aliae corporalium, aliae incorporalium 227
definitio elocutionis, quae 254
definitio, quae 144
definitionum, aliae propriae definitiones ſunt, aliae abuſiuae. 184
definitio amicitiae 383
definitioni conueniens, conuenit definito 145
definitiuus ſtatus, qui 328
definitiua controuerſia, non ad ſcriptum pertinet, ſed eſt cõſtitutio

per ſe rationalis 417
definitiua conſtitutio, quae 335
deis, parētibus, & magiſtris, parem gratiam referre non poſſumus. 360
delectationis translatio, quae 300
delectus uerborum initium eſt eloquentiae 309
deliberatiuum genus de illis rebus eſt, quae in noſtra poteſtate ſitae ſunt, ut eas, uel agamus, uel dimittamus, & futurum tempus ſemper reſpicit 362
deliberatiui generis finis qui 379. 380
deliberatiui generis exempla propria ſunt 406
deliberatiui, & iudicialis generis differentia 401
deliberatiuum genus quod 286
deliberatio conſilij capiendi triplex eſt, prima, honeſtum ne ſit an turpe id, de quo deliberatur, altera utile, an inutile, tertia cum utile uidetur cum honeſto pugnare 359
deliberatio ſtatim tollitur, cum aliquid nullo modo poſſe fieri cōſtat 380
deliberatio omnis eſt in medijs officiis, in quibus, & honeſtas, & commoditas ſpectatur 384
deliberationis finis eſt utilitas 353
deliberationis partes 108
deliberatiua cauſſa 103
deliberatiuum 110
deliberationis finis eſt utilitas 382
Demetrius Phalereus in aequabili, & temperato genere dicendi ceteris omnibus antecelluit. 310
demonſtrandum eſt ex comparatione, quae ſuademus, non tantum effici poſſe, ſed etiam eſſe facilia, procliuia, iucunda 389
demonſtratio, quamuis non ſemper in quaeſtione honeſti, & turpis uerſetur, tamen hos ſibi fines proponit, ad quos omnia, quae dicuntur, facile referri poſſint 362
demonſtratio probandi eſt opifex pag. 256
demonſtratiuo genere, genus nullum uberius eſt ad dicendum, quoniam, non ad unum tantum cauſſae genus pertinet, ſed ad omnia 361
demonſtratio 15
demonſtratiua laudatiua dicitur. 121
demonſtratiua per honeſtatem tractatur. 124
demonſtratiuae partes 124
demonſtratiuae praecepta 120
demonſtratiuum genus, quod. 286
demonſtratiui generis propria eſt amplificatio 406
demonſtratiuum genus eſt ad oſtentationem fere comparatum. 287
demonſtratiuum genus, quare repertum ſit 286
demonſtratiuum genus, primum eſt, & uberrimum, atque utiliſſimum 362
demonſtratiua elocutio, nullum genus exornationis reſpuit 307
demonſtratiui generis finis, qui 379
demonſtratiui generis finis eſt honeſtas 287
demonſtratiui loci ijdem cum iudiciali 124
demonſtratiui praecepta 124
Demoſthenes primas, & ſecundas, & tertias partes in oratione pronunciationi dediſſe ſcribitur. 254
Demoſthenes primas, & ſecundas, & tertias partes in eloquentia pronunciationi tribuit 316
Demoſthenes 271 Aeſchinem trutinae aſſimilauit, ibid.
Demoſthenes abiecto clypeo fugit 335
Demoſthenes a M. Antonio notatus eſt, quod in una continuatione uerborum binas contentiones uocis, & remiſſiones complecteretur 310
Demoſthenes repreheſus eſt, quod in exornandis orationibus ſuis nimis eſſet diligens 307 eius orationes lucernam olere dictae ſunt, ibid.
deprecari uerbi ſignificatio 321
deprecatio, quae 337
deprecatio, quae 416 rariſſime uenit in iudicium, ibid.
deprecatio interdum defenſioni interponitur, praeſertim oblique 321
depulſio defenſionis, quae 396
de quo agitur, quid ſit 143
derogari lege 113
deſcriptio, quae 358
deſcriptio in definitiuis controuerſiis, quae 336
deſcriptio perſonae magnam interdum uim affert orationi 265
deſcriptio cauſſae eſt, quae explicat, cur aliquid factum ſit, aut non factum 265
deſcriptio loci frequens eſt apud oratores, hiſtoricos, & poetas 266
deſcriptio 20
deſcriptio, informatio uerbi, & definitio, quomodo inter ſe diſtinguantur 395
deſcriptio rei uocatur ea, quae quem quaſi ante oculos ponit, & eius uires explicat 265
deſcriptio eſt rei, cauſſae, perſonae, temporis, loci, modi ibid.
deſcriptiones ab effectis, quae ibid.
deſcriptio modi fit rem geſtam ante oculos ponit, ut uideri uideatur 266 eam Cornificius demonſtrationem uocat. ibid. ea frequenter utitur. Cicero ibid.
deſcriptio fit ex euentis, & communibus accidentibus 395
deſcriptio temporis frequens eſt apud oratores, quoniam plurimum ualet ad probandum. pag. 266
deſiderabilia, quibus facile carere poſſis, ideo ſunt meliora, quod maxime deſiderantur, & ſine his anxia uita eſt 225
deſpicientia in contemnendis honoribus, ſemper eſt uitioſa 374
deſpicientia, & ſuperbia, magnitudini animi finitima uitia ſunt pag. 374
deteriores ſolent eſſe nuper ditati pag. 331
detrimentum, & utilitas, quomodo in uoluntate conſideretur. pag. 404
dialectica 61
dialectica, quaſi contracta eſt eloquentia 135
dialectica, contracta eloquentia pag. 307
dialectica ſola, genera, ſpecies definitionis rerum docet, & ordine cuncta digerit 251 ſcientia ſcientiarum, & ars artium eſt appellata. ibid. philoſophiae totius clauis, & organum eſt, ibid.
dialectica eſt quaſi contracta quaedam eloquentia 252
dialectica habet uicinum uitium, artis eius, quae Sophiſtica appellatur 376
dialectica, quaſi fundamentum quoddam, Rhetoricae ſubſternitur 244
dialectica donum Dei fuit 251
dialectica dicitur inſtrumentum, & quaſi clauis totius ſapientiae, quoniam ad omnium ſcientiarum

rum principia uiam aperit, & ſine hac arte quiuis a uero abdu ci facile poteſt 370
dialectica inuentio Topice dici-tur, quae locos docet, & ſedes argumentorum, quibus uti-tur orator ad fidem faciendam 256
dialecticae, & Rhetoricae differen tia 244
dialectica, & Rhetorica ex eodem ſunt genere, quoniam nulla alia in re differunt inter ſe, niſi quod haec ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior 370
dialecticae officia tria ſunt, parti-ri, definire, argumentari, quae ſunt etiam oratori neceſſaria. pag. 421
dialectica, & Rhetorica utrum ſint uirtutes, nec ne 370
dialectica, & Rhetorica, ideo comi tes ſapientiae, ſiue prudentiae dicuntur, quoniam rerum co-gnitio praecedit, quae ſequun-tur ibid.
dialectica, oratori eſt neceſſaria pag. 421
dialectica, ratiocinandi eſt opifex pag. 256
dialectica officium 155
dialectica potius ea, quae genera-lia ſunt, pertractat 256
dialecticae, & Rhetoricae diffe-rentia 256
dialecticus animos mouere non quaerit, atque ideo non utitur exordijs, & perorationibus 370
dialecticus pertractat, quae ad co-gnitionem pertinent 256
dialectici, & philoſophi contractio ne orationis utuntur 307
dialectici officium eſt diuidere, defi nire, & argumentari. 244
dialecticus perfectus, tamquam deus eſt colendus 251
dialectici preſſius & ſpinoſius Rhe toribus argumentantur 340
dialecticorum officium eſt reperi-re quae audientium approbatio nem moueant, & quid uerum, quid falſum ſit, quid conſequẽs, quid repugnans in oratione nos doceant 244
Dialect. genus, & ſpecies 135
dialogus eſt ſermo ex interrogatio-ne, & reſponſione compoſitum, de iis rebus, quae uel philoſo-phiam, uel reip. partes attingãt, cum decora, congruentiq. perſo narum, quae inducuntur, expreſ ſione, accurataq. uerborum com poſitione 247
dialogus interpretatur a Cicerone diſputatio 247
dialogorum duo ſunt genera a Pla-tonicis uſurpata, quorum alterũ yphigiticon, alterum zitticon ap pellant 247
dialogus zitticos, quis dicatur. 247
dialogus yphiticos quis dicatur. 247
dialogus quid ſit 247
dicendi ſuaue genus primum fit ele gantia, & iucunditate uerborũ, ſonantium, & lenium 309
dicẽdi breuitate Lacedaemonij de-lectati ſunt 307
dicendi praecepta frequentius ob-ſeruari ſolent, ſed non tamen ita firma ſunt, ut mutari non que-ant 294
dicendo animi ſenſa comprimi-mus 255
dictio, oratoris 65
Didymus, apud Graecos, ma-gnam ex grammatica laudem conſecutus eſt 372
differentia legis, & naturae, quae 414
differentria aequitatis, & iuſtitia 392
differentia prooemij, prologi, pro-aulij 319
differentia coniugatorum, &c. 269
differentiarum ſpecies, quae 200
differentiarum, aliae ſunt ſubſtan-tiales, aliae, etſi non ſubſtantia-les, inſeparabiles tamen, aliae neque ſubſtantiales, neque inſe-parabiles 277
differentiae fortuitorum, quae. pag. 331
differentia pertinaciae, & perſeue-rantiae 358
differentia diuiſionis, & partitio-nis 192
differentia notationis, & coniuga-tionis 195
differentia, pro diſſimilitudine po-ſita 272
differentia quid, & de argumento a differentia 159
differentiam, & ſimile inuenire eiuſdem eſt artis 200
differentia comparationis, & ſimi-litudinis 278
differentia monſtri, & prodigii pag. 365
differentia iudicialis, & delibera-tiui generis 401
differentia, euentorum, & cauſſa-rum, magna eſt, quatenus ad fa-cti probationem attinet 404
differentia inter auditorem, & au-ſcultatorem 286
differentia affectionis, & habitus 371
differentia hominum 401
differentia malitiae, & uitioſitatis pag. 373
differentia, aequi, ueri, recti, & hu-mani 395
differentia inter uerisimile, & ſi-gnum 333
differentia amplificationis, & ar-gumentationis 315
differentiae naturales, quae 331
differentia ſigni, & euenti 404
differentia inter tranſlationem, & metonymiam 301
differentia exordii, & perorationis 346
differentia argumentationis, & amplificationis 347
difficilius eſt defendere, quam ac-cuſare 292
difficillima talia ſaepe habentur, ut nullo modo fieri poſſint. pag. 381
diffidentia 122
δικαιολογία, controuerſia 336
dignitas beneuolentiam, ſecundo loco conciliat 320
dignitas eſt in exornationibus, hoc eſt figuris uerborum, & ſenten-tiarum 294
dignitas probabilem facit oratio-nem 316
diligens qui eſſe uoluerit, etiam minima dicat neceſſe eſt 353
diligentes à diligendo 375
dilucida narratio, quae requirat 325
dilucidum efficit tantum, ut id, quod dicitur, intelligamus 309
dilucidi, & illuſtris differentia pag. 309
dilucidum tam in ſimplicibus uer bis ſpectatur, quam in coniun-ctis 305
dilucidum, quod 304
diluendo, extenuando, compenſan do, uel deprecando aliquod o-dium, & offenſio in ſe ab aduer-ſariis collata, uel prorſus tolli-tur, uel ſaltem minuitur 321
diluere uerbi ſignificatio, ibid.
Diogenes Cynicus media hieme, cum eſſent maxima frigora, pae ne nudus incedebat, & ſtatuas marmoreas ſub dio poſitas am-plexabatur, quo maiorem patiẽ-tiae laudem aſſequeretur. 375
Diogenes, cum adoleſcentem uidiſ ſet prae uerecundia rubentem

eſſe

eſſe factum,dixit, confide fili, talis eſt uirtutis color 371
Diogenes Cynicus dicere ſolebat, paupertatem eſſe uirtutē, quae ſine doctore percipitur 357
Diogenes Cynicus,cum ei quidam paupertatem exprobraſſet, nullum,ait,umquam ob paupertatē torqueri uidi, propter malitiam uero plures 357
Diomedes, equorum ſtudio maxime delectabatur 372
Dion, apud Graecos celebratur, quod iniurias ferret 369
diſceptatio, ſiue iudicatio, naſcitur ex conflictione, & quaſi concurſu rationis,& firmamenti, unde tota uis iudicij pendet 396
diſceptationes,& iudicationes,ſemper infinitae fiunt 398
diſceptatio, ſiue iudicatio, Graece crinomenon dicitur 396
diſceptatio,ſiue iudicatio in cauſſis omnibus eſt ultima, & ad eam argumenta omnia referri debēt. 396
diſceptator qui 286
diſceptatores ſtatuunt aliquid, uel de praeteritis rebus, ut iudices ſolent,uel de futuris,ut ſenatus, & qui deliberant 286
diſciplinarum ſtudia, fere in priuatis rebus uerſantur, quia pertinent ad animum cuiuſque perſiciendum 373
diſciplinae ſunt habitus animi perfecti 372
diſciplinae, atque artes liberales, uehementer laudari ſolent. 732
diſcipuli, plerumque praeceptorū mores ſequuntur 377
diſiunctum,quod 275
diſpoſitio,ad res,& uerba pertinet. 253
diſpoſitio 17
diſpoſitio eſt ordo, & diſtributio rerum,ac uerborum,quae demonſtrat,quid quibus in locis ſit collocandum 254
diſputandi ratio partes habet alteram inueniendi,alteram iudicādi 135
diſſentanea 279
diſſimile quod 271
diſſimile oſtenditur octo modis. 72
diſſimilia 279
diſſimilia, frequentiora ſunt in amplificatione,maximamq. mouēdi animos uim habent 350
diſſolutum,uel diſiunctio uocatur, cum plura membra ſine coniunctione proferuntur, & ita diſſoluuntur,ut unumquodque membrum ſuum uerbum habeat, & ſuum integrum ſenſum 348
diſſuaſor duas habet uias inueniendi,prima ſi poteſt oſtendere,non eſſe utile; ſecunda, ſi doceat non fieri poſſe 381
diſſuaſori ſex capita proponuntur, turpe,damnoſum,moleſtum,ſuperuacaneum,impoſſibile,difficile 381
diſſuaſor probare contendit rem eſſe arduam, & perdifficilem, atque ideo dimittendam 381
diſſuaſori ſemper ad ea reſpiciendum eſt,quae declinamus,& fugimus,ut eis affine eſſe oſtendat, quod diſſuadet 381
diſſuaſori ſatis eſt,aut utilitatem,labefactare,aut oſtēdere magnam eſſe difficultatem 389
diſſuaſor, quare debeat exemplorū habere copiam 390
diſſuaſor, quae infirmare debeat. 381
diſtinctio pronunciationis totam orationem dilucidam facit. 316
diſtributio quae 281
diſtributio 39
diſtributio eſt quoddam genus comparationis 281
diuina maxime laudari ſolent. 365
diuinatio quae 392
diuinatio eſt quaedam orationis ſpecies, quando duo, uel plures contra aliquem nominis delationem,atque accuſationem petūt, & de conſtituendo accuſatore controuerſia eſt 254.255
diuiſio bonorum,quae 383
diuiſio,ſeu partitio, nonnumquam ante narrationem,nōnumquam poſt narrationem ponitur 322
diuiſionem adhibere in oratione docilem facit auditorem 322
diuiſionis,& partitionis diſtinctio. 247
diuiſio eſt tamquam genus 247
diuiſio 39
diuiſio iudicati 60
diuiſio probabilis 57
diuiſio totam orationem dilucidā, & illuſtrem reddit 322
diuiſio aliud a partitione 193
diuiſio eſt plurium rerum in ſingulas 247
diuitiarum fortuna domina eſt. 225
diuitiae, nono loco inter fortunae beneficia ponuntur 331
diuitiae magnam habent commendationem,ſi quis eas ad liberalitatem, magnificentiamq. conferat 366
diuitiae ſaepe homines inſolentiores efficiunt 331
diuortium cur ita dictum. A quo permiſſum Romanis. Eius formula. Ex quibus cauſſis conceſſum, a quo primum factum. 164
diuortio facto dos apud quem maneat 164
docēdi ratio poſtulat, ut interdum aliqua differantur, & in opportunum tempus omittantur 284
docilem auditorem quinque efficere poſſunt 322
doctrina, atque exercitatio quod naturae deeſt interdum corrigit, & emendat 377
dolere, & timere, duae ſunt opiniones malae, una praeſentis,altera futuri temporis 285
dolor ueritatem elicit,& quae quis ſponte numquam diceret, ea frequenter propter dolorem cogitur dicere 407
dominium legitimum,uel naturale 147
Domitius Afer duos libros ſcripſit, de modo tractandorum teſtium 344
Domitius Afer duos libros de teſtimoniis conſcripſit 259
domus defintiio 264
donatio ſine acceptione non intelligitur 195
dos ſine matrimonio non eſt 166
dos, licet matrimonio conſtante in bonis uiri ſit, eſt tamen in uxoris iure, & poſt diuortium uelut res uxoria peti poteſt 222
dos, quibus condicionibus interdum dari ſoleret 222
dotis retentio ex quibus cauſſis, & quatenus permiſſa 165
δόγματα 57
dracon 10
Druidae in Gallia, ſcripta iura non habebant, neque habere uolebant,ſed a maioribus ſuis ea diſcebant, & poſteris ſuis quaſi per manus tradebant, ſed ea iura ſic ab eis obſeruabantur,quaſi ſcripta eſſent 415
dubia pro certis ſumpta uerisimilia argumenta infirmant 338 339
duplicata uerba dicimus illa, quae geminantur 348
duplicem poteſtatem habet amplificatio 318
duplicata uerba illuſtrant orationem

INDEX

nem 308
δυνατόν 123
dyſopia, ideſt, Verecundia uitioſa 376

E

EDICTA magiſtratuum, quae 180
educatio tribus potiſſimum rebus eget, natura, doctrina, & exercitatione 377
educatio, in toto contextu orationis illuſtrando ponitur ibid.
effecta, uel euentus, ſi comparentur inter ſe declarant, quanta ſit inter cauſſarum efficientium praeſtantiam differentia 280
effecta, quae 169
effectum eſt, quod praecedens cauſſa perficit 151
effecta, uel euenta frequentiora ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uim habent 350
effectus cuiuſlibet ſicut poteſt cauſſa tractari, ſic ex qualibet cauſſa poteſt, qui ſit euentus, oſtendi 223
effectus, cauſſae alicuius effectus eſt 152
efficiens cauſſa grauiorem uim habet, quam ea, quae nihil efficit 225
efficientis ab una cauſſa definitio pag. 264
efficientes cauſſae abſolutae, & perfectae ſua ui, nulloq. alterius auxilio conficiunt aliquid 388
efficiens cauſſa duplex eſt. uel enim a neceſſitate pendet, uel a delectu 276
efficiẽtes cauſſae imperfectae uim quidem magnam habent, ſed ope tamen egent aliena 388
efficientes cauſſae aliquae principales ſunt, aliquae ſecundariae pag. 276
efficientes cauſſae, uel maiores ſunt, uel minores 388
efficiens cauſſa, quae 276 ea frequentiſſime utuntur oratores. pag. 276
efficientium cauſſarum, duo ſunt genera, aliae ſunt abſolutae, & perfectae, aliae imperfectae. pag. 388
efficiendi facultas, ſpectatur potiſſimum in uiſibus, animo, copiis, opibus, circumſtantiis 408
egeſtas, & aes alienum ad turpitudinem ſaepe impellit 402
ἐκβάσις 87
εἰκών 52.60
elegantia eſt in uerborum delectu pag. 294
elegantes, ex eligendo 375
elegans, & ſuauis oratio conſtare debet ex iucundis, & ſonantibus, & lenibus uerbis 309
eloquendi genera duo ſunt, unum, quodammodo naturale, & ſua ſponte fuſum, alterum artificioſum 294
eloquendi genus ſua ſponte fuſum quod ibid.
eloquẽdi genus artificioſum, quod ibid.
eloquendi genus uerſum, atque mutatum, quod 314
eloquens nemo ſine philoſophia eſſe poteſt 421
eloquentia eſt ſapientiae ſpecies. pag. 370
elocutio, ad uerba pertinet 253
eloquentia 5.6
eloquentia peragentem cognoſcitur 3
eloquentiae principium eſt habere uerborum delectum 253
eloquentia ex Dialectica, & ciuili ſcientia conflata eſt. 421
eloquentia uera tantum in uiro bono, & ſapiente eſſe poteſt 370
eloquentia eſt copioſe loquens ſapientia 307
elegãtia fit uerborum delectu 309
eloquentia eſt lumen ingenii 370
eloquentiae uis in amplificatione maxime conſiſtit 318
eloquentia eſt copioſe loquens ſapientia 376
elocutio demonſtratiua nullum genus exornationis reſpuit 307
elocutio tribus conſtat, elegantia compoſitione, dignitate 294
elocutio eſt idoneorum uerborum, & ſententiarũ ad inuentionem accommodatio 254
elocutio 17
elocutio probabilis ea eſt, quae nõ nimis eſt compta, atque expoſita 307
elocutio ſola uidetur oratoris eſſe propria 254
eludere quid ſit 191
emancipatio rumpebat agnationem 392
emere 58
emancipationis formula 182
Ennius, inops quidem, ſed fide dignus fuit 407
ἔννοια, in corporalis rei notio dicitur 179
ἐνθυμηματική 104.105
enthymema, ſyllogiſmus Rhetoricus 340
enthymema eſt mentis conceptio, quod poteſt omnibus inuentionibus conuenire 213
enthymema communiter pro omni probatione Rhetorica ponitur 257
enthymemata ex probabilibus, ab exemplo, ab indicio, a ſignis quae 257
enthymemata quomodo fiant 213
enthymema quod 139
enucleatio, & minuta diligentia narrationi potius, & confirmationi conuenit 351
enumeratio, Graece Anacephalaeoſis quae 354
enumeratio, non tantum in peroratione poſſumus uti, ſed etiam in aliis partibus 355
enumeratio partium appellatur etiam inductio 267
enumeraaio fit duabus de cauſſis, primo, ut memoria reficiatur, deinde, ut maior orationis uis adhibeatur 354
enumeratio partium quae 146
enumeratio 73.77
enumeratio quid 56
enumeratio duobus modis fit 56
in enumeratione duplex res 56
enumeratio omnibus cauſſis adhiberi poteſt, ſed accuſatori praecipue conuenit, qui quaſi ſub unum adſpectum omnia ponere crimina ſtudet 354
enumeratione rarius reus uti debet, quoniam opus erit ei contraria etiam ponere, quae breuiter diſſoluere non poterit, 355
enumeratio locum habet in deliberationibus, 347 interdum etiã in iudiciis adhibetur, ibidem
enumeratio conſequentium multum definitionem adiuuat 336
Epaminõdas Lacedaemonios euertit 63
Epaminondas Thebanorum impe rat. 63
Epicureorum ſecta 121
Epicurus, & qui eum ſequebantur, numquam ſenſus percipi cenſebant 156
Ἐπιχείρημα, Graece eſt argumentatio 340
epiſtolae quotidianis uerbis texuntur 303
equa in exercitu Xerſis Perſarum regis leporem peperit 365
equorum delectatio ſtudium nobilita-

litatis eſt 372
eſſe quae dicant, quae non, Topicae tractatores 174
Eriton 261
Erucius 262
Etruſci in arte augurandi plurimũ excellere putabantur 260
etymologia multam eruditionem continet, quod uerborum originem quaerit. 268 hiſtorias etiam ſaepe continet ibid.
etymologia & coniugationis differentia 105
etymologiae uis, & exempla. 149
Euclides in Geometria ualde excelluit 372
Eucrates Socratis diſcipulus 328
Eudoxus, uoluptatem ſummum eſſe bonum dicebat, quod ad eam tota impetu omnia ferantur 385
euenta ſolent maxime ſuſpicionẽ mouere, quia uidentur tacita quaedam teſtimonia 404
euenta omnia ſigna ſunt, non autem contra 404
euentum, non idem eſt, quod ſignum 404
euentorum, & cauſſarum differentia magna eſt, quatenus ad facti probationem attinet 404
euentus cauſſarum qui 404
euentus, & cauſſa ſunt in omni cõiectura conſiderandi 401
euentus, latentibus cauſſis caſus eſt 218
euentus, in laudando, uituperandoque, quomodo requirantur 378
euentus, conſequentia, & cauſſae, magnam afferent dicendi copiam, ſi in ſingulis diu conſiſtemus 379
euentus, uel effecta ſi comparentur inter ſe, declarant, quanta ſit inter cauſſarum efficientiũ praeſtantiam differentia 280
euentus cauſſarum fortuiti, & uoluntarii, qui ab utilitatis ſpe, & a facultate naſcuntur, ab oratore conſiderari ſolent 404
euentus cauſſarum, ſunt maxime uarii, ſicut etiam cauſſae ſunt 404
euentus cauſſarum, aliqui ſunt neceſſarii, alii fortuiti, alij uoluntarii 404
euentus 53. 54. 127
euentus duo habet 127
euentus, & conſecutionis differentia 127
euentus fallit opinionem 86
euentus falſi exemplum 86
euentus quomodo fallit 85
euentus cauſſarum neceſſarii, qui de cauſſis naturalibus oriuntur, non ad oratorem; ſed potius ad philoſophum pertinent pag. 404
euentus cauſſarum, ſunt quaedam conſequentia ſigna praeteriti, & quaſi ueſtigia facti ibid.
euentus, & ſigna, quae conſequentia uocantur, quo modo facile refelli poſſint, quando ſunt eiuſmodi, ut non neceſſario conſequantur 408
euentus, qui 401
ex amicitia, religio, iuſtitia, & liberalitas pendet 383
excellere 8
exceptio nulla in lege eſt 419
excipere iniquitatẽ actionis, quid dicatur 394
exclamationes ſunt admirationis gratia 365
ex definitione firmiſſima deducuntur argumenta 264
exempla frequentiora ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uita habent 350
exemplum eſt inductio Rhetorica pag. 267
exemplorum tria genera ſunt, ſimile, diſſimile, contrarium 271
exempla in coniecturis ab anteacta uita ſumuntur, ad id probandum, de quo eſt controuerſia pag. 334
exemplum comparatio, quaedam eſt 278
exempla commemorare, quibus teſtibus non ſit creditum, plurimum prodeſt 344
exempla recentia, notiora ſunt, atque ideo magis uidentur animos mouere 390
exempla, nulli materiae magis, quam deliberationi, cõueniunt, quoniam ex praeteritis, quae futura ſunt, coniectura aſſequimur 390
exempla ſolent plurimum commouere 339 ſunt ad cauſſam accommodanda ſimilitudine aliqua, ibid.
exemplorum duo ſunt genera, recentia, & uetera 390
exemplum, & enthymema duo ſunt, ex quibus uniuerſa uis oratoria conflatur 390
exempla multa ſemper proferenda 10
exempla, tam ad ſuadẽdum, quam ad diſſuadendum plurimum ualent 390
exempla, deliberatiui generis propria ſunt 406
exempla uetera quandam prae ſe maieſtatem, atque auctoritatem maiorem ferunt 390
exemplum eſt inductio Rhetorica, quoniam eo frequenter Rhetores utuntur, & plurimum ualet ad ea probanda, quae dubia pag. 334
exempla multo magis mouent, quam uerba, & argumenta pag. 390
exemplum 60
exemplum eſt comparationis ſpecies 278
exempla, & amplificationes, ſaepiſſime in iudiciali genere ponuntur, non tantum argumenta 406
exemplum, quod a ſimilitudine ducitur, quod ſit 271
exitus, ſi fuerint felices, & improuiſi, expletur animus iucundiſſima uoluptate 365
exordij & perorationis differentia 346
exordium nonnumquam ab ipſis aduerſariis ſumitur 292
exordium totum, defenſor in eo cõſumet, ut iudicem ab acuſatore criminibus exaſperatum mitiget, & eius beneuolentiam ſibi conciliet 292
exordia, plerumque in deliberatiuo genere breuia ſunt, quoniã, qui deliberant, ſponte ſua parati ſunt ad audiendum, neque ſupplicare opus eſt, ut in iudiciis fieri ſolet 391
exordium accuſatoris eiuſmodi eſſe debet, ut reo acerbos iudices efficiat, & commune periculum eſſe oſtendat, atque ad audiendum excitet, debet enim acerbitatem habere uehementem. pag. 409
exordium 29. 30
exordium non alia de cauſſa adhibetur, niſi ut animi praeparentur ad audiendum 289
exordium, in quot diuidatur 33
exordiorum uitioſorum, ſeptem ſunt genera 324
exordium, eſt orationis principiũ, quo animo auditoris idonee cõparatur ad reliquam dictionem pag. 254
exordium defenſoris querellam cõflati criminis, & conficti habere

re debet, ita, ut periculum eſſe commune oſtendat, & animos iudicum ad miſericordiam alliciat, ſibiq. beneuolos faciat 404
exordium in eo differt a peroratione, quod mitiores affectus habere ſolet, peroratio uero perturbationes, uel commotiones, quae longe grauiores ſunt, & uehementiores 346
exordii officium, & partes 230
exornatio aliud amplificandi genus requirit, aliud cohortatio, aliud iudicium 353
exornationes, atque figurae tamquam ſtellae, quaedam maxime illuſtrant, & admirabilem efficiunt orationem 303
exornatio, quamuis non tantum laudare, ſed etiam uituperare ſoleat, tamen a meliori parte nomen habet, & non uituperatio, ſed laudatio uocatur 362
exornatio mouet animum, quia rem ante oculos conſtituit 309
exornatio eſt quaſi nutrix oratoris perfecti, quoniam ab ea uerborum copia alitur, & eorum conſtructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia 362
exornatio ſuum per ſe genus habet ab aliis ſeparatum, & per alia etiam genera ſpargitur. ibid.
exornationis, & laudationis genus deliberatiuo, & iudiciali permiſcetur ibid.
exornationem, ſiue demonſtratiuum genus Cicero uehementer laudat, quod ea omnia in ſe habeat, quae in oratore praecipua ſunt, ubertatem, utilitatem, honeſtatem 361
exſpectatio omnis, & admiratio eius, qui audit, in audiendo ſem per delectationem habet 365
exſpectatio, quomodo excitetur 353
expetenda tria 121
explicatio uocabuli, ac nominis in primis commouet 336
explicatio fit duobus modis 184
explicatio cauſſarum, fidem facit 326
ex praeceptis emergit uis oratoris 253
ex prudentia, & uſu rerum ſaepe homines futura uaticinantur. 260
ex ſcripto, quae naſcuntur, ſunt firmamenta grauiſſima defenſioni contraria 399
extenuare uerbi ſignificatio 321
extranea bona 124
Εὐσέβεια, Id eſt, Caritas, quae 351

F

Fabii, propinquorum multitudine freti bellum ſoli contra Veientes ſuſceperunt. 331
Fabius, apud Romanos in adminiſtratione reip. ſe prudenter geſſit 368
Fabricius, apud Romanos frugalitatem, & continentiam amplexus eſt ibid.
fabula 35
fabulae 33
fabula eſt ſermo falſus, qui ueritatem quodam modo repraeſentet 335
fabula, quamuis res incredibiles continet, tamen ſaepe animos commouet ibid.
faciendi libere, tres ſunt partes. 145
facilitas rei, aut difficultas, ſaepe in deliberando proponitur 381
factum tria ſignificat 84
facti cõtrouerſias locus plurimum adiuuat 331
facta uerba dicuntur, quae ab ipſo oratore finguntur, quod Graeci felicius, quam Latini faciunt 363
facta dicuntur, quae orator ipſe fingit, ut acrius, & uehementius dicat, etiam ſi noua ſint, & inuſitata 348
factum improbum, tria ſunt, quae excuſare poſſe uideantur, imprudentia, neceſſitas, caſus. pag. 416
facta, & euenta, aut a conſilio, aut ab imprudentia proficiſcuntur 332
facti ratio a iure ciuili, quo modo ducatur 395
facta, & euenta ſunt in coniecturis explicanda 332
facti ratio, uel a iure ciuili, uel ab aequitate ducitur 395
facta, non ſolum laudari ſolent, ſed etiam dicta, & cogitationes. pag. 378
facti quaeſtio, quae dicatur 204
facta ſaepe inter ſe comparantur, ut quae maiora ſint appareant 378
facti ratio nulla, poteſt in coniectura eſſe 397
facta ſunt ad uirtutum genera accommodanda 378
facti ratio ab aequitate, quo modo ducatur 395
factum, per ſe, quando probari non poteſt, quod contra ius eſſe uideatur, tunc aſſumptis extrinſecus auxiliis conamur illud defendere 416
factum, qui defendit, confitetur, ſed nomen facti, quod ab accuſatore profertur, negat 397
facta tria ſunt 126
facto unicuique, quae inſint ibid.
factum 20.31.46.47
factum cauſſae 47
factum omne habet attributa quattuor 126
facultas 85
facultates 51
facultas omnis agendi a conficientibus cauſſis pendet 387
facultates inter ſe comparantur, ut ſciri poſſit, quae res maiorem uim habet, quae parem, quae minorem 282
facultas, & utilitas, ſunt duae praecipuae patrandi maleficij cauſſae 401
facultates, & cauſſae, quomodo amplificandae ſint, cum nulla facti ueſtigia in reo reperiuntur 405
facultas oratoris poſita eſt in rebus, & uerbi 253
facultates, quae admodum pertinent, conſiderantur in rebus agendis 389
facultas, & utilitas ſunt duo prima capita in ſuaſione, ad quae referuntur omnia 401
facultas refertur ad efficientem cauſſam ibid.
facultas efficiendi, ſpectatur potiſſimum in uiribus, animo, copiis, opibus, circumſtantijs 408
falſum argumentum 58
falſum, quod 338
fatalia, magnam laudandi copiam ſuggerunt 365
fatum, quod 215
fatum quid. Et an inter adiuuantia ſit, uel neceſſaria 216
Fauonius 262
febris quartana laudata 361
felicitas 53
felicium multi cognati, prouerbium 331
fictum quod 338
ficta materia 112
fidentia, quid ſit 122
fidentia, & diffidentia differentia ibid.
fides, non a fortuna pendet 407

fides nominatur ex eo, quod fiat, quod dictum eſt 370
fides fit narratione, atque expoſitione cauſſae, & confirmatione 317
fides ut habeatur, duabus rebus effici poteſt, ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam 357
fides in Capitolio, uicina Iouis opt. max. fuit 263
fides magis ſingularia reſpicit 256
fidem facere, neceſſarium eſt 257
fides 42
fides, & motus ſpectantur in tota oratione 340
fides fit perſuadendo 256
fidem quae faciunt 230
fides, quae 284
fides, fit argumentis 256.257
fiducia praeſtanda. Quam graue id iudicium olim. Fiducia pro pignore. Fiduciam contrahere. 199
figurae uerborum, & ſententiarũ, partes ſunt elocutionis 193
figurae loquendi, Graecis σχήματα 192
figura in corpore, quomodo ſpectatur 330
figura Metonymia ſeptẽ praecipue modis fit 301
figurata uerba in exornatione maximam habent uenuſtatem, ſi ita conſtruantur, ut paria paribus, & ſimilia, & contraria, & geminata ſaepe referantur 364
figurae, atque exornationes, tamquam ſtella quaedam maxime illuſtrant, & admirabilem efficiunt orationem 303
filij boni a parentibus bonis procreantur 377
filij debent erga parentes ſumma uti obſeruantia 250
filij quandoque patrem, quãdoque matrem ſequuntur 166
finis cauſſae eſt fides, & motus. 285
finium regundorum iudicium, ruſticorum praediorum eſt, non urbanorum 171
finis 123
finis deliberatiue 120
finis demonſtratiue 120
finis iudicialis 120
finis ab una cauſſa definitio 264
finis longe, lateq. patet 277 & unde dicatur
finis qui 276 eo frequentiſſime utuntur oratores 276
finis qui 387
finis, quare omnium ſit praeſtantiſſima cauſſa. 387
finis orationis diligentiam maiorẽ requirit 303
finis, cauſſarum omnium praeſtantiſſimus, & optimus eſt, 276 277
finis iudicialis generis, qui 392
finis, quodammodo conficiens cauſſa propter exitum uocatur, quia, licet re ipſa finis ſit ultimus; tamen uirtute, & poteſtate primus eſt, quia propter utilitatem, & commodum primo animos deliberantium mouet, & ad ſe rapit. 387
finis quaeſtionis infinitae eſt fides. 285
fines duo ſunt in unoquoque genere 287
finis primo ſpectandus eſt in omnibus actionibus noſtris, deinde illa, quae nos ad fidem perducere poſſunt 388
finis primo in omni genere quaerẽdus eſt 392
finitiui tractatus 163
finitae quaeſtiones, quae controuerſiae, & cauſſa dicuntur, praecipue tractantur ab oratore 361
firmamenta, quae ponit accuſator ad fidem faciendam, defenſor tribus modis tractat, uel per ſe diluit, uel obſcurat, uel digreſſionibus obruit 292
firmamentum accuſatoris ne ſit, an rei 234
firmamentum 28.42
firmamenta, ideſt firma accuſatoris argumenta 292
firmamenta, quae ex ſcripto ſumuntur tantum ad qualitatem quomodo pertineant, non autem ad coniecturam, aut ad definitionem 399
firmamentum quod 396
firmamenta quinque, quae ex ſcripto proueniunt, primum a lege, ſecundum a teſtamento, tertium a formula iudicij, quartum a ſtipulatione, quinctum a cautione 398.399
foedus, leges, ſenatuſconſultum iuris publici, tria ſunt exempla. 415
foedus id dicitur, quod publice cũ externis populis, ac nationibus ſancitur 415
feminas apud Romanps gentis nomina ſortitas, non familiae. 188
feminae, quae integri capitis, quae capitis minutae 162
forma cauſſarum, ſi ad futurum tẽpus pertinet, deliberatio uocatur; ſi ad praeteritum, iudicium. 362
forma, cum de pluribus dicitur, ſpecies, & genus eadem eſt 270
fortuna euentus eſt, qui latentibus cauſſis efficitur 218
formae ſunt illae, in quas genus diuiditur 267
forma quae 276 ab eo ſaepe firma ducuntur argumenta. ibid.
forma quae 357
forma ſecunda cauſſarum, quae omnem contentionem ſuſcipit, ut obtineat, & probet, & efficiat, quod agit, bipartito diſtribuitur, aut enim ad futurum tempus pertinet, aut ad praeteritum 362
forma dicitur etiam ſpecies 270
forma quid, & quomodo differai a parte 189
forma, & materia partes ſunt rei. 276
formam, & cauſſam efficientem aliquando idem eſſe 215
forma pro ſpecie, & ſpecies pro forma 155
formae ab una cauſſa definitio 264
forma, & de duplici a forma argumentatione 156
formicae, Midae paruulo grana tritici in os congeſſerunt 260
formicae, Midae puero dormienti, tritici grana in os congeſſerunt. 365
formulae iudiciorum, cur ſublatae 193
fortitudo 2.121
fortitudinis partes 121
fortitudo oſtenditur in perſona. 350
fortitudo quae 369
fortitudini oppoſita eſt timiditas, & audacia 374
fortuna ſpectatur in perſonis poſt naturae conſiderationem. 331
fortuna, atque caſus ſemper ignotus eſt 218
fortunae incertus ſtatus multum animas mouet, & plurimum ualet ad ſuadendum 391
fortuna 45
a fortuna prouenit, ut quis, aut liber, aut ſeruus naſcatur 331
fortuna, & caſus ponuntur inter cauſſas efficientes 277
fortunae beneficio decem hominibus accidunt. genus, amicitiae, liberi, propinqui, affines, opes, honores, poteſtas, diuitia, libertas 331

fortui-

fortuitorum quinque ſunt differentiae 331
fortuitorum differentiae,quae.331
frater fiduciarius in emancipatione 182
frequentatio conſequentium in amplificatione maximam mouendi animos uim habet 350
frequenter defenſioni deprecatio interponitur,praeſertim oblique. 321
frequenter in deliberationibus a rebus exordimur 321
funebres orationes apud Graecos primum inſtitutae, ut ij laudarētur,qui pro ſalute patriae mortem oppetiuerant 361
fures, non alio modo furari quaerunt,niſi cum ſperant,ſe furtum occultaturos 403
fures,& praedones, ſaepe ſolent argui, cum apud eos ſublatae furto res inueniuntur 405
furioſi excuſationem habent, quia de ſua poteſtate exierunt 403
furta caeſa quae ſint 235
furta Veneris dulcia 403
ſurtum 95
furtiui amores 403
futurum tempus 49.50

G

GAudere,& cupere, duae ſunt opiniones bonae, una praeſentis, altera futuri temporis. 275
Gellii locus difficilis explicatur. 158
geminara in exornatione, quae. 364
geminatio,& duplicatio, exornatio Rhetorica 311 duplicantur nō tantum uerba, ſed interdum ſententiae ibid.
generalis conſtitutio 98
generalis conſtitutionis ſpecies.98
gentes quas appellent diuina eloquia 188
gentiles improprie dicuntur, qui ſunt eodem nomine, non gente 188
gentibus,populis,nationibus, quae uiſa ſunt auctoritatem habent. pag. 262
gentiles, & agnati quandoque pro eadem ponuntur 188
gentiles qui ſint. gentilitatis iura.
gentiles homines qui 188
gentilitas ducitur ab antiquitate ingenuorum 186.187
gentiles ſunt, qui eodem nomine inter ſe ſunt 186
gentilitatis iura ſeruos non attigiſſe 188
genus a toto,in quo differat 190
genera cauſſarum quot ſint 387
genus 13.41.53
genus orationis aequabile, & temperatum maxime eſt ſuaue 310
genus eloquendi ſua ſponte fuſum, quod 294
genus uocat Cicero omne commune,generaleq. uocabulum,quod plura complectitur 270
genus quod 154.269.270
genus argumentorum leue ab oratore prorſus eſt reijciendum, quoniam ab aduerſariis, atque etiam a iudicibus contemnitur 282
genus tria ſignificat 269
genus laudationis, & exornationis deliberatiuo,& iudiciali permiſcetur 362
generis triplex ſignificatio 72
genus illuſtre quod 366
genera propoſiti duo ſunt,alterum cognitionis, alterum actionis 356
genus, poſtquam tractatum fuerit, ad fortunas, & facultates, quae fortunae bona putantur, ueniendum eſt 366
genus, in toto contextu orationis illuſtrando ponitur 377
genus actionis, quod ad motum animi pertinet, uel in ſedandis animis,& oratione ſanandis uerſatur, uel contra in gignendis, & concitandis affectibus,in quo uno regnat oratio 360
genera exemplorum duo ſunt, recentia,& uetera 390
genus eloquēdi artificioſum quod 294
genus generaliſſimum, & genus ſubalternum 196
genus breuiter,& modice laudandum eſt 366
genus argumentorum non neceſſarium interdum, eſt omittendum, quando parum adiuuat, interdum adhibendum, quando multa ſimul cōcurrunt 283
genera cauſſarum tria ſunt, primum exornatio dicitur, ſecundum deliberatiuum, tertium iudiciale 362
genus cauſſarum, quod aurium delectationē ſectatur, exornatio uocatur, uel laudatio, uel demonſtratiuum 361
genus ad probandam ſpeciem minimum ualet, plurimum ad refellendum 269
genere iudiciali frequenter in epiſtolis, & in familiari collocutionē utimur 392
genus eſt notio ad plures differentias pertinens 269
genus quid, & de argumento a genere 155
genus primo loco inter fortunae beneficia ponitur 331
genus illuſtre orationis, conuenit in laudando 377
generis definitio 189
genus iudiciale duas habet principales partes, hoc eſt accuſationem, & defenſionem 392
genus confirmat omnes cauſſas, atque omnia argumenta 269
genus infame in uituperatione ſolet obiici 366
genera eloquendi duo ſunt,unum quodammodo naturale, & ſua ſponte fuſum, alterum artificioſum, 294
genera conſultationis duo ſunt,alterum ad cognitionem, alterū, ad actionem pertinet 356
genus demonſtratiuum primum eſt, & uberrimum, atque utiliſſimum 362
generis iudicialis finis,qui 392
genera conſultationum ad inuentionem,& diſpoſitionem, quomodo accommodentur 360
genus iudiciale complectitur ea, quae in aliorum poteſtate ſita ſunt, & de praeterito tempore tantum eſt 362
generi iudiciali quae ſubijciantur. 392
genus, ſi fuerit infame, penitus in laude praetermitti debet 366
genus totum ambiguorum pendet ab oratoris ingenio, & interpretatione 417
genus,ſi humile fuerit, uel praetermittitur, uel aliquando commemoratur,ut maior eius,qui laudatur, appareat gloria 366
genus deliberatiuum de illis rebus eſt,quae in noſtra poteſtate ſitae ſunt, ut eas uel agamus, uel dimittamus, & futurum tempus ſemper reſpicit 362
genus ſcripti in definitione uerſari non poteſt 399
genus eloquendi uerſum, atque mutatum,quod 314
genera cauſſarum, quamuis quattuor ſint, tamen oratores duas potiſſimum conſiderare ſolent,

hoc eſt efficientem, & finem 401
genus, quomodo contineat ſpeciẽ, & ſpecies genus 156
genus, quoad permanet, a ſua ſpecie non recedit 206
genera cauſſarum duo ſunt, primum, quod ipſum conficit, alterum, quod uim affert ad conficiendum 387
genus, educatio, inſtitutio, illuſtranda ſunt in toto contextu rationis 377
geometria menſuras continet, & neceſſaria eſt philoſophantibus 372
germani, parentes, liberi, coniuges, perſonas noſtrorum, quas non minus, quam nos ipſos diligere debemus, reſpiciunt 382
geſtio negotii 48
in geſtione negotii quot ſint 90
geſtum negotium conſequuntur, uiſum, auditum, indicatum 333
geſtus, ſi mouere animos debet, oportet, ut ſit miſerabilis in defendendo, & in accuſando minarum plenus 349
Gillias Agragantinus, apud Graecos in liberalitate, & beneficentia celebratur 369
Glauco iniuſtitiam laudauit 361
gloria optimus quiſque ducitur. 374
Gorgias 15
Gorgias princeps fuit in numeroſae orationis conſectatione 364
Gorgias, Leontinus, apud Graecos frugalitatem, & continentiam amplexus eſt 368
Gorgias Leontinus numerum in oratione inueniſſe dicitur 303
gradus tres, qui in omni iudiciali controuerſia poſſunt inueniri. 394.395
gloria ſumma, & perfecta ex tribus conſtat, ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam honore dignos putat 357
grammaticorum officium eſt, ea tradere praecepta, quae ad pure, & emendate loquendum pertinent 245
granaria ex tabulis, quãdo aedium ſint 235
Graeci poſt teſtimonij dictionem ad aras iurandi gratia accedebant 263
grammatica ſtudium litterarum, uocatur, quoniam eſt quaſi parens, & procreatrix reliquarum omnium, & ab hoc quaſi capite, & fonte reliqua ſtudia proficiſcuntur 372
gradus humanae ſocietatis ſeruandi ſunt, ut, qui nobis propinquiores ſanguine ſunt, eos reliquis anteferamus 359
gradus, in quo neque de facto, neque de nomine, ſed de qualitate facti tractatur, aequum, & uerum, & rectum, & humanum continet 395
gradus, in quo non de facto, ſed de facti nomine controuerſia eſt, uel definitione, uel deſcriptione, uel informatione uerbi tractandus eſt 394.395
gratioſi homines dicuntur, qui amicis abundant 331
grauis oratio 8
grauia debent eſſe uerba in augendo 347
grauia uerba, quae 349
gubernator 120
Gymnoſophiſtae in India ab exortu Solis, uſque ad occaſum perſtant, contuentes Solem immobilibus oculis, & toto die feruentibus arenis alternis pedibus inſiſtunt 375

H

HABITVS 45.46.125
habitus ſolius Dei eſt 125
habitus eſt bonus, & malus 326
habitus medius qui 371
habitus longo tempore, & uſu acquiritur, & ab affectione diſtat 371
habitus triplex eſt, uel bonus, uel malus, uel medius 371
habitus bonus qui 371
habitus mali uitia nominantur, boni uirtutes ſunt 371
habitus in perſonis longa conſuetudine acquiritur 326
habitus, iccirco habitus dicitur, quia diuturnitate habendi in naturae ſimilitudinem uertitur 218
habitus diuturnus eſt, neque facile mutari poteſt, quia propter longam conſuetudinem fere in naturam abiit 371
habitus uocantur, quibus bene, uel male perturbationes, & potentias moderantur 371
habitus, uel boni ſunt, uel mali 330
haruſpices, quamuis in tanto honore, ac pretio non eſſent quanto augures, tamen honores adipiſcebantur, & in ſenatum legebantur 261
haruſpices erant, qui caeſis uictimis in ara diligenter exta conſiderabant, & quid boni, uel mali portenderent, imperatori, uel populo ſignificabant 261 eorum ars haruſpicina dicebatur, ibid.
haruſpices, ſaepe impedimento erant, ne bellum ſuſciperetur, & ne quid publice ageretur. 261
haruſpicina ars, quae 261
haruga, ab hara, id eſt ſtabulo dicta 261
haſta pro argumento: & haſtas miniſtrare, quid ſit 222
haſtas miniſtrare, id eſt argumenta ſuppeditare 290
Hector auguria contempſit 260
Hector, equorum ſtudio maxime delectabatur 372
Heraclitus Epheſius 306
Hercules Iouis filius fuit 377
heras 99
heres ſecundus 113
hereditatis definitio 187
hereditas legitima, & hereditas iuſta 187
Hermacreon 273
Hermagoras 44.328
Hermagoras redarguitur 65
Hermodorus Epheſius 415 eo duce leges a Graecis ciuitatibus petitas in duodecim tabulas Romani conſcripſerunt, & pro roſtris poſuerunt, ut eas populus Romanus apertus perſpiceret, &, ſi uideretur, approbaret. 415
Hermogenes 250 propria nomina maximam uim habere cenſet, quia certa ſunt. ibid.
heroicum principium initio laudatur, & in hiſtoria praecipue. 303
Heſiodus auctor fabularum fuit. 335
Heſiodus dixit famam non omnino uanam eſſe, aut prorſus interire, quae in ore multorum fuerit. 263
Hiero Syracuſanus, apud Graecos in liberalitate, & beneficentia celebratur 369
Hippolytus 276 Theſeus eius pater illum propter iram deuouit ibid.
Hippone, apud Graecos cum hoſtiũ claſſe fuiſſet excepta, ſe in mare, ut

ut pudicitiam tueretur abiecit. 379
hiſtorici, quo fide dignior hiſtoria uideatur, cauſſas, & conſilia geſtarum rerum diligenter explicant 405
hiſtoria 38
hiſtoria quae 264
Homeri poetae excellentia 214
Homerus Menelaum Lacedaemoniorum regem a dicendi breuitate commendat 307
homo ſolus ex omnibus animalibus natus eſt pudoris, ac uerecũdiae particeps 371
hominis propria eſt uirtus 361 386
homines indocti, imperitiq. ea tantum eſſe bona exiſtimant, quae utilitatem aliquam, aut uoluptatem afferunt 386
homines indocti, imperitique, illa putant ſola eſſe mala, quae uel dolorem, uel ignominiam coniunctam habent 386
homines prudentes, & expoliti, nõ uoluptate, ſed dignitate, atque honeſtate uitam beatam metiũtur 384
homines indocti, & agreſtes, rebus omnibus uoluptatem anteferre ſolent 384
homo nullus perfecte ſapiens eſſe poteſt 358
homo natus eſt ad iatelligendum, & agendum 367
homo duabus de cauſſis natus eſt: hoc eſt ad intelligendum, & agẽdum 356
homines omnes habent in animo quãdam cuiuſlibet rei notionem inchoatam, & imperfectã, quae deinde argumentis fit illuſtrior. 410
homines indocti, imperitique, quãuis non multum honeſtate moueantur, contumelia tamen, & dedecore magnopere mouentur 376.387
hominum pleraeq. actiones in genere ſunt 384
homines, quidquid ſibi proponunt, & cuius gratia faciunt aliquid, is finis dicitur 277
homines duas cauſſas efficientes habent, hoc eſt ratiocinationem, & impulſionem 276
homines uehementer tria expetũt 390
homines fere omnes uident lumine quodam naturali, & communi intelligentia, quid aequum, & quid iniquum ſit, quid bonũ, & quid malum 414
hominibus fortunae beneficio quae accidant 331
hominum duo genera ſunt, alterũ indoctum, & agreſte, alterum humanum, & expolitum 384
honeſtas lucet ipſa per ſeſe, & animos hominum ad ſe naturaliter trahit, ut de illa non opus ſit longa deliberatione 384
honeſti diuiſio 246
honeſtas, in deliberando non per ſe conſideratur, ſed ut refertur ad aliquem fructum, uel fortunarum, uel dignitatis, uel gloriae 380
honeſtas, utilitas, uoluptas, tria ſũt, quae ſibi homines tamquam fines expetendos proponunt. 277
honeſtas nomine utilitatis comprehenditur 379
honeſtum, utile, iucundum ſequi debemus 381
honeſtum non eſt, res alienas appetere 368
honeſtum, utile, neceſſarium, quomodo ſit in delectatione tractanda 383
honeſtas commune genus omnium uirtutum eſt 351
honeſta utilibus ſapientes anteponunt 224
honeſtas ad animum tantum refertur 359
honeſtum quidquam ſine amicitia, in qua ineſt caritas, & amor poteſt exſiſtere 383
honeſtas ſequenda 122
honeſti per ſe partes 121
honeſtum 30
honeſtum duplex 7
honeſtum mixtum 121
honeſtum mixtum per ſe 121
honeſtum philoſophicum 7
honores, quamuis nimium appetẽdi non ſint, tamen neque penitus ſunt contemnendi 374
honores, ſeptimo loco inter fortunae beneficia ponuntur 331
Horatius ſororem occidit 60
Horatius Cocles ſolus in põte Sublicio conſtitit contra uniuerſum Etruſcorum exercitum 365
horarum dinumeratio 49
Hortenſius, primus in ſingulari Ceruicem dixit 299
hoſtium potitus dicitur a Iuriſc. qui captus eſt 163
hoſtia caeſa, ſi litatum non fuiſſet, ſacrificium inſtaurabatur, neque ullum negotium aggredi audebant, priuſquam litatum eſſet, & exta ſecunda apparuiſſent 261
humana natura, res turpes quodãmodo refugere ſolet 384
humanae ſocietatis gradus ſeruandi non ſunt, ut, qui nobis propinquiores ſanguine ſunt, eos reliquis anteferamus 359
humanitas ab oratore oſtenditur, cum libenter afflictis opem petimus 312
humanum, aequum, uerum, & rectum, licet idem fere ſignificent, tamen inter ſe diſtinguuntur. 395
humanum quod 395
humile 30
humilitas uerborum affert aliquando uim rebus 298
hypallage figura 301
hyperbole qualis figura 200
hyperbole quae 302
hyperbole interdum creſcit alia ſuperaddita 302
hyperbole pluribus modis fieri ſolet. aut enim plus facto dicimus, aut res per ſimilitudinem attollimus, aut per comparationem, aut ſignis quibuſdam utimur, aut per translationem 302
hypotheſis quid 230.231
hypotheſis, quomodo theſim dicatur continere 231
hypotheſis, ideſt definita quaeſtio, quae 355
hypothetici, ſeptem modis enumerati 213
hypotypoſis 309

I

IBes aues 265
Icarus paterni praecepti oblitus in mare decidit 333
ideae, formae, ſiue ſpecies 190
ignauia, atque otium naturae bonitatem ſaepe corrumpit 377
ignorantia in neceſſitate eſt conſtituta 229
ignorantia, quaedam eſt animi perfectio 372
ignoratae cauſſae quae 219
ignoratio cauſſarum mouet admirationem 312
ignoratorum, alia quadam neceſſitate fiunt, alia caſu 220
illa per ſe diluũtur, quae uel ficta, uel falſa eſſe oſtenduntur 293
illuſtranda tria ſunt in toto contextu orationis, hoc eſt genus, educatio, inſtitutio 377

illuſtratio,in oratione, motum animis affert 304
illuſtre plus eſt, quam dilucidum 309
illuſtre eſt tamquam ſpecies dilucidi ibid.
illuſtre genus orationis in laudando conuenit 377
illuſtria uerba talia eſſe debent, ut ab uſu non ſint abhorrentia, uerum ab omnibus intelligantur 347
illuſtris,& dilucidi differentia 309
illuſtre facit, ut id quod dicimus, & intelligamus, & uidere uideamur 309
imago 60
imagines,pro nobilitate 188
imago,quid 199
imaginatio uſucapionis, uel tutelae, atque intellectus incorporalis, rei notio dicitur, quam Graeci ἔννοιαν uocant 179
imber quid 196
imitatio arti ſubijcitur 253
imitatio rei orationem illuſtrem facit 316
immanitatis uitium quod 374
imperatoris quattuor partes eſſe debent, ſcientia rei militaris, uirtus, auctoritas, & felicitas. 267.288
impotens is dicitur, qui ſe a maleficiis continere non poteſt 402
improbitas aduerſariorũ, & praecipue crudelitas iudices ab eis alienat 320
improbitas ducit aduerſarios in iudicum inuidiam, hoc eſt in malam gratiam 320
improbitas exortatione uitu peratur, & ſumma ignominia afficitur, ut omnes ab ea refugiant,& recte uiuendi rationem ſequantur 362
improborum animus ad iniuriam accenditur,cum, ultra perficiendi ſpem, credunt etiam ſe facinus ſuum celaturos 403
imprudentia 50
imprudentia, neceſſitas, caſus, tria ſunt, quae factum improbum excuſare poſſe uideantur 416
imprudentia eſt,cum ſciſſe aliquid is,qui arguitur,negat 416
imprudentia,aut a caſu,aut ab animi permotione, quomodo proueniat 332.333
impulſio,quae 401
impulſio 50.85.86.126
impulſionis refellendi loci 87
in 47.48
in artificiali probatio, arte indiget pag. 93
in artificiali probatio 92
inartificiales loci, Graecis ἀτέχνοι 172
inauditum,quod 311
incautus nemo eſt,niſi ſit inſipiens 403
incerta,& latens cauſſa, quae 277 in ciuilibus controuerſijs raro locum habet, ibid.
inciſa,quae 305
inciſum,quomodo notetur 305
incredibile,quid ſit 63
incrementum in amplificatione, quomodo fiat 318
in coniecturis ab anteacta uita ſumuntur exempla ad id probandum, de quo eſt controuerſia 334
in coniecturis plurimum ualet notatio menſis,diei,horae,tempeſtatis, aetatum, & eorum temporum, quae rebus agendis conueniunt 332
in coniecturis non tantum exempla ualent, ſed etiam in alijs cõtrouerſiarum generibus 334
inconſtantes cauſſae, quae, 218
incrementum quod 348
in difficili eſt, uel in facili, quid ſignificet 203
indignatio 79
indignitas ducit aduerſarios in contemptionem iudicum 320
in diuiſione uitioſum eſt aliquid praetermittere,in partitione mẽbrorum minime 192
inductionis tres ſunt praecipuae ſpecies.prima ducitur ab exemplis, ſecunda a ſimilibus, tertia a partibus 267
inductio quale genus argumentationis 199
inductio, quae a ſimilitudine ducitur, quae ſit 270
indulgentia accidit a mollitia animi,cum quis facile exoratur, ut ignoſcat 375
indiuiduum 42
indocti,imperitiq. homines ea tantum eſſe bona exiſtimant, quae utilitatem aliquam,aut uoluptatem afferunt 386
indocti, imperitiq. homines illa putant ſola eſſe mala, quae uel dolorem, uel ignominiam coniunctam habent ibid.
indocti,imperitiq.homines,quam uis non multum honeſtate moueantur, contumelia tamen, & dedecore magnopere mouentur 386.387
quid inductio 62
inductio facienda ibid.
in inductione ſpectanda ibid.
inductione uſus eſt plurimũ Soc. 62.63
ubiq. inductione poſſumus uti 62
inductione utuntur philoſophi pag. 61
inductionis exemplum philoſophorum 62
exemplum inductionis Rhetoricum 63
inertiae dicuntur artium ignorantiae 330
inflexio, atque immutatio uerborum in oratione ſaepe obſcuritatem parit 306
infames homines, ſerui, & mulieres in crimine maieſtatis delationem habent, & audiuntur 398
infelicitas 53
infinita quaeſtio ab oratoris facultate remota 355
infinita quaeſtio,quae ibid.
infinitum ineſt definito ibid.
infortunia, non tantum ferenda ſunt, ſed etiam iniuriae, & contumeliae 369
informatio uerbi fit ex notatione, ſiue etymologia 395
informatio uerbi definitio, & deſcriptio, quomodo inter ſe diſtinguantur ibid.
ingenium naturae ne ſit, an temporis 229
ingenium,atque opes, fortuna,ars, & uſus ſaepe non recta exercitatione deprauantur 228
ingenium 10
ingenij naturalis ui argumenta promuntur 221
ingenium ali induſtria ſolet 253
ingredi pro incipere in prooem. Gueuar.
innata, atque inſita aſſumptio, & aduenticii meliora iudicantur 224
in natura neceſſitas eſt 276
innocens poteſt in conſpectu iudicis expalleſcere, & inconſtanter loqui, non propter malam conſcientiam, ſed propter inconſtantiam iudiciorum 408
innocentia, & continentia, duae temperantiae partes, quae in rebus commodis ſpectantur, maximam afferre laudem poſſunt 369
innocentia,quae 368
inimicis ipſis ignominiam proponendo,

I N D E X

nendo, ſaepe aliquid ſuademus, cum eos decipere uolumus. pag. 387
inimicitiae, uel recentes, uel inueteratae ſolent homines ad maleficium incitare 402
in hiſtoria ſaepe breuitas commendatur 306
iniurioſi omnes ſunt, qui orationis uirtutem a ſapientiae ratione ſeiungunt, aliamq; eſſe dicendi artem uelint, aliam intelligendi 221
in omni arte primum ipſum artificem praeceptis artis ſuae inſtructum eſſe oportet, antequã opus aliquod appareat 252
in oratione non ſemper narratione opus eſt 255
in oratione duplex eſt ſuauitas, altera uerborum, altera rerum 309
in oratione quaeſtio tractatur 253
in permotione animi ſunt obliuio, error, metus, cupiditas 333
in poteſtate noſtra quae ſunt, magis eligenda, quam quae in aliena manu poſita 215
in praepoſitio priuatiua, quando producatur, aut corripiatur, accuſatiuo iuncta, quid ſignificet 201.202
in purgatione quot ſint 26
purgationis partes 50
in rebus, & uerbis omnem ineſſe uim oratoris neceſſe eſt 253 & 254
inſidiatores omnes iure interficiuntur 255.270
inſipientes, & amantes raro delicti ueniam conſequuntur, ſi nihil aliud praeter inſipientiam, & amorem praeferant 403
inſolens uerbum in oratione, non aliter, atque ſcopulum in mari uitandum eſt 295
inſula nata in flumine publico, cuius ſit 159
inſtitutio in toto contextu orationis illuſtrando ponitur 377
inſtrumenta nihil per ſe poſſunt efficere, niſi prius cauſſae principales accedant 277
inſtrumenta, & materia conficientem cauſſam adiuuant 387
integra potius, quam contaminata melioris iudicium ferunt 224
intellectus qualitatem rei, quam intelligit, capit 226
intelligentes ex intelligendo. 375
intelligentia 121
intentio omnis argumẽti dirigitur ad quaeſtionem, ideſt ad dubitabilem propoſitionem 138
intentio accuſatoris, quae 396
intermiſſio quae 705
inter Affirmationem, atque negationem nulla eſt medietas 141
inſtrumenta ponũtur inter cauſſas efficientes ſecundarias 277
inſtrumẽta propter aliquem finem parantur 215
inuecta pars incommodorum 30
Inuentio, Rhetoricae pars eſt difficillima, ſed omnium utiliſſima. pag. 256 duplex eſt, altera Dialectica, altera Rhetorica, ibidem.
inuentio eſt prima Rhetoricae pars 284
inuentioni tria ſuperueniunt 136
inuentio proprie ad res pertinet. 253
inuentio niſi fuerit, non poteſt eſſe uel definitio, uel partitio 136
inuentio 17
inuentio eſt rerum, aut uerarum, aut ueriſimilium excogitatio, quae cauſſam probabilem reddant 253.254
inuentio parum prodeſt, niſi tractatio diligens adhibeatur in dicendo 339.340
inuidia facile uitatur comitate, modeſtia, & affabilitate, etſi nullũ appareat in nobis arrogãtiae ueſtigium 357
inuidia plerumque odium conſequitur 10
inuiſum quod 311
inuſitata, & priſca uerba nonnunquam maieſtatem quandam afferunt orationi, ſi raro eis utamur 300
inutile, quod probatur eſſe, reiicitur 389
inutile, moleſtum, turpe fugere debemus 381
ira 85
ira iudicis, letale uulnus 292
iracundia 85
iracundia ſaepe, & quaelibet animi perturbatio, quod occultandum foret, haud continet 229
iratus ulciſcendi libidine trahitur. 330
ironia allegoriae ſpecies 301
Iſocolon, latine compar, exornatio Rhetorica 310 fit, cum duo, uel plura membra pari numero ſyllabarum proferuntur. ibid.
Iſocrates in Encomio Helenae pulchritudinem ideo laudabilem, & admirabilem eſſe concludit, quia uirtutem maxime probamus, quae rerum omnium eſt pulcherrima 268
Iſocrates pulchritudinem rerum omnium eſſe praeſtantiſſimam, pretioſiſſimam, & maxime diuinam pluribus uerbis oſtendit. 366
Iſocrates uerecundus fuit, qui, licet eloquẽtiſſimus eſſet, tamen propter timiditatem cauſſas publice numquam auſus eſt agere. 376
Iſocrates ſenſit in omni genere ineſſe laudem, ac uituperationem. 286
iterata uerba uocamus ea, quae ſaepius initio mẽbrorum repetuntur 348
iucunda uerba, quae 309
iucundum, honeſtum, utile ſequi debemus 381
iucunda quae ſunt, omnes ſequuntur 385
iudex peccat, quoties bono uiro nõ credit 406
iudices, res ab aliis iudicatas facile ſequi ſolent 406
iudicum animi ab aduerſariis noſtris, quomodo alienentur 320
iudicum beneuolentia ab oratore captatur, cum indignitas aduerſariorum oſtenditur 320
iudicatio eadem quaeſtio 86
iudicatio quid 94
iudicatum 61
iudicatum quattuor modis confirmatur 61
iudicatum quid ſit 60
iudicationes, & diſceptationes, ſemper infinitae fiunt 398
iudicatio, quomodo poſſit inueniri 398.398
iudiciale genus duas habet principales partes, hoc eſt accuſationẽ, & defenſionem 392
iudicialis, & deliberatiui generis differentia 401
iudicialis generis finis qui 392
iudiciali genere frequenter in epiſtolis, & in familiari collocutione utimur 392
iudicialis, & deliberatiua elocutio tria habere debet 307
iudiciali genere, qui ſubiiciantur. 392
iudiciale genus complectitur ea, quae in aliorum poteſtate ſita ſunt, & de praeterito tempore tantum eſt 362
iudicia publica, & priuata 179
iudicium, & honeſta beneuolentia duo

duo maxime liberalitatis fontes ſunt, cui adiuncta, eſt humanitas, miſericordia, hoſpitalitas. 369
in Iudicio nullus timet, niſi ſibi conſcius ſit 333
iudicium uxoriae rei quid ſit. 222
iudicium, rem geſtam ſequitur. 60
iudicia dimittebantur circiter idus Sextiles, quoniam dies ludorum ſequebantur, & tunc plerique nobiles ruſticari conſueuerant, neque fere ad Ianuarium menſem ualere iudicia incipiebant. 250.251
iudicium in negotiis, & exiſtimatio uitae opinione hominũ maxime continetur 228
iudiciale genus 109
iudicialis generis argumenta propria ſunt 406
iudiciale genus quod 286
Iunius Brutus longo tempore ſtultitiam ſimulauit, deinde mortua Lucretia cõtra omnium opinionem ſummam prudentiam oſtendit, & remp. Ro. a regio dominatu liberauit, ſummam ab omnibus laudem conſecutus eſt 365
Iunius Brutus cum ab oraculo audiuiſſet eum Romae rerum potiturum, qui primus matrem oſculatus fuiſſet, e naui egreſſus terrã optimum omnium matrem primus deoſculatus eſt 365
in Iuridiciali conſtitutione factum conceditur 337
iuridicialis quaeſtio quae 336
uel in re controuerſiam habet, uel in uerbo ibid.
iuridicialis ſtatus qui 328
iuridicialis 25.26.100
iuridicialis diuiſio 100
iuriſconſulti ſtatuunt ius aequi, & boni cognitionem, atque artem eſſe 414
iuriſconſultorum prouincia eſt priuatarum quaeſtio cauſſarum. 222
iuriſperitorum auctoritas, quae. 180
iuriſconſulti teſtamenta uocant extremas uoluntates, quae pro teſtimonio ſaepiſſime proferuntur 262
ius quod 357
ius ſcriptum publicum, quod 415
ius Papirianum quod 415
iuris publici, tria ſunt exempla, leges, ſenatuſconſultum, foedus. 415
ius ſcriptum priuatum quod 415
iure ciuili inter alios, quam ciues Romanos, nihil fit 183
ius ciuile publicum quod 394
iure iurando adactus quis dicatur. pag. 199
ius & natura uirtutis duplex eſt. uel enim ad ſcientiam, uel actionem pertinet 367
iura ipſa, non a natura, ſed tantum ab hominum conſuetudine profluxiſſe ſunt qui putent 356
ius ciuile iudiciis dominatur 394
ius, & aequitas duo ſunt, quibus humanae actiones recte gubernantur 394
ius ciuile priuatum quod 295
ius ciuile in lege quod 394
ius omne ciuile Romanorum, unde fluxerit 415
ius omne uel religionis, uel aequitatis eſt 414
ius naturale, quodammodo praeſcribit, ac praecipit omnibus, ut ſuos more, ac lege tueantur, quoniam, non aliter ciuitas ſtare, aut domus ulla conſeruari poteſt 415
ius ciuile in more quod 394
ius ciuile quadruplum eſt, uel publicum, uel priuatum, uel in lege, uel in more 394
iuris priuati, quattuor ſunt exempla, tabulae, pactum, conuentũ, ſtipulatio 415
ius naturale, & legitimũ, quod ad homines ſpectat, dicitur humanum, & aequitatem omnem continet 414
ius ſcriptum ita diſtinguitur, ut aliud ſit publicum, aliud priuatum 415
ius naturale, & legitimum, quod ad Deos ſpectat, uocatur diuinum, & omnem religionem amplectitur 414
iuris partes primae duae ſunt, Natura, & Lex 414
ius ſummum ſumma iniuria 400
ius omne naturale, & legitimum, uel ad deos, uel ad homines refertur 414
ius in natura eſſe, non in opinione, ſapientes ſtatuunt 356
iure ciuili fieri aliquid non inter alios, niſi inter ciues Romanos poterat 180
iure ciuili factum quattuor potiſſimum modis quomodo depellatur 336.337
ius ciuile, quod 144
iuris definitio, quae 356
ius ciuile, quod 180
iuris diuiſio in legem, morem, aequitatem 191
ius ciuile quid, & eius partes 181
iuris ciuilis definitio 145
ius ex quibus conſtet 99.100
ius quid ſit 99
iuris iurandi genera apud Graecos tria traduntur, primum, quod affirmandi gratia ſponte ſuſcipitur, alterum, quod infitiandi gratia, tertium cum quis non ſponte, ſed inuitus iurare cogitur 265
iuſiurandum qui uiolat, is fidem uiolat ibid.
iuſiurandi genera tria apud Graecos traduntur ibid.
iuſtitia, liberalitas, & religio ex amicitia pendet 383
iuſtitiae proprium, quod 371
iuſtitia tres praecipuas partes habet, religionem, pietatem, bonitatem 375
iuſtitia ex omnibus uirtutibus maxime excellit, quae magis alienis, quam proprijs commodis ſtudet 373
iuſtitia duplex eſt 370
iuſtitiarum princeps religio appellatur 370
iuſtitia in ſex partes diſtribuitur. prima eſt religio, ſecunda, pietas, tertia, bonitas, quarta, fides, quincta, lenitas, ſexta, amicitia 370
iuſtitia uirtus eſt, quae ius ſuum unicuique tribuit 358
iuſtitia 2.8.121
iuſtitia partes 121
iuſtus uir, omnibus in rebus iniuſto uidetur eſſe inferior, & minus lucri facit 357

L

LABOR omnis oratoris, duabus tantum in rebus occupatur, nempe ut delectet, & ut probet 361
Lacedaemonij Cteſiphontem oratorem e ciuitate ſua expulerunt, quoniam dicebat de quacumque re, quae ſibi proponeretur, ſe totum diem poſſe dicere. pag. 307
Lacedaemonij Archidamum regem pecunia multarunt, quod paruam uxorem duxiſſet, dicentes eum conſtituiſſe, non reges, ſed regulos gignere 377
Lacedaemonij patientia utebantur

INDEX

tur, adeo ut etiam pueri apud eos duri, & immanes euaderent pag. 375
Lacedaemonij maxima cum diligentia ſuam iuuentutem erudiebant 251
Lacedaemonii in Graecia, ſcripta iura non habebant, neque habere uolebant, ſed a maioribus ſuis ea diſcebant, & poſteris ſuis, quaſi per manus tradebant, ſed ea iura ſic ab eis obſeruabantur, quaſi ſcripta eſſent pag. 415
Lacedaemonii, dicendi breuitate delectati ſunt 307
laconiſmus pro breuiloquentia. ibid.
lacrymae e cordis euaporatione proueniunt 352
lacrymae diu durare non ſolent, praeſertim cum ab aliena mala concitantur 352
lacrymae ſtatim oculis ſuboriuntur, &,cum primum cordis motio ceſſat, etiam lacrymae manare deſinunt ibid.
lacryma nihil citius areſcit. 293 352
laudandi campus, ſi quis aliena numquam inuaſerit, & in ſuis rebus continens fuerit 368
latens,& incerta cauſſa,quae 277 in ciuilibus controuerſijs raro locum habet, ibid.
Latini nonnumquam noua fingunt pag. 299
Latini Iuniani qui 147
Late dicitur, cum ex uerbo fit oratio 314
laudare nemo recte poteſt alterũ, niſi qui uirtutum omnium, & laudandarum rerum cognitionem habuerit 379
laudandum ſaepe, & uituperandum eſt in ſuaſione, & diſſuaſione 362
laudantur maxime,qui,ſpretis uoluptatibus,frugalitatem, & continentiam amplectentur, & qui a rebus alienis, manus, oculos, mentem continent 368
Laurentius Valla definitionem uocat regium cenſorem, quaeſtoremq. aerarium, 264
laus uera in uirtutis actione conſiſtit 361
laudes omnes ad unam ſolam uirtutem, & ad uirtutis ſpecies reducuntur, reliqua uero, quae laudantur, quaſi uirtutis additamenta ſunt 371
laudes, non tantum hominum, & deorum ſunt, ſed etiam aliarum rerum, & animantium, & anima carentium 361
laudis ſtudio omnes trahimur 374
largorum duo ſunt genera ibid.
legandi poteſtas patribus familias tantum data 162
legare ab herede, uel alio aliquo quid ſit 167
legare ab aliquo, quomodo accipiendum 156
legatum a ſe factum, an ipſe teſtator repetat 168
legitimus ſtatus,qui 398
legitimum, & naturale ius, quod ad homines ſpectat, dicitur humanum, & aequitatem omnem continet 414
legitimum, & naturale ius, quod ad Deos ſpectat, uocatur diuinum, & omnem religionem amplectitur ibid.
legitimum ius omne, & naturale, uel ad deos, uel ad homines refertur ibid.
legitimae diſceptationis, quae. pag. 230
legitimae tutelae, legitimae hereditates, legis actiones, quae dicantur in iure 149
lenitas, quae 370
lenitatis proprium eſt, non protinus ad ulciſcendum feſtinare, neque contentionibus delectari 370
lenes,& clementes in puniendo laudantur, ſed qui nimis indulgentes ſunt, & ſceleri ueniam facile condonant, uituperandi ſunt, quoniam hoc uitioſum eſt, qua ſi quoddam ad peccandum inuitamentum 375
leniora uerba, quae 297
lenia uerba, quae 309
Lentulus 262
Leonidas, apud Graecos in bellica laude plurimum praeſtitit, & ſempiternam ſibi gloriam acquiſiuit 369
Lentulus coniurationis particeps probatus eſt, quod eius ſigillo obſignatae litterae fuerunt prolatae 405
leuiora ſunt peccata, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata, & praeparata inferuntur 276
leue argumentorum genus ab oratore prorſus eſt reijciendum, quoniam ab aduerſarijs, atque etiam a iudicibus contemnitur pag. 282
leuitatis eſt, inanem aucupari rumorem, & omnes umbras falſae gloriae conſectari 374
in lege, quae conſideranda 118
legis ius 10
legis loci 119
l.repeti,§.ſi arcae,ff.quib.mod.uſufru.amit. 154
l.penult.ff.de ſuff. ibid.
l.repeti,§.1.& l.51.ff.quib.modis uſuf.amit. 159
l.24.ff.de legaris primo 158
l.8.§.1.ff.de legat.2. ibid.
l.quaeſitum, §.quanto, ff.de legatis tertio 155
l.27.§.1.ff.de auro,& argen. lega. pag. 160
l.27.& l.34.ff.de auro, & argento lega. ibid.
l.65.ff.de acquir.rer.dom. 159
l.ſequitur, §.ſi rem, ff.de uſucapionibus 154
l. itaque, §.ſed & ſi res.ff.de furtis pag. 153
l.5.ff.de uſucapionibus 163
l.1.ff.de iur.fiſci ibid.
l.4.ff.de captiuis 194
l.17.ff.de legationibus ibid.
lex,legi contraria numquam eſt iure ipſo, quia, ſi diuerſum ius eſſet, alterum altero abrogaretur, ſed caſu colliduntur, & euentu pag. 420
legis, & naturae differentia haec eſt,quod natura ſit, quae ſemina rerum omnium honeſtarum,& iuſtarum nobis inſerit, lex uero ſit ab hominibus conſtituta,quo uita ciuilis, & concordia poſſit ab hominibus conſeruari 414
lex 8.ff.de in ius uoc. 199
l.ſi aedes.ff.com.diuid. 169
l.8.ff.de ſeruit.urb.praed. ibid.
l.teſtatrix.ff.ſi ſeruit.uend. 153
l.aequiſſimum,§.proinde.ff.de uſu fruc. 15
l. uſufructuarius, ff. de uſufruct. 153.154
legis propria alia ſunt, non a natura donata, ſed ab hominibus inſtituta, ut quae ſcripta ſunt, & quae maiorum more retinentur 414
lex, quae nobis contraria eſt, cum repugnat alicui legi probatae, facile poterimus eam eludere, & infirmare, uel etiam ſi ſecus ipſa pugnet 420
lex,multa,quae ad cultum deorum pertinent,inſtituit 414
lex Sempronia 415

f leges

leges nullas Romani initio habebant, cum a regibus omnia gubernarentur 415
leges niſi eſſent, ſemper improbi homines bonis inſidiarentur, & omnis aequitas breui ſubuerteretur 414
leges duae contrariae cum ſunt, legem, quae pro nobis eſt, & cauſſam noſtram adiuuat defendere opus eſt, & ueram, atque iuſtam eſſe oſtendere 420
lex, & natura ſunt duae partes iuris primae 414
lex duodecim tabularum poſt ſuos heredes agnatos admittebat. pag. 392
leges, ſenatuſconſultum, foedus, iuris publici, tria ſunt exempla. 415
lex Porcia 415
legum obſeruatio, quodammodo naturalis eſt 415
lex Iulia 415
leges duodecim tabularum, quomodo fuerint appellaiae 415
lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quae iubet ea, quae faciēda ſunt, prohibetq. contraria 414
lex, quae 180
lex Aelia Sentia 148 aſſiduo uindicem aſſiduum eſſe iubet. ibid.
lex dicebatur ea, quam pop. Romanus, ſenatorio magiſtratu interrogante, ueluti conſule conſtituebat 415
lex ſola interdum, quomodo poſſit caſus parare contrarios 400
lex 54.90
lex aduerſarij 118
lex de ſpecie 118
legis appellatione ſimplici, 12. tabulas intelligi 149
lex quae 356
legem ſpecialem Vlpianus uocat legem Menſiam 166
libera oratio, uel incerto auctore uagatur, uel certum habet auctorem 262
liberales qui 374
liberalitas, religio, & iuſtitia ex amicitia pendet 383
liberalitas in oratore, non tantum in dandis pecuniis, ſed etiam in ferendo auxilio perſpicitur. 312
liberalitas, & beneficentia, animi magnitudini coniuncta eſt, quae in uſu pecuniae conſpicitur, qua nihil eſt natura hominis accommodatius, & hac uirtute ſibi homines maximam uirtutem conciliant 369
liberalitas in rebus incommodis ponitur, quoniam tunc maxime grata eſt, quando laborantibus, & egentibus ſubuenit. 369
liberalitatis duo maxime probabiles fontes ſunt, iudicium, & honeſta beneuolentia, cui adiuncta eſt humanitas, miſericordia, hoſpitalitas 369
liberi, inter fortunae beneficia, tertio loco ponuntur 331
liberi, coniuges, germani, parentes, amici, iccirco neceſſarij uocantur, quoniam ſine his humana uita ſalua eſſe non poteſt 382
liberi, & ſerui apud Athenienſes torquebantur 344
liberi, coniuges, germani, parentes, perſonas noſtrorum, quas non minus, quam nos ipſos diligere debemus, reſpiciunt 382
liberi, & ſerui apud Athenienſes, & Rhodios torquebantur 263
liberi 45
liberos mater quatenus alere teneatur 165
libertas in neceſſitate proponitur. 380
libertas minima, media, maxima, ſiue legitima: & quid earum praeſtaret 147
libertatem multis modis dari potuiſſe 147
libertas in neceſſitate, quomodo proponatur 380
libertas, uita, pudicitia, perſonam noſtram reſpiciunt 382
libertas decimo loco inter fortunae beneficia ponitur 331
libertas, bonum eſt, quod nullo pretio poteſt aeſtimari 382
libra, cur in emancipationibus addita 182
libri de ore 57
Licinius Craſſus, magna patrimonia temere profudit 374
litora publici eſſe iuris, & litus quid ſit 170
litteratura duo requirit 316
locus facti cōtrouerſias plurimum adiuuat 331
locus proprius is eſt, de quo tractat 257
loci communes 100
loci qui, quibus partibus orationis conueniant 230
locorum ordo 176.177
loci, unde ſumitur argumentatio, duplices ſunt 340
loci undecim, qui frequētiores ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uim habent. 350
locus a genere 269
locus a coniugatis ſaepe numero uim maximam habet ad perſuadendum 269
locus ab adiunctis 203
locus a ſimilitudine oratoribus maxime, philoſophiſq. conducit. 198
locorum uis, quoque a ſe modo quaeſtiones, & loci argumentorum ſeparentur 175.176
locus communis a quaeſtionibus, & contra quaeſtiones frequentiſſimus eſt 344
locorum diuiſio 174
locos, quos Cic. appellet; quos Ariſtoteles. 137
locus a nota ſimplex eſt 227
locus ab enumeratione partium tribus potiſſimum modis tractatur 266
locus, non uno modo intelligitur. 221
locus, qui a toto eſt, a definitione locus uocatur 226
locus, qui eſt a cauſſis, communis eſt oratoribus, ac philoſophis. 221
locus a comparatione minorum, parium, atque maiorum, diuiditur in numerum, ſpeciem, uim, ad res alias affectionem 227
locus eſt Ariſtoteli argumenti ſedes. 137
locus argumenti artis expertis, in teſtimonio eſt poſitus 228
locus condicionalis diuiditur in antecedens, conſequens, & repugnans 227
locus a partibus diuiditur in partitionem, & diuiſionem 227
locus, qui 257
locorum diuiſio 142
loco, quomodo plus petatur 393
locorum inſitorum alij ſunt in toto, alij affecti ad totum 264
locus primus beneuolentia pendet a perſonis, quae tripartito diſtribuuntur 319
loci partim inſiti ſunt in re, de qua agitur, partim aſſumūtur extrinſecus 257
locus ab affectis, a quibus ſit 227
locorum, quae dicuntur inſita, quattuor genera ſunt, hoc eſt totum, partes, notatio, res affectae. 264
locus, qui dicitur a comparatione tripartito, ſcinditur 170
locus communis accuſatoris ille eſt, qui non ad probandum, ſed

ad amplificandum attinet 406
locus, & tempus interdum una copulantur 326
loci communes, ab accuſatore. 102 103
loci communes, quomodo tractentur 94
loci ante eum, qui uoluntatem defendit 114
loci ante ſcriptum 114
loci eius, qui ſcriptum defendit. 112 113
loci eius, qui ſententiam defendit. 113
loci nuentionis 18
locus 48
locus communis oratorem, ab oratore diſcernit 93
locus, quomodo conferatur 72
locus proprius augendi, qui 382
locus ex antecedentibus, ex conſequentibus, & ex repugnantibus. 174 uariis modis a dialecticis tractatur hic locus per ſyllogiſmos hypotheticos 275
locus ab effectibus iis, qui ornate, & copioſe loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi ſuppeditare ſolet 277 apud oratores, & reliquos ſcriptores frequentiſſimus eſt 277
loci ab affectis tredecim ſunt 268
loci a ſimilitudine, & diſſimilitudine ſunt copioſi, & uulgi opinioni, ſenſibusq. aptiſſimi 272
locus a coniunctis continet omnia ſigna, quae tantum probabilia ſunt 273 in cauſſis coniecturalibus maxime eſt neceſſarius. ibid.
locus a coniunctis admonet, ut quaeratur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. 273 magna ex parte eſt oratorius. ibid.
locus cauſſarum maxime patet, & maximam oratori dicendi copiam ſubminiſtrat 276
locus a cõparatione copioſiſſimus eſt 278
locus a coniugatis notationi finitimus eſt 268 eum Quinctilianus uidetur quodam modo contemnere 269
longitudo orationis naſcitur ſaepiſſime ab ignorantia, quae uerba confundit 306
longitudo periodorum parit obſcuritatem 310
longitudo orationis obſcuritatem inducit 306
logicae trina partitio uno modo, 136
logica, quae 136
logicae partes 137
longum 34
L. Brutum matronae totum annũ luxerunt 379
Lucianus, Muſcam, & artem paraſiticam laudauit 361
Lucretia, apud Romanos pro pudicitia mortem obiit 379
lucro quaeſita conſtante matrimonio diuiduntur inter uirum & uxorem, etiam quandoque ſi nõ cohabitauerint 165
Lucullus apud Romanos magnam rerum memoriam habuit, maiorem uerborum 316
L. Lucullus, apud Romanos in liberalitate, & beneficentia celebratur 369
L. Mnrena auxilio propinquorum per largitionem conſulatum adeptus eſt 331
Lycurgus duorum canum exẽplo, quanti momenti ſit bona educatio, quomodo declarauerit 377
Lycurgus 10
Lycurgus, apud Graecos celebratur, quod iniurias ferret 369

M

MACEDONES interrogabant, an Romani uolare poſſent, ut trans montes in Macedoniam uenirent 331
Macrobij locus difficilis explicatus 2. 157
magna, natura ſolent admirationẽ ingentem in animis noſtris concitare 351
magnam inter ſe ſimilitudinem quinque habent 403
magnae res plurimum ualẽt ad cohortãdum, & inflammandum, ut earum ratio habeatur, & ſumma diligentia retineantur 352
magna, natura ad tria genera reducuntur, hoc eſt caeleſtia, diuina, & quorum ſunt obſcurae cauſſae 351
magna uſu dicuntur, quae, uel magnam utilitatem, uel magnum detrimentum hominibus afferre poſſunt 351
magnitudo animi in rebus incommodis, & aduerſis potiſſimum cernitur, quae fortitudinem & patientiam complectitur 369
magnitudo quid 72
magnitudo animi utramque fortunam moderate ferre docet, ſed in aduerſa fortuna magis elucet, & ad res tantũ magnas, & egregias animum excitat, & extollit 369
magnitudo animi in quo perſpiciatur 374
magnitudini animi, finitima uitia ſunt ſuperbia, & deſpicentia 374
magnum 13. 51
maius 51
maieſtatis crimen quod 397. 398
maieſtatis crimẽ eſt grauiſſimum, & proximum ſacrilegio 397
maius quid in argumentatione a maiori 171
maiores, ueritatem quaeſtionibus inueniri poſſe putauerunt, atque iccirco eas approbauerunt 407
maledictio nihil habet propoſiti praeter contumeliam 358
maleficia ducunt aduerſarios in odium iudicum 320
mali uertitur color. prouerbium 333
malitioſi qui 373
malitioſi ſaepe prudentes eſſe uidentur 373
malitia eſt uerſuta, & fallax nocendi ratio 373
malitia difert a uitioſitate, quoniam malitia certi cuiuſdam uitiii nomen eſt, prudentiae contrarii, uitioſitas omnium 373
manceps, mancipatio, mancipare, res mancipi 182. 183
Mancinus, neceſſitate compulſus, cum Numantinis indutias fecit 337
mancipi res, & nec mancipi quae dicantur 182
mancipi res, ueteres appellãt, quae ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret ſollemnitatem 180
Manlius Torquatus Põponio tribuno pl. mortem minatus eſt, quod ab eo pater ſuus fuiſſet accuſatus 337
manumiſſio legitima, aut naturalis 148
manumiſſionum modi diuerſi. pag. 148
Marcomanus 14. 119
M'. Curius coniurationem Catilinae cum Fuluia amica ſua communicauit, illa uero Ciceroni patefecit 333
M. Antonius hac potiſſimum laude praeſtitit, quod aduerſarios acutiſſime refelleret 338

materia, & inſtrumenta conficientem cauſſam adiuuant 387
materia, quae ibid.
materia, quae 276 ab ea ſaepe firma ducuntur argumenta, ibidem
materia, & forma partes ſunt rei ibid.
materia 6.55
materiae ab una cauſſa definitio pag. 264
Mathematicae ſcientiae, quae 372
mater an liberos alere aliquo tempore teneatur 165
materfamilias, quae per coemptionem nupſerat 157
matrisfamilias nomen diuerſe accipitur ibid.
matrimonium inter quos prohibitum iure ciuili 166
matrona, quae dicebatur; quae materfamilias 158
matronae, totum annum L. Brutum luxerunt 379
maximae, ideſt uniuerſales, ac notiſſimae propoſitiones ſunt, quas Ariſt. appellat locos 137
Medea 271
mediocres cauſſae temperatum, & aequabile dicendi genus deſiderant 351
mediocritas omnium rerum optima eſt 373
Meditullium, quid ſit 194
Melampus, Vates 260
meliora ſunt, quae per ſe, quam quae propter aliud expetuntur pag. 224
iniuriam accipere melius eſt, quã inferre 369
membrum aliquando per ſe conſideratur, ſicut etiam inciſum pag. 305
membrum, quomodo notetur. ibidem
membra longe commodiora ſunt in omni narratione, quam periodi, aut commata 409
memoria tanta nemo fere praeditus eſt, aut tam docilis, ut, ſi ſemel tantum artem aliquam audiat, eam bene intelligere, aut meminiſſe poſſit 252
memoria naturalis plurimum exercitatione poteſt augeri 516
memoria 6.13.121
memoria eſt quaſi theſaurus quidam & cuſtos omnium rerum 253.254
memoria eſt firma animi rerum, ac uerborum ad inuentionem perceptio 254
memoria duplex eſt 316
mendacem eſſe memorem oporte, Prouerbium 327
mendacium eſt multiforme 333
mendax neque cum uera dicit, creditur 327
Menelaus Lacedaemoniorum rex dicendi breuitate ab Homero commendatus 307
Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxiſſe, nota illa de membris humanis aduerſus uentrem diſcordantibus fabula 335
Menenius Agrippa 271
mentis qui dicitur 49
Menſia, lex 166
Meſſalla, primus Reatum dixit pag. 299
metaphorae uis, quadruplex eſt pag. 301
methodus duplex in artibus tradendis 259
metonymia, figura ſeptem praecipue modis fit 301
metus, & cupiditas ſunt futuri temporis 285
metus dominatur, cum mala proponuntur 385
metus longe magis animum perturbat, quam ſpes ibid.
metus, qui 285
Midae paruulo formicae grana tritici in os congeſſerunt 260
Midas 365 ei puero dormienti, formicae tritici grana in os congeſſerunt 365
Miloniana oratio 67
minus quod eſt, non per ſe minus eſt, ſed comparatione maioris pag. 224
mirabilia uoluptatem habent in audiendo 364
Miltiades, apud Graecos in bellica laude plurimum praeſtitit, & ſempiternam ſibi gloriam acquiſiuit 369
miſer qui 352
miſeratio ex rebus magnis, quomodo naſcatur ibid.
miſeratio cum indignatione interdum miſcetur ibid.
miſericordia a defenſore in perorationibus concitanda eſt 293
mitiorem ſententiam, in dubiis rebus ſemper ſequi debemus, &, ſi qua fuerint cum accuſatore communia, ea trahi poterunt ad rei defenſionem 409
Mithridates 271
Mithridates rex, tanto uenandi ſtudio tenebatur, ut ſeptem annos, neque urbis, neque uillae ſtatu uſus ſit 725
maximum quid ſit 123
modeſtia ſuauem efficit orationẽ, cum orator alterum auget, ſeipſum minuit, modo, ne id uanitate fiat, ſed comitate 313
modi quattuor efficiendi uerba recepta 296
modus 50.127
modus in coniectura non eſt 90
moleſta quae ſunt, omnes declinant 385
moleſtia quae 285
moleſtum, turpe, inutile fugere debemus 381
monſtri, & prodigii differentia 365
monſtrum quod ibid.
monumenta 4
moralis philoſophia oratori eſt neceſſaria 421
mortui, laudandi quomodo ſint. 379
mortuus pro patria laudari copioſe poterit ibid.
mos qui 180
mores diuturni conſenſu utentium comprobati legem imitantur. 415
morte, ratio eſt maior, quam peritia diſſerendi 134
mos diſcipulorum ueterum 62
motus in principio orationis, & in fine adhibendus eſt 317
motus qui 284
motus corporis in actione in toto eſt uel in partibus 316
mouere non eſt neceſſarium, quam uis ſit utile 257
Mucius pro rege Porſena ſcribam obtruncauit 333
Mucius Scaeuola apud Romanos celebratur, quod iniurias ferret 369
mulieres antiquo iure tutela perpetua continebantur, recedebant uero a tutoris poteſtate, quae in manum uiri conueniſſent 161
mulieres laudantur, quae pro pudicitia mortem obierunt 379
multiforme eſt mendacium 333
mundus ideo eſt rotundus, quod orbis appellatur 267
mundus in quinque corpora ſimplicia diuiditur ibid.
muſica, omnem poeticam artem amplectitur, & modos omnes, qui uel alta uoce, uel inſtrumentis uarijs educuntur 372
mutum eloquentiae ſimulacrum

INDEX

ars 82
mutuum, & ſpecies mutuata coniugata non ſunt 154

N

NARRATIO 36. 37. 67. 69
narratio in demonſtratiuo genere perpetua fere eſt cum amplificatione coniuncta 317
narratio, quae 324
narrationum tria genera ſunt, hiſtoricum, dramaticum, & politicum 325
narratio non eſt neceſſaria, quia eſt uel de praeteritis, uel de praeſentibus rebus 289
narrationis tres ſunt uirtutes, ut dilucida ſit, ut breuis, ut probabilis 325
narratio qualis eſſe debeat 230
narrationes uel pro nobis faciunt, uel nos laedunt, uel partim adiuuant, partim offendunt, ſi pro nobis faciunt, eas quantum utile eſſe uidentur dilatabimus, ſi laedunt, totae ſunt relinquendae, ſi partim adiuuant, partim offendunt, ea pars, quae offendi, amputanda eſt 292
narratio eſt rerum geſtarum, uel perinde, ut geſtarum, expoſitio 254
narratio in deliberatiuo genere non eſt neceſſaria, cum narratio ſit praeteritorum, deliberatio futurorum 317
narratio quindecim modis probabilis fit 325 primo, a perſonis, ibid. ſecundo, a temporibus 326 tertio, a loco, ibid. quarto, ſi cuiuſque facti, & euenti cauſſa ponetur, ibid. quincto, ſi teſtata dici uidebantur ibid. ſexto, ſi cum hominum opinione, ibid. ſeptimo, ſi cum auctoritate coniuncta, ibid. octauo, ſi cum lege, ibid. 327 nono, ſi cum more, & conſuetudine, ibid. decimo, ſi cum religione coniuncta ibid. undecimo, ſi probitas narrantis ſignificabitur ibid. duodecimo, ſi antiquitas, hoc eſt orationis grauitas, quae antiquitatem quandam, & uenerationem praeſeferat ibid. tertiodecimo, ſi memoria dicentis ſignificabitur, ibid. quartodecimo, ſi orationis ueritas, hoc eſt, ſi antea ſolitus eſt uera dicere ibid. quinctodecimo, uitae fides maxime probabilem efficit orationem, ibid.
narratio, quomodo dilucida eſſe debeat 325
narrationes ſunt fere perpetuae, quia ordine ſolet orator explicare 363
narrationes tãtum, & amplificationes exornationem conficiunt. 363
narratio eſſe breuis, aperta, & probabilis oportet 306
narrata prompte, & memoriter uera eſſe uidentur 327
narrationi fere ſemper ſex circumſtantiae accidunt. perſona, res, cauſſa, locus, tempus, modus. 325.329
narratio ad rem docendam adhibetur 328
narratio eſt ſecunda pars orationis. 324
narrationis politicum genus duas habet partes 325
narratio eſt initium confirmationis 324
natio 44
natiua uerba, quae 295
naturalis memoria plurimum exercitatione poteſt augeri 316
naturalium quinque ſunt differentiae 331
naturale ius, quodammodo praeſcribit, ac praecipit omnibus, ut ſuos mores, ac leges tueantur, quoniam, non aliter ciuitas ſtare, aut domus ulla conſeruari poteſt 415
naturale, & legitimum ius, quod ad homines ſpectat, dicitur humanum, & aequitatem omnem continet 414
naturales differentiae, quae 331
naturalia, & fortuita in tempore, quomodo conſiderentur 332
naturalia non naturalibus anteponuntur 225
naturale, & legitimum ius, quod ad deos ſpectat, uocatur diuinũ, & omnem religionem amplectitur 414
naturale ius omne, & legitimum, uel ad deos, uel ad homines refertur 414
natura pro facilitate, ingenio, & pulchritudine 218
naturae hominis nihil tam conſentaneum eſt, quam uirtus, & rerum honeſtarum appetitio. 386
natura, & uoluntas duo ſunt, quae ſemper alicuius gratia faciunt, pag. 276 in natura neceſſitas eſt, in uoluntate eſt delectus. ibid.
natura praeſcribit omnibus, ut ea quaerant, & obſeruent, quibus ſalutem ſuam tueri poſſint. quo fit, ut legum obſeruatio ſit quodammodo naturalis 415
naturae rerum inter ſe comparantur, ut ſciri poſſit quae melior, & quae deterior natura ſit 282
natura duplex eſt, altera corporis, altera animi 330
naturam ducem ſi ſequamur, numquam abberrabimus 414
naturae, & legis differentia haec eſt, quod natura ſit, quae ſemina rerum omnium honeſtarum, & iuſtarum nobis inſerit, lex uero ſit ab hominibus conſtituta, quo uita ciuilis, & concordia poſſit ab hominibus conſeruari 414
natura, deorum nobis cultum ingenerauit, & docuit nos, unum eſſe totius mundi rectorem, & gubernatorem, quem uenerari, & colere pium ſit 414
natura 77.78.122.125
naturalis locus 126
natura, & ingenium arte perficitur 253
natura, & lex ſunt duae partes iuris primae 414
naturae bonitatem, ignauia, atque otium ſaepe corrumpit 377
natura in perſonis, quomodo conſideretur 326
natura humana, res turpes quodãmodo refugere ſolet 384
natura, formauit nos aptos ad uerũ & iuſtum 414
natura, atque ars ſuũ ſemper opus efficiunt 218
natura, atque legis communia ſunt quaecumque uel ad religionẽ, uel ad aequitatem ſpectant. 414
neceſſaria bona, quae 382
neceſſaria ex propria conſiderantur natura 171
neceſſaria bona, reliquis omnibus bonis, & commodis ſunt anteponenda 382
neceſſarium quomodo intelligendum ſit 380
neceſſarium, honeſtum, utile, quomodo ſint in deliberatione tractanda 383
neceſſaria bona, uel ad perſonam noſtram pertinent, uel ad eos, qui nobis cariſſimi eſſe debent. 382

neceſſa-

neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur 325
neceſſaria argumentatio tribus modis fit 73
neceſſarium argumentum 55.56
neceſſarium inter homines non eſt. 57
neceſſarium ſecundum formam reprehendi poteſt 73
neceſſarium ſecundum rem reprehendi non poteſt 73
neceſſitas non abſoluta, quae 380
neceſſitas quid ſit 380
neceſſitas legem non habet, prouerbium 380
neceſſitas 79
neceſſitudinis diuiſio 125
neceſſitudo 121.122
neceſſitas, quaſi id quod latebat extorquens, auctoritate ſubnixa eſt, quae, tum ab animo, tum a corporibus uenit 229
neceſſitate defenditur is, qui oſtendit, ſe aliter facere non potuiſſe. 416
neceſſitas quae extorquet, ipſa quodammodo uidetur ueritas dicere, atque ideo eis, ueluti auctoritate ſubnixis, fides adhibetur. 229
neceſſitas duplex eſt, abſoluta, & nō abſoluta 380
neceſſitas abſoluta, quae 380
neceſſitas, caſus, imprudentia, tria ſunt, quae factum improbum excuſare poſſe uideantur 416
negantia, Graecis ἀποφατικά. 202
negantia 53
negatio criminis firmiſſima defenſio eſt 394
negligentia 89
negotialis 25.26.99.
negotialis, & abſolutae differentia. 101
negotialis, unde dicitur 90
negotium 47.48
nemo poteſt defendere, quin laudet 362
nemo poteſt accuſare, quin uituperet 362
nexus, ſiue nexum quid ſit 183
nexus qui 180
nihil effici poteſt ſine ui aliqua mouente, quae efficiens cauſſa uocatur 253
Nicomachus in Arithmetica ualde excelluit 372
nobilis animus, audito gloriae nomine, ſtatim commouetur. 385
nobiles uires, & felices amicis abundant 331
nobilitas eſt eximus libertatis theſaurus 377
nobilitatis tria ſtudia, primum equorum ſtudium, ſecundum uenatio, tertium armorum 372
nobis interdum nouis uti neceſſe eſt 300
nocere 58
nomine apud Romanos genus oſtēdi, non familiam 188
nomen ſemper in ipſo eſt 148
nomen 43.44
nomen, omnem rem notat, atque ſignificat 148
nominis ambiguitas aliquando ridiculum facit 268
nomen in perſonis, quomodo conſideretur 325.326
nomina propria ſunt in narrationibus neceſſaria 326
nomen, iocandi ſaepe materiam praebet 268
nomen, intellectus qualitatem deſignat 226
nominis definitio ipſa eſt etymologia, ſiue notatio 264
non dubia, quae 340
non neceſſaria bona, quae 382
non neceſſaria bona, propter ſe ſunt expetenda 383
non neceſſaria ſaepe neceſſariis anteponuntur, quia, quae uoluntaria ſunt, non ſunt neceſſaria. 225
nō neceſſaria bona, uel ad animum pertinent, & per ſe ſunt expetenda, uel ad aliquod commodum referuntur 382
nota qualis locus. Et de eius ui, ac exemplis in iure 149
nota quae 193
nota, ſiue etymologia rei, de qua agitur, haeret. Et quo ſenſu ab agricola cenſeatur locus externus. 244
nouum quod 312
noua ita mouent animos, ut, etiam ſi per ironiam dicantur, tamen delectent 312
noua uocabula non ita frequenter licuit uſurpare, niſi quando neceſſitas cogit 299
noua uerba fingere nobis hoc tempore non licet, niſi forte res aliquae nouae exſtiterint, quae nomine careant 363
notatio eſt quaedam nominis interpretatio 148
notatio uerbi, etymologia Graece dicitur 267
notatio uſum aliquando habet neceſſarium 265
notatio quae 193
notatio quid ſit. §.19. de eius origine & in quo differat ab agnitione 171.172
notio Graecis ἔννοια, uel πρόληψις, quae 190
notitia in arte fidem facit 229
nouitas grata prouerbium 312
nouitas ad periculum interdum refertur ibid.
nox 49
Numa Pompilius, Romanis multa ſacrorū genera conſtituit 375
numeri comparatio 282
numerus, & ſpecies in natura ſpectatur ibid.
numerus 52
nuptiarum per coemptionem forma 157

O

OBSCVRVM tribus modis fit 30
obſcura oratio ſuauis eſſe non poteſt 310
obſcura, rationibus, & argumentis aperire, & quodammodo interpretari opus eſt 394
obſcuritas in coniunctis uerbis pluribus modis eſt 306
obſcuritas in ſimplicibus uerbis tribus modis eſt ibid.
obſcuritas eſt, uel in ſimplicibus uerbis, uel in coniunctis ibid.
obſeruatio legum, quodammodo naturalis eſt 415
obliuione, non malitia, interdum contra leges peccatur 420
obliuio, error, metus, cupiditas in permotione animi, quomodo ſint 333
obtemperandi cauſſa alia eſt, alia abrogandi 419
obſeruantia in Deos proprie religio dicitur, in patriam uero, & parentes pietas 351
occaſionis opportunitas momento praeteruolat, numquam reditura 332
occaſio 50.126
occaſio triplex 50
Octauianus Auguſtus cum natus eſt, affirmauit P. Nigidius dominum terrarum orbi natum, & Theogenes Mathematicus, ſtatim exſiluit, adorauitq. eum 365
Octauianus Auguſtus tantam fiduciam facti habuit, ut thema ſuum uulgauerit, nummumq. argenteum nota ſideris capricorni, quo natus eſt, percuſſit ibid.

I N D E X

Octauianus Auguſtus, dum adhuc uiueret, tamquam Deus cultus eſt ibid.
Octauius Auguſtus Apollinis filius fuit 377
oculatus teſtis plus unus ualet, quã auriti decem, prouerbium 333
oculis magis adhibenda fides, quã auribus, prouerbium ibid.
oculus facile poteſt decipi in magnitudine procul poſita 356
oculorum ſenſus in nobis eſt acerrimus 309
odia contra illos, a quibus res magnae uiolatae ſunt, quomodo incitentur 352
odoratio 59
officia parum ab effectis diſtant, niſi quod effecta magis ad res natura agentes pertinent, officia uero ad eas, quae agunt con ſilio 264.265
officium 14.25.31
officium artis 85
οἰκονομικὴ, Id eſt, prudentia domeſtica 368
omne, quod praecedit, adid, quod ſequitur, neceſſe eſt referatur. 164
omne repugnans, repugnanti ſibimet intelligitur inimicum 152
omnia, quae definiuntur, aut corporalia ſunt, aut incorporalia 178
omne quidquid ab aliquo inflectitur eſt diuerſum, eidemq. cognatum, a quo etiam probatur inflexum 151
omnia conſtant ex materia ſua, & forma 253
omnes res, quae abalienari poſſunt, ideſt a noſtro ad alterius tranſire dominium, mancipi dictae ſunt 180
omne quod fit, locum neceſſe eſt habere ſubiectum 215
omnis ſui materiam effectus ex natura ſuſcipit 221
omne, quod continet, eius, quod continetur, principium eſt 174
omnia, quae ſe aliqua relatione reſpiciunt, aut amica inter ſe, aut diffidentia conferuntur 150
omne conſequens ad id, quod praecedit, refertur 166
omne elementum principium eſt eius rei, cuius elementum eſſe perpenditur 174
omne, quod in quaeſtione dubitatur, aut ueriſimilibus, aut neceſſarijs probatur argumentis. 207
affecta omnia, ab eis, ad quae effecta ſunt non uidentur externa 228
omnia ſunt uel immutabiliter, ac ſemper, uel ſaepius, uel raro, uel aeque 219
omnia propter finem aguntur. 392
omnia, quae ex natura, atque arte deſcendunt conſtantia ſunt. pag. 218
oracula pleraque erant ambigua. 346
oracula ad laudem referuntur. pag. 365
oracula cur ita dicta 230
oracula, quare ſic appellata, & ijs magnam fidem habebant antiqui 202
orationem nemo poteſt recte habere, niſi Rhetoricae partes bene intellexerit 252
oratoriam uim nemo poteſt aſſequi, niſi rerum multarum ſcientiam, & cognitionem comprehenderit 253
oratio debet eſſe breuis, ne taedium afferat 304
orationes Demoſthenis lucernam olere dictae ſunt 307
orationis prima uis in ſimplicibus uerbis eſt 294.295
oratio ſeptem modis illuſtris fieri poteſt 308
orationis ſecunda uis in coniunctis eſt 294
oratio nonnumquam pro omni locutione ponitur 254
oratio debet eſſe illuſtris, ut moueat 304
oratio, quattuor modis contrahi poteſt 315
oratione, animi ſanantur 360
oratio debet eſſe probabilis, ut fidem faciat 304
oratio elegans, & ſuauis conſtare debet ex iucundis, & tonantibus, & lenibus uerbis 309
orationis contractio tunc uitioſa eſt cum neceſſaria omittit. 306
oratio proprie eſt oratoris 254
oratio illa maxime laudabilis eſt, quae ita rebus accommodatur, ut eas ita explicet, ut uideri uideantur 298
orationis ambiguitas ſemper obſcura eſt, niſi diſtinguatur 306
oratio mouere, uel delectare, niſi doceat, non poteſt 255
orationis partes ſunt quattuor, duae neceſſariae, ut narratio, & confirmatio; duae utiles ad mouendum, ut exordium, & concluſio. 254
oratio libera uel incerto auctore uagatur, uel certum habet auctorem 262
oratio per interpretationem ex uerbo, quomodo dilatetur 314
oratio ſapiens morbis animorum medetur 361
oratio per definitionem, quomodo dilatetur 314
oratio tota popularis eſſe debet. 294
oratio illa ſuauis eſt, quae mores oratoris amabiles oſtendit 312
oratio illuſtris rem paene ante oculos conſtituit 347
orationis ſingulae partes, quales & in accuſando, & in defendendo eſſe debeant 409
oratio contrahitur, cum definitionem ad unum uerbum reuocamus 315
oratio cõtrahitur, cum duobus uerbis, in coniunctione fit unum. 315
oratio per enumerationem partiũ quomodo dilatetur 314
huiuſmodi dilatandi ratio pulcherrima eſt, & frequentiſsima 314
oratio per incrementum, quomodo dilatetur 314
oratio contrahitur, cum aſſumpta uerba remouentur 315
oratio, ut ſit dilucida, duobus modis conſequimur 323
orationis contractione, dialectici, & philoſophi utuntur 307
oratio quattuor potiſſimum rationibus dilatatur 314
orationes funebres apud Graecor primum inſtitutae, ut ij laudarentur, qui pro ſalute patriae mortem oppetiuerant 361
oratio eſt ſuapte natura numeroſa, ſiue caſus habeat in exitu ſimiles, ſiue paribus paria reddãtur, ſiue opponantur contraria 364
orationes multo probabiliorem ſaepe narrationem faciant 326
oratio contrahitur, cum plura uerba idem paene ſignificantia in unum circuitum diriguntur. 315
orationis longitudo obſcuritatem inducit 306
orationem illuſtrare poſſunt adiuncta ad nomen 308
oratio, quattuor modis obſcurari ſolet 306

oratio

oratio noſtra debet eſſe perſpicua, quia mentis eſt interpres. 264
orationis, quare plures partes ſint, 370
orationis genus aequabile, & temperatum maxime eſt ſuaue. 310
orationem totam duobus modis concludere licet, uel per amplificationem, uel per enumerationem 346
orationis prima uirtus eſt perſpicuitas 244
oratio eſt opus oratoris 252
oratio debet eſſe clara, ut intelligatur 304
oratio duplex eſt, aut libera, aut expreſſa 261.262
oratio tota, uel in duas, uel in tres tantum partes diſtribuitur. 322
orationis initium liberius eſt 303
orationis finis diligētiam maiorem exquirit 303
oratio 7.47
oratio dialogo conuenire poteſt. 63
orationis tertia pars probatio, uel fides dicitur 338
orationis quaedam uis in optando conſiſtit 342
orator adſtrictus non eſt, tamquam decretis, & legibus, ut locus, tempus, cauſſa poſtulat, non mutare praeceptorum ordinem poſſit. 294
orator duo conſiderare debet in uerbis, primo ut ſint Latina, deinde, ut ſint conſequentia 304
oratoris labor omnis, duabus tantum in rebus occupatur, nempe ut delectet, & ut probet. 362
orator quid dicere debeat in ſtatu, in quo definitione utendum eſt. 395
oratores ſoli cauſſas forenſes, & ciuiles tractant 286
oratores duo potiſſimum cauſſarū genera conſiderare ſolent, hoc eſt efficientem, & finem 401
oratores nulla alia de cauſſa narratione utuntur, niſi ut res eas, de quibus agitur, explicent 324
orator non ſibi ſemper ueritatem proponit, ſed omnem orationem ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodat 384
orator bonus uir eſſe oportet 327
orator ſibi ſaepe beneuolentiam captat ab aduerſariorum maleficijs 320
orator, tam a ſua perſona dicitur beneuolentiam captare, cum a reo ipſo incidit, quam cum a ſe 319
orator poteſt, uel a perſona ſua, uel a perſona aduerſariorum, uel a perſona audientium beneuolentiam ſibi conciliare ibid.
orator, quoties de maximis rebus dicturus eſt, iure ſuo poterit a neceſſitate quantum uoluerit amplificare 381
orator, quoties amplificare uult, tunc perturbationes animi, non ſedare, & ſanare, ſed gignere, & concitare in animis audientium contendat 360
orator interdum a reo tantum orditur 319
oratores in iudiciali genere, non quidem ſemper, ſed tamen frequentiſſime narrare ſolent 317
orator interdum a ſe, & a reo exorditur 319
orator bonus ſine philoſophiae cognitione nemo eſſe poteſt 421
orator argumenta, quae communia ſunt, debet praetermittere 283
orator non tantum probare, & fidem facere, ſed etiam animos mouere, & delectare quaerit 370
orator ullo modo poteſt genus bene tractare, niſi uirtutum, & uitiorum cognitionem teneat. 362
orator diligenter aduertere debet, quid ipſa cauſſa poſtulet 313
oratori, quomodo fabulis uti liceat 335
orator duo praecipue ſpectare debet 317
orator non omnia ſuauitatis praecepta quaerere debet 313
orator interdum a ſe tantum incipit 319
orator, licet principaliter cauſſam conſideret, tamen ſemper eſt ipſa cauſſa ad propoſitum traducenda 355
orator, quia fere ſolam auditorum delectationem in demonſtratiuo genere quaerit, eo genere elocutionis uti debet, quod uoluptatem afferre poſſit 363
orator cum animos commouere uult plerumque a concluſione incipit, eaq. confirmata, quaſi retro, & contra progreditur. 341
orator primo ſibi beneuolentiam captabit, ſi merita ſua, uel eius, quem defendit in remp. & in eos, qui audiunt modeſte commemorabit 319
orator maxime ſtudet in peroratione, uel ad ſaeuitiam iudices concitare, ſi accuſat, uel ad miſericordiam, ſi defendit 346
oratoris uis eſt cauſſa efficiens 253
orator cum animos mouere uult enumerare debet quam breuiſſime mala omnia in quibus ſit ille conſtitutus, pro quo miſerationem cupit excitare 352
orator, ſi a teſtibus dicere uoluerit eos oſtendere oportebit probos uiros, graues, fide dignos 344
oratores ſolent tantum efficientem, & finem, ex quattuor generibus cauſſarum, cauſſas appellare, & eis frequentiſſime uti, quia materia, & forma partes ſunt rei 276
orator, ſi forte obſcuros & inopes teſtes in iudicium adduxerit contra reum, dicet fidem non a fortuna pendere, quamuis inopes ſint, tamen bonos eſſe uiros, qui nullo modo poſſent induci, ut falſum dicerent 407
orator quaerit in exornatione potius, leniter animi motus tractare, & exhilarare, quam fidem facere, & confirmare 363
orator, quo modo quibuſque in rebus magnis utatur 352
orator cum grauiora ſunt uerba, quam cauſſa poſtulet, aut actio, pronunciatioq. uehementior, tunc potius riſum, quam miſericordiam, aut indignationem mouet 349
orator, ſi quae ad deos immortales, quae ad patriam, quae ad parentes attineant, tractare uidebitur, maxime in cauſſis animi iudicum, & auditorum permouentur 351
orator, ſi probare potuerit, teſtes, aut ſpe commodorum adductos, aut metu incommodorum, aut odio ipſius rei, aut miſericordia ad teſtimonium dicendum aduenıſſe, facile fidem illis abrogabit 344
orator bene cauſſam tenere debet, & diligenter conſiderare, quid ea poſtulet, ut poſſit, quid deceat iudicare 349
oratoris officia ſunt quinque, inuenire, diſponere, eloqui, meminiſſe, pronunciare 253
oratoris proprium eſt facere fidem 256
orator teſtimonia ſibi non parat,

ſed paratis utitur 172
orator egregius nemo eſſe poteſt, niſi contra omnia, quae propoſita fuerint, diſſerere copioſe ualeat 346
orator diligenter aduertere debet, quando conſonantibus, grauibus, & lenibus uerbis utendum ſit, & quando contrariis 298
oratori, philoſophia moralis eſt neceſſaria 421
orator dicet potius argumentis, quam teſtibus, eſſe credendum 433
orator beneuolentiam ſibi conciliat, cum ipſorum iudicum, & audientiũ uirtutes extollit 320
orator rem ullam apte deſcribere poteſt, niſi definiendi ſcientiam habet 244
oratoris uis omnis in augendo, minuendoq. conſiſtit 347
orator, ut lenis, & nitida ſit oratio, uerba omnia pudenda, & inquinata refugiet 297
orator, quae oſtendere debeat, quãdo animi ſint incitandi, aut reprimendi 391
oratori, Dialectica eſt neceſſaria 421
orator ſibi beneuolentiam captat, ſi ipſorum iudicum, aut auditorum beneficia in nos collocata commemoremus 320
orator, rerum, & uerborum perſpicuitatem diligentiſſime ſeruare debet 304
orator in definiendo cõmune opinionem quomodo ſequi debeat 410. 411
oratori omnino neceſſaria eſt philoſophiae pars ea, quae ad uitam, & mores attinet 421
orator magis ea pertractat, quae ad mores, & actiones pertinet 256
orator, nihil poterit ſuadere, niſi moueat audientiũ animos 390
oratores plerique iuris ciuilis cognitionem negligunt 394
oratoris uis natura potiſſimum cõſtat 253
oratori neceſſaria ſunt, Dialecticae officia tria, partiri, definire, argumentari 421
oratores, non tam anguſte, quam philoſophi definire ſolent 322
oratori neceſſarium eſt ambigua diſtinguere, & noſſe locos argumentorum, & ea tenere, quae ad iudicandi ſcientiã pertinent, quae Graeco nomine dicitur Analytica 421
orator cum primum iudicationem inuenerit, tum omnia debet ad eam argumenta ſua dirigere 400
orator non ſatis habet rationes afferre, quibus aliquid faciendum ſuadeat, ſed eas etiam exemplis confirmare debet 390
orator nihil aliud in oratione ſua quaerit, niſi, ut auditores ſuos doceat, & moueat, ac quo uelit eorum animos impellat 254
orator cum in Ariopagitarum conſenſu cauſſam dicturus exſurgeret, aderat praeco, qui edicebat, ut neque exordio, neque peroratione uteretur. 254 duas tantum orationis partes admittebant, hoc eſt narrationem, & cõfirmationem ibid.
orator 2
orator uir bonus dicẽdi peritus 17
orator duo agit 55
orator duo habere debet 16.17
orator non eſt natura 125
oratores dicendi modo 69
oratoria definitio, duobus modis fieri poteſt 335
oratoriae breuitatis praecepta, quae 307
oratoria quaeſtio duas in partes diſtribuitur, hoc eſt infinitam, & definitam 255
oratoriae partitiones ideo dictae uideri poſſunt, quod partiendi, atque diuidendi rationem orator tenere debet 244
oratoriae partitiones e media Academia floruerunt, & ſine illa neque intelligi, neque tractari poteſt 421
ordo naturalis in oratore qui, 294
ordo, paene ſolus artificioſae memoriae magiſter, & effector eſt. 317
ordines in exornatione, quae delectationis gratia comparata eſt, duo praecipui ſunt 288
ordine nihil melius in diſciplinis 251
ὁρμὴ, Ideſt Appetitus 367
ὁρμὴ 125
ornamenta rerum, quae uoluptatem habent in audiendo, ſeptẽ potiſſimum ſunt, primo mirabilia, ſecundo, nec opinata, tertio, quae ſignificata ſunt monſtris, quarto, prodigia, quincto, oracula, ſexto diuina, ſeptimo, fatalia 364.365
opes, ſexto loco inter fortunae beneficia collocantur 331
opinio dupliciter fallit 85.86
opinio quid 72
opinio, quomodo conferatur ibid.
opiniones de mundo 16
opiniones δόγματα dicuntur 57
opportunitas 6.38.50.56
opinio fit ratiocinando 256
opinio magis generalia reſpicit. ibid.
opportunitas occaſionis momento praeteruolat numquam reditura 332
opportunitas eſt flos temporis. ibid.
oppoſita, quae 201
opus nullum exſtare poteſt, niſi ſubſit materia 252
origo, & fons totius iuſtitiae eſt, ſi aequum, & bonum conſeruetur 414

P

PACTIO 90
pactum, conuentum, ſtipulatio, tabulae, iuris priuati quattuor ſunt exempla 415
pactum eſt, quo aliqui inter ſe paciſcuntur, quod tanti roboris eſt, ut iuri praeſtare dicatur ibid.
pacta, uel in ſcripto, uel ſine ſcripto eſſe poſſunt 263
pactum eſt, quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iuſtum putatur, ut iuri praeſtare dicatur ibid.
pactum 4
pactum eſt, duorum, plurium ue in idem, placitum, & conſenſus 415
Palaemon, apud Latinos magnam ex grammatica laudem conſecutus eſt 372
Panegyrici, in quibus, non tantum ſinguli homines, ſed etiam totae ciuitates laudabantur 361
Papirianum ius quod 415
paraſitica ars laudata 361
parens haud multo ſecus, quam Deus, eſt liberis ſuis 370
parentes magna cum reuerentia, & modeſtia colendi ſunt 360
parentes nihil magis concupiſcũt, quam filios bonarum artium ſtudioſos eſſe 249
patris officium eſt, ut filios ſuos quam diligentiſſime curet, & ne ullis quamuis maximis occupationibus ab eorum cogitatione diſtrahatur 251

parentes, liberi, coniuges, germani, perſonas noſtrorum, quas non minus, quam nos ipſos diligere debemus, reſpiciunt 382
par quid ſit 100
parium nulla diſcretio eſt 225
parium comparatio, nec elationem habet, nec ſubmiſſionem, eſt enim aequalis 282
paria paribus cum referuntur, relata intelliguntur 348
paria paribus relata, quae 364
paria ſunt, qui referant ad numerum ſyllabarum, ſimilia uero ad ſimiliter cadentia, uel deſinentia, quae in exornationem frequenter cadunt 364
pars 41
partes quinque Rhetorices 17
partes duobus dicuntur modis. 146
partes, ſi inter ſe comparentur, ſaepe genera dignoſcuntur 281
partes apud Ciceronem duobus modis intelliguntur, aut totius, aut generis 267
partes generis, ſpecies, & formae dicuntur ibid.
partes ordinate diſtribuere docilem facit auditorem 322
pars eſt generalius uocabulum, quam ſpecies 267
partes ſunt illae, in quas totum diuiditur ibid.
partes totius numquam ſpecies, neque formae dici poſſunt, ibid.
partiri, definire, argumentari, Dialecticae officia tria ſunt, quae ſunt etiam oratori neceſſaria 421
partitio 39
partitio laudis, & uituperationis 124
partitio eſt confirmationis principium 32
partitio ſumit partes rei, quam partitur, ſemper minores 146
partitio eſt ſingularum in partes diſcretus ordo 247
partitionis, & diuiſionis diſtinctio ibid.
partitio eſt, qua res aliqua tota, & uniuerſa in ſuas partes tribuitur ibid.
partitio, quae 180
partitio eſt tamquam ſpecies 247
pater nemo eſt fere, qui non filios ſuos, & doctiſſimos, & florentiſſimos uidere cupiat 250
patientia, duritia immanis uocatur 375
patientia, quae 369
patientiae finitimum eſt uitium. 375
patientia uirtus eſt maxima, atque utiliſſima ibid.
patria 44
patriae proditores omnes exterminandi ſunt 255.270
patriae non minus debemus, quam parentibus 370
paucis contentus, etiam ſi pauper habeatur, tamen longe felicius uiuit, quam qui ditiſſimi ſunt, & plura ſemper appetunt 357
paucitas 40.41
paucitas partium docilem facit auditorem 322
pax 4
peccata omnia, quae a ratiocinatione, & meditatione proficiſcuntur, uel propter commodi ſpem, uel propter incommodi uitationem ſuſcipiuntur 404
peccata motu animi, & perturbatione commiſſa in iudicio legitimo defendi non poſſunt, in liberis autem diſceptationibus poſſunt 337
pedes obſeruantur, & initio, & in fine periodorum 303
περίστασις 96
per ſe expetendum, quid dicatur 383
perfecta, imperfectis naturaliter excellunt 225
perfectum bonum duobus conſtat 9
Pericles, cum ab eo quidam amicus petiuiſſet, ut pro ſe peieraret, dixit, oportet me quidem amicis auxiliari, ſed ad aras uſque 356
Pericli maxime laudi fuit, quod Anaxagoram Clazomenium praeceptorem habuiſſet 377
periculi timor, ſaepe hominem ad iniuriam faciendam impellit 402
periodus conſtat e membris, & inciſis 305
periodorum longitudo parit obſcuritatem 310
periodi bimembres qui 305
periodus, quomodo notetur 305
periodus duobus membris non eſſe breuior uult ibid.
periodi trimembres qui ibid.
periodi quadrimembres qui ibid.
periſtaſis, id eſt circumſtantia 388
permotio animi, quae fit oratione, ſuauis ſemper eſſe ſolet 312
permotionũ animi quattuor ſunt genera ibid.
permotione animi multa peccantur 333
permutatio coloris a timore plerumque naſcitur, & a mala conſcientia ibid.
peroratio breuis eſſe debet 293
perorationis praecepta ſunt, quibus iudex ad ſaeuitiam concitatur in accuſando 291
peroratio in eo differt ab exordio, quod perturbationes, uel commotiones longe grauiores, & uehementiores, exordium uero mitiores affectus habere ſoler 346
perorationes accommodantur ad illos mitiores affectus commouendos, ut leniter auditores ad uoluptatem afficiantur, non autem ut perturbentur, quamuis in uituperatione nonnumquam orator grauius exardeſcit 363
perorationis, & exordij differentia 346
peroratio, uel concluſio dicitur ultima pars orationis, quae ad mouendos animos adhiberi ſolet, & ſimile quiddam habet cum exordio ibid.
perpetuum 53
perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata, ſtabilis, & perpetua permanſio 358
perſona quomodo conferatur 72
perſonarum tractatio magnam uim habet in coniecturalibus controuerſijs 330
perſona patroni, uel oratoris, & rei pro una accipitur 319
perſpicua quae 218
pertinacia eſt in ratione mala conſiderata, ſtabilis, & perpetua permanſio 358
pertinacia uitium eſt ibid.
perturbationes animi cõiecturam confirmant 330
perturbationes ſunt, tamquam morbi animorum, qui plures, pernicioſioresq. ſunt, quam corporis 360
perturbationes, uel futuri temporis ſunt, uel praeſentis 330
perturbationes animi duae ſunt, hoc eſt ſpes bonorum, & metus malorum 401
perturbationes ſunt quidam quaſi animorum morbi, quibus ſine ratione mouentur animi, uel ad laetitiam, uel ad cupiditatem, uel ad aegritudinem, uel ad timorem 371
a perturbationibus animi quae ſũt, quia

I N D E X

quia neceſſitatis uim habent, afferunt auctoritatem 263
perturbationum, ſiue commotionũ animi genera duo ſunt, quae bene tractata ab oratore ad mirabilem eloquentiam faciunt 255
horum alterum Graeci ethicon uocant, ad naturam, & ad mores accommodatum, alterum patheticon nominant, quo perturbantur animi, & concitantur. ibid.
perturbatus qui eſt, intantum a uera diſcretione diſcedit, ut in eam poſſit ſaepe recta bene conſulentium admonitione reduci 220
perſonae multum ualent in rebus agendis 388
petitio praemij 110
Pharnax Ponti rex 280 a Caeſare uictus ibid.
Phauorinus, Therſitem, & quartanam febrim laudauit 361
Philippus Macedonum rex 307
Philippus, Macedoniae rex, Alexandri Magni pater, nato Alexãdro, ſcripſit ad Ariſtotelẽ, non tam gaudere ſe, quod filius ſibi natus eſſet, quam quod ipſius Ariſtotelis tempore, a quo poſſet erudiri 377
philoſophans uita, ipſa uita eſt melior 225
philoſophia plena 6
philoſophiae tres ſunt partes, moralis, naturalis, & diuina 267
philoſophia eſt parens, & procreatrix liberalium omnium artium 422
philoſophia moralis oratori eſt neceſſaria 421
philoſophiae pars ea, quae ad uitã, & mores attinet, omnino eſt oratori neceſſaria 421
philoſophi 9
philoſophi quidam nullum eſſe ueritatis iudicium in ſenſibus opinabantur 356
philoſophi quidam magis paupertatem, quam diuitias adamarũt. 357
philoſophi quaeſiuerunt, an praeter iuſtitiam ſit amicus adiuuandus, & quouſque, & quibus in rebus 356
Phocion, apud Graecos in adminiſtratione reip. ſe prudenter geſſit 368
pietas, quae 370.383
pietas in patriam, parentes, & propinquos probatur 373
Pittacus Mytilenaeus, duplici poena ſtatuit illum eſſe puniendum, qui propter ebrietatem, ac uinolentiam aliquod peccatum commiſiſſet 403
Platoni infanti apes mella in os intulerunt 260
Plato tum demum dixit fore beatas reſp. dixit, cum aut ſapientes eas adminiſtrarent, aut qui adminiſtrant ſapientum conſilio uterentur 359
Plato, rerum omnium uim, atque naturam diuidendo, & partiendo potiſſimum inueſtigandum eſſe cenſebat 247
Plato in Protagora uirtutem, neque natura, neque ſponte ſua mortalibus innaſci tradit, ſed doctrina, atque exercitatione percipi. 358
Plato exiſtimauit pleraque nomina eſſe naturalia 268
Plato tribus de rebus gratias diis agere ſolitus dicitur, primo quod natus eſſet homo, non bellua, deinde Graecus, nõ Barbarus, tum quod Socratis tempore, quo praeceptore utebatur 377
Plato exiſtimat ſapientem ad rempub. adminiſtrandam non niſi coactum acceſſurum 359
Plato, foribus gymnaſij ſolebat inſcribere, Nemo, qui Geometriae ſit imperitus, huc ingrediatur. 372
Plato rude adhuc, & impolitum, tantumq. inchoatum dialogorũ genus expoliuit, illuſtrauit, atque perfecit 247
Platoni, in cunis infanti apes in os mel inceruerunt 365
Plato, tunc beatas eſſe reſp. dixit, cum aut ſapientes eas adminiſtrant, aut qui eis praeſunt, ſapiẽtum conſiliis utuntur 368
Plato, triplicem philoſophandi rationem accepit, unã de natura, & rebus occultis, alterã de uita, & moribus, tertiã de diſſerendi ratione 421
plebeij homines nihil magis amãt, quam in pace, & tranquillitate uiuere, & libertate, atque otio frui 384
plena, atque integra periodus e quattuor membris conſtat. 305
pluralitas cuiuslibet rei numerum ſpectat 224
plus, quattuor modis petitur, re, tempore, loco, & cauſſa. ibid.
plus, re, quomodo petatur 393
plus, cauſſa, quomodo petatur. ibid.
plus, tempore, quomodo petatur. ibid.
plus, loco, quomodo petatur. ibid.
paenitet me hanc rem 91
politica, ideſt ciuilis ſcientia princeps aliarum omnium ſcientiarum ab Ariſtotele dicitur 357
docet iuſtitia, bonis legibus, prudentia, & fortitudine remp. adminiſtrare 357
politicum narrationis genus duas habet partes 325
poetae ſuos Heroes a dignitate corporis ſummopere celebrant. 366
poetae in tẽporis, & loci deſcriptionibus ludunt 266 modo ueros locos deſcribunt, quae topographia dicitur, modo ipſi ſuo arbitrio fingunt, quae topotheſia uocatur ibid.
poetae clariſſimorum uirorum genus ad deos referunt, quo poſſint eas uberius laudare 377
poetae, tum Graeci, tum Latini ſeruare ſolent, ut initio ſuorum operum proponũt breuiter, quid in toto opere ſint acturi 322
poeta nullus Homero plenius, ac uberius rem aliquam explicauit, aut breuius, & contractius, cum opus eſt, rem eandem expediuit 314
Pompeius fuit ſummus imperator, & Alexandro Magno paene par, aut fortaſſe etiam ſuperior. 369
Pontius Aufidianus ſeruum, & filiam ſuam a ſeruo uiolatam interemit 337
populi Romani tres ſunt partes, ſenatus, equeſter ordo, & plebeius 267
populus Romanus C. Heluiũ Cinnam tribunum pl. pro Cornelio Cinna diſcerpſit 337
populus Romanus cum auctus eſſet in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum conuocari legis ſanciendae cauſſa, aequum uiſum eſt, ſenatum uice populi conſuli 415
populi nonnulli olim fuerunt, qui ſcripta iura nõ habebant, neque habere uolebant, ſed a maioribus ſuis ea diſcebant, ea poſteris ſuis quaſi per manus tradebant, ut in Graecia Lacedaemonij, in Gallia Druidae, ſed ea iura ſic ab eis obſeruabantur, quaſi ſcripta eſſent 415
Porcius Latro, quae ſemel ſcripſiſſet, numquam relegere ſolebat,

& tamen ita recitabat, ut erant ſcripta 316
poſt 47.48
Poſtumius cum apud Furcas Caudinas a Samnitibus obſideretur, neceſſe fuit illi turpe foedus cũ hoſtibus facere, niſi cum toto exercitu fame enecari uoluiſſet. 380
Poſtumius per imprudentiam Furcas Caudinas ingreſſus, cum deinde nullo modo poſſet effugere, neceſſario ſe hoſtibus dedidit 333
Poſtliminium quod 267
Potens, & factioſus homo inopem circumuenire ſtudet 331
potentiae dicuntur facultates illae, quibus patibiles ſumus, hoc eſt, quibus uim habemus, uel iraſcẽdi, uel gaudendi, uel dolendi. 371
poteſtas 85
poteſtas, octauo loco inter fortunae beneficia ponitur 331
praeceptorum mores plerumque diſcipuli ſequuntur 377
praeceptores frequenter facere debent, ut breuiter enumerent ea, quae docuerunt, quo melius memoriae diſcipulorum affigantur 354
praecepta de attributis perſonae. 88
praecepta dicendi frequentius obſeruari ſolent, ſed non tamen ita firma ſunt, ut mutari non queãt. 294
praecepta perorationis ſunt, quibus iudex ad ſaeuitiam concitatur in accuſando 291
praecepta quattuor, quae illi ſunt obſeruanda, qui ſe ſententia legis, uoluntateq. defendet contra ſcriptum 419
praeceptum, quod tam ad defenſorem, quam ad accuſatorem pertinet 412
praecepta breuitatis oratoriae, quae 307
praecepta omnia fere ſunt accuſatori, & defenſori communia in tractandis ambiguis ſcriptis. 417
praedicatum quod 207
praedones, & fures, ſaepe ſolent argui, cum apud eos ſublatae furto res inueniuntur 405
praefactio 82
a praeiudiciis, & contra praeiudicia, a rumoribus, & cõtra rumores, a iureiurando, & contra iuſiurãdum, & ſi quae ſunt generis alia, orator in utrãque partem diſputare ſcire debet 346
praeiudicium plurimum ualet, ſi iam de eadem cauſſa iudicatũ eſt, aut de pari, aut de ſimili, aut ſi iudices iam ſententiam ſuam, priuſquam iudicent, patefecerint 263
praeſentium dicta confirmantur eorum, qui dicunt, auctoritate, fide, religione 263
praeſens tempus 49.50
praeſens tempus proprie nullum eſt, niſi momentum, & nũc 332
praetores genus agendi formant 97
praetores uocantur omnes magiſtratus 63
praeuaricari in cauſſis ij dicuntur, qui cauſſam aduerſariorũ adiuuant, & ſuam conſulto prodũt 411
praeuaricatores qui ibid.
praeuaricatio quae ibid.
praeuaricatio fit tantummodo accuſatoria corruptela ab reo. 411
praeuaricari, uerbi ſignificatio ibi.
pragmatici homines qui 222
principes uiri, diuitesq. ſibi auctoritatem uindicant 262
principales cauſſae efficiẽtes quae 276
principium tribus rebus maxime fieri tradunt Rhetores 319
principium a perſonis, quomodo ducatur 319
principium heroicum initio laudatur, & in hiſtoria praecipue 303
principium omne ducitur, uel a perſonis, uel a rebus ipſis 319
principium a rebus ipſis, quomodo ducatur ibid.
principij, & inſinuationis differentia 31.32.33
priſca, & inuſitata uerba nonnumquam maieſtatem quandam afferunt orationi, ſi raro eis citamur 300
Priſcianus, apud Latinos magnam ex grammatica laudem conſecutus eſt 372
priuantia 53
priuantia, Graecis στερητικὰ 202
priuantia quae 272
priuantia proprie dicuntur ea, quae nos aliqua naturali facultate ſpoliant ibid.
a priuatione ad habitum non eſt regreſſio ibid.
probabile eſt, eum, qui ſemper antea ueridicus fuit, etiam nunc uera narrare 327
probabilia, plurimorum iudicium exſpectant 171
probabilia quae 258.340
probabilitas, in oratione, docet 304
probabile duobus modis conſideratur 307
probari nihil poteſt, niſi dubium 138
probationes artificiales, & inartificiales 173
probationis tria genera, quae ducuntur a tabulis, teſtimonijs decretis ſunt artis expertia 291
probationes interdum praetermittuntur, uel ambae, uel altera tantum 341
probationes ambae cum praetermittuntur, tunc tripartita fit argumentatio ibid.
probatio duplex, quo modo fiat 407
probationis, & eloquentiae totum lumen a locis communibus emanat 255
probationis cum altera tantum praetermittitur, fit argumentatio quadripartita 341
probo homini facile creditur 327
probitas & uirtus maximam auctoritatem complexa eſt 262
procliuia laborioſis ideo anteferuntur, quod nemo eundem finem per laborioſam, atque aſperam uiam tendere cupiat, ad quem poſſit procliui, faciliq. itinere peruenire 224
prodeſſe 58
prodigi qui nominentur 374
prodigium quod 365
prodigia ſaepe magnam laudandi copiam ſuggerunt ibid.
prodigia, quae 260
prooemium quod 134
prooemia libera ſunt, adeo ut etiã remota ſint interdum a cauſſa 363
proles bona, & liberorum multitudo fortuita eſt 331
promiſſa non ſemper ſunt ſeruanda 263
promiſſa differunt a pactis, quod promiſsũ debilius eſt, & unius tantum hominis eſſe poteſt, pactum eſt ualidius, & ſemper inter plures eſt 263
prompte, & memoriter narrata uera eſſe uidentur 327
pronunciatio eſt, ex rerum, & uerborum dignitate uocis, & corporis

INDEX

ris meditatio 254
pronunciatio cum elocutione con iungitur 253
pronunciatio 17.18
pronunciatio a uoce dicitur 316
propenſiora ſtudia, tanto laudabiliorem uirum efficiunt, quanto communis utilitas priuatae antecellit 373
propinqui ſunt eodem ſanguine progeniti 331
propinqui, quarto loco inter fortunae beneficio numerantur 331 & eorum ope multa fiunt
propoſitio narrationem complectitur 255
propoſitio ſimplex cuiuſmodi ſit 139
propoſitiones omnes, uel ſimplices ſunt, uel compoſitae 207
propoſitionnm definitio 140
propoſitio, quae 138
propoſitio, aſſumptio, & concluſio in argumenti uerisimilibus infirmandis negatur 339
propoſitionis ſimplex ex ſubiecto, praedicatoq. conſiſtit 207
propoſitionum genera tria ſunt logicum, ciuile, & phyſicum 355
propoſitio, uel uera, uel falſa eſt 207
propoſitio Rhetorica, quaeſtiones maiori ex parte ciuiles amplectitur 355
propoſitio implex duas habet partes in terminis conſtitutas 139
propoſitio omnis hypothetica, uel per connexionem fit, uel per diſiunctionem 208
probationes generales, natura priores ſunt, & praeſtātiores, quam ſint ſingulares, atque ab eis uis omnis probationis emanat. 355
propoſiti genera duo ſunt, alterum cognitionis, alterum actionis 356
propter ſe expetendum quid dicatur 383
propter ſe quae expetuntur, partim ſunt laudabilia ipſa per ſe, partim commoditate aliqua ibid.
proprietas in natiuis uerbis praecipue ſpectanda eſt, quae octo modis intelligitur 295
proprietas quae 335
propria uerba, quae 305
proprius augendi locus, qui 352
Proteus uates 260
prouidentia 121
prouerbium 306
prouerbia, & ſententiae 277
prouincia iuriſconſultorum eſt priuatarum quaeſtio cauſſarum. 222
prudentes, & expoliti homines, non uoluptate, ſed dignitate, atque honeſtate uitam beatam metiuntur 384
prudentum, & ſapientum hominum celeris eſt diuinatio 260
prudentia 2.50.121
prudentiae ſpecies 121
prudentia ſpecies eſt uirtutis 246
prudentiam uirtutum omnium, quaſi moderatricem quandam eſſe uult Socrates, quae in cognitione maxime conſiſtit, ſed ſaepe tamē etiam ad actionem refertur 368
prudentia ciuilis, Graeco nomine uocatur πολιτική ibid.
prudentia pro omni uirtute rationis ponitur 367
prudentia domeſtica, Graeco nomine uocatur οἰκονομική 368
prudentia, eſt ſpecies honeſtatis. 270
prudentia, uirtutum moderatrix, ac regina, ſaepe coniunctam habet malitiam, quae illam imitetur 373
prudentia ciuilis, quibus rebus conſtet 368
prudentia domeſtica eſt, qua ſcite res priuatae geruntur, quae ad uniuſcuiuſque hominis uiuendi rationem, & ad rem familiarem pertinet ibid.
prudentia, & temperantia ſunt homini ad finem ſuum conſequendum neceſſariae 367
prudentiae proprium, quod 371
prudentia ciuilis eſt, quae remp. recte docet adminiſtrare, & ab Ariſtotele ſcientiarum regina nominatur, quoniam omnium eſt utiliſſima 368
prudeniia, & temeritas contrariae ſunt 406
prudentiae eſt rerum bonarum, & malarum, & utrarumq. ſcientia 358
prudentia, qua utimur in agendo, duplex eſt, altera domeſtica, altera ciuilis 368
prudentia non eſt eadem, quae iuſtitia 358
Ptolemaeus in Aſtrologia ualde excelluit 372
publicum 50
P. Nigidius, poſtquam horam, qua natus eſt Octauianus, accepit, affirmauit dominum terrarum orbi natum 365
P. Clodius ſeruos agreſtes, & barbaros contra Milonem ex Apennino deduxerat 333
pudicitia, libertas, uita, perſonam noſtram reſpiciunt 382
pudicitiam non minus, quam uitam, tueri debemus 382
pudor ſubruſticus, qui 376
pueri, & adoleſcentes, propter iucunditatem, & uoluptatem, nō autem propter honeſtatem, amicitias metiuntur, & expetunt. 383
pugnantia inter ſe, cum in comparatione ponuntur, magnam ſaepe uim habent 280
puluis ſignum 59
pupillus 99
purgatio quae 416
Pythagorae diſcipuli ſatis ſe probaſſe putabant id, de quo ambigebatur, ſi potuiſſent illud afferre, ipſe dixit 262
Pythagoras uoluit amicitiam eſſe aequalitatem, & amicum alterum, ut ſi pro nobis ipſis periculum, & inuidiam ſubimus, idē etiam pro amicis faciamus. 359
Pythagoras in Arithmetica ualde excelluit 372
Pythagorici memoriae confirmandae gratia ſolebant quotidie ueſperi, & priuſquam cubitū irent mente repetere quidquid toto die egiſſent 316
Pythias Ariſtotelis filia, cū aliquando fuiſſet interrogata, qui color eſſet omnium pulcherrimus, reſpondit qui per uerecundiam ingenuis oboritur 371

Q

QVa de re agitur, quid ſit. pagina 230
quadrimembres periodi qui. 305
qualis uir, talis oratio, celebre dictum 254
qualitates 55
qualitatiuus locus 12
qualitas per ſe triplex eſt, honeſtas, utilitas, aequitas 359
qualitas duobus modis conſideratur, aut per ſe, aut per collationem ad aliam qualitatem. 359
qualitas ſubſtātialis, non ſpeciebus, ſed differentiis annumeratur. 159
qualitas per ſe quomodo conſideretur

retur 359
qualitatis ſtatus duplex eſt, rationalis, & legitimus 398
qualitas per collationem ad aliam qualitatem quomodo conſideretur 359
qualitatis duae partes a Rhetoribus traduntur 336
qualitas interdum ſummum eſt genus, & omnes cauſſarum ſpecies, atque earum fines continet 394
qualitatis conſtitutio, quae 414
hanc quaeſtionem nemo recte tractare poteſt, niſi qui rationē omnem iuris diligenter intellexerit, quoniam a iuris cognitione tota pendet 414
qualitatis exemplum 396. 397
qualitas interdum eſt conſtitutionis ſpecies, in qua non de facto, neque de facti nomine quaeritur, ſed de iure 394
quartana febris laudata 361
quaeſtio tertia pars eſt doctrinae dicendi, in qua uniuerſa eſt rhetoricae materia 355
quaeſtiones per collationem ad aliam qualitatem quomodo tractentur 359
quaeſtionum genera rhetorica, an ſit, quid ſit, quale ſit 193
quaeſtionum genera, definitum, & infinitum 230
quaeſtio, quae 138
quaeſtionum genera, cognitionis, & actionis 230
quaeſtioni infinitae quoties certae perſonae adiunguntur, ex infinita fieri ſolet definita 255
quaeſtio ciuilis eſt oratoris materia 91
quaeſtio actionis quae 356
quaeſtio eſt materia oratoris 252
quaeſtiones, uel teſtes quattuor rationibus euerti facile poſſunt. 346
quaeſtio quale ſit, iuſto, & iniuſto determinatur. unde conſtitutio iuridicialis 361
quaeſtio neceſſe eſt, aut de toto genere, ſiue ſpecie ſit, aut de una re, uel perſona, uel pluribus certis 355
quaeſtiones 93
quaeſtio definita quae 255
Graecis hypotheſis eſt ibid.
quaeſtio cognitionis quae 356
quaeſtio omnis duas habet partes, affirmationis unam, alteram negationis 138. 139
quaeſtio omnis ad perſuadendi finem dirigitur 253
quaeſtio iuridicialis quae 336
uel in re controuerſiam habet, uel in uerbo ibid.
quaeſtionibus reſiſtendum quomodo ſit 345
quaeſtio oratoria duas in partes diſtribuitur, hoc eſt infinitam, & definitam 255
quaeſtio quid ſit, definitione tractatur, unde conſtitutio definitiua. 361
quaeſtio ciuilis, quae naſcitur ex intētione, & depulſione, diffuſa eſt, atque lata, & quodam modo confuſa, quia nullam habet rationem, quam ſequatur 396
quaeſtio Rhetorica duplex eſt, infinita, & definita 355
quaeſtio de ratione officij quae cōplectatur 360
quaeſtiones finitae, quae cōtrouerſiae, & cauſſae dicuntur, praecipue tractantur ab oratore 361
quaeſtio an ſit, quid ſit, & quale ſit, ad cauſſas referuntur 361
quaeſtio omnis contradictionibus conſtat 138
quaeſtiones omnes actionis, uel ad officium, uel ad motum animorum pertinent 360
quaeſtio de motu omnes animi permotiones 360
quaeſtionis iuridicialis controuerſia in re dicitur rationalis 336
quaeſtiones, teſtimonia quaedam ſunt, quae uidentur ea de cauſſa fidem facere, quia neceſſitas quaedam eis ineſt 263
quaeſtio definita quae 355
Graeco nomine hypotheſis dicitur 355
quaeſtio infinita ab oratoris facultate remota ibid.
quaeſtio coniecturalis in duo genera diuiditur 358
quaeſtio ciuilis, quae naſcitur ex ratione, & firmamento, anguſta, & certa eſt, quoniam diſceptationem, ac iudicationem continet 396
quaeſtio ciuilis in iudiciis duplex eſt, prima, quae naſcitur ex intentione, & depulſione, altera, quae naſcitur ex ratione, & firmamēto 396
quaeſtio infinita, quae 255
Graecis theſis dicitur ibid.
uel ad ſcientiam pertinet, uel ad actionem. ibid. ab ea uis omnis probationis pendet. ibid.
maxime luminoſa, & quaſi actuoſa a Cic. appellatur. ibid.
quaeſtio ciuilis propriam oratoris materiam amplectitur 255
quaeſtio quae 355
quaeſtio infinita quae 355
quaeſtionum duo genera in actionibus naſcuntur, primum, cum de aliqua re quaerimus, utrum perſequenda ſit an fugienda, ſecundum, cum de rei alicuius uſu, commodoq. diſſerimus. 357
quaeſtiones tribus modis probari poſſunt, cum noſtram cauſſam adiuuare uidentur, primo a uī doloris, ſecundum ab opinione maiorum, tertio ab exemplis duarum ciuitatum ſapientiſſimarum, hoc eſt Athenienſium, & Rhodiorum, apud quos etiā liberi homines ciueſq. torquebantur 407
quaeſtio de fine ad quae referatur 388
quinque definitionis ſpecies ad probandum utiliſſimae, ſcilicet ſubſtantiae, cauſſarum, effectorum, ſiue officiorum, partium, & accidentium 264
Quinctilianus uidetur locū a coniugatis quodam modo contemnere 269
qui ſemel malus fuit, ſemper talis exiſtimatur 274
quid 47
quid cur 48
quid faciendum cum uita praeterita turpis eſt 89
quid contra ſcriptum dicatur 113
Q. Curtius, ſua ſponte armatus in equo in terrae hiatum deſiliuit 365
Q. Curtius, pro patria mortuus eſt 379
Q. Fabius Max. cum eſſet augur, dicere auſus eſt, optimis auſpicijs ea geri, quae pro ſalute reipub. fierent, quae contra rempubl. ferrentur, contra auſpicia ferri 260
Q. Hortenſius eodem ſemper modo dicebat, quo ſcripſerat 316
Q. Pompeius apud Romanos celebratur, quod iniurias ferret 369
quis 47
maius quod eſt, minoris comparatione dicitur maius 224
par quod eſt, aut intentionem ſumere, aut remiſſionem non poteſt 225
quod pulchrum eſt, iterum, & tertio

tio repetatur, prouerbium 252
quod ex habitu cuiuſque fit, id conſtans, nec mutabile eſſe ſolet 218
quod ex fortuna fit, in ſempiternis non eſt 219

R

RARA uulgaribus meliora ſunt 225
ratiocinatio, quae 340
ratiocinatio in amplificatione, quo modo fiat 318
ratiocinatio, quae 401 ad eam quae pertineant, ibid. ab ea quae proueniant 403
ratiocinatio quae 276
ratiocinatio, non eſt ſcripti diſceptatio, cum ea colligat quae nuſquam ſcripta ſunt 417
a ratiocinatione, quae proueniant 403
ratiocinatio 48. 51. 65. 84. 85. 116. 126
ratiocinationes informandae locis quattuor 127
ratiocinationis loci 87
ratiocinatio, ſiue argumentatio, quot partes contineat 340
ratiocinationis, ſiue argumentatio nis, tres tantum partes uidentur eſſe neceſſariae, duae reliquae ad propoſitionis, & aſſumptionis probationem adhibentur. ibid.
ratiocinatio alio modo tractatur a Dialecticis, alio a Rhetoribus ibid.
ratio facti a iure ciuili, quomodo ducatur 395
ratio docendi poſtulat, ut interdum aliqua differantur, & in opportunum tempus omittantur 284
ratio facti nulla, poteſt in coniectura eſſe 397
ratio aliqua praeter ſtatum quaeritur in omni defenſione 395
ratio probat, & confirmat defenſionem ibid.
ratio conſtruendi una eſt 381
ratio facti ab aequitate, quomodo ducatur 395
ratio defenſoris in ſtatu qualitatis ſemper certa eſt, quoniam aliter cauſſa non conſiſteret 398
rationes, & firmamenta, quomodo ſint in definitione requirenda 397
rationes, & firmamenta facti, quibus in ſtatibus reperiantur, ibid.
ratio, uel qualitas quae 386
rationes, & firmamenta, cum diffuſae illi controuerſiae adiunguntur, tunc in anguſtam diſceptationem res contrahitur, de qua ferenda eſt ſententia 397
ratione utentia, rationis expertibus ſunt meliora 225
ratio facti, uel a iure ciuili, uel ab aequitate ducitur 395
ratio philoſophandi triplex a Platone accepta fuit, una de natura, & rebus occultis, altera de uita, & moribus, tertia de diſſerendi ratione 421
rationes omnes, in demonſtratiuo genere, in quo uel laudamus, uel uituperamus, a uirtutum, & uitiorum partibus ſumuntur. 377
rationes multae, & argumenta ad coniecturam infirmandam, & euertendam afferuntur a defenſore, quae magnam uim habent 397
ratio artis, & doctrinae poſtulat, ut totum primo diuidatur in partes ſuas, deinde ſingulae partes ita tractentur, ut diſtributae fuerint 252
ratio 5. 6. 7. 25
ratio non eſt in coniectura 86
ratio praemij, ac poenae 110
ratio mouendorum affectuum nō in omnibus cauſſis eadem eſt. 349
ratio quae 396
ratio, ac ſpecies uniuſcuiuſque efficiendae rei in arte, & habitu, & natura poſita eſt 218
rationes deſtruendi multae ſunt. 381
rationalis ſtatus qui 398
recentia exempla, notiora ſunt, atque ideo magis uidentur animos mouere 390
recepiſſe, pro, excepiſſe 399
rectum, humanum, aequum, & uerum, licet idem fere ſignificent, tamen inter ſe diſtinguuntur 395
rectum, quod 395
refutatio quae 338 eget haec pars magno acumine, & eloquentia, praeſertim in defenſionibus. ibid.
refutationes in exornatione adhibendae non ſunt, ne apologia fieri uideatur 363
refutatio ſub confirmatione continetur 317
refutatio adiungitur confirmationi 328
regi fines dicuntur, quoties unuſquiſque ager proprijs finibus terminatur 170
regulae quinque, ut uerba conſonantiora uideantur 296. 297
relata uerba multis modis intelliguntur 348
religio, quae 383
religio, omne ius ſacrorum continet, & iuſtitiarum princeps appellatur 370
religio, iuſtitia, & liberalitas ex amicitia pendet 383
religioſi qui 375 ſunt dicti ex relegendo ibid.
religioſum quid 60
relatio criminis 104
relatio rerum efficit coniunctionem 223
remotio criminis 26. 105. 106 114
remotio criminis quae 337
repetitio, Graece Anaphora, exornatio Rhetorica 311
reperta uerba, quae 295 quattuor modis fieri poſſunt, ibidem 296
reperta uerba efficiendi, primus, ſecundus, tertius, & quartus modus 296
reprehenſionis quattuor praecipui modi 69
reprehenſio multis nominibus appellatur 338
reprehenſio 16
reprehenſio duo agit 69
reprehenſio ex illis locis capitur, ex quibus confirmatio ibid.
repudium quid 164
repugnans eſt, ſi id, quod contrario conſequens eſt, alteri contrario comparetur 167
repugnantia, quae dicantur ibid.
repugnantia, frequentiora ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uim habent. 350
repugnans, quod 204. 274
repugnantia, quae 167. 275
repugnantia ſunt, quoties id, quod alicui contrariorum naturaliter iunctum eſt, reliquo contrario comparatur 151
res 8. 9
res quomodo fallat 85
rebus ipſis uerba ſunt accommodāda 298
rerum ornamēta, quae uoluptatem habent in audiendo, ſeptem ſunt 364. 365
rei definiti[illegible]nſtat ex genere, & diffe-

INDEX

differentiis,ſiue proprietatibus. 264
res neceſſariae ſunt, ſine quibus eſſe non poſſumus 323
res magnae ſolent admirationem, & exſpectationem concitare. ibid.
rerum,& uerborum,communis eſt diſpoſitio 254
rerum copia uerborum copiam alit 253
res iudicatae,quae 180
re,quomodo plus petatur 393
res, quae mancipi ſunt, aut nexu abalienabantur, aut in iure ceſſione 180
rebus nouis, noua etiam uerba sūt adiungenda 299
res nulla exprimi poteſt, niſi nomine ſuo 268
res cōiunctae cū illis,qui audiunt, magnam concitāt attentionem. 323
rerum propria eſt inuentio 253
res quaedam ſunt ſingulorum ſenſuum propriae,quae ab eo tantum ſenſu percipiuntur, cuius propriae ſunt 356
rerum, & uerborum perſpicuitatē diligentiſſime orator ſeruare debet 304
rerum genera tria ſunt, quae nobis ad agendum proponi ſolent, id eſt honeſta, turpia, & media. 384
res quaedam ſunt multis ſenſibus communes, in quibus facile ſenſus decipi poſſunt,qualis eſt magnitudo, figura, numerus, motus quies 356
res,& ſententiae,ſignificantur 253
res incommodae, uel abſunt a nobis, uel praeſentes ſunt 369
res aut bonae, aut malae ſunt. 333
res in tribus generibus conſiſtunt, aut in animis,aut in corporibus, aut extra ibid.
res unaquaeque propter ſuam formam eſt,& nomen habet, amiſſa forma res interit, neque amplius nomen retinet 387
rerum genera in humanis actionibus tria ſunt, quaedam bona, quaedam,quae declināda ſunt, ac fugienda, quaedam uero media. 357
res magnae plurimum ualent ad cohortandum, & inflammandum, ut earum ratio habeatur, & ſumma diligentia retineantur. 352
Rhetor 1
Rhetorica 61.15
Rhetorica duplex 12
Rhetorica nihil aliud eſt,niſi bene dicendi ſcientia 250
Rhetorica quaeſtio duplex eſt, infinita,& definita 355
Rhetorica perſuadendi eſt opifex. 258
Rhetoricae prima pars eſt inuentio,ſecunda collocatio 284
Rhetorica,& dialectica utrum ſint uirtutes,nec ne 370
Rhetorica propoſitio, quaeſtiones maiori ex parte ciuiles amplectitur 355
Rhetorica,& dialectica, ideo comites ſapientiae, ſiue prudentiae dicuntur, quoniam rerum cognitio praecedit, ipſae ſequuntur 370
Rhetorica, ex dialectica, & ciuili ſcientia eſt conflata,itaque elatior eſt,& uberior eſt,quam dialectica,& ad motus animorum accommodatior 370
Rhetorica, & dialectica ex eodem ſunt genere, quoniam nulla alia in re differunt inter ſe, niſi quod haec ratio loquendi contractior ſit,illa dicendi latior 370
Rhetores docent narrationem eſſe breuem, apertam, & probabilē oportere 301
Rhetores praecipiunt,ut peroratio breuis ſit 293
Rhetorum, unum eſt maxime proprium, quae quodammodo nuda ſunt, & impolita ueſtire, atque ornare oratione 245
rhetores, quare frequentius homines, quam ceteras res, uel laudent,uel uituperent 361
rhetores,latius,& ornatius dialecticis differunt 340
rhetores frequenter exemplo utuntur ad ea probanda, quae dubia 334
rhetores non ſolent tam accurate rerum definitiones inueſtigare, ſicuti philoſophi faciunt, ſed quauis explicatione perſpicua, & uериſimili contenti ſunt 266 habent quoddam genus controuerſiae, quod definitiuum appellant, quia definitione ſit explicandum. ibid.
Rhetorica inuentio illa excogitat, quibus animi concilientur, & impellantur, quocumque orator uoluerit 256
Rhetoricae,& Dialecticae differentia 244
rhetores non tam exquiſite locos tractant,ut Dialectici 279
rhetores, principium tribus rebus maxime fieri tradunt 319
rhetores, quidquid definitionis ſimilitudinem habet, id uocant definitionem, licet non ſit uera definitio 279
rhetoris auditor quilibet,etiam rudis, & imperitus eſſe poteſt. 256
rhetores in permouendis animis maximam eloquentiae uim eſſe ſtatuunt 317
rhetoricae partes ſunt quinque,inuentio, diſpoſitio,elocutio, memoria, pronunciatio 253
Rhetoricae,& Dialecticae differentia 256
Rhetorica Dialecticae propago quaedam eſt, & ſimulacrum. 257
Rhetorica ex Dialectica, & ciuili ſcientia,compoſita eſt 244
Rhetorica, quae Graeco nomine dicitur,ea Latine Ratio dicendi rectiſſime dici poteſt 249. 250
Rhetorica Dialecticis inuentionibus addit uerborum, ſplendorem,& ornamenta 244
Rhetorica magis ea, quae ſingularia ſunt,pertractat 256
reuerentia,quae 383
reus debet in confirmatione,& refutatione, praeter argumenta, quae ponentur, criminibus diluendis motus animorum mitigare, accuſator autem incitare 410
reus cur enumeratione rarius uti debeat 355
ridicula primo adſpectu multum delectant 311
Rodulphus Agricola 268 fruſtra Ciceronem conatur improbare, quod nomen inter ea, quae naturam exprimunt poſuerit,cum potius accidens,quā ſubſtantiam ſignificet. ibid.
Rodulphus Agricola 278
Romani ueteres patruis ſolebant filios erudiendos dare,quod nō eſſent tam indulgentes in eos, ut patres ipſi ſolent 251
Romani ueteres in ſpectaculis, & ludis publicis aliqua ſemper antea Romanis inuiſa proponebant, ut eos delectarent 311
Romulus a lupa nutritus fuit, cum expoſitus ab Amulio fuiſſet

ſet 365
Romanis,poſt Cannenſe proelium neceſſe fuit etiam ſeruos armare,ut Hannibali reſiſtentes libertatem ſuam conſeruarent 380
Romani, exactis regibus publica auctoritare decem uiros conſtituerunt, qui, duce Hermodoro Epheſio, leges a Graecis ciuitatibus petitas in duodecim tabulis conſcripſerunt, & pro Roſtris poſuerunt, ut eas populus Romanus apertus perſpiceret, & ſi uideretur approbaret, quae poſtquam approbatae fuerunt, leges duodecim tabularum fuerunt appellatae, unde fere ius omne ciuile Romanorum fluxit, & legis actiones 415
Romanorum ciuile ius unde fluxerit 415
Romani non patiebantur, ut de ſeruis in dominos quaereretur, niſi de inceſtu, & rebus atrociſſimis, ut de coniuratione in patriam 407
Romulus 91
Romulus, & ſubſequentes reges quaſdam leges tulerũt,quas deinde Sex. Papirius in unum librum contulit, & id ius Papirianum fuit appellatum 415
Romulus auſpicato dicitur urbem condidiſſe,atque etiam ipſe augur fuiſſe 259
Romulus Martis filius fuit 377
Roſcius Comoedus 313 cũ eo Cicero certare ſolebat,utrũ eandem ſententiam Roſcius pluribus geſtis exprimeret, an ipſe pluribus modis dicendo uariaret 313
Roſcius Amerinus 262
rumor multitudinis eſt teſtimonium 262
rumores 92.93
ruta, & caeſa quae 399
rutis caeſis receptis quid contineatur 235

S

SACRILEGIVM 95
ſaepe & multum 3
ſalus, totius ciuitatis in legibus eſt poſita 415
ſalus in neceſſitate quomodo proponatur 380
ſanguis effuſus, & tela, & ueſtes cruore madentes augent ſuſpicionem 405
ſanguine eodem progeniti, ſunt propinqui 331
ſapientia uirtutis pars eſt 281
ſapientia principem locum inter uirtutes ſortita eſt 370
ſapientes ſtatuunt in natura ius eſſe,non in opinione 356
ſapientes, honeſta utilitas anteponunt 224
ſapientia habitu ſui perfecta 7
ſapientia ſola duobus modis perſuadet ibid.
ſapientiae ſpecies eſt eloquentia. 370
ſapientia duas artes habet, quaſi miniſtras, & comites, hoc eſt Dialecticam,& Rhetoricã ibid.
ſapientia ratione quadam, atque forma efficit ſapientes 215
ſapientes uiri ius ipſum a natura ſumptum eſſe ſtatuerunt, quod maiori parti ſit utile,quodq. aequitatem, & bonitatem continet 357
ſapientes ſtatuunt magis nos patriae,quam ipſis parentibus debere 370
ſapor 59
ſcapha 120
ſceleſtus, & improbus nullam fidem habet 327
ſchemata διανοίας 93
ſchemata λέξεως ibid.
ſchemata λόγοι ibid.
ſchemata uerborum, & ſententiarum 193
σχήματα, id eſt figurae loquendi 192
ſcientia eſt animi forma,atque perfectio 372
ſcientia 46
ſcientiae Mathematicae,quae 372
ſcientia fit demonſtrando 256
ſcientiae omnes, & artes ingenuae uim artificis, orationẽ, & quaeſtionem poſtulant 252
Scipio, apud Romanos in bellica laude plurimum praeſtitit, & ſempiternam ſibi gloriam acquiſiuit 369
Scipio Africanus ſuperior, decem, & ſeptem natus annos ſeſe Hannibali oppoſuit, quo patrem ſuum ab eo uulneratum liberaret 364.365
Scipiones, pro patria mortui ſunt 379
Scipio Africanus nihil umquam aggrediebatur, niſi prius deos ſalutaſſet, & rem ſacram feciſſet 373
ſcriptores praeſentis temporis 82
ſcripta duo, cum ſunt contraria, defendemus eius uerba, quod pro nobis facit, & alterius ſententiam interpretabimur 420
ſcriptum, & ſententiae, contrariae leges, & ambiguum, tres ſunt controuerſiae, ſeu conſtitutiones legitimae 417
ſcriptum plura complectitur 399
ſcriptum dubium, quae faciant. 230
ſcriptam legem qui in peroratione defendet, grauiter, & uehementer de periculo dicet, quod rebus omnibus, & publicis, & priuatis imminet,quando leges non obſeruantur, & quando ab eo, quod ſcriptum eſt temere diſceditur 419
ſcriptum ius, quomodo diſtinguatur 415
ſcriptum contra ſententiam qui defendet, quinque potiſſimum rationibus aduerſarii defenſionẽ quomodo infirmare debeat 418
ſcriptum, & ſententiae, contrariae leges, & ambiguitas, quomodo ex ſcripto, in controuerſia ſint 399.400
ſcripti, & ſententiae controuerſia, quomodo naſcatur 400
ſcriptum, & uerba qui ſequuntur, ii dicuntur agere ſummo iure, hoc eſt ſuperficiem uerborum ſequi ibid.
ſcripti ſententiam qui interpretantur, ii dicuntur aequitatem amplecti ibid.
ſcriptum 112
ſcripta magnam uim habent ad probandum. 263. ea ſi quis tollat,omne commercium hominum e uita auferetur 263 ibid.
ſecundariae cauſſae efficientes, quae 276
ſecundus heres quis dicatur 167
ſecundus heres qui 167
ſecundae tabulae quae ſint 164
ſemina quaedam, & principia uirtutum a natura habemus, ſed a doctrina, atque exercitatione incrementa, & amplificationes 358
ſenatuſconſultum,foedus, leges, iuris publici,tria ſunt exẽpla 415
ſenatuſconſultum eſt quod ſenatus iubet, atque conſtituit ibid.
Seneca memoria praeſtitit 316
ſenes, ſi fuerint uerecundi, improbandi ſunt 371
ſeniora, quia longo uſu periti putãtur magna eſt auctoritas 262

INDEX

ſenſus in motu, & quiete decipitur 356
ſenſus quinque 59
ſenſus omnes poſſunt afferre facti ſuſpicionem 333
ſententia Socratis, & Platonis eſt ab ipſa natura omne ius emanare 356
ſententiae omnes, quae a contrarijs ducuntur enthymemata uocantur 273
ſententiae, & prouerbia 277
ſententia legis, quomodo argumentetur 411
ſententiae, quae ad explendas cupiditates pertinent, ualde proficiunt 390
ſententiae, quae ad ulciſcendas iniurias pertinent, magnopere animos commouent 390
ſententiae, quae motum animis afferunt, quae ſint ibid.
ſententiae, quae ad ſatiandum odium pertinent, proficiunt. ibi.
ſeparatum 34
ſermo Philoſophi 63
ſermo eſt familiaris oratio, qua cum domeſticis utimur 254
Sertorius 339
ſeruus ſemper libertatem concupiſcit 331
ſeruis manumiſſis domini, nomen communicabant 188
ſerui tribus modis apud antiquos libertatem acquirebant, uel cenſu, uel uindicta, uel teſtamento 267
ſerui tantum, non liberi, apud Romanos torquebantur 344
ſeruis gentilitatis iura non erant 188
ſerui praenomen, nomen, cognomen, tribum non habebant ibi.
ſerui 45
ſerui tantum inueniendi ueri gratia, non autem liberi apud Romanos torquebantur 263
Seruilius Ahala iuſſu Cincinnati dictatoris Sp. Melium interemit 337
Seruius Tullius 365 ei puero circum caput ingens flamma reluxit. ibid.
Seruius Sulpicius omnium Dialecticorum princeps fuit propterea quod Dialecticam didicit 251
Sextus Roſcius 92
ſexus in corpore, quomodo ſpectetur 330
Sibyllini libri, Tarquinio Priſco ipſa Sibylla dedit 260
Sibylla, in folijs palmarum ſolebat oracula ſcribere 259
ſignum quod 333
ſigna, & euentus, quae conſequentia uocantur, quomodo facile refelli poſſint, quando ſunt eiuſmodi, ut non neceſſario conſequantur 408
ex ſigno argumentum fit in omnia tempora 59
ſignum 59.61
ſignum ex factis ſolum fit 70
ſignum non ſatis ad fidem ualet. 59
ſignum quattuor modis confirmatur 71.72
ſignum, quomodo reprehendatur. 71
ſigna, atque argumenta ab ipſo reo quomodo ducantur 405
ſigna nulla facti, cum proferantur, defenſor omni diligētia cauſſas remouebit, ut oſtendat fictum eſſe crimen 406
ſigna conſcientiae ſunt pallor, & tremor in eo, qui arguitur 405
ſigna nulla facti, cum proferantur, inducetur a defenſore locus, nō eſſe ueriſimile id eſſe factum, quod ait accuſator 406
ſigna, in ipſa re, quomodo notentur 405
ſigna plurima ſunt, quae nequaquam euenta dici poſſunt 404
ſigna eos ipſos attingunt, qui arguuntur 404
ſignum non idem eſt, quod euentum 404
ſignum longe omnium firmiſſimum, ſi ſcripta fuerint inuenta, uel obſignationes ſigillorum, uel depoſita: haec enim ſunt huiuſmodi, quae fere negari non poſſunt 405
ſigna, poſt factum, quomodo notentur 405
ſignum, eſt tamquam euentorum genus 404
ſignum occultare, prudentis, & callidi hominis eſt 406
ſigna ſunt, & ante factum, & in ipſo facto, & poſt factum 404
ſigna in probationibus longe grauiora ſunt, quam cauſſae. ibid.
ſignum generalius nomē eſt, quam euentus. ibid.
ſigna, uel in ipſa re notantur, uel ante factum, uel poſt factum. 405
ſigna, ante factum, quomodo notentur ibid.
ſigna omnia ab audaci homine, qui prudentia careat, occultari non poſſunt 406
ſignificata quae ſunt, monſtris, ad laudem ſaepe referuntur 365
ſimilia ſimilibus relata, quae 364
ſimilitudo omnis ei ineſſe perpenditur, quod eſt ſimile 158
ſimilia 279
ſimilia, Socratica inductio uocantur, quia frequenter ea Socrates utebatur 267
ſimile quod 271
ſimilia quae 158
ſimilium, alia in ſingulis conſiderantur, & uocātur exempla, alia in pluribus, & appellantur inductio, alia in coniunctis, & uocatur proportio 227
ſimile 127
ſimile oſtenditur octo modis 71
ſimilitudines, quae probationis gratia ſumuntur, tres habent ſpecies, inductionem, collationem, & exemplum 270
ſimilitudines, aliquae ſunt facetae, aliquae breues 271
ſimilitudo omnis communiter dicitur etiam comparatio 278
ſimilitudinum aliae ſunt, quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliae ad exprimendam rerum imaginem compoſitae 276
ſimilitudine frequenter poetae uti ſolent, iucunditatis, & ſublimitatis gratia 271
ſimilitudo habet interdum acrimoniam 271
ſimilitudo in omnibus rebus eſt ſatietatis mater 342
ſimilitudo, quae ad argumēta pertinet, orationem ſublimem, floridam, iucundam, mirabilem efficit 271
ſimilitudo perſuaſionis eſt aptiſſima 198
ſimilitudo eſt ſatietatis mater 316
ſimilitudo omnis idem aliquid eſſe conſtituit 200
ſimilitudines repertae ſunt ad inferendam rebus lucem 270
ſimilitudines frequentiores ſunt in amplificatione, maximamq. mouendi animos uim habent 350
ſimilitudinum genera 197
ſimilitudo omnis duplex eſt. 198
ſimilitudo non alia de cauſſa eſt inuenta, niſi ut lucem rebus afferat 271
ſimilitudo, quomodo differat a cōparatione 278

ſimi-

militud ines; quae probationis gratia ſumuntur, plura colligūt ſimilia, ut quod uelint tandem concludant 271
ſimilitudo quid. Et quod aliud ſint partes, & differentia 158
Simonides artificioſam memoriã inuenit 316
ſimplex eſt ueritatis oratio 333
ſimplex concluſio 56
ſimplex concluſio, quare ſic dicatur 56
ſimplex propoſitio cuiuſmodi ſit. 139
ſimplicium uerborum tota commutatio in dilatatione, & contractione poſita eſt 314
ſimplicia quae 288
ſimplicia uerba, alia ſunt natiua, alia ſunt reperta 295
ſingula parum firma ſunt, tamen conglobate, & coaceruata ualēt. 283
ſingulare 50
ſingularia, & ab uno tantum, uel a paucis facta ſolent eſſe mirabilia 365
ſitis cupiditatis numquam expletur, nec ſatiatur 357
ſocius 4
Socrates 261
Socrates illum exſecrari ſolebat, qui primus utilitatem ab honeſtate ſeparaſſet 380
Socrates, prudentiam uirtutum omnium quaſi moderatricem quandam eſſe uult, quae in cognitione maxime conſiſtit, ſed ſaepe tamē etiam ad actionem refertur 368
Socratis, & Platonis ſententia eſt, ab ipſa natura omne ius emanare 356
Socrates ſenex fidibus diſcere uoluit 288
Socrates, Platonis praeceptor fuit. 377
Socrates in apologia: Deus (inquit) ſolus eſt ſapiens, humana uero ſapientia parui cuiuſdam, uel potius nullius pretij eſt 358
Sol multis partibus maior eſt, quã uideatur, ſicut etiam reliquae ſtellae 356
Soloeciſmus multis fit modis. 304
ſoloeciſmus non eſt in ſenſu, ſed in complexu uerborum ibid.
Solon. 10
Solon, apud Graecos in adminiſtratione reip. ſe prudenter geſſit. 368
Solon, orientem tyrannidem multo ante proſpexit 260
ſolutio fit aliquãdo in ſingulis uerbis. 348
Somniorum, atque omnium interpretes coniectores uocantur. 328
ſonantia uerba quae 309
Sophiſmata quae 376
ſophiſtae qui dicerentur 376
Sophiſta 2
ſpatium 38
ſpatium legitimum inter aedes, quantum ſit 173
ſpecies, ſeu formae, poſſunt partes dici 267
ſpes dominatur, cum bona proponuntur 385
ſpecies, & genus eadem eſt, cũ forma de pluribus dicitur 270
ſpecies quae 156
ſpecies, firmam generis probationem habet, infirmam refutationem 270
ſpecies, & numerus in natura ſpectatur 282
ſpecies 9. 53
ſpeciei comparatio 282
ſpecies, quomodo dicatur continere genus 156
ſpecies pro forma 155 & de argumento ab ſpecie 156
ſpecies definitionis quinque 264
ſpecies, ac ratio uniuſcuiuſque efficiendae rei in arte, & habitu, & natura poſita eſt 218
ſpecies argenti ſignatum, ac non ſignatum eſſe dictae ſunt 159
ſpecie in argumentatione loci a genere uim generis obtinent 269
ſpes bonorum, & metus malorum plurimum ualent in ſuadendo 401
ſpes tota uincendi, ratioq. perſuadendi poſita eſt in confirmatione, & confutatione 245
ſponſalia cur ita dicta. Et de ſponſo, & ſponſa 157
Spurina, haruſpex, Caeſari, ut idus Martias, tamquam pernicioſas, & uitae periculum minitantes, euitaret, admonuerat 261
ſtabilia, incertis ſunt meliora 225
Stalerius 263
Stalerius imprudens ſe prodidit 231
ſtatus coniecturalis proprius eſt Rhetorum 328. 329 in hoc ſtatu ſunt omnes cauſſae, in quibus factum negatur 328
ſtatus definitiuus qui ibid.
ſtatus controuerſiam ponit, & cauſſam conſtituit 395
ſtatus tres ſunt, coniecturalis, definitiuus, iuridicialis 328
ſtatus coniecturalis nullam aliam habet rationem, praeter ipſam negationem, infitiationemq. facti 395
ſtatus rationalis qui 398
ſtatus qui 328
ſtatus iuridicialis qui 328. 329
ſtatus cauſſae quid ſit 230
ſtatus qualitatis duplex eſt rationalis, & legitimus 398
ſtatus legitimus qui ibid.
ſtatus omnes in omnia genera cauſſarum incidunt 120
ſtipulatio, tabulae, pactum, conuētum, iuris priuati quattuor ſunt exempla 415
ſtipulatio quae 399
ſtipulatio eſt obligatio uerborum ex interrogatione, & reſponſione 415
Stoici uerecundiam contemnebãt 371
Stoici putabant hominem ita a natura formatum, ut ad omnem uirtutes aptus ſit 358
Stoici argumentandi genere a repugnantibus frequentiae utebantur 275
Stoici unde ita dicti 137
ſtudia bonarum artium difficilia ſunt, ſed tantam ſecum annexã utilitatem, atque honeſtatem habēt, ut omnem difficultatem ſpernere debeamus 381
ſtudia propenſiora, tanto laudabiliorem uirum efficiunt, quanto communis utilitas priuatae antecellit 373
ſtudia bona, & magna laude digna, ſi nimia fuerint, in uitium incidunt 376
ſtudium eſt uehemens animi applicatio, ad aliquid agendum 326
ſtudia diſciplinarum, fere in priuatis rebus uerſantur, quia pertinent ad animum cuiuſque perficiendum 373
ſtudia dicuntur propenſiora in cõmunibus rebus, quae in aliquo uirtutis genere colendo uerſantur, quod ad communem utilitatem ſpectare uideatur 373
ſtudium 5. 11. 19. 46. 125
ſtultitia uitij pars eſt 281
ſua, alienis iure meliora eſſe dicuntur 225
ſuadere difficilius eſt, quam diſſuadere 381
ſuaſio eſt de futuris rebus 289

ſuaſor unam tantum uiam habet, ut oſtendat id, quod ſuadet, & utile eſſe, & fieri poſſe 381
ſuaſor amplificare debet eam rem, quam ſuadet, & oſtendere permagnam eſſe 381
ſuaſori ſemper ad ea reſpiciendum eſt, quae ſequi ſolemus, ut, quod ſuadet, tale eſſe doceat ibid.
ſuaſor probare contendit rem eſſe factu facilem ibid.
ſuaſor, quare debeat exemplorum habere copiam 390
ſuaſor, & diſſuaſor, quae in omni deliberatione uidere debeat 380
ſuaſor, quae docere debeat 381
ſuaſor, cum memoriae diffidit eorum, apud quos agit, uel interuallo temporis, uel longitudine orationis, tunc enumeratione uti debet 354
ſuaſori ſex capita proponuntur, ad quae ſemper in dicendo reſpicere debeat, hoc eſt, honeſtum, utile, iucundum, neceſſarium, poſſibile, facile, quae uel omnia ſimul probet, uel quotquot potuerit 381
ſuauis, & elegans oratio conſtare debet ex iucundis, & ſonantibus, & lenibus uerbis 309
ſuaue dicendi genus, primum fit elegantia, & iucunditate uerborum ſonantium, & lenium. ibid.
ſuauis oratio 8
ſuauitas in rebus quinque potiſſimum modis fit 311
ſuauitatem in dicendo quoties quaerimus, debemus ad ſimilitudinem, aequalitatemq. uerborum confugere 310
ſuauitas uerborum tribus potiſſimum rebus comparatur 309
ſuauitas, in oratione, ad delectationem refertur 304
ſuauitas in oratione duplex eſt, altera uerborum, altera rerum 309
ſuauitatis plurimum ineſt in aequabili, & temperato genere dicendi 310
ſub eandem rationem cadentia. 127
ſubiectio frequentiſſima eſt apud Ciceronem 342
ſubiectum quod 207
ſublimes cauſſae poſtulant ea, quae magna habentur 351
ſubſtantia 41
Sulpicius Gallus in Aſtrologia ualde excelluit 372
ſumma negotij 48
ſuperbia quae 358
ſuperbia in extollendis animis innumerabilia peccata gignit. 374
ſuperbia, & deſpicentia, magnitudini animi finitima uitia ſunt ibid.
ſuperiores quoties alloquimur, eos non proprio nomine, ſed nomine dignitatis, aut reuerentiae uocari debent; quoties autem inferiores, tunc propria nomina ſunt uſurpanda 250
ſuperlata uerba illuſtrem faciunt orationem 308
ſuperlata uocantur ea uerba, quae uirtutem excedunt, & plus dicunt, quam re ipſa eſſe poſſit 348
ſuperſtitio eſt uitium religioni finitimum 375
ſuperſtitioſi qui 375 totos dies precabantur, ut ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent ibid.
ſyllabae longiores maiorem habent grauitatem, modo ne plures, quam tres, aut quattuor continuae ponantur 303
ſyllogiſmus omnis, uel enthymema propoſitionibus conſtat. 139.207
ſyllogiſmi forma 104
ſyllogiſmi omnes in Dialectica continentur 69
ſyllogiſmi quot partes 65
ſyllogiſmorum hypotheticorum tria ſunt genera 275
ſyllogiſmus omnis enunciatione propoſita habet alicuius partis aſſumptionem, ut quod eſt in quaeſtione concludat 208
ſymbolum, Latine eſt nota 267
ſyllabae breuiores, & in principio, & in fine minus habent grauitatis 303
Syneſius Caluitium laudauit. 361
ſynonima uerba quae 296
ſynechonta, ideſt continentia. 396

T

Tabulae pupillares dicuntur ſecundae tabulae 196
tabulae 291
tabulae ſunt ea, quae uulgo inſtrumenta uocamus, in rebus emendis, uendendis, atque in omni contractu, quae magnam habēt firmitatem 415
tabulae, pactum, conuentum, ſtipulatio, iuris priuati quattuor ſunt exempla 415
tacita modulatio ſuauem facit orationem 316
Tages, uates 260
Tarquinius 337
τεκμήρια, ideſt propriae rerum notae 329
temeritas, & prudentia contraria ſunt 406
temperantes, in quo laudentur. 373
temperantia, quae ad res communes pertinet, proprio nomine iuſtitia uocatur 370
temperātia in priuatis rebus quattuor praecipuas uirtutes complectitur, duas in rebus commodis, & duas in incommodis. 369
temperantia, quae ad priuatas res pertinet, animi moderatio dici poteſt, & duobus modis ſpectatur, uel cum res cōmodae ſunt, uel cum ſunt incommodae. 365
temperantiae nomine Cicero comprehendit omnes uirtutes morales ibid.
temperantia, uel ad priuatas res refertur, uel ad communes, & publicas ibid.
temperantia, & prudentia ſunt homini ad finem ſuum conſequendum neceſſariae 367
temperantiae proprium, quod. 371
temperantia dicitur, quia motus animi turbidos ita temperat, ut appetitum rationi oboedire cogat 368
temperantia pro omni uirtute morali, & uoluntaria ponitur. 367
temperantia in rebus incommodis duobus modis diſcernitur. uel enim res incommodae abſunt a nobis, uel praeſentes ſunt. ſi abſunt, magno, & excelſo animo illis occurrendum eſt, neque ullo timore perterrefieri oportet, & haec uirtus fortitudo uocatur. ſi praeſentes ſunt, tolerare eas, & perferre opus eſt, quae uirtus patientia nominatur, quam eſſe maxima uirtute uolunt. 369
temperantia in rebus commodis duobus modis diſcernitur, quia res illae commodae uel abſunt a nobis, uel in noſtra poteſtate ſitae ſunt. ſi abſunt a nobis, non eas admodum expetere debemus,

mus, atque haec temperantiae pars uocatur abſtinentia, & innocentia, ſi in noſtra poteſtate ſunt, uirtus eſt ſeſe ab eis continere, ne blandiſſimae dominae uoluptates nos decipiât, & haec continentia dicitur 368
Tempora diſtribuuntur tripertito, in praeteritum, praeſens, & futurum 332
tempora duo 38
tempora tria 48
in tempore, naturalia, & fortuita, quomodo conſiderentur. 332
tempore, quomodo, plus petatur. 393
temporis deſcriptio 126
tempus 49.50
tempus, quomodo conferatur. 72
tempus, certis quibuſdam ſpatiis diuiditur 224
tempus praeteritum duplex eſt, uetuſtum, & recens 332
tempus praeſens proprie nullum eſt, niſi momentum, & nunc. ibid.
tempus futurum duplex eſt, paullo poſt, & aliquando ibid.
tempus, & occaſio multum ualet in rebus agendis 389
Terentius 71
Terentij locus 86
Terentius, primus Obſequium dixit 299
teſtamẽtaria manumiſſio. Et quod a 12. tab. ea originem duxerit. 147.148
teſtes aſſidui qui cenſeantur 150
teſtes qui 343 in eis refellendis, aut de toto genere teſtium, aut de ſingulis uerba facimus ibid.
teſtes, ſinguli artificioſe tractantur 344
teſtes, uel quaeſtiones quattuor rationibus euerti facile poſſunt. 346
teſtes ſinguli laudantur 406
teſtibus magis, quam argumentis, credere oportet 406
teſtibus nobilibus, & opulentis facilius creditur 407
teſtimonia 92.93
teſtimonia ab eo, de quo agitur, diſiuncta cenſeri 144
teſtimonia, non in coniectura, aut in ſuſpicionibus, ſed in rei geſtae narratione conſiſtunt 228
teſtimonia pendẽt a uoluntatibus, quae pro arbitrio mutari poſſint 343
teſtimonia plurimum in iudiciis ualent 291
teſtimoniorum multae ſunt ſpecies 343
teſtimonium quid 228
teſtimoninm omne, eſt teſtatae rei teſtimonium 228
teſtimonium duplex eſt, diuinum, & humanum 259
teſtimonium humanum a tribus, quaſi foribus naſcitur, hoc eſt ab auctoritate, a uoluntate, & ab oratione 361
teſtis cum re teſtificata nulla cognatione coniungitur, niſi ſola notitia 228
teſtis ocultus plus ualet, quam auriti decem 333
Thales Mileſius omnem oleam, antequam florere coepiſſet, in agro Mileſio coemiſſe dicitur. 260
Themiſtocles, Graeciae princeps. 250
Themiſtocles, apud Graecos in bellica laude plurimum praeſtitit, & ſempiternam ſibi gloriam acquiſiuit 369
Theodectes Ariſtotelis auditor memoria plurimum praeſtitit. 316
Theogenes Mathematicus, cum Octauiani genituram audiuiſſet, ſtatim exſiluit, adorauitq. eum 365
Theophraſtus paruam infamiam pro amico ſubeundam cenſet, ſi inde amico magna naſcatur utilitas 356
Theophraſtus, cum apud Athenienſes uerba facturus eſſet, atque in concionem ueniſſet, conſpecta frequenti multitudine, quae ad audiendum eum concurrerat, prae timiditate obmutuit, & ne uerbum quidem facere potuit. 376
Therſites multa quidem dicere ſolebat, ſed inornata, & importuna 376
Theſeus propter iram filium ſuũ Hippolytum deuouit 276
Theſeus Neptuni filius fuit 377
Theſis quid ſit 230,231
theticon genus 94
Thraſymachus Calcedonius pedũ in oratione obſeruãdorum princeps fuit 303
Thraſymachus putat ſummam iuſtitiam eſſe rerum omnium utiliſſimam, cum quis iniuſtus eam facultatem habet, ut ſeipſum tueri, ac defendere poſſit 357
Thraſymachus apud Platonem primo de repub. ius eſſe definit id, quod principibus, & potentioribus eſt utile 356
Tiberius Gracchus 60
timiditas, uerecundia uitioſa. 376
timidus numquam ſtatuet trophaeum 331
timidi ſunt ab audacibus maxime diſiuncti 374
timor periculi, ſaepe hominem ad iniuriam faciendam impellit. 402
Timotheus in Muſica ualde excelluit 372
Titinius centurius ducem ſuũ pro hoſte interfecit 337
tormenta 92
topica prior, & ad uſum potior, quam dialectica 137
topica quae 138
topica eſt diſciplina inueniendorũ arg. 133
topographia 266
topotheſia 266
tota, partibus excellentiora ſunt, quia, quod totum eſt habet natura propriam formam 255
totum eſt res uniuerſa, de qua uerba facturi ſumus &c. 264
tractationis quinque ſunt modi. 398
tranſitio quae 379
translata multum ualent in augendo 348
translatio figura 101
translatio breuior uim habet maximam 300
translatio clarior quae 300
translatio definitionis ſpecies, & eius uſu 189
translatio duabus cauſſis inuenta eſt, neceſſitate, & delectatione. 300
translatio ſignificantior, quae. 300
translatio quae 190
translata uerba plurimũ illuſtrant orationem 308.364
tranſlatiua conſtitutio, ante iudicium, & in ipſo iudicio tractari poteſt 392
tranſlatiua conſtitutio, ante iudicium, quot modis tractetur 392 393
tranſlatiua conſtitutio in ipſo iudicio, ſaepe magnum pondus habet 393
tranſlatiua conſtitutio quae 392
Trebatij ſcripta quoties citentur in

in iure ciuili 135
Tribonianum in Iuriſconſultor.ſcripts quae retulit, immutaſſe quaedam 170
tremor a timore plerumque naſcitur 333
trimembres periodi qui 305
tripudium ſolliſtimium, quod. 206
Trochaeus, ſiue Tribrachus, qui ex tribus breuibus ſyllabis conſtat, uel rariſſime, uel numquã, aut in principio, aut in fine ponitur 303
tropus, etiam modum ſignificat 300 figurae definitio 300
tumultus ſignum 58
Tuſculanum opidum 135
turpe, inutile, moleſtum fugere debemus 381
tutela perpetua feminarum. 162
tutelae iudicium, quam graue. 198
tutelae illorum diuerſa a feminarum tutela 200

V

VALERIVS Maximus penitus inter monſtrum, & prodigium differentiam ponit. 365
ualetudo in corpore quomodo ſpectetur 330
uarietas cauſſarum magna eſt 381 353
uarietas delectationem parit. 342
uaria oratione utendum 69
Varro, apud Latinos magnam ex grammatica laudem conſecutus eſt 372
uates, apud ueteres erant quidam homines, qui diuino furore afflati futura praeuidebant. 260 ea quae ipſi praedixiſſent diuina teſtimonia eſſe cenſebant ibid.
uates olim in ſummo pretio erant 260
ubertas omnis, & ſilua dicendi a Philoſophia manat 421
Velia, opidum 135
uenatio, ſtudium nobilitatis eſt, quia corpus bene exercetur, & pugnae ſimilitudinem habet 372
uendere 58
uenire in ſuam tutelam quid ſit 199
uerba ut improprie accipiantur, facit ſaepe ſubiecta materia. 153
uerba grauia quae 349
uerborum coniunctio, ſiue compoſitio quattuor modis erit ſuauis 309. 310
uerba ſynonima quae 296
uerba ſunt rebus ipſius accommodanda 298
uerba compoſita grandiora, & conſonantiora habentur 297
uerborum circumductio, potius exordio conuenit 409
uerba ſuperlata illuſtrem faciunt orationem 308
uerborum humilitas affert aliquãdo uim rebus 298
uerba iterata, quae 348
uerbum idem proprie rem unam ſignificabit, tranſlate alteram 299
uerba ſunt, quae ſignificant 253
uerborum propria eſt elocutio 254
uerba duplicata quae 348
uerba ſimplicia, alia ſpectantur a natura ſua, alia ex tractatione. 296
uerba aut propria, aut tranſlata 191
uerba non uulgata quae 348
uerba, quinque uirtutes habere debent 304
uerborum coniugatio, ſizya Graecis dicitur 268
uerba de ſcripto, quomodo interdum ſint interpretanda 399
uerborum contentio in propoſita controuerſia, uidetur pro reo facere 411
uerba leniora, & quodammodo nitidiora quaerenda ſunt 297
uerba idem ſignificantia illuſtrant orationem 308
uerba grauitate delecta illuſtrem faciunt orationem ibid.
uerba bene collocata dicuntur, quae circumſcriptionem numeroſam habent, non quidem ad ſimilitudinem uerſuum, quoniam hoc eſſet uitioſum, ſed ad aurium ſenſum explendum, ut nihil redundet, aut deſit. pagina 364
uerba ſimplicia, alia ſunt natiua, alia reperta 295
uerba tranſlata plurimum orationem illuſtrant 364
uerba figurata in exornatione maximam habent uenuſtatem, ſi ita conſtruantur, ut paria paribus, & ſimilia, & contraria, & geminata ſaepe referantur, ibidem
uerba rebus debent eſſe ſimilia, & aequalia 310
uerba reperta, quae 295 quattuor modis fieri poſſunt. ibid. 296
uerba alia ſimplicia ſunt, alia coniuncta 294
uerborum ſuauitas tribus potiſſimum rebus comparatur 309
uerba lenia, quae ibid.
uerborum delectu fit elegantia. ibid.
uerba illuſtria talia eſſe debent, ut ab uſu non ſint abhorrentia, uerum ab omnibus intelligantur 347
uerba tranſlata plurimum illuſtrãt orationem 308
uerba, aliquando, & in principio, & in fine, aliquando in fine tantum iterantur 311
uerba priſca, & inuſitata nonnumquam maieſtatem quandam afferunt orationi, ſi raro eis utamur 300
uerborum ambitus tantum protrahi debet, quantum ſpiritus apte percipere, ac pronunciare poteſt 310
uerba uetuſta ſunt factis oppoſita, quae afferunt orationi maieſtatem cum delectatione, modo ne ſint nimis crebra, aut ab ultimis repetita 364
uerba, quae actionem, aut rem imitantur, uim habent illuſtrandi. 308
uerba ſunt rerum notae 267
uerba duplicata illuſtrem faciunt orationem 308
uerba natiua quae 295
uerba ad amplificandum eſſe accommodata non ſatis eſt, niſi etiam actio, & pronunciatio uehemens, & acris accedat 349
uerba debent eſſe grauia in augendo 347
uerba ſingula magnopere delectant, ſi fuerint uel facta, uel uetuſta, uel tranſlata 363
uerba noua fingere nobis hoc tempore non licet, niſi forte res aliquae nouae exſtiterint, quae nomine careant 363
uerba noua multa antiqui protulere, cum in aliis rebus, tum praecipue in laudando 363
uerba deligi debent, iucunda, ſonantia, lenia 309

uerba ſonantia quae ibid.
uerba iucunda quae ibid.
uerba quaedam primo in amplificatione ſunt, quae uim habent illuſtrandi 347
uerba uel propria ſunt, uel idem ſignificantia, uel ab oratore compoſita 314
uerba relata multis modis intelliguntur 348
uerba ſunt quaedam quaſi rerum notae 253
uerecundia non eſt uirtus, ſed potius quaedam animi affectio, quae iuuenes quidem docet, ſenes uero minime 371
uerecundia uitioſa quae 376 eam Graeci Dyſopiam uocant, ibidem
uerecundia, & ornatus uitae 371
uerecundia eſt infamiae timor. ibid.
uerecundia eſt parens omnis honeſti conſilij ibid.
uerecundia eſt tamquam omnis honeſtatis parens, & nutrix, & cuſtos, quae fugiat omnem turpitudinem, & laudem, gloriamq. conſequatur ibid.
uerecundia, eſt maximum ornamentum amicitiae ibid.
uerecundus, & modeſtus magnopere laudatur ibid.
ueriloquium, ideſt etymologia. 267
ueriſimile quod 333
uerisimile unde reperiatur 329
uerisimilia a ſex partibus narrationis, quomodo ducantur ibid.
uerisimilia in coniectura, quae. ibid.
uerisimilia argumenta ſunt alijs alia firmiora 334
uerisimilium materia, quae 333
uerisimilia argumenta ſi deducantur, & ſingula conſiderentur, infirma fiunt 339
uerisimilia argumenta tribus rationibus infirmare quomodo poſſimus 338.339
ueritas nimium altercando ſaepe amittitur 342
ueritas 122
ueritatis ſimplex eſt oratio 333
Verres in Sicilia, cum praetor eſſet, tantum rapuit, ut deinde iudicij poenam non timeret 403
Verrinae 86
uerſum, atque mutatum eloquendi genus quod 314
Verres 268. eius nomen Cicero iocatur, quod omnia uerrat ibid.
uerum, rectum, humanum, & aequum, licet idem fere ſignificent, tamen inter ſe diſtinguun tur 395
uerum, quod ibid.
uerum duplex eſt 70
ueſtigium, hoc eſt pedum nota, nonnumquam ad ueritatem ducit, non aliter, atque uenatores, notatis ferae ueſtigijs, illam aliquando reperiunt 405
uetera exempla quandam prae ſe maieſtatem, atque auctoritatem maiorem ferunt 390
ueteres, quae uates praedixiſſent, diuina teſtimonia eſſe cenſebāt 260
uetuſta uerba ſunt factis oppoſita, quae afferunt orationi maieſtatem cum delectatione, modo ne ſint nimis crebra, aut ab ultimis repetita 364
uicina uirtutibus aliquando nomē habent, aliquando non 122
uictus 125
uictus ad qualitatem tendit, ibidem
uictus hominis 45
uictus in perſonis, quomodo ſpectetur 326
uindicare, cedere, addicere 183
uindices appellabant leges, uades, fideiuſſores, procuratores 149
uindex eſt, qui alterius cauſſam ſuſcipit uindicandam 148
cum aſſiduo lex Aelia Sentia aſſiduum eſſe iubet, ibid.
uindicatio pro ultione 100
Vindicius ſeruus, cum uidiſſet Tarquinij legatos cum Vitellijs, & Bruti filijs colloquentes, & eorum conſilia ſubauſcultaſſet, M. Valerio detulit, qui poſtea litteris deprehenſis totum factum indicauit 334
uindicta quid, quomodo uindicta quis liber fieret, & apud quem, & de eius manumiſſionis formula 147
uindicta eſt uirgula quaedam, quam lictor manumittendi ſerui capiti imponens eundem ſeruum in libertatem uindicabat. 145
uinolentia furori, atque inſaniae ſimillima eſt 403
uir quando teneatur alere uxorem ſeparatam 165
uir bonus, numquam omnino falſum dicet teſtimonium. pagina 406
uiri nobiles, & felices amicis abundant 331
uiri boni officium eſt in multos beneficia conferre 370
uir iuſtus, omnibus in rebus iniuſto uidetur eſſe inferior, & minus lucri facit 357
uires cauſſae 126
uires corporis 6
uires quo nomine appellet Cicero 123
Virginius filiam ſuam occidit, ne Appij Claudij libidini dederetur 337
uirtus naturae ſit, an temporis. 229
uirtus eſt in noſtra poteſtate. 225
uirtus non poteſt in uoluptatis regno conſiſtere 385
uirtus propria eſt hominis 386
uirtutis omne genus amicitiam cōciliat 320
uirtutem quamobrem tam pauci amplectantur 386
uirtus, & rerum honeſtarum appetitio naturae hominis conſentanea eſt 386
uirtus omnis in mediocritate conſiſtit, & utrimque uitiis diuerſis, maxime diſiunctis circumuallata 373
uirtus omnis, ideo ſumme laudabilis dicitur, quia, licet etiam alia quaedam praeter uirtutem laudentur, non tamen per ſe laudari ſolent, ſed quoniam ad uirtutem referuntur 371
uirtutem prouenire, aliqui a natura putant, aliqui a doctrina, & ratione, aliqui ab uſu, & exercitatione 358
uirtutis proprium id dicitur, quo unaquaeque uirtus ab aliis diſtinguitur 371
uirtutes omnes, tam cognitionis, quam actionis, ſunt animi habitus cum ratione conſentiente 371
uirtus ipſa, detractis etiam rebus aliis omnibus, maxime laudabilis eſt 371
uirtus duplex eſt, uel enim ad ſcientiam, uel ad actionem pertinet. 367
uirtuti unicuique tria ſolent ineſſe, primo, ut ſit animi habitus, ſecundo, ut aliquid proprium habeat, tertio, ut ſumme ſit laudabilis 371

uir-

uirtutes,& uitia ſunt quaſi materia quaedam, in qua laudes, & uitu perationes proprie uerſantur. 377
uirtutes morales, Graece ἠθικαὶ uocantur 368
uirtus eſt totum laudationis fundamentum, ſicuti uituperationis uitia, reliqua uero omnia quodammodo media ſunt. quod ſi uirtuti coniungantur, laudabiliorem uirum efficiunt; ſi uitio, magis uituperandum. 362
uirtutes ſunt animi quaſi perfectiones quaedam ea, uirtus, quae rationem perficit, prudentia dicitur; quae uero appetitum, uocatur temperantia. 367
uirtutes principales quattuor ſunt, fortitudo, iuſtitia, temperantia, prudentia 330
uirtus, quae ad ſcientiam pertinet, prudentia dicitur, uel calliditas, uel ſapientia 367
uirtus eſt habitus animi naturae modo, rationi conſentaneus. 371
uirtus in deterius flecti non poteſt 228
uirtutes diſcere non ſatis eſt, niſi etiam uitia relinquantur. 306
uirtutes tres ſunt, quae, cum in oratione exprimuntur, faciunt oratorem amabilem. pagina 312
uirtutes, quae in agendo ſpectantur, & quae maxime laudabiles uiros efficiunt, quae. 370
uirtus, quomodo patiatur 358
uirtus, quae ad actionem pertinet, & cupiditates moderatur, regitq. animi motus, temperantia nominatur 367
uirtus a natura ipſa originem habet, ſed ratione, & uſu confirmatur 358
uirtus eadem eſt, quae honeſtas. quoniam utraque eſt habitus animi rationi conſentaneus. 358
uirtus eſt hominis propria 361
uirtus 1
uirtus quadruplex 46
uirtutis diuiſio 121
uirtutis partes 2
uis oratoris natura potiſſimum cōſtat 253
uis oratoris eſt cauſſa efficiens. ibidem
uis eloquentiae maxime perſpicitur in tractatione uerborum. 298
uis metaphorae quadruplex eſt 301
uires in corpore, quomodo ſpectentur 330
uis prima orationis in ſimplicibus uerbis eſt. pagina 294 295
uis in comparatione quomodo cernatur 282
uis omnis oratoris in augendo, minuendoq. conſiſtit 347
uis, & affectio in facultate ſpectatur 282
uis eloquentiae in amplificatione maxime conſiſtit 318
uis animorum, atque naturae duplex eſt, una pars in appetitu poſita eſt, quae hominem huc, & illuc rapit, altera in ratione, quae docet, & explanat quid faciendum, fugiendumq. ſit. 367
uis, atque natura rei quaeritur, uel per accidentia, & euenta, uel per proprietates, ſi per accidentia uocatur deſcriptio; ſi per proprietates, definitio dicitur. 358
uis oratoris nuſquam magis apparet, quam cum in perorationibus iudices, uel inuitos, & repugnantes lacrymare compellit 293
uis oratoris totam eloquentiam complectitur 252
uis in eo conſiſtit, in quo conſideratur quid unaquaeque res poſſit efficere 225
uis ſecunda orationis in coniunctis uerbis eſt 294
uis 52.72
uis in quo ſit 127
uiſio 53
uiſus per ſe eſt praeſtantior auditu 311
uiſum, auditum, indicatum, ſunt quae geſtum negotium conſequuntur 333
uiſus multo magis, quam auditus, affert facti ſuſpicionem. ibidem.
uiſus, & auditus praecipue praeter alios ſenſus afferunt facti ſuſpicionem, atque etiam multo magis uiſus ibid.
uiſus 59
uita anteacta firmum quoddam teſtimonium eſt 327
uitae cura prima debet eſſe. pag. 382
uitanda tria 121
uitae genus praeſtantiſſimum eſſe quidam dixerunt, procul a ciuilibus negotijs in doctrinae ſtudiis uerſari 359
uitae prima debet eſſe cura. pag. 382
uita, pudicitia, libertas perſonam noſtram reſpiciunt ibid.
Vitellij, & Bruti filij, condemnati fuere, quod eorum litterae ad Tarquinium Superbum in legatorum manibus deprehenſae ſunt 405
uitium, patientiae finitimum eſt 375
uitia quaedam ſunt, quae uirtutem imitari uidentur 373
uitia, longe plura ſunt, quam uirtutes ibid.
uitium apertum 76
uitium, uel maximum eſt in oratione a uulgari genere ſermonis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere. pag. 304
uiuentium uoluntas cernitur ex dictis, ex factis, ex mandatis, ex ſcriptis 262
uituperandum ſaepe, & laudandum eſt in ſuaſione, & diſſuaſione 362
Vlpianus I. C. quo tempore fuerit pag. 160
unicuique credendum eſt in arte ſua ſapientibus 261.262
unimembres periodi qui 305
unum intelligitur in ſententia ſcriptoris 112
uocales crebrae cum inter ſe concurrunt, nimis hiantem orationem efficiunt 310
uocabula, quae optima ſunt, uenuſtatem omnem, & gratiam amittunt, niſi quis eis opportune uſus fuerit 298
uocabuli definitionem defenſor quomodo tractare debeat. pag. 397
uoluntaria quae ſunt, libera ſunt. pag. 225
uoluntariae cauſſae quae 219
uoluntaria quae ſunt, non ſunt neceſſaria 225
uoluntaria neceſſariis iure antepo nuntur ibid.
uoluntas 85
in uoluntate delectus eſt 276
uoluntatis diuiſio 127
uoluntas purgatur tripliciter. pag.

INDEX

pag. 107
unicuique uirtuti tria ſolent ineſſe: primo, ut ſit animi habitus, ſecundo, ut aliquid proprium habeat, tertio, ut ſumme ſit laudabilis 371
uoluntas, & uiuorum, & mortuorum hominum ſaepe primo teſtimonio ualet 262
uoluntas, & natura, duo ſunt, quae ſemper alicuius gratia faciunt 276. in uoluntate delectus eſt, in natura eſt neceſſitas. pag. 276
uoluntas differt a cupiditate, quae ſine ratione eſt 262
uoluntas, atque animi perturbatio in appetitione ponitur. pag. 219
uoluntas eſt, quae aliquid cum ratione deſiderat 262
uoluptas, & modeſtia ſunt praeſentis temporis 285
uoluptas quo modo excitetur. pag. 353
uoluptas quae 285
uoluptati deditus nullam rem magnam aggredietur 330
uoluptates ſunt ſpecie differentes, nam aliae ad corpus, aliae ad animum referuntur. pag. 385
uoluptas, quantopere ſit fugienda ibid.
uoluptas, utilitas, honeſtas, tria ſunt, quae ſibi homines, tamquam fines, expetendo proponunt 277
uoluptates, quae ad animum pertinent, maxime laudabiles ſunt, & naturam attingunt humanam, atque in eis eſt animi tranquillitas, & beata uita 385
uoluptas imitatrix boni, malorum mater omnium 385
uoluptates, quae ad corpus pertinent, belluinae ſunt, & ab omni ſapiente reprobantur. pag. 385
uoluptates, blandiſſimae dominae ibid.
uoluptas, malorum eſca, qua homines capiuntur, ut hamo piſces ibid.
uoluptas, generi noſtro eſt coniunctiſſima 385
uoluptas, apud imperitos homines interdum laudanda eſt. pag. 385
uox ſi mouere animos debet, oportet, ut ſit flexibilis in defendendo, & in accuſando intenſa 349
uox, uultus, & geſtus in actione ſpectantur 349
uocis uarietas in actione, aut in quantitate, aut in qualitate eſt 316
urbes laudantur 361
uſitata uerba quae 305
uſurpare quid ſit 157
uſus, & experientia magnam auctoritatem habent ad perſuadendum 262
uſufructu domus legato, heres non reficit 159
uſufructum ſerui legato, ſi is interierit, non tenetur heres. 159
uſusfructus non eſt rerum uſu conſumptibilium 161
uſusfructus & proprietatis conſolidatio 187
uſusfructus ancillae nomine, non uenit partus 167
uſu matimonium quomodo fiebat 157
in uſu fidem notitia facit 229
uſu magna quae 351
uſu, atque exercitatione, & natura, & ars adiuuatur 253
uſus 90
uti quibus rebus dicamur 161
utile quid ſit 382
utile, neceſſarium, honeſtum, quomodo ſint in deliberatione tractanda 383
utilitas ideo finis deliberatiui generis dicitur, ut a demonſtratiuo genere ſeparetur. 380
utilitas, & facultas ſunt duo prima capita in ſuaſione, ad quae referuntur omnia 401
utilitatis coniectura a perturbationibus animi mouetur pag. 401
utilitas eſt finis deliberationis 353
utilitas, & facultas, ſunt duae praecipuae patrandi maleficij cauſſae 401
utilitas refertur ad finem ibidem
utilitas, quae in ipſo fine eſt, uel a fine prouenit, maxime impellit animos ad aſſentiendum 388
utilitas, & detrimentum, quomodo in uoluntate conſideretur 404
utilitates plurimae ſunt, quae ratione laudandi, & uituperandi proficiſcuntur 362
utilitas, uoluptas, honeſtas, tria ſunt, quae ſibi homines tamquam fines expetendos proponunt 277
utilitas 11
utilitas in quibus rebus uerſetur 382
utilitas eſt finis deliberationis 382
utilitas uera, numquam ab honeſtate ſeparatur 357
utilitates duae praecipuae, atque omnium maximae, a ratione laudandi, & uituperandi proficiſcuntur, hoc eſt bene dicere, & honeſte uiuere, quorum alterum eloquentiam auget, alterum efficit, ut nos ipſi iure laudemur 362
utilitas, numquam a bonis uiris ab honeſtate ſeparata quaeritur 380
utile eſt, non tantum bona acquirere, ſed etiam mala declinare pag. 401
utile, iucundum, honeſtum, ſequi debemus 381
utilitas ad uictum humanum refertur 359
utilia quo modo comparentur. pag. 278
utilium comparatio ibid.
utile, a decoro numquam diſcrepat 380
uulgare 34
uulgo 54
uulgi opinio mutari uix poteſt. pag. 229
uulgus amicitias utilitate probat pag. 383
uultus eſt tacita mentis locutio. pag. 366
uultus in actiones res ipſas imitari debet 316
uultus, ſi mouere animos debet, oportet, ut ſit maeſtus in defendendo, & in accuſando uehemens 349
uxor unde dicta 157
uxoris, quae in manum conueniſſet, bona omnia, ad uirum dotis nomine olim pertinuiſſe. pag. 170
uxor tribus modis habebatur. pag. 156
uxor uſucapiebatur anno 157
uxorum ſpecies duae. Et quibus modis uxor haberetur ibidem

uxor

uxor uſu qualiter fiebat. ibidem
uxorem ſeorſum habitātem, quando uir alere teneatur 165
uxoris ductio per conuentionem in manum, quando ceſſauerit pag. 170
uxoris ſpecies ſunt duae 156

Z

Zeno Eleates 345
Zeno, manu demonſtrare ſolebat quid inter Dialecticam, & Rhetoricam intereſſet. pag. 243
Zeno Eleates primus fuit, qui dialogos inſcripſit 247
Zeuſis ſummus in pingendis feminei s uultibus 82

FINIS

Aldine
583
C568m
2-SIZE
v.1